UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S. Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

~~M. 0 g.~~

No 43.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FRANCISCI

BACONI

Baronis de Verulamio.

OPERA OMNIA,

PHILOSOPHICA, MORALIA,
HISTORICO-POLITICA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MEDIO FIRMA
CRIA
MELIO
Francisc.o Bacon.o Baro de Verulam:
Vice-Comes S.ti Albani, Summ.i Angliæ Cancellarius, & mortuus 9 Aprilis, Anno Dni. 1626.
Annoq. Aetat 66.

FRANCISCI BACONI

Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S. Albani,
Summi Angliæ Cancellarii,

OPERA OMNIA,

Quæ extant:

PHILOSOPHICA, MORALIA, POLITICA, HISTORICA

Tractatus nempe de Dignitate & Augmentis Scientiarum.
Novum Organum Scientiarum, cum Parasceve ad Historiam Naturalem & Experimentalem.
Historia Ventorum.
Historia Vitæ & Mortis.
Scripta de Naturali & Universali Philosophia.
Sylva Sylvarum, sive Historia Naturalis.
Nova Atlantis.
Historia Regni Henrici VII. Regis Angliæ: Opus verè Politicum.
Sermones fideles, sive Interiora Rerum.
Tractatus de Sapientia Veterum.
Dialogus de Bello Sacro.
Opus Illustre in felicem memoriam Elisabethæ Reginæ.
Imago Civilis Iulij Cæsaris.
Imago Civilis Augusti Cæsaris.

IN QUIBUS COMPLURES ALII TRACTATUS, QUOS BREVITATIS CAUSA
prætermittere visum est, comprehensi sunt.

HACTENUS NUNQUAM CONJUNCTIM EDITA,
Iam vero
SUMMO STUDIO COLLECTA, UNO VOLUMINE COMPREHENSA,
& ab innumeris Mendis repurgata:
Cum Indice Rerum ac Verborum Universali absolutissimo.

HIS PRÆFIXA EST
AUCTORIS VITA.

Ausgeschieden
Bibliothek Paderborn

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Impensis JOANNIS BAPTISTÆ SCHONWETTERI,
Typis MATTHÆI KEMPFFERI.
Ds ANNO M DC LXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Aus einer grossen Menge Bacō's bemerkt sich Herder in seiner Abhandlung von Erkennen und Empfinden der menschlichen Seele, Riga 1778. 8vo

Gern gestehe ich, daß ich Baco nicht so aufmerksam gelesen, wenn ich gleich einige Werke auch einige Male durchlas, Gedanken aber sehr eingeschränkt in diesen Schriften entdeckte, worüber ich vielleicht einst eine kleine Sammlung der gelesenen Stellen anlegen werde.

Riedel.

Universitäts-Gesamthochschule Paderborn Bibliothek

06
7BCA
1017

81126389

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO IMPERIALI AULICO GRAVISSIMO, DEQUE REPUB. MERITISSIMO

VIRO ILLVSTRI

D. JOHANNI HELVICO SINOLT dicto Schütz/

Domino ac Patrono meo obſervandiſsimo

FELICITATEM PERENNANTEM!

ESt è Viris doctis, qui Angliam olim, eo ipſo tempore, quo Franciſcus Baconus Baro de Verulamio in culmine dignitatum ſuarum adhuc conſtitutus, poſtmodum verò, annon ſuo & rei literariæ commodo, dubitatur, inde dejectus & vitam & Angliæ Cancellarium egit, cùm peragraret, ad Amicum ſuum in Germaniam literis perſcripſit: *Deum ſe teſtari, ſe in illo Europæ angulo nullos invenisse homines, nullos inquam, ſed profectò meras* GRATIAS. Non invidebunt hæc Anglorum, qualia qualia ſint, tempora, illis prioribus ſuam felicitatem vel ingeniorum ſubtiliſſimorum fertilitatem, quin potius illum, quicunque fuerit, vera ſcripſiſſe, calculum ſuum addent, & hinc ſuæ Nationis laudi non parum acceſsiſſe, pro Exemplo adducent Magnum illum Angliæ Cancellarium Franciſcum Baconum, Virum, quod ingenii ſui teſtantur monumenta juris, inprimis Anglicani, peritiſſimum Philoſophum omni ex parte verum, Eloquentiæ autem laude incomparabilem. Hujus ego opera omnia & ſingula, quæ quidem illo vel in vivis exiſtente, maxima ex parte in Anglia, vel poſt illius obitum apud Batavos paſſim divulgata fuerunt, uno comprehenſa faſciculo & in unum congeſta, imò conquiſita volumen, cùm typis deſcribi curaverim, de Patrono, cujus nomini tanto operi condigno, illud inſcriberem, diſpiciendum exiſtimavi; Et verò, quamvis nonniſi ab iis, qui Tecum paria faciunt, id eſt, à Viris æquè laudatis cenſeri merearis, cùm tamen & inferioris ſubſellii homines, illorum, qui in ſuperiori cavea (verbo utor olim in Circis cognito) ſedent, Virtutes & exquiſitas animi dotes mirentur, & hoc à ſe fieri, illos ſcire geſtiant, eadem ratione, Tuarum ego indignus, non tamen iniquus æſtimator, Tibi illud ritu antiquo & mutuatis ab ipſo

Illustrissimo Autore ad Regem suum verbis, tanquam servus, non solùm Muneris alicujus Tributum, sed & observantiæ, ac Amoris (quod bona Tua Venia dixerim) signum & pignus donare, dare, dedicare constitui, obnixè rogans, illud ne despicias, sed æqui bonique consulas. Reliquum quod est, Deum Trinum veneror & exoro, ut salutaria tua consilia regat atque fortunet, ad salutem Sacri Imperii, utilitatem communis Patriæ ejusque civium commoda & emolumenta, ut hoc modo gloriam bonis omnibus applaudentibus Tua Virtute Tuâque Integritate partam, ad posteros sartam tectam transmittas. Vale Vir Illustris, & me inter Clientes Tuos si numerem, ne dedignare. Dabantur Francofurti ad Mœnum ipsis Nundinis Autumnalibus A. R. S. M DC LXIV.

Illustris Dominationis

Tuæ

Devotissimus Cliens

Johannes Baptista Schônvvetter
Bibliopola Francofurtensis.

VITA

VITA

FRANCISCI BACONI, BARONIS DE VERULAMIO, VICECOMITIS SANCTI ALBANI, AUCTORIS NOBILISSIMI.

FRANCISCUS BACONUS, Seculi & gentis suæ decus, ornator & ornamentum literarum, natus est in Palatio Eboracensi, infra plateam dictam le Strand, juxta Londinum, 22. Januarij, Anno Salutis Humanæ MDLX. *Patrem* habuit illustrem illum Elisabethæ Reginæ Consiliarium, Regni ejus, (dum ipse vixit) columen alterum, *Dominum Nicolaum Baconum*, Equitem Auratum, Magni Sigilli Angliæ Custodem, Heroëm perspectæ Prudentiæ, judicij, moderationis & integritatis; *Matrem*, *Annam Cocam*, Antonij Coci, Equitis itidem Aurati (qui eruditioni Eduardi Sexti Angliæ Regis præfuit) è filiabus unam, fœminam lectissimam, tam Pietate & Virtute, quàm doctrina præpollentem, nec non *Græca & Romana lingua* perita non mediocriter pro sexu muliebri imbutam. His ortus Parentibus, in qualem evasurus esset, etiam tum facilè conjicere licuit, cui nulla, vel à *Natura* vel ab *Educatione* adjumenta defuere. Annos *Pueritiæ* teneriores non sine eximiis præcellentiæ speciminibus transegit, qua ætate ea indole & ingenij acumine præditus fuit, ut spem magnam injecerint profundæ illius & universalis Apprehensionis, qua postea inclarult & in notitiam Procerum complurium, aliorumque tam dignitate quam officiis eminentium Virorum induxerint. Ante omnes autem Reginæ ipsius (ut à fide dignis relatum) cum eo colloqui & quæstionibus difficilioribus tentare, sæpiusculè volupe fuit: Ille autem tanta gravitate & judicij maturitate, supra ætatem se expedire valebat, ut *Regina eum Dominum Custodem sigilli minorem* appellare solita sit. Interroganti, *Quot annos natus esset?* Ingeniosè, etiam puer adhuc respondit: *Se regimine ejus felici duobus annis juniorem fuisse.* Ætate *Academicæ* literatulæ, pro more idonea, vel potius paulo maturius, in album Collegij Sanctæ & Individuæ Trinitatis Cantabrigiæ Patris jussu relatus est, sub tutela Reverendissimi Viri Dn. Joannis Whitgisti, Sacræ Theologiæ Doctoris, eo tempore Collegij illius Præfecti, postea autem percelebris Archi-Episcopi Cantuariensis, Præsulis Magnitudinis primæ, Sanctitate, Doctrina, Patientia & Humilitate fulgentissimi, sub quo in Artibus & studiis liberalibus, præ aliis coætaneis suis, mirificè profecisse deprehensus est. Dum adhuc in Academia studiis incubuit, tantum non sedecim annos ætatis nato, *Philosophia Aristotelica* primùm insipida visa fuit, non propter vilipendium Auctoris, quem summis semper laudibus evehere in more habuit, sed propter inefficacitatem viæ; ejusmodi nimirum cùm esset hæc Philosophia, quæ ad Disputationes & Contentiones solùm nata, ad productionem autem Operum, quæ vitæ humanæ Commoda essent, sterilis omnino fuerit: In qua mente ad extremum usque spiritum perstitit.

Locus Nativitatis. *Dies Annus.* *Pater Nicolaus Baconus.* *Mater Anna Coca.* *Græca & Romana lingua perita.* *Pueritia.* *Iudicii maturitas.* *Initia studiorum Academicorum.* *Iohannes VVhitgistus Baconi Informator.* *Huius laudes.* *Philosophia Aristotelica Bacono primùm insipida.* *Eius causa.*

Postquam *Artium liberalium Encyclopædiam* emensus fuerat, operæ pretium Patri visum est, eum ad *Artes Politicas* applicare; Cujus rei gratia, in Galliam in comitatu *Amicii Povvletti*, Equestris Dignitatis Viri, ad Regem Galliæ eo tempore Legati ordinarij designati, mittendum curavit, à quo non multo post idoneus habitus est, qui in Angliam ad nuntium Reginæ perferendum remitteretur. Quo quidem negotio perfunctus, non sine gratiis à Regina redditis, in Galliam secundo remeavit, eo consilio, ut non nisi post annos aliquot exactos Angliam repeteret. Dum in Galliis peregrinatus est, Pater ejus Custos magni sigilli, diem suum obiit, relicta satis ampla nummorum vi, ad id congesta, ut latifundia aliqua in usum hujusce filij sui natu-minimi coëmeret & compataret, qui solum sine patrimonio post obitum Patris remansit, & quamvis in bonis paternis, in affectu tamen paterno, non infimum locum tenuit. Verùm cum ejusmodi terrarum coëmptio, superstite adhuc Patre designata tantum & non impleta fuerit, non plus ei cessit, quàm pro rata pecuniæ inter quinq; fratres distribuendæ. Quod in causa fuit, ut fortuna aliquantulum dura ætate juniore usus sit. Neque enim præclarum illud & amænum prædium Gorhamburiense, nisi multis postea annis adeptus est, per mortem scilicet charissimi fratris sui germani, *Antonii Baconi*, magni nominis viri & in aulis Principum exterorum versutissimi, celsitudine quidem ingenii paris, sed in Artium Liberalium scientia fratri concedentis, inter quos magna necessitudo intervenerat; siquidem, qui præter eandem paternam originem, unius matris nexu arctius conjungerentur.

Baconi studia Politica. *Amicius Povvlettus.* *Mittitur in Galliam.* *Remittitur in Angliam.* *Redit in Galliam.* *Interim moritur Pater.* *Patri præ aliis charus fuit.* *Fortuna post mortem Patris usus est dura, sed morte fratris benigniori.* *Antonius Baconus frater Francisci.*

Reversio è Galliis, de genere vitæ statuendum fuit. Itaque Juris Angliæ Municipalis studio & professioni se addixit. In qua Sparta ornanda, eximios brevi progressus fecit, licet

E Galliis reversus iuri Angliæ Municipali se addicit.

(quæ ipsius verba sunt) peritiam illam, tanquam accessoriam, sive subsidiariam, non tanquam principalem amplexus sit. Varios Tractatus circa hoc Argumentum, à principio emisit. In quibus, quamvis ab aliquibus Professionis illius Coryphæis mole & casuum numero forte superaretur, pondere tamen & fundamentorum ac mysteriorum Juris scientia, nemini cessit. Nondum tyrocinium in lege egressus, à Regina in Consilium suum doctum extraordinarium adscitus est, gratiam (ut ajunt) vix cuiquam antea delatam. Sedem sibi delegit studiis suis & officio Advocati commodam inter honorabilem Societatem hospitij Gnejensis: In cujus societatis numerum sese adscripsit, ubi elegans illud ædificium sive structuram erexit, quæ hodie Baronis Baconi nomine innotescit, quam per vices maximam partem vitæ (paucis solummodò annis exceptis) usq; in diem mortis incoluit. In illa societate ea demum suavitate, comitate & animi generositate usus est, ut magnum exinde amorem & reverentiam ab hospitij illius senioribus & alumnis sibi conciliaverit.

Ejus scientia nemini cessit.
A Regina in consilium doctum extraordinarium adscitus.
Societati Gnejensi se adscribit.
In illa omnibus est gratus.

Quamvis autem *Legis-Consultorum Professioni* pro vitæ & convictus sui exigentia astrictus esset, animo tamen & affectu *Artes Politicas & officia status* magis propendebat, quibus sanè, si Majestati Augustæ tunc placuisset, cùm primis habilis fuit. Ætate adhuc integra, in numerum eorum qui rebus Nobilis illius, sed Infelicis Herois *Comitis Essexiæ* studebant, se adscripsit, cui tanquam intimus & fidissimus Consultor omnibus viribus inservit, & in id incubuit, ut tuta tantum & honorifici monita animo ejus instillaret, donec ad extremum, Comes ille, temerariorum quorundam & furiosorum hominum consiliis aures præbens, in exitium se præcipitaverit.

In artes Politicas & officia status magis propensus.
Comitis Essexiæ intimus & fidissimus Consultor.

Natalibus atque ingenuis animi sui dotibus hoc debuit, ut facilior ei & liberior ante reliquos Professionis ejusdem aditus pateret ad Aulam Principis, adeoque in conspectum Reginæ ipsius, quæ sermones cum eo seorsim & summa cum facilitate miscere (quoties commodum erat) aspernata non est, non solùm circa Professionis ejus res & materias juridicas, sed etiam circa ardua negotia status Regni, cujus responsis de tempore in tempus, libentissimè acquievit. Veruntamen quamvis benignitate vultus sui eum abundè refocillaverit, nunquam tamen refocillavit benignitate manus, utpote quæ ad nullum publicum munus sive honoris, sive emolumenti, eundem promoverit, demptaua Reversione sicca Officii Registrarij in Camera stellata, annui ut putabatur valoris mille & sexcentarum librarum, in cujus possessionem non ante annos viginti aut circiter devenit. De quo officio Elisabethæ tempore festivè dixit: *Illud sibi esse instar fundi alieni ædibus suis adjacentis, qui prospectum meliorare, horreum autem ejus replere non possit.* Verum regnante Jacobo, illo tandem officio potitus est & per Deputatum administravit. Hoc autem nullo modo tribuendum malevolo aut infenso in eum Reginæ ipsius animo, sed artibus & æmulationi cujusdam è proceribus ea tempestate apud Reginam potentis, qui eum omnibus modis deprimere & coercere sedulo curavit, ne si ad fastigium aliquod attolleretur, propria per eum gloria obfuscaretur.

Facilis Baconio aditus ad Aulam Principis.
Exiguo tamen commodo.
Ob æmulationem cujusdam à proceribus.

Quamvis autem tempore Dominæ suæ Elisabethæ Reginæ retardationem diutinam passus sit, post regiminis tamen mutationem & ingressum Domini sui novi Jacobi Regis, in citato gradu perrexit, à quo fiduciæ, honoris & proventuum muniis eximiè cohonestatus est. Visæ sunt desuper literæ quædam propria ad Jacobum Regem manu conscriptæ, *quibus talem illum fuisse erga se Dominum agnoscit, qui repetitis subinde favoribus novies cumulasset, ter Honoribus, sexies autem Officiis.* Officia quæ intelligit (ut putant) hæc erant. *Consilium doctum extraordinarium Regiæ Majestati suæ* (quo loco antea inserviit Majestati Reginæ) *Regis solicitator Generalis, Attornatus Regis Generalis* sive *Procurator Primarius, Cooptatus in sanctius Regis Consilium* dum adhuc *Attornati* locum gessit, *Dominus Custos Magni Sigilli Angliæ*, ultimo *Dominus Cancellarius Angliæ.* Quæ quidem Munera posteriora duo, licet autoritate & potestate eadem sint, diplomatibus tamen & favore Principis differunt. A cujus Magistratu successorum nullus *Domini Cancellarii Angliæ* titulo in hunc usque diem decoratus est. Honores erant, primo *Eques Auratus*, dein *Baro Verulamius*, postremo *Vice-Comes Sancti Albani*: præter alia dona magnifica & manus benignitates, quibus eum dotare Majestati suæ visum fuit, tam ex proventibus Magni sigilli, quam ex Officio Alienationis.

Jacobo rerum potito honoribus & muniis cohonestatur.
Ejus Officia.
Domini Cancellarii Angliæ titulo Baconus solus decoratus.
Honores.
Dona.

Circa annos magis propitios de *Matrimonio* contrahendo consilium cepit. Itaque in uxorem duxit *Aliciam*, filiam & hæredum unam *Benedicti Barnhami* Armigeri & Aldermanni Londinensis; cum qua *dotem satis amplam* & lautam, tam in terris, quàm in pecuniis numeratis, recepit. *Liberos* ex ea suscepit nullos, qui quamvis adjumento sint ad nomen nostrum post obitum perpetuandum, illi tamen alia propagine ad nomen suum perpetuandum beari contigit, propagine scilicet Cerebri sui, in qua semper fœlix & mirabilis fuit, instar Jovis ex cujus cerebro Pallas prodiit. *Neque* vero liberorum defectus ullo pacto amorem ejus erga Nuptam imminuit, quam summa semper dilectione conjugali & Amoris indiciis prosecutus est; suppellectili lauta, monilibus variis & fundis insuper dotavit, addita etiam *Trabea honoraria Maritali*, quam viginti plus minus

Matrimonium Cum Alicia filia Benedicti Barnhami.
à qua dotem amplam,
Liberos suscepit nullos.
Amor Coniugalis.

minus annos post obitum ejus gestavit. Totidem enim honoratissimo marito superstes fuit.

Quinquennium extremum vitæ suæ à negotiis civilibus & vita activa retractus, studiis & contemplationibus insumsit. Quæ res sane visa est ei maximè cordi fuisse, ac si in umbra potius, quàm in luce commori optasset. Cujus etiam non obscura indicia in operibus ejus perlegendis, reperire licet. Quo temporis spatio, librorum suorum, tam Anglicano, quam Romano sermone conscriptorum, maximam partem exaravit, qui juxta temporum seriem, quo conscripti erant, sic se habuerunt: *Historia Regni Henrici septimi Regis Angliæ* sermone patrio. *Abecedarium Naturæ*, scriptum Metaphysicum, quod, nescio quo malo fato perjit. *Historia Ventorum. Historia Vitæ & Mortis*, Historia *Densi & Rari*, *Historia Gravis & Levis*, quæ itidem perjit. Hi *libri* stylo *Romano* sunt elucubrati: dein fragmenta quædam *Anglicana*; quæ fuerunt, *Dissertatio de Bello cum Hispanis gerendo. Dialogus de Bello sacro. Fabula Novæ Atlantidis, Præfatio Digesto de Legibus Angliæ* præfigenda. Initium *Historiæ Henrici Octavi Regis Angliæ*. Intervenerat *Opus* de *Augmentis scientiarum*, in quo è lingua vernacula, proprio Marte in Latinam transferendo, Honoratissimus Auctor plurimum desudavit, & multis subinde ac variis additionibus locupletavit. Postea, *Consilia Civilia & Moralia* (antea *Delibationes* dictæ) tunc autem & numero & pondere aucta, Idiomate Anglicano. *Psalmorum Davidis* nonnulli, in *rhythmos Anglicanos* compositi. Iterum Versio quorundam à scriptis suis de *Patrio* in *sermonem Romanum*, quæ fuerunt, *Historia Regni Henrici Septimi Regis Angliæ: Consilia Civilia & Moralia*, exinde dicti, *Sermones Fideles*, sive *Interiora Rerum. Dialogus de Bello Sacro & Fabula Novæ Atlantidis*, in gratiam exterorum, apud quos expeti inaudiverat. Liber de *Sapientia Veterum* recognitus. *Inquisitio de Magnete, Topica Inquisitionis* de *Luce & Lumine*. Ultimum locum tenuit *Sylva Sylvarum*, sive *Historia Naturalis*, opus Anglicum, nunc verò Latinitate donatum. Atque hi fructus fuerunt, qui in umbra annorum quinque memoratorum maturuerunt, libris quos ante quinquennium illud elaboravit, non recitatis. Quin & propositum illi fuit (mandante serenissimo Rege Carolo) *Historiam Henrici Octavi Angliæ Regis* contexuisse, sed opus illud ultra designationem solam non processit, Deo ulteriorem viam celeberrimo Autori minimè largiente. Extat tamen specimen quoddam Historiæ illius, quam paucæ unius diei horulæ matutinæ olim parturierunt, inter opera ejus Miscellanea Anglicè edita, per quod ex ungue Leonem dignoscere possis.

Quinquennium vitæ extremum studiis & contemplationibus dicatum.

Eo tempore quos conscripserit libros.

Virtutes & animi dotes non minus quàm curriculum vitæ in Heroe isto commemorandi locum sibi vendicant. Facultates illæ, quæ in aliis non infimi ingenij hominibus dissociatas ferè & solitarias, in illo conjunctæ & quasi connubio aliquo copulatæ eminebant. Eæ fuerant *Ingenij acumen, Memoria fida, Iudicium penetrans* & *Elocutio profluens*. Ac de prioribus illis tribus, libri ejus abunde testantur, de quibus (ut de Julio Cæsare Hirtius) quam benè atque emendatè cæteri judicent, quam facilè atque celeriter eos præscripserit, ji norunt, quibus cum conversari datum fuit. Sed de quarta, puta *Elocutione* illud effari libet, quod Insignis ille *Gualtherius Raleghus*, vir Equestri dignitate & singularibus Virtutibus ornatus (cujus ut tanti Viri judicio non immerito fidendum) semel disseruit, nimirum *Comitem Sarisburiensem Oratorem bonum fuisse, scriptorem malum; è contra. Comitem Northamptoniensem scriptorem bonum fuisse, Oratorem malum, sed Dominum Franciscum Baconum in utroque, tam dicendo quam scribendo præcelluisse.*

Virtutes & animi Dotes.

Eadem quæ Iulio Cæsari.

De Elocutione eius iudicium Gualtheri Releghi.

Non raro mentem subiit cogitatio, Deum, si ullum mortalium novissimis his temporibus radio quodam scientiæ Humanæ illuminare dignatus sit, illum proculdubio illuminasse. Quanquam enim sedulo Libros evolverat, ex libris tamen solis scientiam suam deprompsisse, haud quaquam credere licet, sed ex principiis & notionibus quibusdam, intra se accensis, quas nihilominus non temerè, sed cautè admodum & lentè propalavit. *Opus* illud *Novi Organi* (cui ipse inter Opera sua primas tribuit) neutiquam sanè cogitatio umbratilis aut cerebri proprii commentum fuit, sed veluti fixa & radicata notio multorum annorum & laboris improbi proles. Proinde in Archivis suis, Autographa, plus minus duodecim, Organi Novi, de anno in annum elaborati & ad incudem revocati & singulis annis ulteriore subinde lima politi & castigati, donec in illud tandem corpus adoleverat, quo in lucem editum fuit; sicut multa ex Animalibus fœtus lambere consuescunt, usque quoad membrorum firmitudinem eos perducant.

Baconi scientia non è solis libris.

Sed ex principiis & notionibus quibusdam internis.

Opus Novi Organi multorum annorum labor.

In libris suis componendis, *Verborum vigorem & perspicuitatem* præcipuè sectabatur, non elegantiam aut concinnitatem sermonis, & inter scribendum aut dictandum, sæpe interrogavit, *Num sensus ejus* clarè satis & perspicuè redditus esset? quippe qui sciret, æquum esse, ut verba famularentur rebus, non res verbis. Etsi in stylum forsitan politiorem incidisset (siquidem apud suos Eloquentiæ Anglicanæ Artifex habitus est) id evenit, quia evitare arduum illi erat. Neque verò verborum minutiis & allusionibus capiebatur, sed eas semper ex composito & de industria effugit, probè sciens, ejusmodi futilitates nihil aliud esse, quàm deviationes & aberrationes à scopo proposito, & gravitati & dignitati styli, non modicum officere & detrahere.

Verborum vigorem & perspicuitatem præcipuè sectabatur.

Eloquentiæ Anglicanæ Artifex habitus est.

Legendo usque ad satietatem aut tædium, non immorabatur. Quamvis enim mul-

tum legerit, idque summo cum judicio & rejectione omnis scoriæ, quæ in scriptoribus plurimis sese offert, commodam tamen animi relaxationem studiis suis intermiscuit; veluti *Deambulationem lenem*, *Vectionem in rheda*, *Equitationem*, non citam sed lentam, *Globorum lusum*, & id genus alia *Exercitia*. Neque verò *jacturam temporis* ullam fecit: quam primum enim domum redierat, confestim & absque ulla mora *lectioni* aut *meditationi* renovandæ incubuit: Sicque nullum momentum aut temporis segmentum, periri aut intercidere passus est. *Mensam* ejus *refectionem aurium* æquè diceres ac *Ventris*, non absimilem Noctibus illis Atticis aut conviviis Deipnosophistarum, in quibus, mente & intellectu refici licebat, non minus quàm corpore. Hinc nonnulli sublimioris ingenij viri, ad pugillares se recepisse professi sunt, quoties à mensa ejus surrexerint. Convivantium neminem aut alias colloquentium pudore suffundere gloriæ sibi duxit, sicut nonnulli gestiunt, sed facultates eorum qualescunque, fovere & provehere paratus erat. Quin & sermonis licentiam sibi soli corripere, in more non erat, sed & aliis simul confidentibus libertatem & vicissitudinem loquendi permittere: hoc etiam addendo, quod in Arte unumquemque propria lubentissimè audiret & ad ejusmodi Dissertationem pellicere & provocare consueverit. Ipse autem nullius Observationes contempsit, sed ad candelam cujuslibet lampada suam accendere non erubuit.

Animi relaxationem studiis immiscuit.
Temporis jacturam nullam fecit.
Mensa Baconi refectio aurium æquè ac Ventris fuit.

Dicta & *pronunciata* ejus, vix unquam in dubium vocata sunt, cumque disserentem omnes audierunt, nullus se opposuit, ac si Oracula magis, quam Eloquia protulisset. Quod quidem, sive exactæ sententiæ suæ antequam declarasset, in lance Veritatis, Rationis librationi sive existimationi, qua ab omnibus habitus fuit, ut nemo contrairet, tribuendum censeo. Unde argumentationis genus illud, qua in utramque partem disceptatur, Mensa ejus haud novit, aut si aliqua forte intervenerit, eadem cum magna submissione & moderatione, agitata fuit. Sæpe observatum, neque virorum quorundam illustrium notitiam effugit, quod si occasio fortè interveniret sermonis alieni inter colloquendum repetendi, ea facultate præditum fuisse, ut novis subinde & melioribus vestibus inductum proferret; adeò ut Auctor ipse sermonem proprium ornatu cultiorem cerneret, sensu autem & materia minimè mulctatum, ac si formulis bonis uti, res esset ei à natura indita. Id quod in carminibus componendis de se cecinit Ovidius:

Dicta eius quanti æstimata.

Et quod tentabam scribere, versus eras.

Quotiescunque ex *Officio* premebatur *Reum* aliquem peragere (quod muneris Regiæ Majestatis Consilio Docto incumbebat) sive in Criminalibus sive in Capitalibus, nunquam se superbum, aut fastuosum, versus delinquentem præbuit, sed semper lenem & decenti temperie affectum: & quanquam sciebat ex Munere suo esse pro parte Regis crimen adversus reum, pro virili sua urgere & aggravare, ita tamen se gessit, ut severitatis oculo Exemplum, Misericordiæ personam intueretur. In negotiis autem status, quando in sanctius Regis consilium ascitus fuit, optimum consulendi modum tenuit, non implicando Dominum suum in consiliis aliquibus temerariis, aut populo gravioribus, sed temperatis & æqualibus: Jacobo Rege hoc eum testimonio ornante, *Illum viam calluisse negotia ejus tractandi suavibus modis*; atque id Majestati suæ maximè cordi fuisse, pronunciavit.

In Officiis suis qualem se gesserit.
Negotia status quomodo tractarit.

Neque verò (cum Occasio tulerat) minùs gratiosus apud *subditos Regni* fuit, quàm apud ipsum Regem. Comitiis Parlamentariis Inferioris Consessus, dum in ea Domo sedit, pergratus semper fuit, in qua sæpe peroravit, non sine magno applausu. Postquam ad munus Atturnati Generalis evectus fuisset, & ad locum in Parlamento electus, libertas inter ipsos consultandi communi suffragio ei concessa est, quæ aliis Atturnatis Generalibus minimè indulta.

Apud subditos Regni æquè gratiosus fuit ac apud Regem.

Sicut autem erga *Herum* suum *servi boni* laudem reportavit (siquidem ipso asserente, in annorum novendecim administratione in reprehensionem Regis propter aliquam offensam in Majestatem Regiam, immediatè admissam nunquam incurrerat) ita erga servos proprios Heri boni nomen obtinuit & servitia eorum diuturna præclaris officiis, cum in potestatem suam devenerunt, gratis compensavit. Quæ res in causa fuit, cur tot melioris notæ juvenes è claris familiis oriundos, in numerum Assectatum suorum recipere precibus penè fatigatus sit. Quod si eorum aliqui gratia & favore ejus, perperam usi sunt, id solummodo errori bonitatis suæ nativæ, eorum autem perpetuæ infamiæ & intemperantiæ, tribuendum est. Heros iste *Divini Numinis* cultor fuit. Quamvis enim viris Politicis & ingeniis præaltis, Atheismi notam inurere vulgo inolevit, ille tamen Deum & agnovit & coluit. Id quod ex variis testimoniis, per filum operum suorum sparsis, liquidissimè apparet. Alias enim principia propria destruxisset & evertisset; quæ fuerunt, *Philosophiam primoribus tantum labiis degustatam, à Deo abducere, utpote quæ causas secundas ultra debitum magnifaceret: Philosophiam autem plenè haustam, ad Deum denuò reducere.* Illum autem *Philosophum profundum* extitisse, nemo, opinor, est qui neget. Interesse frequenter solebat (cùm per valetudinem liceret) divinis officiis sive privatim, sive publicè celebratis, concionibus audiendis, Sacræ Eucharistiæ participandæ & tandem in fide vera placidè obdormivit. Hoc pro certo ponen-

A quo servi boni laudem reportavit.
A servis vero propriis boni Heri.
Divini Numinis fuit Cultor.
Eius de Philosophia iudicii.
Philosophus qualis ipse fuerit.
Officiis divinis frequenter interfuit.

ponendum est, eum *Malevolentiæ* omnis penitus expertem fuisse, quam (ut ipse dixerat) neque parturivit, neque pavit. De *injuriarum vindicta* ne cogitavit quidem; ad quam, si ita animo affectus fuisset, & opportunitate & potestate armatus fuit. *Detrurbator Officiariorum à muneribus adeptis*, neutiquam fuit, ac si exitio & ruina aliorum se impinguasset. *Calumniator* apud Principem non cluit. Dic quodam cum quidam è Ministris status primariis, neutiquam ei favens, nuper defunctus fuisset, Rex eum percontatus est: *Quid de Domino illo, jam fatis functo, sentiret?* respondit: *Ejusmodi eum fuisse, qui Majestatis suæ res nunquam promovisset, aut auctiores fecisset, Verùm à præcipitio & declinatione servare, haud dubiè sategisset.* Neque enim duriorem de eo sententiam proferre voluit. Quæ quidem non inter *Virtutes* illius *Morales* sed *Christianas* numeranda.

Malevolentia expers, Injuriarum immemor, Aliorum ruina se non impinguavit. Nec Calumniator extitit.

Nomen ejus magis *foris* & apud *Exteros* quàm *Domi* & inter populares suos celebratum est & inclaruit: veluti id quod Oraculo illi Divino etiam subjicitur: *Non est Propheta sine honore, nisi in Patria sua, & domo sua.* In qua re, paucula quædam ex Epistola, ex Italia (Ingeniorum politorum Apotheca) ad Comitem Devoniensem, missa, excerpenda sunt, quæ sic se habuerunt: *Deliberationes novas Domini Cancellarij Baconi, nec non Historiam ejus & quidquid aliud jam molitur, ingenti cum animi ardore expectabo. Speciatim autem in Historia sua opus perfectum & limatum, mihi spondeo, præsertim in Henrici septimi rebus gestis; in quibus enarrandis, acuminis sui divini talentum exercere licebit. Dominus iste indies in majus innotescit, & opera ejus magis magisque apud nos in deliciis habentur, atque ij, qui in rebus humanis ultra vulgare sapiunt, eum inter ingenia seculi hujus capacissima, & celsissima reputant. Et si revera* est. Jam fama ejus diuturnitate non defloresci, sed potius augescit. Librorum ejus plurimi alias linguas, tam eruditas, quam modernas, & pridem & nuper callere edocti sunt ab illarum Nationum indignis. Viri primarij aliquot, dum adhuc in vivis fuit, nullam aliam ob causam in Angliam transfretarunt, quam ut eum conspicerent, & cum eo coram loquendi opportunitatem captarent: quorum unum pictura sua à capite ad pedes usque delineata in Galliam secum portanda donavit, quam hospes ille tanquam rem gratissimam Conterraneis suis futuram fallus est, ut ita Imagine Personæ non secus ac Imaginibus Celebri (libris nimirum) potirentur. Inter cæteras *Marchio Fiatus* Nobilis Gallus, qui Legatus in Angliam venerat anno primo *Mariæ Reginæ*, *Caroli Regis Nuptæ*, ingenti animi ardore eum invisendi captus est. Ad quam rem opportunitatem nactus, & cubiculum ingressus præ infirmitate in lectulo decumbentis, stylo aliquantum grandiore eum adortus est, Dominationem suam sibi sempet Angelis similem fuisse, *de quibus multa ad illius aures pervenerunt, & in libris similiter lectitarit, sed eos nunquam coram conspicere concessus fuit.* A quo congressu tanta inter eos Amicitia juncta fuit, & Marchio eum tanta reverentia prosecutus est, ut præter visitationes crebras, literæ invicem sub nominibus & titulis *Patris* & *Filij* intercesserint. Quod ad salutationes innumeras per *Epistolas ab exterarum* Nationum Viris primariis, sapientiæ aut bonarum Artium studio deditis, missas, nihil hic addendum, cum res sit melioris notæ hominibus cum eo communis.

Nominis celebritas apud exteros. Italia ingeniorum politorum Apotheca. Exterorum eum videndi & invisendi cupiditas. Marchio Fiatus Nob. Gallus. Epistolarum commercium

Cum autem de *Fama* ejus hîc disseritur, intelligendum ac si in stylo non exclusivo, sed comparativo hæc scripta essent: *Fama* enim ejus, etiam apud *Angelos* suos non flaccida aut enervis, sed *vivida* & vegeta est, præcipue apud eos qui ingenio acutiore & sublimiore, eminent. Cujus rei *Testimonia* duo tantùm inserere libet & non plura. Prius est, cum Historia Regni Henrici Septimi jam prelo matura esset, *Fulconi Baroni Brooko* à Jacobo Rege perlegenda tradita est. Is cum totam absolvisset, hoc Elogio ad Authorem remisit: *Commendatum me habeas Dominationi suæ, & exora eum, ut de papyro & atramento bono comparando curam suscipiat: opus enim ipsum supereminet.* Alterum *Doctoris Samuelis Collini*, in inclyta Academia Cantabrigiensi olim & Theologiæ Professoris Regij & Collegij Regalis Præpositi, viri minimè vulgaris ingenij, qui ipse (sive festivè sive serio) affirmavit, *Quod postquam librum de profectu scientiarum perlegisset, eo se adactum putaverit, ut studia sua de integro renovare necesse fuerit, & quod Oleum & Operum antea impensam perdiderit.*

Fama ejus apud Anglos quàm vivida. Fulco Baro Brookus Anglus quid senserit de Bacone, Item Samuel Collinus itidem Anglus.

Efflagitatum à nonnullis est, ut de *Diæta* ejus & *Regimine Valetudinis* quædam insererentur, eo quod, propter universalem ejus in rebus naturalibus cognitionem, poterit fortasse quibusdam exemplo suo præire. Quod ad Diætam plena potius & liberali usus est, prout stomachus ferebat, quàm tenui aut parca, quàm etiam in Historia vitæ & mortis alicubi collaudavit. Ætate juniori, cibis delicatioribus & levioribus, veluti carnibus volatilium & hujusmodi, præcipuè vescebatur, sed experientia edoctus, Carnes fortiores, quales in macello veneunt, potius probavit, utpote quæ succos corporis magis firmos & solidos, & (ut ipsius verbis utar) minus dissipabiles progenerarent, ex quibus solis sæpenumero vescebatur, licet mensa ejus ferculis aliis non destitueretur. Persuasum tibi habeas, illud nullatenus ipsum neglexisse, quod in scriptis suis toties decantatum reperies, usum nimirum crebrum *Nitri*, cujus quidem Grana circiter tria quotidie in jusculo tenui & tepido, per triginta ad minus annos immediatè mortem ejus antecedentes, manè sumpsit. Quantum ad Medicinam, verum est: *Medicè eum vixisse, sed non miserè.* Siquidem Rhabar-

Diæta & Regimē Valetudinis. Carnes fortiores probavit. Nitro crebro usus. Medicè vixit, sed non miserè.

Rhabarbari sesquidrachmam, & non amplius, in haustu cerevisiæ & vini albi simul commixtarum ad spatium se mihoræ infusi & maceratæ (sex aut septem diebus interjectis) continuo sumpsit : idque paulo ante cibum, (sive prandium, sive cœnam) quominus corpus desiccaret, quòd, sicut ipse asseruit, humores excrementitios corporis sæpius asportaret, spiritus autem exhalare non provocaret, sicut sudores repetiti faciunt. Jam tantillum medicinæ sumere, miserum non fuit, aliis autem medicamentis (quidquid vulgo jactatum) non omnino assuevit: *Remedium adversus podagram*, cujus ipse Auctor fuit, quodque intra spatium horarum duarum, sæpius experto, dolorem lenivit, extat in fine Historiæ Universalis.

Verisimile est Lunam in Themate ejus Natalitio præcipuum aliquem locum, veluti in Horoscopo aut Medio Cœli tenuisse. Quoties enim Luna defecit, aut Eclipsin passa est, repentino animi deliquio correptus fuit, idque etiam, si nullam defectionis Lunaris notitiam præviam habuisset. Quamprimum autem Luna lumini priori restituta fuisset, confestim resocillatus est, & convaluit.

Dies & Annus Obitus. *Annos vixit 66.* *Causa Mortis.* *Locus sepultura.* *Monumentum.*

Obiit 9. die Aprilis, anno M.DC.XXVI. summo mane illius diei qui in Festum Resurrectionis Dominicæ illuxit, *Ætatis sexagesimo sexto*, apud ædes Comitis Arandellæ in villa de High Gate prope Londinum, ad quem locum, animi reficiendi, non commorandi gratia ante dies octo casu devenit. Deo sic ordinante ut illic animam efflaret, è *febri lenta* unà cum catharro vehemente, unde humor adeo copiosè ad pectus ejus defluxit, ut per suffocationem extinctus sit. *Sepultus* autem est in *Ecclesia Sancti Michaelis* fano Sancti Albani vicina, loco supremis tabulis sepulturæ suæ destinato: tum quia Matris ejus corpus in eadem Ecclesia humatum recumbebat, tum quia Ecclesia illa ex urbis vetustæ Verulamij ruderibus hodie sola superstes est. Ibidem Monumentum è Marmore candido in memoriam illius extructum est, cura & gratitudine Thomæ Meutesij, Equitis Aurati & Administratoris ultimi ipsius Testamenti, Baconio quondam à secretis, postea Consilij Regis sanctioris sub Regibus duobus Clerici, exhibens effigiem suam in Cathedra, sedentis & studio incumbentis, unà cum Epitaphio, quod lectissimus ille & nitidioris ingenij, nec non Equestris Dignitatis Vir, Henricus Wottonus, Amoris & Admirationis ergo composuit.

Obtrectationes in Baconum. *Remotio ab officiis.*

Quamvis autem Corpus quod deposuit, Mortale fuerit, Libri tamen ejus & Memoria haud dubiè perennes erunt, neque prius fatis cessuri, quam Orbis terrarum machina dissolvatur. Fuere quidem qui nomini tanti Herois variis *obtrectationibus* notam inurere tentare sed frustra conati sunt. Licet enim à Rege & Parlamenti Consilio *officiis suis remotus* fuerit, id alia, nisi Invidia procurante, causa factum non est, ipso semet illo scripturæ dicto consolante : *Nihil est Novi !* Quin hoc ipso eadem illum fortuna mansit, quæ Ciceronem apud Octavianum, Callisthenem apud Alexandrum, Senecam apud Neronem, quos vel relegatos, vel occisos, vel Leonibus objectos historiæ prodiderunt. Quicquid illorum sit, cùm tanti Viri supra omnem fortunam sint & plerumque Dominos sera ejusmodi factorum maneat pœnitentia, novimus etiam Jacobum effatum fuisse, negotio aliquando difficili & intricato se offerente: *Utinam Baconus, meus olim Cancellarius, mihi superesset, quàm facilè hinc me expedire vellem.* Neque est, quod ullam ei post remotionem, *familiaris rei tenuitatem*, quis objicere velit. Constat enim, post hanc, nihil quicquam horum, quæ ad status magnificentiam fecissent, illi defuisse, sed ita nihilominus vixisse, ut Jovi ipsi de felicitate controversiam facere velle visus fuerit, *Virtutis omnis, Pietatis, Humanitatis, Patientiæ* inprimis *Exemplum maximè memorabile.*

Sera Iacobi Regis pœnitentia & ejus de Bacono judicium. *Eadem illi rei familiaris constantia, quæ olim.* *Elogium ultimum.*

FRAN-

FRANCISCI

BACONI,

BARONIS

DE

VERULAMIO,

VICE-COMITIS SANCTI ALBANI,

AC SUMMI ANGLIÆ

CANCELLARII,

DE

Dignitate & Augmentis Scientiarum,

LIB. IX.

Sive

Instaurationis magnæ Pars Prima.

Impensis JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.

ANNO cIↃ IↃc LXIV.

A

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTAURATIONIS MAGNÆ DISTRIBUTIO.

Ejus constituuntur Partes sex.

Prima; *Partitiones Scientiarum.*
Secunda; *Novum Organum* sive *Indicia de Interpretatione Naturæ.*
Tertia; *Phænomena Universi,* sive *Historia Naturalis & Experimentalis ad condendam Philosophiam.*
Quarta; *Scala Intellectus.*
Quinta, *Prodromi;* sive *Anticipationes, Philosophiæ Secundæ.*
Sexta; *Philosophia secunda,* sive *Scientia Activa.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SINGULARUM ARGUMENTA.

PArs autem Instituti nostri est, ut omnia, quantum fieri potest, aperte & perspicue proponantur. Nuditas animi, ut olim, corporis, innocentiæ, & simplicitatis comes est. Pateat itaque primo Ordo Operis, atque ratio ejus. Partes Operis à nobis constituuntur sex.

Prima pars exhibet Scientiæ ejus, sive Doctrinæ, in cujus possessione humanum genus hactenus versatur, Summam, sive Descriptionem universalem. Visum enim est nobis, etiam in iis, quæ recepta sunt, nonnullam facere moram: eo nimirum consilio, ut facilius & Veteribus perfectio, & Novis aditus detur. Pari enim fere studio ferimur, & ad vetera excolenda, & ad ulteriora assequenda. Pertinet etiam hoc ad faciendam fidem: juxta illud; *Non accipit Indoctus verba Scientiæ, nisi prius ea dixeris, quæ versantur in corde ejus.* Itaque Scientiarum atque Artium receptarum oras legere, nec non utilia quædam in illas importare, tanquam in transitu non negligemus.

Partitiones tamen Scientiarum adhibemus eas, quæ non tantum jam inventa & nota, sed hactenus omissa, & debita complectantur. Etenim inveniuntur in globo Intellectuali, quemadmodum in Terrestri, & culta pariter, & deserta. Itaque nil mirum videri debet, si à divisionibus usitatis quandoque recedamus. Adjectio enim, dum totum variat, etiam partes earumq; sectiones necessario variat: receptæ autem divisiones, receptæ summæ Scientiarum, qualis nunc est, tantum competunt.

Circa ea vero, quæ ceu omissa notabimus, ita nos geremus; ut non leves tantum titulos & argumenta concisa eorum, quæ desiderantur, proponamus. Nam si quid inter omissa retulerimus, (modo sit dignioris subjecti) cujus ratio, paulò videatur obscurior; adeo ut merito suspicari possimus, homines non facile intellecturos, quid nobis velimus aut quale sit illud opus quod animo & cogitatione complectimur:) perpetuo nobis curæ erit, aut præcepta hujusmodi Operis conficiendi, aut etiam partem operis ipsius jam à nobis confectam, ad exemplum totius subjungere; ut in singulis aut operâ aut consilio juvemus. Etenim etiam ad nostram existimationem, non solum aliorum utilitatem pertinere putavimus; ne quis arbitretur, levem aliquam de istiusmodi rebus notionem mentem nostram perstrinxisse; atque esse illa, quæ desideramus ac prensamus, tanquam votis similia. Ea vero talia sunt, quorum & penes homines (nisi sibi ipsi desint) potestas planè sit; & nos apud nosmet rationem quandam certam & explicatam habeamus. Neque enim regiones metiri animo, ut Augures, auspiciorum causa: sed intrare, ut Duces, promerendi studio, suscepimus.

Atq; hæc prima Operis pars est.

Porrò prætervecti Artes veteres, Intellectum humanum ad trajiciendum instruemus. Destinatur itaque *Pars secunda*, Doctrina de meliore & perfectiore usu rationis in rerum inquisitione, & de auxiliis veris Intellectus: ut per hoc (quantum conditio humanitatis ac mortalitatis patitur) exaltetur Intellectus, & facultate amplificetur ad Naturæ ardua & obscura superanda. Atque est ea, quam adducimus, Ars (quam *Interpretationem Naturæ* appellare consuevimus) ex genere Logicæ; licet plurimum, atque adeo immensum quiddam intersit. Nam & ipsa illa Logica vulgaris auxilia & præsidia intellectui moliri ac parare profitetur: & in hoc uno consentiunt. Differt autem plane à Vulgari, rebus præcipue tribus: vid. ipso fine, ordine demonstrandi, & inquirendi initiis.

Nam huic nostræ Scientiæ finis proponitur; ut inveniantur non Argumenta, sed Artes; nec Principiis consentanea, sed ipsa Principia, nec Rationes probabiles, sed Designationes & indicationes Operum. Itaque ex intentione diversa, diversus sequitur effectus. Illic enim adversarius Disputatione vincitur & constringitur: hic Natura, Opere.

Atque cum hujusmodi fine conveniunt Demonstrationum ipsarum natura & Ordo. In Logica enim vulgari opera fere universa circa Syllogismum consumitur. De Inductione vero Dialectici vix serio cogitasse videntur, levi mentione eam transmittentes, & ad disputandi formulas properantes. At nos demonstrationem per Syllogismum rejicimus, quod confusius agat, & Naturam emittat è manibus. Tametsi enim nemini dubium esse possit, quin, quæ in medio termino cõveniunt, ea & inter se conveniant, (quod est Mathematicæ cujusdem certitudinis:) nihilominus hoc superest fraudis, quod Syllogismus ex propositionibus constet, propositiones ex verbis, verba autem notionum tesseræ & signa sint. Itaque si Notiones ipsæ mentis (quæ verborum quasi anima sunt, & totius hujusmodi structuræ ac fabricæ basis) male ac temere à rebus abstractæ, & vagæ, nec satis definitæ & circumscriptæ, deniq; multis modis vitiosæ fuerint, omnia ruunt. Rejicimus igitur Syllogismum; neq; id solum quoad principia, (ad quæ nec illi eam adhibent) sed etiam quoad propositiones medias: quas educit sane atque parturit utcunque Syllogismus; sed operum steriles, & à Practica remotas, & plane quoad partem activam Scientiarum incompetentes. Quamvis igitur relinquamus Syllogismo & hujusmodi Demonstrationibus famosis ac jactatis, jurisdictionem in Artes populares & opinabiles, (nil enim in hac parte movemus) tamen ad Naturam Rerum, Inductione per omnia, & tam ad minores propositiones, quam ad majores, utimur. *Inductionem* enim censemus eam esse demonstrandi formam, quæ sensum tuetur, & naturam premit, & Operibus imminet, ac ferè immiscetur.

Itaque Ordo quoque demonstrandi plane invertitur. Adhuc enim res ita geri consuevit, ut à sensu & particularibus primo loco ad maximè generalia advoletur, tanquam ad polos fixos circa quos disputationes vertantur; ab illis cætera per media deriventur, Via certe compendiaria, sed præcipiti; & ad Naturam impervia, & Disputationes vero proclivi & accommodata. At secundum nos, Axiomata continenter & gradatim excitantur, ut nonnisi postremo loco ad Generalissima veniatur: Ea vero Generalissima evadunt, non notionalia, sed bene terminata; & talia, quæ Natura ut revera sibi notiora agnoscat, quæque rebus hæreant in medullis.

At in forma ipsa quoque Inductionis, & judicio quod per eam fit, opus longe maximum movemus. Ea enim de qua Dialectici loquuntur, quæ procedit per enumerationem simplicem, puerile quiddam est, & precario concludit, & periculo ab instantia contradictoria exponitur, & consueta tantum intuetur, nec exitum reperit.

Atqui opus est ad Scientias Inductionis forma tali, quæ experientiam solvat, & separet, & per exclusiones ac rejectiones debitas necessario concludat. Quod si Judicium illud vulgatum Dialecticorum tam operosum fuerit, & tanta ingenia exercuerit; quanto magis laborandum est in hoc altero, quod non tantum ex Mentis penetralibus, sed etiam ex Naturæ visceribus extrahitur!

Neq; tamen hic finis. Nam fundamenta quoq; Scientiarum fortius deprimimus & solidamus, atq; Initia inquirendi altius sumimus, quam adhuc homines fecerunt: ea subjiciendo examini, quæ Logica vulgaris tanquam fide aliena recipit. Etenim Dialectici principia Scientiarum à Scientiis singulis tanquam mutuo sumunt: rursus notiones mentis primas venerantur: Postremo informationibus immediatis sensus bene dispositi acquiescunt. At nos Logicam veram singulas Scientiarum Provincias majore cum imperio, quam penes ipsarum Principia sit, debere ingredi decrevimus: atque illa ipsa Principia putativa ad rationes reddendas compellere, quousq; plane constent. Quod vero attinet ad notiones primas Intellectus; nihil est eorum, quæ Intellectus sibi permissus congessit, quin nobis pro suspecto sit, nec ullo modo ratum, nisi novo indicio se steterit, & secundum illud pronuntiatum fuerit. Quinetiam sensus ipsius informationes multis modis excutimus. Sensus n. fallunt utiq;, sed & errores suos indicant: Verum errores præsto, indicia eorũ longe petita sunt.

Duplex autem est Sensus culpa: Aut enim destituit nos aut decipit. Nam primo, plurimæ sunt res, quæ sensum etiam recte dispositum, nec ullo modo impeditum effugiunt, aut subtilitate totius corporis, aut partium minutiis, aut loci distantia, aut tarditate atq; etiam velocitate motus, aut familiaritate obiecti, aut alias ob causas. Neq; rursus, ubi sensus

rem tenet, prehensiones ejus admodum firmæ sunt, Nam testimonium & informatio sensus semper est ex analogia Hominis, non ex analogia Universi: atque magno prorsus errore asseritur, Sensum esse mensuram rerum.

Itaque ut his occurratur; nos multo & fido ministerio auxilia Sensui undique conquisivimus, & contraximus: ut destitutionibus substitutiones, variationibus rectificationes suppeditentur. Neque id molimur tam Instrumentis, quam experimentis. Etenim Experimentorum longe major est subtilitas, quam Sensus ipsius, licet instrumentis exquisitis adjuti: (de iis loquimur Experimentis, quæ ad intentionem ejus quod quæritur, perite & secundum artem excogitata & apposita sunt,) Itaque perceptioni Sensus immediatæ ac propriæ non multum tribuimus: sed eo rem deducimus, ut Sensus tantum de Experimento, Experimentum de Re judicet. Quare existimamus, nos sensus (à quo omnia in Naturalibus petenda sunt, nisi forte libeat insanire) Antistites religiosos, & oraculorum ejus non imperitos Interpretes nos præstitisse: ut alii professione quadam, nos re ipsa Sensum tueri ac colere videamur. Atq; hujusmodi sunt ea, quæ ad lumen ipsum Naturæ, ejusque accensionem & immissionem paramus: quæ per se sufficere possent, si Intellectus humanus æquus, & instar tabulæ abrasæ esset. Sed cum mentes hominum miris modicis adeo obsessæ sint, ut ad veros Rerum radios excipiendos sincera & polita area prorsus desit; necessitas quædam incumbit, ut etiam huic rei remedium quærendum esse putemus.

Idola autem, à quibus occupatur Mens, vel Adscititia sunt, vel Innata. Adscititia vero immigrarunt in mentes hominum, vel ex Philosophorum placitis & sectis, vel perversis legibus demonstrationum. At Innata inhærent Naturæ ipsius Intellectus, qui ad errorem longe proclivior esse deprehenditur, quam Sensus. Utcunque enim homines sibi placeant, & in admirationem Mentis humanæ ac fere adorationem ruant; illud certissimum est, Sicut speculum inæquale rerum radios ex figura & sectione propria immutat; ita & Mentem, cum à rebus per sensum patitur, in notionibus suis expediendis & comminiscendis, haud optima fide Rerum naturæ suam naturam inserere & immiscere.

Atque priora illa duo *Idolorum* genera, ægre; postrema vero hæc nullo modo evelli possunt. Id tantum relinquitur, ut indicentur, atque ut vis ista Mentis insidiatrix notetur & convincatur; Ne forte à destructione veterum, novi subinde errorum surculi ex ipsa mala complexione Mentis pullulent. eoq; res recidat, ut errores non extinguantur, sed permutentur; Verum è contra, ut illud tandem in æternum, ratum & fixum sit, Intellectum, nisi per Inductionem, ejusque formam legitimam, judicare non posse. Itaq; Doctrina ista de expurgatione Intellectus, ut ipse ad veritatem habilis sit, tribus redargutionibus absolvitur: Redargutione Philosophiarum, Redargutione Demonstrationum, & Redargutione Rationis humanæ nativæ. His vero explicatis, ac postquam demum patuerit, quid Rerum natura, quid Mentis natura ferat; existimamus, nos thalamum Mentis & Universi, pronuba divina bonitate, stravisse & ornasse. Epithalamii autem votum sit, ut ex eo connubio auxilia humana, & stirps Inventorum, quæ necessitates ac miserias hominum aliqua ex parte doment & subigant, suscipiatur.

Hac vero est Operis pars secunda.

At vias non solum monstrare & munire, sed inire quoque, consilium est. Itaque *Tertia pars Operis* complectitur *Phænomena universi*; hoc est, omnigenam Experientiam, atque Historiam Naturalem, ejus generis, quæ posse esse ad condendam Philosophiam fundamentalis. Neque enim excellens aliqua Demonstrandi via sive Naturam Interpretandi forma, ut Mentem ab errore & lapsu defendere ac sustinere, ita ei materiam ad sciendum præbere & subministrare possit. Verum iis, quibus non conjicere & hariolari, sed invenire & scire propositum est; quiq; non simiolas & fabulas Mundorum comminisci, sed hujus ipsius veri Mundi naturam introspicere, & velut dissecare animo habent; omnia à Rebus ipsis petenda sunt. Neque huic labori, & inquisitioni ac mundanæ perambulationi ulla ingenii, aut meditationis, aut argumentationis substitutio aut compensatio sufficere potest; non si omnia omnium ingenia coierint. Itaq; aut hoc prorsus habendum, aut negotium in perpetuum deserendum. Ad hunc vero usq; diem ita cum hominibus actum est, ut minimè mirum sit, si Natura sui copiam non faciat.

Nam primo, sensus ipsius Informatio, & deserens, & fallens: Observatio, indiligens, & inæqualis, & tanquam fortuita; Traditio, vana, & ex rumore: Practica, operi intenta & servilis: vis Experimentalis, cæca, stupida, vaga, & prærupta: deniq; Historia naturalis, levis & inops; vitiosissimâ materiam Intellectui ad Philosophiâ & scientias cõgesserunt.

Deinde, præpostera Argumentandi subtilitas & ventilatio, serum rebus plane desperatis tentatur remedium: nec negotium ullo modo restituit, aut errores separat. Itaque nulla spes majoris augmenti ac progressus sita est, nisi in Restauratione quadam Scientiarum.

Hujus autem exordia omnino à naturali Historia sumenda sunt, eaque ipsa novi cujusdam generis & apparatus. Frustra enim fuerit, speculum expolire, si desint imagines: & plane Materia idonea præparandi est Intellectui, non solum præsidia fida comparanda. Differt vero rursus Historia nostra (quemadmodum Logica nostra) ab ea quæ habetur, multis rebus: fine, sive officio; ipsa mole & congerie dein subtilitate; etiam delectu; & constitutione in ordine ad ea quæ sequuntur.

Primò enim eam proponimus Historiam Naturalem; quæ non tam aut rerum varietate delectet, aut præsenti Experimentorum fructu juvet, quam lucem Inventioni causarum affundat, & Philosophiæ enutricandæ primam mammam præbeat. Licet enim opera, atque Activam Scientiarum partem præcipue sequamur, tamen messis tempore expectamus, nec muscum & segetem herbidam demetere conamur. Satis enim scimus, Axiomata recte inventa, tota agmina Operum secum trahere; atq; opera non sparsim, sed confertim exhibere. Intempestivum autem illum & puerilem affectum, ut pignora aliqua novorum Operum propere captentur, prorsus damnamus & amovemus, ceu pomum Atalantæ, quod cursum retardat. Atque Historiæ nostræ Naturalis Officium tale est.

Quoad Congeriem vero, conficimus Historiam non solum Naturæ liberæ ac solutæ; cum scilicet illa sponte fluit, & opus suum peragit: (qualis est Historia Cœlestium, Meteororũ, Terræ, & Maris. Mineralium, Plantarum, Animaliũ:) sed multo magis Naturæ constrictæ & vexatæ; nempe, cum per Artem & ministerium humanum de statu suo detruditur atque premitur & fingitur. Itaque omnia Artium Mechanicarum, omnia Operativæ partis Liberalium, omnia Practicarum complurium, quæ in Artem propriam non coaluerunt, Experimenta, (quantum inquirere licuit, & quantum ad finem nostrum faciunt) perscribimus. Quin etiam (ut, quod res est, eloquamur) fastum hominum & speciosa nil morari, multò plus & operæ & præsidii in hac parte, quam in illa altera, ponimus: quandoquidem Natura rerum magis se prodit per vexationes Artis, quam in libertate propria.

Neq; Corporum tantum Historiam exhibemus, sed diligentiæ insuper nostræ esse putavimus, etiam Virtutum ipsarum (illarum dicimus, quæ tanquam Cardinales in Natura censeri possint, & in quibus Naturæ primordia plane constituuntur; utpote Materia; primis Passionibus ac desideriis; vid. *Denso, Raro, Calido, Frigido, Consistenti, Fluido, Gravi, Levi*, aliisque haud paucis) Historiam seorsum comparare.

Enim vero ut de Subtilitate dicamus, plane conquirimus genus Experimentorum longe subtilius & simplicius, quam sunt ea quæ occurrunt. Complura enim è tenebris educimus & eruimus, quæ nulli in mentem venisset investigare, nisi qui certo & constanti tramite ad inventionem Causarum pergeret; cum in se nullius magnopere sint usus: ut liquido appareat, ea non propter se quæsita esse, sed ita prorsus se habere illa ad Res & Opera, quem admodum literæ Alphabeti se habeant ad Orationem & verba; quæ licet per se inutiles, eædem tamen omnis sermonis elementa sunt.

In Delectu autem Narrationum & Experimentorum melius hominibus cavisse nos arbitramur, quam qui adhuc in Historia Naturali versati sunt. Nam omnia fide oculata, aut saltem perspecta, & summa quadam cum severitate recipimus: ita ut nil referatur auctum Miraculi causa, sed quæ narramus, à fabulis & vanitate casta & intemerata sint. Quin etiam & recepta quæque ac jactata mendacia (quæ mirabili quodam neglectu per sæcula obtinuerunt & veterata sunt) nominatim proscribimus & notamus; ne Scientiis amplius molesta sint. Quod enim prudenter animadvertit quidam;

fabulas

fabulas,& superstitiones,& nugas,quas Nutriculæ pueris instillant, mentes eorum etiam serio depravare: sta eadem nos movit ratio,ut solliciti atque etiam anxii simus, ne ab initio,cum veluti infantiam Philosophiæ sub Historia Naturali tractemus & curemus, illa alicui vanitati assuescat. At in omni Experimento novo & paulo subtiliore, licet (ut nobis videtur) certo ac probato,modum tamen experimenti,quo usi sumus,aperte subjungimus,ut, postquam patefactum sit, quomodo singula nobis constiterint,videant homines, quid erroris subesse & adhærere possit; atq; ad probationes magis fidas,& magis exquisita (si quæ sint) expergiscantur: deniq; ubiq; monita, & scrupulos, & cautiones aspergimus religione,quadam,& tanquam exorcismo, omnia phantasmata rejicientes, ac cohibentes.

Postremo,cum nobis exploratum sit,quantopere Experientia & Historia aciem mentis humanæ disgreget; & quam difficile sit (præsertim animis vel teneris, vel præoccupatis) à principio cum Natura consuescere; adjungimus sæpius observationes nostras,tanquam primas quasdam conversiones & inclinationes, ac veluti aspectus Historiæ ad Philosophiam: ut & pignoris loco hominibus sint,eos in Historiæ fluctibus perpetuo non detentum iri; utque, cum ad opus Intellectus deveniatur,omnia sint magis in procinctu. Atq; per hujusmodi (qualem describimus) Historiam Naturalem,aditum quendam fieri posse ad Naturam tutum & commodum, atque Materiam intellectui præberi probam & præparatam, censemus.

Postquam vero & Intellectum fidissimis auxiliis ac præsidiis stipavimus,& justum Divinorum Operum exercitum severissimo delectu comparavimus,nil amplius superesse videtur,nisi ut Philosophiam ipsam aggrediamur. Attamen in re tam ardua & suspensa, sunt quædam quæ necessario videntur interponenda: partim docendi gratia, partim in usum præsentem.

Horum primum est,ut Exempla proponantur inquirendi & inveniendi, secundum nostram rationem ac viam, in aliquibus subjectis repræsentata: sumendo ea potissimum subjecta,quæ,& inter ea quæ quæruntur, sunt nobilissima & inter se maxime diversa,ut in uno quoq; genere Exemplum non desit. Neq; de iis Exemplis loquimur, quæ singulis Præceptis ac Regulis illustrandi gratia adjiciuntur:(hoc enim in Secunda Parte operis abunde præstitimus:) sed plane Typos intelligimus & Plasmata, quæ universum Mentis processum, atq; inveniendi continuatam fabricam & ordinem in certis subjectis,iisq; variis & insignibus, tanquam sub oculos ponant. Etenim nobis in mentem venit, in Mathematicis, astante machinâ,sequi Demonstrationem facilem & perspicuam: contrà, absq; hac commoditate, omnia videri involuta,&,quàm revera sunt,subtiliora. Itaq; hujusmodi Exemplis *Quartam partem nostri Operis* attribuimus:quæ revera nil aliud est, quam Secundæ Partis applicatio particularis & explicata.

At *Quinta pars* ad tempus tantùm,donec reliqua perficiantur,adhibetur: & tanquam fœnus redditur, usq; dum sors haberi possit.Neq; enim finem nostrum ita petimus occæcati,ut,quæ occurrunt in viâ utilia, negligamus. Quamobrem Quintam partem Operis ex iis conficimus,quæ à nobis aut inventa,aut probata,aut addita sunt: Neq; id tamen ex rationibus atq; præscriptis Interpretandi,sed ex eodem Intellectus usu, quem alii in inquirendo & inveniendo adhibere consueverunt.Etenim cùm,ex perpetuâ cum Natura consuetudine,majora de Meditationibus nostris, quàm pro ingenii viribus,speramus;tùm poterunt ista veluti tabernaculorum in via positorum vice fungi, ut mens ad certiora contendens in iis paulisper acquiescat.Attamen testamur interim,nos illis ipsis, quod ex vera interpretandi formâ non sint inventa aut probata,teneri minimè velle.Istam verò Judicii suspensionem non est quod exhorreat quispiam in Doctrinâ, quæ non simpliciter nil sciri posse,sed nil nisi certo ordine & certa via sciri posse asserit: atq; incerta tamen certos Certitudinis gradus ad usum & levamen constituit; donec Mens in Causarum explicatione consistat. Neque enim illæ ipsæ Scholæ Philosophorum,qui *Acataleptsiam* simpliciter tenuerunt, inferiores fuêre istis quæ pronunciandi licentiam usurparunt. Illæ tamen Sensui & Intellectui auxilia non paraverunt; quod nos fecimus: sed fidem & authoritatem planè sustulerunt; quod longè alia res est, & ferè opposita.

Sexta tandem *pars Operis nostri* (cui reliquæ inservunt ac ministrant) ea demum recludit & proponit Philosophiam,quæ ex hujusmodi (qualem ante docuimus & paravimus) inquisitione legitima & casta,& severa, educitur & constituitur.Hanc verò postremam Partem perficere & exitum perducere,res est & supra vires,& ultra spes nostras collocata. Nos ei initia (ut speramus) non contemnenda, exitum generis humani fortuna dabit; qualem forte homines in hoc Rerum & Animorum statu,haud facile animo capere aut metiri queant. Neq; enim agitur solum felicitas Contemplativa, sed vere res humanæ & fortunæ,atq; omnis Operum potentia. Homo enim Naturæ minister & interpres tantum facit & intelligit,quantum de Naturæ ordine,Opere,vel Mente,observaverit:nec amplius scit,aut potest. Neq; enim ullæ vires Causarum catenam solvere aut perfringere possint:neq; Natura aliter quam parendo vincitur. Itaq; Intentionis geminæ illæ,humanæ scil. *Scientia*,& *Potentia*, vere in idem coincidunt: & frustratio Operum maxime fit ex ignoratione Causarũ.

Atque in eo sunt omnia,si quis oculos Mentis à Rebus ipsis nunquam dejiciens,earum imagines plane, ut sunt,excipiat.Neq; enim hoc siverit Deus,ut Phantasiæ nostræ somnium pro Exemplari Mundi edamus; sed potius benigne faveat,ut Apocalypsim,ac veram visionem vestigiorum & sigillorum Creatoris super Creaturas, scribamus.

Itaque Tu, *Pater*, qui lucem visibilem primitias Creaturæ dedisti; & lucem intellectualem ad fastigium Operum tuorum in faciem Hominis inspirasti; Opus hoc,quod à tua Bonitate profectum; tuam gloriam repetit, tuere & rege. Tu, postquam conversus es ad spectandum Opera quæ fecerunt manus tuæ, vidisti, quod omnia essent bona valde; & requievisti. At Homo conversus ad Opera quæ fecerunt manus suæ, vidit quod omnia essent vanitas & vexatio spiritus; nec ullo modo requievit.Quare si in Operibus tuis sudabimus, facies nos visionis tuæ & Sabbati tui participes. Supplices petimus,ut hæc mens nobis constet: usq; novis Eleemosynis per manus nostras & aliorum, quibus eandem mentem largieris, familiam humanam dotatam velis.

Partitiones Scientiarum & Argumenta singlorum Capitum.

LIBER I.

NUllis constat Capitibus, sed tantum continet partitionem totius Operis, nec non diluitionem quarundam Objectionum.

LIBER II.

CAP. I.

Partitio Universalis *Doctrinæ Humanæ*, *in Historiam*, *Poesim*, *Philosophiam*: Secundum tres Facultates Intellectus; *Memoriam*, *Phantasiam*, *Rationem*: Quodque eadem Partitio competat etiam *Theologicis*.

CAP. II.

Partitio *Historiæ* in *Naturalem*, & *Civilem*: *Ecclesiastica* & *Literaria* sub *Civili* comprehensis: Partitio *Historiæ naturalis*, ex *Subjecto* suo, in *Historiam Generationum*, *Prætergenerationum*, & *Artium*.

CAP. III.

Partitio *Historiæ Naturalis* secunda, ex *usu* & *Fine* suo, in *Narrativam*, & *Inductivam*; Quodque *Finis* nobilissimus *Historiæ Naturalis* sit, ut ministret, & in ordine sit, ad *condendam Philosophiam*; quem *Finem* intuetur *Inductiva*. Partitio *Historiæ Generationum*, in *Historiam cœlestium*, *Historiam meteororum*, *Historiam Globi Terræ & Maris*: *historiam massarum*, sive *Collegiorum maiorum*, & *historiam specierum*, sive *Collegiorum minorum*.

CAP. IV.

Partitio *historiæ civilis*, in *Ecclesiasticam*, *literariam*, & (quæ generis nomen retinet) *civilem*: Quodq; *historia literaria* desideretur. Ejus conficienda præcepta.

CAP. V.

De *dignitate* & *difficultate historiæ civilis*.

CAP. VI.

Partitio prima *historiæ civilis* (*specialis*) in *memorias*, *antiquitates*, & *historiam justam*.

CAP. VII.

Partitio *historiæ justæ*, in *chronica temporum*, *vitas personarum*, & *relationes actionum*: earum partium explicatio.

CAP. VIII.

Partitio *historiæ temporum*, in *historiam universalem*, & *particularem*. Utriusq; commoda, & incommoda.

CAP. IX.

Partitio secunda *historiæ temporum*, in *Annales*, & *actus diurna*.

CAP. X.

Partitio secunda *historiæ civilis* (*specialis*) in *meram*, & *mixtam*.

CAP. XI.

Partitio *historiæ Ecclesiasticæ*; in *Ecclesiasticam specialem*. *historiam ad Prophetias*, & *historiam Nemeseos*.

CAP. XII.

De *Appendicibus historiæ*, quæ circa *verba* hominum (quemadmodum *historia* ipsa circa *facta*) versantur: Partitio earum in *orationes*, *epistolas* & *apophthegmata*.

CAP. XIII.

De secundo membro principali *doctrinæ humanæ*, nempe *Poesi*. Partitio *Poeseos* in *narrativam*, *dramaticam*, & *parabolicam*. Exempla *parabolicæ* tria proponuntur.

LIBER III. CAP. I.

Partitio *scientiæ in Theologiam*, & *Philosophiam*. Partitio *Philosophiæ in doctrinas tres*: De *Numine*, De *Natura*, De *Homine*. Constitutio *Philophiæ primæ*, ut Matris communis omnium.

CAP. II.

De *Theologia Naturali*: & *Doctrina* de *Angelis* & *Spiritibus*, quæ ejusdem est *Appendix*.

CAP. III.

Partitio *Naturalis Philosophiæ*, in *speculativam*, & *operativam*: quodque illæ duæ, & in intentione *tractantis*, & in corpore *tractatus*, segregari debeant.

CAP. IV.

Partitio *doctrinæ speculativæ* de *Natura*, in *Physicam*, (*specialem*,) & *Metaphysicam*: Quarum *Physica causam efficientem*, & *materiam*: *Metaphysica causam finalem*, & *formam*, *inquirit*. Partitio *Physicæ* (Spec.) in *doctrinas* de *principiis rerum*, de *fabrica rerum*, sive de *mundo*, & de *varietate rerum*. Partitio *doctrinæ* de *varietate rerum*, in *doctrinam* de *concretis*, & *doctrinam* de *abstractis*. Partitio *doctrinæ* de *concretis*; rejicitur ad easdem Partitiones, quas suscipit *historia naturalis*. Partitio *doctrinæ* de *abstractis*, in *doctrinam* de *Schematismis materiæ*, & *doctrinam* de *motibus*. Appendices duæ *Physicæ speculativæ*: *Problemata naturalia*, *placita antiquorum philosophorum*. Partitio *Metaphysicæ*, in *Doctrinam* de *formis*, & *doctrinam* de causis *finalibus*.

CAP. V.

Partitio *operativæ doctrinæ* de *natura*, in *Mechanicam*, & *Magiam*; Quæ respondent partibus *speculativæ*: *Physicæ*, *Mechanicæ*, *Metaphysicæ Magiæ*. Expurgatio vocabuli *Magiæ*. Appendices duæ *operativæ*, *Inventarium opum humanarum*, & *Catalogus Polychrestorum*.

CAP. VI.

De Magna *Philosophia Naturalis*, tam *speculativa*, quàm *operativa*. Appendice *Mathematica*: Quodque inter Appendices potius poni debet, quam inter *scientias substantivas*. Partitio *Mathematicæ*, in *puram*, & *mixtam*.

LIBER. IV. CAP. I.

Partitio *doctrinæ* de *homine*, in *Philosophiam humanitatis*, & *civilem*. Partitio *Philosophiæ humanitatis*, *in doctrinam* circa *corpus hominis*, & *doctrinam* circa *animam hominis*. Constitutio unius *doctrinæ generalis* de *natura*, sive de *statu hominis*. Partitio *doctrinæ* de *statu hominis*, in *doctrinam* de *persona hominis*, & de *fœdere animi* & *corporis*. Partitio *doctrinæ* de *persona hominis*, in *doctrinam* de *miseriis hominis*, & de *prærogativis*. Partitio *doctrinæ* de *fœdere*, in *doctrinam* de *indicationibus*, & de *impressionibus*. Assignatio *physiognomiæ* & *interpretationis somniorum naturalium*, *doctrinæ* de *indicationibus*.

CAP. II.

Partitio *doctrinæ* circa *corpus hominis*, in *Medicinam*, *Cosmeticam*, *Athleticam*, & *voluptariam*. Partitio *Medicinæ* in officia tria; vid. in *conservationem sanitatis*, *curationem morborum*, & *prolongationem vitæ*. Quodque pars postrema de *prolongatione vitæ* disjungi debeat à duabus reliquis.

CAP. III.

Partitio *philosophiæ humanæ* circa *animam*, *in doctrinam* de *spiraculo*, & *doctrinam* de *anima sensibili*, sive *producta*.

Partitio secunda ejusdem *Philosophiæ*, in *doctrinam* de *substantia* & *facultatibus animæ*, & *doctrinam* de *usu*, & *objectis facultatum*. Appendices duæ *doctrinæ* de *facultatibus animæ*, *doctrinæ* de *divinatione naturali*, & *doctrinæ* de *fascinatione*. Distributione *facultatum animæ sensibilis*, *in motum*, & *sensum*.

LIBER. V. CAP. I.

Partitio *doctrinæ* circa *usum* & *objecta facultatum animæ humanæ*, in *Logicam*, & *Ethnicam*. Partitio *Logicæ*, in *artes inveniendi*, *judicandi*, *retinendi*, & *tradendi*.

CAP. II.

Partitio *inventivæ*, in *inventivam artium* & *argumentorum*: Quodque prior harum (quæ eminet) *desideretur*. Partitio *inventivæ artium*, in *experientiam literatam*, & *organum novum*. Delineatio *experientiæ literatæ*.

CAP. III.

Partitio *inventivæ*, *argumentorum*, in *promptuariam*, & *topicam*. Partitio *topicæ*, in *generalem*, & *particularem*, Exemplum *topicæ particularis*, in inquisitione de *gravi* & *levi*.

CAP. IV.

Partitio *artis judicandi*, in *judicium* per *inductionem*, & per *syllogismum*. Quorum prius aggregatur *organo novo*. Partitio prima *judicij per syllogismum*, in *reductionem rectam*, & *inversam*. Partitio secunda ejus, in *analyticam*, & *doctrinam* de *Elenchis*. Partitio *doctrinæ* de *Elenchis*, in *Elenchos sophismatum*, *Elenchos Hermeniæ*, & *Elenchos imaginum*, sive *idolorum*. Partitio *idolorum*, in *idola tribus*, *idola specus*, & *idola fori*. Appendix *artis iudicandi*, vid. De *Analogia demonstrationum pro Natura subiecti*.

CAP. V.

Partitio artis *retinendi* sive *retentivæ*, in *doctrinam* de *adminiculis memoriæ*, & *doctrinam* de *memoria ipsa*. Partitio *doctrinæ* de memoria *ipsa*, *in præmotionem*, & *emblema*.

LIBER IV. CAP. I.

Partitio *traditivæ*; in *doctrinam* de *organo sermonis*, *doctrinam* de *methodo sermonis*, & *doctrinam* de *illustratione sermonis*. Partitio *doctrinæ* de *organo sermonis*, in *doctrinam* de *notis rerum*, de *locutione*, & *descriptione*. Quarum duæ posteriores *Grammaticam* constituunt, ejusque *partitiones sunt*. Partitio *doctrinæ* de *notis rerum*, in *Hieroglyphica*, & *Characteres reales*. Partitio secunda *Grammaticæ*, in *literariam*, & *Philosophantem*. Aggregatio *Poeseos quoad metrum*, ad *doctrinam* de *locutione*. Aggregatio *doctrinæ* de *ciphris*, ad *doctrinam* de *scriptione*.

CAP. II.

Doctrina de *Methodo sermonis*, constituitur ut pars *traditivæ* substantiva & principalis. Nomen ei inditur *prudentia traditivæ*. Enumerantur *Methodi* genera diversa, & subjunguntur eorum commoda, & incommoda.

CAP. III.

De *fundamentis* & *officio doctrinæ* de *illustratione sermonis*, sive *Rhetoricæ*. Appendices tres *Rhetoricæ*, quæ ad *promptuariam* tantummodo pertinent: *colores boni* & *mali*, *tam simplices*, *quam comparati*: *antitheta rerum*: *formulæ minores orationum*.

CAP. IV.

Appendices generales duæ *traditivæ*, *critica*, & *pædagogica*.

LIBER. VII. CAP. I.

Partitio *Ethicæ*, in *doctrinam* de *exemplari*, & *Georgica animi*. Partitio *exemplaris* (*scilicet boni*) *in bonum simplex*, & *bonum comparatum*. Partitio *boni simplicis*, in *bonum individuale*, & *bonum communionis*.

CAP. II.

Partitio boni *individualis*, *vel suitatis*, in *bonum activum* & *bonum passivum*. Partitio *boni passivi*. in *bonum conservativum*, & *bonum perfectivum*. Partitio *boni communionis*, in *officia generalia*, & *respectiva*.

CAP. III.

Partitio *doctrinæ de cultura animi*, *in doctrinam de characteribus animorum*, de *affectibus*, & de *remediis*, sive *curationibus* Appendix *doctrinæ* ejusdem, de *congruitate inter bonum animi*, & *bonum corporis*.

LIBER. VIII. CAP. I.

Partitio *doctrinæ civilis*, in *doctrinam* de *conversatione*, *doctrinam de negotiis*, & *doctrinam* de *Imperio*, sive *Repub.*

CAP. II.

Partitio *doctrinæ* de *negotiis*, in *doctrinam* de *occasionibus sparsis*, & *doctrinam de ambitu vitæ*. Exemplum *doctrinæ* de *occasionibus sparsis*, ex *parabolis* aliquibus *Salomonis*. Præcepta de *ambitu vitæ*.

CAP. III.

Portiones *doctrinæ* de *Imperio* sive *Repub.* omittuntur: Tantum aditus fit ad *desiderata* duo: *Doctrinam* de *proferendis finibus Imperii*, & *doctrinam* de *iustitia universali*, sive de *fontibus iuris*: *Exempla* utriusque.

LIBER IX. CAP. I.

Partitiones *Theologiæ inspiratæ* omittuntur: Tantum aditus fit ad *desiderata* tria: *doctrinam* de *legitimo usu rationis humanæ in divinis*, *doctrinam de gradibus unitatis in Civitate*, & *emanationes scripturarum*.

FRAN-

FRANCISCI BACONIS
De
VERULAMIO
Vice-Comitis ſancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER PRIMUS.

SUb Veteri Lege, Rex optime, erant & ſponteneæ Oblationes, & quotidiana Sacrificia; Hæ ex rituali cultu, illæ ex piâ Alacritate proſectæ. Arbitror equidem, deberi tale quidpiam Regibus à Servis ſuis; ut ſcilicet quisque non ſolùm Muneris ſui Tributa, ſed & Amoris Pignora deferat. Atque in prioribus illis, ſpero me minimè defuturum; In Poſteriori autem genere dubitavi, quid potiſſimùm ſumerem: Satius autem viſum eſt, hujusmodi aliquid diligere, quod potiùs ad perſonæ tuæ Excellentiam, quam ad Negotia Coronæ ſpectaret.

Ego ſæpiſſimè de Majeſtate tuâ, ut debeo, cogitans, (miſſis aliis ſive Virtutis, ſive Fortunæ tuæ Dotibus) magna prorsùs afficior admiratione, cùm intueor Excellentiam earum in te Virtutum, Facultatumque, quas Philoſophi Intellectuales vocant: Capacitatem Ingenii tot & tanta complexam, Firmitudinem Memoriæ, Prehenſionis Velocitatem, Judicii Penetrationem, Elocutionisque Ordinem, ſimul & facilitatem. Subit profecto Animum quandoque Dogma illud Platonicum, quo aſſeritur, *Scientiam nihil aliud eſſe, quam Reminiſcentiam; Animumque naturaliter omnia cognoſcere, nativâ luci, quam ſpecus corporis obumbraverat, ſubinde redditum.* Certè hujus rei (ſi in quo alio) relucet in Majeſtate tuâ Exemplum inſigne; cui adeò prompta eſt Mens ad concipiendam Flammam, ubi vel leviſſima eam excitaverit objecta Occaſio, vel minima alienæ Cognitionis ſcintilla affulſerit. Quemadmodum igitur, de Regum Sapientiſſimo, Sacra perhibet Scriptura, *Cor illi fuiſſe, tanquam Arenam Muris*: cujus quanquam Maſſa prægrandis, Partes tamen minutiſſimæ; ſic Mentis indidit Deus Majeſtati tuæ craſim planè mirabilem, quæ cum maxima quæque complectatur, minima tamen prehendat, nec patiatur effluere: Cùm perdifficile videatur, vel potiùs impoſſibile in Naturâ, ut idem Inſtrumentum, & grandia Opera, & puſilla aptè diſponat. Quantum ad Elocutionem tuam, occurrit illud Cornelii Taciti de Auguſto Cæſare; *Auguſto*, inquit, *profluens & quæ principem virum deceret, eloquentia fuit.* Sanè ſi rectè rem perpendamus, omnis Oratio aut laborioſa, aut affectata, aut Imitatrix, quamvis alioquin excellens neſcio quid ſervile olet, nec ſui juris eſt. Tuum autem dicendi genus verè Regium eſt, profluens tanquam à Fonte, & nihilominùs, ſicut Naturæ Ordo poſtulat, Rivis diductum ſuis, plenum facilitatis felicitatisq; imitans neminem, nemini imitabile. Atque ſicut in Rebus tuis, quæ tam ad Regnum, quam ad Domum tuam ſpectant, Virtus videtur cum Fortunâ certare; Mores ſcilicet optimi cum felici Regimine; ſpes tuæ olim patienter & piè cohibitæ, cum fauſtâ & opportunâ ſperatorum adeptione; Thori Conjugalis ſancta fides, cum fructu Conjugii beato, in Sobolo pulcherrimâ; Pia, & Principe Chriſtiano digniſſima ad pacem propenſio, cum ſimili vicinorum Principum inclinatione, in idem votum feliciter conſpirantium: Sic & in intellectûs tui Dotibus non levior exoritur lis & æmulatio, ſi eas, quæ à Naturâ ipsâ præbitæ ſunt & infuſæ, cum inſtructiſſimæ gaza multiplicis Eruditionis, & plurimarum Artium Scientia committamus. Neq; verò facilè fuerit, Regem aliquem poſt Chriſtum natum reperire, qui fuerit Majeſtati tuæ Literarum Divinarum & Humanarum varietate & culturâ comparandus. Percurrat, qui voluerit, Imperatorum & Regum ſeriem, & juxta mecum ſentiet Magnum certè quiddam præſtare Reges videntur, ſi delibantes aliorum Ingenia ex compendio ſapiant, aut in Cortice Doctrinæ aliquatenus hæreant, aut deniq; literatos ament, evehantque. At Regem, & Regem natum, veros Eruditionis Fontes hauſiſſe, imò ipſumet Fontem eruditionis eſſe, propè abeſt à Miraculo. Tuæ verò Majeſtati etiam illud accedit, quod in eodem Pectoris tui Scrinio, Sacræ Literæ cum profanis recondantur, adeo ut cum Hermete illo Triſmegiſto, triplici gloria inſigniatis, Poteſtate Regis, Illuminationem Sacerdotis, Eruditione Philoſophi. Cum igitur alios Reges longè hac laude (proprie quæ tua eſt) ſuperes, æquum eſt, ut non ſolum præſentis Seculi fama & admiratione celebretur, aut etiam Hiſtoriarum lumine poſteritati tranſmittatur, verum ut ſolido aliquo in Opere incidatur, quod & Regis Magni potentiam denotet, & Regis tam inſigniter Docti imaginem referat.

Quare (ut ad Inceptum revertar) nulla potior mihi viſa eſt oblatio, quam Tractatus aliquis eò ſpectans. Hujus Argumentum duabus conſtabat Partibus. In priori (quæ levior eſt, neque tamen ullo modo præmittenda) de Scientiæ & Literarum per omnia excellentia agendum eſt: & ſimul de Merito eorum, qui in iisdem provehendis operam ſtrenue & cum judicio impendunt. Poſterior vero Pars (quod Caput rei eſt) proponit, quid in hoc genere hucusque actum ſit, & perfectum, inſuper & ea perſtringet quæ videntur deſiderari: ut quamvis non auſim ſeponere, aut deligere, tuæ quod præcipuè Majeſtati commendem, tamen multa & varia repræſentando, Regis tuas Cogitationes excitare poſſim, ut proprior Pectoris

tui Thesauros excutias, atque inde pro magnanimitate tua, atque sapientia, optima quæque, ad Artium & Scientiarum Terminos proferendos, depromas.

In ipso Vestibulo prioris Partis, ad purgandam viam, & quasi incendum silentium, quo melius audiantur Testimoniade Dignitate Literarum, absque Oblatratione tacitarum Objectionum, statui primo loco liberare literas opprobriis, & vilipendiis, quibus impetit eas Ignorantia; sed Ignorantia, sub non uno schemate: modo in Theologorum Zelotypia, modo in Politicorum supercilio, modo in ipsorum Literatorum erroribus sese ostentans, & prodens. Audio primos dicentes, Scientiam inter ea esse, quæ parte cauteq; admittenda sunt. Scientiæ nimirum Appetitum fuisse primum Peccatum, unde Hominis lapsus; hodieq; hærere Serpentinum quid in ea, siquidem Ingrediens tumorem inducit; *Scientia inflat.* Salomonem censere: *Faciendi libros nullum esse finem, multamque lectionem carnis esse afflictionem*; & alibi, *In multa Sapientia multam esse indignationem*; &, *Qui auget scientiam, augere & dolorem.* D. Paulo monitum esse, *Ne decipiamur per inanem Philosophiam.* Quin & experientia notum esse, doctissimos Viros, Hæreticorum Coryphæos; doctissima Secula, in Atheismum proclivia fuisse, Contemplationem deniq; Secundarum Causarum, authoritati Primæ Causæ derogare.

Ut igitur Falsitatem hujus Dogmatis, Fundamentaq; ejus male jacta aperiamus, cuivis obviam est, istos non percipere, Scientiam, quæ Lapsum peperit, non fuisse puram illam, primigeniamque Scientiam Naturalem, cujus lumine Homo Animalibus in Paradiso adductis, Nomina ex Natura imposuit; sed superbam illam *boni & mali*, per quam excutere Deum, sibique ipse legem figere ambivit. Neque certe vis ulla Scientiæ, quanta quanta sit, inflat mentem, cum nihil implere Animum, nedum distendere possit, præter Deum, Dei contemplationem. Quare Salomon, de duobus palmariis Inventionis sensibus (Visu atq; Auditu) loquens, ait, *Oculum videndo aurem audiendo non satiari.* Quod si non sit Impletio, sequitur, Continens majus esse Contento. Haud aliter de Scientia ipsa, Animoque humano, (cui Sensus sunt tanquam Emissarii) definit his verbis, quæ Calendario suo, Ephemeridique, omnium rerum tempora describenti, subnectit, ita concludens; *Omnia Deus condidit, ut unumquodq; pulchrum sit in tempore suo. Mundum quoque ipsum indidit Cordi eorum: invenire tamen Homo non potest opus, quod operatus est Deus, ab initio usque ad finem.* Quibus verbis haud obscure innuit, Deum fabricatum esse Animum humanum instar speculi, totius Mundi capacem, ejusq; non minus sitientem, quam oculum Luminis: neque gestientem solum conspicere varietates vicissitudinesque Temporum, verum etiam perscrutandi explorandiq; immotas atque inviolabiles Naturæ Leges & Decreta ambitiosum. Et quamvis innuere videatur, summam illam Naturæ œconomiam (quam appella *Opus, quod operatur Deus ab initio usq; ad finem* non posse inveniri ab Homine; hoc non detrahit captui humano, sed in impedimenta Doctrinæ rejiciendum; qualia sunt Vitæ brevitas, Studiorum divortia, Scientiarum traditio prava & infida, plurimaque alia incommoda, quibus humana conditio irretitur. Siquidem nullam Universi partem, si ab humana disquisitione alienam esse, satis clare alibi docet, inquiens, *Spiritus est tanquam lucerna Dei*, qua intima arcana explorat. Quare si tanta sit amplitudo captus humani, manifestum est, nullum esse periculum à quantitate Scientiæ, ut ut diffusa, ne aut tumorem inducat, aut excessum: à qualitate tantum, quæ quantulacunq; sit, si absque Antidoto sua sumatur, malignum quid habet, atq; venenosum, flatuosis symptomatis plenissimum. Hæc Antidotus, sive Aroma, (cujus mixtio temperat Scientiam eamque saluberrimam efficit) est *Charitas.* Quod etiam priori clausulæ subjungit Apostolus, dicens, *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Cui consonum est, quod alibi docet, *Si*, inquit, *linguis loquar Angelorum, vel hominum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs resonans, aut cymbalum tinniens.* Non quia eximium quid sit loqui Linguis Angelorum & Hominum, sed quia si segregetur à Charitate, neque ad commune Humani Generis bonum dirigatur, potius inanem gloriam exhibebit, quam solidum fructum. Censuram quod attinet Salomonis, de excessu legendi scribendiq; Libros, & cruciatu spiritus è Scientia oriundo; Monitumque etiam Paulinum, *Ne decipiamur per inanem philosophiam:* si recte explicentur ea, optime ostendent veros cancellos, quibus humana scientia circumsepitur, ita tamen ut liberum sit ei, absque omni coarctatione universam rerum naturam amplecti. Sunt enim limites tres. Primus, ne ita felicitatem collocemus in Scientia, ut interim Mortalitatis nostræ Oblivio subrepat. Secundus, ne sic utamur scientia, ut anxietatem pariat, non animi tranquillitatem. Tertius, ne putemus, posse nos per Naturæ contemplationem, Mysteria Divina assequi. Nam quantum ad primum, optime in eodem Libro alibi se Salomon explicat. *Satis*, inquit, *perspexi, Sapientiam tantum recedere à stultitia, quantum Lucem à Tenebris. Sapientis oculi in capite ejus, stultus in tenebris oberrat; sed simul didici, moriendi necessitatem utrique esse communem.* De secundo certum est, nullam Animi anxietatem, aut perturbationem, oriri è Scientia, nisi tantum per accidens. Omnis enim Scientia, & Admiratio, (quæ est semen Scientiæ) per se jucunda est: cum autem Conclusiones inde deducuntur, quæ obliquè rebus nostris applicatæ, vel infirmos metus gignunt, vel immodicas cupiditates, tum demum nascitur Cruciatus ille, & Perturbatio mentis qua de loquimur: tunc enim Scientia non est amplius *Lumen siccum*, (ut voluit Heraclitus ille obscurus, *Lumen siccum optima anima*) sed fit lumen madidum, atque humoribus Affectuum maceratum. Tertia regula accuratiorem paulò disquisitionem postulat, neq; sicco pede prætereunda est. Si quis enim ex Rerum Sensibilium & Materiatarum intuitu, tantum Luminis assequi speret, quantum ad patefaciendam Divinam Naturam aut Voluntatem sufficiet, *nae iste decipitur per inanem philosophiam.* Etenim Contemplatio Creaturarum, quantũ ad Creaturas ipsas, producit Scientiam; quantum ad Deum, Admirationem tantum; quæ est quasi abrupta

Scientia

Scientia. Ideoque scitissime dixit quidam Platonicus; *Sensus humanos solem referre, qui quidem revelat terrestrem globum, cœlestem vero & stellas obsignat:* sic sensus reserant Naturalia, Divina occludunt. Atque hinc evenit, nonnullos è doctiorum manipulo in hæresin lapsos esse, quum ceratis sensuum alis innixi, ad Divina evolare contenderent. Namque eos, qui autumant, nimiam Scientiam inclinare mentem in Atheismum; Ignorantiamque Secundarum Causarum, Pietati erga primam obstetricari: libenter compellarem Jobi quæstione, *An oporteat mentiri pro Deo, & ejus gratia dolum loqui conveniat, ut ipsi gratificemur?* Liquet enim, Deum nihil operari ordinatiò in natura, nisi per secundas. Cujus diversum credi si vellent impostura mera esset, quasi in gratiam Dei, & nihil aliud, quam Authori veritatis, immundam mendacii hostiam immolare. Quin potius certissimum est, atque experientia comprobatum, leves gustus in philosophia movere fortasse ad Atheismum, se pleniores haustus ad Religionem reducere. Namque in limine Philosophiæ, cum secundæ causæ, tanquam sensibus proximæ, ingerant se Menti humanæ, Menseque ipsa in illis hæreat, atque commoretur, Oblivio primæ Causæ obrepere possit. Sin quis ulterius pergat, Causarumque Dependentiam, Seriem, & Concatenationem, atque opera providentiæ intueatur, tunc secundum Poetarum Mythologiam facile credet, Summum Naturalis Catenæ Annulum Pedi Solii Jovis affigi. Ut semel dicam, Nemo male applicatæ sobrietatis moderationisque famam captans, posse nos nimium progredi, in libris sive Scripturarum, sive Creaturarum, Theologia aut Philosopia, existimet; quinimo excitent se Homines, & infinitos profectus audacter urgeant utrobique & persequantur; caventes tantum, ne Scientia utantur ad tumorem, non ad charitatem, ad ostentationem, non ad usum; & rursus, ne distinctas illas Theologiæ Philosophiæque doctrinas, earumque Latices imperite misceant ac confundant.

II. Politicorum opprobria.

Accedamus nunc ad Opprobria, quibus literas aspergunt Politici. Illa ejusmodi sunt: Artes emollire animos, Militarique Gloriæ ineptos reddere: tum in Politicis quoque corrumpere Ingenia; quæ vel nimis curiosa efficiunt ex Varietate Lectionis; vel nimis pertinacia ex Rigore Regularum; vel nimis tumida ex Magnitudine Exemplorum; vel nimis extravagantia ex Dissimilitudine Exemplorum: quin saltem utcunque avertere & alienare Animos à Negotiis, & Actione, Otii ac Secessus amorem instillantes: dein Respub. inducere Disciplinæ Relaxationem, dum unusquisque promptior est ad disputandum, quam ad obtemperandum. Unde Cato Censorius, cum primis Mortalium sapiens, ubi juventus Romana ad Carneadem Philosophum, qui venerat Romam Legatus, dulcedine atque Majestate Eloquentiæ ejus capta undique confluerat, frequenti Senatu Author fuit, ut expeditis Negotiis, primo quoque tempore dimitterent Hominem, ne Civium Animos inficeret, & fascinaret; & nec opinantibus Morum Consuetudinemque patriarum mutationem induceret. Hoc etiam permovit Virgilium, (dum Studia sua patriæ existimationi posthaberet) ut Artes Politicas à Literariis segregaret, illas Romanis venditans, has Græcis relinquens, in versibus illis decantatis;

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Hæ tibi erunt artes.

Videmus etiam, Anytum, Socratis Accusatorem pro crimine ei objecisse, quod vi & veritate Sermonum ac Disputationum suarum, Authoritatem & Reverentiam Legum, Consuetudinumque patriarum, apud Adolescentes imminueret; quodque Artem profiteretur perniciosam, & periculo plenam, quâ quis instructus, deteriorem causam meliorem faceret, veritatemque ipsam Eloquentiæ apparatu obrueret.

Verum hæ Criminationes, cæteræque ejusdem farinæ, potius Personatam Gravitatem præ se ferunt, quam Veritatis Candorem. Testatur enim Experientia, sicut unos atque eosdem Homines, sic una eademque Tempora, & Rerum Bellicarum, & Optimatum Artium gloriâ floruisse. Viros quod attinet, exemplo sit Nobile par Imperatorum, Alexander Magnus, & Julius Cæsar Dictator, alter Aristotelis in Philosophiâ Discipulus, alter Ciceronis in dicendo Rivalis. Aut si quis requirat potius Literatos, qui in claros Imperatores evaserunt, quam Imperatores, qui insigniter docti fuerunt, præsto est Epaminondas Thebanus, aut Xenophon Atheniensis: quorum ille primus fuit, qui fregit potentiam Spartanorum; hic autem primus, qui stravit viam ad eversionem Monarchiæ Persarum. Istud vero Armorum Literarumque quasi Conjugium, clarius adhuc in Temporibus, quam in Personis elucescit, quanto nimirum Seculum Homine Objectum, grandius est. Ipsa quippe eademque Tempora, apud Ægyptios, Assyrios, Persas, Græcos, Romanosq;, quæ propter Bellicam Virtutem maxime celebrantur, etiam & Literis, plurimum fuerunt nobilitata: adeo ut gravissimi Authores Philosophique, & clarissimi Duces atque Imperatores, eodem seculo vixerit. Nec sane aliter fieri potest, quandoquidem ut in Homine Vigor Corporis Animique simul fere maturescunt, nisi quod ille hunc paulo antevertat: sic in Rebuspub. Militaris gloria Literataque (quarum illa Corpori respondet, hæc Animo) aut coæva sunt, aut se proximè consequuntur.

Jam vero, Eruditionem politicis impedimento esse potius quam adjumento, nil minus probabile. Fatemur omnes, temerarium quiddam esse, Empiricis Medicis Corpus, & Valetudinis curam tradere, qui solent pauca quædam Medicamenta, quæ illis videntur Panchresta, venditare, quorum fiduciâ nihil non audent tentare cum tamen neque Causas Morborum, neque Ægrotorum Habitus, neque Symptomatum Pericula, neque veram Sanandi Methodum calleant. Videmus pariter, errare eos, qui causas & Lites suas expediendas adhibent Leguleios, in Peracticâ potius, quàm in libris Juris versatos, quibus os facile oblinitur, si quid novum, aut extra Experientiæ suæ calles tritos occurrat: consimiliter non potest non esse periculossimum, quoties Summa Rerum Empiricis Consiliariis præcipue mandatur. E contrà, vix Exemplum adduci possit

possit Reip. infeliciter administratæ, ad clavum sedent bus Viris Eruditis. Quamvis enim in more sit Politicis, Literatos Pedaneorum nomine elevare; Historia tamen *Veritatis Magistra*, ut plurimis fidem facit, Pupillares Principis Adultis longè præstitisse, non obstante ætatis incommodo, ea ipsa de causa, quam Politici sugillant, quod scilicet tunc temporis à Pædagogis administratum sit, Imperium. Quis ignorat, per decantatum illud Quinquennium Neronis, onus rerum incubuisse Senecæ Pædagogo? Quin & Gordianus Junior Decennium laudis, Misitheo Pædagogo debuit. Neque infelicius Imperium gessit Alexander Severus, dum minor fuit, quo tempore omnia procurabant Mulieres, sed ex consilio Præceptorum. Imo convertamus oculos ad Regimen Pontificium, ac nominatim Pii Quinti, vel Sixti Quinti, nostro seculo, qui sub initiis habiti sunt pro Fraterculis rerum imperitis: reperiemusq;, Acta Paparũ ejus generis, magis esse solere memorabilia, quàm eorum, qui in negotiis civilibus & Principum Aulis enutriti, ad Papatum ascenderint. Quamvis enim, qui in Literis vitam maximè traduxerunt, minus solertes sint atque versatiles in Occasionibus prensandis, atque accommodandis Rebus; quo spectant ea, quæ ab Italis *Ragioni di Stato* dicuntur, quorum nomen ipsum aversatus est Pius Quintus, solitus dicere, *Esse mera malorum Hominum Commenta, quæ opponerentur Religioni, & virtutibus Moralibus:* in eo tamen abundè fit compensatio, quod per tutum planumque iter Religionis, Justitiæ, Honestatis, Virtutumque Moralium, promptè atque expeditè, incedant: quam viam qui constanter tenuerint, illis alteris remediis non magis indigebunt, quàm Corpus sanum Medicina. Porro autem Curriculum vitæ in uno Homine, suppeditare non potest Exemplorum Copiam, ad regendos eventus vitæ, etiam in uno Homine. Sicut enim interdum fit, ut, Nepos, vel Pronepos, Avum vel Proavum magis referat, quàm Patrem: eodem modo haud raro evenit, ut Negotia præsentia magis quadrent cum Exemplis vetustioribus, quàm cum Recentioribus. Postremò unius Ingenium tantum cedit Amplitudini Literarum, quantum privati Reditus Ærario.

Quod si detur, depravationes illas & impedimenta, quæ à Politicis imputantur literis, aliquid virium habere & veritatis: attamen simul monendum, Eruditionem in singulis plus Remedii, quàm mali, afferre. Esto enim, Literæ Tacita quadam vi Animum reddunt incertum, atque perplexum; at certè liquido præcipiunt, quomodo cogitationes sint expediendæ, & quousque sit deliberandum, quando demùm statuendum; imò ostendunt, quomodo res interim absque periculo trahi possint, & suspendi. Esto etiam, Animos efficiunt magis pertinaces, & difficiles; at simul docent, quæ Res Demonstrationibus, quæ Conjecturis innituntur; neque minùs Distinctionum & Exceptionum usum, quàm Canonum & Principiorum constantiam proponunt. Esto rursus, seducunt & detorquent Animos Exemplorum vel imparitate, vel dissimilitudine. Nescio; sed satis novi, eas tam circumstantiarum efficacias, quàm comparationum errores, & applicationum, Cautiones explicare, adeò ut in universum magis corrigant Animos, quàm corrumpant. Hæc autem Remedia insinuant undequaque Literæ, magnâ vi, & varietate Exemplorum. Perpendat quis Errores Clementis Septimi, à Guicciardino, qui ei fuit quasi Domesticus, tam luculenter depictos; aut vacillationes Ciceronis, in epistolis ad Atticum, manu propria ad vivum relectas; omninò Inconstantiam, & crebras Consiliorum Mutationes vitabit: Inspiciat Errores Phocionis; Pervicaciam exhorrebit: Fabulam Ixionis legat; & nimias spes, & hujusmodi Fumos ac Nebulas dispellet. Intueatur Catonem Secundum; neque unquam migrabit ad Antipodas, & contraria præsenti Seculo vestigia figet.

Jam qui putant Literas Desidiæ Amicas esse, Otiique & Secessus dulcedine perfundere Animum, mitum præstabunt, si quæ assuefaciunt Mentem perpetuæ Agitationi, Socordiæ Patronas ostendant: cùm contrà verè affirmari possit, inter omnia Hominum genera nullum Negotia amare propter ipsa Negotia, præter Literarum. Alii enim Res, & Negotia diligunt Quæstus gratiâ, ut Conductitii opus propter mercedem: Alii Honoris ergo; etenim dum res gerunt, vivunt in oculis Hominum, existimationique suæ inserviunt, alioqui evanituræ: Alii propter Potentiam, & Fortunæ prærogativam, ut Amicos remunerare, Inimicos ulcisci possint: Alii ut Facultatem aliquam suam, quam adamant, exerceant, ac sibi ipsis hoc nomine sæpiùs gratulentur, & arrideant: Alii denique ut alios suos Fines consequantur. Adeo ut, quod de Gloriosis dici solet, eorum Fortitudinem suam esse in spectantium Oculis, sic hujusmodi Hominum Diligentia & Strenuitas hoc videtur agere, aut ut alii plaudant, aut ut ipsi intra se gestiant. Soli Literati Negotiis & Occupationibus delectantur, tanquam Actionibus Naturæ consentaneis, & non minus salubribus Animo, quàm Exercitatio est Corpori, ipsam Rem, non Emolumentum intuentes: ita ut omnium minime sint defatigabiles, si modo res sit hujusmodi, ut Animum pro dignitate ejus impleat, & detineat. Quod si reperiantur interdum nonnulli: in legendo strenui, in agendo cessatores, non hoc à Literis ortum habet, sed ab imbecillitate, & mollitie quadam Corporis, Animive; quales notat Seneca. *Quidam*, inquit, *tam sunt umbratiles, ut putent in turbido esse, quicquid in luce est.* Usu venire poterit fortasse, ut hujusmodi ingenii sibi conscii, se dent Literis; Eruditio autem ipsa, hujusmodi Ingenia minime indit, aut progignit. Quod si quis illud nihilominus mordicus teneat, Literas nimium absumere temporis, quod alias rectius impendi possit; ajo, neminem adeo distringi negotiis, quin habeat sua Otii intervalla, donec Agendi Vices atque Æstus refluant, nisi aut admodum hebes sit in expediendis Negotiis, aut parum cum dignitate ambitiosus in Negotiis cujuscunque generis captandis. Restat igitur quærendum, qua in re, & quomodo, has subsecivas horas collocare oporteat; Studiis an Voluptatibus, Genio an Ingenio indulgendum? Sicut rectè respondit Demosthenes Æschini, homini voluptatibus dedito, qui cum per contumeliam objecisset, *Orationes ejus lucernam olere: Pol*, inquit, *mul-*

multum interest inter ea, quæ ego ac tu ad lucernam facimus. Quare neutiquam metuendum, ne Literæ eliminent Negotia; quin potius vindicant animum ab Otio, & Voluptate, quæ aliàs sensim, ad utriusque damnum, & Negotiorum, & Literarum, subintrare solent.

Dein, quod oggerunt, Literas Reverentiam Legum atque Imperii convellere, calumnia mera est, nec probabiliter ad criminandum inducta. Nam qui *cæcam obedientiam* fortius obligare contenderit quam *Officium oculatum*, una opera asserat cæcum manu ductum certius incedere, quam qui Luce & Oculis utitur. Imo citra omnem controversiam, Artes emolliunt mores, teneros reddunt, sequaces, cereos, & ad Mandata Imperii ductiles, Ignorantia contra, contumaces, refractarios, seditiosos. Quod ex historia clarissime patet, quandoquidem tempora maxime indocta, inculta, barbara, tumultibus, seditionibus, mutationibusque maxime obnoxia fuerint.

De Catonis Censoris judicio, hoc dictum esto, meritissimas eum blasphemiæ in Literas luisse pœnas, cum septuagenario major, quasi repuerascens, Græcam Linguam cupidissime addisceret. Ex quo liquet, priorem illam Censuram Græcæ Literaturæ, ex Affectata potius gravitate, quam quod ita penitus sentiret, fluxisse. Ad Virgilii vero Carmina quod attinet, utcunque illi libitum Universo Mundo insultare, Romanis asserendo Artes Imperandi; cæteras tanquam Populares aliis relinquendo; in hoc tamen manifesto tenetur, Romanos nunquam Imperii Fastigium conscendisse, donc ad Artium Culmen simul pervenissent. Namque duobus primis Cæsaribus, viris imperandi peritissimis, contemporanei erant Optimus Poëta ille ipse Virgilius Maro, Optimus Historicus Titus Livius, Optimus Antiquarius Marcus Varro, Optimus aut Optimo proximus Orator Marcus Cicero; Principes certe, ex omni memoria in sua quique Facultate. Postremo, quantum ad Socratis Accusationem, id dico tantum; Recordemur temporum, quibus intentata est; nimirum sub Triginta Tyrannis, Mortalium omnium crudelissimis, sceleratissimis, Imperioque indignissimis. Qui Rerum & Temporum Orbis postquam circumactus esset, Socrates ille (flagitiosus scilicet) Heroibus annumeratus est, & memoria ejus omnibus tam Divinis, quam Humanis Honoribus cumulata: quin disputationes ejus tanquam Corruptrices Morum prius habitæ, pro præsentissimis Mentis Morumque Antidotis ab omni Posteritate celebrabantur. Atque hæc sufficiant ad respondendum Politicis, qui superciliosa severitate, aut fucata gravitate, ausi sunt literas incessere contumeliis, quæ tamen confutatio impræsentiarum, nisi quod nesciamus an ad posteros permanaturi sint labores nostri, minus necessaria videatur; cum Aspectus, & Favor duorum literatissimorum Principum, Elisabethæ Reginæ, & Majestatis tuæ, tanquam Castoris & Pollucis, *Lucidorum Siderum*, tantum apud nos in Britannia Literis amorem reverentiamque conciliaverint.

Nunc ad tertium Vituperationum genus pervenimus, quod à Literatis ipsis in Literas redundat, altiusque cæteris solet hærere. Eæ vel à Fortuna vel à Moribus, vel à Studiis ipsorum Originem ducunt. Quatum prima extra potestatem ipsorum est, secunda extra rem; ut tertia sola propriè in disquisitionem venire videatur. Quia tamen, non tam de vero rerum pondere, quam de Vulgi æstimatione, sermo instituendus est, haud abs re fuerit, etiam de alteris duabus pauca quædam innuere.

III. Vituperationes Lit. a Lidentibus simplice vulgi æstimatio.

Quapropter dignitatis imminutiones, & quasi dehonestamenta, quæ à Literatorum Fortuna Literis imponuntur, sumuntur aut à paupertate & inopia ipsorum, aut à Vitæ genere obscuro & umbratili, aut ab occupationum, in quibus versantur, subjecto non admodum nobili.

1. paupertas literatorum

Quantum ad paupertatem pertinet, quodque frequenter usuveniat, ut literati inopes sint, & tenui plerunque origine, neque tam propere ditescant, ac alii, qui quæstui solum inhiant: consultum foret, hunc locum, de laude paupertatis, fratribus mendicantibus (pace eorum dixerim) exornandum tradere; quibus Machiavellus non parum tribuebat, cum diceret, *Iam dudum actum esset de regno sacerdotum, nisi reverentia erga fratres ac Monachos, Episcoporum luxum & excessum compensasset.* Pariter dicat quis, felicitatem & magnificentiam Principum & nobilium, jam olim recidere potuisse in Barbariem, & sordes, nisi deberent literatis istis pauperibus civilis vitæ culturam & decus. Sed missis his laudum aucupiis, notatu dignum est, quam sacra atque veneranda res, per aliquot apud Romanos secula, paupertas ipsa habita fuerit; quæ tamen Respubl. nihil trahebat ex Paradoxis. Sic enim præfatur T. Livius: *Aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam Resp. nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam sero avaritia luxuriaque immigraverint, nec ubi tantus ac tamdiu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit.* Quin etiam postquam Roma jam degenerasset, legimus, cum Cæsar Dictator collapsam Rempub. instauraturum se profiteretur, quendam ex amicis ejus prompsisse sententiam, nihil tam expeditum esse ad id, quod ageret, quam si divitiarum honos quoquo modo tolleretur. *Verum (inquit) hæc, & omnia mala, pariter cum honore pecuniæ desinent, si neque magistratus, neque alia vulgo cupienda, venalia erunt.* Denique quemadmodum vere dictum est, *Ruborem esse colorem virtutis*, licet quandoque oriatur ex culpa; ita recte statuas, paupertatem esse virtutis fortunam, quamvis interdum à luxu & inuria accersatur. Salomonis certe hæc est sententia, *Qui festinat ad divitias, non erit insons*: & præceptum, *Veritatem eme, & noli vendere, similiter scientiam & prudentiam*; quasi æquum judicet, opes impendendas, ut doctrina paretur; non doctrinam eo vertendam, ut opes congerantur.

Quid attinet dicere, de vita illa privata & obscura, quam literatis objiciunt? Adeo tritum Thema est, atque ab omnibus jactatum, otium, & secessum (modo absint desidia & luxus præponere vitæ forensi, & occupatæ, propter securitatem, libertatem, dulcedinem, dignitatem, aut saltem ab indignitatibus immunitatem, ut nemo tractet hunc locum, quin bene tractet: ita humanis conceptibus in experiendo, & consensibus in ap-

2. vita otiosa

in approbando consonat. Hoc tantum adjiciam, eruditos, latentes in Rebuspub. & sub oculis hominum minimè degentes, similes esse imaginibus Cassii & Bruti, de quibus, in elatione Juniæ non gestatis, cum aliæ plurimæ ducerentur, Tacitus, *Eo ipso*, inquit, *præfulgebant, quod non visebantur.*

De occupationum, quæ literatis committuntur, vilitate, illud occurrit, quod demandetur iisdem puerorum ac juniorum institutio, cujus ætatis contemptus in Magistros ipsos redundat. Cæterum, quam injusta sit hæc obtrectatio, si non ex vulgi opinione, sed ex sano judicio res perpendatur, inde licet æstimare, quod diligentiores sint omnes in imbuenda testa recenti, quam veteri; magisque solliciti sint, qualem admoveant terram teneræ plantæ, quam adultæ: unde liquet, præcipuam curam circa rerum & corporum initia versari. Rabbinis, si placet, porrige aurem, *Iuvenes vestri visiones videbunt, & senes somniabunt somnia.* Ex hoc textu colligunt, juventutem esse ætatem digniorem; quanto nimirum revelatio accedat clarior per visiones, quam per somnia. Illud vero notatu omnino dignum, quod licet pædagogi, velut Simiæ Tyrannidis, scenæ sint ludibria, & temporum incuria in delectu ipsorum veluti obdormierit, vetus tamen querela sit, inde usque ab optimis & prudentissimis seculis deducta, Respub. circa leges quidem nimium satagere, circa educationem indiligentes esse. Quæ nobilissima pars priscæ disciplinæ, revocata est aliquatenus quasi postliminio in Jesuitarum Collegiis; quorum cum intueor industriam solertiamque, tam in doctrina excolenda, quam in moribus informandis, illud occurrit Agesilai de Pharnabazo, *Talis cum sis, utinam noster esses.* Atque hactenus de opprobriis è litteratorum fortuna & conditione desumptis.

Quod ad literatorum mores; res est ista, potius ad Personas, quam ad studia spectans: Reperiuntur procul dubio inter eos, quemadmodum in omnibus vitæ ordinibus & generibus, tam mali, quam boni; neque propterea non verum est, (quod asseritur,) *abire studia in mores*; atque literas, nisi incidant in ingenia admodum depravata, corrigere prorsus naturam, & mutare in melius.

Veruntamen diligenter mihi atque ingenue rem æstimanti, nullum occurrit dedecus, litteris, ex literatorum moribus, quatenus sunt literati, adhærens: nisi forte hoc vitia vertatur, (cujus Demosthenes, Cicero, Cato secundus, Seneca, plureſque alii insimulantur,) quod cum plerunque tempora, de quibus legunt, illis, in quibus vivunt, & quæ præcipiuntur, illis, quæ aguntur, meliora sint; ultra quam par est contendant, morum corruptelas ad præceptorum & dogmatum honestatem retrahere, & priscæ severitatis mores temporibus dissolutis imponere: De quo tamen abunde è propriis fontibus admoneri possunt. Solon enim interrogatus, an optimas civibus suis dedisset leges? *Optimas*, inquit, *ex illis, quæ ipsi voluissent accipere.* Ita Plato, videns corruptiores suorum civium mores, quam ut ipse ferre posset, ab omni publico munere abstinuit, dicens, *Sic cum patria agendum esse, ut cum parentibus; hoc est, suasu, non violentia, obtestando, non contestando.* Atque hoc ipsum cavet ille, qui à Consiliis Cæsari, *Non*, inquit, *ad veteraſ institutaſ revocamus, quæ jam pridem corruptis moribus ludibrio sunt.* Cicero etiam erroris arguit Catonem secundum, Attico suo scribens: *Cato optime sentit, sed nocet interdum Reipub. loquitur enim, tanquam in Republ. Platonis, non tanquam in fæce Romuli.* Idem Cicero molli interpretationi excusat Philosophorum dicta, & decreta duriora: *Isti*, inquit, *ipsi præceptores & magistri, videntur fines officiorum paulo longius, quam natura vellet, protulisse, ut cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen, ubi oportet consisteremus.* Ipsemet tamen potuit dicere, *Monitis sum minor ipse meis*: quippe qui in eundem lapidem ipse, licet non tam graviter, impegerit. Aliud, quod eruditis non immerito fortasse objicitur vitium, hujusmodi est, quod honori, aut emolumento patriarum suarum, aut dominiorum, proprias fortunas, aut præsidia postposuerint. Sic enim Demosthenes Athenienſibus suis, *Mea*, inquit, *consilia si rectè attendatis, non sunt ejus generis, per quæ ego inter vos magnus, vos inter Græcos despectui sitis; sed talia, ut mihi sæpenumero, ea haud tutum sit dare, vobis autem semper utile amplecti.* Haud aliter Seneca, postquam quinquennium illud Neronis, æternæ eruditorum magistrorum consecrasset gloriæ, dominium suum, omnibus jam flagitiis inquinatissimum, liberè atque fidenter monere non destitit, magno suo periculo, ac postremo præcipitio. Neque aliter potest se habere res: siquidem humanam mentem doctrina imbuit vero sensu fragilitatis suæ, instabilitatis fortunæ, dignitatis animæ, & muneris sui; quarum rerum memores, nullo modo sibi persuadere possunt, fortunæ propriæ amplitudinem, tanquam præcipuum sibi bonorum finem statui posse. Quare vivunt, tanquam rationem reddituri Deo, & Dominis post Deum, sive Regibus, sive Rebusp. hac formula, *Ecce tibi lucrifeci* non autem illa, *Ecce mihi lucrifeci.* At politicorum turba, quorum mentes in doctrina officiorum, & in contemplatione boni universalis, non sunt institutæ, & confirmatæ, omnia ad se referunt; gerentes se pro centro mundi, ac si omnes lineæ in se, suisque fortunis, debeant concurrere; de Reipublicæ Navi, licet tempestatibus jactata, neutiquam solliciti, modo ipsis in scapha rerum suarum receptus detur & effugium. At contra, qui officiorum pondera, & Philautiæ limites didicerunt, munia sua, stationesque, licet cum periculo, tuentur. Quod si forte incolumes permaneant in seditionibus, & rerum mutationibus, non id artibus, aut versatili ingenio, sed reverentiæ, quam probitas etiam ab hostibus extorquet, tribuendum. Cæterum quod attinet ad fidei constantiam, & officiorum religionem, quas certe animis hominum inserit eruditio, utcunque eæ quandoque à fortunæ mulctentur, aut ex male sanis politicorum principiis condemnentur, tamen palam scilicet apud omnes laudem referent, ut in hac re, longa defensione non sit opus.

Aliud vitium literatis familiare, quod facilius excusari potest, quam negari, illud nimirum, quod non facile se applicent, & accommodent erga personas, quibus cum negotiantur, aut vivunt,

vunt. Qui defectus è duabus oritur causis: Prima est animi ipsius magnitudo, propter quam ægrè se demittere possunt ad observantiam unius alicujus hominis. Amantis verba sunt, non sapientis, *Satis magnum alteri theatrum sumus.* Neque tamen inficias ibo, illum, qui aciem animi, instar oculi, non possit æquè contrahere, ac dilatare, insigni facultate ad res gerendas esse orbatum. Secunda vero causa est probitas morum & simplicitas; quæ tamen delectum judicij, non defectum, in illis arguit. Veri enim, & legitimi observantiæ erga aliquam personam limites, non ultra porrigunt se, quam ita nosse illius mores, ut absque offensione cum eo versari, eumque consilio, si opus sit, juvare, nobisque interim ipsis in omnibus cavere possimus; verùm alienos affectus rimari, eo fine, ut illum inflectas, verses, & ad libitum circumagas, hominis est parum candidi, sed potius astuti, & bifidi; id quod in amicitia vitiosum fuerit, erga Principes etiam inofficiosum. Mos enim Orientis, quo nefas habetur oculos in Reges defigere, ritu quidem barbarus est, sed significatione bonus: neque enim subditos decet, corda Regum suorum, quæ sacræ Scripturæ inscrutabilia docent, curiosius rimari.

Superest etiamnum aliud vitium, (quo cum hanc partem concludam) literatis sæpius imputatum, videlicet quod in rebus exiguis, & externis, (vultu, gestu, incessu, sermonibus quotidianis, & hujusmodi) deficiant in observando decoro; unde homines imperiti, ex istis minutis, leviculisque erroribus, quanti sint in rebus majoribus tractandis, conjecturam capiunt. Verùm fallit eos plerunque hujusmodi judicium; imo sciant, responsum sibi esse à Themistocle, qui cum rogatus esset, ut fidibus caneret, arroganter satis ipse de se, sed ad præsens institutum perquã apposite respondit: *Se quidem fidium rudem esse, sed quo pacto oppidum parvum in civitatem magnam evadere, posset, satis nosse.* Et sunt procul dubio multi politicarum artium apprime gnari, quibus tamen in communi vita, & quotidianis reculis, nihil imperitius. Quin etiam hujusmodi sugillatores amandandi sunt ad Platonis Elogium de Præceptore suo Socrate, quem haud absimilem dixit pharmacopolarum pyxidibus, quæ exterius inducebantur simiis, ululis satyrisque, intus vero pretiosos liquores & nobilia medicamenta recondita habebant: Patendo scilicet, quod ad vulgi captum, & famam popularem, præferret nonnulla levia, atque etiam deformia, cum tamen animi interiora summis tam facultatibus, quam virtutibus essent repleta. Atque de moribus literatorum hæc hactenus.

Interim monere placet, nos nihil minus agere, quam ut patrocinentur quibusdam professorum institutis abjectis, & sordidis, quib^o & se ipsos, & literas dehonestarunt: quales erant apud Romanos, seculis posterioribus, philosophi quidam in familiis divitum, mensarumque eorum assecla, quos haud absurde dicas *Barbatos Parasitos.* Cujus generis quendam lepide describit Lucianus, quem matrona nobilis, catulum suum Melitæum in rheda gestare voluit: quod cum ille officiose, sed indecenter faceret, Pusio subsannans, *Vereor,* inquit, *ne philosophus noster è Stoico fiat Cinicus,* Ante omnia verò, nihil tam offecit literarum dignitati, quam crassa & turpis adulatio, ad quam multi, neque hi indocti, & calamos, & ingenia submisere, *Hecubam in Helenam, Faustinam in Lucretiam,* (ut ait Du-Bartas) transformantes. Neq; verò nimis laudo morem illum receptum, libros patronis nuncupandi; cum libri, præsertim qui hoc nomine dignandi, in veritatis tantum & rationis clientelam se dare debeant. Melius veteres, qui non aliis, quàm amicis, atque æqualibus, scripta sua dicare solebant, aut etiam nomina ejusmodi amicorum tractatibus suis imponere: quod si forte Regibus, aut magnatibus opus nuncuparent, tum demum hoc factum est, cum argumentum libri personæ tali conveniret. Hæc autem, & similia, reprehensionem potius merentur, quam defensionem.

Neque hoc dico, quasi literatos culpem, si ad beatos & potentes viros quandoque se applicent: recte enim Diogenes cuidam cum irrisione roganti, *Qui fieret, quod philosophi divites sectarentur, non divites philosophos?* respondit non sine morsu, *Hoc ideo fieri quod philosophi quibus rebus indigeant, probe intelligant, divites non item.* Huic affine est illud Aristippi, cui nescio quid petenti cum non attenderet Dionysius, ille adorantis more abjecit se ad pedes ejus; qui tum demum auscultans petitioni annuit: Sed paulo post, quidam dignitatis philosophiæ assertor, increpuit Aristippum, quod demittendo se ad pedes Tyranni pro tantilla re philosophiam ipsam contumelia affecisset: cui ille, *Suam id culpam non fuisse, respondit, sed Dionysij, qui aures gestaret in pedibus.* Quin prudens ille, non pusillanimis habitus est, qui in disputatione quadam cum Hadriano Cæsare vinci se passus est, excusans factum. *Quod æquum esset ei cedere, qui triginta imperaret Legionibus.* Atque propterea non sunt damnandi viri docti, ubi, cum res postulat, aliquid de gravitate sua remittant, sive imperante necessitate, sive impetrante occasione; quod quamvis humile videatur atque servile primo intuitu, tamen veritus rem æstimanti, censebuntur non personæ, sed tempori ipsi servire.

Pergamus nunc ad errores, atque inania, quæ in studiis ipsis virorum doctorum interveniunt, iisque se immiscent; id quod præcipue & proprie spectat ad præsens argumentum. Qua in re non est instituti nostri erroribus ipsis patrocinari, sed per eorum censuram & secretionem, excutere quod sanum & solidum est, atque à calumnia vindicare. Videmus enim, in more, præsertim apud invidos, esse, propter ea, quæ depravata sunt, etiã ea, quæ impolluta, & in statu suo manserunt, sugillare; quemadmodum Ethnici in primitiva Ecclesia, Christianos hæreticorum vitijs aspergere solebant. Neque tamen consilium est mihi, examen aliquod accuratius instituere, de erroribus, & impedimentis litterarum, quæ interiora, & à captu vulgi remotiora; sed de illis tantum verba facere, quæ cadunt sub communi, & populari observatione, & nota, aut saltem ab ea non longè recedunt.

Quare tria præcipue deprehendo vana & inania in literis, quæ ansas præcipue præbuerunt ad obtrectandum. Eas enim res pro vanis ducimus,

quæ aut falsæ sunt, aut frivolæ; in quibus scilicet, aut veritas deficit, aut usus: Illos etiam homines vanos & leves existimamus, qui aut ad falsa credulí, aut in rebus exigui usus curiosi. Curiositas autem, aut in rebus ipsis versatur, aut in verbis; quãndo nimirum, aut in rebus inanibus opera insumitur, aut circa verborum delicias nimium insudatur. Quocirca, non certæ magis experientiæ, quam rectæ etiam rationi consonum videtur, ut tres ponantur doctrinarum intemperies. Prima est doctrina phantastica, secunda doctrina litigiosa, tertia doctrina fucata & mollis: vel sic; vanæ imaginationes, vanæ altercationes,, vanæ affectationes. Ac quidem ordiar ab ultima.

Tres doctrinarum intemperies.

Intemperies ista, in luxurie quadam orationis sita, (licet olim per vices in pretio habita fuerit) circa Lutheri tempora miris modis invaluit. In causa præcipue fuit, quod fervor & efficacia concionum tunc temporis,, ad populum demulcendum & alliciendum maxime vigebat: Illa autem populare genus orationis poscebant. Accedebat odium & contemptus, illis ipsis temporibus, ortus erga Scholasticos, qui stylo & scribendi genere utebantur valde diverso, verba licenter admodum cudentes nova & horrida, de orationis ornatu & elegantia parum solliciti, dummodo circuitionem evitarent, & sensus ac conceptus suos acute exprimerent; atque hinc factum est, ut paulo postea, major apud plurimos cœperit haberi verborum cura quam rerum; plerisque magis comptam phrasim, teretem periodum, clausularum rhytmos, troporum stellulas; quam pondus rerum, rationum nervos, inventionis acumen, aut judicij limam affectantibus. Tum demum floruit Osorii Lusitani Episcopi luxurians & diluta oratio. Tunc Sturmius in Cicerone Oratore & Hermogene Rhetore infinitam & anxiam operam consumpsit. Tunc Carrus & Ascamus apud nos, prælectionibus & scriptis suis Ciceronem & Demosthenem usque ad cœlum evehentes, Iuvenes ad politũ hoc & florens doctrinæ genus invitarunt. Tunc Erasmus arripuit ansam introducendi ridiculam illam Echo *Decem annos consumpsi in legendo Cicerone*: cui Echo respondit, *one*, asine. Scholasticorum vero doctrina despectui prorsus haberi cœpit, tanquã aspera & barbara: Denique ut semel dicam, præcipua illorum temporum inclinatio, & studium, potius ad copiam, quam ad pondus deflexit.

1. Luxuria orationis

Hic itaque cernere est primam litterarum intemperiem, quam, vt diximus, verbis studetur, non rebus: cujus etsi e citimis tantum temporibus protulerim exempla, tamen secundum majus & minus, & olim placuerunt ejus generis inepti, & deinceps placebunt. Iam verò fieri non potest, quin hoc ipsum multum faciat ad doctrinæ existimationem minuendam & elevandam, etiam apud vulgus imperitum, cum videant doctorum scripta, tanquam primam literam diplomatis, quæ quãvis variis calami ductibus, & flosculis variegata sit, litera tamen est unica. Ac mihi sane videtur præapposita hujusce vanitatis adumbratio, & quasi Emblema, Pigmaleonis illa insania: quid enim aliud sunt verba, quam imagines rerum, ut nisi rationum vigore animata sint, adamare illa idem sit, ac statuam deperire?

Neque tamen temere damnandum est, si quis philosophiæ obscura, & aspera, verborum splendore illustret & expoliat: Hujus enim rem magna adsunt exempla in Xenophonte, Cicerone, Seneca, Plutarcho, ipsoque etiam Platone: nec minor est utilitas. Quamvis enim diligentem veri cognitionem, atque acre studium philosophiæ, res hæc nonnihil impediat, quoniam præpropere mentem consopit, atque ulterioris disquisitionis sitim & ardorem restinguit; si quis tamen doctrinam ad usus civiles adhibeat, (sermocinandi, videlicet, consulendi, suadendi, argumentandi, & similiũ) omnia, quæ cupiat, præparata & adornata in hujusmodi authoribus reperiet. Verumtamen hujusce rei accessus adeo juste contemnitur, ut quemadmodum Hercules, cum videret in templo statuam Adonidis (Veneris deliciarum) indignabundus dixit, *Nil sacri es*; ita omnes Herculei literarum pugiles, id est, laboriosi atque constantes indagatores veritatis, hujusmodi delicias & lauticias, tanquam nil divini spirantes, facile spreverint.

Paulo sanius est aliud styli genus neque tamen ipsum omnino vanitatis expers, quod copiæ illi, & luxuriæ orationis, tempore fere succedit. Illud totum in eo est, ut verba sint aculeata, sententiæ concisæ, oratio denique potius versa, quam fusa: quo fit, ut omnia per hujusmodi artificium: magis ingeniosa videantur, quam revera sint. Tale invenitur in Seneca effusius, in Tacito & Plinio secundo moderatius; atque nostri temporis auribus cœpit esse non ita pridem accommodatum. Verum hoc ipsum mediocribus ingeniis gratum esse solet, adeo ut dignitatem quandam littetis conciliet, attamen à judiciis magis limatis merito fastiditur, & poni possit pro intemperie quãdam doctrinæ, cum sit verborum etiam, & eorum concinnitatis aucupium quoddam. Atque hæc de prima litterarum intemperie dicta sunto.

Sequitur ea intemperies in rebus ipsis, quam posuimus mediam, & *litigiosa subtilitatis* nomine designavimus. Estque illa, de qua modo diximus, aliquanto deterior. Vt enim rerum dignitas verborum cultui præcellit, sic è contrario odiosior est vanitas in rebus, quam in verbis. Qua in re, increpatio illa Paulina, non magis ad suam ætatem referri, quam ad sequentia tempora deduci potest; neque Theologiam tantum, sed etiam omnes scientias respicere videtur. *Devita profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* His enim verbis duo signa indiciaque scientiæ suspectæ atque eminentiæ proponit. Primum est, vocum novitas, & insolentia; Alterum, rigor dogmatum, qui necessario oppositionem, & dein altercationes, quæstionesque, inducit. Certe quemadmodum complura corpora naturalia, dum valent integra, corrumpuntur sæpius, & abeunt in vermes, eodem modo sana & solida rerum cognitio sæpenumero putrescit, & solvitur in subtiles, vanas, insalubres, & (si ita loqui licet) vermiculatas quæstiones; quæ motu quodam & vivacitate nonnulla præditæ videtur, sed putidæ sunt, & nullius usus. Hoc genus doctrinæ minus sanæ & se ipsam corrumpentis, invaluit præcipue apud multos ex Scholasticis, qui sumo otio abũdãntes, atq; ingenio acres, lectione autem

Subtilitas

autem impares [quippe quorum mentes conclusæ essent in paucorum authorum, præcipue Aristotelis Dictatoris sui scriptis, non minus quam corpora ipsorum in cœnobiorum cellis] historiam vero & naturæ & temporis maxima ex parte ignorantes; ex non magno materiæ stamine, sed maxima spiritus, quasi radij, agitatione, operosissimas telas, quæ in libris eorum extant, confecerunt. Etenim, mens humana, si agat in materiam, naturam rerum, & opera Dei contemplando, pro modo materiæ operatur, atque ab eadem determinatur; sin ipsa in se vertatur, [tanquam aranea texens telam] tum demum interminata est, & parit certe telas quasdam doctrinæ, tenuitate fili operisque admirabiles, sed quoad usum frivolas, & inanes.

Hæc inutilis subtilitas sive curiositas duplex est: & spectatur aut in materia ipsa: qualis est inanis speculatio, sive controversia, cujus generis reperiuntur, & in Theol. & in Phil. haud paucæ: aut in modo, & methodo tractandi; hæc apud scholasticos fere talis erat. Super unaquaque re proposita formabant objectiones, deinde objectionum illarum solutiones, quæ solutiones, ut plurimum dictiones tantum erant, cum tamen scientiarum omnium robur, instar fascis illius senis, non in singulis bacillis, sed in omnibus vinculo conjunctis consistat. Etenim symmetria scientiæ, singulis scilicet partibus se invicem sustinentibus, est, & esse debet, vera atque expedita ratio refellendi objectiones minorum gentium: Contra, si singula axiomata, tanquam baculos fascis seorsim extrahas, facile erit ea infirmare, & pro libito, aut flectere aut frangere: ut quod de Seneca dictum erat, *verborum minutiis rerum frangit pondera*, vere de scholasticis usurpari possit, *quæstionum minutiis scientiarum frangunt robur.* Num non in aula spatiosa consultius foret, unum accendere cereum, aut lychnuchum suspendere, variis luminibus instructum, quo omnia simul perlustrentur, quam in singulos quaquaversus exiguam circumferre lucernam? Atqui non absimilis est eorum ratio, qui non tam veritatem perspicuis argumentis, authoritatibus, exemplis illustrare nituntur; quam in hoc solum incumbunt, ut minutos quosque scrupulos eximant, & captiunculas expediant, & dubitationes solvant; hoc pacto quæstionem ex quæstione gignentes; quemadmodum fit in superiori similitudine, ut lucerna in unum aliquem locum delata, alios circumquaque destituat, & obscuret. Adeo ut Scyllæ fabula ad vivum exprimat hoc genus philosophiæ; cujus os & pectus virginem formosam præferebant, infra vero fuisse ajunt.

Candida succinctam latrantibus inguina monstris.

Sic generalia quædam apud Scholasticos invenias, quæ pulchra sunt dictu; & non perperam inventa: ubi autem ventum fuerit ad distinctiones, decisionesque pro fœcundo utero ad vitæ humanæ commoda, in portentosa & latrantes quæstiones desinunt. Itaque minime mirum, si hoc genus doctrinæ, etiam apud vulgus hominum contemtui obnoxium fuerit, qui fere solent veritatem propter controversias circa eam motas aspernari, atque existimare, eos errare omnes, qui nunquam inter se conveniant; cumque videant doctos homines inter se digladiari de rebus nullius momenti, facile illud Dionysii Syracusani arripiunt, *Verba ista sunt senum otiosorum.* Nihil ominus certissimum est, si modo scholastici ad explebilem sitim veritatis, & continuam agitationem ingenii, varietatem & multiplicitatem lectionis & contemplationum adjunxissent, insignia profecto illi extitissent lumina, omnesque artes & scientias mirifice provexissent. Hactenus de secunda literarum intemperie.

Ad tertiam quod attinet, quæ ad falsitatem & mendacium spectat; una hæc omnium turpissima est, quippe quæ ipsam naturam, animamque destruit scientiæ; quæ nihil aliud est, quam veritatis imago. Nam veritas essendi, & veritas cognoscendi, idem sunt; nec plus à se invicem differunt, quã radius directus, & reflexus. Hoc vitium itaque duplex, vel potius duplicatum est, impostura & credulitas; hæc decipitur, illa decipit. Quæ licet videantur discrepantis naturæ, altera quæ à calliditate quadam, altera à simplicitate profecta, plerunque tamen coëunt. Vt enim in carmine habetur,

Per contatorem fugito, nam garrulus idem est.

innuendo, qui curiosus est, eundem esse & futilem: pariter fit, ut qui facile credat, idem libenter decipiat. Quemadmodum quoque fieri videmus in fama, rumoribus; ut qui cito ijsdem fidem habeat, pari facilitate eos auxerit; quod Tacitus prudenter innuit his verbis, *fingunt simul, creduntque.* Adeo finitimæ sunt, voluntas fallendi, & facilitas credendi.

Hæc credendi recipiendique omnia (licet levi authoritate munita) facilitas, duorum generum est pro ratione subjectæ materiæ: aut enim creditur narrationi, sive facto, [ut loquuntur Iurisconsulti] aut dogmati. In priori genere videmus, quanto dignitatis detrimento hic error affecerit ex Ecclesiasticis historijs nonnullas, quæ nimis faciles se præbuerunt, in prodendis transcribendisque miraculis à martyribus, eremitis, anachoretis, & aliis sanctis viris, atque a beorũ reliquiis, sepulchris, sacellis, imaginibus, editis. Eodẽ modo, in naturali historia videmus multa temere, ac parũ cum delectu aut judicio recepta, & descripta; ut liquet ex scriptis Plinij, Cardani, Alberti, & plurimorum ex Arabibus, quæ comentitiis & fabulosis narrationibus passim scatent, iisque non solum incertis & neutiquam probatis, sed perspicue falsis, & manifesto convictis: ingenti Philosophiæ naturalis dedecore, apud homines graves, & sobrios. In quo sane elucescit Aristotelis sapiẽtia, & integritas; qui, cũ diligentem scripserit atq; accuratã historiã animalium, tam parce ficta aut fabulosa admiscuerit: quin potius *auditiones admirandas*, quas memoratu dignas judicavit, in unum cõmentariolum conjecit prudenter perpẽdens, perspicue vera (quæ tanquam basis experiẽtiæ solida, Philosophiæ & scientiis substerni possint] haud temere esse cũ rebus suspectæ fidei miscenda: & rursus etiam rara, atque insolita, quæ plerisque incredibilia videntur, non omnino esse supprimẽda, neq; memoriæ posteriorũ denegãda

At illa altera credulitas, quæ non historiæ, aut narrationibus, sed artibus & opinionibus tribuitur, duplex est: aut cum artibus ipsis, aut cum authoribus in arte nimium credimus. Artes ipsæ, quæ plus habent ex phantasia, & fide, quam ex ratione, & demonstrationibus, sunt præcipue tres, *Astrologia, Naturalis Magia, & Alchymia*; quarum tamen fines non sunt ignobiles. Profitetur enim Astrologia superiorum in inferiora influxum & dominatum recludere. Magia sibi proponit naturalem Philosophiam à varietate speculationum ad magnitudinem operum revocare. Chymica in se suscipit partes rerum Heterogeneas, quæ in corporibus naturalibus latent & implicantur, separare & extrahere: corporaq; ipsa, inquinata depurare, impedita liberare, immatura perficere. Sed viæ, atq; rationes, quæ ducere putantur ad hos fines, tã in Theoria illarum artium, quam in praxi, erroris & nugarum plenæ sunt. Neq; adeo traditio ipsarum ut plurimum, candida est, sed artificiis & latebris minuta. Chymicæ tamen hoc certe debetur, quod vere comparari possit agricolæ apud Æsopum, qui è vita exiturus, dixit filiis. *Se illis vim magnam auri in vinea, nec satis meminisse quo loco defossam reliquisse*: qui cum vineam diligenter ligonibus ubique invertissent, aurum quidem repererunt nullum, sed tamen vindemiam in sequentis anni, propter fossionem circa radices vitium, tulerunt longe uberrimam. Circa aurum conficiendum, haud paucis nobilibus inventis, & experimentis, tum ad referandam naturam, tum ad usus vitæ apprime idoneis, quasi facem accenderunt.

Illa autem credulitas, quæ certos scientiarum authores, dictatoria quadam potestate munivit, ut edicant, non senatoria, ut consulant, ingens damnum scientiis intulit, tanquam præcipua causa, quæ tantopere illas afflixit & depressit, ut absque insigni aliquo augmento exangues iacerent. Hinc nempe factum est, ut in artib° Mechanicis, primi inventores pauca excogitaverint, tempus reliqua suppleverit, & perfecerit; at in scientiis, primi authores longissime penetraverint, tempus plurima detriverit, & corruperit. Sic videmus, Tormentariã, Mauticam, Typographicã sub initiis imperfectas, & propemodũ informes fuisse, & exercentibus onerosas, temporis vero progressu expolitas, & accommodas. At contra Philosophiæ & scientiæ Aristotelis, Platonis, Democriti, Hippocratis, Euclidis, Archimedis, in ipsis illis authoribus viguerunt, tractu temporis degenerarunt potius, & non minimum splendoris amiserunt. Cujus rei non est alia ratio, quam quod in artibus Mechanicis, ingenia multorum in unum coierunt, in artibus, & scientiis liberalibus, ingenia multorum sub uno succubuerunt; quem tamen ipsum sæpe numero sequaces sui potius depravarunt, quam illustrarunt. Vt enim aqua non ascendet altius, quam caput fontis, à quo promanat; ita doctrina ab Aristotele deducta, supra doctrinam Aristotelis nunquam assurget. Ideoque etsi non displiceat regula, *oportet discentem credere*: huic tamen conjungendum est, *oportet iam edoctum iudicio sui uti*. Discipuli enim debent Magistris temporariam solum fidem, judiciique suspensionem, donec penitus imbiberint artes, non autem plenam libertatis ejurationem, perpetuamque ingenij servitutem. Quare, ut absolvam hanc partem, hoc tantum adjiciam; magnis authoribus suus sic cõstet honos, ut authori authorum, & veritatis Parenti tempori, non derogetur. Explicavimus tandem tres doctrinæ intemperies, sive morbos; præter quos nonnulli sunt, non tam morbi cõfirmati, quam vitiosi humores: qui tamẽ non adeo occulti sunt, aut latentes, quin in multorum sensum & reprehensionem incurrant, ideoque neutiquam prætermittendi.

Horum primus est immodicum studium duorum extremorum, antiquitatis & novitatis. Qua in re temporis filiæ male patrissant: ut enim tempus prolem devorat, sic hęc se invicem; dum antiquitas novis invideat augmentis, & novitas nõ sit contenta recentia adjicere, nisi vetera prorsus eliminet, & rejiciat. Certe consilium Prophetæ vera in hac re norma est: *State super vias antiquas, & videte quænam sit via recta, & bona, & ambulate in ea.* Antiquitas eam meretur reverentiam, ut homines aliquandiu gradum sistere, & supra eam stare debeant, atque undequaque circumspicere, quæ sit via optima: quum autem de via bene constiterit, tunc demum non restitandum, sed alacriter progrediendum, Sane, ut verum dicamus, *Antiquitas seculi, juventus mundi.* Nostra profecto sunt antiqua tempora, cum mundus jam senuerit, non ea, quæ computantur ordine retrogrado, initium sumendo à seculo nostro.

Alius error è priori oriundus, est suspicio quædam & diffidentia, quæ nihil nunc posse invenici autumat, quo mundus tam diu carere potuit: ac si illa objectio conveniret erga tempus, qua Lucianus impedit Iovem, cæterosque Ethnicorum Deos: *Miratur enim, cur tot olim genuerint liberos, nullos autem suo seculo? interrogat que iocans, ecquid septuagenarii iam essent, aut lege Pappia contra senum nuptias lata constricti?* Sic videntur homines subvereri, ne tempus effœtum jam factum sit, & ad generationem ineptum. Quin potius levitas hominum, atque inconstantia, hinc optime perspici potest, qui donec res aliqua perfecta sit, eam mirantur fieri posse; postquam facta semel est, iterum mirantur eam jam pridem factam non fuisse. Ita Alexandri expeditio in Asiam, habita est initio pro vasto & arduo admodum negotio; quam tamen postea placuit Livio in tantum elevare, ut diceret de Alexandro, *Nihil aliud quam bene ausus est vana contemnere.* Idem Columbo evenit circa Occidentalem navigationem. Sed in rebus intellectualibus hoc fit multo frequentius; uti videre est in plerisque propositionibus apud Euclidem: quæ antequam demonstrentur, miræ videntur, & quibus quis non facile assenserit: post demonstrationem autem factam, arripit eas mens per retractionem quandam (ut loquuntur Iureconsulti) tanquam ante perspectas & cognitas.

Alius error superiori affinis, est eorum, qui omnium sectarum, atq; Hæresium veterum, postquam excussę fuissent, & ventilatæ, optimam semper obtinuisse, post habitis aliis, existimant. Itaq; putant, si quis de integro institueret inquisitionẽ, & examen, non posset non incidere in aliquas ex reiectis opinionibus, & post rejectionẽ amissis, & obliteratis; quasi vero multitudo, aut etiã sapientes

tes multitudinis deliniendæ gratia, non illud sæpe probarint quod populare magis atque leve sit, quam quod solidum, atque alte radices agens. Tempus siquidem simile est fluvio, qui levia atque inflata ad nos devehit, solida autem & pondus habentia submergit.

Alius error à reliquis diversus, est præmatura atque proterva reductio doctrinarum in artes, & methodos, quod cum fit, plerunq; scientia aut parum, aut nihil proficit. Nimirum ut ephebi, postquam membra & lineamenta corporis ipsorum, perfectè efformata sunt, vix ampliùs crescunt: sic scientia, quamdiu in Aphorismos & observationes spargitur, crescere potest, & exurgere, sed methodis semel circumscripta, & conclusa, expoliri forsan & illustrari, aut ad usus humanos edolari potest, non autem porro mole augeri.

Alius error succedens ipsi, quem postremo notavimus est, quod post singulas scientias, & artes, suas in classes distributas, mox à plerisque, universali rerum cognitioni, & Philosophiæ primæ, renunciatur; quod quidem profectui doctrinarum inimicissimũ est. Prospectationes fiunt è turribus, aut locis præaltis; & impossibile est, ut quis exploret remotiores, interioresque scientiæ alicujus partes, si stet super plano ejusdem scientiæ, neque altioris scientiæ veluti speculam conscendat.

Alius error fluit ex nimia reverentia, & quasi adoratione intellectus humani: unde homines abduxere se à contemplatione naturæ atq; ab experientia, in propriis meditationibus & ingenij comentis susque deq; volutantes. Cæterum præclaros hos opinatores, & (si ita loqui licet) Intellectualitas, qui tamen pro maxime sublimibus & divinis philosophis haberi solent, recte Heraclitus perstrinxit. *Homines*, inquit, *quærunt veritatem in Microcosmis suis, non in mundo majori.* Respuunt enim quasi Abecedarium naturæ primumque in operibus divinis tirocinium: quod si non faceret, potuissent fortasse gradatim & sensim, post literas simplices, & deinceps syllabas, ad textum & volumen ipsum creaturarum expedite legendum ascendere. At illi contra, jugi mentis agitatione, urgent & tanquam invocant suos Genios, ut vaticinentur eis, edantque oracula, quibus merito & suaviter decipiuntur.

Alius error huic posteriori finitimus est, quod homines sæpius imbuant & inficiant meditationes, & doctrinas suas, opinionibus quibusdam & conceptibus propriis, quos potissimum in admiratione habent; aut artibus, quib' maxime addicti & consecrati sunt, cætera omnia illis deliciis inficientes, & quasi intingentes, licet fuco admodum fallaci. Sic suæ Philosophiæ imiscuit Plato Theologiam. Aristoteles Logicam, secunda Schola Platonis, (Proclus scilicet & reliqui) Mathematicas. Istas enim artes solebant illi tanquam filiolos suos primogenitos suaviari. At Chymici è paucis experimentis, ad foculum & fornacem, novam Philosophiam excuderunt. Et Gilbertus popularis noster Philosophiã aliam ex Magnete elicuit. Sic Cicero, cum varias opiniones de natura animæ recensens, tandem in Musicum incidisset, qui animam esse Harmoniam statuebat, facete dixit, *hic ab arte sua non recessit.* Sed de hoc genus erroribus, apposite & prudenter, ait Aristoteles, *Qui respiciunt ad pauca, de facili pronunciant.*

Alius error est impatientia dubitandi, & cœca festinatio decernendi, absque debita & adulta suspensione judicii. Nam bivium contemplationis, non est dissimile bivio actionis, à veteribus sæpius memorato: cujus altera via, initio plana & facilis erat, fine autem impervia; altera ingredienti aspera erat, & confragosa, ubi paulo processeris, expedita, & æquabilis: haud secus in contemplationibus, si quis à certis ordiatur, in dubia desinet; sin à dubiis incipiat, eaque aliquandiu patienter toleret, in certis exitum reperiet.

Similis error se ostendit in modo tradendi doctrinam, qui, ut plurimum, est imperiosus & Magistralis, non ingenuus & liberalis, ita demum cõpositus, ut potius fidem imperet, quam examini subjiciatur. Non negaverim, in summariis libellis, ad praxin destinatis, hanc formulam scribendi retineri posse: verum injustis tractatibus de scientiis utrumque extremum vitandum censeo: tam Velleij Epicurei, nil tam metuentis, quam ne dubitare de re aliqua videretur: quam Socratis, & Academiæ, omnia in dubio relinquentiũ. Candori potius studendum, resque majore aut minore contentione tradendæ, prout rationum momentis parcius aut plenius sit probatæ.

Alij errores sunt in scopis, quos homines præfigunt sibi, & in quos conatus suos & labores dirigunt. Cum n. diligentiores literarum Coryphæi ad id collimare debeant præcipue, ut arti, quam profitentur, aliquid præclarũ adjiciant: hi contra in secundis tantummodo consistere sat habẽt, vel subtilis interpretis, vel antagonistæ vehementis & nervosi, vel methodici abbreviatoris nomen ambientes: unde reditus & vectigalia scientiarũ augeri possunt, patrimonium & fundus minime.

Omnium autem gravissimus error in deviatione ab ultimo doctrinarum fine consistit. Appetũt enim homines scientiam, alii ex insita curiositate, & irrequieta: alij animi causa, & delectationis: alij existimationis gratia: alij contentionis ergo, atque ut in differendo superiores sint: plerique propter lucrum & victum: paucissimi, ut donum rationis divinitus datum in usus humani generis impendant. Plane, quasi in doctrina quæreretur lectulus, in quo tumultuans ingenium & æstuans requiesceret: aut Xystus sive Porticus, in quo animus deambularet liber, & vagus: aut Turris alta, & edita, de qua mens ambitiosa & superba despectaret: aut arx & propugnaculum ad contentiones & prælia: aut officina ad quæstum, & mercatum: Et non potius locuples armarium, & Gazophylacium, ad opificis rerum omnium gloriam, & vitæ humanæ subsidium. Hoc enim illud est, quod revera doctrinam atque artes condecoraret, & attolleret, si contemplatio, & actio, arctiore quã adhuc vinculo copularentur. Quæ certe conjunctio talis foret, qualis est supremorum duorum Planetarum Syzygia, cum Saturnus, quietis & contemplationis Dux, cum Jove, Duce Societatis agendique, conspirat. Quanquam cum de praxi atque actione loquor, nullo modo ad doctrinam professoriam & lucrosam innuo. Neque enim me fugit, quantopere hoc ipsum progressionem doctrinæ, & amplificationem moretur. Perinde quidem, ut aureum malum, ante oculos Atalantæ projectum, quod ut tollat, dum flectit se, cursus interea impeditur.

Declinat cursus, aurumque volubile tollit.

Neque rursus mihi in animo est, quod de Socrate dictum erat, *Philosophiam devocare de cælo, ut tantummodo versaretur in terris*: hoc est, Physicam seponi, ut Moralis Philosophia & Politica celebraretur sola: sed quemadmodum cœlum & terra simul conspirant, & consentiunt, ad hominum tuendam vitam, atque juvandam; ita sane hic finis esse debet utriusque Philosophiæ, ut rejectis vanis speculationibus, & quicquid inane & sterile est, conservetur quicquid solidum est, ac fructuosum; ut hoc pacto, scientia non sit tanquam scortum ad voluptatem, aut tanquam ancilla ad quæstum; sed tanquam sponsa, ad generationem, fructum, atque solatium honestum.

Jam explicasse videor, & quasi dissectione quadam aperuisse, vitiosos illos humores, aut saltem eorum præcipuos, qui non solum obstitêre profectui literarum, verum etiam culpandis iisdem ansam dedêre. Quod quidem si nimis ad vivum fecerim, meminisse oportet, *Fidelia vulnera amantis, sed dolosa oscula malignantis.* Utcunq; hoc certe mihi videor assecutus, ut merear fidem in sequenti præconio, cum in superiori censura tam libere egerim. Neque tamen in animo est mihi, Panegyricum literarum scribere, aut hymnum Musis præcinere, licet forsitan diu jam sit, ex quo sacra earum rite celebrata sint: sed consilium est, absque pigmentis, & hyperbolis, verum doctrinæ contra alias res pondus excipere & perpendere, verumque ejus valorem & pretium ex testimoniis divinis atque humanis exquirere.

Primo igitur quæramus dignitatem scientiæ in archetypo sive exemplari: id est, in attributis atque actis Dei, quatenus revelantur homini, & sobrie indagari possunt. Qua in re non competit appellatio doctrinæ, cum omnis doctrina sit scientia acquisita: nulla autem cognitio in Deo acquisita est, sed originalis. Itaque aliud quærendum est nomen, *Sapientia* scilicet, ut sacræ scripturæ eam indigitant.

Sic autem se res habet: In operibus creationis, duplicem virtutis divinæ emanationem videmus, quarum una ad potentiam refertur, altera ad sapientiam: Illa præcipue cernitur in creanda mole materiæ, hæc in pulchritudine formæ disponenda. Hoc posito notandum est, nihil in creationis historia obstare, quin fuerit confusa illa cœli terræque massa, & materia, unico temporis momẽto creata, cui tamen disponendæ, digerendæque, sex dies fuerunt attributi: adeo signanter Deus opera potentiæ ac sapientiæ discriminavit. Cui accedit, quod de materiæ creatione, memoriæ proditum non sit, dixisse Deum, *fiat cœlũ & terra*, sicut de sequentibus operibus dictum est: sed nude atque actualiter, *Deus creavit cœlum & terram*: ita ut materia videatur, tanquam manu facta; formæ vero introductio stylum habeat legis, aut decreti.

Pergamus à Deo ad angelos, quorum natura dignatione est Deo proxima. Videmus, in ordinibus Angelorũ (quatenus fides adhibenda cœlesti illi Hierarchiæ, quæ Dionysii Areopagitæ nomine evulgatur) primũ locũ obtinere *Seraphim*, Angelos scilicet amoris; secundũ *Cherubim*, Angelos illuminationis: tertium autẽ locum, & sequentes, *Thronis, Principatibus*, cæterisq; Angelis potentiæ & ministerij concedi: ut ex hoc ipso ordine ac distributione clarum sit, Angelos scientiæ, & illuminationis, angelis imperii & potentiæ præponi.

A spiritibus, & intelligentiis, ad formas sensibiles & materiatas descendentes, legimus, primã formarum creatarum fuisse lucem; quæ in naturalibus & corporeis, scientiæ in spiritualibus atque incorporeis respondet.

Sic in distributione dierum, videmus diem, qua requievit Deus, & contemplatus est opera sua, benedictam fuisse supra omnes dies, quibus creata est & disposita fabrica universi.

Post creationem absolutam, legimus hominẽ collocari in Paradiso, ut illic operaretur: ꝓ quidem opus, aliud esse non poterat, quam quale pertinet ad contemplandum; hoc est, cujus finis, non ad necessitatem aliquam, sed ad delectationem, & activitatem sine molestia, referri possit, cui enim tunc temporis, nulla potuerit esse creaturæ reluctatio, nullus *sudor vultus*, necessario sequitur, actiones humanas, ad voluptatem, & contemplationẽ, nõ ad laborem aut opus, comparatas fuisse. Rursus primæ hominis actiones, quas in Paradiso exercuit, duas sumarias scientiæ partes complexæ sunt: hæ erant, inspectio creaturarũ, & impositio nominũ. Nam scientia illa, quę lapsum introduxit, (ꝓ & ante monuimus) non erat naturalis scientia circa creaturas, sed moralis scientia de bono & malo; ex hac suppositione, ꝓ Dei mandata, aut vetita, non essent principia boni & mali, sed ꝓ alias haberent illa origines; quorum cognitionem affectavit homo, scilicet ut totaliter à Deo deficeret, & sibi ipsi suoq; arbitrio prorsus inniteretur.

Veniamus ad ea, quæ statim post lapsum contigêre. Videmus (ut innumera sunt sacrarum scripturarum Mysteria, salva semper veritate historica & literali) imaginem duarũ vitarum, contemplativæ nimirum & activæ, in personis Abelis & Caini, inque eorum institutis, & primitivis vivendi rationibus, delineatã: quorum alter Pastor erat (qui propter otium & quietem, liberumq; cœli aspectum, typus est, vitæ Theoricæ) alter agricola, (laboribus scilicet fatigatus, aspectu in terram defixus.) Ubi cernere est, favorem, electionemque divinam, ad pastorem accessisse, nõ ad agricolam.

Sic ante diluvium, sacri festi, inter paucissima, quæ de eo seculo memorantur, dignati sunt memoriæ prodere, inventores Musicæ, atque operum metallicorum. Sequenti seculo post diluviũ, gravissima pœna, qua Deus humanam superbiam ultus est, fuit confusio linguarum, qua doctrinæ liberum commercium, & literarum ad invicem communicatio, maxime interclusa est.

Descendamus ad Mosem legislatorem, & primum Dei Notarium, quem scripturæ ornant hoc elogio, ꝓ *gnarus & peritus esset omnis doctrinæ Ægyptiorum.* Quæ quidem gens inter vetustissimas mundi scholas numeratur. Sic enim Plato inducit Ægyptiũ sacerdotem dicentem Soloni; *Vos Græci semper pueri estis, nullam vel scientiam antiquitatis, vel antiquitatem scientiæ habentes.* Perlustremus cæremonialem legem Mosis, reperiemusq;, præter Christi perfigurationem, distinctionem populi Dei â gentibus, exercitium obedientiæ, aliosque ejusdem legis usus sacros; nonnullos doctissimo-

simorum Rabbinorum, haud inutilem circa eam navasse operam, ut sedulo eruerent, quandoque naturalem, quandoq; moralem sensum ceremoniarum, & rituum. Exempli gratia, ubi de lepra dicitur, *Si effloruerit discurrens Lepra, homo mundus erit, & non recludetur: sin caro viva in eo erit, immunditiæ condemnabitur, & ad sacerdotis arbitrium separabitur.* Ex hac lege colligit unus eorum axioma in natura; *Putredinem postilentiorem esse ante, quam post maturitatem.* Alius morale documentum elicit, *homines flagitiis undique coopertos, minus corrumpere publicos mores, quam mediocriter & ex parte tantum malos*: adeo ut ex hoc, & similibus locis ejus legis, præter sensum Theologicum, haud pauca ad Philosophiam spectantia spargi videantur.

Si quis etiam eximium illum Jobi librum diligenter evolverit, plenum eum, & tanquam gravidum, naturalis Philosophiæ Mysteriis deprehendet. Exempli gratia, circa Cosmographiam, & rotunditatem terræ, illo loco, *Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.* Ubi pensilis terra, polus Arcticus, & cœli convexitas in extimis, haud obscure insinuantur. Rursus circa Astronomiam, & Asterismos, illis verbis, *Spiritus ejus ornavit cœlos, & obstetricante manu ejus eductus est Coluber tortuosus.* Et alio loco, *nunquid conjungere valebis micantes stellas Plejadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare?* ubi immota configuratio stellarum fixarum, paribus intervallis semper inter se distantiũ, elegantissime describitur. Idem alio loco, *qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & Interiora Austri.* Vbi iterum innuit depressionem antarctici poli, eamque designat nomine *interiorem Austri*, quia Australes stellæ nostro Hemisphærio non cernuntur. Circa generationem animalium: *Annon sicut lac mulsisti me, & sicut caseum coagulasti me?* &c. Circa rem metallicam, *habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur: ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore in æs vertitur.* Et sequentia in eodem capite.

Pariter & in persona Regis Salomonis videmus, donum sapientiæ, tum in petitione ipsius, tum in concessione divina, omnibus terrenæ & temporalis felicitatis bonis prælatum. Virtute cujus doni, & concessionis, Salomon egregie instructus, non solum scripsit insignes illas Parabolas, sive Aphorismos de divina atq; morali Philosophia; verum etiam composuit naturalem historiam omnium vegetabilium, *à cedro super montem, usque ad muscum super murum*, (quæ nihil est aliud, quã rudimentum plantæ putredinis & herbæ mediũ) omniumque etiam, quæ respirant, & moventur. Imo idem Rex Salomon, quamvis excelluerit opibus, magnificentia ædificiorum, classe, famulitio, nominis celebritate, & reliquis quæ ad gloriam pertinent, nihil tamen, ex ista gloriæ segete, sibi ipsi decerpit, aut assumit, præter decus inquirendi, & inveniendi veritatem. Sic enim diserte ait; *Gloria Dei est celare verbum, & gloria Regis investigare sermonem.* Ac si divina Majestas innoxio illo & benevolo puerorum ludo delectaretur, qui ideo se abscondunt, ut inveniantur: quasique etiã nihil esset honorificentius Regibus, quã Dei collusores esse in eodem ludo; præsertim cum tot ingeniis imperent, tantasque opes præsto habeant, quibus omnis secreti investigatio absolvi possit.

Nec vero aliter hæc dispensavit Deus, postquã Salvator noster in mundum venisset. Ille enim prius potentiam ostendit suam in profliganda ignorantia, ubi cũ doctoribus & sacerdotibus disseretet in Templo, quam in subjuganda natura, tot & tantis editis miraculis. Adventus quoque spiritus sancti præcipue adumbratus, atque expressus fuit in similitudine, ac dono linguarum, quæ sunt duntaxat *vehicula scientiæ.*

Ita in seligendis illis instrumentis, quæ adhibuit Deus ad fidem disseminandam, initio homines evocavit plane indoctos, & illiteratos, præterquã quod Spiritus Sancti afflatu instructi fuissent; quo evidentius virtutem suam immediatã & divinam declararet, omnemque humanam sapientiam deprimeret. Quamprimum autem consilium suum in hac parte perimpletum esset, mox in proxima successione temporum, divinam veritatem suam, aliis doctrinis veluti pedissequis comitatam, in mundum immisit. Itaque D. Pauli calamus, (qui inter Apostolos solus literatus fuit) in scripturis Novi Testamenti, præcipue à Deo adhibitus est.

Sic & novimus, complures ex antiquis Episcopis & patribus, egregie fuisse in omni Ethnicorũ eruditione versatos. Adeo ut edictum Juliani, quo cautum est, ne Christiani ad Scholas & Gymnasia mitterentur, perniciosior machina ad expugnandam fidem Christianam, quam cruentæ superiorum Imperatorum persecutiones, habitum fuerit. Neque Gregorij primi, Episcopi Romani (cætera viri egregij) æmulatio, & invidentia, qui Ethnicorum authorum & antiquitatum memoriã obliterare studebat, in bonam partem, etiam apud viros pios, accepta est. Quinimo sola Christiana Ecclesia, inter inundationes Scytharum à plagis Septentrionalibus, & Sarracenorum ab Orientalibus, pretiosas gentilis eruditionis reliquias, jam jam fundituùs perituras, sinu & gremio suo conservavit: Nuper etiam intueri licet Jesuitas, (qui partim studio proprio, partim ex æmulatione adversariorum, literis strenuè incubuerunt) quantum subsidij, virium que, Romanę Sedi reparandæ & stabiliendæ attulerint.

Quare ut absolvam hanc partem, duo sunt præcipua officia, & ministeria, præter ornatum, & illustrationẽ, quæ fideri religioniq; humaniores literæ persolvunt. Unum, quod efficacia sint incitamenta, ad divinam gloriam exaltandam, & celebrandam; sicut enim Psalmi, & aliæ scripturæ, crebro nos invitant ad contemplationem, prædicationemque magnificorum, & admirabilium operum Dei; ita, si tantum in eorum specie externa, sicut sensibus nostris se exhibent, hæreremus, eandem faceremus injuriam Majestati divinæ, ac si de opulentia, & copia nobilissimi Gemmarij, ex iis quæ palam exponuntur in pergula, judicaremus. Alterum, quod singulare remedium, antidotumque exhibeat Philosophia, contra infidelitatem & errores. Nam Salvator noster inquit, *Erratis, nescientes scripturas & potentiam Dei.* Ubi duos libros, ne in errores incidamus, proponit nobis evolvendos: primo volumen scripturarum, quæ voluntatem Dei, dein volumen creaturarum, quæ potentiam revelant: Quorum posterior veluti clavis est prioris, non solum intellectum nostrum aperiens, ad genui-

nam scripturarum mentem, ex generalibus regulis rationis, & legibus sermonis expromendam; Sed porro etiam præcipue fidem nostram referans, ut in seriam ingrediamur omnipotentiæ divinæ meditationem; cujus characteres maxime insculpti ejus operibus, & incisi sunt. Tantum de divinis testimoniis, ac judiciis, pro vera dignitate & pretio doctrinæ, dictum esto.

Quantum ad humana testimonia, & argumenta, tam latus aperitur campus, ut in tractatu hoc brevi, & presso, delectum potius adhibere deceat, quam copiam. Primo itaque summus apud Ethnicos honoris gradus fuit, divinam venerationem, cultumq; consequi: (Quod quidē Christianis est tanquam fructus vetitus:) Nunc vero loquimur separatim de judiciis humanis. Itaq; (ut cœpimus dicere) apud Ethnicos, ille quem Græci *Apotheosin*, Latini *Relationem inter Divos* vocarūt, supremus honor fuit, qui homini ab homine tribui posset: præsertim ubi non ex decreto, aut edicto aliquo imperij, (ut Cæsarib⁹ apud Romanos) sed ex opinione hominū, & fide interna, ultro deferretur. Cujus honoris tam excelsi, gradus quidā erat, & terminus medius. Quippe supra Humanos honores, Heroici numerabantur, & divini. In quorum distributione hunc ordinem tenuere veteres. Rerumpub. cōditores, Legislatores, Tyrannicidæ; Patres Patriæ, quiq; in rebus civilibus optime meruerunt, insigniti sunt titulo Heroum tantum, aut Semideorum, quales fuere *Theseus*, *Minos*, *Romulus*, cæterique: Ex altera parte, inventores & autores novarum artium, quique vitam humanam novis commodis & accessionibus dotarunt, semper consecrati sunt inter Deos ipsos majores; ℣ *Cereri*, *Baccho*, *Mercurio*, *Apollini*, & aliis contigit. Quod certè jure, & sano cum judicio factum est. Nam priorum benemerita intra unius ætatis, aut nationis limites, fere coërcentur, nec absimilia sunt imbribus tempestivis, & benignis, qui quamvis frugiferi sint, atque optabiles, tamen pro illa tempestate tantum, qua decidunt, atque pro amplitudine tractus terræ, quā irrigant, utiles sunt. Posteriorum vero beneficia, ut ipsius solis, & cœlestium munera, temporibus perpetua, locis infinita sunt. Illa rursus, cum contentione, & perturbatione, ut plurimum, conjuncta sunt; hæc habent verum characterem divinæ præsentiæ, veniuntque in *aura leni*, absque tumultu, aut strepitu.

Neque sane doctrinæ meritum in civilibus, & in reprimendis incommodis, quæ homo homini infert, multum cedit illi alteri, in sublevandis humanis necessitatibus, quæ ab ipsa natura imponūtur. Atque hoc genus meriti optime adumbratū fuit sub illa ficta narratione, de Theatro Orphei; ubi singulæ bestiæ, avesque congregatæ sunt, quæ appetitū suorum innatorum immemores, prædæ, ludis, pugnæ, amice placideq; una stetere, Citharæ concentu, & suavitate captæ. Cujus sonus ubi aut cessaret, aut majori sonitu obrueretur, omnes illico animantes ad ingenium redibāt. Qua in fabula eleganter describuntur ingenia, & mores hominum, qui variis, & indomitis cupiditatibus agitantur, lucri, libidinis, vindictæ; qui tamen quamdiu aures præbent præceptis & suasionibus religionis, legum, Magistrorum, in libris, sermonibus, & concionibus, eloquenter & suaviter modulantibus, tamdiu pacem colunt, & societatem; sin ista sileant, aut seditiones, & tumultus obstrepant, omnia dissiliunt, & in Anarchiam, atque confusionem relabuntur.

Sed enim hoc clarius cernitur, cum Reges ipsi, aut Magnates, aut Præfecti eruditione præditi sunt. Ut ut enim suis addictus nimium partibus videatur, qui dixit, *tum demum Resp. fore felices, cū aut Philosophi regnant, aut Reges philosophantur*; Hoc tamen experientia notum est, sub eruditis Principibus & custodibus Reipub. secula maxime felicia fuisse. Quamvis enim Reges ipsi suos habeant errores & vitia, affectibus scilicet & pravis consuetudinibus pro more cæterorum hominum obnoxi; tamen doctrinarum si accedat lumen; anticipatæ quædā notiones religionis, prudentiæ, honestatis, retinent eos, & ab omni præcipiti, & immedicabili excessu, & errore refrænant; autem semper vellentes, etiam cum Consiliarij, & Domestici silent. Quin Senatores ipsi, & Consiliarij, qui literis exculti sunt, solidioribus innituntur principiis, quam qui ab experientia tantum edocti sunt; illis ex longinquo prospicientibus pericula, & mature propulsantibus, cū isti tantum ex propinquo, & cominus sapiant, nihil videntes, nisi quod imminet, & tunc demum agilitate ingenij sui, se in ipso periculorum articulo expedire & eripere posse confidentes.

Quæ felicitas temporum sub eruditis Principibus (ut semper brevitati studeam, adhibens non nisi lectissima quæque exempla, & maxime illustria) precipue cernitur eo in seculo, quod à morte Domitiani Imperatoris, usque ad Imperium Cōmodi defluxit; successionem ex Principum eruditorū, aut certe eruditioni impense faventium, complectente; omniumque, si temporalia bona spectemus; quæ unquam vidit Roma, totius orbis tunc Epitome, lōge florentissimo. Idquod Domitiano, pridie ejus diei, quo interfectus est, in somnis præmonstratum erat. Quippe qui videre visus est, *Caput aureum sibi pone cervicem enatum esse*. Quod sane vaticinium aureis illis subsequentibus seculis adimpletum est. De quibus sigillatim, sed brevissime, verba faciam.

Nerva vir doctus fuit, Apollonij illius Pythagorei familiaris, & quasi discipulus, qui etiam fere expiravit in versu illo Homeri:

Telis Phœbe tuis lachrymas ulciscere nostras.

Trajanus non ipse quidem doctus, sed doctrinæ admirator, & erga literatos munificus, Bibliothecarum institutor, & in cujus aula (licet Imperatoris Bellicosi) Professores & Pædagogos gratiosissimos fuisse, memoriæ proditum est. *Adrianus* curiosissimus mortalium, & inexplebilis omnis varietatis & Secreti investigator. *Antonius* subtilis & quasi Scholasticus, unde etiam *Cymini sector* vocatus est. *Ex Divis Fratribus* autem *Lucius commodus*, molliori literarum genere eruditus. *Marcus* etiam cognomine ipso Philosophus. Hi Principes, ut doctissimi, ita & optimi fuerunt. *Nerva* clementissimus Imperator, quique, si nihil aliud, orbi *Trajanum* dedit. *Trajanus*, omnium qui imperarunt, & belli & pacis artibus maxime florens: Idem Imperij fines longissime protulit; Idem vim Dominationis

tionis modestissime cohibu't: Maximorum etiam extructor operum; unde à *Constantino, Parietaria* per invidiam vocatus est, propter nomen ejus tot parietibus incisum. *Adrianus* temporis ipsius æmulus: Injurias enim & ruinas tēporis, in quoquo genere cura & munificentia sua, reparavit. *Antonius* (ut etiam appellatus est) vir maxime *Pius*, nativa quadam & insita bonitate omnibus ordinibus gratus, cuiusq; regnum (licet haud breve) omnis calamitatis expers. *Lucius Commodus* fratri quidē bonitate cedens, reliquos Imperatores plurimos superans. *Marcus* vir ad exemplar virtutis cōpositus, cuiq; scurra ille, in convivio Deorū, nihil habuit, quod obiiceret. præter patientiā erga mores uxoris. In hac itaque continua sex Principum serie, videre cuivis liceat felicissimos fructus doctrinæ, in Imperio collocatæ, in maxima orbis terrarum Tabula depictos.

Iam vero doctrina, non in civilia tantum, atque artes pacis, influxum habet, sed & in militari virtute exercet vim suam ac potentiam, ut clare perspicitur in exemplis Alexandri Magni, & Cæsaris Dictatoris, quorū antea obiter meminimus, nunc vero ea paulo fusius retractabimus. Horum virtutes militares, & res in bello gestas, super vacaneū esset notare, aut recensere, cum in eo genere mūdi miracula extiterint: sed de amore ipsorum, & studio ergā literas, nec non in iisdem excellentia propria, non alienum erit, si pauca subiungamus. Educatus fuit Alexander, e doctusque ab Aristotele, (Philosopho certe magno) qui non nullos è libris suis Philosophicis ei nuncupavit: à latere illius nunquā discedebat Callisthenes, aliiq; pererudiri viri, qui castra sequebantur, & perpetui erant omniū eius itinerum & expeditionū comites quo autem pretio literas habuerit, haud pauca liquido demonstrant: Veluti invidia, qua dignam cēsuit Achillis fortunam, quod gestarum rerum, laudumq; suarum Homerum præconē invenerat: Indicium de pretiosa Darii arcula, inter reliqua spolia reperta, de qua cū quēstio moveretur, quidnā potissimum dignum esset, quod in ea asservaretur, ipse, cum alij alia dicerent, pro Homeri operibus sententiam tulit: Epistola obiurgatoria ad Aristotelem missa, postquam libros Physicorum edidisset, in qua expostulat, quod Philosophiæ Mysteria evulgasset, simulque rescribit, malle se omnibus doctrina & cognitione, quam potentia ac Imperio præcellere. Sunt & alia, quæ huc spectant. Ipse vero quam egregie animum excoluisset doctrina, in omnib⁹ eius dictis & responsis apparet, vel potius refulget, eruditione plenissimis, in quibus, licet numero pauca sint, quæ adhuc supersint, singularum scientiarum vestigia alte impressa reperias.

In Moralibus observetur primo Alexandri Apophthegma circa Diogenem, & adverte (si placet) si forte nō unum ex gravissimis quæstionib⁹ moralis Philosophiæ cōstituat: *Vtrum qui fruitur externis bonis, felicior sit, an qui contemnit?* cum n. Diogenem cerneret, tam parvo contentum, conversus ad circumstantes, qui eius conditionem subsannabant, *Nisi essem*, inquit, *Alexander, optarē esse Diogenes* At Seneca in hac comparatione Diogenem prætulit, cum diceret, *plus erat quod Diogenes nollet accipere, quam quod Alexander posset dare.*

In naturalibus observetur, illud, quod crebro usurpabat, *In duabus serebus mortalitatē suam maxime percipere, somno & libidine*: quod sane dictum ex intima naturali Philosophia depromptum est, non tam Alexandrum, quam Aristotelem, aut Democritum sapiens, cum tam indigentia, quam redundantia naturæ, per illa duo designata, mortis sint tanquam Arrhabones.

In Poëticis, observetur dictum illud, quum sangvine è vulneribus eius effluente, accerseret unū ex adulatoribus, qui ei Divinitatem tribuere solebat, *Specta*, inquit, *hominū iste sangvis est, non talis liquor, qualem dixit Homerus Venerē è manu manasse, vulnerata à Diomede*; hoc dicto & Poëtas, & assentatores suos & se ipsum ridens.

In Dialecticis, accipe reprehensionem illam argutiarum dialecticarum, circā reiicienda, & retorquenda argumenta, in dicto suo, quo perstrinxit cassandrum, delatores patris sui Antipatri repellentem. Cum enim Alexander forte dixisset. *Nunquid putas, hos homines tam longū iter suscepturos fuisse, nisi justam doloru causam habuissent?* Respondit Cassander, *Imo hoc ipsum animos eis dedit, quod sperabant longinquitatem viæ obstituram, quo minus calumnia proderetur. Euge*, inquit Rex, *Strophas Aristotelis, rēpro & cōtra detorquentes.* Attamē hac ipsa, quam in alio carpebat, arte, cum res postularet, in commodum suum uti probe noverat. Ita enim accidit, ut Callisthenes (quem odio clam habebat, quod novæ eius inter Divos relationi refragaretur,) in quodā convivio rogatus esset ab unā discumbentibus, ut oblectationis gratia (cum esset vir eloquentissimus) Thema aliquod pro arbitrio sibi sumeret, de quo subito diceret: ille autem annuens, & laudes gentis Macedonicæ eligens, mirifico cum omnium applausu disseruit: At neutiquam hoc delectatus Alexander, subiecit, *in bona causa, facile est cuilibet esse eloquenti: quin verte*, inquit *stylum, & quid contra nos possis, audiamus.* Callisthenes negotium in se recepit, idque tam acerbe, tamque aculeate præstitit, ut Alexander interpellans diceret, *Etiam malus animus, æque ac bona causa, indit eloquentiam.*

In Rhetoricis, ad quæ tropi & ornamenta pertinent, ecce tibi elegantissimū Metaphoræ usum, qua Antipatrum, imperiosum & tyrannicū Præsidē perstrinxit. Cum enim amicus quidā Antipatri laudaret eū coram Alexandro, quod tam moderatus esset, neq; in Persicum, prout alii Præfecti, luxum, usumq; purpuræ, veteri Macedoniæ amictu exuto, degeneraret, *At intus*, inquit Alexander, *Antipater est totus Purpureus.* Etiā & illa metaphora insignis: Cum Parmenio ad eum accederet, in Campis Arbellæ, eiq; ingentem hostium exercitū monstraret, qui oculis subjacens noctu, propter infinitum numerum ignium, veluti alterū firmamentum stellarum repræsentabat: ideoque consuleret, ut nocturno prælio illos invaderet, *Nolo*, inquit Alexander, *suffurari victoriam.*

In politicis, attende gravissimam illam, & prudentissimā distinctionem, (quā omnis posteritas amplexa est) qua duos ex præcipuis ejus amicis, Ephæstionem & Craterum discrevit, quum diceret, *Alterum Alexandrū amare, alterum amare Regē*: Dissimilitudinem maximi ponderis, etiam inter fidelissimos Regum servos constituens, quod ali

magi

magis Dominorum suorum personas vero affectu prosequantur, alij potius moveantur officio erga principatum ipsum. Spectetur etiam, quam eximie redargueret errorem, principum Consiliaris familiarem, qui plerumq; consilia, pro modulo sui animi, & fortunæ, nō Dominorum, suggerunt. Cum Darius magnas Alexandro offerret conditiones, Parmenio; *Ego*, inquit, *si essem Alexāder, acciperem*, Subjecit Alexander, *Et ego quidem, si essem Parmenio*. Postremo, excutiatur acre illud atque acutum responsum, ad amicos interrogantes, quid sibi reservaret, cum tot & tanta donaret? *Spem*, inquit: quippe qui probe sciret, subductis rationibus, spem veram esse sortem, & tanquam hæreditatem, ad magna aspirantium. Hæc Iulij Cæsaris sors, cum proficiscens in Galliam, universas opes exhausisset. Hæc profusis largitionibus etiam sors Henrici Ducis Guisii, Nobilissimi Principis, licet nimium ambitiosi, de quo illud increbuit, *Fœneratorem eum fuisse unum omnium Gallorum maximum, eo quod omnes opes in nominibus haberet, atque patrimonium universum in obligationes convertisset*. Cæterum admiratio hujus Principis, dum eum mihi, non ut Alexandrum Magnum, sed ut Aristotelis discipulum propono, longius fortasse me provexit.

Quantum ad Iulium Cæsarem, non est opus, ut de præstantia eruditionis ejus, aut ex educatione, aut ex familiaribus, aut ex responsis suis, conjecturam faciamus. Hæc siquidem eminet in ejus scriptis, & libris: quorum alij extant, alij infeliciter desiderantur. Primo enim hodie in manibus habetur insignis illa bellorum suorum historia, cui nomen & titulū Commentariorum duntaxat præfixit: In quo omnes posteri solidū rerū pōdus, & viva tam actionum quā personarū simulachra, cum castissima puritate sermonis, narrationisqne perspicuitate eximia, conjuncta admirantur: quas quidem dotes, non à natura infusas fuisse, sed à præceptis institutisque doctrinę acquisitas, testatur liber eius de *Analogia*: qui nihil aliud erat, quam Grammaticalis quædam Philosophia; in quo sedulo dedit operam, ut vox ad placitum, redderetur vox ad licitum; & consuetudo quoquo modo loquendi, ad congruitatem revocaretur emendate loquendi; & verba, quæ sunt rerum imagines, rebus ipsis convenirent, non vulgi prorsus arbitrium sequerentur.

Ita etiam veluti monumentum doctrinæ, non minus quā potentiæ, emendatam eius edicto habemus computationem anni; quæ diserte testatur, æq; eum gloriæ sibi duxisse, siderū in cœlis leges pernosse, ac hominibus in terris leges dedisse.

Ex libro quoque, cui titulum præposuit Anti-Cato, facile constat, eum tanto studio accensum ad victoriam ingenii, quanto belli & armorum, obtinendam, certamen calami tum suscipientem contra maximum eo tempore pugilem, Ciceronem Oratorem.

Rursus in libro Apophtegmatum, quæ collegit, videmus, honorificentius sibi putasse; si se ipsum tanquam in Tabellas aut Codicillos mutaret, in quos prudentia aliorum dicta, graviaque referrentur; quam si dicta sua propria, velut oracula sacrarentur, sicut inepti Principes nonnulli, adulatione corrupti, sibi fieri gestiunt. Attamen si recensere vellem pleraque ejus dicta, (ut feci in Alexandro) sunt ea certe hujusmodi, qualia notat Salomon, *Verba sapientum sunt tanquam aculei, & tanquam clavi in altum defixi*. Itaque tria hic tantum proponam, non tam elegantia, quam vi & efficacia mirabilia.

Primo igitur, Magister sit, oportet, loquendi, qui unico verbo seditionem in exercitu comprimere potuit. Sic autē se res habuit. Romanis mos fuit, cū exercitum duces alloquerentur, milites uti eos appellarent; cū Magistratus populū, Quirites. Tumultuabantur milites Cæsaris, ac missionem seditiose flagitabant; nō quod hoc ipsi cuperent, sed ut hoc postulato Cæsarem ad alias conditiones adigerent; ille immotus atque incōcussus silentio facto sic exorsus est: *Ego Quirites*: Quo verbo, eos jam dimissos significabat: Eo perculsi milites, & plane obstupefacti, concionantem deinceps perpetuo obturbabant, & postulato illo missionis posthabito, contra obnixe petebant, ut militum appellatio eis restitueretur.

Secundum fuit hujusmodi. Regis Nomē Cæsar summe affectabat: Itaque subornati sunt nōnulli, qui prætereuntem populari acclamatione Regē salutarent. Ille sentiens, acclamationem tenuem fuisse, ac raram; Negotiū joco transmisit, ac si erratum esset in cognomine, *Non Rex sum*, inquit, *sed Cæsar*. Dictum sane hujusmodi, ut si diligenter excutiatur, vigor ejus & pondus vix exprimi possit. Primum enim recusationem nominis præ se ferebat sed neutiquam seriam: Deinde ingentē quandam confidentiam, & magnanimitatē monstrabat: ac si Cæsaris appellatio, illustrior titulus esset, quam Regis; quod haud secus evenit, & usque in hodiernum diem obtinuit. Sed quod illius maxime intererat, hoc dictum, summo artificio, finem suū urgebat. Hoc enim innuebat, S.P.Q.R. de re levi, hoc est, nomine tantum, (nam potestatem Regiam jam pridem habebat) secum contēdere, ac tali nomine, quale complures etiam ex familijs obscuris gerebant: Nam cognomen Regis multis Romanorum gentilitium erat, quemadmodum & nos simile quiddam nostro idiomate habemus.

Ultimum quod hoc loco repetere placet, tale fuit. Cum Cæsar post bellum initum, Romam occupasset, atque sanctius Ærarium reclusisset, ut pecunias ibi congestas, in usus belli tolleret, restitit Metellus, utpote tunc tēporis Tribunus, cui Cæsar, *Si perstes*, inquit, *mortuus es*. Dein reprimens se paulum, subjecit, *Adolescens, durius est mihi hoc dicere, quam facere* Dictum tam mirifice, ex terrore & clementia conflatum, ut nihil supra.

Verum ut Cæsarem mittamus; Perspicuum est, eum probe sibi conscium suæ eximiæ eruditionis fuisse; ut liquet ex eo, quod demirantibus nonnullis Lucij Syllæ consilium, in deponenda Dictatura, cavillans dixit, *Sylla nescivit literas, dictare non potuit*.

Nunc autem tempus videtur imponendi finem huic dissertationi de arcta conjunctione militaris virtutis, & literariæ; (quid enim in hoc genere, post Alexandrum & Cæsarem afferri potest?) nisi quod moveor unius alterius exempli dignitate & insolentia, eo quod tā subito transierit à ludibrio ad miraculum. Est autem Xenophontis Philoso-

losophi, qui è Socratis ludo profectus est in Asiā, cum Cyro juniore, in expeditione contra Regem Artaxerxem. Hic Xenophon eo tēpore peradolescens fuit, & nunquam aciem, aut castra viderat, neq; tunc præfecturam aliquam in exercitu gerebat sed tantum sponte, ab amicitiā Proxeni, proficiscebatur. Aderat forte fortuna, cum Falinus à Magno Rege Legatus ad Græcos veniret, postquam Cyrus in acie occubuisset, Græci autē (Manipulus tantūmodo hominum) Duce orbati, in medio Provinciarum Persiæ, a patria sua, plurimorū milliariū intervallis, & fluminib⁹ maximis atq; altissimis interclusi essent. Legatio hæc spectabat, ut positis armis atque deditis, se Regiæ clementiæ submitterent. Cui legationi antequā publicæ responsum, complures ex exercitu familiariter cum Falino colloquebantur. Inter quos Xenophon ita forte locu⁹ est: Imo, inquit, *Faline, hæc duo tantum nobis jam supersunt, arma & virtus; igitur arma dedamus, cui usui (obsecro) nobis erit virtus?* at Falinus subridens, *Ne fallor*, inquit *Athenienses es (adolescēs) & philosophiæ incūbis atq; bellula sunt, quæ dicis, sed valde erras, si virtutē vestrā Regiis copiis parem esse arbitreris.* Ecce ludibrium, Sequitur miraculum. Novitius iste ex Schola, & Philosophus postquam omnes Duces & Præfecti proditione interempti essent, decem millia peditum Babylone in Græciam reduxit, per mediās Regis provincias, omnibus ejus copiis frustra obnitentibus: Quo facto stuporē inecit omnibus. Græcis autem ab eo tempore ingētes addidit animos, & spiritus ad Persarum Regnū invadendum, & subvertendum. Quod & mox cogitavit sane, & designavit Iason Thessalus, tentavit & inchoavit Agesilaus Spartanus; perfecit demum Alexander Macedo, omnes litterati, istius prævij egregio facinore incitati..

Pergamus ab Imperatoria, militariq; virtute, ad mortalem, & eam, quæ est hominum privatorum. Primo certissimum est illud Poëtæ:

Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Eruditio siquidem humanas mentes feritate atq; barbarie exuit. Veruntamen opus est, ut accentus sit in voce illa *fideliter*. Nam tumultuaria cognitio flectit potius in contrariū, eruditio inquam, levitatem, temeritatem, atq; insolentiam tollit, dum omnia pericula & ambigua simul cum reipsa suggerit; rationum & argumentorum pondera in utramq; partē liberat; prima quæq; quæ se offerunt animo, eiq; arrident, pro suspectis habet; iterq; omne tanquam exploratū inire docet. Eadem admirationem rerum vanam & nimiam evellit, radicem ipsam omnis infirmi consilij: quippe admiramur res, vel quia novæ sunt, vel quia magnæ. Quantū ad novitatem, nemo est qui litteras & rerum contemplationem penitus imbiberit, quin illud cordi impressum habeat. *Nil novi super terrā.* Neque n. puparū ludum, quisquam magnopere mirabitur, qui pone aulæa caput inserent, organa, quibus moventur & filamenta cernit. Quantum ad magnitudinem, quemadmodū Alexander Magnus, ingentibus præliis & victoriis in Asia assuetus, cū interdū acciperet è Græcia literas, de expeditionibus, & dimicationibus quibusdam illic factis, quæ plerumq; propter pontē aliquem aut Castellum, aut ad summū pro expugnatione oppidi alicujus suscipiebantur, dicere solebat, *videri sibi nunciū allatū de ranarum & murium pugna, de qua Homerus*: Sic certe, qui universitatem rerum, ejusque fabricam intueatur, illi terræ globus, cū hominibus superstantibus (si divinitatem animarum seponas) haud majus quidpiā videbitur: quam colliculis formicarum, quarum aliæ cum granis, aliæ cum ovis suis, alię vacuæ omnes hinc inde circa exiguum pulvisculi acervum, reptant & cursitant. Porro eruditio auferit, aut saltē minuit timorem mortis, atq; adversæ fortunæ quo nihil magis virtutibus moribusque officere solet. Si enim animus cujuspiā contēplatione mortalitatis & rerum naturæ corruptibilis imbutus fuerit, & intinctus, juxta cum Epicteto sentiet; qui, cum pridie exiens, mulierculam ob fractam ollam plorantem cerneret, postridie etiā exiens, aliam mortuum filium deflentem conspiceret, dixit: *Heri vidi fragilem frangi, hodie vidi mortalem mori.* Quare optime, & valde sapienter Virgilius, cognitionem causarum cum metus omnis profligatione copulavit, tanquam Concomitantia:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Quique metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumq; Acherontis avari.

Nimis longum esset singula percurrere remedia, quæ singulis animi morbis doctrina suppeditat; aliquando vitiosos humores expurgans, nonnūquam obstructiones aperiens, alias concoctionē juvans, alias appetitum excitans, non raro vulnera ejus & ulcera sanans, & similia. Quare concludam cum hoc quod videtur rationem habere totius, ita nimirum animum doctrinā disponere, & flectere, vt nunquam protinus acquiescat, & tanquam congeletur in defectibus suis, quin inciteat se semper progressumque spiret. Nescit illiteratus, quid sit in se descendere, aut secū inire rationes, aut quam svavis vita sit, quæ indies sentit se fieri meliorem; si qua forte virtutē præditus sit, eam venditabit scilicet, & vbiq; spectandam exponet, eaque utetur forsitan commode, quam tamen excolere, & augere negligit. Rursus, si quo vitio laborat, artem, atque industriā illud celandi atque occultandi, minime autem corrigendi, adhibebit; tanquam malus messor, qui perpetuo demetiit, falcem autem nunquam exacuit: literatus contra, non tantum utitur animo, virtutemq; exercet, sed continuo emendat se, & in virtute proficit. Imo ut in summa dicam, pro certo est, veritatem & bonitatem distingui tantum, sicut sigillum, & impressionem: nam veritas bonitatem signat: Et contra, vitiorum ac perturbationum procellæ, & erroris & falsitatis nubibus erumpunt.

A virtute transeamus ad potentiam & Imperiū & dispiciamus, si uspiam inveniatur tanta potentia, & Regnum, quanta eruditio hominis naturam investit & coronat. Videmus, dignitatem imperandi sequi dignitatem ejus, cui imperatur. Imperium in belluas, & pecora, quare bubulcorum aut opilionum, res vilis: Imperium in pueros, quale Ludimagistrorum, minus honorificum: Imperiū in mancipia, potius dedecori est, quam honori: Neque multo præstantius est Imperium Tyrannorum, in populū servilem, atque animis & generosa indole exu-

tum

rum. Vnde hoc semper manavit judicium, honores in liberis Monarchiis, aut Rebusp. suaviores esse, quam sub Tyrannis; quia Imperium honorificum magis supra volentes est, quam supra invitos, & coactos. Ideoque Virgilius, cum ex intimo artificio, inter humanos honores, longe vellet optimos expromere, quos Augusto Cæsari assignaret, in hæc ipsa verba loquitur.

——— Victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.

Ast Imperium scientiæ, longe celsius est quam Imperium in voluntatem, licet liberam, & non astrictam. Illa enim rationi, fidei & intellectui ipsi dominatur, qui est altissima pars animi, & voluntatem ipsam regit. Etenim nulla procul dubio terrena est potestas, quæ in spiritibus hominum, & animalibus, eorumque cogitationibus, & phantasiis, assensu quoque & fide, thronum, & quasi cathedram suam erigit, & collocat, præter doctrinam, & scientiam. Ac idcirco videmus detestabilem illam, & immensam delectationem, qua Hæresiarchæ, falsi Prophetæ, & impostores magni perfunduntur, & rapiuntur, postquā senserint, in fide & conscientiis hominum cœpisse se regnare: Tantam certe, ut qui eam semel degustaverit, nullis fere persecutiōnibus, aut tormentis adigi possit, ut hoc regno se abdicet. Sicut autem hoc illud est, quod in Apocalypsi dicitur, *Abyssus sive profunda Satanæ*; ita e contrario, justus & legitimus in animos hominum dominatus, veritatis ipsa evidentia, ac commendatione dulcissima stabilitus, sane quam proxime ad potestatis divinæ similitudinem accedit.

Quod ad fortunas & honores spectat, munificentia doctrinæ non sic regna integra & Resp. locupletat, & ditat, ut non hominum etiam privatorū fortunas & opes amplificet, & evehat. Vetus enim observatio est, Homerum pluribus suppeditasse victū, quam *Syllam, Cæsarem*, aut *Augustum*, licet tot congiaria, tot donativa, tot agrorū assignationes largiti sunt. Certe difficile dictu est, arma, an literæ plurium fortunas cōstituerint. Quin si de summa potestate loquamur, videmus, si arma, aut jus hæreditatis, Regnū contulerunt, at literarum sorti sæpius cessisse socerdotium, quod regni semper fuit rivale.

Rursus, si delectationem, jucunditatemque scientiæ intuearis, multum sane illa voluptates alias omnes exuperat. Quid enim? nū forte affectuum voluptates tanto intervallo oblectamēta sensuū, excedent, quanto voti assecutio felix, cantiunculam, aut cœnā: & non pari gradatione, intellectus voluptates, eas quæ sunt affectuū, transcendent? In cæteris oblectationibus sacietas est finitima, & postquam paulò inveteraverint, flos ipsarum & venustas marcescit: quo docemur, non illas liquidas revera voluptates, ac sinceras fuisse, sed umbras tantum, & fallacias voluptatum, nō tam qualitate sua, quam novitate jucundas: vnde & voluptuarij sæpius fiunt Monachi, & ambitiosorum principum senectus tristior fere est, & melancholia obsessa. Scientiæ autem non est satietas, verum & fruendi, & appetendi, perpetuo & subinde recurrens vicissitudo; ut necesse sit, hujus delectationis bonum, simplex esse, non ex accidente, aut cum fraude. Neque illa voluptas, quam depingit Lucretius, ultimum in animo locum sortitur;

Suave mari magno turbantibus æquora Ventis, &c.

Suave est spectaculum (inquit) *stantē aut ambulantem in littore, navem intueri tempestate in mari jactatam: suave itidem ex edita turri duas cernere acies concursantes in planitie; at nil dulcius est homini, quam mens per doctrinam, in arce veritatis collocata. unde aliorem errores & labores dispicere possit.*

Denique, ut mittamus vulgaria illa argumenta, quod per doctrinam scilicet, *homo homini in eo præstet, in quo ipse brutis*; quod ope doctrinæ ascendat homo intellectu usque ad cœlos, quo corpore non potest: & alia similia: cum eo concludamus bono hanc dissertationem de litterarum excellentia, ad quod humana natura ante omnia aspirat, hoc est, immortalitate, & æternitate. Huc enim spectant procreatio sobolis, nobilitatio familiæ, ædificia, fundationes, monumenta, fama, ac denique humanorum votorum summa. Atqui videmus, monumenta ingenij, & eruditionis, quantò diutius durent, quam ea, quæ opere & manu facta sunt. Annon Homeri Carmina, viginti quinque annorum centurias, & supra absq; unius syllabæ aut literæ jactura, duraverunt? Quo spatio innumera Palatia, Tēpla, Castella, Vrbes, collapsa sunt, aut diruta. Picturæ ac Statuæ Cyri, Alexandri, Cæsaris, imo Regum & Principum multo recentiorum, nullo jam sunt modo parabiles: Archetypa enim ipsa, jamdudum confecta vetustate perierunt; exempla autem indies primigenia similitudine mulctantur. At ingeniorum imagines perpetuo integræ manent in libris, nullis temporū injuriis obnoxiæ, vtpote quæ jugem renovationem recipere possunt: Quanquam nec imagines dici proprie possint, quia perpetuo generant quodammodo, seminaque sua in animos hominm spargunt, atque ætatibus subsequentibus infinitas actiones opinionesque suscitant & progignūt. Quod si navis inventum, res existimata tam nobilis & admirabilis fuerit, quæ opes mercesque hinc inde transportāt, Regiones locis disjunctissimas, participatione fructuum & commodorū consociat; quanto rectius literæ celebrari debent, quæ tanquam navis sulcantes Oceanum temporis, remotissima secula, ingeniorum & inventorum commercio & societate copulāt? Porro videmus, nonnullos Philosophorum, qui maxime immersi erant sensibus, minimeque divini, atque immortalitatem animæ præfracte negabāt; hoc tamen vi veritatis adactos concessisse, quoscunque motus & actus anima humana absque corporis organo præstare possit, eos etiam post mortem permanere probabile esse: quales nimirum erāt intellectus, minime autem affectuum motus. Adeo scilicet scientia immortalis visa est res illis, atq; incorruptibilis. Nos autem, quibus divina revelatio illuxit, conculcantes hæc rudimenta, atque offucias sensuum, novimus, non solum mentem, sed affectus perpurgatos, neque animam tantum, sed etiam corpus, ad immortalitatem assumptum iri suo tempore. Sed enim meminerint homines, & nunc, & alias ubi opus fuerit, me in probationibus de dignitate scientiæ, inde ab initio sejunxisse testimonia divina ab humanis; quam methodum constanter retinui, separatim utrumque explicans.

Quāvis vero hæc ita sint, nequaquā tamen hoc mihi sumo, neque me consequi posse confido, ut ulla

ulla causæ hujus pro doctrina peroratione, aut actione, judicia rescindam: vel *Æsopici Galli*, qui granum hordei gemmæ prætulit; vel *Midæ*, qui cũ arbiter factus esset inter Apollinem, Musarum, & Panem, ovium Præsidem, opulentiæ palmam detulit, vel *Paridis*, qui spreta sapientia, ac potentia, primas voluptati & amori dedit; vel *Agrippinæ*, eligentis, *Occidat matrem, modo imperet*, imperium licet cum conditione detestanda præoptantis; vel *Vlyssis, qui vetulam prætulit immortalitati*, typi certe eorum, qui consueta optimis præponunt: plurimaq; ejusmodi judicia popularia: Hæc enim antiquum obtinebunt: Verum & illud etiam manebit, cui innixa est semper doctrina tanquam firmissimo fundamento, quodque nunquam labefactari poterit, *Iustificata est sapientia à filiis suis.*

FRANCISCI BACONIS
DE VERULAMIO,
Vice-Comitis sancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER SECUNDUS,
Ad Regem suum.

CONsentaneum videri possit, tametsi non raro secus eveniat, (Rex optime, ut, qui Sobole numerosa aucti sunt, quique immortalitatem suam in posteris ipsorum quasi prospectant, præ cæteris mortalibus sint solliciti de statu futurorum temporum; utpote quibus satis intelligunt charissima illa sua tandem debere pignora transmitti. *Elizabetha Regina*, propter vitam cœlibem, hospes potius in mundo, quam incola fuit; sua quidem tempora ornavit, & in multis beavit. Enim vero tuæ Majestati, cui Deus pro benignitate sua dedit tot suscipere liberos, dignos certe qui te perpetuent, cujusque ætas vigens, & thorus fœcundus, adhuc plures pollicetur) usquequaque convenit, non modo tuum (quod facis) seculum irradiare; verum etiam ad illa curas tuas extendere, quæ memoria omnis alat, quæque ipsa intueatur æternitas. Inter ea autem (nisi studium meum erga literas me fallit) nil dignius est, aut nobilius, quam si dotetur Orbis terrarum *Augmentis Scientiarum* solidis & fructuosis. Quousque enim tandem pauculos aliquos Scriptores statuemus nobis tanquam *Columnas Herculis*, ne *plus ultra* in doctrinis progrediamur; cum habeamus Majestatem tuam, instar lucidi & benigni Sideris, quod nos inter navigandum conducat & fortunet?

Ut igitur ad rem redeamus: Recolamus jam, & nobiscum perpendamus, quid Principes Viri, aliique, hucusque ad literarum amplificationem attulerint, quid prætermiserint? Hoc autem precisè & distinctè excutiamus, sermone quodam Activo & Masculo, nusquam digrediendo, nil amplificando. Ponatur igitur illud, (quod quivis concedat) opera quæque maxima & difficillima, vel præmiorum amplitudine, vel consiliorum prudentia & sanitate, vel laborum conjunctione superari: Quorum primum, conatum extimulat, secundum ambages & errores tollit, tertium mortalium fragilitati succurrit. At inter hæc tria, merito primas tenet *Consilii prudentia & sanitas*: hoc est, Monstratio, & Delineatio viæ rectæ & proclivis, ad rem, quæ proponitur, peragendam. *Claudus enim*, (quod dici solet) *in via, antevertit Cursorem extra viam.* Et Salomon perappositè ad hanc rem: *Ferrum si retusum fuerit, viribus utendum majoribus: quod vero super omnia prævalet, est sapientia.* Quibus verbis innuit, medii prudentem electionem efficacius conducere ad rem, quam virium aut intentionem, aut accumulationem. Hæc ut dicam, illud impellit, quod (salvo semper eorum honore, qui de Litteris quomodocunque meruerunt) perspicio atque animadverto, opera eorum atque acta pleraque, ad magnificentiam potius, & nominis sui memoriam, quam ad Scientiarum ipsarum Profectum & Augmenta spectasse: & literatorum potius numerum auxisse, quam artibus ipsi multum incrementi attulisse.

Actiones autem & opera, quæ ad literas amplificandas pertinent, circa tria versantur objecta. Circa literarum sedes; circa libros; & circa personas eruditorum. Quemadmodum enim aqua, sive ex cœlesti rore descendens, sive ex fontibus scaturiens, facilè disperditur, nisi colligatur in aliqua receptacula, ubi per unionem & congregationem se sustentare & fovere possit, (quem in finẽ excogitavit solertia humana Aquæ ductus, Cysternas, Stagna, eaque etiam variis ornamentis cõdecoravit; quæ Magnificentiæ & Dignitati, non minus quam Usui & Necessitati deserviant) similiter liquor iste Scientiæ pretiosissimus, sive à Divina inspiratione destillet, sive è Sensibus exiliat, mox periret omnis, atque evanesceret, nisi conservaretur in Libris, Traditionibus, Colloquiis, ac præcipuè in Locis certis his rebus destinatis, quales sunt Academiæ, Collegia, Scholæ, ubi & permanentes habeat sedes, & crescendi insuper & se congregandi copiam, & facultatem.

Ac primo, Opera, quæ ad *Musarum sedes* spectant, quatuor numerantur: Ædificiorum structura; Proventuum Dotatio; Privilegiorum Concessio; Disciplinæ Lex & institutio; Quæ omnia ad secessum & otium (ut plurimum) conferunt, & ad vacationem à curis & molestiis: qualia sunt quæ ad Alvearia constituenda, in usum mellis, requirit Virgilius;

Principio sedes apibus statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus, &c.

At Opera circa *Libros* duo sunt præcipua. Primum Bibliothecæ, in quibus tanquam Mausoleis, priscorum Sanctorum reliquiæ, virtutis plenæ, conditæ sunt. Secundo, novæ editiones Auctorũ, emendatioribus impressionibus, fidelioribus versionibus, utilioribus commentariis, annotationibus magis diligentibus, & hujusmodi famulitio, instructæ & ornatæ.

Porro opera, quæ *Literatorum hominum Personas* respiciunt, (præterquam quod ipsi ornandi sint & promovendi) sunt etiam duo: Remuneratio & designatio Lectorum, in artibus jam dudum inventis, & cognitis; & remuneratio ac designatio scriptorum, circa eas doctrinæ partes, quæ non satis hactenus excultæ aut elaboratæ sunt.

Hæc summatim opera sunt & acta, in quibus inclytorum Principum, aliorumque illustrium virorum promerita, erga rem literariam claruerunt. De particulari alicujus commemoratione, qui de Literis bene meruit, cogitanti, occurrit illud Ciceronis, quod eum, post reditum suum, ad gratias promiscue agendas impulit; *Difficile, non aliquem ingratum quenquam præterire.* Potius (ex scripturarum consilio) spatium intueamur, quod adhuc restat in stadio decurrendum, quam oculos reflectamus ad ea, quæ à tergo jam pridem reliquimus.

Primum igitur, inter tot totius Europæ Collegia, præclarissime fundata, omnia illa certis Professionibus destinata esse demitor. nulla liberis atque universalibus artium & scientiarum studiis dedicata. Nam si quis judicet, Doctrinam omnem referendam esse ad Usum & Actionem; recte sapit: Veruntamen facile est, isto modo prolabi in errorem illum, quem Fabula perantiqua perstringit; in qua cætera Corporis Membra litem Ventriculo intenderunt, quod neque motũ præberet, ut artus, neque sensum, ut caput: quamvis interea alimentum coctum atque confectum ventriculus ille in reliquum corpus divideret: Plane eodem modo, qui in Philosophia ac Contemplationibus universalibus positum omne studium, inane atque ignavum arbitratur, non animadvertit, singulis Professionibus, & Artibus exinde succum & robur suppeditari. Atque certe persuasum habeo, hanc ipsam haud minimam causam fuisse, cur felicior Doctrinæ progressus hucusque retardatus sit; quod opera hisce fundamentalibus scientiis navata sit tantum in transitu, neque haustus pleniores inde epoti. Nam si arborẽ solito fructuosiorem fieri cupias, de ramis medicandis frustra cogitaveris; Terra ipsa circa radicem subigenda, & gleba lætior admovenda, aut nihil egeris. Neque rursus silentio prætermittendum est, hanc Collegiorũ & societatum, in usum tantummodo Doctrinæ Professoriæ, Dedicationem, non solum scientiarum incrementis inimicam fuisse; sed etiam in Regnorum & Rerumpubl. detrimentum cessisse. Hinc enim fieri solet, ut Principes delectum habituri ministrorum, qui Rebus civilibus tractandis sint idonei; ejusmodi hominum miram solitudinem circa se reperiant; propterea quod non habeatur Educatio aliqua Collegiata, in hos usus destinata, ubi scilicet homines à Natura ad hoc facti & comparati, (præter artes alias) Historiæ, linguis modernis, libris & tractatibus Politicis, præcipue incumbant: ut inde ad civilia munera magis habiles & instructi accedant.

Quoniam vero Fundatores Collegiorum *plantant*, Prælectionem vero *rigant*; sequitur jam ordine, ut dicam quid in publicis Lectionibus desideretur: Nimirum, Improbo vel maxime tenuitatem Stipendiorũ, Prælectoribus sive Artiũ, sive Professionum, (præsertim apud nos) assignatam. Interest enim imprimis progressui in Scientiis, ut Lectores in unoquoque genere ex optimis instructissimisque eligantur; utpote quorum opera, non in usum transitoriũ; sed ad sufficiendã Sobolem Scientiæ, in secula adhibeatur. id fieri nequit, nisi præmia & conditiones tales constituantur, quibus eminentissimus quisque in ea Arte plane contentus esse possit; ut illi demum grave nõ sit in eodem munere immori, neque Practicam cogitet. Quocirca Scientiæ ut floreant, Militaris lex servanda Davidis; *Vt æqua esset pars descendentis ad præliũ, & manentis ad sarcinas.* Sarcinis male aliter prospectum erit. Sic Lectores in Scientiis sunt tanquam Conservatores & Custodes totius Literarij apparatus, unde praxis & militia deinceps scientiarum instruatur: proinde æquum est, ut merces ipsorum lucra Practicorum exæquare possit. Aliter si patribus scientiarum præmia non constituantur satis ampla, & luculenta, evenier illud:

Et patrum invalidi referent jejunia Nati:

Defectum nunc notabo alium, in quo Alchymista quispiam in auxilium advocandus foret; cum id genus hominum Studiosis authores sint, ut libros vendant, fornaces extruant, Minervam ac Musas (tanquam virgines sterriles) deserant, ac Vulcano se applicent. Fatendum est enim vero, tam ad penetralia contemplationis, quam ad operativæ fructum, in nonnullis scientiis (præsertim naturali Philosophia, & Medicina) haud unica subsidia è libris petenda esse. Quamvis re neutiquam omnino cessavit munificentia hominum; quippe videmus, non Libros magis, quam Sphæras, Globos, Astrolabia, Mappas, & alia similia, ut adminicula quædam Astronomiæ, & Cosmographiæ, comparari, & studio præberi. Videmus etiam, loca nonnulla, Medicinæ studio dicata, hortos habere pro simplicium cujusque generis inspectione, & notitia; nec usu mortuorum corporum ad observationes Anatomicas destitui. Cæterum hæc ad pauca spectant. In genere, pro certo habeatur, magnos, in rebus naturæ abditis eruendis & referendis, progressus vix fieri posse, nisi ad experimenta, sive Vulcani, sive Dædali, (fornacis scilicet, aut machinæ,) vel cujuscunque alterius generis, sumptus abunde suppeditentur. Ideoque sicut principum secretariis, & emissariis, conceditur exhibere rationes expensarum pro diligentiis suis, in explorando & eruendo res novas & arcana civilia; similiter & exploratoribus, ac speculatoribus naturæ, satisfaciendum de expensis suis; alias de quamplurimis nunquam fiemus certiores. *Si* enim Alexander magnam vim pecuniæ suppeditavit Aristoteli, qua conduceret venatores, aucupes, piscatores, & alios, quo instructior accederet ad conscribendam historiam animalium; certe majus quiddam debetur iis, qui non in saltibus naturæ pererrant, sed in Labyrinthis artium viam sibi petiunt.

Defe-

Defectus etiamnum alius nobis observandus, (magni certe momenti,) Neglectus quidam est, in Academiarum Rectoribus, consultationis; in Regibus sive superioribus, visitationis; in hunc finem, ut diligenter consideretur, & perpendatur, utrum prælectiones, disputationes, aliaque exercitia scholastica, antiquitus instituta, & ad nostra usque tempora usitata, continuare fuerit ex usu, vel potius antiquare, aliaque meliora substituere. Etenim inter Majestatis tuæ Canones prudentissimos, illum reperio. *In omni vel consuetudine, vel exemplo, tempora spectanda sunt, quando primum res cœpta: inquibus si vel confusio regnaverit, vel inscitia, derogat illud inprimis authoritati rerum, atque omnia reddit suspecta.* Quamobrem, quandoquidem Academiarum instituta plerumque originem traxerint à temporibus hisce nostris haud paulo obscurioribus, & indoctioribus: eo magis convenit, ut examini denuo subjiciantur. Exemplum in hoc genere, unum aut alterum proponam, in rebus quæ maximè obviæ videntur & familiares. Pro more receptum est (licet, uti mihi videtur, perperam) ut literarum studiosi Logicam, & Rhetoricam, præpropere nimis addiscant; artes sane provectioribus magis convenientes, quam pueris, & tironibus. Etenim hæ duæ, si vere res perpendatur, sunt ex artibus gravissimis; cum sint *artes artium*, altera ad judicium, altera ad ornatum. Quin etiam regulam & normam continent, res & materiam subjectam vel disponendi, vel illustrandi. Ideoque id agere, ut mentes rerum ignaræ, & rudens, (quæque nondum id collegerunt, quod à Cicerone *Sylva* vel *Supellex* appellatur, id est, materiem, & copiam rerum,) initium ab istis scientiis sumant; (ac si quis discere vellet ponderare, vel metiri, vel ornate ventum:) haud aliud profecto parit, quam ut harum artium virtus & facultas (quæ permagnæ sunt, & latissimè diffusæ) fere contemptæ jaceant, atque vel in puerilia sophismata affectationesque ridiculas degenerent, vel saltem existimatione sua haud parum mulctatæ sint. Quinetiam præmatura & intempestiva ad has artes accessio dilutam earum atq; jejunam traditionem ac tractationem necessario secum traxit, qualis nimirum captui puerorum adaptetur. Alterum exemplum (quod adducam) erroris, qui in Academiis jam diu inveteravit, eiusmodi est; quod scilicet inventionis, atque memoriæ, in exercitiis scholasticis, fieri solet nimio plus noxium divortium: Illic siquidem oratio onespletæque, aut omnino præmeditatæ sunt, adeo ut conceptis verbis proferantur, & inventioni nihil relinquatur; aut plane extemporariæ, ut perparum relinquatur memoriæ: (cum in vita communi, & praxi, rarus sit alterutrius istorum usus seorsim, sed potius mixturæ ipsorum; id est, Notarum sive Commentariorum, atque dictionis subitæ) ita ut hoc pacto exercitia ad praxim haud sint accommodata, nec imago respondeat vitæ. Illud autem in exercitiis perpetuo tenendum est; ut omnia (quam fieri potest) maximè repræsentent ea, quæ in vita agi solent; alioqui motus & facultates mentis pervertent, non præparabunt. Huius autem rei veritas non obscurè cernitur, cum Academici ad praxim suarum Professionum, vel alta ciuilis vitæ munia se accingunt: quod cum faciunt, hunc; de quo loquimur, defectum, ipsi in se cito deprehendunt; sed citius etiamnum alii. Cæterum hanc partem, de institutorum Academicorum emendatione, clausula illa (ex Cæsaris quadam ad Oppium & Balbum Epistola desumpta) concludam; *Hoc quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem veniunt, & multa reperiri possunt: de iis rebus rogo vos, ut cogitationem suscipiatis.*

Alter defectus, quem observo, altius paulo quam præcedens ascendit. Quemadmodum enim doctrinarum progressio, haud parum in prudenti regimine & institutione Academiarum singularum consistit; ita magnus ad hoc cumulus accedere possit, si Academiæ universæ, per totam Europam sparsæ, arctiorem conjunctionem & necessitudinem contraherent. Sunt enim, uti videmus, multi ordines, & sodalitia, quæ licet regnis & spatiis longinquis disjuncta sint, tamen societatem & tanquam fraternitatem inter se ineunt, & colunt; adeo ut habeant præfectos (alios provinciales, alios generales,) quibus omnes parent. Et certe, quemadmodum natura creat fraternitatem in familiis; artes mechanicæ contrahunt fraternitatem in sodalitiis; unctio divina super inducit fraternitatem in Regibus, & Episcopis; vota & regulæ conciliant fraternitatem in ordinibus: eodem modo fieri non potest, quin intercedat fraternitas illustris & generosa, inter homines, per doctrinas & illuminationes, quandoquidem Deus ipse *Pater hominum* nuncupatur.

Postremo illud queror, (de quo superius nonnihil præmisi) quod vel nunquam, vel raro admodum, publica aliqua extiterit designatio virorum idoneorum, qui vel scriberent, vel inquisitionem instituerent, de illis scientiarum partibus, in quibus satis adhuc non fuerit elaboratum. Cui rei illud inserviet quam maxime, si tanquam lustrum condatur doctrinarum, & census excipiatur, quæ ex illis locupletes sint, & majorem in modum auctæ, quæ autem inopes, & destitutæ. Opinio enim copiæ, inter causas inopiæ est; atque multitudo librorum luxuriæ potius quam penuriæ indicium quoddam præ se fert. Quæ tamen redundantia (si quis recte judicet) neutiquam delendis ante hac scriptis libris, sed novis melioribus edendis tolli debet, qui eius generis sint, ut, tanquam *serpens Mosis, serpentes Magorum* devorent.

Horum, quos enumeravimus, omnium defectuum remedia, præter illius postremi, quin etiam eiusdem postremi, quoad partem eius activam, quæ spectat ad designationem scribentium, opera sunt verè Basilica: Erga quæ, privati alicuius conatus, & industria, fere sic se habeat, ut Mercurius in Bivio: qui digitum potest in viam intendere, pedem inferre non potest. At speculativa illa pars, quæ ad examen doctrinarum (quid nimirum in singulis desideretur) pertinet, etiam industriæ hominis privati patet. Mihi igitur in animo est, perambulationem doctrinarum, & lustrationem generalem & fidelem aggredi, præcipuè cum inquisitione sedula & accurata, quænam earum partes neglectæ inculteque jaceant, hominum industria nondum subactæ, & ad usum conversæ; ut huiusmodi delineatio, & registratio, & publicis designationibus, & privatorum spontaneis laboribus facem accendat. In quo nihilominus consilium est,

hoc tempore omissiones duntaxat & *desiderata* notare: non autem errores & infelicitates redarguere. Aliud enim est inculta loca indicare, aliud culturæ modum corrigere.

Quam quidem ad rem, cum me comparo, & accingor, non sum nescius, quantum opus moveam, quamque difficilem provinciam sustineam, etiam quam sint vires minime voluntati pares: attamen magnam in spem venio, si ardentior meus erga literas amor me longius provexerit, usurum me excusatione affectus; quia non simul cuiquam conceditur, *Amare & Sapere*. Nescius equidem non sum, eandem judicii libertatem aliis relinquendam, quam ipse usurpaverim. Equidem libenter æque acceperim ab aliis, ac impertiverim humanitatis illud officium: *Nam qui erranti comiter monstrat viam*, &c. Prospicio etiam animo, complura ex illis, quæ tanquam omissa, & desiderata, in Registrum hoc nostrum referre visum fuerit, in diversas censuras incursura: *Alia* scilicet quod sint dudum peracta, & jam extent: *Alia* quod curiositatem sapiant, & fructum promittant perexilem: *Alia* quod nimis ardua existant, & ferè impossibilia quæ ab hominibus absolvantur. *Ad* priora duo quod attinet, res ipsæ pro se causam agent: circa postremum de impossibilitate ita statuo; Ea omnia possibilia, & præstabilia censenda, quæ ab aliquibus perfici possint, licet non à quibusvis; Et quæ à multis conjunctim, licet non ab uno; Et quæ in successione seculorum, licet non eodem ævo, Et denique quæ publica cura & sumptu, licet non opibus & industria singulorum. Si quis tamen sit, qui malit Salomonis illud usurpare, *Dicit piger, Leo est in via*, quam illud Virgilii, *Possunt, quia posse videntur*: satis mihi erit, si labores mei, inter vota tantum sive optata melioris notæ habeantur. Sicut enim haud omnino rei imperitum esse oportet, qui quæstionem apposite instituat, ita nec sensus inops videatur, qui haud quaquam absurda optaverit.

CAP. I.

Partitio universalis Doctrinæ humanæ, in Historiam, Poësim, Philosophiam, *secundum tres Intellectus Facultates*, Memoriam, Phantasiam, Rationem: *quoque eadem partitio competit etiam* Theologicis.

PArtitio *Doctrinæ humanæ* est ea verissima, quæ sumitur ex triplici Facultate *Animæ* Rationalis, quæ Doctrinæ sedes est. *Historia* ad *Memoriam* refertur, *Poësis* ad *Phantasiam*, *Philosophia* ad *Rationem*. Per *Poësim* autem, hoc loco intelligimus non aliud, quam historiam confictam, sive fabulas. Carmen enim styli quidam character est, atque ad artificia orationis pertinet, de quo suo loco.

Historia proprie individuorum est, quæ circumscribuntur loco & tempore. Etsi etiam historia naturalis circa species versari videatur, tamen hoc fit ob promiscuam rerum naturalium, (in plurimis) sub una specie, similitudinem; ut si unam noris, omnes noris. Sicubi autem individua reperiantur, quæ aut unica sunt in sua specie, veluti Sol & Luna, aut à specie insigniter deflectunt, ut monstra, non minus rectè constituitur narratio de illis in historia civili. Hæc autem omnia ad *Memoriam* spectant.

Poësis, eo sensu quo dictum est, etiam individuorum est; confictorum ad similitudinem illorum, quæ in historia vera memorantur; ita tamen ut modum sæpius excedat, &, in rerum natura nunquam conventura aut eventura fuissent, ad libitum componat, & introducat; quemadmodum facit & Pictoria. Quod quidem *Panthasia* opus est.

Philosophia individua dimittit, neque impressiones primas individuorum, sed notiones ab illis abstractas complectitur, atq; in iis componendis, & dividendis, ex lege naturæ, & rerum ipsarum evidentia, versatur. Atque hoc prorsus officium est atque opificium *Rationis*.

Hæc autem ita se habere, si quis intellectualium origines petat, facilè cernet. Individua sola sensum percellunt, qui intellectus janua est. Individuorum imagines, sive impressiones à sensu exceptæ, figuntur in memoria, atque abeunt in eam, à principio tanquam integræ, eodem quo occurrunt modo: Eas postea recolit, & ruminat anima humana; Quas deinceps aut *simpliciter recenset*; aut *lusu quodam imitatur*; aut *componendo & dividendo digerit*. Itaque liquido constat, ex tribus his fontibus, *Memoria*, *Phantasia*, & *Rationis*, esse tres illas emanationes, *Poëseos*, & *Philosophiæ*; nec alias, aut plures esse posse. Etenim historiam & experientiam pro eadem re habemus; quemadmodum etiam Philosophiam & scientias.

Neque alia censemus ad *Theologica*, partitione opus esse. Differunt certè informationes oraculi & sensus, & re, & modo insinuandi: sed spiritus humanus unus est, ejusque Arculæ & Cellæ eædem. Fit itaque, ac si diversi liquores, atque per diversa infundibula, in unum atque idem vas recipiantur. Quare & *Theologia*, ut ex *Historia sacra* constat; aut ex *Parabolis*, quæ instar divinæ *Poëseos* sunt; aut ex *Præceptis & dogmatibus*, tanquam perenni quadam *Philosophia*. Quod enim ad eam partem pertinet, quæ redundare videtur, *Prophetiam* videlicet, ea *Historiæ* genus est: quando quidem Historia Divina ea polleat supra humanam Prærogativa, ut Narratio factum præcedere non minus, quam sequi possit.

CAP. II.

Partitio Historiæ *in* Naturalem & Civilem, Ecclesiastica & Literaria *sub* Civili *comprehensa*. *Partitio* Historiæ Naturalis *in* Historiam Generationum, Præter. Generationum & Artium.

HIstoria aut *Naturalis* est, aut *Civilis*. In *Naturali*, Naturæ res gestæ, & facinora memorantur; in *Civili*, hominum. Elucent procul dubio *Divinæ* in utrisque, sed magis in *Civilibus*, ut etiam propriam *Historiæ* speciem constituant, quam *Sacram* aut *Ecclesiasticam* appellare consuevimus. Nobis vero etiam ea videtur *Literarum* & *Artium* dignitas, ut iis *Historia* propria seorsum attribui debeat; quam sub *Historia civili* (quemadmodum & *Ecclesiasticam*) comprehendi intelligimus.

Partitionem *Historiæ Naturalis* moliemur ex *statu* & conditione ipsius Naturæ, quæ in triplici statu posita invenitur, & tanquam regimen trinum subit. Aut enim libera est natura, & cursu consueto se explicans, ut in cœlis, animalibus, plantis, & universo naturæ apparatu; aut à pravitatibus, & insolentiis materiæ contumacis, & ab impedimentorum violentia, de statu suo detruditur,

tur, ut in Monstris; aut denique ab arte & opera humana constringitur, & fingitur, & tanquam novatur, ut in artificialibus. Sic itaque partitio *Historiæ Naturalis*, *in Historiam Generationum; Præter Generationum; & Artium*; Quam postremam etiam *Mechanicam* & *Experimentalem* appellare consuevimus. Harum prima *libertatem naturæ* tractat, secunda *errores*, tertia *vincula*. Libenter autem *historiam artium*, ut historiæ naturalis speciem constituimus: quia inveteravit prorsus opinio, ac si aliud quippiam esset ars à natura, artificialia à naturalibus: unde illud malum, quod plerique historiæ naturalis scriptores, perfunctos se putent, si historiam animalium, aut plantarum, aut mineralium confecerint, omissis artium mechanicarum experimentis. Sed & illabitur etiam animis hominum aliud subtilius malum; nempe, utars censeatur solummodo tanquam additamentum quoddam naturæ, cujus scilicet ea sit vis, ut naturam (sane) vel inchoatam perficere, vel in deterius vergentem emendare, vel impeditam liberare; minime vero penitus vertere, transmutare, aut in imis concutere possit. Quod ipsum rebus humanis præproperam desperationem intulit. At contra, illud animis hominum penitus insidere debuerat; artificialia à naturalibus, non forma, aut essentia, sed efficiente solummodo differre; homini quippe in naturam, nullius rei potestatem esse, præterquam motus, ut scilicet corpora naturalia aut admoveat, aut amoveat. Ubi igitur datur admotio corporum naturalium, aut remotio, conjungendo (ut vocant) activa passivis, omnia potest homo; ubi non datur, nihil: Neque interest, si res ponantur in ordine ad aliquem effectum, utrum hoc fiat per hominem, vel absque homine, Aurum aliquando excoquitur igne, aliquando in arenulis purum inveniturr, ministrante sibi ipsi natura: Iris similiter fit ex nube rosida in sublimi; fit etiam per aspersionem aquæ, hic apud nos. Itaque natura omnia regit: subordinantur autem illa tria; *cursus naturæ; expatiatio naturæ*; & *ars*, sive additus rebus *homo*: Ideoque in historia naturali, tria illa comprehendi par est; quod etiam C. Plinius magna ex parte fecit; qui historiam naturalem solus pro dignitate complexus est, sed complexam, minime, ut decuit, imo potius indignis modis tractavit.

Harum prima habetur mediocriter exculta: Sequentes duæ ita tenuiter, & inutiliter tractantur, ut in *desideratorum* classe reponendæ sint. Neque enim reperias satis instructam, & locupletem collectionem operũ naturæ eorum, quæ à cursu ordinario generationum, productionum, & motuum aberrarunt, & deflexerunt: sive sint illa fœtus certarum regionum aut locorum singulares: sive temporum eventus insoliti: sive *casuum* (ut ait ille) *ingenia*: sive proprietatum abditarũ effectus: sive monodica naturæ in sua specie. Non negaverim, inveniri libros nimio plures, fabulosis experimentis, commentitiis secretis, & frivolis imposturis, ad voluptatem, & novitatem, refertos: Cæterum narrationem gravem & severam de Heteroclitis & mirabilibus naturæ, diligenter examinatam, ac fideliter descriptam, non, inquam, invenio: præsertim cum debita rejectione, & publica tanquam proscriptione mendaciorum, & fabularum, quæ invaluerunt. Nam ut res se nunc habet, si forte mendacia aliqua circa res naturales obtinuerint, & celebrata sint (sive quod tantum possit reverentia antiquitatis, sive quod illa denuo examini subjicere sit molestum, sive quod mirifica scilicet ornamenta putantur orationis, propter similitudines & comparationes) nunquam postea exterminantur, aut retractantur.

Finis hujusmodi operis, quod exemplo suo decoravit Aristoteles, nil minus est, quam ut curiosis & inanibus ingeniis gratificetur, sicut faciunt mirabilarii, & prodigiastri: Verum duas ob causas, utramque seriam & gravem; unam, ut axiomatum corrigatur iniquitas, quæ plerunq; in exemplis tritis & vulgatis fundamentum habent: Alteram, quod à miraculis naturæ, ad miracula artis expeditus sit transitus & pervius. Neque enim huic rei plus inest negotii, præterquam ut naturę vestigia persequaris sagaciter, cum ipsa sponte aberret: ut hoc pacto postea cum tibi libuerit, eam eodem loci deducere & compellere possis. Neq; vero præceperim, ut ex historia ista mirabilium, superstitiosæ narrationes de maleficiis, fascinationibus, incantationibus, somniis, divinationibus, & similibus, prorsus excludantur, ubi de facto & re gesta liquido constet. Nondum etiam innotuit, quibus in rebus, & quousque effectus superstitioni attributi, ex causis naturalibus participent. Ideoque licet hujusmodi artium usum & praxim, merito damnandam censeamus, tamen è speculatione, & consideratione ipsarum (si strenuè excutiantur) notitiam haud inutilem consequemur, non solum ad delicta, in hoc genere reorum, rite dijudicanda; sed etiam ad naturæ secreta ulterius rimanda. Neque certe hæsitandum de ingressu & penetratione intra hujusmodi antra, & recessu, si quis sibi unicam veritatis inquisitionem proponat; quod & Majestas tua exemplo proprio confirmavit. Tu enim duobus illis clarissimis religionis ac naturalis Philosophiæ oculis, tales umbras prudenter ac perspicaciter perlustrasti, ut te Soli simillimum probaveris, qui polluta loca ingreditur, nec tamen inquinatur. Cæterum illud monuerim, narrationes istas cum superstitiosis conjunctas, seorsum componi, neque cum puris & sinceris naturalibus commisceri oportere. Quod vero ad narrationes attinet, circa prodigia & miracula religionum; illa certe aut non utique vera sunt, aut nulla ex parte naturalia; ideoque ad *historiam naturalem* non pertinent.

Quantum ad *Historiam naturæ subactæ*, & *factitiæ*, quam *mechanicam* appellare solemus; invenio sane collectiones quasdam de agricultura, etiam de artibus compluribus mechanicis; sed, quod potissimum est in hoc genere, semper negliguntur & rejiciuntur experimenta, in artibus singulis familiaria & vulgata; quæ tamen ad interpretationem naturæ, æque aut plus faciunt, quam minus trita. Nam labes quædam literis aspergi videatur, si forte viri docti se submittant inquisitioni, aut observationi rerum mechanicarum, nisi fuerit earum, quæ pro arcanis artis, aut pro rebus admodum raris, aut subtilibus reputentur. Quod tam inanis ac superciliosæ arrogantiæ

vitium, merito irrisit Plato, quando Hippiam Sophistam jactabundum inducit cum Socrate disputantem, sincero & solido veritatis investigatore: Qui, cum de pulchritudine sermo institutus esset, pro vago suo & soluto disputandi more, primum intulit exemplum virginis pulchræ, dein equæ pulchræ, postremo ollæ fictilis pulchræ, & affabrè factæ: Hoc ultimo exemplo Hippias commotus, dixit: *Stomacharer certe, (nisi humanitatis ratio me eo adigeret,) cum quoquam disputare, qui exempla tam vilia & sordida allegaret.* Cui Socrates, *Te quidem ita decet, cum tam nitidis sis amictus vestibus, & pulchris calceis*: & alia per Ironiam. Enimvero, illud pro certo asseri possit, grandia exempla haud optimam aut tutissimam afferre informationem. Id quod exprimitur non insulse in pervulgata illa fabula de Philosopho: qui cum stellas sublatis oculis intueretur, incidit in aquam: Nam si oculos demisisset, stellas illico in aqua videre potuisset: verum suspiciens in cœlum, aquam in stellis videre non potuit. Eodem modo sæpe accidit, ut res minutæ & humiles, plus conferant ad notitiam grandium, quam grandes ad notitiam minutarũ. Bene siquidem notavit Aristoteles, *Cujusque rei naturam in portionibus ejus minimis optime cerni.* Quam ob causam, Reip. naturam perscrutatur primo in familia, & in simplicissimis combinationibus societatis, (mariti scilicet & uxoris, parentum & liberorum, Domini & Servi,) quæ in quolibet tuguriolo occurrunt. Simili plane ratione natura hujusce magnæ civitatis, (universitatis nimirum rerum,) ejusque dispensatio, in prima quaque symbolizatione, & minimis rerum portionibus, investiganda est: ut fieri videmus, quod secretum illud naturæ (habitum pro maximo,) de verticitate ferri, tactu magnetis exciti ad polos, se conspiciendum præbuit, non in vectibus ferreis, sed in acubus.

Ego vero, si quod sit mei pondus judicii, sic plane statuo; *Historia Mechanica* usum erga Philosophiam naturalem, esse maxime radicalem, & fundamentalem. Talem intelligo Philosophiam naturalem, quæ non abeat in fumos speculationum subtilium, aut sublimium; sed quę efficaciter operetur, ad sublevanda vitæ humanæ incomoda. Neq; enim ad præsens tantum juvabit, nectendo & transferendo observationes artis in usum aliarum, & inde novas comoditates eliciendo; quod necesse est fieri, cum experimenta diversarum artium in unius hominis observationem & considerationem venient, sed porro ad causas indagandas, & artium Axiomata deducenda, lucidiorem facem accendet, quam hactenus unquam affulsit. Quemadmodum enim ingenium alicujus haud bene noris, aut probaris, nisi eum irritaveris; neq; Proteus se in varias rerum facies vertere solitus est, nisi manicis arcte comprehensus; similiter etiam natura arte irritata, & vexata, se clarius prodit, quam cum sibi libere permittitur.

Antequam vero hoc membrum historię naturalis (quod mechanicum atq; experimentale vocamus) demittamus, illud adjiciendum; Corpus talis historiæ, non solum ex artibus ipsis mechanicis, verum & ex operativa parte scientiarum liberalium, ac simul ex Practicis compluribus (quæ in artem non coaluerunt) confici debere, ut nihil utile prætermittatur, quod ad informandum intellectum juvat. Atque hæc est *historiæ naturalis* partitio prima.

CAP. III.

Partitio Historiæ Naturalis *Secunda, ex* Usu & Fine *suo, in* Narrativam, & Ioductivam. *Quodque* Finis *nobilissimus* Historiæ Naturalis *sit, ut ministret & in Ordine sit ad condendam Philosophiam, quem* Finem *intuetur* Inductiva. *Partitio* Historiæ Generationum *in* Historiam Cœlestium: Historiam Meteororum: Historiam Globi Terræ & Maris: Historiam Massarum *sive* Collegiorum Majorum; & Historiam Specierum *sive* Collegiorum Minorum.

Historia Naturalis, ut *Subjecto* triplex (quemadmodum diximus) ita *Usu* duplex est: Adhibetur enim, aut propter *Cognitionem rerum* ipsarum, quæ historiæ mandantur; aut tanquam *Materia prima* Philosophiæ. Atque prior illa, quæ aut *Narrationum* jucunditate delectat, aut *Experimentorum* usu juvat, atque hujusmodi voluptatis aut fructus gratia quæsita est, longe inferioris notæ censenda, præ ea, quæ *Inductionis* veræ & legitimæ sylva sit, atque supellex, & primam Philosophiæ mammam præbeat. Rursus itaque partimur *historiam naturalem, in Narrativam, & Inductivam*: Hanc autem posteriorem inter *Desiderata* ponimus. Neque vero aciem mentis alicujus perstringant, aut magna antiquorum nomina, aut magna recentium volumina. Satis enim scimus, haberi historiam naturalem mole amplam, varietate gratam, diligentia sæpius curiosam. Attamen si quis ex ea fabulas, & antiquitatem, & auctorum citationes, & inanes controversias, Philologiam denique, & ornamenta eximat, (quæ ad *Convivales sermones*, hominumque doctorum *noctes*, potius quam ad instituendam Philosophiam sunt accommodata,) ad nil magni res recidet. Longe autem profecto abest ab ea historia, quam animo metimur. Primo enim desiderantur duæ illæ *historiæ naturalis* partes, (de quibus modo diximus) *Præter-Generationum*, & *Artium*, in quibus nos plurimum ponimus: Deinde, in tertia illa (quæ reliqua est) parte generali, nimirum de *Generationibus*, uni tantum, ex quinque partibus ejus, satisfacit. Siquidem *Historia Generationum* constituuntur partes subordinatæ quinque: Prima *Cœlestium*, quæ Phœnomena ipsa sincera complectitur, atque separata à dogmatibus; Secunda *Meteororum* (annumerando etiam Cometas) & *Regionum*, quas vocant, *Aeris*; Neque enim de Cometis, Meteoris ignitis, Ventis, Pluviis, Tempestatibus, & reliquis, invenitur aliqua Historia, quæ ullius sit pretii. Tertia *Terra & Maris*, (quatenus sunt Universi Partes Integrales) montiũ, Fluminum, Æstuum, Arenarum, Sylvarum, Insularum, deniq: Figuræ ipsius Continentium prout exporriguntur; in his omnibus, potius Naturalia inquirendo & observando, quã Cosmographica. Quarto, de *Massis Materiæ communibus*, quas *Collegia Majora* vocamus,) vulgo *Elementa* dicuntur.) Neque enim de Igne, Aëre, Aqua, Terra, eorumque Naturis, Motibus, Operibus, Impressionibus, Narrationibꝰ reperiuntur, quæ corpus aliquod Historiæ justũ constituant. Quinta, & ultima, de *Collectionibus Materiæ exquisitis*,

quisitis, quæ à nobis *Collegia minora*, vulgo *Species* appellantur. In hac autem postrema sola, industria Scriptorum enituit, ita tamen, ut potius luxuriata sit in superfluis, (Iconibus Animaliũ, aut Plantarum, & similibus intumescens) quam solidis & diligentibus observationibus ditata, quæ ubique in *Historia Naturali* subnecti debebant. Atq; ut verbo dicam, omnis, quam habemus, Naturalis Historia, tam inquisitione sua, quam congerie, nullo modo in ordine ad eum quem diximus finem [cõdendæ scilicet Philosophiæ) iptata est. Quare *Historiam inductivam* desiderari pronunciamus. Atque de *Naturali Historia* hactenus.

CAP. IV.

Partitio Historiæ Civilis, *in* Ecclesiasticam, Literariam, & (*quæ Generis nomen retinet*) Civilem: *quodque* Historia Literaria *desideretur. Ejus conficiendæ Præcepta.*

HIstoriam *Civilem* in tres species recte dividi putamus: Primo *Sacram*, sive *Ecclesiasticam*: deinde eam, quæ Generis nomen retinet, *Civilem*: Postremo *Literarum & Artium*. Ordiemur autẽ ab ea Specie, quam postremo posuimus, quia reliquæ duæ habentur, illam autem inter *Desiderata* referre visum est. Ea est *Historia Literarum*. Atque certe Historia Mundi, si hac parte fuerit destituta, non absimilis censeri possit *Statuæ Poliphemi*, eruto oculo, cum ea pars imaginis desit, quæ ingenium & indolem Personæ maximè referat. Hanc licet desiderari statuamus, nos nihilominus minimè fugit, in Scientiis particularib⁹ Jure consultorum, Mathematicorum, Rhetorum, Philosophorum, haberi levem aliquam mentionem, aut narrationes quasdam jejunas, de Sectis, Scholis, Libris, Auctoribus, & Successionibus hujusmodi Scientiarum: Inveniri etiam de rerum & Artium Inventoribus tractat⁹ aliquos exiles, & infructuosos. Attamen justam atq; universalem *Litterarum Historiam* nullam adhuc editam asserimus. Ejus itaque & Argumentum, & conficiendi Modum, & Usum proponemus.

Argumentum non aliud est, quam ut ex omni Memoria repetatur, quæ Doctrinæ Artes, quibus Mundi ætatibus & Regionibus floruerint. Earum Antiquitates, progressus, etiam peragrationes per diversas Orbis partes (migrant enim Sciẽtiæ, non secus ac populi) rursus declinationes, obliviones, instaurationes cõmemorentur. Observetur simul per singulas Artes, inventionis occasio & origo, tradendi mos & disciplina, colendi & exercendi ratio & instituta. Adjiciantur etiam Sectæ, & Controversiæ maxime celebres, quæ homines doctos tenuerunt, Calumniæ, quibus patuerunt, Laudes & honores quib⁹ decoratæ sunt. Notentur Auctores præcipui, libri præstantiores, Scholæ, Successiones, Academiæ, Societates, Collegia, Ordines, deniq; omnia quæ ad Statũ Literarum spectant. Ante omnia etiam id agi volumus (quod Civilis Historiæ decus est, & quasi anima) ut cũ eventis causæ copulentur: videlicet, ut memorentur Naturæ regionũ ac populorum, Indolesque apta & habilis, aut inepta & inhabilis ad disciplinas diversas; Accidentia temporum, quæ Scientiis adversa fuerint aut propitia, Zeli & mixturæ Religionum; Malitiæ & favores Legum, Virtutes denique insignes, & efficacia quorundã virorũ, erga literas promovendas, & similia. At hæc omnia ita tractari præcipimus, ut non, Criticorũ more in laude & censura tempus teratur; sed planè historicè res ipsæ narrentur, judicium parcius interponatur.

De *Modo* autem huiusmodi Historiæ conficiendæ, illud inprimis monemus, ut materia & copia ejus, non tantum ab Historiis & Criticis petatur, verum etiam per singulas annorũ Centurias, aut etiam minora intervalla, seriatim, (ab ultima Antiquitate facto principio) libri præcipui, qui eo temporis spatio conscripti sunt, in consilium adhibeantur; ut ex eorum non perlectione, (id enim infinitum quiddam esset) sed degustatione & observatione Argumenti, Styli, Methodi, Genius illius temporis literarius, veluti incantatione quadam, à mortuis evocetur.

Quod ad *Usum* attinet, hæc eo spectant; non ut honor Literarum, & pompa, per tot circumfusas imagines celebretur; nec quia, pro flagrantissimo, quo literas prosequimur, amore, omnia quæ ad earum statũ quoquo modo pertinent, usq; ad curiositatem inquirere, & scire, & conservare avemus: sed præcipuè ob causam magis seriam, & gravem: Ea est, (ut verbo dicamus) quoniam per talẽ, qualem descripsimus, Narrationem, ad Virorum doctorum, in Doctrinæ usu & administratione, prudentiam & solertiam, maximam accessionem fieri posse existimamus; & rerum intellectualium, non minus quam Civilium motus, & perturbationes, vitiaque & virtutes, notari posse, & Regimen inde optimum educi & institui. Neque enim B. Augustini, aut B. Ambrosii opera, ad prudentiam Episcopi, aut Theologi, tantum facere posse putamus, quantum si Ecclesiastica Historia diligenter inspiciatur, & revolvatur. Quod & Viris doctis ex *Historia Literarum* obventurum non dubitamus. Casum enim omnino recipit, & temeritati exponitur, quod exemplis & memoria rerum non fulcitur. Atque de *Historia Literaria* hæc dicta sint.

CAP. V.

De Dignitate, & Difficultate Historiæ Civilis.

SEquitur *Historia Civilis* specialis, cujus dignitas atq; auctoritas, inter scripta humana eminet. Hujus enim fidei, exempla Majorum, vicissitudines rerum, fundamenta Prudentiæ Civilis, hominum denique nomen & fama, commissa sunt. Ad dignitatem rei accedit difficultas non minor. Etenim animum in scribendo ad præterita retrahere, & veluti antiquum facere; temporum motus, Personarum characteres, Consiliorum trepidationes; Actionum (tanquam aquarum) ductus, Prætextuum interiora, Imperii Arcana, cum diligentia scrutari, cum fide & libertate referre, deniq; verborum lumine sub oculos ponere, magni utiq; laboris est, & judicii; præsertim cũ antiquiora quæque incerta, recentiora periculo obnoxia reperiãtur. Quam orbem & plurima Historiam istam Civilem circumstant vitia: dum pleriq; narrationes quasdam inopes, & plebeias, & plane dedecora historiarũ conscribant; alii particulares relationes, & Commentariolos opera festinata & textu inæquali consarciant, alii capita tantum rerũ gestarum percurrant, alii contra, minima quæque, & ad summas actionum nihil facientia, persequãtur, nonnulli, nimia erga ingenia propria indulgentia,

gentia, plurima audacter confingant; aſt alii, non tam ingeniorum ſuorum, quam affectuum imaginem rebus imprimant, & addant, partium ſuarum memores, rerum parum fideles teſtes: quidam Politica, in quibus ſibi complacent, ubique inculcent, & diverticula ad oſtentationem quærendo, narrationem rerum nimis leviter interrumpant; alii in Orationum, & Concionum, aut etiam Actorum ipſorum prolixitate, parum cum judicio, nimii ſint, adeo ut ſatis conſter, non inveniri inter Scripta hominum rarius quicquam, quam Hiſtoriam legitimam & omnibus numeris ſuis abſolutam. Verum nos in præſenti partitionem doctrinarum inſtituimus, ut omiſſa; non Cenſuram, ut vitioſa notentur. Nunc partitiones *Hiſtoriæ Civilis* perſequemur, eaſq; diverſorum generum; Minus enim implicabuntur Species, ſi partitiones diverſę proponantur, quam ſi una partitio curioſe per membra deducatur.

CAP. VI.

Partitio primæ Hiſtoriæ Civilis, *in* Memorias, Antiquitates, & Hiſtoriam juſtam.

HIſtoria *Civilis* tripartita eſt, tribus picturarũ aut imaginũ generibus non abſimilis. Videmus enim ex picturis, & imaginibus, alias imperfectas, ut quibus ultima manus nõ acceſſerit; alias perfectas, alias vero vetuſtate mutilatas & deformatas, *Hiſtoriam* ſimiliter *Civilem* (quæ imago rerum & temporum quædam eſt) in tres ſpecies, illis picturarum congruas, partiemur; *Memorias* ſcilicet, *Hiſtoriam iuſtam*, & *Antiquitates*. *Memoriæ* ſunt *Hiſtoria inchoata*, aut prima & rudia Hiſtoriæ lineamenta, *Antiquitates* vero *Hiſtoria deformata* ſunt, ſive reliquiæ Hiſtoriæ, quæ caſu è naufragio temporum ereptæ ſunt.

Memoriæ, ſive præparationes ad Hiſtoriam, duplicis generis ſunt, quorum alterum *Commentarios*, alterum *Regiſtra* vocare placet. *Commentarij* nudam actionum & eventuum ſeriem ac connexionem proponunt prætermiſſis cauſis rerum & prætextibus, initiis quoque earundem & occaſionibus, conſiliis itidem & orationibus, & reliquo Actionum apparatu. Talis enim eſt propria *Commentariorum* natura: licet Cæſari, per modeſtiam quandam cum magnanimitate conjunctam, præſtantiſſimæ, inter eas, quæ extant Hiſtoriæ, Commentariorum nomẽ indere placuerit. At *Regiſtra* duplicis naturæ ſunt: Complectuntur enim aut *Titulos Rerum* & *Perſonarum*, in *ſerie temporum*, quales dicuntur *Faſti*, & *Chronologiæ*: Aut *Actorum Solennitates*, cujus generis ſunt, Principum Edicta, Senatuum Decreta, Judiciorum Proceſſus, orationes publicè habitæ, Epiſtolæ publicè miſſæ, & ſimilia, abſque narrationis contextu, ſive filo continuo.

Antiquitates, ſeu *Hiſtoriarum Reliquiæ*, ſunt [uti jam diximus] tanquam tabulæ naufragii, cum deficiente, & ferè ſubmerſa, rerum memoria, nihilominus homines induſtrii, & ſagaces, pertinaci quadam, & ſcrupuloſa diligentia, ex genealogiis, faſtis, titulis, monumentis, numiſmatibus, nominibus propriis & ſtylis, verborum etymologiis, proverbiis, traditionibus, Archivis & inſtrumentis tam publicis quam privatis Hiſtoriarum fragmentis, librorum neutiquam Hiſtoricorum locis diſperſis, ex his, inquam, omnibus, vel aliquibus, nonnulla à temporis diluvio eripiunt, & conſervant. Res ſane operoſa, ſed mortalibus grata, & cum reverentia quadam conjuncta; ac digna certe, quæ deletis fabuloſis nationum originibus, in locum hujuſmodi commentitiorum ſubſtituatur; ſed tamen eo minus habens Auctoritatis, quia paucorum Licentiæ ſubjicitur, quod paucis curæ eſt.

In his *Imperfectæ Hiſtoriæ* generibus defectum aliquem non puto deſignandum, cum ſint tanquam *Imperfectè Miſta*, ut defectus hujuſmodi ſit ex ipſa earum Natura. Ad *Epitomas* quod attinet, (Hiſtoriam certe teredines, & tineas,) eas exulare volumus; quod etiam cum plurimis, qui maximè ſani fuerunt judicii, facimus; utpote quæ complura nobiliſſimarum Hiſtoriarum corpora exederint, & corroderint, atque in fæces inutiles demum redegerint.

CAP. VII.

Partitio Hiſtoriæ juſtæ *in* Chronica, Vitas, & Relationes; *Earumque partium explicatio.*

AT *Hiſtoria Iuſta* trium eſt generum, pro ratione *Objecti*, quod ſibi proponit repræſentandum; Aut enim *Portionem aliquam temporis* repræſentat; aut *Perſonam ſingularem* memoria dignam, aut *Actionem aliquam* ſive *rem geſtam* ex illuſtrioribus. Primum *Chronica* ſive *Annales* appellamus, ſecundum *Vitas*, tertium *Relationes*. Inter quæ, *Chronica* celebritate & nomine excellere videntur, *Vitæ* autem, fructu, & exemplis, *Relationes* rurſus ſinceritate & veritate. *Chronica* namq; amplitudinem actionum publicarum, & perſonarũ facies externas, & in publicum verſas, proponunt; Minora autem, quæ tum ad Res, tum ad Perſonas pertinent, omittunt, & ſilentio involvunt. Cum vero id artificii divini ſit proprium, ut *Maxima è minimis ſuſpendat*, fit ſæpe numero, ut hujuſmodi *Hiſtoria*, majora tantum perſecuta, negotiorum pompam potius, & ſolennia, quam eorum veros fomites & texturas ſubtiliores oſtendat: quinetiam, etſi Conſilia ipſa addat, atque immiſceat, tamen granditate gaudens, plus gravitatis atque prudentiæ, quam re vera habent, humanis actionibus aſpergat; ut Satyra aliqua poſſit eſſe verior humanæ vitæ tabula, quam nonnulla ex ejuſmodi Hiſtoriis. Contra *Vitæ*, ſi diligenter, & cum judicio perſcribantur [neque enim de Elogiis, & huiuſmodi Commemorationibus jejunis loquimur] quandoquidem Perſonam ſingularem pro Subjecto ſibi proponant, in qua neceſſe eſt actiones, non minus leves, quam graves, parvas quam grandes, privatas quam publicas, componi & cõmiſceri, ſane magis vivas & fidas rerũ narrationes, & quas ad exemplum tutius & felicius transferre poſſis exhibent. At *Relationes* Actionum ſpeciales [quales ſunt *Bellum Peloponneſi*, *Expeditio Cyri*, *Conjuratio Catilinæ*, & ſimilia) omnino puriore & magis ſincero veritatis candore veſtiri par eſt, quam *Hiſtorias juſtas* temporum, quia argumentum in iis deligi, & ſumi poteſt habile, & definitum; atque ejuſmodi, ut de eo notitia, & certitudo bona, & plena informatio haberi poſſit, cum contra *Hiſtoria temporis* [præſertim quæ ętate Scriptoris multo antiquior ſit] neceſſario in memoria rerum ſæpius fatiſcat, & veluti ſpatia vacua contineat, quæ ingenio & conjectura occupari, & ſup-

& suppleri satis licenter consueverunt. Hoc tamen ipsum, quod de Relationum sinceritate dicimus, cum exceptione intelligendum est, nam fatendum certè est, (cum humana omnia ex parte laborent, & commoda cum incommodis ferè perpetuò conjuncta sint] hujusmodi relationes, præsertim si sub ipsa rerum gestarum tempora edantur, [cum sæpius vel ad gratiam, vel ad invidiam scribantur,] omnium narrationum merito maximè suspectas esse. Sed rursus huic incommodo etiam illud connascitur remedium, quod illæ ipsæ *Relationes*, cum non ex una parte solummodo, sed pro factionibus, & partium studiis, ex utraque parte semper ferè edantur, viam hoc pacto quandam veritati, tanquam inter extrema, aperiunt & muniunt: atque postquam contentiones animorum deferbuerunt, Historico bono & prudenti, non pessima historiæ perfectioris materia, & Sementis sunt.

Quod vero ad eā, quæ in his tribus historiæ generibus desiderari videantur, dubium certè nō est, quin plurimæ historiæ particulares] de talibus loquimur quæ esse possint] alicujus dignitatis, aut etiam mediocritatis, cum maximo Regnorum & Rerump. quibus debentur, honoris & nominis detrimento, hucusque prætermissæ sint, quas notare perlongum esset. Cæterum exterarum Nationum Historias, Exterorum curæ relinquens [*ne fortè sim in aliena Rep. curiosus*] non possum non apud Majestatem tuam conqueri, de Historiæ Angliæ, quæ nunc habetur, vilitate & indignitate, quatenus ad corpus ejus integrum, nec non Historiæ Scotiæ iniquitate & obliquitate, quatenus ad Auctorem ejus recentissimum & ubertimum: Reputans mecum, honorificum admodum Majestati tuæ futurum, atque opus posteritati gratissimum, si quemadmodum Insula hæc magnæ Britanniæ, se nunc in unam Monarchiam coalitam, ad sequentes ætates transmittit, ita in una Historia descripta, à præteritis sæculis repeteretur, eodem modo quo Historiam decem Tribuum Regni Judæ, tanquam gemellam, Sacra Pagina deducit. Quod si moles hujusmodi historiæ, magna certè & ardua, quo minus exacte & pro dignitate perscribatur, videatur obfutura, ecce tibi memorabilem multo angustioris temporis periodum, quatenus ad historiam Angliæ, nimirum ab Unione Rosarū ad Unionem Regnorum, Spatium temporis, quod, meo quidem judicio, majorem recipit eventuum, quæ raro se ostendunt, varietatem, quam in pari successionū numero, uspiam in Regno Hæreditario deprehendere licet. Incipit enim ab adeptione Coronæ mixta, partim Armis, partim Jure: Ingressum siquidem ferrū aperuit, stabilimentum attulerunt Nuptiæ, Secuta igitur sunt tempora illis initiis consentanea, simillima fluctibus, post magnam tempestatem, tumores & agitationes suas, sed absque aliqua immani procella, retinentibus, atque gubernatoris prudentia, qui unus inter Antecessores Reges consilio enituit, superatis. Ordine proximus succedit Rex, cujus actiones, licet magis impetu quam consilio administratæ, non leve tamen in Rebus Europæ momentum attulerunt, eas subinde librando, & inclinando, prout ipsæ propendebant. Quo etiam regnante, cœpit fieri ingens illa Status Ecclesiastici mutatio, qualis raro admodum prodit in Theatrū. Secutus est Rex minor. Dein tentamentum Tyrannidis, licet illud brevissimum fuerit, instar febris Ephemeræ. Dein Regnum Fœminæ, extero Regi nuptæ. Rursus Regnum Fœminæ solitariæ, & cælibis. Hæc omnia demum excepit eventus iste faustus & gloriosus: nimirum hujusce Insulæ Britanniæ, à toto Orbe divisæ, in se unio, per quam Vetus illud oraculum, Æneæ redditum, quod requiem ei præmonstrabat,

—— *Antiquam exquirite matrem*;

supra nobilissimas Gentes Angliæ & Scotiæ, in nomine illo *Britannia: Antiquæ suæ Matris*, jam convenientes, adimpletum sit, in pignō & tesseram metæ, & exitus eorum & peregrinationis jam reperti. Ita ut, quemadmodum corpora ponderosa jactata, antequam ponant & consistant, trepidationes quasdam experiuntur, eodem modo probabile videatur, Divina Providentia factum esse, ut Monarchia ista, priusquam in tua Majestate, Regiaque tua Sobole, (in qua spero eam in perpetuum fore stabilitam) consisteret, & confirmata esset, has tam varias mutationes, & vicissitudines, tanquam præludia stabilitatis suæ, subiret.

De *Vitis* cogitantem, subit quædam Admiratio, tempora ista nostra, haud nosse bona sua, cum tam rara sit Comemoratio, & conscriptio vitarum, eorum, qui nostro sæculo claruerunt. Etsi enim Reges, & qui absolutum Principatum obtineant, pauci esse possint, Principes etiam in Rep. libera (tot Rebusp. in monarchiam convesis) haud multi, utcunque tamen non de fuerunt Viri egregii (licet sub Regibus) qui meliora meterentur, quam incertam & vagam memoriæ suæ famam, aut elogia arida & jejuna. Etenim hac ex parte, inventum cujusdam ex Poëtis recentioribus, quo antiquam fabulā locupletavit, non in elegans est. Fingit ille, in extremitate fili Parcarum numisma quoddam, seu Monile pendere, in quo defuncti nomen impressum sit: Tempus autem cultrum Atropi præstolari, & statim abscisso filo, numismata eripere, eaq; asportata, paulo post in fluvium Lethes ex gremio suo projicere: Circa fluvium autem, magnam avium vim volitare, quæ numismata arripiunt, ac postquam in rostris ipsarum paulisper eadem circumtulerint, paulò post per incuriam in fluvium decidere permittunt: Inter eas vero, Cygnos reperiri nonnullos, qui si numisma aliquod cum nomine prehenderint, illico ad templum quoddam illud deferre solebant, immortalitati consecratum. Hujusmodi itaque Cygni nostris temporibus ferè defecerunt. Quamvis autem plurimi hominum, curis & studiis suis nimio plusquam corporibus mortales, nominis sui memoriam, veluti fumum aut auram despiciant,

— *Animi nil magna laudis egentes*,

Quorum scilicet Philosophia & severitas ab ea radice pullulat, *Non prius laudes contempsimus, quam laudanda facere desivimus*, Id tamen apud nos Salomonis judicio non præjudicabit, *Memoria iusti cum laudibus, at impiorum nomen putrescit*: Altera perpetuo floret, alterum aut in oblivionem protinus abit, aut in odorem tetrum computrescit. Ac propterea in eo ipso stylo, vel loquendi formula, quæ recte admodū recepta est, ut defunctis tribuatur, (*Felicis memoriæ, piæ memoriæ, bonæ memoriæ*) agnoscere videmur illud, quod Cicero (mutuatus id ip-

id ipsum à Demosthene) protulit, *Bonam famam propriam esse possessionem defunctorum.* Quam quidem possessionem non possum non notare, nostro ævo incultam ut plurimum, & neglectam jacere.

Quantum ad *Relationes*, optandum esset prorsus, ut multo major circa eas adhiberetur diligentia. Quippe vix incidit aliqua actio illustrior, cui non intersit calamus aliquis ex melioribus, qui eam excipere & describere possit. Quoniam autem is perpaucorum hominum esse debet, qui Historiam justam pro dignitate conscribat, (ut ex paucitate Historicorum, vel mediocrium satis liquet] idcirco si actiones particulares, sub tempus ipsum quo geruntur, tolerabili aliquo scripto memoriæ mandarentur, sperandum esset, exorituros quandoque, qui Historiam justam, ope & auxilio illarum *Relationum*, conscribere possent. Illæ enim instar Seminarii esse possint, unde, cum usus foret, hortus amplus & magnificus consereretur.

CAP. VIII.

Partitio Historiæ Temporum, *in* Historiam Vniversalem, *&* Particularem, *& utriusque Commoda, & Incommoda.*

HIstoria *Temporum* aut *Vniversalis* est, aut *Particularis*; Hæc alicujus *Regni*, vel *Reip.* vel *Nationis* res gestas complectitur, illa *Vniversi Orbis.* Neque enim defuerunt, qui *Historiam Mundi* etiam ab Origine scripsisse videri volunt; Farraginem rerum, & Compendia narrationum pro Historia exhibentes: Alii sui temporis res, per Orbem terrarum memorabiles, tanquam justa Historia complecti posse confisi sunt, conatu profectò magnanimo, atque fructu haud exiguo. Neque enim res humanæ ita Imperiis aut Regionibus divisæ sunt, ut non habeant multa connexa; Quare juvat certe, fata, alicui seculo aut ætati destinata, veluti una tabula contenta & descripta intueri. Fit etiam, ut plurima scripta non contemnenda, [qualia sunt eæ, de quibus antea locuti sumus, *Relationes*] alias forte peritura, neque prelum sæpius passura, aut saltem capita ipsorum, in huiusmodi *Historiam Generalem* recipiantur, atque hoc pacto figantur, & conserventur. Veruntamen, si quis rem rectius perpendat, animadvertet, tam severas esse *Historiæ iustæ* Leges, ut eas in tanta argumenti vastitate exercere vix liceat; adeò ut minuatur potius Historiæ Majestas molis granditate, quam amplificetur. Fiet enim, ut qui tam varia undequaque persequitur, is informationis Religione paulatim remissa, & diligentia sua, quæ ad tot res extenditur, in singulis elanguescente, auras populares, & rumores captet: & ex relationibus non admodum Authenticis, aut hujusmodi aliqua levidensi materia, Historiam conficiat. Quinetiam necesse ei erit, [ne opus in immensum excrescat,) plurima relatu digna consulto prætermittere, atque ad Epitomarum rationes sæpius delabi. Iucumbit etiam aliud periculum non parvum, atque utilitati historiæ universalis ex diametro oppositum. Quemadmodum enim universalis historia narrationes aliquas, quæ alias forte fuissent perituræ, conservat; ita contra sæpenumero narrationes alias satis fructuosas, quæ aliter victuræ fuissent, propter grata mortalibus rerum compendia, perimit.

CAP. IX.

Partitio alia Historiæ Temporum, *in* Annales, *&* Acta Diurna.

ETiam *Historia Temporum* rectè dividitur in *Annales*, & *Diaria*: Quæ divisio, licet ex periodis temporum nomina sumat, tamen ad delectum rerum etiam pertinet. Recte enim Cornelius Tacitus, cum in mentionem Magnificentiæ quarundam structurarum incidit, statim subdit, *Ex dignitate populi Rom. repertum esse, res illustres Annalibus, talia diurnis urbis actis mandare*: Applicando Annalibus res, quæ ad Statum Reip. pertinent; Acta vero & Accidentia leviora, Diariis. Meo utique judicio, valere conveniret disciplinam quandam Haraldicam, in disponendis non minus librorum, quam personarum dignitatibus. Sicut enim nihil Rebus Civilibus magis detrahit, quam Ordinum & Graduum confusio; ita etiam Auctoritati historiæ gravis haud parum derogat, si admisceantur Politicis res levioris momenti; quales sunt pompæ, & solemnitates, & spectacula, & huiusmodi. Atque sanè optandum esset, ut illa ipsa distinctio in consuetudinem veniret. Nostris vero temporibus, *Diaria* in navigationibus tantùm & expeditionibus bellicis, in usu sunt. Apud Antiquos certe Regum honori dabatur, ut acta Palatii sui in *Diaria* referrentur; quod videmus factum fuisse sub Ahasvero Persarum Rege; qui cum noctem ageret insõnem, *Diaria* poposcit; ubi conjurationem Eunuchorum recognovit: At in Alexandri *Diariis*, tam pusilla continebantur, ut etiam, si forte ad mensam dormiret, in acta reponeretur: Neque enim sicut *Annales* tantum gravia, ita *Diaria* tantum levia cõplexa sunt; sed omnia promiscue & cursim *Diariis* excipiebantur, seu majoris, seu minoris momenti.

CAP. X.

Partitio secunda Historiæ Civilis, *in* Meram, *&* Mixtam.

POstrema vero partitio *Historiæ Civilis* ea sit, ut dividatur in *Meram*, aut *Mixtam*. *Mixturæ* celebres duæ. Altera ex *Scientia Civili*. Altera præcipuè ex *Naturali*. Introductum est enim ab aliquibus genus scribendi, ut quis narrationes aliquas non in serie historiæ continuatas, sed ex delectu auctoris exceptas conscribat: deinde easdem recolat, & tanquam ruminet; & sumpta ab ipsis occasione, de rebus Politicis disserat. Quod genus *historiæ Ruminatæ* nos sane magnopere probamus, modo hujusmodi Scriptor hocagat, & hoc se agere confiteatur. *Historiam* autem *iustam* ex professo scribenti, Politica ubique ingerere, atque per illa filum historiæ interrumpere, intempestivum quiddam, & molestum est. Licet enim historia quæque prudentior, Politicis præceptis, & monitis, veluti impregnata sit, tamen Scriptor ipse sibi obstetricari non debet.

Mixta etiam est *historia Cosmographica*, idque multipliciter: Habet enim ex *historia Naturali*, *Regiones* ipsas, atq; earum *Situs*, & *Fructus*; Ex *historia Civili*, *Vrbes*, *Imperia*, *Mores*: Ex *Mathematicis*, *Climata*, & *Configurationes Cœli*, quibus tractus mundi sub jacent. In quo genere *Historiæ*, sive *Scientiæ*, est quod seculo nostro gratulemur. Orbis enim terrarum factus est, hac nostra ætate, mirum in modum fenestratus, atque patens. Antiqui certe Zonas & Antipodas noverant,

Nosque

(*Nosque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,*
Illic sera rubens accendit lumina vesper.)

Idque ipsum magis per demonstrationes, quam per peregrinationes. Verum ut *Carina* aliqua parva, cœlum ipsum æmularetur; atque universum globum terrestrem, magis etiam obliquo & flexuoso, quam cœlestia solent, itinere circumiverit, ea est nostri sæculi prerogativa: ita ut præsens ætas jure in Symbolo suo usurpare possit, non tantum illud *Plus ultra*, ubi Antiqui usurpabant *Non ultra*; atque insuper illud *Imitabile fulmen*, ubi Antiqui, *Non imitabile fulmen*:

Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen;

verum & illud, quod omnem admirationem superat, *Imitabile Cœlum*; propter navigationes nostras, quibus circa universum terræ ambitum, cœlestium corporum more, volvi, & circumagi sæpius concessum fuit.

Atque hæc preclara, in re Nautica, atque Orbe perlustrando, feliciras, de ulterioribus etiam progressibus, & Augmentis Scientiarum, spem magnã facere possit; præsertim cum divino videatur Consilio esse decretum, ut hæc duo coeva sint: Sic enim Daniel Propheta, de novissimis temporibus verba faciens, prædicit, *Plurimi pertransibunt, & augebitur scientia*; quasi pertransitus, sive perlustratio mundi, atque multiplex Augmentum Scientiarũ, eidem seculo destinarentur: Sicut magna ex parte jam completum videmus; Quandoquidem tempora nostra, duabus illis prioribus doctrinarum periodis, aut revolutionibus, (alteri apud Græcos, alteri apud Romanos) eruditione non multum cedant, eas vero in aliquibus longè superent.

CAP. XI.

Partitio historiæ Ecclesiasticæ, *in* Ecclesiasticam specialem, historiam ad Prophetias, *&* historiam Nemeseos.

HIstoria *Ecclesiastica* in genere, easdem ferè cũ *historia Civili* partitiones subit. Sunt enim *Chronica Ecclesiastica*, sunt *vitæ Patrum*, sunt *Relationes de Synodis*, & reliquis ad Ecclesiam spectantibus. Proprio vero nomine, recte dividitur in *historiam Ecclesiasticam* (Generis nomine servato,) *& historiam ad Prophetias*, & *historiam Nemeseos* sive *Providentiæ*. Prima, *Ecclesiæ militantis tempora, & statum diversum* memorat: sive illa fluctuet, ut *Arca* in *diluvio*: sive itineretur, ut *Arca* in *eremo*: sive consistat, ut *Arca* in *templo*: hoc est, *statum Ecclesiæ in persecutione, in motu, & in pace.* In hac parte, defectum aliquem non invenio, quin supersunt in illa complura potius quam desunt: Illud sanè optarem, ut massæ tam prægrandi, virtus quoque & sinceritas narrationũ responderent.

Secunda pars, quę est *historia ad Prophetias*, ex duobus Relativis constat, *Prophetia ipsa*, & ejus *Adimpletione*. Quapropter tale esse debet hujus operis institutum, ut cum singulis ex scripturis Prophetiis, eventuum veritas conjungatur; idque per omnes mundi ætates, tum ad confirmationem fidei, tum ad instituendam disciplinam quandam, & peritiam, in interpretatione Prophetiarum, quæ adhuc restant complendæ. Attamen in hac re, admittenda est illa latitudo, quæ Divinis vaticiniis propria est & familiaris; ut adimpletiones eorum fiant, & continenter, & punctualiter: Referũt enim Auctoris sui naturam, *cui unus dies tanquam mille anni, & mille anni tanquam unus dies*: atque licet plenitudo, & fastigium complementi eorum, plerunq; alicui certæ ætati, vel etiam certo momento destinetur; attamen habent interim gradus nõnullos: & scalas complementi, per diversas mundi ætates. Hoc opus desiderari statuo, verum tale est, ut magna cum sapientia, sobrietate, & reverentia tractandum sit, omnino dimittendum.

Tertia Pars, quæ *Historia Nemeseos* est, sanè in calamos nonnullorum piorum virorum incidit, sed non sine partium studio: occupata est autem in observanda divina illa convenientia, quæ nonnunquam intercedit, inter Dei voluntatem Revelatam, & Secretam. Quamvis enim tam obscura sint Consilia & Judicia Dei, ut *homini animali* sint penitus inscrutabilia, quin etiam sæpius eorum oculis, qui prospiciunt è tabernaculo, se subducant; Divinæ tamen Sapientiæ visum, aliquando per vices, ad suorum confirmationem, & confusionem eorum, qui tanquam sine Deo sunt in mundo, ea quasi majoribus characteribus descripta, sic proponere conspicienda, uti (sicut loquitur Propheta) *qui vis etiam in cursu ea perlegere possit*: hoc est, ut homines merè sensuales & voluptarii, qui Judicia illa divina prætervehi festinant, neque cogitationes suas in ea unquam defigunt, tamen, quamvis properè currant, & aliud agant, ipsa agnoscere cogantur. Talia sunt vindictæ seræ & inopinæ, salutes subitò affulgentes, & insperatæ; consilia divina per ambages rerum tortuosas, & stupendas spiras, tandem se manifesto expedientia; & similia: quæ valent, non solum ad consolandos animos fidelium, sed ad percellendas & convincendas conscientias improborum.

CAP. XII.

De Appendicibus historiæ: *quæ circa* Verba *hominum* (*quemadmodum* historia *ipsa circa* facta) *versantur*: *Partitio earum in* epistolas *&* apophthegmata.

AT non *factorum* solummodo humani generis, verum etiam *dictorum* memoria servari debet. Neque tamen dubium, quin *dicta* illa quandoque *historiæ* ipsi inserantur, quatenus ad res gestas perspicuè & graviter narrandas faciant, & deserviant. Sed *dicta* sive *verba Humana* propriè custodiũt *Libri Orationum, Epistolarum, & Apophthegmatum.* Atque *Orationes* sanè virorum prudentium, de negotiis & causis gravibus & arduis habitæ, tum ad rerum ipsarum notitiam, tum ad eloquentiam multum valent. Sed majora adhuc præstantur auxilia ad instruendam prudentiam civilem ab *Epistolis*, quæ à viris magnis de negotiis seriis missæ sunt. Etenim ex *verbis hominum*, nil sanius aut præstantius, quam hujusmodi *Epistolæ*. Habent enim plus nativi sensus, quam Orationes; plus etiam maturitatis, quam colloquia subita. Eędem quando continuantur secundum seriem temporum, (ut fit in illis quæ à Legatis, Præfectis Provinciarum, & aliis Imperii Ministris, ad Reges, vel Senatus, vel alios Superiores suos mittuntur; aut vicissim ab Imperantibus ad ministros.) sunt certè ad *historiã*, præ omnibus, pretiosissima supellex. Neque *Apophthegmata* ipsa ad delectationem & ornatũ tantum prosunt, sed ad res gerendas etiam, & usus civiles. Sunt enim (ut ajebat ille) veluti *Secures* aut *Mucrones Verborum*, qui rerum & negotiorum nodos,

dos, acumine quodam secant, & penetrant: Occasiones autem redeunt in orbem, & quod olim erat commodum, rursus adhiberi, & prodesse potest; sive quis ea tanquam sua proferat, sive tanquam vetera. Neque certè de utilitate ejus rei ad civilia dubitari potest, quam Cæsar Dictator opera sua honestavit; cujus Liber utinam extaret, cum ea, quæ usquam habentur in hoc genere, nobis parum cum delectu congesta videantur.

Atque hæc dicta sint de *Historia*, ea scilicet parte Doctrinæ, quæ respondet uni ex *Cellis*, sive *Domiciliis Intellectus*, quæ est *Memoria*.

Cap. XIII.

De secundo Membro principali Doctrinæ, *nempe* Poesi. *Partitio* Poeseos *in* Narrativam, Dramaticam, & Parabolicam. Exempla Parabolicæ *tria proponuntur*.

JAm ad *Poesin* veniamus. *Poesis* est genus doctrinæ, verbis plerunque adstrictum, rebus solutum & licentiosum; Itaq;, ut initio diximus, ad *Phantasiam* refertur, quæ iniqua, & illicita prorsus rerum conjugia & divortia comminisci, & machinari solet. *Poesis* autem (ut supra innuimus) duplici accipitur sensu, quatenus ad *Verba*, vel quatenus ad *Res* respiciat. Priore sensu. *Sermonu* quidã *Character* est: *Carmen* enim styli genus, & elocutionis formula quædam, nec ad res pertinet: Nam & vera narratio carmine, & ficta oratione soluta conscribi potest. Posteriore vero sensu, constituimus eam, ab initio, *Doctrinæ Membrum Principale*, eamq; juxta *historiam* collocavimus, cum nihil aliud sit, quam *Historia imitatio ad Placitum*. Nos igitur in partitionibus nostris, veras doctrinarum venas indagãtes, & persequentes; neq; consuetudini & divisionibus receptis (in multis) cedentes; *Satyras*, & *Elegias*, & *Epigrammata*, & *odas*; & hujusmodi, ab instituto sermone removemus; atque ad philosophiam & artes orationis rejicimus. Sub nomine autem *Poeseos*, de *Historia ad Placitum conficta*, tantummodo tractamus.

Partitio *Poeseos*, verissima, atque maxima ex proprietate, præter illas Divisiones, quæ sunt ei cum *Historia* communes, (sunt enim *ficta Chronica*, *Vita ficta*, *ficta* etiam *Relationes*) ea est, ut sit aut *Narrativa*; aut *Dramatica*; aut *Parabolica*. *Narrativa* prorsus historiam imitatur, ut ferè fallat, nisi quod res extollat sæpius supra fidem. *Dramatica* est veluti historia Spectabilis; nam constituit imaginem rerum tanquam præsentium; historia autem tanquam præteritarum. *Parabolica* vero est historia cum typo quæ Intellectualia deducit ad sensum.

Atque de *Poesi Narrativa*, sive eam *Heroicam* appellare placet, modo hoc intelligas de *Materia*, non de *Versu*, ea à fundamento prorsus nobili excitata videtur, quod ad dignitatem humanæ naturæ in primis spectat. Cum enim mundus sensibilis, sit anima rationali dignitate inferior, videtur *Poesis* hæc humanæ naturæ largiri, quæ Historia denegat; atque animo umbris rerum utcunque satisfacere, cum solida haberi non possint. Si quis enim rem acutius introspiciat, firmum ex *Poesi* sumitur argumentum, magnitudinem rerum magis illustrem, ordinem magis perfectum, & varietatem magis pulchram, animæ humanæ complacere, quã in natura ipsa, post lapsum, reperire ullo modo possit. Quapropter, cum res gestæ, & eventus, qui veræ historiæ subjiciuntur, non sint ejus amplitudinis, in qua anima humana sibi satisfaciat; præsto est *Poesis*, quæ facta magis Heroica confingat: Cum historia vera successus rerum, minimè pro meritis Virtutum & Scelerum, narret; corrigit eam *Poesis*, & exitus, & fortunas, secundum merita, & ex lege Nemeseos, exhibet: Cum historia vera, obvia rerum satietate & similitudine, animæ humanæ fastidio sit; reficit eam *Poesis*, inexpectata, & varia, & vicissitudinum plena canens. Adeo ut *Poesis* ista nõ solum ad delectationẽ, sed etiam ad animi magnitudinem, & ad mores conferat. Quare & merito etiam divinitatis cujuspiã particeps videri possit; quia animum erigit, & in sublime rapit; rerũ simulachra ad animi desideria accommodando, non animum rebus (quod ratio facit, & historia) submittendo. Atq; his quidem illecebris, & congruitate, qua animum humanum demulcet, addito etiam consortio Musices, unde suavius insinuari possit, aditum sibi patefecit, ut honori fuerit etiam sæculis plane rudibus, & apud Nationes barbaras, cum aliæ Doctrinæ prorsus exclusæ essent.

Dramatica autem *Poesis*, quæ Theatrum habet pro mundo, usu eximia est, si sana foret. Non parva enim esse posset Theatri, & Disciplina, & Corruptela: Atq; Corruptelarum, in hoc genere, abunde est; disciplina plane nostris temporibus est neglecta. Attamen licet in Rebusp. modernis habeatur pro re ludicra actio theatralis, nisi forte nimium, trahat è Satyra, & mordeat; tamen apud Antiquos curæ fuit, ut animos hominum ad virtutẽ institueret. Quinetiam Viris prudentibus, & magnis Philosophis, veluti animorum plectrum quoddam censebatur. Atq; sane verissimum est, & tanquam Secretum quoddam Naturæ, hominum animos, cum congregati sint, magis quam cum soli sint, affectibus & impressionibus patere.

At *Poesis Parabolica*, inter reliquas eminet, & tanquam res sacra videtur, & augusta; cum præsertim Religio ipsa, ejus opera plerunque utatur, & per eam commercia Divinorum cum humanis exerceat. Attamen & hæc quoque, Ingeniorum circa Allegorias levitate & indulgentia contaminata invenitur. Est autem usus ambigui, atq; ad contraria adhibetur. Facit enim ad *Involucrum*; facit etiã ad *Illustrationem*. In hoc *Docendi* quædam *Ratio*; in illo *Occultandi Artificium* quæri videtur. Hæc autem *Docendi Ratio*, quæ facit ad *Illustrationem*, antiquis sæculis plurimum adhibebatur. Cum enim rationis humanæ inventa, & conclusiones, (etiam eæ quæ nunc tritæ, & vulgatæ sunt) tunc temporis novæ & insuetæ essent, vix illam subtilitatem capiebant ingenia humana, nisi propius eæ ad sensum, per hujusmodi simulachra, & exempla, deducerentur. Quare omnia apud illos, fabularum omnigenarum, & Parabolarum, & Ænigmatum, & similitudinum, plena fuerunt. Hinc tesseræ Pythagoræ, Ænigmata Sphingis, Æsopi Fabulæ, & similia. Quinetiam Apophthegmata veterũ Sapientium ferè per similitudines rẽ demonstrabant: Hinc Menenius Agrippa apud Romanos (Gentem eo sæculo minimè literatam) seditionem fabula repressit. Deniq; ut Hieroglyphica Literis: ita Parabolæ Argumentis erant antiquiores. Atque hodie etiam & semper, eximius est, & fuit, Parabolarum vigor, cum nec argumenta tam perspicua, nec vera exempla tam apta esse possint.

Alte

Alter est usus *Poëseos Parabolicæ*; priori quasi contrarius, qui facit (ut diximus) ad *Involucrum*, earum nempe rerum, quarum dignitas tanquam velo quodam discreta esse mereatur: hoc est, cum occulta & Mysteria Religionis, Politicæ, & Philosophiæ, Fabulis & Parabolis vestiuntur. Utrum vero fabulis veteribus Poëtarum subsit aliquis sensus mysticus, dubitationem nonnullam habet: Atque ipsi certe fatemur, nos in eam sententiam propendere, ut non paucis Antiquorum Poëtarum Fabulis, Mysterium infusum fuisse putemus. Neq; nos movet, quod ista pueris ferè, & Grammaticis relinquantur, & vilescant, ut de illis contemptim sententiam feramus: Quin contra, cum planè cõstet, scripta illa, quæ fabulas istas recitant, ex Scriptis hominum, post literas sacras, esse antiquissima, & longe his antiquiores fabulas ipsas; (etenim tanquam prius creditæ & receptæ, non tanquam excogitatæ ab illis Scriptoribus referuntur) videntur esse instar tenuis cujusdam auræ, quæ ex traditionibus Nationum magis Antiquarum in Græcorũ fistulas inciderunt. Cum vero, quæ circa harum Parabolarum interpretationẽ adhuc tentata sint, per homines scilicet imperitos, nec ultra locos communes doctos, nobis nullo modo satisfaciant Philosophiam secundũ Parabolas antiquas, inter *Desiderata* referre visum est. Ejus autem operis *Exemplum* unum aut alterum subjungemus. Non quod res sit fortasse tanti, sed ut institutum nostrum servemus. Id hujusmodi est, ut de operibus illis, quæ inter *Desiderata* ponimus (si quid paulo obscurius) perpetuo aut *præcepta* ad opus illud instruendum, aut *Exempla* proponamus: ne quis forte existimet, levem aliquam tantum Notionẽ, de illis mentem nostram perstrinxisse, nosque Regiones sicut Augures, animo tantum metiri, neq; eas ingrediendi vias nosse. Aliam aliquam partem in *Poesi* desiderari non invenimus; quin potius cum planta sit *Poesis*, quæ veluti à terra luxuriante, absque certo semine, germinaverit, supra cæteras doctrinas excrevit, & diffusa est. Verum jam *exempla* proponemus, tria tantum numero, unum è *Naturalibus*, è *Politicis* unum, atque unum denique è *Moralibus*.

Exemplum primum Philosophiæ secundum Parabolas Antiquas, in Naturalibus. De *Universo, secundum Fabulam* Panis.

ANtiqui generationem *Panis* in dubio relinquunt. Alii enim eum à *Mercurio* genitum; Alii longe aliũ generationis modum ei tribuunt. Ajunt enim Procos universos cum *Penelope* rem habuisse, ex quo promiscuo concubitu *Pana* cõmunem filium ortum esse. Neq; prætermittenda est tertia illa generationis explicatio: Quidam n. prodiderunt, eum *Iovis* & *Hybreos* (id est, *Contumeliæ*, filium fuisse. Utcunq; orto, *Parcæ* illi sorores fuisse perhibentur: quæ in specu subterraneo habitabant: *Pan* autem morabatur sub Dio. Effigies *Panis* talis ab antiquitate describitur: Cornutus, Cornibus in acutum surgentibus, & usq; ad cœlũ fastigiatis; corpore toto hispidus & villosus, barba inprimis promissa, figura biformis, humana quoad superiora, sed semifera & in capræ pedes desinẽte. Gestabat autẽ insignia potestatis, sinistra fistulam ex septẽ calamis compactã, dextra pedum sive baculum, superius curvum & inflexum. Induebatur Chlamyde ex *pelle Pardalis*. Potestates ei & munera hujusmodi attribuuntur, ut sit Deus venatorum, etiam pastorum, & in universum Ruricolarum; Præses item montium. Erat etiam, proximus à *Mercurio*, Nuncius Deorum. Habebatur etiam Dux & Imperator *Nympharum*, quæ circa eum perpetuo Choreas ducere & tripudiare solebant: Comitabantur & *Satyri*, & his seniores *Sileni*. Habebat insuper potestatem *terrores* immittendi, præsertim inanes & superstitiosos, & *Panici* vocati sunt, Res gestę autem ejus non multę memorantur: Illud præcipuum, quod *Cupidinem* provocavit ad luctam, à quo etiam in certamine victus est. Etiam *Typhonem Gigantem* retibus implicavit & cohibuit. Atq; narrant insuper, cum *Ceres* mœsta, & ob raptam *Proserpinam* indignata, se abscondisset; atq; Dii omnes ad eam investigandam magnopere incubuissent, & se per varias vias dispertiti essent; *Pan* solummodo ex felicitate quadam contigisse, ut inter venandum eam inveniret & indicaret. Ausus est quoque cum *Apolline* de victoria Musices decertare, atque etiam *Myda* judice prælatus est; ob quod judicium *Midas* asininas aures tulit, sed clam & secreto. Amores *Panis* nulli referuntur, aut saltem admodum rari; quod mirum, inter turbam Deorum, prorsus tam profuse amatoriam, videri possit. Illud solummodo ei datur, quod *Echo* adamaret, quæ etiam uxor ejus est habita: atq; unam præterea Nympham, *Syringam* nomine: in quam propter iram & vindictam *Cupidinis* (quem ad luctam provocare non reveritus esset) incensus est. Etiam *Lunam* quondam in altas Sylvas sevocasse dicitur. Neq; etiam prolem ullam suscepit; (quod similiter mirum est, cum Dii præsertim masculi, prolifici admodum essent) nisi quod ei attribuatur tanquam filia, muliercula quædam ancilla, *Iambe* nomine, quę ridiculis narratiuncul s oblectare hospites solebat, ejusq; proles ex conjunge *Echo* esse à nonnullis existimabatur. *Parabola* talis esse videtur.

Pan (ut & nomen ipsum etiam sonat) *Universum* sive *Universitatem rerum* repræsentat & proponit. De hujus *Origine* duplex omnino sententia est, atque adeo esse potest. Aut enim à *Mercurio* est, verbo scilicet divino, (quod & Sacræ Literæ extra controversiam ponunt; & Philosophi ipsi, qui magis Divini habiti sunt, viderunt) aut ex *confusis rerum seminibus*. Etenim quidam è Philosophis semina rerum etiam substantia infinita statuerunt; unde opinio de Homo jomeris fluxit, quam *Anaxagoras* aut invenit, aut celebravit. Nõnulli vero magis acute & sobrie censebant, ad varietatem rerum expediendam sufficere, si semina, substantiâ eadẽ figuris varia, sed certis & definitis essent; & reliqua in positura & complexu seminũ ad invicem ponebant: ex quo fonte opinio de *Atomis* emanavit: ad quam *Democritus* se applicavit, cum *Leucippus* ejus auctor fuisset. At alii, licet unum rerum Principium assererent, (Aquã *Thales*, Aërem *Anaxamenes*, Ignem *Heraclitus*) tamen illud ipsum principium actu unicum, potentia varium & dispensabile posuerunt, ut in quo rerum omnium semina latterent. Qui vero materiam omnino spoliatam, & informẽ, & ad formas indifferentẽ introduxerunt, (ut *Plato* & *Aristoteles*) multo etiã proprius & propensius ad parabolę figu-

figuram accesserunt. Posuerunt enim *Materiam* tanquam *publicam Meretricem*, *Formas* vero tanquam *Procos*: Adeo ut omnes de rerum principiis opiniones huc redeant, & ad illam distributionem reducantur, ut mundus sit, vel à *Mercurio*, vel à *Penelope*, & *Procis* omnibus. Tertia autem *Generatio Panis*, ejusmodi est, ut videantur Græci aliquid de Hebræis mysteriis, vel per Ægyptios internuncios, vel utcunque, inaudivisse. Pertinet enim ad statum mundi, non in meris natalibus suis, sed post lapsum Adami, morti & corruptioni expositum, & obnoxium factum. Ille enim status, Dei, & peccati, (sive contumeliæ) proles fuit, ac manet. Fuit enim peccatum Adami ex genere *Contumeliæ*, cum *Deo similis fieri vellet*. Itaque triplex ista narratio de *Generatione Panis*, etiam vera videri possit, si rite & rebus & temporibus distinguatur. Nam iste *Pan* (qualem eum nunc intuemur & complectimur) ex *Verbo Divino*, mediante confusa *Materia* (quæ tamen ipsa Dei opus erat] & subintrante *Prævaricatione*, & per eam corruptione, Ortum habet.

Naturæ rerum, *Fata*, *rerum* sorores vere perhibentur, & ponuntur. *Fata* enim vocantur, ortus rerum, & durationes, & interitus, atque depressiones etiam, & eminentiæ, & labores & felicitates, denique conditiones quæcunque Individui: quæ tamen nisi in Individuo nobili (utpote homine, aut urbe, aut gente) fere non agnoscuntur. Atqui ad istas conditiones tam varias, deducit Individua illa singula *Pan*, Rerum scilicet Natura; ut tanquam eadem sit res (quatenus ad Individua) catena Naturæ & filum Parcarum. Ad hæc insuper finxerunt Antiqui, *Panem* semper sub Dio morari, sed *Parcas* sub specu ingenti subterraneo habitare, atque inde maxima pernicitate ad homines subito advolare: quia *Natura*, atque Universi facies, spectabilis & aperta, at *Fata* Individuorum occulta, & rapida. Quod si *Fatum* accipiatur largius, ut omnem prorsus eventum, non illustriores tantum, denoter, tamen utique & eo sensu optime convenit cum Universitate Rerum, cum ex ordine Naturæ, nil tam exiguum sit, quod sine causa fiat, & rursus nil tam magnum, ut non aliunde pendeat, adeo ut fabrica ipsa Naturæ, suo sinu & gremio, omnem eventum & minimum & maximum complectatur, & suo tempore certa Lege prodat. Itaque nil mirũ, si *Parcæ* ut *Panis* sorores introductæ sint, & certè legitimæ. Nam *Fortuna* Vulgi filia est, & levioribus tantum Philosophis placuit. Sane *Epicurus*, non solum profanum instituere sermonem, sed etiam desipere videtur, cum dixit, *Præstare credere fabulam Deorum, quam Fatum asserere*, ac si quicquam in universo esse possit instar Insulæ, quod à rerum nexu separetur. Verum *Epicurus* Philosophiam suam naturalem (ut ex ipsi° verbis patet) morali suæ accommodans & subjiciens, nullam opinionem admittere voluit, quæ animum premeret & morderet, atque *Euthymiam* illam (quam à *Democrito* acceperat) lacesseret aut turbaret. Itaq; suavitati cogitationum indulgens, potius quam Veritatis patiens, plane jugum jactavit, & tam Fati necessitatem, quam Deorum metum repudiavit. Verum de *Parcarum* germanitate cum *Pane* satis dictum est.

Cornua autem mundo attribuuntur, ab imo latioria, adverticem acuta. Omnis enim rerum natura instar Pyramidis acuta est. Quippe Individua, in quibus basis naturæ exporrigitur, infinita sunt; ea colliguntur in species, & ipsas multiplices; species rursus insurgunt in genera, atque hæc quoque ascendendo in magis generalia contrahuntur; ut tandem natura, tanquam in unum coire videatur; quod *Figura* illa *pyramidali Cornuum Panis* significatur. Mirum vero minimè est, *Panis* cornua etiam cœlum ferire; cum excelsa naturæ, sive ideæ universales, ad Divina quodammodo pertingant. Itaque & catena illa *Homeri* decantata, (causarum scilicet Naturalium) ad pedem Solii Jovis fixa memorabatur; neque quisquam (ut videre est) Metaphysicam, & quæ in Natura æterna, & immobilia sunt, tractavit, atque animum à fluxu rerum paulisper abduxit, qui non simul in Theologiã Naturalem inciderit; adeo paratus & propinquus est transitus, à vertice illa Pyramidis, ad Divina.

Corpus autem *Naturæ* elegantissime & verissimè depingitur *hirsutum*, propter rerum radios. Radii enim sunt tanquam naturæ crines, sive villi: Atq; omnia fere vel magis vel min° radiosa sunt: Quod in facultate visus manifestissimum est; nec minus in omni virtute magnetica, & operatione ad distans. Quicquid enim operatur ad distans, id etiã radios emittere recte dici potest. Sed maximè omnium prominet *Barba Panis*, quia radii corporum cœlestium, & præcipuè Solis, maximè ex longinquo operantur & penetrant. Adeo ut superiora terræ, atq; etiam interiora, ad distantiam nonnullam planè verterint & subegerint, & spiritu impleverint. Elegantior autem est figura de *Barba Panis*, quod & Sol ipse, quando parte superiore ejus nube obvoluta, radii inferiùs erumpunt, ad aspectum *barbatus* cernitur.

Etiam corpus naturæ rectissimè describitur *biforme*, ob differentiam corporum superiorum, & inferiorum. Illa enim ob pulchritudinem, & motus æqualitatem & constantiam, nec non Imperium in terram & terrestria, merito sub humana figura repræsentantur; cum Natura humana ordinis & Dominationis particeps sit: Hæc autem ob perturbationem, & motus incompositos, & quod à cœlestibus in plurimis regantur, bruti animalis figula contenta esse possunt. Porro eadem corporis biformis descriptio pertinet ad participationem specierum: Nulla enim naturæ species, simplex videri potest, sed tanquam ex duobus participans, & concreta. Habet enim homo nonnihil ex bruto, brutum nonnihil ex planta, planta nonnihil ex corpore inanimato, omniaque revera biformia sunt, & ex specie superiore & inferiore compacta. Acutissima autem est allegoria de *Pedibus Capræ*, propter ascensionem corporum terrestrium versus regiones aëris & cœli, ubi etiã pensilia fiunt, & inde dejiciuntur, magis quam descendunt. Capra enim animal scansorium est, eaq; è rupibus pendere, atque in præcipitiis hærere amat; Similiter etiam res, licet inferiori globo destinatæ, faciunt, idq; miris modis, ut in nubib° & meteoris manifestissimum est. Imo nõ sine causa *Gilbertus*, qui de Magnete laboriosissimè, & secundum viã experimentalem cõscripsit, dubitationẽ injecit,

injecit, Num non forte corpora gravia, post longam à terra distantiam, motum versus inferiora paulatim exuant.

Insignia autem in manibus *Panis* ponuntur duplicia, Alterum *Harmoniæ*, alterum *Imperii*, *fistula* enim ex *septem calamis*, concentum rerum & harmoniam, sive concordiam cum discordia mistam, [quæ ex septem stellarum errantium motu conficitur,) evidenter ostendit. Neque enim alii, præterquam septem Planetarum, inveniuntur in cœlo errores, sive expatiationes manifestæ, quæ cum æqualitate stellarum fixarum, earumque perpetua & invariabili ad se invicem distantia compositæ & temperatæ, tum constantiam specierum, tum fluxum individuorum tueri & ciere possint. Si qui vero sint Planetæ minores, qui non conspiciuntur, si qua etiam mutatio in cœlo major, (ut in Cometis nonnullis superlunarib⁹) videntur illa profecto tanquam fistulæ, aut omnino mutæ, aut ad tempus tantum strepere, utpote quarum operationes vel ad nos non perlabantur, vel harmoniam illam septem fistularum *Panis* non diu interturbent *Pedum* autem illud *Imperii*, nobilis translatio est, propter vias Naturę partim rectas, partim obliquas. Atque *Baculus* ille, sive *Virga*, versus superiorem partem præcipue curva est, quia omnia providentiæ divinæ opera in mundo fere per ambages, & circuitus fiunt, ut aliud agi videri possit, aliud revera agatur, sicut *Iosephi venditio in Ægyptum*, & similia. Quinetiam in regimine humano omni prudentiore, qui ad gubernacula sedent populo convenientia, per prætextus & vias obliquas felicius quę volunt, quã ex directo superinducunt & insinuant. Etiam (quod mirum forrasse videri possit) in rebus mere naturalibus, citius Naturam fallas quam premas: Adeo, quæ ex directo fiunt, inepta sunt, & se ipsa impedunt, cum contra, via obliqua & insinuans molliter fluat, & effectum sortiatur. *Vestis Panis* & amiculum, ingeniose admodam ex *Pelle Pardalis* fuisse fingitur, propter maculas ubiq; sparsas. Cœlum enim stellis, maria insulis, tellus floribus consperguntur, Atq; etiam res particulares fere variegatæ esse solent circa superficiem, quæ veluti *Rei Clamys* est.

Officium autem *Panis* nulla alia re, tam ad vivum proponi atq; explicari potuerit, quam quod *Deus Venatorum* sit. Omnis enim naturalis actio, atque adeo motus & progressio, nihil aliud quam *Venatio* est. Nam & scientiæ & artes opera sua venantur, & consilia humana fines suos, atque res naturales omnes vel alimenta sua, ut conserventur, vel voluptates & delicias suas, ut perficiantur, venantur; [omnis siquidem venatio est aut prædæ, aut animi causa:] idque modis peritis & sagacibus.

Torva Leæna lupum sequitur, lupus ipse Capellam,
Florentem ythisum sequitur lasciva Capella.

Etiam *Ruricularum* in genere *Pan Deus* est, quia hujusmodi homines magis secundũ naturam vivunt, cum in urbibus & aulis natura à cultu nimio corrumpatur, ut illud Poëtæ amatorium, verum, propter hujusmodi delicias, etiam de Natura sit:

— *Pars minima est ipsa puellæ sui.*

Montium autem imprimis *Præses* dicitur *Pan*, quia in montibus & locis editis natura rerum panditur, atq; oculis & contemplationi magis subjicitur. Quod alter à *Mercurio Deorum nuntius* sit *Pan*, ea allegoria plane divina est, cum proxime post Verbum Dei, ipsa mundi imago, divinæ potentiæ & sapientiæ præconium sit. Quod & Poëta divinus cecinit, *enarrant gloriam Dei, atq; opera manuum ejus indicat firmamentum.*

At *Pana* oblectant *Nymphæ*, animæ scilicet: Deliciæ enim mundi animæ viventium sunt. Hic autem merito illarum Imperator, cum illæ Naturam quæque suam tanquam ducem sequantur, & circa eum infinita cum varietate, veluti singulæ more patrio, saltent, & choreas ducant, motu neutiquã cessante. Itaq; acute quidam ex recentioribus, facultates animæ omnes ad motum reduxit, & nonnullorum ex antiquis fastidium & præcipitationẽ notavit, qui memoriã, & phantasiam, & rationem, defixis præpropere oculis intuentes & contemplantes, vim cogitativam, quæ primas tenet, prætermiserunt. Nam & qui meminit, aut etiam reminiscitur, cogitat, & qui imaginatur, similiter cogitat, & qui ratiocinatur, utiq; cogitat: deniq; anima, sive à sensu monita, sive sibi permissa, sive in functionibus intellectus, sive affectuum & voluntatis, ad modulationem cogitationum saltat, quę est illa Nympharum tripudiatio. Vna vero perpetuo comitantur *Satyri* & *Sileni*, senectus scilicet & juventus. Omnium n. rerum est ætas quædam hilaris & motu gaudens, atq; rursus ætas tarda & bibula: Vtriusq; autem ætatis studia, vere contemplanti, forrasse ridicula, & deformia videantur, instar *Satyri* alicujus aut *Sileni*, De *Panicis* autẽ *Terroribus* prudentissima Doctrina proponitur. Natura enim rerum omnibus viventibus indidit metum & formidinem, vitæ atq; essentiæ suæ conservatricem, ac mala ingruentia vitantem & depellentem. Veruntamẽ eadem Natura modum tenere nescia est, sed *timoribus* salutaribus semper vanos & inanes admiscet; adeo ut omnia (si intus conspici darentur) *Panicis terroribus* plenissima sint; præsertim humana, & maxime omnium apud vulgum, qui superstitione (quæ vere nihil aliud quam *Panicus terror* est) in immensum laborat & agitatur, præcipue temporibus duris, & trepidis, & adversis. Neq; superstitio ista tantummodo in vulgo regnat, sed ab opinionib⁹ vulgi etiam in sapientiores aliquãdo insilit; ut divine *Epicurus* (si cæteraquæ de Diis disseruit, ad hanc normam fuissent) locutus sit: *Non Deos vulgi negare profanum, sed vulgi opiniones Diis applicare profanum.*

Quod vero attinet ad *Audaciam Panis*, & *Pugnam* per *provocationem* cum *Cupidine*; id eo spectat, quia materia non caret inclinatione & appetitu ad dissolutionem mundi, & recidivationem in illud Chaos antiquum, nisi prævalida rerum concordia (per *Amorem* sive *Cupidinem* significata) malitia & impetus ejus cohiberetur, & in ordinem compelleretur. Itaq; bono admodum hominum & rerum fato fit, (vel potius immensa bonitate divina) ut *Pan* illud certamen adversum experiatur, & victus abscedat. Eodem prorsus pertinet & illud de *Typhone* in *retibus* implicato, quia utcunque aliquando vasti & insoliti rerum tumores sint, (id quod *Typhon* sonat] sive intumescãt maria, sive intumescant nubes, sive intũescat terra, sive alia, tamẽ rerũ natura hujusmodi corporũ exuberantias

atque insolentias reti inextricabili implicat & coërcet, & veluti catena adamantina devincit.

Quod autem *Inventio Cereris* huic Deo attribuatur, idque inter venationem; reliquis autem Diis negetur, licet sedulo quærentibus, & illud ipsum agentibus; monitum habet verum admodum & prudens: hoc scilicet, ne rerum utilium ad vitam & cultum inventio, à Philosophis abstractis, tanquam Diis majoribus, expectetur, licet totis viribus in illud ipsum incumbant; sed tantummodo à *Pane*, id est, experientia sagaci, & rerum mundi notitia universali; quæ etiam casu quodam, ac veluti inter venandum, in hujusmodi inventa incidere solet. Utilissima enim quæq; inventa experientiæ debentur, & veluti donaria quædam fuere casu in homines sparsa.

Illud autem *Musices certamen*, eiusq eventus, salutarem exhibet Doctrinam, atque eam quæ rationi & judicio humano gestienti, & se efferenti, sobrietatis vincula injicere possit. Duplex enim videtur esse Harmonia, & quasi *Musica*, altera Sapientiæ divinæ, altera Rationis humanæ. Judicio enim humano, ac veluti auribus mortalium administratio mundi & rerum, & Judicia divina secretiora, sonant aliquid durum, & quasi absonum: Quę inscitia licet *asininis Auribus* merito insigniatur, tamen & illæ ipsæ aures secreto, non palam, gestantur. Neque enim huiusce rei deformitas à vulgo conspicitur aut notatur.

Postremo minime mirum est, si nulli *Amores Pani* attribuantur, præter *Conjugium Echus*. Mundus enim se ipso, atq; in se rebus omnibus fruitur: Qui amat autem, frui vult, neq; in copia desiderio locus est. Itaque Mundi *Amores* esse nulli possunt, nec potiundi Cupido, (cum se ipse contentus sit) nisi fortasse Amores *Sermonis*. Is sunt *Nympha Echo*. Res non solida, sed vocalis, aut si accuratiores sint, *Syringa*, quando scilicet verba, & voces, numeris quibusdam, sive Poëticis, sive Oratoriis, & tanquā modulamine, reguntur. Inter sermones autem sive voces excellenter ad conjugiū mundi sumitur sola *Echo*: Ea enim demum vera est Philosophia, quæ mundi ipsius voces fidelissime reddit, & veluti dictante mundo conscripta est; & nihil aliud est quam ejusdem simulachrum & reflexio: neque addit quicquā de proprio, sed tantum, iterat, & resonat. Nam quod *Lunam Pan* in altas sylvas aliquando sevocasset, videtur pertinere ad cōgressum sensus cum rebus cœlestibus, sive divinis. Nam alia est *Endymionis* ratio, alia *Panis*: Ad *Endymionem* dormientē sponte se dimittit *Luna*: siquidem ad intellectum sopitum, & à sensibus adductum, quādoq; sponte influunt divina: Quod si accersantur & vocentur à sensu, tanquam à *Pane*, tum vero non aliud lumen præbent, quam illud,

Quale sub incertam Lunam sub luce maligna
Est iter in Sylvis. -- --

Ad mundi etiam sufficientiam & perfectionem pertinet, quod *prolē non edat*. Ille enim per partes generat, per totū quomodo generare possit, cum corpus extra ipsum non sit? Nam de *Mulierculā* illa *Iambe*, *Filia Panis* putativa, est sane ea adjectio quædam ad fabulam sapientissima. Per illam enim repræsentantur eæ, quæ perpetuis temporibus passim vagantur, atq; omnia implent, vaniloquæ de rerum natura doctrinæ, re ipsa infructosæ, genere quasi subditiciæ, garrulitate vero interdum jucundæ, interdum molestæ & importunæ.

Exemplum alterum Philosophiæ, secundum parabolas Antiquas in Politicis. *De Bello, secundum fabulam* Persei.

PErseus *Orientalis* cum fuisset, missus traditur à *Pallade*, ad obtruncandam *Medusam*, quæ populis plurimis ad *Occidentem*, in extremis *Iberiæ* partibus, maximę calamitati fuit. Monstrum enim hoc, alias crudele & immane, etiam aspectu tam dirum atque horrendum fuit, ut eo solo homines in saxa verteret. Erat autem è *Gorgonibus* una, *Medusa*, ac sola inter eas mortalis, cum reliquæ passivæ non essent. *Perseus* igitur ad tam nobile facinus se comparans, arma ac dona à tribus Diis mutuo accepit; *Alas* à *Mercurio*, talares scilicet, non axillares à *Plutone* autem *Galeam*, *Scutum* deniq; à *Pallade* & *Speculum*. Neq; tamen (licet tanto apparatu instructus) ad *Medusam* recta perrexit, sed primum ad *Græas* divertit. Eæ sorores, ex altera parente, *Gorgonibus* erant; atque *Græ* illæ canæ etiam à nativitate erant, & tanquam vetulæ. Oculus autem iis tantummodo & dens erat omnibus unicus; quos prout exire foras quāq; contigerat, vicissim gestabant, reversæ autem deponere solebant. Hunc itaque oculum, atq; hunc dentem illæ *Perseo* commodarūt. Tum demum, cum se abunde ad destinata perficienda instructum judicaret, ad *Medusam* properavit, impiger & volans. Illam autem offendit dormientem, neq tamen aspectui ejus (si forsan evigilaret) se committe audebat, sed cervice reflexa, & in *Speculum* illud *Palladis* inspiciens, atq; hoc modo ictus dirigens, caput *Medusæ* abscidit: Ex sanguine autem ejusdem, in terram fuso, statim *Pegasus* alatus emicuit. Caput autem abscissum *Perseus* in Scutū *Palladis* transtulit & inseruit, cui etiam nunc sua mansit vis, ut ad ejus intuitū omnes ceu attoniti aut siderati obrigerēt.

Fabula convicta videtur de *belligerandi ratione* & prudentia. Atque prima omnis *belli susceptio* debet esse tanquam *Missio* à *Pallade*: non à *Venere* certe, (ut bellum Trojanum fuit) aut alia lævi ex causa: quippe cum in Consiliis solidis Decreta de bellis fundari oporteat. Deinde de *Genere belli* eligendo, tria proponit fabula præcepta, sana admodum & gravia. Primum est, ut de *subjugatione Nationum finitimarum* quis non magnopere laboret. Neq; enim eadem est Patrimonii & Imperii amplificandi ratio. Nā in possessionibus privatis, vicinitas Prædiorum spectatur, sed in propagando Imperio, Occasio, & Belli conficiendi facilitas, & fructus, loco vicinitatis esse debent. Itaq; *Perseus*, licet *Orientalis*, tamen tam longinquā expeditionem, usque ad extremum *Occidentem*, minimè detrectavit. Hujus rei exemplum insigne est in belligerandi diversa ratione patris & filij Regum, *Philippi* & *Alexandri*. Ille enim in finitimis bellis occupatus, urbes paucas imperio adiecit, idque non sine maxima contentione & periculo. Quippe qui & alias, & præcipue in *Prælio Cheroneo*, in ultimū discrimen adductus fuit: At *Alexander* longinquam expeditionem bene ausus in *Persas*, Nationes infinitas subjugavit, magis itineribus quā præliis fatigatus. Hoc ipsum adhuc clarius cernitur, in propagatione *Imperij Romanorum*, qui, pro tempore, ex parte *Occidentis*, vix ultra *Liguriam* armis penetraverāt, eodem tempore *Orientis* provincias usq;

ad *Mon-*

ad *Montem Taurum* Armis & Imperio complexi sunt. Etiam *Carolus Octavus* Rex *Galliæ*, *Bellum Britannicum* (quod matrimonio tandem compositum est) non admodum facile expertus expeditionem illam *Neapolitanam* longinquã admiranda quadam facilitate & felicitate transegit. Habent certe hoc bella longinqua, ut cum iis manus conseratur, qui Militæ, & Armis invasoris minime sint assueti, quod in finitimis secus se habet. Etiam & apparatus in hujusmodi expeditionibus solet esse diligentior & instructior, & terror apud hostes ex ipso ausu & fiducia major. Neq; etiam fere possit heri in illis expeditionibus remotis, per hostes, ad quos tam longo itinere pervenitur, diversi aliqua aut invasio reciproca, quæ in belligerãdi ratione cum finitimis sæpius adhibetur. Caput autem rei est, quod in subjugandis finitimis, Occasionũ delectus in angusto versatur, at si quis longinquiora non detrectet, poterit pro arbitrio suo eo trãsferre bellum, ubi aut disciplina militaris maximè est enervata, aut vires nationis plurimum attritæ & consumptæ, aut dissidia civilia opportune oborta, aut aliæ hujusmodi commoditates se ostendant. Secundum est, ut semper subsit *Causa Belli* justa, & pia & honorifica, & favorabilis, : Id enim alacritatem, tum militibus, tum populis impensas conferentib⁹, addit, & societas aperit & conciliat, & plurimas deniq, comoditates habet. Inter causas autem belli, admodum favorabilis est, ea, quæ ducit ad debellandas tyrannides, sub quibus populus succumbit, & prosternitur sine animis & vigore, tanquam sub *Aspectum Medusæ*, quod etiam *Herculi* Divinitatem conciliavit. Romanis certe magna religio fuit, strenue & impigre accurrere ad socios tuendos, si quoquo modo oppressi fuissent. Etiam bella ob vindictam justam fere semper felicia fuerunt, sicut bellum adversus *Brutum* & *Cassium*, ad vindicandam mortem *Cæsaris*; *Severi* ad vindicandam mortem *Pertinacis*, *Junij Bruti* ad vindicandam mortem *Lucretiæ*. Deniq; quicunq; bello calamitates hominum & injurias, aut levant, aut vindicant, sub *Perseo* militant. Tertium ut in omni bello suscipiendo vera sit *Æstimatio virtũ*, atque recte perpendatur, utrum bellũ sit tale, quod confici & ad exitum perduci possit, ne quis vastas & infinitas spes persequatur. Prudẽter enim *Perseus* inter *Gorgoras* (per quas bella repræsentãtur) eam delegit, quæ in sua natura mortalis erat, neq; ad impossibilia animum adjecit. Atque de iis, quæ in suscipiendo bello deliberationem subeũt, hæc præcipit fabula, reliqua ad belligerationem ipsam pertinent.

In bello maxime omnium prosunt illa tria *Dona Deorum*, adeo ut Fortunam ipsam fere regant & trahant. Accepit enim, *Perseus Celeritatem* à *Mercurio*, *Occultationem Consiliorum* ab *Orco*, & *Providentiam* à *Pallade*: Neque caret allegoria, eaque prudentissima, quod *Alæ* illæ *Celeritatis* in rebus conficiends (cum Celeritas in bello plurimum possit) *Talares*, non *Axillares* fuerint, atque pedibus, non humeris additæ; quia non tam in primis belli aggressibus, quam in iis, quæ sequuntur, & primis subsidio sunt, Celeritas requiritur. Nullus enim error in bello magis frequẽs fuit; quã quod prosecutiones, & subsidiarii impetus, initiorum alacritati non respondeant. At *Galea Plutonis* (quæ homines invisibiles reddere solebat) manifesta parabola est. Nam *Consiliorum occultatio* post *celeritatem*, maximi ad bellum est momenti. Cujus etiam Celeritas ipsa, pars magna est. Celeritas enim consiliorum evulgationem prævertit. Ad *Galeam Plutonis* spectant, ut unus bello præsit, cum mandatis liberis, Consulationes enim cum multis, habent aliquid potius ex *Cristis Martis*, quam ex *Galea Plutonis*. Eodem spectant prætextus varii, & designationes ancipites, & famæ emissariæ, quæ oculos hominum aut perstringunt, aut avertunt, atque vera consiliorum in obscuro ponunt. Etiam cautiones diligentes & suspicaces, de literis, de legatis, de perfugis, & complura alia, *Galeam Plutonis* ornant, & revinciunt. At non minus interest, *Consilia Hostium* explorare, quam sua occultare. Itaq; *Galeæ Plutonis* adjungendum est *Speculum Palladis*, per quod hostium vires, inopia, occulti fautores, dissidia & factiones, progressus, consilia cernantur. Quoniam vero tantum fortuitorum suscipit ratio bell, ut nec in consiliis propriis occultandis nec in hostium explorandis, nec in celeritate ipsa, multũ fiduciæ ponendum sit, ideo ante omnia sumendum *Palladis Scutum*, *Providẽtiæ* scilicet, ut quam minimũ *Fortunæ* relinquatur. Huc pertinent, exploratò vias inire, Castra diligenter munire, (quod in militia moderna in desuetudinẽ fere abiit; Castra vero instar urbis munitæ, Romanis ad adversos prælii eventus erant) acies stabilis & ordinata, non nimium fidendo cohortibus levis armaturæ, aut etiam equitum turmis; deniq; omnia quæ ad solidam & sollicitam Defensivam spectant: cum plus valeat utiq; in Bellis *Scutum Palladis* quam *Gladius* ipse *Martis*. Verum *Perseo* utcunque copiis aut animis instructo, restat aliud quidpiam, maximi per omnia momemti, antequam bellum incipiatur: Nimirum, ut *divertat ad Græas*. *Græa* autem *proditiones* sunt, bellorũ scilicet sorores, non Germanę illæ quidem, sed generis nobilitate quasi impares. Bella enim Generosa, proditiones degeneres & turpes. Earum descriptio elegãs est, ut *Canæ* à nativitate sint, & tanquã *Vetulæ* propter perpetuas proditorũ curas, & trepidationes. Earum autem vis (antequam in manifestam defectionem erumpant) aut in *Oculo*, aut in *Dente* est. Omnis enim fact o, à statu quopiam alienata, & in proditionem propensa, & *speculatur*, & *mordet*. Atq; hujusmodi *Oculus* & *Dens* tanquam *communis* est; nam quicquid didicerunt & noverunt, fere per manus ab una ad alteram transit & percurrit. Et quod ad *Dentem* attinet, uno quasi ore mordẽt. & eadem scandala jactant; ut si unam audias omnes audias. Itaq; *Perseo* sunt istæ *Græa* conciliandæ, atq; in auxilium adducendæ, præsertim ut *Oculum* & *Dentem* suum ei commodent; *Oculum* ad judicia; *Dentem* ad rumores serendos, & invidiam conflandam, & animos hominum sollicitandos. Postquã vero omnia bene fuerint ad bellum præparate disposita, illud imprimis curandum, quod *Perseus* fecit, ut *Medusa dormiens* inveniatur. Prudẽs enim belli susceptor semper fere hostem assequitur imparatum, & securitati propiorem Deniq; in ipsis Belli actionib⁹ atq; insultibus, ille *Intuitus in speculum palladis*, adoperandus est. Plurimi enim ante ipsa pericula res hostium acute & attente introspicere possunt, at in ipso Periculi

articulo, aut terrore offunduntur, aut pericula nimium præcipites & à fronte spectant: unde in illa temere ruunt, vincendi memores, vitandi obliti. At neutrũ horum fieri decet; sed in *speculum Palladis, cervice reflexa*, inspiciendum, ut impetus recte dirigatur, absq; vel terrore, vel furore.

A bello perfecto & victoria, sequuntur effecta duo, *Pegasi* illa *Generatio* & *Excusatio*, quæ satis evidẽter *Famam* denotat, quæ per omnia volat, & victoriam celebrat, & reliquias belli faciles & in votum cedentes efficit. Secundũ, *Gestatio Capitis Medusæ* in *Scuto*: siquidem nullum præsidii genus huic ob præstantiam comparari possit. *Vnicum* enim *facinus insigne* & memorabile, feliciter gestum & perpetratum, omnes hostium motus obrigescere facit, atque malevolentiam ipsam stupidam reddit.

Exemplum tertium Philosophiæ secundum Parabolas antiquas, in Moralibus. *De Cupiditate, secundum fabulam* Dionysi.

NArrant, *Semelem, Iovis* pellicem, postquam juramento eum inviolabili ad votum indefinitum obstrinxisset, petiisse, ut ad amplexus suos accederet talis, qualis cum *Junone* consuesset. Itaq; illa ex conflagratione periit. Infans autem, quem in utero gestabat, à Patre exceptus, in femur ejus insutus est, donec menses fœtui destinatos compleret. Ex quo tamen onere *Jupiter* interim nonihil claudicabat. Itaq: Puer, quod Jovem, dum in femore ejus portaretur, gravaret & pungeret Dionysi nomen accepit. Postquam autem editus esset, apud *Proserpinam* per aliquot annos nutritus est. Dum vero adultus esset, ore fere muliebri conspiciebatur, ut sexꝰ videretur tanquam ambigui. Etiam extinctus & sepultus quondã erat ad tempus, & non ita multo post revixit. Atq; prima juventa vitis culturam, atq; adeo vini confectionẽ & usum primus invenit, & edocuit ex quo celebris factus, & inclytus orbem terrarum subjugavit, & ad ultimos Indorũ terminos perrexit. Curru autem vehebatur à Tigribus tracto; circa eum subsultabant *Dæmones* deformes, *Cobali* vocati, *Acratus*, & alii. Quin & *Musæ* comitatui ejus se adjungebãt. Vxorem autẽ sibi sumpsit *Ariadnem* à *Theseo* desertam & relictam. *Arbor* ei sacra erat *Hedera*. Etiam sacrorum & ceremoniarum inventor & institutor habebatur, ejus tamen generis, quæ & fanaticæ erãt, & plenæ corruptelarũ, atq; insuper crudeles. Furores quoq: immittendi potestatem habebat. Certe in *Orgyu* ejus, à mulieribꝰ furore percitis, duo viri insignes discerpti narrantur, *Pentheus* & *Orpheus*: Ille, dum arbore conscensa spectator eorum, quæ agerentur, curiosus esse voluisset. Hic, cum lyram suaviter & perite pulsaret. Atq: hujus Dei res gestæ, cum *Iovis* rebus fere confunduntur.

Fabula videtur ad *mores* pertinere, ut vix quicquam in Philosophia Morali melius inveniatur. Describitur autem sub *Persona Bacchi*, *Natura Cupiditatis*, sive affectuum & perturbationum animi. Primũ igitur, quod ad *Natalia Cupiditatis* attinet; *Origo Cupiditatis* omnis licet nocetissimæ, nõ alia est, quam *Bonum Apparens*. Sicut enim virtutis mater est bonum existens, similiter cupiditatis mater est bonum apparẽs. Altera *Iovis* (sub cuius persona anima humana repræsẽtatur) uxor legitima, altera pellex: quæ tamen *Iunonis* honores æmuletur, tanquã *Semele*. Concipitur vero *Cupiditas* in *voto illicito*, prius temere concesso, quã rite intellecto & judicato. Atq; postquam effervescere cœperit, *Mater* ejus (natura scilicet & species boni) *nimio incendio* destruitur & perit. Processus autem cupiditatis à cõceptu suo talis est: Illa ab *animo humano* (qui ejus est genitor) & nutricatur, & occultatur, præcipue in *inferiore parte* ejus tanquam *femore*; atq; animum pungit, & convellit, & deprimit, adeo ut actiones & decreta ab ea impediãtur, & claudicent. Quin etiam postquã consensu & tempore confirmata est, & in actus erumpit, ut jam quasi *menses compleverit*, & edita plane sit atq; nata, primo tamen ad tempus nonnullum apud *Proserpinã* educatur, id est, *latebras quærit*, atq; clãdestina est, & quasi subterranea; donec remotis *pudoris & metus frænis*, coalita audacia, aut virtutis alicujus prætextũ sumit, aut infamiam ipsam contemnit. Atq: illud verissimum est, omnem affectum vehementiorem tanquam *ambigui sexus* esse. Habet enim *Impetum virilem, impotentiam* autem *muliebrem*, Etiam illud præclare, *Bacchum mortuum reviscere*. Videntur enim affectus quandoq; sopiti, atq; extincti, sed nulla fides habenda est eis, ne sepultis quidem, siquidem præbita materia, & occasione, resurgunt.

De *Inventione Vitis* parabola prudens est: Omnis enim affectus ingeniosus est admodum sagax, ad investigandũ ea, quæ ipsum alant & foveant. Atqui ante omnia quæ hominibus innotuere, *Vinum* ad perturbationes cuiuscunq; generis excitandas & inflamãdas potentissimũ est, & maxime efficax, atq. est Cupiditatibus in genere instar *fomitis communis*. Elegantissime autẽ ponitur *Affectus* sive *Cupiditas*, *Provinciarũ subjugator*, & expeditionis infinitæ susceptor: nunquam enim partis acquiescit, sed appetitu infinito, neq: satiabili, ad ulteriora tẽdit, & novis semper inhiat. Etiam *Tigres* apud *Affectus stabulant*, & ad *Currum* eorũ subinde *jugantur*. Postquam enim *Affectus Curulis* esse cœperit, non *pedestris*, sed victor rationis, & quasi triumphator factus, in omnes qui adversantur aut se opponũt, crudelis est, & indomitus, ac imitis. Facetũ autem est, quod circa *Currum Bacchi* subsultant illi *Dæmones* deformes & ridiculi. Omnis enim affectꝰ vehemẽtior progignit motus, in Oculis, & Ore ipso, & Gestu, indecoros & inconditos, subsultorios & deformes, adeo ut qui sibi ipsi fortasse in aliquo affectu [veluti ira, arrogãtia amore] videatur magnificus & tumidus, aliis tamen appareat turpis & ridiculus. Conspiciuntur autẽ in *Cupiditatis comitatu Musæ*. Neq; enim reperitur, ullus fere affectꝰ, tam pravus & vilis, cui non blandiatur aliqua doctrina. Hac enim in re, ingeniorũ indulgentia & procacitas, Musarũ Majestatem in immensum minuit, ut, cum duces vitæ & signiferi esse debeant, sint non raro Cupiditatum pedissequæ, & oblectatrices.

Inprimis vero nobilis est illa Allegoria, *Bacchum amores* suos in eam effudisse, quę ab alia *relicta* erat & fastidita. Certissimũ enim est, affectus petere atq; ambire, quod *Experientia* jã pridẽ repudiavit. Atq: norint omnes, qui affectibus suis serviẽtes & indulgentes pretiũ potiundi in immensum augẽt, (sive honores appetãt, sive amores, sive gloriã, sive scientiam, sive alia quæcunq:) se *res relictas* petere, & à cõpluribus, per omnia fere secula, post experimentũ, dimissas & repudiatas. Neq: Mysterio caret quod *Hedera Baccho* sacra fuerit, hoc enim duplici modo cõvenit. Primũ, quod *Hedera hyeme virescat* deinde,

deinde, quod circa tot *res* [arbores, parietes, ædificia] *serpat*, ac circumfundatur, & se attollat. Quod ad primum enim attinet, omnis *Cupiditas* per *Renitentiam*, & Vetitum, & tanquam Antiperistasin [veluti per frigora Brumæ *Hedera*] virescit, ac vigorem acquirit; Secundo, *affectus* aliquis in humana anima prædominãs, omnes ejus actiones & decreta, tanquam *Hedera circumsepit*; neq; fere quicquam putũ invenias, quo illa Claviculas suas non imprimat. Neque mirum est, si *Superstitiosi Ritus Baccho* attribuantur, cum omnis fere *male sanus affectus in pravis Religionibus* luxurietur: adeo ut Hæreticorum colluvies Bacchanalia Ethnicorum superarit; quorũ etiam superstitiones, non minus cruentæ, quã turpes extiterunt. Neq; itidem mirum est, si *Furores a Baccho* immitti putentur, cum & omnis *Affectus in excessu suo*, veluti *Furor brevis* sit, &, si vehementius obsideat & incũbat, in Insania sæpius terminetur. Illud autẽ de *Pentheo* & *Orpheo* inter *Orgia Baechi* laceratis, evidentẽ Parabolã habet: cum affectus quisq; prævalid° erga duas res fit asperrimus atque infensissimus; quarum altera est *Inquisitio in eum curiosa*, altera, *Admonitio salutaris* & libera. Neq; auxilio fuerit, si illa inquisitio fiat tantum contemplationis aut spectãdi gratia, tanquam arbore conscensa, absq; omni animi malignitate; Neq; rursus, si admonitio illa, multa cũ suavitate & dexteritate adhibeatur; Verum utcunque non tolerant *Orgya* aut *Pentheum* aut *Orpheũ*. Postremo, illa *Confusio Personarum Iovis* & *Bacchi*, ad Parabolam recte traduci potest; quandoquidẽ *res gestæ nobiles*, & claræ, atq; merita insignia & gloriosa, interdum à *Virtute* & recta ratione & magnanimitate, interdũ autem à *latente affectu* & occulta Cupiditate (utcunque famæ & laudis celebritate utraq; res pariter gaudeat) proveniant, ut non facile sit distinguere facta *Dionysi* à factis *Iovis*.

Verum in Theatro nimis diu moramur; transeamus ad Palatium Animi cujus limina majori cum veneratione & cura ingredi convenit.

FRANCISCI BACONIS
DE VERULAMIO,
Vice-Comitis sancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER TERTIUS,
Ad Regem suum.

CAP. I.

Partitio Scientiæ in Theologiam & Philosophiam. *Partitio* Philosophiæ *in* Doctrinas *tres: De* Numine, *de* Natura, *de* Homine. *Constitutio* Philosophiæ Primæ, *ut Matris communis omnium.*

Historia omnis (Rex optimè) humi incedit, & Ducis potius officio, quam Lucis perfungitur: *Poësis* autem doctrinæ tanquam somnium: Res dulcis, & varia, & volens videri aliquid in se habere Divini; Quod etiam somnia vendicant. Verum jam tempus est mihi, ut evigilem, & me humo attollam, *Philosophiæ & Scientiarum* liquidum æthera secans.

Scientia aquarum similis est, Aquarum aliæ descendunt cœlitus, aliæ emanant è terra. Etiã *Scientiarum* primaria partitio sumenda est ex fontibus suis. Horũ alii in alto siti sunt, alii hic infra. Omnis enim *Scientia* duplicem sortitur informationem. Vna inspiratur divinit°, altera oritur à sensu. Nam quantum ad illam, quæ *Docendo* infunditur, Scientiam, Cumulativa ea est, non Originalis: sicut etiã sit in aquis, quæ præter fontes primarios, ex aliis rivulis in se receptis, augescunt. Partiemur igitur Scientiam, in *Theologiam* & *Philosophiam*. *Theologiam* hic intelligimus *Inspiratam* sive Sacram, non *Naturalem*; de qua paulo post dicturi sumus. At illam (*Inspiratam* nimirum) ad ultimum locum reservabimus, ut cum ea sermones nostros claudamus; cum sit portus, & Sabbathum humanarum contemplationum omnium.

Philosophiæ autem Objectum triplex, *Deus*, *Natura*, *Homo*: Et triplex itidem *Radius* Rerum, *Natura* enim percutit intellectum *Radio directo*; *Deus* autem, propter medium inæquale (Creaturas scilicet) *Radio refracto*; *Homo* verò, sibi monstratus & exhibitus, *Radio reflexo*. Convenit igitur partiri *Philosophiam* in *Doctrinas* tres: *Doctrinam* de *Numine*, *Doctrinam* de *Natura*, *Doctrinam* de *Homine*. Quoniam autem Partitiones *Scientiarum* non sunt lineis diversis similes, quæ coeunt ad unum angulum; sed potius ramis arborum, qui conjunguntur in uno trunco, (qui etiam truncus ad spatium nonnullum integer est & continuus, antequam se partiatur in ramos;) idcirco postulat res, ut priusquam prioris partitionis membra persequamur, constituatur una *Scientia Vniversalis*, quæ sit Mater reliquarum, & habeatur in progressu Doctrinarum, tanquam portio viæ comũnis, antequam viæ se separent, & disjungant. Hanc *Scientiam*, *Philosophiæ primæ*, sive etiam *Sapientiæ* (quæ olim *Rerum divinarum atque humanarum Scientia* definiebatur (nomine insignimus. Huic autem *Scientiæ* nulla alia opponitur; cum ab aliis Scientiis, potius limitibus, intra quos continetur, quam rebus & subjecto differat, fastigia scilicet rerum tantummodo tractans. Hanc ipsam utrum inter *Desiderata* reponere oporteat, hæsito; sed arbitror tamen poni debere. Equidem invenio farraginem quandam, & massam inconditam Doctrinæ, ex *Theologia Naturali*; ex *Logica*; ex partibus quibusdam *Physicæ*, veluti de *Principiis*, & de *Anima*, compositam, & congestam, & sublimitate quadam sermonis, Hominum, qui se ipsos admirari amant, tanquam in Vertice Scientiarum collocatam. Nos vero, misso fastu, id tantum volumus, ut designetur aliqua *Scientia*, quæ sit receptaculum *Axiomatum*, quæ particularium Scientiarum non sint propria, sed pluribus earum in commune competant.

Plurima autẽ id genus *Axiomata* esse nemo ambigat. Exẽpli gratia, *Si inæqualibus æqualia addas, omnia erunt inæqualia*: Regula est ex *Mathematicis*:

ticis: Eadem & in *Ethicis* obtinet, quatenus ad Justitiam Distributivam; Siquidem in Justitia Commutativa, ut Paria Imparibus tribuantur, Ratio Æqui, tatis postulat: at in Distributiva, nisi Imparia Imparibus præstentur, iniquitas fuerit maxima. *Qua in eodem tertio conveniunt, & inter se conveniunt*: Regula est itidem ex *Mathematicis*: Verum simul tam potens in *Logica*, ut Syllogismi sit Fundamentum. *Natura se potissimum prodit in minimis*: Regula est in *Physicis*, tam valida, ut etiam *Democriti Atomos* produxerit; Veruntamen eam recte adhibuit Aristoteles in *Politicis*, qui Contemplatioem Reip. orditur à familia. *Omnia mutantur, nil interit*: Regula itidem in *Physicis*; hoc modo prolata, *Quantum Natura, nec minuitur, nec augetur*: Eadē competit *Theologiæ Naturali*, sic variata; *Omnipotentiæ sunt opera*: *Aliquid ex nihilo facere, & aliquid in nihilum redigere*: Quod etiam Scriptūa testatur, *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverēt in perpetuum, non possumus eis quicquam addere, nec auferre. Interitus rei arcetur per reductionem ejus ad principia*: Regula est in *Physicis*; Eadem valet in *Politicis*. (ut recte notavit Machiavellus) cum illa, quæ interitum Rerump. maximè prohibent, nihil aliud fere sint, quam reformatio earū, & reductio ad antiquos mores. *Putredo serpens, magis contagiosa est, quam matura*; Regula est in *Physicis*, eadem insignis etiam in *Moralibus*; cum Homines profligatissimi, & maxime facinorosi, minō corruptelæ inferāt publicis Moribus, quam qui aliquid videntur habere sanitatis & virtutis, & ex parte tantum mali sunt. *Quod conservativum est formæ majoris, id activitate potentius*: Regula est in *Physicis*. Etenim, ut non abscindatur ipse rerum nexus, nec detur (ut loquuntur) vacuum, facit ad conservandam fabricam universi. Vt vero gravia congregentur ad massam terræ, facit ad conservandam tantum regionem densorum. Itaque prior motus posteriorem domat. Eadem tenet in *Politicis*. Nam quæ faciunt ad conservandam ipsam Politiam in sua Natura, validiora sunt, quam quæ Bene esse Particularium in Reipubl. membrorum conducunt. Similiter eadem locum habet in *Theologia*. Etenim in Theologicis virtutibus, Charitas, quæ est virtus maxime communicativa, præ reliquis omnibus eminet. *Augetur vis agentis per Antiperistasin Contrarij*: Regula est in *Physicis*. Eadem mira præstat in *Politicis*; cum omnis factio, ex contraria ingruente, vehementur irritetur. *Tonus discors in concordem actutum desinens, Concentum commendat*: Regula est *Musicæ*. Eadem in *Ethicis* & *Affectibus* obtinet. Tropus ille Musicus, *à clausula* aut *cadentia*, (quam vocant) cum jam jam *adesse videatur, placidè elabendi*; convenit cum Tropo Rhetorico *Expectationem eludendi*. *Fidiū sonus tremulus*, eandem affert auribus voluptatem, quā Lumen, Aquæ aut Gemmæ insiliens, Oculis;

—*Splendet tremulo sub lumine Pontus.*

Organa Sensuū cum Organis Reflexionū conveniunt. Hoc in *Perspectiva* locum habet; Oculus enim similis speculo, sive aquis. Et in *Acoustica*; Instrumentum enim auditus obici intra cavernam simile. Hæc pauca enumerasse sufficet ad exempla. Quinimo *Magia Persarum* (quæ in tantum est celebrata) in eo potissimum versabatur, ut architecturas & fabricas, rerum naturalium, & civilium, symbolizantes notaret. Neq; hæc omnia, quæ diximō, & alia huiō generis, similitudines meræ sunt, (quales hominibus fortasse parum perspicacibus videri possint) sed plane una eademque naturæ vestigia aut signacula, diversis materiis & subjectis impressa. Atq; hæc res adhuc sedulo tractata non est. Inveias fortasse in scripris, quæ ab ingeniis celsioribus promanarunt hujusmodi *Axiomata* raro & sparsim inserta, ex usu Argumenti quod tractant: Corpus verò aliquod talium *Axiomatum*, quæ vim habeant quandam primitivam & summariam ad *Scientias*, nemo composuit; cum tamen sit res eiusmodi, quæ insigniter Naturam unam faciat; quod *Philosophiæ primæ* munus esse autumāt.

Est & alia hujus *Philosophiæ primæ* pars, quæ, si ad vocabula respicias, vetus est; si ad rem, quam designamus, nova. Est autem inquisitio de *Conditionibus adventitiis Entium*, (quas *Transcendentes* dicere possumus) *Pauco, Multo, Simili, Diverso*; *Possibili, Impossibili*; etiam *Ente*, & *non Ente*, atque eiusmodi. Quandoquidem enim ista sub *Physica* proprie non cadant, Dissertatio autem Dialectica circa ea, magis ad argumentandi rationes, quā ad rerum existentiam sit accomodata; consentaneū omnino est, ut hæc contemplatio (in qua non parum est dignitatis & utilitatis) haud deseratur prorsus, sed in scientiarum partitionibus, nonnullum saltem inveniat locum: Veruntamen hoc intelligimus fieri debere, longe alio, quā quo tractari solet, modo. Exempli gratia: Nemo qui de *Multo* & *Pauco* verba fecit, hoc egit, ut causa reddatur, cur alia Natura, tam numerosa & ampla sint, & esse possint, alia tam rara & modica: Non certe. Fieri non potest, in Rerum Natura, tanta sit copia auri, quanta ferri; tanta rosæ, quanta graminis; tanta specificati, quanta non specificati. Similiter, Nemo, qui de *Simili* & *Diverso* differuit, satis explicavit, cur quasi perpetuo iter *species diversas*, interponantur *Participia* quædam, quæ sunt speciei ambiguæ; veluti muscus inter putredinem & plantam; pisces qui hærēt & loco non moventur, inter plantā & animal; sorices, & mures, & alia nonnulla, inter animalia ex putredine & ex semine prognata, vespertiliones inter aves & quadrupedes, pisces volantes, (qui jam notissimi sunt) inter aves & pisces, phocæ inter pisces & quadrupedes, & alia hujusmodi. Neq; rursus causam indagavit quispiam, cur cum *similia similibus gaudeant*, ferrum ferrum non trahat, quod magnes facit, neq aurum ipsum aurum, licet argentum vivum alliciat. Circa hæc, & similia, in Disceptatione de *Transcendentibus* illis, altū est silentium: Orationis enim apices, non rerum subtilitates, secuti sunt homines Quamobrem horum *Transcendentium* sive *Conditionū Entium adventitiarum* inquisitionem veram, & solidam, secundum naturæ, non sermonis leges, *Philosophiam Primam* recipere volumus. Atque de *Philosophia prima* (sive de *Sophia*) quam inter *Desiderata* haud immerito retulimus, hæc dicta sint.

Cap. II.

De Theologia Naturali: & Doctrina *de* Angelis & Spiritibus; *quæ ejusdem est* Appendix.

Collocata igitur sua in sede *Communi Scientiarum Parente*, instar Berecynthiæ tanta gaudentis cœlesti sobole:

Omnes Cœlicolas, omnes Supera alta tenentes;

revertamur ad partitionē illam trium *Philosophiarum*, *Divinæ*, *Naturalis*, & *Humanæ*. Nam *Theologia Na-*

Naturalis, philosophia etiam *Divina* recte appellatur. Definitur autē hæc, ut sit talis *Scientia*, seu potius *Scientiæ* scintilla, qualis de Deo haberi potest, per lumen Naturæ, & contemplationem Rerum creatarum: & ratione Objecti sanè Divina, ratione informationis, naturalis censeri potest. Hujus *Scientiæ* limites ita vere signantur, ut ad Atheismum confutandum, & convincendū, & ad legē naturæ informandam, se extendant; ad religionem autem adstruendam non proferantur. Quamobrem nec Deus unquā edidit miraculū, quo converteretur Atheus; quia poterat ipso naturæ Lumine ad notitiam Dei perduci; verū miracula ad convertendos idololatras & superstitiosos designata sunt, qui Numeaguoverūt, sed in Cultu ejus aberrarūt; quoniam non sufficit Lumen Naturæ, Dei voluntati declarandæ, aut Cultui ejus legitimo prodendo. Sicut enim Opificis potētiam & peritiā ostendūt opera ejus, imaginē autem minime; sic Opera Dei, Conditoris omnipotentiam & Sapientiam ostendunt, Imaginē ejus haudquaquā depingunt. Atque hac in re, Ethnicorum opinio sacra veritate recidit. Illi siquidem Mundum imaginem Dei statuebant, Hominē Mundi. At Sacræ Literæ haud tali honore Mundū dignantur, ut Dei ispiam Imago dicatur, sed solummodo Opus Manuum ejus; Hominem verò Imaginem Dei immediate substituunt. Quocirca, quod sit Deus, quod rerū habenas tractet, quod summe Potens, quod Sapiens & Præscius, quod Bonus, quod Remunerator, quod Vindex, quod Adorandus, etiam ex operibus ejus demonstrari & evinci potest: & admirabilia, complura secreta attributa ejus, & multo magis circa regimen & dispensationem super universum, etiā sobrie ex iisdem elici & manifestari queunt; estq; istud argumentū à nonnullis utiliter pertractatū. Verum ex intuitu rerū naturalium, atq; humanæ rationis principiis, de fidei mysteriis vel ratiocinari, vel etiā suadere vehementius, aut rursus ea curiosius introspicere, & ventilare, & de modo Mysterij inquirere, haud tutum meo judicio fuerit. *Da fidei quæ fidei sunt.* Nam vel Ethnici, in illustri illa & divina de aurea catena fabula, hoc ipsum cōcedunt, *quod Jovem de Cœlo ad Terras deducere nec homines potuerunt, nec Dii, è contrario, quod Jupiter pertrahere eos potuerit è Terra ad Cœlum.* Quare frustra sudaverit, qui cœlestia Religionis arcana, nostræ rationi adaptare conabitur: Decebit potius, mentes nostras ad cœlestis veritatis Thronū adorandum attollere. In hac igitur parte *Theologiæ Naturali*, tantum abest, ut defectum aliquem observem ut excessum potius reperiā; ad quem subnotandum paulum sum digressus, propter maxima incommoda & pericula, quæ ex eo tum Religioni, tum Philosophiæ impendent; utpote qui & Religionem Hæreticam procudit, & Philosophiam Phantasticam & superstitiosam.

Secus est, quod ad *Angelorum* & *Spirituum* Naturam attinet; quæ nec inscrutabilis est, nec interdicta; ad quam etiam, ex affinitate, quam habet cū anima humana, Aditus magna ex parte est patefactus. Præcipit certe Sacra Scriptura; *Nemo vos decipiat in sublimitate sermonum, & religione Angelorū, ingerens se in ea, quæ non novit.* Attamen si hoc monitum diligenter perpendas, duo duntaxat in eo vetita reperies; Adorationē scilicet, qualis Deo debetur, Angelorū, & fanaticas de iis opiniones, vel ultra creaturæ sortem eos efferentes, vel ampliorem de iis cognitionem, quam quis revera adeptus sit, venditantes. Cæterum sobria circā illos inquisitio, quæ vel per rerum corporearum scalā ad eorum naturam pernoscendam ascendat; vel in anima humana, veluti in Speculo, eam intueatur, neutiquā prohibetur. Idē de *Spiritibus* statuendū *Immundis*, qui à statu suo decideruntⁿ. Consortiū cum iis, atq; usus operæ eorum, illicitus est, multo magis qualiscunq; cultus vel Veneratio. At cōtemplatio & cognitio illorum naturæ, potestatis, illusionem, non solum ex locis Scripturæ Sacræ, sed ex ratione, aut experiētia, haud postrema pars est sapientiæ spiritualis. Sic certe Apostolus, *Stratagematum ejus non ignari sumus.* Ac non minus *Dæmonum* Naturam investigare in *Theologia Naturali* conceditur, quam *Venenorum* in *Physica*, aut *Vitiorum* in *Ethica*. Hanc autem *Scientiæ* partem de *Angelis* & *Dæmonibus*, inter *Desiderata* numerare: non licet, quippe quæ ab haud paucis sit tentata: Æquiº esset, ut Scriptorum in hoc genere pars haud parva, aut vanitatis, aut superstitionis, aut subtilitatis inutilis, arguantur.

CAP. III.

Partitio Naturalis Philosophiæ *in* Speculativam & Operativam: *Quoq; illæ duæ, & in intentione Tractantis, & in Corpore Tractatus, segregari debeant.*

M Illa igitur *Theologia Naturali* (cui inquisitionem de *Spiritibus*, ut *appendicem* attribuimᵖ) accedamus ad secundam partem, videlicet illā de *Natura*, sive *Philosophiam naturalem*. Optime Democritus; *Scientiam de Natura, in profundis Minerū, sive Puteū latere demersum.* Non male Chymici: *Vulcanum alteram Naturam esse, quin etiam id celeriter perficere, quod Natura per ambages, & temporis moras solet.* Quidni igitur *Philosophiam* in duas partes secemus, *Fodinam* & *Fornacem*; & duo constituamus *Philosophorum Munera, Operariosin Minerū, & Fabros*: Sane utcunque videamur hæc per lusum loqui; tamen hujus generis partitionē utilissimam esse censemus, cum proponetur vocabulis familiaribus & scholasticis, hoc est, ut dividatur *Doctrina de Natura, in inquisitionem causarum, & productionem effectuum: Speculativam & Operativam.* Altera Naturæ viscera perscrutatur, altera Naturam veluti super incudem efformat. Neque me fugit quam arcto copulentur vinculo, *Causa* & *effectus*, ut explicationem eorum aliquatenus conjugi sit necesse. Attamen quandoquidem omnis solida & fructuosa *Naturalis philosophia*, duplicem adhibeat scalam, eamque diversam; *Ascensoriam* & *Descensoriam*, Ab *Experientia* ad *Axiomata*, & ab *Axiomatibus* ad *nova Inventa*, consultissimum judico, ut hæ duæ Partes, *Speculativa & Operativa*, & in intentione Tractantis, & in corpore Tractatus, separentur.

CAP. IV.

Partitio doctrinæ speculativæ de Natura, *in* Physicam Specialem, *&* Metaphysicam: *quarum* Physica Causam Efficientem *&* Materiam; Metaphysica Causam Finalem *&* Formam *inquirit. Partitio* Physicæ *in* doctrinas de Principiis rerum, de fabrica rerum *sive* de mundo, *&* de varietate rerum. *Partitio* Physicæ de varietate rerum, *in* doctrinam de Concretis, & doctrinam de Abstractis. *Partitio* doctrinæ de Concretis, *rejicitur ad eusdem partitiones, quas suscipit* historia naturalis. *Partitio* doctrinæ de Abstractis *in* doctrinam de Schematismis Materiæ, & doctrinam de Motibus. *Appendices duæ* Physicæ speculativæ, Problemata naturalia, Placita antiquorum Philosophorum. *Partitio* Metaphysicæ, *in* doctrinam de Formis, *&* doctrinam *de* Finalibus.

Na-

NAturalis *Philosophiæ* partem, quæ *Speculativa* est, & Theorica, in *Physicam Specialem*, & *Metaphysicam* dividere placet. Atque hac partitione attendant homines, nos vocabulum *Metaphysicæ* usurpare, sensu à recepto, & vulgato, discrepanti. Hic autem locus admonendi videtur, de nostro, in genere, circa usum vocabulorum, instituto. Id hujusmodi est, ut tam in præmisso vocabulo *Metaphysica*, quam in aliis, ubi conceptus & notiones nostræ novæ sunt, & à receptis recedunt, maxima certe cum Religione antiqua vocabula retineamus. Cum n. futurum speremus, ut ordo ipse, & dilucida rerum explicatio, quam subjungere conamur, nos à parva vocabulorum (quib⁹ utimur) intelligentia liberent, in cæteris omnino avemus (quatenus sine veritatis ac scientiarũ dispendio fieri possit) vel minimum ab antiquorum aut opinionibus aut loquendi more deflectere. Qua in re Aristotelis cõfidentiam proinde subit mirari, qui impetu quodam percitus contradictionis, & bellũ universæ Antiquitati indicens, nõ solum nova artium vocabula pro libitu cudendi licentiam usurpavit; sed etiam priscam omnem sapientiam extinguere & delere annisus est. Adeo ut neq; nominet uspiam authores antiquos, neque dogmatum eorũ mentionẽ ullam faciat, nisi quo authores perstringeret, aut placita redargueret. Sane si famã nomini suo, ac sequaciũ turbam affectaverit, hoc rationib⁹ suis inprimis accomodatum. Siquidẽ in veritate Philosophica asserenda, & recipienda, idem contingit, q. in veritate divina, *Veni in nomine Patris, nec recipitis me, si quis venerit in nomine suo, eum recipietis.* Sed ex hoc cœlesti Aphorismo, si, quẽ præcipue designaverit, spectemus, (nempe Antichristum omnium sæculorum Impostorem maximum) colligere licet, istud ipsum, *Venire in nomine suo*, nulla Antiquitatis, aut [si ita loqui licet] Paternitatis habita ratione, rem malì ominis esse ad veritatem, utcunq; eam sæpenumero comitetur illa fortuna, *Eum recipietis.* Cæterum de viro tam eximio certe, & ob acumen ingenii mirabilis, Aristotele, crediderim facile, hanc ambitionẽ eum à discipulo suo accepisse, quẽ fortasse æmulatus est, ut si ille omnes nationes, hic omnes opiniones subigeret, & Monarchiã quandã in contemplationibus sibi conderet. Quanquã fieri possit, ut apud aliquos tetricos, & linguæ acerbæ, simili cũ discipulo suo titulo insigniretur.

Felix terrarum prædo, non utile mundo.

Editus exemplum: —

Eodem modo,

Felix doctrinæ prædo, &c.

Nobis vero ex altera parte (quibus, quantũ calamo valemus, inter vetera & nova in literis fœdus & commercium contrahere, cordi est) decretum manet, Antiquitatem comitari *usque ad aras*, atq; vocabula antiqua retinere, quanquam sensum eorum & definitiones sæpius immutemus, secundũ moderatum illum & laudatum, in Civilibus, novandi modum, quo rerum statu novato, vẽrborũ tamen solennia durent, quod notat Tacitus, *Eadem magistratuum vocabula.*

Redeamus igitur ad acceptionem vocabuli *Metaphysicæ*, nostro sensu. Patet ex iis, quæ supra disseruimus, disjungere nos *Philosophiam primam* à *Metaphysica*, quæ hactenus pro re eadem habitæ sunt. Illam *Communem Scientiarum parentem*, hanc *Naturalis Philosophiæ portionem* posuimus. Atqui *Philosophiæ primæ* communia & promiscua *Scientiarum Axiomata* assignavimus. Etiam *Relativas*; & *Adventitias Entium Conditiones*, (quas *Transcendentes* nominavimus) *Multum, Paucum*; *Idem, Diversum, Possibile, Impossibile*, & hoc genus reliqua, eidem attribuimus; id solummodo cavendo, ut Physice, nõ Logice tractentur. At inquisitionẽ de *Deo, Vno, Bono, Angelis, Spiritibus*, ad *Theologiã Naturalem* retulimus. Merito igitur quæri possit, quid tandem sit, quod *Metaphysicæ* relinquatur? Certe ultra Naturam nihil, sed ipsius Naturæ pars multo præstantissima. Atque profecto, citra veritatis dispendium, hucusq; de veterum scientia respondere liceat, *Physicam*, ea tractare, quæ pœnit⁹ in Materia mersa sunt, & Mobilia; *Metaphysicam* Abstracta magis, & Cõstantia. Rursus *Physicam* in Natura supponere existentiam tantum, & motũ, & naturalem necessitatem: At *Metaphysicam* etiã mentem & Ideam. Nam huc fortè redit ea quam dicemus, res. Verum nos eam, missã sermonis sublimitate, perspicue & familiariter proponemus. Partiti sumus *Naturalem Philosophiam*, in *causarũ inquisitionem*, & *productionem effectuum. Inquisitionem Causarum*, in *Theoricam* conjecimus. Eam in *Physicam* & *Metaphysicam* partiti sumus. Ergo necesse est, ut vera differẽtia harũ sumatur ex natura causarũ, quas inquirunt. Itaq; absq; aliqua obscuritate, aut circuitione *Physica* est, quæ inquirit de *Efficiente* & *Materia*. *Metaphisica*, quæ de *Forma* & *Fine*.

Physica igitur *Causarum* vaga, & incerta, & promodo subjecti, mobilia complectitur; *causarum* constantiam non assequitur.

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Vno eodemque igne. —

Ignis duritiei causa, sed in limo; Ignis colliquationis causa, sed in cera. Partiemur autem *Physicam* in *doctrinas* tres. *Natura* enim aut *collecta in unum*; aut *fusa* & *sparsa* est. Colligitur vero in unum *Natura*, aut propter *communia rerum omnium principia*, aut propter *unicam integralem universi fabricam.* Itaque hæc *Vnio naturæ* duas peperit *Physicæ* partes: unam de *principiis rerum*; alterã de *fabrica Vniversi*, sive de *mundo*, quas etiam *Doctrinas de summis* appellare consuevimus. Tertia doctrina (quæ de *Natura sparsa* sive *fusa* tractat) *omnimodam rerum varietatem*, & *summas minores* exhibet. Ex his igitur patet, tres omnino reperiri *Doctrinas Physicas*. De *Principiis Rerum*, De *Mundo* sive de *Fabrica Rerum*, & de *Natura multiplici* sive *sparsa*, quæ postrema (ut diximus) omnimodã rerũ varietatẽ continet, estque veluti glossa prima, aut Paraphrasis circa Naturæ interpretationem. Harum trium partium *desideratur* totaliter nulla, Cæterum quam vere & solide tractentur, non est hic definiendi locus.

At *Physicam sparsam* sive de *varietate rerum*: rursus in duas partes dividimus, *Physicam* de *Concretis*, & *Physicam* de *Naturis*. Altera (ut Logicis vocabulis utamur) inquirit de substantiis, cũ omni varietate suorum accidentium: Altera de accidentibus, per omnem varietatem substantiarũ. Veluti si inquiratur de leone, aut quercu, illa complura diversa accidentia suffulciunt: Cõtra, si inquiratur de calore, aut gravitate, illa plurimis distinctis substantiis insunt. Cum vero omnis *Physica*, sita sit

sit in medio, inter *Historiam Naturalem* & *Metaphysicam*, Prior pars (si recte advertas) *Historia Naturali proprior* est, *posterior Metaphysicæ*. *Physica* autem *Concreta* eandem subit divisionem, quam *Historia Naturalis*: ut si vel circa *Cœlestia*, vel circa *Meteora* vel circa *Globum terræ* & *Maris*, vel circa *Collegia maiora*, quæ *Elementa* vocant; ~~vel circa Collegia minora, quæ Elementa vocant;~~ vel circa *Collegia minora*, sive *Species*, etiam circa *Prætergenerationes*, & circa *Mechanica*. Etenim in hisce omnibus, *Historia naturalis* factũ ipsum perscrutatur & refert, at *Physica* itidem Causas: sed intellige hoc de *Causis fluxis*, *Materia* scilicet & *Efficiente*. Inter hasce *Physicæ* portiones, manca prorsus & imperfecta est ea, quæ inquirit de *Cœlestibus*, cum tamen propter nobilitatem subjecti præcipuæ hominibus curæ esse deberet. Etenim *Astronomia* fundata est in Phænomenis non male; sed humilis est; & minime etiam solida: At *Astrologia* in plurimis etiam fundamento caret. Certe *Astronomia* talem offert humano intellectui victimam, qualem Prometheus olim, cum fraudem Jovi fecit: Adduxit ille, loco bovis veri, pellem bovis, grandis & pulchri, stramine, & foliis, & viminibus suffarcinatam. Exhibet similiter & *Astronomia*, exteriora Cœlestium (Astrorum dicimus numerũ, situm, motus, periodos) tanquam pellem Cœli, pulchram, & in Systemata affabre concinnatam: At viscera desunt (*rationes* nempe *Physicæ*] ex quibus [*Hypothesibus Astronomicis* ad junctis] eruatur Theoria, non quæ Phænomenis tantum satisfaciat, [cujus generis complures ingeniose cõfingi possent,] sed quæ substantiam, & motum, & influxum Cœlestium, prout revera sunt, proponat. Explosa n. fere jam pridem sunt illa, *Raptus primi mobilis*, & *Solidita Cæli* [stellis in Orbibus suis tanquã clavis in laquearibus infixis.) Nec multo melius asseritur; Quod sint *diversi Poli* Zodiaci & Mundi; Quod sit *Secundũ mobile* Renitentiæ in adversum primi mobilis raptus. Quod omnia in Cœlo ferantur per *Circulos perfectos*, Quod sint *Eccentrici*, & *Epicycli*, quibus motuũ in Circulis perfectis Cõstantia servetur, Quod à Luna in superiõ nulla fit *Mutatio*, aut *Violentia*, Et hujusmodi. Atq; harum suppositionum absurditas, in motũ terræ diurnum [q̃ nobis constat falsissimũ esse] homines impegit. At vix quisquã est, qui inquisivit causas Physicas, tum de *Substantia Cœlestium* tam Sellari, quã inter stellari, tũ de *Celeritate* & *Tarditate* Corporum Cœlestiũ ad invicem, tũ de *Incitatione Motus diversa* in eodẽ Planeta, tum de *Motuum Cõsecutione* ab Oriente in Occidentẽ aut è contrario, deq; *Progressionibus*, *Stationibus*, & *Retrogradationibus*, tum de *Motuum Sublatione*, & *Casu*, per Apogæa & Perigæa, tum de *Motuum Obligatione*, vel per spiras se versus Tropicos texendo & retexẽdo, vel per sinuationes, quas Dracones vocant, tum de *Polis Rationum*, cur magis in tali parte cœli siti sint, quã in alia; tum de *Alligatione quorundam Planetarum* ad Distantiam certã à Sole: Hujus, inquã, generis inquisitio vix tẽtata est, sed in *Mathematicis*, tantum *Observationibus* & *Demonstrationibũ* insudatur. Eæ autẽ ostendunt, quomodo hæc omnia ingeniose concinnari & extricari possint, nõ quomodo vere in Natura subsistere. Et motus tantũ apparẽtes, & machinam ipsorũ fictitiam, & ad placitũ dispositã, nõ causas ipsas, & veritatẽ rerũ indicãt. Quo circa male *Astronomia*, qualis nunc habetur, inter *Artes Mathematicas*, nõ sine dignitatis suæ dispẽdio, numeratur; cum debeat potiũ, si proprias partes tueri velit, constitui *Physicæ* pars quasi nobilissima. Quicunq; n. *Superlunarium* & *Sublunariũ* confecta divortia contemserit, & *Materia Appetitus* & *Passiones* maxime *Catholicas*, (quæ in utroq; globo validæ sunt, & universitatẽ rerum transverberant) bene perspexerit; is ex iis, quæ apud nos cernuntur, luculentã capiet de *Rebus Cœlestibus* informationem, & ab iis è contra quæ in Cælo fiunt, haud pauca de *Motibũ Inferioribus*, qui nunc latent, perdiscet, non tantum quatenũ hi ab illis regantur, sed quatenus habeant passiones communes. Quamobrem hanc partem *Astronomiæ*, quæ *Physica* est, *desiderari* statuimũ. Eam *Astronomiã vivam* nominabimus, ad differentiam bovis illius Promethei, suffarcinati, & solummodo figura tenus bovis.

At *Astrologia* multa superstitione refertae est, ut vix aliquid sanũ in ea reperiatur. Attamen eam potius expurgandã, quam prorsus abjiciendam esse censemus. Quod si quis hanc scientiam, non in ratione, aut *Contemplationibus Physicis*, sed in *cœca experientia*, & complurimum sæculorũ observatione, fundata esse contendat, ideoq; *Rationũ Physicarum* examen rejiciat, quod jactabant Chaldæi: is eadẽ opera & Auguria revocet, & Aruspicinam, & exta, & omnigenas fabulas deglutiat: Nã & hæc omnia, ut diutinæ experientiæ, & per manus traditę disciplinę, dictamina fuisse asserebãtur. Nos vero, & ut *Physicæ* portionem, *Astrologiam* recipimus, & non plus ei quam ratio & rerũ evidentia concedit, tribuimus; demptis superstitionibus & comentis. Ut vero rem paulo attentius introspiciamus; Primo, quam inane illud commentum, Quod singuli *Planetæ vicissim per horas* regnẽt, ut spatio viginti quatuor horarũ, regna sua ter repetant, præter horas tres supernumerarias? Attamen hoc comentũ nobis divisionẽ hebdomadæ (rẽ tam antiquam, & tã late receptam) peperit, ut ex alternatione dierum manifestissime patet; cũ in principio diei sequẽtis, regnet sẽper Planeta, à Planeta prioris diei quartõ, propter tres illas horas, quas dixim̃ supernũerarias. Secundo, pro comento vano rejicere nõ dubitamus, *doctrinã* de *thematibus cœli*, ad *puncta tẽporis certa*, cũ *distributione domorũ*, ipsas scilicet *Astrologiæ* delicias; quæ Bacchanalia quædã in Cœlestibus exercuerunt: Nec satis mirari possumũ viros quosdam egregios, & in *Astrologia* Principes, tã levi ad ista adstruenda argumento innixos esse. Ajunt n. quãdo illud prodit experiẽtia ipsa, *Solstitia*, *Æquinoctia*, *Novilunia*, *Plenilunia*, & hujusmodi stellarũ *Revolutiones majores*, manifesto & insigniter operari super corpora naturalia, necesse est, ut *positurę stellarum magis exactę & subtiliores*, effectus quoq; magis exquisitos & occultiores producant. Illi vero seponere primo debuerãt, *operationes solis* per *calorẽ manifestũ*, & similiter *Lunæ vim quandam Magneticã*, super incrementa æstuũ semimẽstrua: (nam fluxũ & refluxũ maris quotidianus alia res est:) his vero sepositis, *reliquas Planetarum vires* super Naturalia (quatenus experientia cõprobantur) tenues admodũ, & infirmas, & quasi latitantes reperient, etiam in *Revolutionibus maioribũ*. Quare cõtrario prorsũ modo cõcludere debuerãt nimirum, cum *revolutiones illæ majores* tam parum possint; *exactas* illas & *minutas positarum differentias*

* Kepler

rentias nihil omnino virium obtinere. Tertio *fatalia* illa, quod hora nativitatis aut conceptionis fortunam fœtus regat, hora inceptionis fortunâ incepti, hora quæstionis fortunam rei inquisitæ, atque (ut verbo dicamus) *doctrinas* de *nativitatibus, electionibus, & quæstionibus*, jstiusmodi levitates, maxima ex parte, nihil certi aut solidi habere, & rationibus physicis plane redargui & evinci, judicamus. Illud igitur magis attinet dicere, quid tandem in *Astrologicis* retineamus aut probemus? Atque in iis, quæ probamus, quid *desideremus*? Nam huius postremę rei gratia (nempe eius quod *desideratur*) sermonem hunc instituimus, cum alias censuris [ut sæpe diximus) non vacemus. Atque inter recepta certe, *doctrinam de revolutionibus*, plus sanitatis, quam reliqua, habere cẽsemus. Verum id optimum factu foret, si *Regulas* quasdam præscribamus, ad quarum trutinam & normam *Astrologica* examinentur; ut utilia retineantur, reiiciantur inania. Prima ea sit, de qua iam ante monuimus, *Revolutiones maiores retineantur, valeant minores horoscoporum & domorum*. Illæ instar tormentorum grandium, ictus suos à longinquo iacere queunt, hæc tanquam arcus minores spatia evadere & vires deferre non possunt. Secunda est; *Operatio cœlestium in corpora omnigena non valet, sed tantum in teneriora*, qualia sunt humores aër, & spiritus: Atque hic tamen excipimus operationes caloris, solis & cœlestium, qui & ad metalla, & ad plurima subterranea proculdubio penetrat. Tertia est: *Omnis operatio cœlestium, potius ad massas rerum extenditur, quam ad individua*: Oblique tamen pervenit etiam ad individua nonnulla: Illa scilicet, quæ ex individuis eiusdem speciei sunt maxime passibilia, & tanquam cera mollior; veluti cũ constitutio aëris pestilens, corpora minus resistẽtia occupat, magis resistentia præterit. Quarta est præcedenti non dissimilis: *Omnis operatio cœlestium, non in puncta temporum, aut angustias minutas, sed in spatia maiora defluit & dominatur*: Itaque prædictiones de temperaturis anni, veræ esse possint; de diebus singulis, pro vanis merito habentur. Postrema est, (quæ etiam prudentioribus Astrologis semper placuit) quod *nulla insit Astris fatalis necessitas* sed quod inclinent ea potius, quam cogant. Addimus & illud, [in quo in partes *Astrologiæ*, si fuerit emendata, non obscure venire videbimur] nimirum quod nobis pro certo constet, cœlestia in se habere alios quosdam influxus, præter *Calorem* & *Lumen*. Qui tamen ipsi, secundum regulas illas, quas iam posuimus, non aliter, valent. Verum illi in intima *Physica* latent, & longiorem dissertationem postulant. Visum est igitur nobis (his, quæ diximus, rite perpensis) inter *Desiderata* reponere *Astrologiam* his principiis nostris consentaneam; Atque sicut *Astronomiam*, quæ Physicis rationibus nitatur, *Astronomiam Vivam*, nominavimus; ita & *Astrologiam*, quæ per easdem regitur, *Astrologiam Sanam*, appellare placet. Circa quam recte conficiendam, licet ea quæ diximus non parum profutura sint; pauca tamen addemus, more nostro, quæ liquidò proponent, & ex quibus sit *coagmentanda*, & ad quæ *adhibenda*. Primo in *Astrologiam Sanam* recipiatur *doctrina* de *commixtionibus radiorum*, coniunctionibus scilicet & oppositionibus, & reliquis Syzygiis, sive Aspectibus Planetarum inter se: *Planetarum* autem per *Signa Zodiaci Pertransitum*, & *Locationem* sub *eisdem Signis*, etiam huic parti, de commixtionibus radiorum, assignamus: Locatio enim planetæ sub signo, est conjunctio quædam ejusdem cum stellis signi: Quin etiam sicut conjunctiones, ita & *oppositiones*, & reliquæ *Syzygiæ Planetarum*, erga *stellas signorum* notandæ sunt; quod ad huc plene factum non est. At commixtiones radiorum fixarum ad invicem, utiles quidem sunt ad contemplationem de fabrica mundi, & regionum subiacentium Natura; ad prædictiones minime, quia semper eodem modo se habent. Secundo recipiantur *Accessiones* singulorum Planetarum propius *ad Perpendiculum*, aut *Recessiones* ab ipso, secundum Regionum climata: Habent enim Planetæ singuli, non minus quam Sol, suas æstates, hyemes, in quibus fortius aut infirmius radios jaciant, propter rationem perpendiculi. Et enim nobis dubium non est, quin Luna posita in Leone, fortius operetur super corpora naturalia, apud nos, quam posita in piscibus: Non quod luna sub leone ad cor respiciat, sub piscibus ad pedes (sicut fabulantur;) sed propter elevationem versus perpendiculm, & approximationem ad stellas majores, eadem prorsus ratione, qua & Sol. Tertio recipiantur *Apogæa* & *Perigæa Planetarum*, cum debita disquisitione, ad quæ pertineat *Planetæ vigor* in se ipso, ad quæ *Vicinitas* ad nos, Planeta enim in Apogæo, sive exaltatione sua, magis alacer est; in Perigæo autem, sive casu suo, magis communicat. Quarto recipiantur (ut summatim dicamus) omnia reliqua *Accidentia motus Planetarum*, quales singulorum in itinere suo *accelerationes, retardationes, progressus, stationes, retrogradationes*; quales *distantiæ à Sole, combustiones, augmenta & diminutiones luminis, eclipses*, & si quæ sint alia. Etenim faciunt hæc omnia, ut Planetarũ radii, vel debilius, diversis denique modis & virtutibus, operentur. Atque quatuor ista ad *Radiationes Stellarum* spectant. Quinto recipiantur, quę Naturas stellarum, sive erraticarum, sive fixarum, in propria sua Essentia & activitate, referare & detegere ullo modo queant; qualis *magnitudo*; qualis *color* & *aspectus*: qualis *scintillatio* & vibratio luminis: qualis *situs versus polos*, aut *Æquinoctium*: Quales *Asterismi*: quæ aliis *stellis magis immixta*, quæ magis *solitariæ*; quæ *superiores*, quæ *inferiores*; quæ ex fixis intra *vias Solis & Planetarum*, (*Zodiacum* scilicet) quæ *extra*: quis ex Planetis *velocior*, quis *tardior*: quis *moveatur in Ecliptica*, quis *pervagetur in latitudine*: quis possit esse *retrogradus*, quis *minime*: quis *potiatur omnimodam distantiam à Sole*, quis *alligetur*: quis moveatur *celerius in Apogæo*, quis in *Perigæo*: Denique *Anomalia Martis, expatiatio Veneris*, & *Labores* sive *Passiones* admirandæ, quæ non semel & in *Sole*, & in *Venere* deprehensæ sunt: & si quæ sint alia? Postremo recipiantur etiam ex traditione, *natura & inclinationes Planetarum* particulares: atque etiam *stellarum fixarum*; quæ, quandoquidem magno consensu tradantur, non leviter (præterquam ubi cum *Physicis rationibus* plane discordant) rejiciendæ sunt. Atque ex talibus observationibus coagmentatur *Astralogia sana*; & secundum eas tantum schemata cœli & componere & interpretari oportet.

Adhibetur autem *Astrologia sana*, ad *prædictiones* fidentius, ad *electiones* cautius, ad utraq, autem

intra

intra terminos debitos. *Prædictiones* fieri possint, de *Cometis* futuris, qui (ut nostra ferr conjectura) prænunciari possunt: & de omni genere *Meteororum*, de *diluviis, siccitatibus, ardoribus, congelactationibus, terræ motibus, irruptionibus aquarum, eruptionibus ignium, ventu & pluviis majoribus, anni variis tempestatibus, pestilentiis, morbis grassantibus, ubertate & caritate frugũ, bellis, seditionibus, sectis, transmigrationibus populorum*, denique de omnibus rerum vel naturalium vel civilium *motibus*, aut *innovationibus majoribus*: Ad magis autem *specialia*, & forte *singularia*, *prædictiones* istæ (licet minore certitudine) deduci possint, si repertis pr mo hujusmodi temporum inclinationibus generalibus, acri judicio vel Physico vel Politico, applicentur illis speciebus aut individuis, quæ hujusmodi accidentibus maxime sint obnoxia; veluti si quis ex præcognitione tempestatum anni, eas reperiet (exempli gratia) magis oleis quam vitibus, magis phthisicis quam hepaticis, magis incolis collium quam vallium, magis monachis quam aulicis, (propter victus rationem diversam) propitias aut perniciosas. Aut si quis ex cognitione influxus, quem cœlestia habent super spiritus humanos, reperiat eum talem esse, ut magis populis quam regibus; magis viris doctis & curiosis, quam animosis & militaribus; magis voluptariis, quam negotiosis aut politicis, faveat aut adversetur. Hujusmodi autem innumera sunt, sed [quemadmodum diximus] non tantum cognitionem illam generalem, quæ sumitur ex astris, (quæ sunt agentia,) verum etiam particularem subjectorum [quæ sunt passiva] requirunt. Neque *electiones* prorsus rejiciendæ sunt; sed parcius illis, quam *prædictionibus* fidendum. Videmus enim in plantationibus, & seminat onibus, & insitionibus, ætatum lunæ observationes, non esse res omnino frivolas. Sunt & multa ejus generis. Verum & *electiones* istæ, etiam magis, quam *Prædictiones* per nostras regulas cohibendæ sunt. Atque illud semper attendendum; valere *Electiones* in illis tantum casibus, ubi & virtus cœlestium talis sit, quæ non subito transeat; & actio inferiorum similiter talis, quæ nõ statim absolvatur; quemadmodum fit in illis exemplis, quæ memoravimus: Nã nec incrementa Lunæ subito transiguntur, nec incrementa Plantarum. Punctualitas vero temporis omnino repudiãda. Inveniuntur autem & talia complura [quod quis min putet] in *electionibus circa civilia*. Quod si quis nos compellat eo nomine, quod, ex quibus ista *Astrologia* emendata *elici* possit, & rursus, ad quæ utiliter *adhiberi*, aliquid monstravimus; quis vero sit eliciendi modus, neutiquã docuimus: ille minus æquus fuerit, cum autem ipsam (cujus debitores non sumus) à nobis exigat. Hoc tamen circa illud ipsum, quod petit, monebimus; Quatuor tantum esse modos, quibus ad hanc scientiã via sternatur. Primo per *experimenta futura*; Dein per *experimenta præterita*; Rursus per *traditiones*; Vltimo per *rationes Physicas*. Atque quod ad *experimenta futura*, quid attinet dicere? cum illa seculis compluribus ad eorum copiam comparandam indigeant; ut de iisdem cogitationem suscipere frustra fuerit. Quod vero ad *experimenta præterita*; Ea certe in manu hominum sunt; licet res sit laboriosa, & multi otii. Possint enim *Astrologi* (si sibi non desint) omnes *casus majores*, (veluti inundationes, pestilentias, prælia, seditiones, mortes Regum) si placet, & similia, ex historiæ fide depromere: & situm cœlestium, non secundum thematum subtilitatem, sed juxta regulas eas revolutionum, quæ à nobis adumbratæ sunt, qualis fuerit sub iisdem temporibus, intueri: ut ubi manifestus fuerit eventuum consensus & conspiratio, ibi *Prædictionis* norma probabilis constituatur. Quatenus ad *Traditiones*: Eas ita ventilare oportet, ut quæ cum *rationibus Physicis* manifesto pugnent, è medio tollantur, quę vero cum iis consentiant, etiam auctoritate sua valeant. Quantum denique ad *Physicas rationes*: Illæ maxime huic inquisitioni accommodatæ sunt, quæ de catholicis materiæ appetitibus, & passionibus, & de motibus corporum simplicibus & genuinis inquirunt. His enim alis ad Cœlestia ista materiata ascenditur tutissime. Atque de *Astrologia sana* hactenus.

Insaniæ autem *Astrologicæ* (præter eà, quæ à principio notavimus, commenta) alia quædam Portio superest non prætermittenda: quæ tamen ab *Astrologia* secludi solet, & in *Magiam*, quam vocant, *Cœlestem* transferri. Ea nacta est mirum commentum ingenii humani, nimirum, ut *benevolus aliquis situs Astrorum in sigillis* aut *signaculis* (puta metalli, aut gemmæ alicujus ad intentionẽ propriæ) excipiatur, quæ Horæ ejus felicitatem alias præter volaturam detineant, & quasi volatilem figant. Quemadmodum graviter ille conqueritur, de tam nobili apud Antiquos arte, jam pridem amissa:

Annulus infuso non vivit mirus Olympo,
Non magis ingentes humili sub lumine Phœbos
Fert Gemma, aut celso divulsas cardine Lunas.

Certe reliquias Sanctorum, earumque virtutes, recepit Ecclesia Romana, (neque enim in Divinis & Immateriatis fluxus temporis obest) verum ut condantur reliquiæ Cœli, quo hora, quæ recessit, & tanquam mortua est, reviviscat & continuetur, mera est superstitio. Missa igitur hæc faciamus, nisi fortæ Musæ Aniculæ jam factæ sint.

Physicam Abstractam in duas partes rectissime dividi posse statuimus: *Doctrinam* de *schematismis materiæ*, & *doctrinam de appetitibus & motibus*. Vtrosque cursim enumerabimus, unde veræ *Physicæ de Abstractis* adumbratio quædam deduci possit. *Schematismi materiæ*, sunt, *densum, rarum, grave, leve, calidum, frigidum, tangibile, pneumaticum, volatile, fixum, determinatum, fluidum, humidum, siccum, pingue, crudum, durum, molle, fragile, tensile, porosum, unitum, spirituosum, jejunum, simplex, compositum, absolutum, imperfecte mistum, fibrosum atque venosum, simplicis positura sive æquum: similare, dissimilare: specificatum, non specificatum: organicum, inorganicum: animatum, inanimatum*: neque ultra rem extendimus. *Sensibile* enim & *insensibile*; *rationale* & *irrationale*, ad *doctrinam de homine* rejicimus. *Appetitum* vero & *motum* duo genera sunt: Sunt enim vel *motus simplices*, in quibus radix omnium naturalium actionum continetur, pro ratione tamen *schematismorum materiæ*: vel *motus compositi* sive producti: à quibus ultimis recepta *Philosophia* (quæ parum de corpore naturæ stringit) auspicatur. Debent autem habere hujusmodi *motus compositi* (quales sunt *generatio, corruptio*, & reliqui) pro pensis quibusdam, aut *summis motuum simplicium*,

plicium, potius quam pro motibus primitivis. *Motus simplices* sunt *motus Antitypiæ*, quem vulgo motum, ne fiat penetratio dimensionum, vocant: *motus nexus*, quem motum ex fuga vacui appellant: *Motus libertatis*, ne detur compressio aut extensio præternaturalis: *Motus in sphæram novam*, sive ad rarefactionem & condensationem: *Motus nexus secundi*, sive ne detur solutio continuitatis: *Motus congregationis majoris*, sive ad massas connaturalium suorum, qui vulgo dicitur motus naturalis: *Motus congregationis minoris*, qui vulgo dicitur Sympathiæ & Antipathiæ: *Motus disponens*, sive ut partes bene collocentur in toto: *Motus assimilationis* sive multiplicationis Naturæ suæ super aliud: *Motus excitationis*, ubi Agens nobilius motum in alio latentem & sopitum excitat: *Motus sigilli impressionis*, operatio scilicet absque communicatione substantiæ: *Motus Regius*, sive cohibitio reliquorum motuum à motu prædominante: *Motus absque termino*, sive rotatio spontanea: *Motus trepidationis*; sive Systoles & Diastoles, corporum scilicet, quæ locantur inter commoda: Postremo *decubitus*, sive *exhorrentia motus*, quæ etiam plurimarum rerum est cassativa. Hujusmodi sunt *Motus simplices*, qui ex penetralibus Naturæ vere prodeunt, quique complicati, continuati, alternati, frænati, repetiti, & multis modis aggregati, *Motus* illos *Compositos*, sive *Summas Motuum*, quæ receptæ sunt, aut illis similes constituunt. *Summæ motuum*, sunt decantati illi motus, *Generatio*, *Corruptio*, *Augmentatio*, *Diminutio*, *Alteratio*, & *Latio*: Etiam *Mixtio*, *Separatio*, *Versio*. Supersunt tantum tanquam *Appendices Physicæ*, *Mensuræ Motuum*: Quid possit *Quantum*, sive *Dosis Naturæ*? Quid possit *Distantia*? id quod Orbis virtutis sive Activitatis non male vocatur. Quid possint *incitatio* & *tarditas*? Quid brevis aut longa *mora*? Quid *vis* aut *hebetudo rei*? Quid *stimulus peristaseos*? Atque hæ sunt *Physicæ veræ de Abstractis* partes genuinæ. Etenim, in *schematismis materiæ*, in *Motibus simplicibus*, in *summis* sive *Aggregationibus motuum*, & in *mensuris motuum*, *Physica* de *Abstractis* absolvitur. Nam *Motum voluntarium in animalibus*: *Motum qui fit in actionibus Sensuum*: *Motum phantasiæ*, *appetitus* & *voluntatis*, *Motum mentis*, *decreti*, & *Intellectualium*, ad proprias *Doctrinas* amandamus. Illud tamen iterato monemus, Universa hæc, quæ diximus, in *Physica* non ulterius tractari, quam ut *Materia* & *Efficiens* ipsorum: Retractantur enim in *Metaphysica*, quoad *Formas* & *Fines*.

Physicæ subjungemus *Appendices* insignes duas, quæ non tam ad materiam, quam ad modum inquisitionis spectant: *Problemata naturalia*, & *Placita Antiquorum Philosophorum*. Prior *Naturæ multiplicis* sive *sparsæ Appendix* est: Secunda *Naturæ unicæ*, sive *Summarum*; Utraque ad solertem *dubitationem* pertinet, quæ *Scientiæ* pars est non contemnenda. Nam *Problemata particulares dubitationes* complectuntur: *Placita generales*; circa *Principia* & *Fabricam*. *Problematum* exemplum nobile est in libris Aristotelis: Quod genus operis meruit certe, non solum ut posterorum laudibus celebraretur, verum etiam ut eorum laboribus continuaretur; cum *dubitationes* indies oriantur novæ. Attamen in hac re adhibenda est cautio magni utique momenti. *Dubiorum commemoratio* & propositio duplicem in se habet fructum: Unum quod *Philosophiam* muniat contra errores; quando id quod non plane liquet, non judicatur, aut asseritur, (ne error errorem gigneret) sed suspenditur de eo judicium, & non fit positivum: Alterum, quod *Dubitationes*, in codicillos relatæ, totidem longiæ sunt, quæ incrementa Scientiæ perpetuo ad se fugant, & alliciant; unde fit, ut illa, quæ, nisi præcessissent *Dubitationes*, leviter & sicco pede transmissa fuissent, *Dubitationum* admonitu attente & studiose observentur. Verum hæ duæ utilitates vix unum compensant incommodum, quod, nisi sedulo prohibeatur, se ingeret: Nimirum quod *Dubitatio*, si semel admittatur tanquam justa, & fiat quasi Authentica, statim Defensores in utramque partem suscitabit, qui etiam posteris eandem Licentiam *Dubitandi* transmittant: adeo ut homines ingenia sua intendant & applicent ad hoc, ut altatur potius *Dubitatio*, quam terminetur aut solvatur. Cujus quidem rei exempla, & in Jurisperitis, & in Academicis, ubique occurrunt: quibus moris est, ut *Dubitationem* semel admissam, perpetuam esse velint, nec minus *Dubitandi*, quam *Asserendi* auctoramenta amplectantur: Cum tamen ille demum sit ingenii usus legitimus, qui ex Dubiis Certa faciat, non qui Certa in Dubium vocet. Quare *Kalendarium Dubitationum*, sive *Problematum* in Natura, & *desiderari* assero, & suscipi probo: Modo curæ sit, ut aucta *Scientia* in dies (quod fiet procul dubio, si nos audiāt homines) quæ clare discussæ sint *Dubitationes*, ex Albo deleantur. Huic *Kalendario* aliud addi cuperem, non minus utile: Cum enim in omni inquisitione inveniantur hæc tria, *perspicue Vera*, *Dubia*, *perspicue Falsa*: utilissimum foret: *Kalendario Dubiorum*, *Kalendarium Falsitatum*, & errorum populatium, vel in Historia naturali, vel in Dogmatibus grassantium, adjungere: ne illæ amplius Scientiis molestæ essent.

Quod ad *Placita antiquorum Philosophorum*, qualia fuerunt *Pythagoræ*, *Philolai*, *Xenophanis*, *Anaxagoræ*, *Parmenidis*, *Leucippi*, *Democriti*, aliorum: (quæ homines contemptim percurrere solent:) non abs refuerit paulo modestius in ea oculos conjicere. Etsi enim Aristoteles, more Ottomanorum, regnare se haud tuto posse putaret, nisi fratres suos omnes contrucidasset: tamen iis, qui non regnum aut magisterium, sed veritatis inquisitionem atque illustrationem sibi proponunt, non potest non videri res utilis, diversas diversorum, circa rerum naturam, opiniones, sub uno aspectu intueri. Neq; tamen subest spes quod veritas aliqua purior ex illis, aut similibus Theoriis, speranda ullo modo sit. Quemadmodū enim eadem Phænomena, iidē calculi, & Ptolomæi principiis Astronomicis, & Copernici competunt: ita experientia ista vulgaris, qua utimur, atque obvia rerum facies, pluribus diversis Theoriis se applicare potest: Ubi ad rectam veritatis indagationem longe alia severitate opus fuerit. Eleganter enim Aristoteles: *Infantes primo balbutiētes, quasvis mulieres appellare matres, post autem propriam matrem discernere.* Sic certe puerilis experientia, omnem *Philosophiam* appellabit matrem; adulta verò Matrem veram internoscet. Interea juvabit *Philoso-*

phias

phias discrepantes, veluti diversas *Naturæ Glossas*, (quarum una fortasse uno loco, alia alio est emendatior,) perlegere. Optarim igitur, ex viris antiquorum Philosophorum, ex fasciculo Plutarchi de Placitis eorum, ex citationibus Platonis, ex Confutationibus Aristotelis, ex sparsa mentione, quæ habetur in aliis libris, tam Ecclesiasticis, quam Ethnicis, (Lactantio, Philone, Philostrato, & reliquis) opus confici, cum diligentia & judicio, de *Antiquis Philosophiis*. Tale enim opus nondum extare video. Attamen hic moneo, ut hoc fiat distinctè: ita ut singulæ *Philosophiæ* seorsum componantur, & continuentur: non per titulos & fasciculos [quod Plutarchus fecit] excipiantur. Quæ vis enim *Philosophia* integra se ipsam sustentat: atque dogmata ejus sibi mutuo & lumen & robur adjiciunt: quod si distrahantur, peregrinum quiddam & durum sonant. Certe quando apud Tacitum lego Facta Neronis aut Claudii, circumstantiis Temporum, Personarum, & Occasionum vestita; nil video quod à probabilitate prorsus abhorreat: cum vero eadem lego in Suetonio Tranquillo per capita, & communes locos, minimeque in serie temporis repræsentata, Portenta quædam videntur, & plane incredibilia. Neque absimilis est ratio *Philosophiæ*, quando proponitur integra, & quando in frusta concisa & dissecta. Neque vero ex hoc *Placitorum Philosophiæ Kalendario* nuperas Theorias & dogmata excludo; Sicut illam *Theophrasti Paracelsi*, eloquenter in Corpus quoddam, & Harmoniam Philosophiæ, redactam à Severino Dano; Aut *Telesii Consentini*, qui Parmenidis Philosophiam instaurans, Arma Peripatericorum in illos ipsos vertit; Aut *Patricii Veneti*, qui Platonicorum fumos sublimavit; Aut *Gilberti* Popularis nostri, qui Philolaï dogmata reposuit; Aut alterius cujuscunque, si modo dignus sit. Horum vero (quoniam volumina integra extant) Summę tantum inde conficiendæ, & cum cæteris conjungendæ. Atque de *Physica* cum *Appendicibus* hæc dicta sint.

Quantum ad *Methaphysicam*, assignavimus jam ei inquisitionem *Causarum Formalium* & *Finalium*; quæ assignatio, quatenus ad *Formas*, incassum facta videatur. Invaluit siquidem opinio atq; inveteravit, *verum formas essentiales*, seu *veras differentias*, nulla humana inveniri diligentia posse. Quæ opinio interim nobis elargitur, atq; concedit, *Inventionem Formarum* ex omnibus Scientiæ partib⁹ dignissimam esse, quæ investigetur, si modo fieri possit, ut reperiantur. Ad inventionis possibilitatem vero quod attinet, sunt certe ignavi regionum exploratores, qui ubi nil nisi Cœlum & Pontus videtur, terras ultra esse prorsus negant. At manifestum est, Platonem, virum sublimis ingenii, (quique veluti ex rupe excelsa omnia circũspiciebat) in sua de Ideis doctrina, *Formas esse verum Scientiæ objectum*, vidisse; utcunque sententiæ hujus verissimæ fructum amiserit, *Formas* penitus à materia abstractas, nõ in materia determinatas, contemplando & prensando: Unde factum est, ut ad speculationes Theologicas diverteret; quod omnem naturalem suam Philosophiam infecit & polluit. Quod si diligẽter, serio, & sincere, ad actionem, & usum & oculos convertamus; nõ difficile erit disquirere, & notitiam assequi, quæ sint illæ *Formæ*, quarum cognitio res humanas miris modis locupletare & beare possit. Substantiarum enim *Formæ* (uno *homine* excepto, de quo Scriptura, *Formavit hominem de limo terræ, & spiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*; non ut de cæteris speciebus, *Producant Aquæ, producat Terra*) species, inquam, creaturarum, (prout nunc per compositionẽ & transplantationem inveniuntur multiplicatæ,) ita perplexæ sunt & complicatæ, ut aut omnino de iis inquirere frustra sit; aut inquisitio earum, qualis esse potest, seponi ad tempus, & postquam *formæ* simplicioris Naturæ rite exploratæ sint, & inventæ, tum demũ institui debeat. Quemadmodum enim nec facile esset, nec ullo modo utile, *formam* soni investigare ejus, qui verbum aliquod constituat, cum verba, compositione & transpositione literarum, sint infinita: at soni, qui literã aliquam simplicem exprimat, *formam* inquirere, quali scilicet collisione, quasi instrumentorum vocis applicatione, constituatur, comprehensibile est, imo facile: quæ tamen Formæ literarum cognitæ ad *formas* verborum illico nos deducen. Eadem prorsus ratione; *formam* inquirendo *Leonis*, *Quercus*, *Auri*, imo etiam *aquæ*, aut *aëris*, operam quis luserit: *Formam* vero inquirere *densi, rari*; *calidi, frigidi*: *gravis, levis*; *tangibilis, pneumatis*; *volatilis, fixi*; & similium, tam *schematismorum*, quam *motuum*, quos in *Physica* tractanda, magna ex parte, enumeravimᵒ, (& *formas primæ classis* appellare consuevimus) quiq; (veluti literæ Alphabeti) numero haud ita multi sunt, & tamen *Essentias* & *Formas* omnium substantiarum conficiunt & sustinent; hoc est, inquam, illud ipsum, quod conamur quodque eam partem *Metaphysicæ*, de qua nunc inquirimus, constituit & diffinit. Neque hæc officiunt, quo minus *Physica* easdem Naturas consideret quoque, ut dictũ est, sed tantum quoad *causas fluxas*. Exempli gratia, si de *causa* inquiratur *albedinis* in nive, vel spuma; recte redditur, quod sit subtilis intermixtio aëris cum aqua. Hæc autem, longe abest, ut sit *forma albedinis*, cum aër etiam pulveri vitri aut crystalli intermixtus *albedinem* similiter procreet, nõ minus quam si admisceatur aquæ; verum *Causa efficiens* illa tantum est, quæ nihil aliud quam vehiculum est *formæ*. At in *Metaphysica*, si fiat inquisitio, hujusmodi quidpiam reperies. Corpora duo diaphana intermixta, portionibus eorum opticis, simplici ordine sive æqualiter collocatis, constituere albedinem. Hanc *Metaphysicæ* partem *desiderari* reperio. Nec mirum: quia illo inquirendi modo, qui hucusque in usum venit, nunquam in seculum comparebunt *Rerum Formæ*. Radix autem mali hujus, ut & omnium, ea est; Quod homines & propere nimis, & nimis longe, ab experientia, & rebus particularibus, cogitationes suas divellere & abstrahere consueverunt, & suis meditationib⁹ & argumentationibus se totos dedêre.

Usus autem hujus *partis Methaphysicæ*, quam *desideratis* annumero, duas ob causas vel maxime excellit. Prima est, quod scientiarum omnium officium sit, & propria virtus, ut experientiæ ambages, & itinera longa, (quantum veritatis ratio permittit) abbrevient; ac proinde remedium veteri querimoniæ afferant, de *vita brevi* & *arte longa*. Illud vero optime præstatur, *Axiomata* Scientiarũ in magis generalia, & quæ omni materiæ rerum individuarum competant, colligando & uniendo.

Sunt enim *scientiæ* instar pyramidum, quibus *Historia & Experientia*, tanquam Basis unica substernuntur; Ac proinde Basis *naturalis Philosophiæ* est *Historia naturalis*: Tabulatum primum à Basi est *Physica*; Vertici proximum *Metaphysica*: Ad conum quod attinet & punctũ verticale, [*opus quod operatur Deus à principio usque ad finem*: *Summariam* nempe *naturæ legem*] hæsitamus merito, an humana possit ad illud inquisitio pertingere. Cæterum hæc tria, veræ sunt Scientiarum contabulationes, suntque apud homines propria scientia inflatos, & Theomachos, tanquam tres moles Giganteæ.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossæ frondosum involvere Olympum.

Apud eos vero, qui se ipsos exinanientes, omnia ad Dei gloriam referunt, tanquam trina illa acclamatio, *Sancte, Sancte, Sancte*. Sanctus enim Deus in multitudine operum suorum, Sanctus in ordine eorum, Sanctus in unione. Quare speculatio illa Parmenidis & Platonis [quamvis in illis nuda fuerit speculatio] excelluit tamen; *Omnia per scalam quandam ad unitatem ascendere*. Atque illa demum Scientia cæteris est præstantior, quæ humanum intellectũ minimum multiplicitate onerat, quam liquet esse *Metaphysicam*: quippe quæ contemplatur præcipue *simplices illas rerum Formas*, [quas superius *Formas primæ classis* nominavimus] quandoquidem licet numero paucę, tamen commensurationibus & coordinationibus suis omnem varietatem constituunt. Secunda res, quæ hanc *Metaphysica* partem de *formis* nobilitat, hæc nimirum est: Quod potestatem humanam emancipet maxime, & liberet; eamque in amplissimum & apertissimũ operandi campum educat. Nam Physica per angustos & impeditos calles humanã operam dirigit; Naturæ ordinariæ flexuosos tramites imitata. Sed *lata undiq; sunt sapientibus viæ; Sapientiæ* nimirum [quæ à veteribus *rerum divinarum & humanarum scientia* definiebatur] mediorum copia & varietas semper suppetit. *Causæ* enim *Physicæ*, novis inventis *in simili materia* lucẽ & ansam præbent: At qui Formam aliquam novit, novit etiam *ultimam possibilitatẽ superinducendi naturam illam in omnigenam materiam*, eoque minus inter operandum restringitur, & alligatur, vel ad *Materiæ Basim*, vel ad *Conditionem Efficientis*. Quod genus Scientiæ eleganter describit etiam Salomon, etsi sensu magis divino, *Non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*. Intelligit scilicet, *Sapientiæ* vias, nec angustiis, nec obicibus obnoxias esse.

Metaphysicæ pars secunda est *finalium causarum* inquisitio, quam non ut *prætermissam*, sed ut *male collocatã* notamus. Solent enim inquiri inter *Physica*, non inter *Metaphysica*. Quamquam si ordinis hoc solum vitium esset, non mihi fuerit tanti. Ordo enim ad illustrationẽ pertinet, neq; est ex substantia Scientiarum. At hæc ordinis inversio defectum insignem peperit. & maximam Philosophiæ induxit calamitatem. Tractatio enim *causarum finalium* in *Physicis*, inquisitionem *causarum physicarum* expulit & dejecit, effecitque ut homines in istiusmodi speciosis & umbratilibus *causis* acquiescerent, nec inquisitionem *Causarum* realium, & vere *Physicarum*, strenue urgerent, ingenti Scientiarum detrimento. Etenim reperio hoc factum esse, nõ solum à Platone, qui in hoc littore semper anchoram figit, verum etiam ab Aristotele, Galeno, & aliis, qui sæpissime etiam ad illa vada impingunt. Etenim qui causas adduxerit hujusmodi, *Palpebras cum pilis, pro sepi & vallo esse, ad munimentum oculorum*: Aut *Corti in Animalibus firmitudinem esse ad propellendos calores & frigora*: Aut *Ossa pro columnis & trabibus à natura induci, quibus fabrica corporis innitatur*: Aut *Folia arborum emitti, quo fructus minus patiantur à Sole & Vento*: Aut *Nubes in sublimi fieri, ut terram imbribus irrigent*: Aut *Terram densari & solidari, ut statio & mansio sit Animalium*: & alia similia: Is in *Metaphysicis* non malè ista allegarit, in *Physicis* autem nequaquam. Imo, quod cœpimus dicere, hujusmodi sermonum discursus (instar remorarum) uti fingunt (navibus adhærentium) *Scientiarum* quasi velificationem & progressum retardarunt, ne cursum suum tenerent, & ulterius progrederentur: & jam pridem effecerunt, ut *physicarum causarum* inquisitio, neglecta deficeret, ac silentio præteriretur. Quapropter *Philosophia naturalis* Democriti, & aliorum, qui Deum & mentem à fabrica rerum amoverunt; & structuram universi infinitis Naturę prælusionibus & tentamentis, (quas uno nomine *fatum* aut *fortunam* vocabant) attribuerunt; & rerum particularium *causas*, materię necessitati, sine intermixtione *causarum finalium*, assignarunt: nobis videtur, (quantum ex fragmentis & reliquiis Philosophiæ eorum conjicere licet,) quatenus ad *causas Physicas*, multo solidior fuisse, & altius in Naturam penetrasse; quam illa Aristotelis, & Platonis: Hanc unicam ob causam, quod illi in *causis finalibus* nunquam operam triverunt; hi autẽ eas perpetuo inculcarunt. Atq; magis in hac parte accusandus Aristotelẽs, quam Plato: quandoquidẽ fontem *causarum finalium*, *Deum* scilicet, omiserit, & *Naturam* pro *Deo* substituerit, *Causasq;* ipsas *finales*, potius ut Logicæ Amator, quam Theologiæ, amplexus sit. Neque hæc eo dicimus, quod *causæ* illæ *finales* veræ non sint, & inquisitione admodum dignæ, in speculationibus *Metaphysicæ*, sed quia dum in *Physicarum Causarum* possessiones excurrunt, & irruunt, misere eam provinciam depopulantur, & vastant. Alioquin, si modo intra terminos suos coërceantur: magnopere hallucinantur, quicunque eas *Physicis causis* adversari aut repugnare putent. Nam causa reddita, quod *Palpebrarum pili oculos muniant*, nequaquam sane repugnat alteri illi, *quod pilositas soleat contingere humiditatum orificiis*,

Muscosi fontes, &c.

Neque causa reddita, quod *Coriorum in animalibus firmitudo pertinet ad cœli injurias propulsandas*, adversatur illi alteri, *quod illa firmitudo sit ob contractionem pororum, ex intimis corporum, per frigus, & deprædationem aëris*. Et sic de reliquis: Conspirantibus optime utrisque causis, nisi quod altera intentionem, altera simplicem consecutionem denotet. Neque vero ista res in dubium vocat providentiam divinam, aut ei quicquam derogat: sed potius eandem miris modis confirmat, & evehit. Nam sicut in rebus civilibus prudentia politica fuerit multo altior & mirabilior, si quis opera aliorum, ad suos fines & desideria, abuti possit, quibus tamen nihil consilii sui impertit, [ut interim ea agant,

agant, quæ ipse velit, neutiquã vero se hoc facere intelligant,) quam si consilia sua cum Administris voluntatis suæ communicaret: Sic Dei Sapientia effulget mirabilius, cum Natura aliud agit, providentia aliud elicit; quam si singulis schematibus, & motibus naturalibus, providentiæ characteres essent impressi. Scilicet Aristoteli, postquam Naturam *Finalibus causis* impregnasset: *Naturamq; nihil frustra facere, suique voti semper esse compotem, (si impedimenta abessent,)* & hujusmodi multa eo spectantia posuisset; amplius Deo non fuit opus: At Democritus & Epicurus, cum Atomos suas prædicabant, eo usque à subtilioribus nonnullis tolerabantur; verum cum ex eorum fortuito concursu, fabricam ipsam rerum, absque mente coaluisse assererent, ab omnibus risu excepti sunt. Adeo ut tantum absit, ut *Causæ Physicæ* homines à Deo & Providentia abducant, ut contra potius Philosophi illi, qui in iisdem eruendis occupati fuerunt, nullum exitum rei reperiant, nisi postremo ad Deum & Providentiam confugiant. Atque hæc de *Metaphysica* dicta sint: cujus partem de *Causis finalibus*, in Libris & *Physicis*, & *Metaphysicis* tractatam non negaverim, in his recte, in illis perperam, propter incommodum inde secutum.

CAP. V.

Partitio Operativæ Doctrinæ *de Natura in* Mechanicam, & Magiam: *Quæ respondent Partibus* Speculativæ: Physicæ Mechanica, Metaphysicæ Magia: *& Expurgatio Vocabuli* Magiæ. Appendices *duæ* Operativæ; Inventarium Opum humanarum, *&* Catalogus Polychrestorum.

Operativam de *Natura* similiter in duas partes dividemus, idq; ex necessitate quadam. Subjicitur enim hæc divisio divisioni priori *Doctrinæ Speculativæ*. *Physica* siquidem, & inquisitio *Causarum*, *Efficientium*, & *Materialium*, producit *Mechanicam*: At *Metaphysica*, & inquisitio *formarum*, producit *Magiam*: Nam *Causarum finalium* inquisitio sterilis est, & tanquam virgo Deo consecrata, nihil parit. Neque nos fugit, esse & *Mechanicam* sæpius mere Empiricam, & Operariam, quæ à *Physica* non pendeat; Verum hanc in *Historiam Naturalem* conjecimus; à *Philosophia naturali* segregamus. Loquimur tantum de ea *Mechanica*, quæ cum *causis Physicis* conjuncta est. Verum tamen interveniet quædam *Mechanica*, quæ nec prorsus operaria est, neque tamen Philosophiam proprie attingit. Operum enim inventa omnia, quæ in hominum notitiam venerunt, aut casu occurrerunt, & deinceps per manus tradita sunt aut de industria quæsita. Quæ autem intentionaliter inventa sunt, illa aut per Causarum & Axiomatum lucem eruta sunt: Aut per extensionẽ quandam, vel translationem, vel compositionem inventorum priorum deprehensa; quæ magis ingeniosa quædã res est, & sagax, quam Philosophica. Hanc vero partem, quam neutiquam contemnimus, non multo post, cum de *Experientia Literata* inter *Logica* tractabimus, cursim perstringemus. Enimvero *Mechanicam*, de qua nunc agimus, tractavit Aristoteles promiscue; Hero in Spiritualibus; etiam Gorgius Agricola, Scriptor recens diligenter admodum in Mineralibus; Aliique quampluriimi in subjectis particularibus: adeo ut non habeam, quod dicam de *Omissis* in hac parte; nisi quod *Mechanica* promiscua, secundum exemplum Aristotelis, diligentius debuissent continuari, per labores Recentiorum; præsertim cum delectu eorum Mechanicorum, quorum aut Causæ magis obscuræ, aut Effectus magis nobiles. Verum qui in hisce insistunt, quasi Oras tantum maritimas perreptant,

—*Premendo littus iniquum.*

Meo siquidem judicio, vix possit aliquid in Natura radicitus verti, aut innovari, vel per casus aliquos fortuitos, vel per tentamenta experimentorum, vel ex luce Causarum Physicarum, sed solummodo per *inventionem formarum*. Si igitur desiderari eam partem *Methaphysicæ*, quæ de *formis* agit, posuimus; sequitur, ut *Naturalis* etiam *Magia*, quæ ad eam est Relativa, similiter desideretur. Verum hoc loco postulandum videtur, ut vocabulum istud *Magiæ*, in deteriorem partem jam pridem acceptum, antiquo & honorifico sensui restituatur. Etenim *Magia* apud Persas, pro sapientia sublimi, & scientia consensuum rerũ universalium, accipiebatur; atque etiam tres illi Reges, qui ab Oriente ad *Christum* adorandum venerunt, *Magorum* nomine vocabantur. Nos vero eam illo in sensu intelligimus, ut sit scientia, quæ cognitionẽ *formarum abditarum* ad opera admiranda deducat, atque, quod dici solet, *Activa cum passivis conjungendo*, Magnalia Naturæ manifestet. Nam quantũ ad *Naturalem Magiam* (quæ in libris plurimorum volitat) credulas quasdam & superstitiosas traditiones, & observationes, de *Sympathiis & Antipathiis rerum*, atque de *Occultis & specificis proprietatibus* complectentem, cum frivolis ut plurimum experimentis, potius occultandi artificio, & larva, quam re ipsa admirandis: non erraverit sane, qui eam dixerit, à scientia, quam quærimus, tantum distare, quoad veritatem naturæ, quantum Libri rerum gestarũ Arthuri ex Britannia, aut Hugonis Burdegalensis, & hujusmodi Heroum umbratilium, differunt à Cæsaris Commentariis, quoad veritatem historicam. Manifestum enim est, Cæsarem majora revera perpetrasse, quã illi de Heroibus suis confingere ausi sunt; sed modis faciendi minime fabulosis. Hujusmodi doctrinas bene adumbravit *Fabula de Ixione*; Qui cum Junonis, Potentiæ Deæ, concubitum animo sibi designaret, cum evanida nube rem habuit (ex qua Centauros & Chimæras progenuit.) Sic qui insana & impotenti cupiditate feruntur ad ea, quę per imaginationis tantum fumos & nebulas cernere se putant, loco operum, nil aliud quam spes inanes, & deformia quædã ac monstrosa spectra, suscipient. Hujus autem *Magiæ naturalis*, levis & degeneris, operatio super homines, similis est soporiferis quibusdam medicamentis; quæ somnum conciliant, atque insuper inter dormiendum, læta & placentia somnia immittunt. Primo enim intellectum humanum in soporẽ conjicit; canendo proprietates specificas, & virtutes occultas, & tanquã cœlitus demissas, & per traditionũ susurros solummodo perdiscendas; unde homines ad veras Caussas eruendas, & indagandas, non amplius excitantur, & evigilant, sed in hujusmodi otiosis & credulis opinionib⁹ acquiescunt: Deinde vero innumera commenta grata, & qualia quis optaret maxime, instar somniorum, insinuat. Atque operæ pretium est notare, in illis scientiis, quę

nimium trahunt ex phantasia & fide, [quales sunt *Magia* ista levis, de qua nunc loquimur, *Alchymia*, *Astrologia*, & aliæ consimiles] media sua, & Theoriam, solere esse magis monstrosa quam Finis est, & actio, quo tendunt. Versio argenti, aut argenti vivi, aut alicujus alterius metalli in aurum, res creditu dura: Attamẽ longe verisimilius est, ab homine, qui *Ponderis*, *Coloris flavi*, *Malleabilis* & *Extensibilis*, *Fixi* etiam & *Volatilis*, naturas cognitas & perspectas habuerit; quique similiter prima mineralium semina & menstrua diligenter introspexit; posse aurum multa & sagaci molitione tandem produci; quam quod pauca *Elixiris* grana, paucis momentis, alia metalla in aurum vertere valeant, per activitatem ejusdem *Elixiris*, quæ naturam scilicet perficere & omni impedimento liberare possit. Similiter, senectutis retardatio, aut gradus alicujus juventutis instauratio, non facile fidem reperiat: Attamen longe verisimilius est, ab homine, qui naturam *Arefactionis*, & *Spirituum super solida corporis depræda tiones* bene norit, quique Naturam *assimilationis*, atque *alimentationis*, vel perfectioris, vel pravioris, perspexerit; *Naturam* etiam *Spirituum*, & quasi *Flamma Corporis*, alias ad consumendum appositæ, alias ad reparandum, notarit; posse per diætas, balnea, unctiones, medicinas proprias, accommodata etiam exercitia, & similia, vitam prolongari, aut vigorem juventutis, aliqua exparte, renovari: quã quod hoc fieri possit per guttas pauculas aut scrupulos alicujus *pretiosi liquoris*, aut *quintessentiæ*. Rursus, ex astris fata elici posse, non statim aut facile hominẽs consenserint: Illa vero, quod hora nativitatis, (quæ sæpissime ex pluribus accidentibus naturalibus, vel acceleratur, vel differtur,) vitæ totius fortunam regat, aut quod hora quæsitionis sit cum re ipsa, quæ quæritur, confatalis; meras nugas dixeris. Attamen tanta exercet humanum genus impotentia & intemperies, ut non solũ, quæ fieri non possunt, sibi spondeant, sed etiam maxime ardua, sine molestia aut sudore, tanquã feriãtes, se adipisci posse confidunt. Verum de *Magia* hactenus cujus & vocabulum ipsum ab infamia vindicavimus, & speciem veram à falsa & ignobili segregavimus.

Hujus vero partis *Operativæ*, scilicet de *Natura*, duæ sunt *Appendices*, magni utraque pretii. Prima est, ut fiat *Inventarium opum humanarũ*, quo excipiantur & breviter enumerentur omnia hominum bona & fortunæ, sive sint ex fructibus & proventibus Naturæ, sive artis quæ jam habentur, & quibus homines fruuntur, adjectis iis, quæ olim innotuisse constat, nunc autẽ perierunt: ad hunc finem, ut qui ad nova inventa accingitur, de jam inventis, & extantibus, negotium sibi non facessat. Hoc vero *Inventarium* magis erit artificiosum, magisque etiam utile, si quæ communi hominum opinione *impossibilia* reputantur, in unoquoq; genere adjunxeris: atque unã *proxima impossibilibus*, quæ tamen habentur, copules, ut alterum humanam inventionem acuat, alterum quadantenus dirigat, utque ex his *Optativis*, & *Potentialibus*, *Activa* promptius deducantur. Secunda est, ut fiat *Kalendarium eorum experimentorũ*, quæ maxime *Polychresta* sunt, & ad aliorum inventionem faciunt, & ducunt. Exempli gratia, *Experimentum artificialis conglaciationis aquæ*, per glaciem cũ sale nigro, ad infinita pertinet: Hoc enim modum condensationis secretum revelat, quo homini nihil est fructuosius. Præsto enim est ignis ad rarefactiones; verum in condensationibus laboratur. Plurimum autem facit ad inveniendi compendium, si hujusmodi *Polychresta* proprio catalogo excipiantur.

CAP. VI.

De magna Philosophiæ naturalis, *tam* Speculativæ, *quam* Operativæ, *appendice*, Mathematica: *quodque inter* appendices *potius pon debet, quam inter* scientias substantivas. *Partitio* Mathematicæ, *in* puram, & mixtam.

OPtime Aristoteles, *Physicam & Mathematicam generare Practicam sive Mechanicam.* Quare eum jam, tam *Speculativam*, quam *Operativam* partem *Doctrinæ* de *Natura*, tractaverimus, locus est, ut de *Mathematica* dicamus, quæ ad utramque est scientia auxiliaris. Hæc siquidem in Philosophia recepta, *Physicæ* & *Metaphysicæ* pars tertia adjungitur. At nobis ista retractantibus & recolentibus, si eam ut *scientiam substantivam*, & principalem, designare in animo esset, magis consentaneum videretur, & rei ipsius Naturæ, & ordinis perspicuitati, ut constitueretur tanquam portio *Methaphysicæ*. *Quantitas* enim (quæ subjectum est *Mathematicæ*) materiæ applicata, veluti dolis Naturæ est, & plurimorum effectuũ in rebus Naturalibus causativa: ideoque inter *Formas essentiales* numeranda est. *Figuræ* autem & *numerorum* potentia in tantum apud antiquos valere visa est, ut Democritus *principia varietatis rerum*, in *figuris atomorum* præcipue collocaverit; Ac Pythagoras *Naturam rerum ex numeris* constitui asseruerit. Illud interim verum est, quantitatem inter *formas naturales* (quales nos eas intelligimus) omnium maxime esse abstractam, & à materia separabilẽ: Quod ipsum in causa fuit, cur & diligentius exculta, & acrius inquisita ab hominibus fuerit, quã aliæ quæcunq; *formæ*, quæ omnes in materia magis sunt immersæ. Cum enim in hominum animis plane insitum sit, [plurimo certe cum scientiarum detrimento] ut *generalium* quasi *campis liberis*, magis quam *particularium sylvis* & *septis* delectentur, nil repertum est *Mathematicis* gratius, & jucundius, quo appetitus iste expatiandi & meditandi exploretur. Etsi autem hæc vera sint; nobis tamen, qui non tantum veritati & ordini, verum etiam usui & commodis hominum consulimus, satius demum visum est, *Mathematicas*, cum & in *Physicis*, & in *Metaphysicis*, & in *Magicis*, plurimum polleant, ut omnium *appendices*, & copias auxiliares, designare. Quod etiam quodammodo facere compellimur, propter delicias & fastũ Mathematicorum, qui hanc scientiam *Physicæ* fere imperare discupiũt. Nescio enim quo fato fiat, ut *Mathematica* & *Logica*, quæ ancillarum loco erga Physicam se gerere debebant, nihilominus certitudinẽ suã præ ea jactantes, Dominatum contra exercere præsumant. Verum de loco, & Dignitate hujus scientiæ, minꝰ curandũ: de re ipsa videamus.

Mathematica aut *pura* est aut *mixta*. Ad *purã* referuntur scientiæ, quæ circa *quantitatem* occupatæ sunt, à *Materia* & *Axiomatibus Physicis* penitus *abstractam*. Eæ duæ sunt, *Geometria* & *Arithmetica*: *Quantitatẽ* altera *continuam*, altera *discretã* tractans, Quæ duæ artes, magno certe cum acumine & industria, inquisitæ & tractatæ sunt verum-

tamen

tamen & *Euclidis laboribus*, in *Geometricis*, nihil additum est à sequentibus, quod intervallo tot seculorum dignum sit; & *doctrina* de *solidis*, nec à veteribus, nec à modernis, pro rei usu & excellentia, instructa & aucta est. In *Arithmeticis* autem, nec satis varia & commoda inventa sunt *supputationum* compendia, præsertim circa *Progressiones*, quarum in *Physicis* usus est non mediocris: nec *Algebra* bene consummata est: atque *Arithmetica* illa *Pythagorica* & *Mystica*, quæ ex Proclo & reliquiis quibusdam Euclidis cœpit instaurari, expatiatio quædam speculationis est. Hoc enim habet ingenium humanum, ut cum ad solida non sufficiat, in supervacaneis se atterat. *Mixta* habet pro subjecto *Axiomata* & *Portiones Physicas*: *Quantitatem* autem considerat, quatenus est ad ea elucidanda, & demonstranda, & actuanda, auxiliaris. Multæ siquidē Naturæ partes, nec satis subtiliter comprehendi, nec satis perspicue demonstrari, nec satis dextre & certo ad usum accomodari possint, sine ope & interventu *Mathematicæ*. Cujus generis sunt *Perspectiva*, *Musica*, *Astronomia*, *Cosmographia*, *Architectura*, *Machinaria*, & nonnullæ aliæ. Cæterum in *Mathematicis mixtis* integras aliquas portiones *Desideratas* jam non reperio, sed multas in posterum prædico, si homines non ferientur. Prout enim *Physica*, majora in dies incrementa capiet, & nova *Axiomata* educet, eo *Mathematicæ* operâ novâ in multis indigebit, & plures demum fient *Mathematicæ mixtæ*.

Jam autem *Doctrinam* de *Natura* pertransivimus, & *Desiderata* in ipsa notavimus. Qua in re, si à piscis & receptis opinionibus discesserimus, eoque nomine contradicendi ansam cuiquam præbuerimus; quod ad nos attinet, ut dissentiendi studium longe à nobis abest, ita etiam & contendendi consilium. Si hæc vera sunt;

Non tamen surdis, respondent omnia sylvæ.

Vox Naturæ ingeminabit, etsi vox hominum reclamet. Quemadmodum autem Alexander Borgia dicere solebat, de expeditione Gallorum Neapolitana, *Eos venisse cum creta in manibus, quo diversoria sua notarent, non cum armis, ut perrumperent*; Sic nobis magis cordi est Pacificus Veritatis Ingressus; ubi quasi creta consignentur animi, qui tantum hospitem excipere possint; quam qui pugnax est, viamq; sibi per contentiones & lites sternat. Absolutis igitur duabus partibus *Philosophiæ*, de *Numine*, & de *Natura*; restat tertia de *Homine*.

FRANCISCI BACONIS
DE VERULAMIO,
Vice-Comitis sancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER QUARTUS,
Ad Regem suum.

CAP. I.

Partitio doctrinæ *de* homine, *in* Philosophiā humanitatis, *&* civilem. *Partitio* Philosophiæ humanitatis, *in* doctrinam *circa* corpus hominis, *&* doctrinam *circa* animam hominis. *Constitutio unius* doctrinę generalis *de* Natura, *sive, de* statu hominis. *Partitio* doctrinæ *de* statu hominis, *in* doctrinam *de* persona hominis, *&* *de* fœdere animi *&* corporis. *Partitio* doctrinæ *de* persona hominis, *in* doctrinam *de* miseriis hominis, *&* *de* prærogativis. *Partitio* doctrinæ *de* fœdere, *in* doctrinam *de* indicationibus, *&* *de* impressionibus. *Assignatio* Physiognomiæ, *&* interpretationis somniorum naturalium, doctrinæ *de* indicationibus.

SI quis me (Rex optime) ob aliquid eorum, quæ proposui, aut deinceps proponam, impetat, aut vulneret, (præterquam quod intra præsidia Majestatis tuæ tutus esse debeam,) sciat is, se contra morem & disciplinam militiæ facere. Ego enim Buccinator tantum, pugnam non ineo, unus fortasse ex iis, de quibus Homerus:

Χαίρετε κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Hi enim inter hostes, etiam infensissimos & acerbissimos & ultro citroque inviolati ubique commeabant. Neque vero nostra Buccina homines advocat & excitat, ut se mutuo contradictionibus proscindant, aut secum ipsi prælientur & digladientur; sed potius ut pace inter ipsos facta conjunctis viribus, se adversus *Naturam Rerum* comparent, ejusque Edita & Munita capiant & expugnent, atq; fines imperii humani (quantum Deus Opt. Max. pro Bonitate sua indulserit) proferant.

Veniamus nunc ad eam *Scientiam*, ad quam nos ducit Oraculum antiquum: Nempe ad *Scientiam nostri*. Cui, quo magis nostra interfit, eo incumbendum est diligentius. Hæc Scientia *homini* pro *fine* est *Scientiarum*, at *Naturæ ipsius portio* tantum. Atque hoc pro Regula ponatur generali: Quod omnes Scientiarum partitiones ita intelligantur, & adhibeantur, ut scientias potius signent, aut distinguant, quam secent & divellant, ut perpetuo evitetur *solutio continuitatis* in *scientijs*. Hujus etenim contrariū particulares Scientias steriles reddidit, inanes, & erroneas, dum à fonte & fomite communi non aluntur, sustentantur, & rectificantur. Sic videmus Ciceronem Oratorem, de Socrate & ejus schola conquerentem, quod hic primus *Philosophiam* à *Rhetorica* disjunxerit, unde facta sit *Rhetorica*, ars loquax & inanis. Constat similiter, Sententiam Copernici de *Ratione Terræ*, (quæ nunc quoq; invaluit) quia Phænomenis non repugnat, ab *Astronomicis Principijs* non posse revinci, à *Naturalis* tamen *Philosophiæ Principiis*, recte positis, posse. *Artem* denique *Medicam* videmus, si à *Naturali Philosophia* destituatur, Empiricorum praxi haud multum præstare. Hoc igitur posito, accedamus ad *Doctrinam de homine*. Ea duplex est; aut enim contemplatur *hominem segregatum*; aut *Congregatum*, atque in *Societate*. Alteram hanc *Philosophiam humanitatis*; Alteram *civilem* vocamus. *Philosophia humanitatis*, sive *humana*, ex partibus similibus illis, ex quibus homo ipse consistit: Nempe ex *Scientijs*, quæ *circa corpus*, & ex *Scientiis*, quæ circa *animam* versantur.

Verum priusquam distributiones Particulares persequamur, constituamus Scientiam unā generalē, de *natura* & *statu hominis*: Digna enim certe res est, ut emancipetur hæc *Scientia*, & in *Scientiā*

ieorsum redigatur. Conficitur autem illa ex iis rebus; quæ sunt tam *corpori*, quam *animæ* comunes. Rursus, hæc Scientia de *natura*, & *statu hominis*, distribui potest in duas partes: Attribuendo alteri *naturam hominis indivisam*: alteri *vinculum ipsum animæ & corporis*: Quarum primam, *doctrinam* de *persona hominis*, secundam, *doctrinam de fœdere* vocabimus. Liquet autem, hæc omnia, cũ sint communia & mixta, primæ illi divisioni, *Scientiarum* circa *corpus*, *& scientiarum* circa *animam* versantium, assignari non potuisse.

Doctrina de *persona hominis* duas res præcipue complectitur; Contemplationes scil. de *miseriis humani generis*; & de ejusdem *prærogativis*, sive *excellentiis*. Atq: deploratio *humanarum ærumnarum* eleganter & copiose à compluribus adornata est, tam in Scriptis Philosophicis, quam Theologicis. Estque res & dulcis simul, & salubris.

At illa de *prærogativis*, digna visa res nobis, quæ inter *Desiderata* proponatur. Elegantissime certe Pindarus (ut plerumq; solet) inter laudandũ Hieronem ait, *Eum decerpere summitates ex omnibus virtutibus*. Equidem plurimum ad magnanimitatẽ & humanum decus conferre posse putarem: si *Ultimitates* (ut loquuntur Scholastici) sive *Summitates* (ut Pindarus) humanæ naturæ colligerentur, præcipue ex historiæ fide. Illud est, quid *Ultimum* & *Supremum* fuerit, quo unquam humana natura per se ascenderit, in singulis & corporis & animi dotibus. Quanta res, quæ de Cæsare narratur, quod Amanuensibus quinq; simul *dictare* sufficerit? Quin & exercitationes illæ antiquorum Rhetorum, Protagoræ, Gorgiæ; etiam Philosophorum, Callisthenis, Possidonii, Carneadis, ut de quovis Themate in utramq; partem ex tempore disserere eleganter & copiose potuerint, *ingenij humani vires* haud parum nobilitant. Res autem usu minor, at ostentatione & facultate fortasse major, quã de Archia Magistro suo memorat Cicero; *Eum magnum numerum optimorum versuũ, de iis rebus, quæ tum agerentur, potuisse dicere ex tempore*. Tot millibus hominum nomina reddere potuisse Cyrum aut Scipionem, magnum *Memoriæ* decus. At *virtutum moralium* palmæ nõ minus celebres, quam *Intellectualium*. Quantam rem in exercitio *Patientiæ* exhibet historia illa vulgata de Anaxarcho, qui quæstioni & tormentis subject⁹, linguam (indicii spem) dentibus præscidit, & in os Tyranni expuit? Neque tolerantiâ cedit, (licet dignitate plurimum,) quod seculo nostro accidit in Burgundo quodã, Principis Arausionensis interfectore; Is virgis ferreis flagellatus, & forcipibus ignitis laceratus, nullũ prorsus gemitum edidit: Quin etiam cum forte fractũ aliquid desuper in caput astantis cujuspiam incideret, ustulatus jã nebulo, & in mediis tormentis, risit; Qui tamen paulo ante, cum cincinni capillitii, quos gestabat, tonderentur, fleverat. *Animi* quoq: mira *serenitas*, & *securitas*, sub ipsum *tempus mortis*, in plurimus enituit. Qualis fuit illa Centurionis apud Tacitum: Is, cum à milite, & qui eũ ex imperato occisurus esset, juberetur, ut cervices porrigeret fortiter, *Utinam*, inquit ille, *tu tam fortiter ferias*. At Joannes Dux Saxoniæ, cum inter ludũ scacchorum, Diploma, quo nex ejus in posterum diem mandabatur, allatum esset, astantem quendam ad se vocavit, & subridens; *Specta*, inquit, *num non potiores partes ludi hujus teneam*. *Iste enim*, (ad Collusorem inuens) *me mortuo, jactabit, suas potiores partes fuisse*. Noster vero Morus, Angliæ Cancellarius, cum pridie quo moriturus esset, tonsor ad eũ veniret, (missus scil. ad hoc, ne forte capillitio promisso esset apud populum in spectaculo miserabilior,) eumq; interrogaret, num tonderi placeret, renuit; atq; ad tonsorem versus. *Mihi*, inquit, *cum Rege de capite meo controversia est*; *Antequam vero illa terminata fuerit, sumptus in illud non faciam*. Quin & idem, sub ipsum mortis articulum, postquam jam caput in truncũ fatalem reclinasset, rursus se paululum erexit, & barba, quæ ei erat promissior, leniter amota, *At certe hæc*, inquit, *non offendit Regem*. Verum, ne hoc loco longiores simus, satis patet, quid velimus; nempe, ut *miracula naturæ humanæ*, viresque ejus & virtutes ultimæ, tam animi, quam corporis, in volumen aliquod colligantur, quod fuerit instar fastorum de humanis triumphis. Qua in re institutum Valerii Maximi & C. Plinii probamus, diligentiam & judicium eorum requirimus.

Quantum ad *doctrinam de fœdere*, sive de *communi vinculo animæ & corporis*: Ea in duas partes tribui possit. Quemadmodum enim inter fœderatos intercedunt, & mutua rerum suarum communicatio, & mutua officia; sic fœdus istud animæ & corporis duabus similiter reb⁹ continetur: Nimirum ut describatur; *quomodo hæc duo (anima* scil. *& corpus) se invicem detegant, & quomodo invicem in se agant*; *notitia* sive *indicatione*, & *impressione*: Harum prior, (descriptio scilicet, qualis possit haberi notitia de anima, ex habitu corporis; aut de corpore, ex accidentib⁹ animæ) duas nobis peperit *artes*, utramq; prædictionis; Inquisitionibus alterã Aristotelis, alteram Hippocratis decoratam. Quanquam autem tempora recentiora has artes superstitiosis & phantasticis mixturis polluerint, repurgatæ tamen, ac in integrum restitutæ, & fundamentum habent in natura solidum, & fructum edunt ad vitam communem utilem. Prima est *Physiognomia*, quæ per corporis lineamenta, animi indicat propensiones: Altera *somniorum naturalium interpretatio*, quæ corporis statum, & dispositionem, ex animi agitationibus detegit. In harũ priore, partem nonnullam desiderari perspicio. Siquidem Aristoteles ingeniose & solerter corporis fabricam, dum quiescit, tractavit; eandem in motu (nimirum gestus corporis) omisit; qui tamen non minus artis observationibus subjiciuntur, & majoris sunt usus. Etenim lineamẽta corporis, animi inclinationes & propensiones generales ostendũt; Oris autẽ & partium motus & gestus, insuper aditus, & tempora, & præsentis dispositionis & volũtatis signa, declarant. Ut enim aptissimis arq; elegantissimis Majestatis tuæ verbis utar, *Lingua aures ferit, Gestus vero oculos alloquitur*. Hoc vero bene Veteratores complures, & astuti homines, quorum oculi in aliorum vultu & gestibus habitant; idq; in commodum suum trahunt, utpote in quo facultatis & prudentiæ suæ pars maxima vertatur. Nec sane negari potest, hoc ipsum, simulationis in altero Indicem esse mysticum, & monere homines optime de electionibus temporũ & opportunitatum, adeundi personas; quæ civilis prudentiæ pars est non parva. Nemo autem putet, hujusmodi solertiam aliquid quidẽ valere circa homines individuos, sub regulam autem nõ cadere.

Nam

Nam ad unũ fere modum omnes ridemus, & ploramus, & erubescimus, & frontem contrahimus; & sic (ut plurimum) de motibus subtilioribus. Si qui autem hic *Chiromantiæ* meminit, sciat, rem esse prorsum vanam; & in hujusmodi sermonibus, quos tractamus, nec dignam quidam quæ nominetur. Quod vero ad *somniorum naturalium interpretationem* attinet; Res est quorundam laboribꝰ pertractata, sed plurimis ineptiis scatens. Illud tantum in præsentia innuo, Basim illam huic rei, quæ maxime est solida, nõ substerni. Ea hujusmodi est; ubi idem fit ab interna causa, quod fieri quoq; solet ab externa, actus ille externus transit in somnium. Similis est stomachi oppressio, ex crasso vapore, atque incubitu ponderis externi: Itaq; qui incubo laborant, põdus sibi super imponi, magno cum apparatu circumstantiarũ, somniant. Similis viscerũ pensilitas, ex fluctuum agitatione in mari, & ex flatu circa præcordia collecto: Itaque Hypochondriaci sæpius Navigationes & Agitationes super aquas somniant. Sunt & innumera id genus.

Posterior pars *doctrinæ fœderis*, [quam *impressionem* nominavimus] in Artem nondum redacta est, sed obiter tantum, & carptim, inter alios tractatus, aliquando intervenit. Illa eandem Antistrophen cum priori habet. Quippe duo considerat: *Aut quomodo & quousque humores & temperamentum corporis immutent animam, in eamque agant? Aut rursus, quomodo & quousque, animæ passiones, vel apprehensiones, immutent corpus, & in illud agant?* Horum prius in re medica interdum tractari videmus; at id ipsum se miris modis religionibus inseruit. Pharmaca enim præscribunt Medici, quæ *morbis animæ* persanandis inserviant, ut in curationibus maniæ, & melancholiæ; quinetiam medicinas porrigunt, ad animum exhilarandum, ad cor muniendum, atque inde fortitudinem augendam, ad ingenium acuendum, ad memoriam roborandam, & similia. At diætæ, & delectus ciborum & potuũ, & ablutiones, & aliæ circa corpus observantiæ, in secta Pythagoræorum & in Hæresi Manichæorum, & in Lege Mahometi, omnem modum superant. Ordinationes quoque Legis Cæremonialis, *Sanguinis & Adipis* esum prohibentes, ac *animalia munda* ab *immundis* distinguentes, [quatenus ad cibi usum] & plurimæ sunt, & præcisæ. Imo Christiana fides ipsa [quamvis à Cæremoniarũ nube libera & serena] usum tamen retinet jejuniorum, abstinentiarum, & aliarum, quæ ad corporis macerationem & humiliationem spectant, tanquam rerum non mere ritualium, sed etiam fructuosarum. Atqui radix omnium hujusmodi præceptionum, præter ipsam cæremoniam, & exercitium obedientiæ, in hac re consistit, de qua loquimur: Nimirum quod anima compatiatur corpori. Si quis autem judicio infirmior existimet, istas Corporis in Animam Impressiones, aut Immortalitatem Animæ in dubium revocare, aut Imperio Animæ in Corpus derogare; levi Dubitationi leve Responsũ suffecerit. Exempla petat, vel ab Infante in Utero Matris; qui simul cum Matris Affectibus compatitur, & tamẽ è corpore matris suo tempore excluditur: vel à Monarchis, qui licet potentes, à servorum impetu quandoq; flectuntur, salva interim Majestate sua Regia.

Jam quod ad partem reciprocam, (de *anima* & *affectibus* ejus in *corpus* agentibus) illa quoque in medicina locum invenit, Nemo enim Medicus est paulo prudentior, quin *accidentia animi*, ut rem maximi ad sanationes suas momenti, quæque omnia alia remedia plurimum vel adjuvet, vel impediat, consideret & tractet. At aliud quippiam, quod huc pertinet, parce admodum, nec pro rei vel subtilitate, vel utilitate, inquisitum est; quatenus scilicet (missis affectibus) *ipsa imaginatio animæ, vel cogitatio perquam fixa, & veluti in fidem quandam exaltata, valeat ad immutandum corpus imaginantis*: Quamvis enim vim habeat ad nocẽdum manifestam, haud tamen inde sequitur, pari potentia præditum esse ad subveniendum. Non magis hercle, quam si quis concluserit, quoniam reperitur aliquis aër ita pestilens, ut subito interimat; debere quoq; esse aliquem aërem ita salubrem, ut Decumbentẽ subito restituat. Atq; hæc inquisitio nobilis profecto esset usus; verum (ut ait Socrates) *Natatore Delio* indiget, quia mergitur in profundo. Rursus inter has *doctrinas* de *fœdere*, sive consensibus animæ & corporis, nõ alia fuerit magis necessaria, quã illa dispositio de *sedibus propriis & domiciliis*, quæ singulæ *animæ facultates* habent *in corpore* ejusq; *organis*. Quod genus *Scientiæ* qui sectati fuerint, nõ desunt, sed quæ habentur in plerisq, aut controversa sunt, aut leviter inquisita; ut majori diligentia & acumine opus sit. Nam sententia introducta à Platone; qua *intellectus in cerebro*, tanquam in arce collocatus est, *animositas* (quam ille satis imperite *iracundiam* vocavit, cum *tumori & superbiæ* sit proprior) *in corde*, *concupiscentia autem & sensualitas in jecinore*: neque prorsus contemnenda est, neque cupide recipienda. Rursus nec collatio *facultatum illarum intellectualium* (*Phantasia, Rationis, Memoriæ*) secundum *ventriculos cerebri*, erroris expers est. Atque *Doctrinã* de *Natura hominis indivisa*, ac etiam de *fœdere Animi & corporis*, explicavimus.

CAP. II.

Partitio doctrinæ *circa* corpus hominis *in* medicinam; Cosmeticam; Athleticam; & voluptariam. *Partitio* medicinæ *in officiatria, vid. in* Conservationem Sanitatis, Curationem Morborum, & Prolongationem Vitæ. *Quodq, Pars postrema de* Prolongatione Vitæ *dijungi debeat à duabus reliquis.*

Doctrina circa *corpus hominis* eandem recipit divisionem, quam *bona corporis* ipsius, quibus inservit: *bona corporis humani* quatuor sunt: *Sanitas, forma* sive *pulchritudo, vires, voluptas*. Totidem igitur *Scientiæ*: *Medicina*, *Cosmetica*, *Athletica*, & *Voluptaria*, quam Tacitus appellat *Eruditum luxum*.

Medicina ars in primis nobilis, & ex generosissima prosapia, secundũ Poetas. Illi enim introduxerunt Apollinem primarium Medicinæ Deum; cui filium dederunt Æsculapium, Deum itidem, & Medicinæ Professorem: Quippe cum Sol in Naturalibus sit vitæ author, & fons, Medicus ejusdem conservator, & tanquam scaturigo altera. At decꝰ longe illustrius accedit Medicinæ, ex operibꝰ Servatoris, qui & animæ & corporis Medicus fuit: Et sic animam, doctrinæ suæ cælestis, ita corpus, miraculorum suorum, objectum veluti proprium constituit. Nusquam enim legimus, miraculũ aliquod ab eo patratum circa honores, aut pecunias, (præter unicum, quo tributum redderetur Cæsari) sed tantum circa corpus humanum, aut conservandum, aut sustentandum, aut persanandum.

Subjectum

Subjectum istud *Medicinæ* (*corpus* nimirum *humanum*) ex omnibus, quæ Natura procreavit, maxime est capax remedii; sed vicissim illud remedium maxime est obnoxium errori. Eadem namq; subjecti subtilitas & varietas, ut magnam medendi facultatem præbet, sic magnam etiam aberrandi facilitatem. Quo circa quemadmodum Ars ista (præsertim quo nunc habetur modo) inter præcipue conjecturales; ita inquisitio ejus reponenda est inter summe arduas, & accuratas. Neque propterea cũ Paracelso & Alchymistis ita desipimus, ut putemus, inveniri in corpore humano, quę singulis Universitatis Rerum Speciebus (*Stellis*, *Mineralibus*, & aliis) respondeant, sicut illi fabulãtur, leviter & crassa Minerva traducentes Emblema illud Veterum (quod homo esset *Microcosmus*, sive Epitome totius Mundi) ad hoc commentum suum. Verum nihilominus huc res redit, ut (quod occepimus dicere) non inveniatur inter corpora naturalia aliquod tam multipliciter compositum, quam *humanum*. Videmus enim, herbas & plantas ex terra & aqua nutriri; animalia ex herbis & fructibus: hominem vero ex carnibus ipsorum animaliũ, (quadrupedum, avium, piscium) etiam ex herbis, granis, fructibus, succis & liquoribus variis, non sine multiplici commixtione, conditura, & præparatione horum corporũ, priusquam homini sint in cibum. Adde quod animalibus vivendi modus simplicior, affectusq;, qui in corpus agant, pauciores & ad unum fere modum operante; ubi homo, locis habitationum, exercitationibus, affectibus, somno & vigiliis, vices prope infinitas variarum mutationum subit. Usque adeo verum est, unam, inter res cæteras, *corporis humani* massam, maxime fermentatam, & ex plurimis coagmentatam esse. At *anima* contra substantiarum est simplicissima, ut non male cecinerit ille:

——*Purumq; reliquit,*
Æthereum sensum, atq; Aurai simplicis ignem.

Unde minime est mirandum, *Animam* sic collocatam, requiem non invenire, juxta axioma illud, *Motum rerum extra locum esse rapidum, placidum in loco.* Verum ut ad rem redeamus; Varia ista & subtilis *corporis humani* compositio & fabrica effecit, ut sit instar organi musici operosi & exquisiti, quod harmonia sua facile excidit. Quare apud Poëtas, summa ratione, Musica cum Medicina in Apolline conjungitur, quia similis fore sit utriusq; artis Genius; atque in eo consistat plane Medici officium, ut sciat humani corporis Lyram ita tendere & pulsare, ut reddatur concentus minime discors, & insuavis. Ergo demum ista subjecti inconstantia & varietas, artem reddidit magis conjecturalem: Ars autem tam conjecturalis cum sit, locũ ampliorem dedit non solum errori, verum etiam imposturæ. Siquidem omnes aliæ propemodum artes, & scientiæ, virtute sua & functione, non successu aut opere judicantur. Advocatum ipsa agendi & dicendi facultas, non exitus causæ, comendat; Gubernator navis, clavitenendi peritia, non expeditionis fortuna, se probat. At *Medicus*, & fortasse Politicus, vix habet actones aliquas proprias, quibus Specimen Artis & Virtutis suæ liquido exhibeant; sed ab Eventu præcipue Honorem aut Dedecus reportant, iniquissimo prorsus judicio.

Quotus enim quisq; novit, ægroto mortuo, aut restituto, item Rep. stante, vel labante, utrum sit res casus, an consilii? Fit itaque sæpissime, ut impostor palmam, virtus censuram referat. Quin ea est hominum infirmitas, & credulitas, ut sæpenumero Agyrtam, aut Sagam, docto Medico præponant. Quare Poëtæ oculati plane & perspicaces fuisse videntur, cum Æsculapio Circem Sororem dederunt, utrumque è Sole prognatum; sicut habetur in versibus, de Æsculapio Phœbigena,

Ille repertorem Medicinæ talis, & Artis,
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.

Et similiter de Circe, Solis filia;

Dives inaccessis ubi Solis filia lucis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Omnibus enim Temporibus, fama & opinione vulgi, Sagæ, & Aniculæ, & Impostores, Medicorũ quodammodo rivales fuere; & de curationum celebritate cum iisdem fere certarunt. Ex hoc dic sodes quid sequitur? Nempe ut Medici ita secum, quemadmodum Salomon in re graviori; *Si unus & stulti & meus eventus erit, quid mihi prodest, quod majorem sapientiæ dedi operam?* Equidem Medicis minus succenseo, si sæpenumerò vacent alicui alteri studio, quod adamant, magis, quam Arti suæ propriæ. Invenies etenim inter eos, Poëtas, Antiquarios, Criticos, Rhetores, Politicos, Theologos, atque in iis Artibus magis, quam in professione propria eruditos. Neq; hoc fit, ut arbitror, quia (ut quidam Declamator contra Scientias Medicis objicit) habeant quę sibi obversentur objecta tam fœda & tristia, ut animum ad alia abducere iis omnino sit opus; (Nam qui homines sint, *Nihil humani à se alienum putent*) Sed ob hoc ipsum, de quo nunc agimus; Nempe quod arbitrentur, parum ipsis interesse, vel ad existimationem, vel ad lucrum, utrum artis suæ mediocritatẽ, an perfectionẽ in ea majorem assequantur. Morbi enim tędia, vitæ dulcedo, spei fallacia, & amicorum commendatio, efficiunt, ut homines faaile in Medicis qualibuscunque fiduciam collocent. Verum si quis hæc attentius perpendat, ea potius ad culpam Medicorũ, quam ad culpæ excusationem spectant. Neque enim spem abjicere, sed vires potius intendere debuerant. Nam si cui placet observationem experge facere suam, & paulatim circũspicere, etiam ex exemplis obviis, & familiaribus, facile deprehendet, quantum obtineat imperii, *intellectus subtilitas & acumen*, in varietatem sive *Materia*, sive *Formæ rerum*. Nil magis varium, quam hominum facies & vultus; Eorum tamen Discrimina infinita retinet memoria: Imo Pictor ex pauculis colorũ testis, acie oculi usus, & vi phantasiæ, & manus constantia, omniũ facies, qui sunt, fuerunt, atq; etiã (si coram repræsentarentur) qui futuri sunt, penicillo imitari ac describere posset. Humana voce nil magis varium; Hujus tamen discrimina in singulis personis facile internoscimus: Quinetiam non desunt Moriones & Pantomimi quidam, qui, quotquot libuerit, reddere sciunt, & ad vivum exprimere. Nil magis variũ, quam soni articulati, verba scilicet; Via tamen inita est, ea reducendi ad paucas literas Alphabeti. Atque illud verissimum est; non ex eo, quod mens humana sit minus subtilis aut capax, perplexitates & acatalepsias in Scientiis plerunq; provenire; sed ex eo potius, quod Objectũ nimis in remoto collocatũ sit. Sicut enim sensus, procul ab objecto dissitus, plurimũ fallitur; debite appropinquatus, non multũ errat;

errat; ita fit in intellectu. Solent autem homines naturam, tanquam ex præ alta turri, & à longe despicere, & circa generalia nimium occupati; quando si descendere placuerit, & ad particularia accedere, resq; ipsas attentius & diligentius inspicere, magis vera & utilis fieret comprehensio. Itaq; hujus incommodi remedium, nõ in eo solum est, ut organum ipsum vel acuant, vel roborent, sed simul ut ad objectum propius accedant. Ideoque dubitandum non est, quin si Medici, missis paulisper istis generalibus, Naturæ obviã ire vellent, compotes ejus fierent, de quo ait Poëta,

Et quoniam variant morbi, variabimus artes;
Mille mali species, mille salutis erant.

Quod eo magis facere debent, quia Philosophiæ ipsæ, quibus innituntur Medici, sive Methodici, sive Chymici, (Medicina autem in philosophia non fundata, res infirma est,) parvi revera sunt. Quare si nimis Generalia (licet vera forent) hoc vitium habeant, quod nõ bene homines ad actionem deducant, certe majus est periculum ab illis generalibus, quæ in se falsa sunt; atque, loco deducendi, seducunt.

Medicina igitur (uti perspeximus) adhuc aliter comparata est, ut fuerit magis ostentata, quam elaborata: etiã magis elaborata, quam amplificata, cum labores in eam insumpti, potius in circulo, quam in progressu se exercuerint. Plurima enim in ea video à Scriptoribus iterata, addita pauca. Eam in tres partes dividemus, quæ tria ejus officia nominabimus. Primum est *Conservatio Sanitatis*, secundum *Curatio Morborum*, tertium *Prolongatio Vitæ*. At istud postremum, non videntur Medici, tanquam partem principalem artis suæ agnovisse, verum idem reliquis duobus satis imperite immiscuisse. Putant enim, si propulsentur morbi, antequam ingruant, & curentur postquam invaserint, Prolongationem vitæ ultro sequi. Quod licet minime dubium sit, tamen parũ acute prospiciunt, horum utrumque ad morbos tantum pertinere, & ad eam solummodo *vitæ prolongationem*, quæ à morbis abbreviatur & intercipitur: Atqui fillum ipsum vitæ producere, ac mortem, per resolutionem simplicem, & atrophiam senilem, sensim obrepentem, ad tempus summovere, Argumentum est, quod nemo ex Medicis pro dignitate tractavit. Neque vero subeat animos hominum ille scrupulus, ac si hæc res fato & divinæ Providentiæ commissa, in artis officium & munus jam primum à nobis revocaretur. Providẽtia enim proculdubio mortes quascunq;, sive ex violentia, sive ex morbis, sive ex decursu ætatis, pariter regit: Neque tamen ideo præventiones & remedia excludit. Ars autem, & industria humana, naturæ & fato non imperant, sed subministrant. Verum de hac parte paulo post dicemus; hæc tantum interea præfati, ne quis tertium istud officium Medicinæ, cum duobus prioribus, (quo fere adhuc actum est) imperitè confundat.

Quod ad officium *tuendæ Sanitatis* attinet, (ex officiis prædictis Medicinæ primum) multi de eo scripserunt, cum in aliis rebus satis imperite, tum nimium (ut arbitramur) delectui ciborum, minus quam par est, quantitati eorum tribuentes. Quin & in quantitate ipsa, tanquã Philosophi morales, mediocritatem nimis laudarunt; cum & jejunia in consuetudinem versa, & victus liberalis, cui qui assueverit, melius sanitatem tueantur, quam istæ mediocritates, quæ naturam ignavam fere reddunt, neque excessus, neque indigentiæ, cum opus fuerit, patientem. Exercitationum autẽ species, quæ in sanitate tuenda plurimũ pollent, nemo ex Medicis bene distinxit, aut annotavit, cum vix inveniatur aliqua inclinatio in morbum, quæ non excitatione quadam propria corrigi possit. Morbis renum globorum lusus convenit, pulmonum sagittatio, stomachi deambulatio & gestatio, atq; aliis aliæ. Verum cum hæc pars, de *Valetudinis conservatione*, secundum totum tractata sit, defectus minores persequi non est nostri instituti.

Quod vero ad *Curationem Morborum* attinet, illa demum pars est *Medicinæ*, in qua plurimum laboris insumptum est, licet fructu satis tenui. Continet autem *Doctrinam* de *Morbis*, quibus corpus humanum subjicitur, una cum eorundem *Causis, Symptomatibus*, & *Medelis*. In hoc secundo officio *Medicinæ* multa sunt quæ desiderantur: Ex his pauca, sed maxime insignia, proponemus, quæ enumerasse satis duxerimus, absque aliqua ordinis aut methodi lege.

Primum est, *Intermisso diligentiæ* illius *Hippocratis*, utilis admodum & accuratæ, cui moris erat, narrativam componere, casuum circa ægrotos specialium; referendo qualis fuisset morbi natura, qualis medicatio, qualis eventus. Atque hujus rei nactis nobis jam exemplum, tam proprium atque insigne, in eo scilicet viro, qui tanquam Parens Artis habitus est, minime opus erit, exemplũ aliquod forinsecum ab alienis artibus petere; Veluti à Prudentia Jurisconsultorum, quibus nihil antiquius, quam illustriores casus, & novas decisiones, scriptis mandare; quo melius se ad futuros Casus muniant, & instruant. Illã proinde *Continuationẽ Medicinalium Narrationum desiderari* video; præsertim in unum corpus cum diligentia & judicio digestam. Quam tamen non intelligo ita fieri debere amplam, ut plane Vulgata, & quæ quotidie obveniant; (Id enim infinitum quiddam esset, neque ad rem:) rursus tam angustam, ut solummodo Mirabilia & Stupenda (id quod à nonnullis factũ) complectatur. Multa enim in Modo rei, & Circumstantiis ejus, nova sunt, quæ in *Genere* ipso nova non sunt: Qui autem ad observandum adjiciet animum, ei etiam in rebus, quæ vulgares videntur, multa observatũ digna occurrent.

Item in *Disquisitionibus Anatomicis* fieri solet, ut quæ *corpori humano in universum* competant, ea diligentissime, usque ad curiositatem, & in minimis quibusque, notentur: At circa *varietatem*, quæ in *diversis corporibus* reperitur, Medicorum diligentia fatiscit. Ideoque *Anatomiam simplicem* luculentissime tractari affero, *Anatomiam comparatam desiderari* statuo. *Partes* enim singulas recte perscrutantur homines, earumq; *Consistentias, Figuras, Situs*: sed *illarum Partium diversam in diversis hominibus figuram* & *conditionem* minus observant. Atq; hujus omissionis causam non aliam esse arbitramur, quam quod ad primam inquisitionẽ inspectio unius aut alterius *Anatomiæ* sufficere possit; ad posteriorem vero (quæ comparativa est, & casum recipit) necesse est, ut plurimarum dissectionũ attenta & perspicax observatio adhibeatur. Prior etiam res est, in quo homines docti, in prælectionibus suis, & in cœtu Astantium, se jactare possunt:

possunt; ac secunda ea est, quæ tacita & diutina experientia tantum acquiri potest. Illud interea minime dubium est, quod internarum partiũ figura & strictura parum admodum externorum membrorum varietati & lineamentis cedat; quodque corda, aut jecinora, aut ventriculi, tam dissimilia sint in hominibus, quam aut frontes, aut nasi, aut aures. Atque in his ipsis differentiis partiũ internarũ, reperiuntur sæpius *Caussæ continentes* multorum Morborum; quod non attendentes Medici, humores interdum minime delinquentes criminantur: cũ ipsa Mechanica partis alicujus fabrica in culpa sit. In quorũ Morborum cura, opera luditur, si adhibeantur Medicinæ alterantes, [quia res alterationem non recipit] sed emendanda res est, & accommodanda, seu pallianda, per victus regimen, & Medicinas familiares. Similiter, ad *Anatomiam Comparatam* pertinent accuratæ obobservationes, tam *Humorum omnigenum*, quam *Vestigiorum & Impressionum Morborum*, in corporibus variis dissectis. Etenim *humores* in *Anatomiis*, tanquam purgamenta & fastidia, fere prætermitti solent, cum tamen in primis necessarium sit notare, *quales & quam multiplices* sint *humorum* differentium species [non nimium in hac re tribuendo divisionibus eorum receptis] qui in corpore humano aliquando inveniantur, & in quibus *Civitatibus*, & *Receptaculis*, quilibet ipsorum, sedes & nidulos suos figere potissimum soleat; quoque juvamento aut damno; atque his similia. Itidem *Vestigia* & *Impressiones morborum*, & *Interiorum Partium* ab iis *lesiones* & *devastationes*, in *diversis Anatomiis* cũ diligentia notanda; Nempe Apostemata, Vlcera, Solutiones Continuitatis, Putrefactiones, Exesiones, Consumptiones; rursus Contractiones, Extensiones, Convulsiones, Luxationes, Dissecationes, Obstructiones, Repletiones, Tumores, una cum omnibus Materiis Præter-Naturalibus, quæ in corpore humano inveniuntur, [veluti Calculis, Carnositatibus, Tuberibus, Vermibus, & hujusmodi:] Hęc [inquam] omnia, & his similia, per eam, quam diximus, *Anatomiam comparatam*, & multorum Medicorum Experimenta in unum collata, magna cum cura perquiri & componi debent. At *varietas* ista *accidentiũ* in *Anatomiis* aut perfunctorie tractatur, aut silentio præteritur.

Anat. pathologica

De illo vero altero defectu circa *Anatomiam*, [nempe quod non fieri consueverit in *corporibus vivis*] quid attinet dicere? Res enim hæc odiosa, & barbara, & à Celso recte damnata. Neque tamẽ illud minus verum est, [quod annotatum fuit à Priscis] poros cõplures & meatus, & pertusiones, quæ sunt ex subtilioribus, in Anatomicis dissectionibus non comparere; quippe quæ in cadaveribus occluduntur & latent, cũ in Viventibus dilatentur, & possint esse cõspicui, Itaq:, ut & usui consulatur simul & humanitati, nõ est omnino rejicienda *Anatomia Vivorũ*, neq: ad fortuitas Chirurgicorum inspectiones [quod Celsus fecit] remittenda: cum hoc ipsum bene expediri possit per dissectionem Brutorum Vivorum, quæ, non obstante suarum partium dissimilitudine ab humanis, huic inquisitioni, adhibito judicio, satisfacere possint.

Item in inquisitione illorum de *Morbis*, inveniunt *Morbos* complures, quos *Insanabiles* decernunt, alios jam inde à principio morborum, alios post talem quampiam periodum. Ita ut L. Sylla & Trium-virorũ Proscriptiones, res nihili fuerint, præ Medicorũ proscriptionibus, per quas tot homines iniquissimis edictis morti dedunt; Quorũ tamen plurimi minore cum difficultate evadunt, quam illi olim inter proscriptiones Romanas. Neque igitur dubitabo inter *Desiderata* reponere opus aliquod de *Curationibus Morborum*, qui habentur pro *Insanabilibus*; ut evocentur & excitentur Medici aliqui egregii, & magnanimi, qui huic operi, quantũ largitur natura rerum, incumbant; quando hoc ipsum, *Istos morbos pronunciare insanabiles*, neglectum & incuriam veluti lege sanciat, & ignorantiam ab infamia eximat.

Item ut paulo ulterius insistam: Etiam plane censeo ad officium Medici pertinere, non tantum ut *Sanitatem restituat*; verum etiam ut *dolores & cruciatus Morborum* mitiget: Neque id ipsum solummodo, cum illa mitigatio Doloris, veluti Symptomatis periculosi, *ad convalescentiam* faciat & conducat; imo vero cum abjecta prorsus omni sanitatis spe, *Excessum* tantum præbeat *è vita* magis *lenum & placidum*. Siquidem non parva est felicitatis pars, [quã sibi tantopere precari solebat Augustus Cæsar] illa *Euthanasia*; Quæ etiã observata est in Excessu Antonini Pii, quando nõ tam Mori videretur, quã dulci & alto sopore excipi. Scribitur etiam de Epicuro, quod hoc ipsum sibi procuraverit: cum enim morbus ejus haberetur pro desperato, ventriculũ & sensus, meri largiore haustu & ingurgitatione obtuit; ũde illud in Epigrammate:

——*Hinc Stygias ebrius hausit aquas.*

Vino scilicet Stygii laticis amaritudinem sustulit, At nostris temporibus, Medicis quasi Religio est, ægrotis, postquã deplorati sint, assidere; ubi meo judicio, si officio suo, atque adeo humanitati ipsi deesse nolint, & artem edisceré, & diligentiam præstare deberent, qua animam agentes, facilius & mitius è vita demigrent. Hanc autem partem, inquisitionem de *Euthanasia exteriori* [ad differentiam ejus *Euthanasiæ*, quæ animæ præparationem respicit] appellamus, eamq; inter *Desiderata* reponimus.

Item in *Curationibus Morborum* illud generaliter *desiderari* reperio; Quod Medici hujusce ætatis, licet *generales intentiones Curationum* non male persequantur, *particulares* tamen *Medicinas*, quæ ad curationes morborum singulorum, proprietate quadam spectant, aut non bene norunt, aut nõ religiose observant. Nam Medici traditionum & experientiæ probatæ fructum Magistralitatibus suis destruxerunt, & sustulerunt; Addendo, & demendo, & mutando circa Medicinas, prout iis libitum fuerit; & fere Pharmacopœorum more *Quid pro Quo* substituendo; ita superbe imperantes Medicinæ, ut Medicina non amplius imperet Morbo. Demptis enim Theriaca, & Mithridatico, & fortasse Diascordio, & Confectione Alkermes, & paucis aliis Medicinis, ad nulla fere certa Pharmaca se religiose & severe adstringunt. Nam Medicamenta illa quæ in officinis prostant venalia, potius in promptu sunt ad intentiones generales, quam accommodata & propria ad curationes particulares; Siquidem speciatim nullum morbũ magnopere respiciunt, verum generatim ad obstructiones aperiendas, concoctiones confortandas, intemperies alterandas pertinent. Atque hinc

præcipue

præcipue sit, ut Empirici & Vetulæ sæpenumero in curandis morbis felicius operentur, quam Medici eruditi, quia Medicinarum probatarum confectionem & compositionem fideliter & scrupulose retinent. Equidem memini, Medicum quendam apud nos in Anglia Practica celebrem, Religione prope Judæum, Librorum lectione tãquam Arabem, solitũ dicere, *Medici vestri Europæi sunt quidem viri docti, sed non norunt particulares curationes morborum*: quinetiam idem ludere solebat, parum decore, dicendo, *Medicos nostros similes esse Episcopis, ligandi & solvendi claves habere, & nihil amplius.* Sed ut serio, quod res est, dicamus; Plurimum referre censemus, si Medici aliqui, & eruditione & practica insigniores, opus aliquod conficiant, de Medicinis probatis & experimentalibus, ad morbos particulares. Nam quod speciosa quis ratione nixus, existimet decere Medicum doctũ (habita ratione complexionis ægrorum, ætatis, tempestatis anni, consuetudinum, & hujusmodi) potius Medicinas ex tempore aptare, quam certis aliquibus præscriptis insistere; id fallax res est, & experientiæ non satis attribuit, judicio plus nimis. Sane, quemadmodum in Rep. Romana, Cives erant utilissimi, & optime compositi, qui aut Consules Populo favebant, aut Tribuni in partes Senatus inclinabant: ita in hac Materia, de quâ agimus, Medicos eos probamus, qui aut in magna eruditione, traditiones experientiæ plurimum faciunt; aut in Practica insigni, Methodos & generalia Artis non aspernantur. Modificationes vero Medicinarum (si quando sit opus eas adhibere) potius in vehiculis earum exercẽdæ sunt, quam in ipso corpore Medicinarum; in quo nil novandum absque evidendi necessitate. Hanc igitur partem, quæ de *Medicinis Authenticis* & *Positivis* tractet, *desiderari* statuimus. Res autem est, quæ tentari non debet, absque acri & severo judicio, & tanquam in Synodo Medicorum selectorum.

Item, inter præparationes Medicinarum, mirati subit, (præsertim cum *Medicinæ ex Mineralibus* à Chymicis in tantum evectæ & celebratæ sint; cumq; tales Medicinæ tutius adhibeantur ad exteriora, quam intro sumantur) neminem adhuc inventum, qui per artem *thermas Naturales* & *fontes Medicinales* imitari annixus fuerit: cum tamen in confesso sit, Thermas illas & fontes, virtutes suas, ex venis Mineralium, per quas permeant, nancisci: quinetiam, in manifestum hujus rei documentũ, bene norit humana industria discernere & distinguere per Separationes quasdam, ex quo genere Mineralium hujusmodi aquæ inficiantur, veluti an ex sulphure, vitriolo, chalybe, aut aliquo simili. Quæ naturalis aquarum tinctura, si ad artificiosas compositiones reduci posset, fuerit in potestate hominis, & plura genera earum (prout usus postulat) efficere, & temperamentum ipsarum pro arbitrio regere. Hanc igitur partem, de *Imitatione Naturæ in balneis Artificialibus* (re procul dubio & utili, & in promptu) *desiderari* censemus.

Ne vero singula scrupulosius exequamur, quam vel instituto nostro, vel hujusce Tractatus Naturæ convenit, claudemus hanc partem defectus alterius cujusdam enumeratione, qui maximi nobis videtur momenti: Nimirum quod *Medendi ratio*, quæ obtinuit, sit *nimio plus compendiosa*, quam ut insigne aliquid, aut arduum, præstare possit. Etenim judicio nostro, opinio fuerit magis blanda, quam vera, si quis existimet, Medicamentum aliquod tam potẽs aut felix fieri posse, ut usus ejus simplex curationi alicui grandiori sufficiat. Mirabilis profecto foret Oratio, quæ pronunciata, aut etiam sæpius repetita, vitium aliquod, animo penitus insitum, aut inveteratum, corrigere aut tollere possit. Longe certe abest. Verũ quæ in Natura eximie possunt & pollent, sunt ordo, prosecutio, series, vicissitudo artificiosa. Quæ licet majus quoddam in præcipiendo judicium, majoremque in parendo constantiam requirant; tamen effectuum magnitudine abunde rem compensant. Etsi autem ex opera Medicorum quotidiana, quam, invisendo, assidendo, præscribendo, ægrotis præstant, putaret quispiam, haud segniter ipsos curationem persequi, atq; in eadem, certa quadam via insistere: Tamen si quis ea, quæ præscribere & ministrare soleant medici, acutius introspiciat, inveniet pleraq; vacillationis & inconstantiæ plena, & quæ ex tempore excogitentur, & in mentem illis veniant, absq; certo aliquo aut prævisо Curationis tramite. Debuerant autem etiam ab initio, post Morbum bene perspectum & cognitum, seriem curandi ordinatam meditari, neq; ab ea absq; gravi causa discedere. Atq; sciãt pro certo Medici, posse (exempli gratia) tria fortasse aut quatuor Medicamenta ad morbum aliquem gravem curandum rectè præscribi, quæ debito ordine & debito intervallo sumpta, curationem præstẽt: quorum singula, si per se tantum sumerentur, aut si ordo inverteretur, aut intervallũ non servaretur, fuerint prorsus nocitura. Neque tamen id volumus, ut omnis scrupulosa & superstitiosa curandi ratio in pretio sit tanquam optima, (non magis, quam omnis *Via arcta, via* sit ad *Cœlum*:) verum ut æque recta sit via, ac arcta & difficilis. Hanc autem partem, quã *filum medicinale vocabimus*, *desiderari* ponimus. Atq; hæc illa sunt, quæ in *Doctrina Medicinæ* de *Curatione Morborum desideramus*: nisi quod restet unicum, quod pluris est, quam illa omnia. *Desideratur* nimirum *Philosophia naturalis vera & activa*, cui *Medicinæ Scientia* inædificetur. Cæterum illa non est hujusce Tractatus.

Tertiam partem *Medicinæ*, posuimus illam de *Prolongatione vitæ*, quæ nova est, & *desideratur*: Estq; omnium nobilissima. Si enim tale aliquid inveniri possit, non versabitur tantum Medicina in *Curationum sordibus*; nec Medici ipsi propter *Necessitatem* solummodo *honorabuntur*, sed utique propter donum mortalibus, ex terrenis, quasi maximum, cujus poterunt esse, secundum Deum. Dispensatores, Administri. Licet enim *Mundus* homini Christiano, ad *terram promissionis* contendenti, tanquam *Eremus* sit, tamen in *Eremo* ipsa proficiscentibus, calceos & vestes (Corpus scilicet nostrum, quod animæ loco Tegminis est) minus atteri, Gratiæ divinæ Munus quoddam æstimandum. Hac de re, quia est ex optimis, eamque inter *Desiderata* posuimus, ex more nostro, & monita dabimus, & indicia, & Præcepta.

Primo *monemus*, ex Scriptoribus, circa hoc Argumentum, neminem esse, qui aliquid magni, ne dicamus aliquid sani, repererit. Aristoteles certe Commentarium de hoc edidit perpusillum, in quo nihil inest acuti: quod ipse omnia esse vult, ut solet. At Recentiores tam ofcitanter, & super-

ſtitiose de hoc ſcripſerunt, ut Argumentum ipſum ob eorum vanitatem, tanquam vanum & vecors haberi cœperit.

Secundo *monemus*, ipſas intentiones, quæ huc ſpectãt, medicorum, res nihili eſſe, & cogitationes hominum à re potius abducere, quam verſus eam dirigere. Sermocinantur enim, mortem in deſtitutione calidi & humidi conſiſtere: Deberi itaq; calorem naturalem confortari, humorem autem radicalem foveri: Perinde ac ſi hæc res juſculis, aut lactulis & malvs, aut amydo, aut jujubis, aut rurſus aromatibus, aut vino generoſo, aut etiam ſpiritu vini, & oleis Chymicis, confici poſſit. Quæ omnia obſunt potius, quam proſunt.

Tertio *monemus*, ut homines nugari deſinant, nec tam faciles ſint, ut credant, grande illud opus, quale eſt Naturæ, curſum remorari & retrovertere poſſe hauſtu aliquo matutino, aut uſu alicujus pretioſæ medicinæ ad exitum perduci: non auro potabili, non margaritarum eſſentiis, & ſimilibus nugis: ſed ut pro certo habeant, *Prolongationem Vitæ* eſſe rem operoſam, & quæ ex compluribus remediis, atq; eorum inter ſe connexione idonea, conſtet. Neque enim quisquam ita ſtupidus eſſe debet, ut credat, quod nunquam factum eſt adhuc, id fieri jam poſſe, niſi per modos etiam nunquam tentatos.

Quarto *monemus*, ut homines rite animadvertant & diſtinguant, circa ea, quæ ad *vitam ſanam*, & ea, quæ ad *vitam longam*, conferre poſſunt. Sunt enim nonnulla, quæ ad ſpirituum alacritatem, & functionum Robur, & Morbos arcendos, proſunt: quæ tamen de ſumma vitæ detrahãt, & Atrophiam ſenilem abſque Morbis accelerant: Sunt & alia, quæ ad Prolongationem vitæ, & Atrophiam ſenilem longius ſummovendam juvant: ſed ſamen non uſurpantur abſq; periculo Valetudinis; Adeo ut qui iis utentur ad Prolongationem vitæ, debeant ſimul incommodis occurrere, quæ alioquin ex eorum uſu ſupervenire poſſint. Atque *Monita* hactenus dedimus.

Quod ad *Indicia* attinet; tale hujus rei (quam Animo metimur) plaſma eſt. Conſervantur res & durant duobus modis: Aut in *Identitate*: Aut per *Reparationem*. In *Identitate ſua*, ut *muſca aut formica in ſuccino*: *Flos*, aut *Pomum*, aut *Lignum in Conſervatoriis Nivalibus*: *Cadaver* inter *balſama*. Per *Reparationem*, ut in *Flamma*, & in *Mechanicis*. Operanti ad *Prolongationem Vitæ*, utroque genere utendum eſt, (diſjuncta minus poſſunt) corpusq; humanum conſervandum, quemadmodum *Inanimata* conſervantur: Ac rurſus quemadmodum *Flamma* conſervatur; Ac denique quadantenus ut *Mechanica* conſervantur. Tres igitur ſunt ad *prolongandam vitam* intentiones: *Retardatio Conſumptionis*: *Probitas Reparationis*, & *Renovatio* ejus, quod *cœpit veteraſcere*, *Conſumptio* fit à duabus *deprædationibus*: *Deprædatione ſpiritus innati*; & *deprædatione Aeris ambientis*. *Prohibitio* utriusq; duplex: Aut ſi *Agentia* illa fiant minus *Prædatoria*, aut ſi *Patientia* (*Succi* ſcilicet corporis) reddantur minus *Deprædabilia*. *Spiritus* fit minus *Prædatorius*, ſi aut *ſubſtantia denſetur*, ut in uſu *Opiatorum* & *Nitratorum*, & in *Contriſtationibus*: Aut *Quantitate minuatur*, ut in *Diætis Pythagoricis* & *Monaſticis*: Aut *Motu leniatur*, ut in *Otio* & *Tranquillitate*, *Aër* ambiens fit minus *Prædatorius*, ſi aut minus *incaleſcat* à *Radiis Solis*, ut in *Regionibus frigidioribus*, in *Speluncis*, in *Montibus*, & in *Columnis Anachoretarum*: Aut *ſummoveatur à Corpore*, ut in *Cute denſa*, & in *plurimis Avium*, & in *uſu Olei* & *Vnguentorum* abſq; *Aromatibus*, *Succi Corporis* redduntur minus *deprædabiles*, ſi aut *Duri* facti ſint, aut *Roſcidi* ſive *oleoſi*. *Duri*, ut in *Victu aſpero*, *vita* in *Frigido*: *Exercitationibus robuſtis*: *Balneis* quibuſdam *Mineralibus*. *Roſcidi*, ut in *uſu Dulcium*, & *abſtinentia* à *Salſis* & *Acidis*, & maximè omnium in tali *Miſtione Potus*, quæ ſit Partium valde *tenuium* & ſubtilium abſq; tamen omni *Acrimonia* aut *Acedine*. *Reparatio* fit per *Alimenta*: *Alimentatio* autem promovetur quatuor Modis: Per *Concoctionem Viſcerum* ad *Extruſionem Alimenti*, ut in *confortantibus viſcera principalia*: Per *excitationem partium exteriorum* ad *attractionem alimenti*, ut in *exercitationibus* & *fricationibus* debitis, atq; *unctionibus* quibuſdam & *Balneis appropriatis*: Per *præparationem alimenti* ipſius, ut facilius ſe inſinuet, & digeſtiones ipſas quadamtenus anticipet, ut in variis & artificioſis modis *cibi condiendi*, *potus miſcendi*, *panis fermentandi*, & horum trium *virtutes in unum redigendi*: Per *confortationem* ipſius *ultimi actus aſſimilationis*, ut in *ſomno tempeſtivo*, & *applicationibus* quibuſdam *exterioribus*. *Renovatio* ejus, quod cœpit *veteraſcere*, fit duobus modis: Vel per *Inteneationem habitus corporis* ipſius, ut in uſu *Malaciſſationum* ex *Balneis*, *Emplaſtris*, & *Unctionibus*: quæ talia ſint ut *imprimant*, non *Extrahant*: Vel per *expurgationem ſucci veteris*, & *ſubſtitutionem ſucci novi*, ut in tempeſtivis & *reperitis purgationibus*, *ſanguinis Miſſionibus*, & *Diætis attenuantibus*, & quæ florem corporis reſtituunt. Atque de *Indiciis* hactenus.

Præcepta, quanquam ex ipſis *Indiciis* plurima poſſint deduci; tria tamen veluti præcipua ſubjungere viſum eſt. *Præcipimus* primo, ut Prolongatio vitæ expectetur potius à Diætis ſtatis, quam à Regimine aliquo victus familiari; aut etiam à medicamentorum particularium excellentia. Etenim, quæ tãta virtute pollent, ut naturam retrovertere valeant; fortiora plerumque ſunt & potentiora ad alterandum, quam ut ſimul in aliqua Medicina componi, multo minus in victu familiari interſpergi poſſint. Supereſt itaq; ut ſeriatim, & regulariter, & ad tempora certa, & vicibus certis recurrentia, adhibeantur.

Secundo *præcipimus*, ut *Prolongatio Vitæ*, expectetur potius ab operatione in Spiritus, & à Malaciſſatione partium, quam à modis alimentandi. Etenim, cum Corpus humanum, ejuſque Fabrica (miſſis externis) à tribus patiatur; Spiritibus ſcilicet; Partibus, & Alimentis; Via prolongationis vitæ per alimentandi modos longa eſt; atque per multas ambages & circuitus: At viæ per operationes ſuper Spiritus, & ſuper partes, multo breviores ſunt, & quibus citius ad finem deſideratum pervenitur; Eo quod Spiritus ſubito patiantur, & à vaporibus, & ab affectibus, quæ miris modis in eos poſſunt: partes item, per Balnea, aut Unguenta, aut Emplaſtra, quæ ſubitas etiam impreſſiones faciunt.

Tertio *præcipimus*, quod Malaciſſatio partium per Exterius, fieri debet per *Conſubſtantialia*, *Imprimentia*, & *Occludentia*. *Conſubſtantialia* enim benevolo partium amplexu libenter excipiuntur, & pro-

& propriè malaciſſant. *Imprimentia* autem, & virtutem Malaciſſantium, tanquam vehicula, facilius & altius deducunt, atque ipſa partes nonnihil expandunt. *Occludentia* autem, virtutem utrorumq; retinēt, & pauliſper figunt, & Perſpirationem, quæ eſt res Malaciſſationi oppoſita, (quia humidum emittit,) cohibent. Itaque per hæc tria (ſed potius ordine diſpoſita, & ſuccedentia, quam commixta) res abſolvitur. Interim in hac parte monemus; non eam eſſe intentionem Malaciſſationis, ut nutriat partes per exterius; ſed tantum ut eas reddat magis idoneas ad nutriendum. Quicquid enim magis aridum eſt, minus activum ad aſſimilandum. Atque de *Prolongatione Vitæ*, quæ eſt pars tertia *Medicinæ*, noviter aſcripta, hæc dicta ſint.

Veniamus ad *Coſmeticam*, quæ certe partes habet civiles, partes rurſus effœminatas. Corporis enim munditia, & decor honeſtus, rectè exiſtimatur promanare à modeſtia quadam morum, & à reverentia; inprimis erga Deum, cujus creaturæ ſumus; tum erga ſocietatem, in qua degimus; tum etiam erga noſmet ipſos, quos non minus, imò magis, quam alios revereri debemus. Verum adulterina illa decoratio, quæ fucos & pigmenta adhibet, digna certe eſt illis defectibus, qui eam ſemper comitantur, cum non ſit, aut ad fallendum ſatis ingenioſa, aut ad utendum ſatis commoda, aut ad ſalubritatem ſatis tuta & innocua. Miramur autem, pravam hanc conſuetudinem fucandi, leges cenſorias, tam Eccleſiaſticas, quam Civiles, quæ alias in luxuriam circa veſtes, aut cultus capillorum effœminatos, admodum fuerint ſeveræ, ita diu fugiſſe. Legimus certe de *Jezabele*, quod pigmentis faciem obliverit; verum de *Eſthera*, & *Iuditha*, nil tale perhibetur.

Pergamus ad *Athlethicam*. Eam ſenſu intelligimus paulo largiori, quam accipi conſuevit. Huc enim referimus, quicquid verſatur circa conciliandam qualemcunque (quam corpus humanum ſuſcipit) *Habilitatem*; ſive ſit *Agilitatis*, ſive *Tolerantiæ*. Quarum *Agilitas* duas habet partes. *Robur* & *Velocitatem*: Ac *Tolerantia* itidem duas, vel *Indigentiarum Naturalium patientiam*, vel in *cruciatibus Fortitudinem*. Quorum omnium videmus ſæpe numero exempla inſignia, in practica funambulonum, in duro victu hominum quorūdam Barbarorum in ſtupendis viribus Maniacorum, & in constantia nonnullorum inter exquiſita Tormenta. Imo ſi aliqua alia reperiatur facultas, quæ in priorem partitionem non cadit, (qualis in *Urinatoribus* ſæpe conſpicitur, qui mirifice Anhelitum cohibere poſſunt) ad hanc ipſam Artem aggregari volumus. Atque quod talia fieri quandoque poſſint, manifeſtiſſimum eſt: At Philoſophia & inquiſitio cauſarum circa eadem fere neglecta jacet: hanc arbitramur ob cauſam, quod hominibus perſuaſum ſit, hujuſmodi Magiſteria Naturæ ſolummodo vel ex peculiari certorum hominum indole, (quæ ſub diſciplinam non cadit,) vel à diutina, ab annis uſque puerilibus, conſuetudine, (quæ potius imperari, quam doceri ſolet) obtinere. Quod etſi verum prorſus non ſit, tamē *defectus* hujuſmodi rerum quid attinet notare? Certamina enim Olympica jam diu ceſſarunt: Tum etiam in ejuſmodi rebus mediocritas ſufficit ad uſum: Excellentia autem mercenariæ cuidam oſtentationi fere inſervit.

Poſtremo accedimus ad *artes voluptarias*. Eæ ſecundum ſenſus ipſos diſpertitæ ſunt: oculos oblectat præcipue *Pictoria*, cum aliis artibus innumeris, quæ ad magnificentiam ſpectant, circa ædificia, hortos, veſtes, vaſa, calices, gemmas, & ſimilia. Aures demulcet *Muſica*, quæ tanta vocum, ſpiritus chordarum, varietate, & apparatu inſtructa eſt. Olim etiam *Hydraulica*, pro Coryphæis quibuſdam Artis ejus habita ſunt, quæ nunc prope obſoleverunt. Atque Artes, quæ ad Viſum, aut Auditum ſpectant, præ aliis præcipue Liberales habitæ ſunt: Senſus hi duo magis caſti: Scientiæ magis eruditæ, quippe qui etiam *Mathematicam*, veluti Ancillam, in Familiis ſuis habeant: Etiam altera ad memoriam & demonſtrationes, altera ad mores & affectus animi nonnihil reſpicit. Reliquorum ſenſuum oblectationes, atque artes circa ipſos, minus in honore ſunt: veluti Luxuriæ, quam Magnificentiæ propiores, unguenta, odoramēta, Deliciæ & Cupediæ Menſarum, maxime autem Incitamenta Libidinis, rectius cenſore, quam Doctore indigent. Optime ſane à quibusdam annotatum eſt, naſcentibus & creſcentibus Rebuſpub. artes militares florere; in ſtatu & culmine poſitis Liberales; at ad declinationem & decaſum vergentibus Voluptarias. Hæc vero ætas noſtra, vereor ne tanquam in decaſu felicitatis, in Artes voluptarias inclinet. Quare iſta miſſa faciamus. Cum *Artibus Voluptariis Ioculares* copulo. Deceptiones ſiquidem Senſuum, inter Delectationes Senſuum reponendæ ſunt.

Jam vero tranſcurſis *Doctrinis* illis, circa *corpus humanum* (*Medicina*, *Coſmetica*, *Athletica*, *Voluptaria*) illud obiter monemus; Cum in *corpore humano* tot Res in conſiderationem veniant, *partes*, *humores*, *functiones*, *facultates*, *accidentia*: cumque (ſi nobis integrum eſſet) conſtitui oportuiſſet corpus unicum *Doctrinæ de corpore humano*, quæ iſta omnia complecteretur, (ſimile illi *Doctrinæ de anima*, de qua mox dicemus:) tamen, ne artes nimis multiplicentur, neve veteres artium limites, pluſquam neceſſe fuerit, tranſponantur, *Doctrinam* de *partibus corporis humani*, de *functionibus*, de *humoribus*, de *reſpiratione*, de *ſomno*, de *generatione* de *fœtu* & *geſtatione in utero*, de *Augmentis*, *de pubertate*, de *canicie*, de *impinguatione*, & ſimilibus in *Corpus Medicinæ* recipimus, licet ad officia illa tria non propriè pertineant; ſed quia *corpus* ipſum *hominis*, ſit per omnia *Medicinæ* Subjectum. *Motum* autē *voluntariū*, & *ſenſum*, ad *Doctrinam* de *anima* reiicimus, ſiquidem *Animæ* partes in his duobus ſunt potiores. Atque ſic *Doctrinam*, quæ circa *corpus hominis* verſatur, quod *Animæ* pro tabernaculo duntaxat eſt, claudimus.

CAP. III.

Partitio Philoſophiæ humanæ *circa* animam, *in* Doctrinam *de* ſpiraculo; & doctrinam *de* anima ſenſibili *ſive* producta. *Partitio ſecunda ejuſdem* Philoſophiæ *in* Doctrinam *de* ſubſtantia & facultatibus animæ, & doctrinam *de* uſu & objectis facultatum. *Appendices duæ* doctrinæ de facultatib⁹ animæ; Doctrina *de* divinatione naturali, & doctrina *de* faſcinatione. *Diſtributio* facultatum animæ ſenſibilis, *in* motum & ſenſum.

VEniamus ad *doctrinam* de *anima humana*; è cujus theſauris, omnes cæteræ *doctrinæ* depromptæ ſunt. Ejus duæ ſunt partes; Altera tractat de *anima rationali*, quæ Divina eſt; Altera de *irrationali*, quæ communis eſt cum Brutis. Notavimus

autem paulo superius (ubi de *formis* loquebamur) differentes illas duas *animarum* emanationes, quę in prima utriusque creatione se dant conspiciendas, Nimirum, quod altera ortum habuerit à *spiraculo Dei*, altera è *matricibus Elementorum*. Nam de *animæ rationalis* generatione primitiva, ita ait Scriptura. *Formavit hominem de limo terræ, & spiravit in faciem spiraculũ vitæ*. At generatio *animæ Irrationalis*, sive *Brutorum*, facta est per verba illa, *Producat aqua, Producat terra*. Hæc autem *anima* (qualis est in homine) *animæ rationali* organum tantum est, atque originem habet & ipsa quoque, quemadmodum in Brutis, è limo terræ: Neque enim dictum est, *Formavit corpus hominis de limo terræ*, sed *Formavit hominem*; integrum scilicet hominem, excepto spiraculo. Quamobrem partem primam *doctrinæ generalis* circa *animam humanam*, *doctrinam* de *spiraculo* appellabimus; Secundam vero *doctrinam* de *anima sensibili* sive *producta*. Neque tamen, cum hactenus *Philosophiam* solam tractemus, (quippe *Sacram Theologiam* in fine operis collocavimus) partitionem istam à *Theologia* mutuaremus, nisi etiam cum principiis *Philosophiæ* conveniret. Plurimæ enim & maximæ sunt *animæ humanæ* præcellentiæ supra *animas Brutorum*, etiam Philosophantibus secundum sensum manifestæ. Ubicunque autem tot & tantarum invenitur Excellentiarum Symbolum, ibi merito semper constitui debet differentia specifica. Itaq; nobis non nimium placet confusa illa & promiscua philosophorum de *animæ functionibus* tractatio: ac si *anima humana*, gradu potiùs, quam specie, discriminata esset ab *anima Brutorum*: Non aliter, quam Sol inter Astra, aut Aurum inter Metalla.

omnino!

Subjungenda est etiam partitio alia *doctrinæ generalis* circa *animam humanam*, antequam de speciebus fusius loquamur. Etenim, quæ de speciebus postea dicemus, utramq; partitionem, tum illam, quam jam modo posuimus, tum istam, quam nunc proponemus, simul tractabunt. Secunda igitur partitio sit, in *doctrinam* de *substantia* & *facultatibus animæ*, & *doctrinam* de *usu* & *objectis facultatum*.

Præmissis itaque his partitionibus geminis, ad species accedamus. *Doctrina* de *spiraculo*, eademq; de *substantia animæ rationalis*, complectitur inquisitiones illas de Natura ejus, Utrum *nativa sit illa*, an *adventitia*: *separabilis*, an *inseparabilis*: *mortalis*, an *immortalis*: *quatenus legibus materiæ alligata*, *quatenus minimè*: & similia. Quæ vero hujus sunt generis, licet etiam in Philosophia, & diligentiorem & altiorem inquisitionem subire possint, quã adhuc habetur, utcunque tamen in fine Religioni determinanda & diffinienda rectius transmitti censemus: Aliter enim, erroribus haud paucis, & sensus illusionib⁹ omnino exponentur. Etenim, cum *Substantia animæ*, in creatione sua, non fuerit extracta, aut deducta ex massa Cœli & terræ, sed immediate inspirata à Deo; cur q̃ que leges Cœli & terræ, sint propria subjecta Philosophiæ; quomodo possit cognitio de *substantia animæ rationalis* ex philosophia peti & haberi? Quinimo ab eadem inspiratione Divina hauriatur, à qua *substantia animæ* primo emanavit.

Doctrina vero de *anima sensibili*, sive *producta*, etiam quatenus ad *substantiam* ejus, vere requiritur: At ea inquisitio nobis quasi *desiderari* videtur. Quid enim ad *doctrinam* de *substantia animæ* faciunt, *Actus ultimus*, & *forma corporis*, & hujusmodi nugæ Logicæ? *Anima* siquidem *sensibilis*, sive *Brutorum* plane substantia corporea censenda est, à calore attenuata, & facta invisibilis; Aura (inquam) ex natura flammea & aërea conflata, aëris mollicie ad impressionem recipiendam, ignis vigore ad actionem vibrandam dotata; partim ex oleosis, partim ex aqueis nutrita; Corpore obducta, atq; in animalibus perfectis in capite præcipue locata; in nervis percurrens, & sanguine spirituoso arteriarum refecta & reparata quemadmodum Bernardinus Telesus, & Discipulus ejus Augustinus Donius, aliqua ex parte, non omnino inutiliter, asseruerunt. Itaq; de hac *doctrina*, diligentior fiat inquisitio: Eo magis, quod hæc res non bene intellecta, opiniones superstitiosas, & plane contaminatas, & dignitatem *animæ humanæ* pessime conculcantes, de *Metempsychosi*, & *lustrationibus animarum* per periodos annorum, denique de nimis propinqua *animæ humanæ* erga *animas Brutorum* per omnia *cognatione*, peperit. Est autem hæc *anima* in Brutis *anima principalis*, cujus corpus Brutorum organum; In homine autem, organum tantum & ipsa *anima rationalis*, & *spiritus* potius appellatione quam *animæ* indigitari possit. Atque de *substantia animæ* hactenus.

Facultates autem *animæ* notissimæ sunt; *Intellectus*, *Ratio*, *Phantasia*, *Memoria*, *Appetitus*, *Voluntas*, denique universæ illæ circa quas versantur Scientiæ Logicæ, & Ethicæ: Sed in *doctrina de anima*, *origines* ipsarum tractari debent, idq; physice, prout animæ innatæ sint, & adhæreant: *usus* tantum ipsarum, & *Objecta*, illis alteris *artibus* deputantur. Atque in hac parte nihil egregii (ut nobis videtur) adhuc repertum est; quanquam *desiderari* eam haud sane dixerimus. Habet etiam pars ista *de facultatibus animæ* appendices duas, quæ & ipsæ quemadmodum tractantur, potius fumos nobis exhibuerunt, quam flammam aliquam lucidam veritatis: Alterum harum est doctrina de *divinatione* naturali; Altera de *fascinatione*.

Divinationem ab Antiquis, nec male, in duas partes divisam habemus; *Artificialem*, & *Naturalem*. *Artificialis* ratiocinando, ex indicatione signorum, prædictionem colligit. *Naturalis*, ex ipsa animi præsensione interna absq; signorum adminiculis, præsagit. *Artificialis* duplex: Altera argumentatur ex *causis*; Altera ex *experimentis* tantum, cæca quadam auctoritate. Quæ posterior, ut plurimum, superstitiosa est. Quales erãt Ethnicorum Disciplinæ, circa *inspectionem extorum*, *volatum avium*, & similia. Etiam Chaldæorum *Astrologia* solennior, non multo melior. At *Artificialis Divinatio* utraq; inter diversas Scientias spargitur. Habet *Astrologus* prædictiones suas ex situ astrorum. Habet etiam *Medicus* suas; de morte ingruente; de convalescentia; de symptomatibus morborum superventuris; ex urinis, pulsibus, aspectu ægrorum, & similibus. Habet & *Politicus* suas; *O urbem venalem*; *& cito perituram, si Emptorem invenerit!* Cujus Vaticinii fides non diu morata est; impleta primum in Sylla, postea in Cæsare. Hujusmodi igitur prædictiones, præsentis non sunt Instituti, verum ad artes proprias remitti debẽt. *Naturalis* autem *Divinatio*, ex vi scilicet interna animi ortum habens,

2

habens, ea demum est, de quā nunc agitur. Hæc duplex est; Altera *nativa*: altera per *influxum*. *Nativa* hoc nititur suppositionis fundamento: Quod anima in se reducta, atq; collecta, nec in corporis organa diffusa, habeat ex vi propria essentiæ suæ, aliquam prænotionem rerum futuratum: Illa vero optimè cernitur in somnis, ecstasibus, confiniis mortis; ratius inter vigilandum, aut cum corpus sanum sit ac validum. Hujusmodi verò status animi, procuratur fere, aut adjuvatur, ex abstinentiis, atq; illis rebus, quæ animam à muneribus corporis exercendis maxime sevocant, ut sua natura absq; impeditionibus exteriorum gaudere possit. *Divinatio* vero per *influxum*, hoc altero suppositionis fundamento nititur; Quod anima, veluti speculum, illuminationem quādam secundariam, à Præscientia Dei & Spirituum excipiat; Cui etiam idem, qui priori, status & regimen corporis confert. Eadem enim animæ sevocatio efficit, ut & sua natura impensius utatur, & Divinorum Influxuum sit magis susceptiva: Nisi quod in *Divinationibus* per *Influxum* anima fervore quodam, atque tanquam Numinis præsentis Impatientia, (quæ apud Priscos *Sacri Furoris* nomine vocabatur) corripiatur: in *Divinatione* autem *Nativa*, quieti potius & vacationi propior sit.

Fascinatio autem, est vis & actus imaginationis intensivus in corpus alterius: (vim enim imaginationis super Corpus proprium ipsius imaginantis superius perstrinximus.) In hoc genere schola Paracelsi, & ementitæ *naturalis Magiæ* cultores, tam fuerunt immodici, ut imaginationis impetum & apprehensionem *miracula patranti fidei* tantum non exæquarint. Alii ad similitudinem veri propius accedentes; cum occultas rerum energias & impressiones, sensuum irridiationes, cōtagionum de corpore in corpus trāsmissiones, virtutum magneticarum delationes acutius intuerentur; in eam opinionem devenerunt, quod multo magis à Spiritu in Spiritum (cum Spiritus præ rebus omnibus sit, & ad agendum strenuus, & ad patiendum tener & mollis) impressiones, & delationes, & communicationes fieri potuerint. Unde increbuerunt opiniones, factæ quasi populares, De Genio superiori, De hominibus quibusdam infaustis & ominosis, De ictibus amoris & invidiæ, & aliæ his similes. Atq; huic conjuncta est disquisitio, quomodo *imaginatio intendi & fortificari* possit? Quippe si imaginatio fortis tātarum sit virium, operæ pretium fuerit nosse, quibus modis eam exaltari, & se ipsa majorem fieri detur? Atq; hic obliq;, nec minus periculose, se insinuat palliatio quædam & defensio maximæ partis *Magiæ cæremonialis*. Speciosus enim fuerit prætextus, cæremonias, characteres, incantationes, gesticulationes, amuleta, & similia, non ex aliquo tacito aut Sacramentali cum malis Spiritibus contractu vires nancisci; sed eo pertinere tantum, ut imaginatio illius, qui his utitur, roboretur & exaltetur: Quemadmodum etiam in Religione, usus imaginum, ad mentes hominum in rerum contemplatione defigendas, & devotionem Precantium excitandam, invaluit. Attamen mea talis est Sententia; Etiamsi detur, vim imaginationis esse utiq; potentem, atque insuper Cæremonias vim illam intendere & roborare; posito denique, quod adhibeantur Cæremoniæ ad hanc intentionem sincere, atque tanquam remedium Physicum, absque aliqua vel minima cogitatione de invitandis per ipsas auxiliis Spirituum: haberi nihilominus debent pro illicitis, propterea quod sententiæ illi Divinæ, adversus hominem propter Peccatum latæ, repugnent & recalcitrent; *In sudore vultus comedes panem tuum*. Siquidem Magia ejus generis, egregios illos fructus, quibus Deus Pretium Laborem constituit, adipiscendos proponit, per paucas, easq; faciles, & minime operosas observantias.

Supersunt *Doctrinæ* duæ, quæ ad *facultates animæ inferioris*, sive *sensibilis*: præcipue spectant, utpote quæ cum organis corporeis, maximè communicant. Altera de *motu voluntario*: Altera de *sensu & sensibili*. In priori harum, etiam alias satis jejune inquisita, unica pars fere integra *deest*. Etenim de officio & fabrica commoda nervorum & musculorum, & aliorum quæ ad hunc motum requiruntur; quæq; pars corporis quiescat, dum alia moveatur; tum quod hujusce motus rector & quasi auriga sit imaginatio; adeo ut dimissa imagine, ad quam motus fertur, statim intercipiatur & sistatur motus ipse, (ut cum deambulamus, si alia subeat cogitatio acris & defixa, continuo consistimus;) & aliæ nonnullæ subtilitates non malæ, in observationem & inquisitionem jam pridem venerunt. Quomodo vero compressiones, & dilatationes, & agitationes Spiritus, (qui procul dubio motus fons est) corpoream & crassam partiū molem flectat, excitet, aut pellat, adhuc diligenter inquisitum & tractatum non est. Neque mirum, cum *anima ipsa sensibilis* hactenus potius pro entelechia & functione quadam habita sit, quam pro substantia. At quando jam innotuerit, ipsam esse substantiam corpoream & materiatam, necesse est etiam, ut, quibus nixibus, aura tam pusilla & tenera, corpora tam crassa & dura in *motu* ponere possit, inquiratur. De hac parte igitur, cum *desideretur*, fiat inquisitio.

At de *sensu & sensibili* longe uberior & diligentior adhibita est inquisitio, tam in Tractatibus circa generalibus, quam in artibus specialib⁹, utpote *Perspectiva, Musica*, quam vere nihil ad institutū: quandoquidē illa tanquam *desiderata* ponere non liceat. Sunt tamen duæ partes nobiles & insignes, quas in hac doctrina *desiderari* statuimus; Altera de *differētia perceptionis & sēsus*: Altera de *forma lucis*.

Atq; differentiam inter *perceptionem* & *sensum*, bene enucleatam, debuerant Philosophi Tractatibus suis de *sensu & sensibili* præmittere, ut rem maximè fundamentalem. Videmus enim, quasi omnibus corporibus naturalibus inesse vim manifestam *percipiendi*: etiam electionem quandam amica amplectendi, inimica & aliena fugiendi. Neque nos de subtilioribus *perceptionibus* tantum loquimur, veluti cum Magnes ferrum allicit; Flāma ad naphtham assilit; Bulla bullæ approximata coit; Radiatio ab objecto albo diffilit; Corpus animalis utilia assimilat, inutilia excernit; Spongiæ pars (etiam super aquam elevata) aquam attrahit, aërem expellit; Et hujusmodi. Etenim quid attinet talia enumerare? Nullum siquidem corp⁹ ad aliud admotum illud immutat, aut ab illo immutatur, nisi operationem præcedat *perceptio* reciproca. *Percipit* corpus meatus, quib⁹ se insinuat: *Percipit* impetū alterius corporis, cui cedit: *Percipit* amotionem alterius corporis, à quo detinebatur, cum

se recipit: *Percipit* divulsionem sui continui, cui ad tempus resistit: Ubiq; deniq; est *Perceptio*. Aër vero calidum & frigidum tam acute *percipit*, ut ejus *Perceptio* sit longe subtilior, quam tactus humani; qui tamen pro calidi & frigidi norma habetur. Duplex igitur deprehenditur circa hanc *doctrinam* hominum culpa: Alia, quod eam intactam & intractatam (cum tamen sit res nobilissima) plerumq; reliquerunt: Alia, quod qui huic contemplationi forte animum adjecerunt, longius, quam par est, provecti sunt, & *Sensum* corporibus omnibus tribuerunt: ut piaculum fere sit, ramum arboris avellere, ne forte instar Polydori ingemiscat. At debuerant illi *differentiam perceptionis* & *Sensus*, non tantum in comparatione sensibilium ad insensibilia, secūdum corpus integrum, explorare, (veluti plantarum & animalium,) verum etiā in corpore ipso sensibili animadvertere, quid in causa sit, cur tot actiones expediantur, absque omni tamen *Sensu*? Cur alimenta digerantur, egerantur; Humores & Succi, sursum, deorsum, ferantur; Cor & Pulsus vibrent; Viscera, sua quæque opificia, sicut officinæ, producant; Et tamen hæc omnia, & complura alia, absq; *Sensu* fiant? Verum homines non satis acute, qualis sit actio *Sensus*, viderunt, atq; quod genus corporis, quæ mora, quæ conduplicatio impressionis ad hoc requirantur, ut dolor vel voluptas sequatur? Denique *differentiam* inter *Perceptionem* simplicem & *Sensum*, nullo modo nosse videntur; nec quatenus fieri possit *Perceptio* absq; *Sensu* Neque enim hæc verborum tantum controversia est, sed de re magni prorsus momenti. De hac igitur *doctrina* (ut in primis utili, & ad plurima spectāte) melius inquiratur: Quandoquidem etiam circa hanc rem inscitia tantum apud nōnullos ex Antiquis Philosophis potuerit, ut omnibus sine discrimine corporibus animam infundi putaverint: Neq; enim videbant, quomodo *Motus* cum discretione fieri potuerit absque *Sensu*; aut *Sensus* adesse absque *Anima*.

De *Forma Lucis* quod debita non facta fuerit inquisitio, (præsertim cum in *Perspectiva* strenue elaborarunt homines) stupenda quædam negligentia censeri possit. Etenim, nec in *Perspectiva*, nec alias, aliquid de Luce, quod valeat, inquisitum est. Radiationes ejus tractantur, origines minime. Sed collocatio demum *Perspectivæ* inter *Mathematica*, hunc ipsum defectum, & alios similes peperit; quia à Physicis præmature discessum est. Tractatio autem de *Luce*, & caussis ejus, in Physicis rursus superstitiosa fere est, tanquam de re inter Divina & Naturalia media; adeo ut quidam ex Platonicis, eam materia ipsa antiquiorem introduxerint. Cum enim spacium esset difflatum, id primum lumine, postea vero corpore impletum fuisse, vanissimo commento asseruerunt: quando tamen Scripturæ Sacræ, massam Cœli & Terræ, tenebrosam, ante Lucem creatam, diserte posuerint. Quæ vero physicè & secundum sensum de ea tractantur, ea statim ad Radiationes descendunt, ut parum Physicæ inquisitionis circa hanc rem extet. Debuerant autem homines cōtemplationes suas submittere paulisper, & quid sit *Corporibus* omnibus *Lucidis* commune inquirere, tanquam de *Forma Lucis*. Etenim quam immensa est corporis differentia (si ex dignitate considerentur) inter Solē & Lignum putridum, aut squamas etiam piscium putridas? Inquirere etiam debuerant, quid tandem in causa sit, cur aliqua ignescant, & *Lucem* ex se jaciant calefacta, alia minime? Ferrum, metalla, lapides, vitrum, ligna, oleum, sevum, ab igne, vel flammam vibrant, vel saltem rubescunt: At aqua, aër, acerrimo, & tanquam furenti calore fervefacta, nihil tamen *Lucis* adipiscuntur, nec splendent. Quod si quis hoc eo fieri putet, quod proprium sit Ignis *Lucere*, Aqua autem & Aër Igni omnino inimica sint; is sane nunquam per obscura Noctis in aqua salsa, tempestate calida, remigavit; cum guttulas aquæ ex remorum concussione subsilientes, micare & lucessere videre potuisset. Quod etiā fit in spuma maris ferventiore, quam *Pulmonem marinum* vocant. Quid deniq; habent commune cū flamma & ignitis Cicendulæ & Luciolæ; & Musca Indica, quæ cameram totam illustrat; & oculi quorundam Animalium in tenebris; & Saccharum inter radendum, aut frangendum; & sudor equi nocte æstuosa festinantis; & alia nonnulla? Quin & homines tam parum in hac re viderunt, ut pleriq; scintillas è silice aërem attritum putent. Attamen quando aër calore non ignescat, & *Lucem* manifesto concipiat, quomodo tandem fit, ut noctuæ, & feles, & alia nonnulla animalia, noctu cernant? Adeo ut ipsi aëri (quando visio absq; *Luce* non transigatur) necesse sit inesse *Lucem* aliquam nativam & genuinam, quamvis tenuem admodum & infirmam, quæ tamen sit radiis visivis hujusmodi animalium proportionata, iisq; ad videndum sufficiat. Verum hujusce mali (ut plurimorum) caussa est, quod homines ex Instantiis particularibus *Formas* Naturarum *Communes* non elicuerunt; Id quod nos tanquam subjectum proprium *Metaphysicæ* posuimus: Quæ & ipsa *Physicæ*, sive *Doctrinæ* de *Natura*, pars est Itaq; de *Forma* & *Originibus Lucis* fiat Inquisitio, eaq; interim inter *Desiderata* ponatur. Atque de *Doctrina* circa *substantiam animæ*, tam *Rationalis* quam *Sensibilis*, cum *Facultatibus suis*, atq; de ejusdem *Doctrinæ Appendicibus*, hæc dicta sint.

FRANCISCI BACONIS
DE VERULAMIO,
Vice Comitis sancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER QUINTUS.
Ad Regem suum.

CAP. I.

Partitio doctrinæ *circa* usum & objecta facultatum animæ humanæ, *in* Logicam, & Ethicam. *Partitio* Logicæ, *in* Artes Inveniendi, Judicandi, Retinendi & Tradendi.

DOctrina *circa intellectum*, (Rex optime) atque illa altera *circa Voluntatem hominis*, in natalibus suis tanquam Gemellæ sunt. Etenim *illuminationis puritas*, & *arbitrij libertas*,

libertas, simul inceperunt, simul corruerunt. Neq; datur in Universitate Rerum, tam intima Sympathia, quam illa Veri & Boni. Quo magis rubori fuerit Viris doctis, si Scientiâ sint tanquam Angeli alati, Cupiditatibus vero tanquam Serpentes qui humi reptant; circumgerentes animas, instar speculi sane, sed menstruati.

Venimus jam ad *doctrinam* circa usum & *objecta facultatum animæ humanæ*. Illa duas habet partes, easque notissimas, & consensu receptas; *Logicam* & *Ethicam*: Nisi quod *doctrinam civilem*, quæ vulgo ut pars *Ethicæ* collocatur, jam ante emancipaverimus, & in integram *doctrinam de homine cõgregato*, sive in *societate*, constituerimus; hic tantum de *homine segregato* tractantes. *Logica* de *Intellectu* & *Ratione*; *Ethica* de *Voluntate*, *Appetitu*, & *Affectibus* disserit: altera *decreta*, altera *actiones* progignit. Verum quidem est, quod phantasia in utraque provincia, tam Judiciali, quam Ministeriali, Legati cujusdam, aut Internuncij, aut Procuratoris reciproci, vices gerit. Nam sensus idola omnigena phantasiæ tradit, de quibus postea ratio judicat. At ratio vicissim idola electa & probata phantasiæ transmittit, priusquam fiat executio decreti. Siquidem motum voluntarium perpetuo præcedit, eumque incitat phantasia: adeo ut phantasia sit utrique, tam rationi, quam voluntati, instrumentum commune: nisi quod Janus iste Bifrons sit, & duas obvertat facies: facies enim rationem aspiciens, veritatis habet effigiem; facies autem actionem aspiciens, effigiem Bonitatis: quæ tamen sint facies,

——— *Qualis decet esse sororum.*

Neque vero merus & nudus Internuncius est phantasia; sed auctoritatem non exiguam, vel accipit, vel usurpat, præter delationem simplicem mandati. Recte enim Aristoteles: *Id Imperij habet anima in corpus, quod Dominus in mancipium: Ratio vero in phantasiam, quod in libera Civitate Magistratus in Civem*; Ad quem possit sua vice redire Dominatio. Videmus enim quod in iis, quæ sunt fidei & religionis, phantasia supra istam rationem scandat & evehatur: Non quod illuminatio Divina locum habeant in phantasia, (quin potius in ipsa arce mentis & intellectus:) verum quemadmodum gratia Divina in virtutibus, utitur motibus voluntatis; ita similiter Gratia Divina in illuminationibus, utitur motibus phantasiæ; unde fit ut Religio semper aditum sibi ac viam ad animum quesierit, per *similitudines, typos, parabolas, visiones, insomnia*. Rursus haud humile est regnum phantasiæ in persuasionibus, à vi eloquentiæ insinuatis. Nam ubi per orationis artificia hominum Animi demulcentur, inflammantur, & inquamcunq; partem pertrahuntur; totum illud fit per exuscitationem phantasiæ, quæ impotens jam facta, non solũ rationi insultat, verum eidem vim quodammodo facit, partim occæcando, partim extimulando. Neq, tamen caussa videtur, cur à partitione priore discedamus. Nam phantasia scientias vere non parit: Siquidem Poësis (quæ à principio phantasiæ attributa est) pro lusu potius ingenij, quam pro scientia, habenda. Potestatem autem phantasiæ in naturalibus, doctrinæ de anima paulo ante assignavimus. Eam vero, quam habet cum Rhetorica cognationem, illi ipsi arti (de qua infra tractabimus) remitti par est.

Pars ista *humanæ Philosophiæ*, quæ ad *Logicam* spectat, ingeniorum plurimorum gustui ac palato minus grata est; & nihil aliud videtur, quam spinosæ subtilitatis laqueus ac tendicula. Nam sicut vere dicitur, *Scientiam esse animi pabulum*: ita in hoc pabulo appetendo, & deligendo, plerique palatum nacti sunt Israëlitarũ simile in deserto: quos cupido incessit redeundi ad *ollas carnium*; *Mannæ* autem fastidium cepit: Quæ, licet cibus fuerit cœlestis, minus tamen sentiebatur almus & sapidus. Eodem modo (ut plurimum) illæ *Scientiæ* placent, quæ habent infusionem nonnullam carnium magis esculentam. Quales sunt *Historia Civilis*, *Mores*, *Prudentia Politica*, circa quas hominum cupiditates, laudes, fortunæ vertuntur, & occupatæ sunt. At istud *lumen siccum*, plurimorum mollia & madida ingenia offendit, & torret. Cæterum unumquamque rem propria si placet dignitate metiri, *Rationales Scientiæ* reliquarum omnino claves sunt. Atque quemadmodum *Manus instrumentum instrumentorum*, *Anima forma formarum*, ita & illæ, *Artes artium* ponendæ sunt. Neque solum dirigunt, sed & roborant; sicut sagittandi usus & habitus, non tantum facit, ut melius quis collimet, sed ut arcum tendat fortiorem.

Artes Logicæ quatuor numero sunt; divisæ ex finibus suis, in quos tendunt. Id enim agit homo in *Rationalibus*: Aut ut *inveniat, quod quæsiverit*: Aut *judicet, quod invenerit*: Aut *retineat, quod judicaverit*: Aut *tradat, quod retinuerit*. Necesse igitur est, ut totidem sint *Artes rationales*. *Ars Inquisitionis*, seu *Inventionis*: Ars *Examinis*, seu *Judicij*: Ars *Custodiæ*, seu *Memoriæ*: & Ars *Elocutionis* seu *Traditionis*. De quibus jam sigillatim dicemus.

CAP. II.

Partitio inventivæ, *in* inventivam artium, *&* argumentorum: *Quodque prior harum* (*quæ eminet*) desideretur. *Partitio* inventivæ artium *in* experientiam literatam, *&* organum novum. *Delineatio* experientiæ literatæ.

INventionis duæ sunt species, valde profecto inter se discrepantes; Una *artium* & *scientiarum*; altera *argumentorum* & *sermonum*. Priorem harum *desiderari* prorsus, pronuncio. Qui quidem talis mihi videtur esse defectus; ac si quis in inventario conficiendo bonorum alicujus Defuncti ita referat: *Numeratæ pecuniæ nihil*. Ut enim cætera omnia pecunia parantur; ita & per hanc *artem* reliquæ acquiruntur. Atque sicut India Occidentalis nunquam nobis inventa fuisset, nisi præcessisset Acus Nauticæ Inventio: licet Regiones illæ immensæ, Versoriæ motus pusillus sit: Ita non est, cur miretur quispiam, in *Artibus* perlustrandis, & promovendis ampliores progressus factos non esse, quandoquidem *Ars inveniendi*, & *perlustrandi scientias* hactenus ignoretur.

Hanc scientiæ *desiderari* partem, plane in confesso est. Primo enim *Dialectica* nihil profitetur, imo ne cogitat quidem, de *inveniendis artibus*, sive *Mechanicis*, sive (quas vocant) *Liberalibus*, aut etiam de illarum *operibus*, harũ vero *axiomatibus* eliciendis; sed quasi præteriens homines alloquitur, & dimittit, edicens, ut *Cuique in sua arte credant*. Celsus, vir prudens, non solum Medicus, (licet moris sit omnibus, in laudes Artis propriæ effundi) graviter & ingenue, de Empiricis & Dogmaticis Medicorũ sectis loquens, fatetur; *Medica-*

menta & remedia prius fuisse inventa, de causis vero & rationibus posterius disceptatum; non ordine converso, causas ex natura rerum primo erutas fuisse, easque inventioni remediorum præluxisse. At Plato non semel innuit, *Particularia infinita esse maxime: rursus, generalia minus certa documenta exhibere: Medullam igitur scientiarum, qua artifex ab imperito distinguitur, in mediis propositionibus consistere, quas per singulas scientias tradidit & docuit experientia.* Quin & illi, qui de primis Rerum Inventoribus, aut Scientiarum Originibus, verba fecerunt, casum potius, quam artem celebrarunt; Atq; animalia Bruta, Quadrupedes, Aves, Pisces, Serpentes, amplius quam Homines, tanquam Scientiarum Doctores, introduxerunt.

Dictamnum Genetrix Dictæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.

Adeo ut minime mirum sit, (cum in more apud Antiquos fuerit, rerum utilium inventores conseverare) apud Ægyptios, gentem priscam, (cui plurimæ *Artes* initia sua debent,) templa plena fuisse simulacris Brutorum; hominum vero simulachris prope vacua.

Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis,
Contra Neptunum, & Venerem, contraque Minervam, &c.

Quod si malis ex traditione Græcorum, artes potius hominibus, ut inventoribus, tribuere: haudquaquam tamen dixeris, Prometheum ad ignis inventionem contemplationes adhibuisse: aut cum Silicem primo percuteret, scintillas expectasse: sed casu in illud incidisse, atque (ut ajunt) *Furtum Iovi fecisse.* Ita ut, ad artium inventionem quod attinet, capræ sylvestri pro emplastris; philomelæ pro modulationibus Musicis; ibidi lavationibus intestinorum; operculo ollæ, quod dissiliit, pro re tormentaria, denique (ut verbo dicamus) Casui, aut cuivis alteri rei, plus debeamus, quam Dialecticæ. Nec vero inulto aliter se habet modus ille inveniendi, quem recte describit Virgilius,

Ut varias usus meditando extunderet Artes
Paulatim. ———

Non enim alia hic proponitur inveniendi methodus, quam cujus Bruta ipsa sunt capacia, & quam crebro usurpant: nimirum attetissima circa unam rem sollicitudo, ejusq; perpetua exercitatio, quas sui conservandi necessitas hujusmodi animantibus imponit. Cicero enim vere admodum. *Usus uni rei deditus, & Naturam, & Artem sæpe vincit.* Quare si prædicetur de hominibus,

——— *Labor omnia vincit*
Improbus, & duris urgens in rebus egestas:

Etiam de Brutis similiter quæritur,

Quis expedivit psittaco suum Χαῖρε?

Corvo quis auctor fuit, ut magna siccitate lapillos immitteret arbori cavæ, ubi aquam forte conspexerit, ut surgentem laticem rostro posset attingere? Quis viam monstravit apibus, qui per aërem, tanquam vastum mare, agros floridos, licet multum ab alveariibus dissitos, solent petere, & favos suos denuo repetere? Quis formicam docuit, ut grana in colliculo suo reponenda circumroderet prius, ne reposita germinarent, & spem suam illuderent? Quod si in versu illo Virgiliano quis notet verbum illud *Extundere*, quod difficultatem rei; & verbum illud *Paulatim*, quod tarditatem innuit; redibimus, unde profecti sumus, ad Ægyptiorum illos Deos; cum hactenus homines modice rationis facultate, neutiquam vero officio artis usi sint, ad inventa detegenda.

Secundo hoc ipsum quod asserimus, (si advertatur paulo diligentius) demonstrat *Inductionis* forma, quam proponit *Dialectica*; qua scilicet scientiarum principia inveniantur, & probentur; quæ vitiosa plane est, & incompetens, & naturam tantum abest ut perficiat, ut etiam eam pervertat & detorqueat. Qui etiam modum acute introspexerit, quo ros iste æthereus Scientiarum, similis illi, de quo loquitur Poëta,

—— *Aërei mellis cœlestia dona,*

colligatur; (cum & Scientiæ ipsæ ex exemplis singulis, partim naturalibus, partim artificialibus, tanquam prati floribus & horti, extrahantur) reperiet profecto, animum suapte sponte, & nativa indole, *inductionem* solertius conficere, quam quæ describitur à Dialacticis: Siquidem ex nuda enumeratione particularium (ut Dialectici solent) ubi non invenitur instantia contradictoria, vitiose concluditur; neque aliquid aliud hujusmodi *Inductio* producit, quam conjecturam probabilem. Quis enim in se recipiet, cum particularia, quæ quis novit, aut quorum meminit, ex una tantum parte compareant; non delitescere aliquid, quod omnino repugnet? Perinde ac si Samuel acquievisset in illis Isai filiis, quos coram adductos videbat in domo, & minime quæsivisset Davidem, qui in agro aberat. Atque hæc *Inductionis* forma (si verum omnino dicendum sit) tam pinguis est & crassa, ut incredibile videatur, tam acuta & subtilia ingenia (qualia in his rebus meditationes suas exercuerunt) potuisse eam mundo obtrudere: Nisi illud in caussa fuisset, quod opera festinata ad Theorias & Dogmata contendissent: Particularia autem, (præsertim moram in iis longiorem) ex fastu quodam & elatione animi, despexissent. Illi enim exempla, sive instantias particulares, vice lictorum, aut viatorum adhibuerunt ad summovendam turbam, ut dogmatibus suis viam aperirent; neutiquam autem ea inde ab initio in consilium advocarunt, ut legitima fieret & matura de rerum veritate deliberatio. Certe perculserit animos pia & religiosa quædam admiratio, cum videamus, eadem calcata vestigia, ad errorem ducentia, in Divinis & humanis. Quemadmodum enim in Divina Veritate percipienda ægre quis in animum inducat, ut fiat tanquam parvulus; ita in Humana perdiscenda provectos, utique puerorum more, prima inductionum elementa adhuc legere & retractare res humilis existimatur, & quasi contemnenda.

Tertio, si concedatur, principia Scientiarum ex *Inductione*, qua utuntur, vel sensu & experientia, recte posse constitui, certissimum est tamen, axiomata inferiora ab iis per Syllogismum non posse (in rebus Naturalibus, quæ participant ex Materia) recte & tuto deduci. In *Syllogismo* enim fit reductio propositionũ ad principia per propositiones medias. Hæc autem sive *Inveniendi* sive *Probandi* Forma in *Scientiis Popularibus* (veluti *Ethicis*, *Politicis*, *Legibus*, & hujusmodi) locum habet: Imo & in *Theologicis*; quandoquidẽ Deo pro bonitate sua pla-

placuerit captui humano se accommodare: At in *Physicis*, ubi natura opere, non adversarius argumento constringendus est, elabitur plane veritas ex manibus; propter longe majorem naturalium operationum, quam verborum subtilitatem: Adeo ut succumbente *Syllogismo, Inductionis* (veræ scilicet & emendatæ) officio ubique opus sit, tam ad Principia magis generalia, quam ad propositiones inferiores. Nam Syllogismi ex propositionibus consistunt; Propositiones ex verbis; Verba Notionum tesseræ sunt. Quare si notiones ipsæ (quæ Verborum animæ sunt) male & varie à rebus abstrahantur; tota Fabrica corruit. Neque laboriosa vel consequentiarum argumẽtorum, vel veritatis propositionum examinatio, rem in integrum unquam restituet; cum error sit (ut loquuntur Medici) in *Digestione prima*; quæ à functionibus sequentibus non rectificatur. Non igitur absq; Magna & evidenti causa evenit, ut complures ex Philosophis (aliqui autem eorum maxime insignes) Academici fuerint & Sceptici, qui Scientiæ humanæ & Syllepsium certitudinem sustulerunt, ultra verisimilitudinem aut probabilitatem negantes, eam pertingere. Inficias non iverim, visum esse nonnullis, Socratem, cum Scientiæ certitudinem à se amoveret, per Ironiam tantum hoc fecisse; & *Scientiam dissimulando simulasse*: Renunciando scilicet iis, quæ manifesto sciebat, ut eo modo, etiam quæ nesciebat, scire putaretur. Neque etiam in recentiore Academia (quam amplexus est Cicero) illa Opinio *Acatalepsia* admodum sincere culta fuit. Etenim qui Eloquentia floruerunt, hanc fere sectam sibi desumpserunt, ut in utramque partem copiose disserendi gloriam assequerentur: unde à via illa recta, per quam ad Veritatem pergere debuissent, tanquam ad deambulationes quasdam amœnas, animi causa institutas, deflexum est. Cõstat tamen, nonnullos sparsim in utraque Academia (veteri & nova) multo magis inter Scepticos, *Acatalepsiam* istam simpliciter & integre tenuisse. Verum in hoc maxime ab illis peccatum est; quod sensuum perceptiones calumniabantur; unde *Scientias* radicitus evellebant. Sensus vero, licet sæpenumero homines aut fallãt, aut destituant, possint tamen multa adjuti industria ad *Scientias* sufficere; Idque non tam ope instrumentorum, (licet & hæc quoque aliqua ex parte prosint) quam Experimentorum ejus generis, quæ Objecta subtiliora, quam pro sensus facultate, ad objecta sensu comprehensibilia, producere queant. Debuerant autem potius defectum hac in parte imputasse mentis tum erroribus, tum contumaciæ, quæ rebus ipsis morigera esse recusat, & pravis demonstrationibus, & modis ratiocinandi, & concludendi, ex perceptione sensuum, perperam institutis. Hæc autem loquimur, non quo intellectui detrahatur, aut negotium totum deseratur, sed quo intellectui auxilia commoda comparentur & subministrentur, quibus rerum ardua & naturæ obscuritatem vincere possit. Nemo enim tanta pollet manus constantia, aut etiam habitu, ut rectam lineam ducere, aut perfectum circulum circumscribere, manu libera possit; quod tamen ope regulæ, aut circini, facere in promptu est. Hæc igitur res ipsa est, quam paramus, & ingenti conatu molimur; ut scilicet mens per artem fiat rebus par; utque inveniatur *ars* quædam *judicij & directionis*, quæ cæteras artes, earumque axiomata atque opera detegat, & in conspectum det. Hanc enim merito *desiderari* posuimus.

Ars ista *indicij* (ita enim eam appellabimus) duas habet Partes: Aut enim defertur *indicium ab experimentis ad experimenta*: Aut *ab experimentis ad axiomata*, quæ & ipsa *nova experimenta* designent. Priorum harum *Experientiam Literatam* nominabimus, posteriorem vero *Interpretationem naturæ*, sive *novum organum*. Prior quidem (ut alibi attigimus) vix pro *Arte* habenda est, aut *Parte Philosophiæ*, sed pro *sagacitate* quadam; unde etiam eam *venationem Panis* (hoc nomen ex fabula mutati) quandoque appellamus: Attamen quemadmodum possit quis, in via sua, triplici modo progredi: aut cum *palpat ipse in tenebris*: aut *cum alterius manu ducatur, ipse parum videns*: aut denique cum *vestigia lumine adhibito regat*: similiter cum quis *experimenta omnigena absque ulla serie aut methodo tentet*, ea demum mera est palpatio: Cum vero *nonnulla utetur in experimentando directione, & ordine*, perinde est ac si manu ducatur. Atque hoc illud est, quod per *Experientiam literatam* intelligimus. Nam *lumen ipsum*, quod tertium fuit, ab *Interpretatione naturæ*, sive novo Organo, petendum est.

Literata experientia, sive *venatio Panis*, modos experimentandi tractat: Eam (cum *desiderari* posuerimus, neque res sit plane perspicua) pro more & instituto nostro aliquatenus adumbrabimus. *Modus Experimentandi* præcipue procedit; aut per *variationem experimenti*: Aut per *productionem experimenti*: Aut per *translationem experimenti*: At per *compulsionem experimenti*: Aut per *applicationem experimenti*: Aut per *copulationem experimenti*: Aut denique per *sortes experimenti*. Universa vero ista cohibita sunt, citra *terminos axiomatis* alicujus inveniendi. Illa enim altera pars de *novo Organo*, omnem *translationem experimentorum in axiomata*; aut *axiomatum in experimenta*, sibi vindicat.

Variatio experimenti fit primo in *materia*; scilicet, quando *experimentum* in jam cognitis, certæ materiæ fere adhæsit; nunc vero in illis, quæ similis sunt speciei, tentetur: Veluti *confectio papyri*, in pannis linteis tantum probata est, in sericis minime, (nisi forte apud Chinenses;) Neque rursus in filaceis, compositis ex setis & pilis, ex quibus conficitur (quod vocamus) camelotum; Neque denique in laneis, gossypio, & pellibus, quanquam hæc tria postrema magis esse videntur heterogenea. Itaque admisceri possint potius, quam per se utilia esse. Item *Insitio in arboribus fructiferis* in usu est: In arboribus sylvestribus raro tentata; licet perhibetur, ulmum in ulmum insitam miras producere foliorum umbras. Insitio etiam in floribus, rara admodum est, licet hoc jam cœperit fieri in rosis Muscatellis, quę rosis communib° feliciter inoculantur. Etiam *variationem in parte rei*, inter *variationes in materia* ponimus. Videmus enim, *surculũ in trunco arboris insitũ* felici° pullulare, quã si terræ indatur. Cur non & semen cepæ, capiti alterius cepæ viridis inditũ, felicius germinet, quam si nudæ terræ commissum fuerit? Atque hic *radix pro trũco* variatur, ut hæc res insitio quædam in radice videri possit. *Variatio experimenti* fit secundo in *efficiente*: *Radij solis* per specula comburẽtia, calore

Modi experimentandi

lore ita intendūtur, ut materiam, quæ ignem facile concipiat, accēdere possint: Num & radij lunæ, per eadem, ad lenissimum aliquem gradum teporis actuari possunt; ut videamus, utrum corpora omnia cœlestia sint potestate calida? Item *calores radiosi*, per specula scilicet, intenduntur: Num etiam calores opaci (quales sunt lapidum & metallorum, antequam candeant) idem patiuntur; an potius sunt luminis in hac re partes nonnullæ; Item *succinum & gagates fricata* paleas trahunt: Num etiam & ad ignem tepefacta? *Variatio experimenti* fit tertio in *quanto*: circa quod diligens admodum est adhibenda cura, cum hoc multi circumstent errores. Credunt enim homines, aucta aut multiplicata *quantitate*, pro rata augeri aut multiplicari virtutem. Et hoc fere postulāt & supponunt, tanquam res sit Mathematicæ cujusdam certitudinis: Quod omnino falsissimum est. *Globus plumbeus* unius libræ à turri demissus (puta) decem pulsuum spatio, ad terram descendit: Num Globus duatum Librarum (in quo Impetus iste, Motus quem vocant Naturalis, duplicari debet) spatio quinque pulsuum terram feriet? At ille æquali fere tempore descendet, neque accelerabitur juxta rationem *Quanti*. Item *sulphuris* (puta) *drachma una* semilibræ chalybis admista, eam fluere faciet & colliquari: Num igitur uncia sulphuris, quatuor libris chalybis, ad colloquationē sufficiet? At illud non sequitur. Certum enim est, *obstinationem materiæ* in *patiente*, per quantitatem, augeri amplius, quam *activitatem virtutis* in *agente*. Porro nimium, æque fallit ac parum. Etenim in *excoctionibus*, & *depurationibus metallorum*, error est familiaris, ut ad excoctionem promovendam, aut calorem fornacis, aut additamenti quod injiciunt, molem augeant. At illa supra modum aucta operationem impediunt; propterea quod vi & acrimonia sua multum ex metallo puro in fumos vertant & asportent; ut & jactura fiat; & massa quæ remanet, magis sit obstinata & dura. Debent igitur homines ludibrium illud mulieris Æsopi cogitare: quæ sperarat, ex duplicata mensura hordei gallinam suam duo ova quotidie patituram: At illa impinguata nullum peperit. Prorsus non tutum fuerit alicui *experimento naturali* confidere, nisi facta fuerit probatio, & in minore, & in majore *Quanto*. Atque de *variatione experimenti* hactenus.

Productio experimenti duplex: *Repetitio*, & *Extensio*: Nimirum, cum aut *experimentum iteratur*: aut ad *subtilius quiddā urgetur*. *Repetitionis* exemplum tale sit. *Spiritus vini* fit ex vino per destillationem unicam: estque vino ipso multo actior & fortior: Num etiam spiritus vini ipse destillatus, sive sublimatus, se ipsum fortitudine æque superabit? At *Repetitio* quoque non absque fallacia est: Etenim, cum secunda exaltatio, prioris excessum non æquat: tum etiam sæpenumero per *iterationem experimenti*, post statum, sive Acmen quandam operationis, tantum abest ut progrediatur natura, ut potius relabatur. Judicium igitur in hac re adhibendum. *Argentum vivum*, in linteo, aut alias in medio plumbi liquefacti, cum refrigescere cœperit, insertum, stupefit: nec amplius fluit. Num & idem argentum vivum, si sæpius immissum fuerit, ita figetur, ut fiat malleabile? *Extensionis* exemplum tale sit: *Aqua in summo posita*, & pēsilis facta, & per rostrum vitri oblongum in vinum dilutum immersa, separabit aquam à vino: vino in summum se paulatim recipiente, aqua in imo subsidente: Num etiam, quemadmodū vinum & aqua (corpora scilicet diversa) hoc ingenio separantur, possint quoque partes vini (corporis nimirum integri) subtiliores à crassioribus separari, ut fiat tanquam destillatio per pondus, & in summo reperiatur aliquid spiritui vini proximum, sed forte delicatius? Item *magnes ferrum integrum* trahit: Num etiam frustum magnetis in dissolutione ferri immersum, ferrum ad se alliciet, & se ferro obducet? Item, *versorium Acus Nauticæ* se ad polos mūdi applicat: Num etiam eadem via & consecutione, qua Cælestia? Videlicet, ut si quis acum in contrario situ, hoc est, in puncto Australi ponat, & paulisper teneat, ac deinde vim omittat: num forte acus ad Septentriones se conferet, eligendo potius rotare per Occidentem in Situm desideratum, quam per Orientem? Item, *Aurum Argentum vivum, juxta positum, imbibit*. Nam vero aurum recipit illud argentum vivum intra se, sine extensione molis suæ, ut fiat massa quædam ipso auro ponderosior? Item, *homines memoriæ serviunt, collocando imagines personarum in locis*. Num etiam idem assequentur (missis locis) & affingendo actiones aut habitus personis? Atque de *Productione Experimenti* hactenus.

Translatio experimenti triplex: Aut *à Natura vel casu in artem*: Aut *ab arte vel practica alia in aliam*: Aut *à parte alicujus artis in partem diversam ejusdem*. *Translationis à natura aut casu in artem*, innumera sunt exempla: adeo ut omnes fere artes mechanicæ, à tenuibus initiis, natura aut casu præbitis, ortum habuerint. Adagio receptum erat, *botrum contra botrum citius maturescere*: Id quod de mutuis amicitiæ operis & officiis increbuit. At nostri, Cydræ (vini scilicet ex pomis) confectores, hoc optime imitantur. Cavent enim, ne poma tūdantur, aut exprimantur, antequam nonnullo tempore in acervos conjecta mutuo contactu maturuerint; unde nimia potus aciditas emendetur. Item, *Iridum artificiosarum imitatio* ex aspersione spissa guttularum, ab iridibus naturalibus ex nube roscida, facili ductu translata est. Item *modus destillandi*, vel ex alto peti, ex imbribus scilicet, aut rore; vel ex humili illo experimento guttarum, in patinis, ollis aquę bullientis superimpositis, adhęrentium, desumi potuit. *Tonitrua* autem & *fulgura* imitari veritus quis esset, nisi operculum Monachi illius Chymici, magno impetu & fragore, subito in sublime jactum, submonuisset. Verum quo hæc res magis exemplis abūdat, eo pauciora adducere opus fuerit. Debuerant autem homines, si illis utilia inquirere vacaret, naturalia opificia & operationes singulas, attente, & minutim, & ex composito intueri; & secum perpetuo & acriter cogitare, quænam ex ipsis ad artes trāsferri possint. Speculum enim artis natura. Nec pauciora sunt *experimenta*, quæ *ab arte in artem*, seu *à practica in practicam* transferri possunt; licet hoc rarius in usu sit. Natura enim ubique omnibus occurrit; at artes singulæ artificibus tantum proprijs cognitæ sunt. *Specilla ocularia* ad visum debilē juvandū invēta sunt. Num & comminisci quis queat aliquod instrumentum, quod aurib» appensum, surdastris ad audiendum juvet? Item *imbalsamationes*, & *mel cada-*

cadavera conservant, Annon possit aliquid ex his, in medicinam transferri, quod etiam vivis corporibus prosit? Item *sigillorum practica in cera*, cæmentis, & plumbo, antiqua fuit: At hæc etiam impressioni in chartis, sive arti typographicæ, viam monstravit. Item *sal in coquinaria carnes condit*, idque melius hyeme, quam æstate. Annon hoc ad Balnea utiliter transferri possit, eorumq; temperamentum, quando opus fuerit, vel imprimendum, vel extrahendum. Item *Sal*, in nupero *Experimento*, de *Conglaciationibus Artificialibus*, magnas vires ad condensandum obtinere reperitur: Annon possit hoc transferri ad Condensationes metallorum: cum jampridem notum sit, aquas fortes, ex nonnullis salibus compositas, dejicere & præcipitare arenulas Auri, ex metallis aliquibus, auro ipso minus densis? Item *Pictoria*, *Imagine Memoriam rei* renovat; Annon hoc traductum est in *artem* eam, quam vocant, *Memoriæ*? De his in genere monitum sit; Quod nihil ad imbrem quendam inventorum utilium, eorundemque novorum, veluti cœlitus deducendum, tantum valere possit, quantum, si experimenta complurium artium mechanicarum, uni homini, aut paucis, qui se invicem colloquiis acuere possint, in notitiam venerint; ut per hanc, quam dicimus, *experimentorum translationem*, artes se mutuo fovere, & veluti commixtione radiorum accēdere possint. Quamvis enim *via rationalis* per organum longe majora spondeat: attamen hæc *sagacitas*, per *experientiam literatam*, plurima interim ex iis, quæ in proximo sunt, in genus humanum, tanquam missilia apud Antiquos Donativa, projiciet & sparget. Superest illa *translatio de parte artis in partem diversam*; quæ parum differt à translatione de arte in artem: Verum quia *artes* nonnullæ spatia magna occupant, ut etiam *translationem experimentorum* ferre intra se ipsas possint, hanc etiam speciem *translationis* subjungere visum est. Præcipue, quia magni prorsus est in nonnulla arte momenti. Plurimum enim ad *artem medicinæ* amplificandam profuerit, si *experimenta partis* illius *medicinæ* de *curationibus morborum* ad partes illas de *tuenda sanitate*, & *prolongatione vitæ*, transferantur. Si enim *opiatum aliquod insigne*, ad spirituum, in morbo pestilenti, furibundam incensionem reprimendam, sufficerit; non dubitet quispiam, quin simile aliquid, debita dosi familiare redditum, etiam incensionem eam gliscentem, & obrepentem, quæ per ætatem fit, aliqua ex parte frænare & retardare possit. Atque de *translatione experimenti* hactenus.

Inversio experimenti fit, cum contrarium ejus, quod *experimento* constat, probatur. Exempli gratia: *Calidum* per *specula* intenditur: Num etiam frigidum? Item *calidum se diffundendo*, *fertur* tamen potius in *sursum*: Num etiam frigidum se diffundendo, fertur magis in deorsum? Exempli gratia, accipias *bacillum ferreum*, illudque in uno fine calefacias; & deinde erigas ferrum, parte calefacta subtus locata; in superiore parte manu apposita, actutum manum aduret: parte autem calefacta supra locata, & manu subtus, multo tardius aduret. Num etiam, si totū bacillum calefiat, & finis alter nive, vel spongia, in aqua frigida tincta, madefiat, Si nix aut spongia superius locetur, num (inquam) frigus deorsum mittet citius, quā inferius locata, sursum? Item, *Radij solis supra album* dissiliunt, supra nigrum congregantur: Num etiam umbræ super nigrum disperguntur, super album congregantur? Id quod in loco tenebroso, luce per foramen exiguum tantum immissa, fieri videmus, ubi imagines rerum, quæ foras sunt, super papyrum, quæ alba est, excipiuntur, super nigram minime. Item, *vena frontis* ad *dolorem hemicranicum* inciditur: Num etiam hemicranium scarificatur ad sodam? Atque de *Inversione experimenti* hactenus.

Compulsio experimenti fit, ubi urgetur & producitur *experimentum*, ad annihilationem, vel privationem virtutis: In reliquis enim venationibus, fera capitur tantum: At in ista, occiditur. Exemplum *Compulsionis* tale est. *Magnes ferrum trahit*: Urge ergo ferrum, aut urge magnetem, ut amplius non fiat attractio: Veluti, num forte, si magnes ustus fuerit, aut in aquis fortibus maceratus, virtutem suam deponet, aut saltem remittet? Contra, si chalybs, aut ferrum in crocum martis redigantur, vel in chalybem, quem vocant præparatum, vel etiam in aqua forti solvantur, num adhuc ea alliciat magnes? Rursus, *Magnes ferrum trahit per universa*, quæ novimus, *media*, nempe si interponatur aurum, argentum, vitrum. Urge igitur aliquod medium, si fieri possit, quod virtutem intercipiat; Probetur argentum vivum: Probentur oleum, gummi, carbo ignitus, & alia; quæ adhuc probata non sunt. Item, *introducta sunt nuper Perspicilla*, quæ visibilia minuta miris modis multiplicent. Urge usum eorum, vel ad species tam pusillas, ut amplius non valeant; vel ita grandiusculas, ut confundantur. Scilicet, Num poterunt illa in urina clare detegere ea, quæ alias non perspicerentur? Num poterunt in gemmis, ex omni parte puris, & nitidis, grana aut nubeculas conspicienda dare? Num & pulviscula in sole (quæ Democrito pro Atomis suis, & principiis rerum, falsissime objiciebantur) tanquam corpora grandiuscula monstrare? Num pulverem crassiusculum, ex cinnabari, & cerussa, ita ostendere distributum, ut appareant hic granula rubra, illic alba? Nam rursus, imagines majores (puta faciem, oculum, &c.) in tantum multiplicatas ostendere, in quantum pulicem, aut vermiculum? Num byssum, aut hujusmodi textile linteum delicatius, & paulo apertius, ita foraminatum ostendere, ac si esset rete? Verum, in *compulsionibus experimentorum* minus moramur, quia fere extra limites *experientiæ literatæ* cadunt, & ad *causas*, & *axiomata*, & *novum organum* potius spectant, Ubicunque enim fit negativa, aut privativa, aut exclusiva; cœpit jam præberi lux nonnulla ad *inventionem formarum*. Atque de *compulsione experimenti* hactenus.

Applicatio experimenti nihil aliud est, quam ingeniosa traductio ejus, ad *experimentum* aliud aliquod utile. Exemplum tale sit: *Corpora quæque suas habent dimensiones, sua pondera*: Aurum plus ponderis, minus dimensionis, quam argentum: Aqua, quam Vinum. Ab hoc traducitur *experimentum* utile, ut ex mensura impleta, & pondere excepto, possis dignoscere quantum argenti fuerit admixtum auro, vel aquæ vino: quod fuit Ευρηκα illud Archimedis. Item, *Carnes in nonnullis cellis citius putrefiunt, quam in aliis*: Utile fuerit: *experimētum* hoc traducere ad dignoscendos aëres, magis aut minus salubres; ad habitationem; ubi scil. carnes diutius

diutius vindicentur à putredine: possit idem applicari ad revelandas salubriores aut pestilentiores tempestates anni. Verum innumera sunt ejusmodi. Evigilent modo homines, & oculos perpetuo, alias ad naturam rerũ, alias ad usus humanos vertant. Atque de *applicatione experimenti* hactenus.

Copulatio experimenti est applicationum nexus & catena; cum, quæ singula profutura non fuissent ad usum aliquem, connexa valeant. Exempli gratia; *Rosas* aut *fructus serotinos habere cupis*: Hoc fiet, si gemmas præcociores avellas; Idem fiet, si radices, usque ad ver adultum, denudes, & aëri exponas; At multo magis si copuletur utrumque. Item, *ad refrigerandum maxime faciunt glacies, & nitrum; utrumque commixtum* multo magis. Verum & hæc res per se perspicua est. Attamen fallacia ei sæpe subesse possit, (ut & omnibus, ubi desunt *axiomata*) si copula fiat ex rebus, quæ diversis, & quasi pugnantibus modis, operantur. Atque de *copulatione experimenti* hactenus.

Restant *sortes experimenti*. Hic vero experimentandi modus plane irrationalis est, & quasi furiosus: cum aliquid experiri velle animum subit, non quia aut ratio, aut aliquod aliud *experimentum*, te ad illud deducat, sed prorsus, quia similis res adhuc nunquam tentata fuit. Haud tamen scio, an in hac ipsare (de qua nunc agimus) non aliud magnum lateat: si inquam omnem lapidem in natura moveas. Magnalia enim naturæ fere extra vias tritas & orbitas notas jacent, ut etiam absurditas rei aliquando juvet. At si ratio simul comitetur, id est, ut & manifestum sit, simile experimentum nunquam tentatum fuisse, & tamen causa subsit magna, cur tentetur, tum vero hæs res ex optimis est, & plane sinus naturæ excutit. Exempli gratia: In *operatione ignis super aliquod corpus naturale*, alterum horum hactenus semper evenit, ut aut aliquid evolet, (veluti flamma, & fumus, in combustione vulgari) aut saltem fiat separatio partium localis; & ad nonnullam distantiam, ut in destillatione, ubi feces subsident, vapores in receptacula, postquam luserint, congregantur. At *destillationem clausam* (ita enim eam vocare possumus) nemo mortalium adhuc tentavit: Verisimile autem videtur, vim caloris, si intra claustra corporis sua in alterando edat facinora; cum nec jactura fiat corporis, nec etiam liberatio; tum demum hunc materiæ Proteum, veluti manicis detentum, ad complures transformationes adacturam, si modo calor ita temperetur & alternetur, ut non fiat vasorum confractio. Est enim hæc res matrici similis Naturali, ubi calor operatur, nihil corporis aut emittitur, aut separatur: Nisi quod in matrice conjungatur alimentatio: verum quatenus ad versionem, eadem res videtur. Tales igitur sunt *sortes experimenti*.

Illud interim, circa hujusmodi experimenta, monemus; ut nemo animo concidat, aut quasi confundatur, si experimenta, quibus incumbit, expectationi suæ non respondeant. Etenim quod succedit, magis complaceat; at quod non succedit, sæpenumero non minus informat. Atque illud semper in animo tenendum, (quod perpetuo inculcamus) *experimenta lucifera* etiam adhuc magis, quam fructifera ambienda esse. Atque de *literata Experientia* hæc dicta sint; quæ (ut jam ante diximus) *sagacitas* potius est, & odoratio quædam venatica, quam *scientia*. De *novo* Organo autem silemus, neq, de eo quicquam prælibamus; Quoniam de eo (cum sit res omnium maxima) opus integrum (annuente favore divino) conficere nobis in animo est.

Cap. III.

Partitio Inventivæ Argumentorum, *in* Promptuariam; & Topicam. *Partitio* Topicæ, *in* Generalem; & Particularem. *Exemplum* Topicæ Particularis, *in Inquisitione. De* Gravi & Levi.

Inventio *Argumentorum*, *Inventio* proprie non est. *Invenire* enim est ignota detegere, non ante cognita recipere, aut revocare. Hujusce autem *Inventionis* usus atque officium non aliud videtur, quam ex massa Scientiæ, quæ in animo congesta & recondita est, ea quæ ad rem aut quæstionem institutam faciunt, dextre depromere. Nam cui parum, aut nihil, de subjecto quod proponitur, innotuit, ei Loci *Inventionis* non prosunt; Contra, cui domi paratum est, quod ad rem adduci possit; is etiam absque arte, & *Locis Inventionis*, argumenta tandem (licet non ita expedite & commode) reperiet & producet. Adeo ut hoc genus *Inventionis* (sicut diximus) *Inventio* proprie non sit; sed reductio tantum in memoriam, sive suggestio cum applicatione. Attamen, quoniam vocabulum invaluit, & receptum est, vocetur sane *Inventio*; Siquidem etiam feræ alicujus venatio, & *Inventio*, non minus, cum intra vivariorum septa indagatur, quam cum in saltibus apertis, dici possit. Missis vero verborum scrupulis, illud constet, scopum & finem hujusce rei, esse promptitudinem quandam, & expeditum usum cognitionis nostræ, potius quam ejusdem amplificationem, aut incrementũ.

Atque ut parata sit ad disserendum copia, duplex ratio inire potest. Aut ut designetur, & quasi indice monstretur, ad quas partes rem indagare oporteat; atque hæc est ea, quam vocamus *Topicam*. Aut ut jam antea composita sint, & in usum reposita argumenta, circa eas res, quæ frequentius incidunt, & in disceptationem veniunt: atq; hanc *Promptuariam* nominabimus. Hæc autem posterior tanquam *Scientiæ pars* vix dici meretur, cum in diligentia potius consistat, quam in eruditione aliqua artificiosa. Verũtamen hac in parte Aristoteles, ingeniose quidem, sed tamen damnose, sophistas sui temporis deridet, inquiens: *Perinde illos facere, ac si quis calcearium professus, rationem calcei conficiendi non doceret, sed exhiberet tantum calceos complurimos, diversa tam forma, quam magnitudinis*. Attamen hic regerere liceat; Calcearium, si in officina nil calceorum haberet, neq; eos consueret nisi rogatus; egenum prorsus mansurum, & perpaucos inventurum emptores. Sed longe aliter *Salvator* noster, de *Divina Scientia* verba faciens, inquit, *Omnis Scriba doctus in Regno Cœlorum, similis est homini Patrifamilias, qui profert de Thesauro suo Nova & Vetera*. Videmus etiam, priscos Rhetores oratoribus præcepisse, ut præsto haberent *Locos Communes* varios, jam pridem adornatos, & in utramque partem tractatos & illustratos: Exempli gratia, *pro sententia Legis adversus Verba Legis, & è contra: Pro Fide Argumentorum adversus Testimonia, & è contra*. Cicero autem ipse, longa doctus experientia, plane asserit, posse Oratorem diligentem, & sedulum jam præmeditata & elaborata habere, quæcunque in disce-

disceptationem venient : Adeo ut in causæ ipsius actione, nihil novum, aut subitum inseri necesse fuerit, præter nomina nova, & circumstantias aliquas speciales. At Demosthenis diligentia, & sollicitudo eo usque processit, ut quoniam primus ad causam aditus, & ingressus, ad animos auditorum præparandos, plurimum virium haberet, operæ pretium putaret, complura concionum & orationum exordia componere, & in promptu habere. Atque hæc exempla, & auctoritates merito Aristotelis opinioni præponderare possint, qui nobis Auctor foret, ut *Vestiarium* cum *Forfice* commutaremus. Itaque non fuit omittenda hæc pars *doctrinæ* circa *Promptuarium*. De qua hoc loco satis. Cum enim sit utrique, tam Logicæ, quam Rhetoricæ, communis; visum est eam hic inter Logica cursim tantum perstringere; pleniorem ejus tractationem ad Rhetoricam rejicientes.

Partem alteram *Inventivæ* (nimirum *Topicam*) partiemur in *Generalem & Particularem*. *Generalis* illa est, quæ in *Dialectica* diligenter & abunde tractata est; ut in ejus explicatione morari non sit opus. Illud tamen obiter monendum videtur, Topicam istam non tantum in Argumentationibus, ubi cum aliis manum conferimus; verum & in meditationibus, cum quid nobiscum ipsi commentamur, aut revolvimus, valere. Imo, neque solummodo in hoc sitam esse, ut inde fiat suggestio, aut admonitio, quid *affirmare*, aut *asserere*; verum etiam quid *inquirere*, aut *interrogare* debeamus. At prudens *interrogatio*, quasi dimidium scientiæ. Recte siquidem Plato, *Qui aliquid quærit, id ipsum, quod quærit, generalis quadam notione comprehendit: aliter, qui fieri potest, ut illud, cum fuerit inventum, agnoscat?* Idcirco quo amplior & certior fuerit anticipatio nostra; eo magis directa, & compendiosa erit investigatio. Iidem igitur illi loci, qui ad intellectus nostri sinus intra nos excutiendos, & congestam illic Scientiam depromendam, conducent, etiam ad Scientiam extrinsecus hauriendam juvabunt: Ita ut si præsto fuerit quis gnatus & peritus, commode & prudenter de ea interrogari à nobis possit, & similiter auctores, & libri, & partes librorum, qui nos de iis, quæ quærimus, edoceant & informent, utiliter deligi; & evolvi.

At *Topica particularis*, ad ea, quæ dicimus, longe confert magis, & pro re fructuosissima habenda est. Illius certe mentio levis à nonnullis Scriptoribus facta est, sed integre, & pro rei dignitate, minime tractata. Verum missum facientes vitium illud & factum, quæ nimium diu regnarunt in Scholis: videlicet, ut quæ præsto sunt, infinita subtilitate persequantur; quæ paulo remotiora, ne attingant quidem: nos sanè *Topicam Particularem*, tanquam rem apprime utilem, amplectimur, hoc est, *locos inquisitionis & inventionis*, *particularibus subjectis & scientiis* appropriatos. Illi autem mixturæ quædam sunt ex *Logica* & *Materia ipsa*, *propria* singularum *Scientiarum*. Futilem enim esse constat, & angusti cujusdam animi, qui existimet, *Artem* de *Scientiis* inveniendis perfectam jam à principio excogitari & proponi posse, eandemque postea in opere poni & exerceri debere. At certo sciant homines, *Artes inveniendi solidas & veras adolescere & incrementa sumere cum ipsis inventis*: Adeo ut cum quæ primum ad perscrutationem *scientiæ* alicujus accesserit, possit habere *Præcepta Inventiva* nonnulla utilia: postquam autem ampliores in ipsa *Scientia* progressus fecerit, possit etiam & debeat nova *Inventionis Præcepta* excogitare, quæ ad ulteriora eum felicius deducant. Similis est sane hæc res viæ initæ in planitie: postquam enim viæ partem aliquam fuerimus emensi, non tantum hoc lucrati sumus, ut ad exitum Itineris propius accesserimus; verum etiam ut, quod restat viæ, clarius prospiciamus: Eodem modo, in *Scientiis*, gradus itineris quisque, ea, quæ à tergo reliquit, prætervectus, etiam illa, quæ supersunt, propius dat in conspectum. Hujus autem *Topicæ* Exemplum, quoniam eam inter *Desiderata* reponimus, subjungere visum est.

Topica particularis, sive Articuli Inquisitionis de Gravi & Levi.

1. *Inquiratur, qualia sint Corpora, quæ* Motus gravitatis *sunt susceptibilia, qualia quæ* levitatis; *& si quæ sint Mediæ, sive* Adiaphoræ Naturæ?

2. *Post* inquisitionem *de* Gravitate *&* Levitate simplicem, *procedatur ad* inquisitionem comparatam; *Quæ nimirum ex* Gravibus plus, *quæ* minus ponderent *in eodem Dimenso*? *Etiam, quæ ex Levibus* celerius ferantur *in altum, quæ* tardius?

3. *Inquiratur de eo, quid possit & operetur* Quantum Corporis *ad* Motum Gravitatis? *Atque videatur hoc primo aspectu quasi supervacuum, quia rationes* Motus *debeant sequi Rationes* Quanti. *Sed res aliter se habet. Nam licet in lancibus,* Quantitas Gravitatem Corporis *ipsius compensset, (viribus corporis undique coeuntibus per repercussionem, sive resistentiam lancium vel trabis) tamen ubi parva datur resistentia (veluti in* Decasu corporum *per aerem*) Quantum corporis *parum valet ad* incitationem Descensus; *Cum viginti pondo plumbi, & libra una, eodem fere spatio cadant.*

4. *Inquiratur, utrum* Quantum corporis *ita augeri possit, ut* Motus Gravitatis prorsus deponatur? *ut sit in globo terræ, qui pensilis est, non cadat. Verum igitur possint esse aliæ massæ tam grandes, ut se ipsæ sustentent? Nam latio ad centrum terræ, res fictitia est: Atque omnis massa grandis motum lationis quemcunque exhorret, nisi ab alio appetitu fortiori vincatur.*

5. *Inquiratur de eo, quid possit & operetur* resistentia corporis medij, *vel occurrentis ad* regimen motus gravitatis. *Corpus vero descendens, aut* penetrat *& secat corpus occurrens: Aut ab eo* sistitur. *Si* penetret, *fit penetratio: Aut cum levi resistentia, ut in Aere: Aut cum fortiori, ut in aqua. Si* sistatur, *sistitur, aut resistentia distari, ubi fit prægravatio, ut si lignum superponatur ceræ; Aut aqua; veluti si aqua superponatur aquæ;*

aut lignum, ejusdem generis ligno. Id quod appellat Schola (apprehensione quadam inani) Non ponderare corpus nisi extra locum suum. *Atque hæc omnia motum gravitatis variant: Aliter enim moventur gravia in lancibus, aliter in decasu: Etiam aliter (quod mirum videri possit) in lancibus pendentibus in aere, aliter in lancibus immersis in aqua; aliter in decasu per aquam, aliter in natantibus, sive vectis super Aquam.*

6. *Inquiratur de eo, quid possit & operetur* Figura Corporis descendentis, ad regendum *modum gravitatis? veluti figura lata cum tenuitate, cubica, oblonga, rotunda, pyramidalis: & quando se vertant corpora, quando eadem, qua dimittuntur, positura permaneant?*

7. *Inquiratur de eo, quid possit, & operetur* Continuatio, & progressio ipsius Casus sive Descensus, *ad hoc, ut majori incitatione & impetu feratur? & qua proportione, & quousque invalescat illa incitatio? siquidem veteres levi contemplatione opinati sunt, (cum motus naturalis sit iste) eum perpetuo augeri & intendi.*

8. *Inquiratur de eo, quid possit & operetur* Distantia, aut proximitas Corporis descendentis à Terra, *ad hoc, ut celerius cadat, aut tardius, aut etiam non omnino, (si modo fuerit extra orbem activitatis globi terræ, quæ Gelberti opinio fuit) Atque simul de eo, quid operetur* Immersio Corporis Descendentis *magis in* profundo terræ, *aut* Collocatio *ejusdem propius ad* superficiem terræ? *Etenim hæc res etiam motum variat, ut operantibus in Mineris perspectum est.*

9. *Inquiratur de eo, quid possit & operetur* Differentia Corporum, per quæ motus gravitatis diffunditur & communicatur: *atque utrum æque communicetur per corpora mollia & porosa, ac per dura & solida: veluti si trabs Lancis sit ex altera parte Lingulæ lignea, ex altera argentea, licet fuerint reductæ ad idem pondus, utrum non progignat variationem in lancibus? Similiter, utrum* Metallum, Lanæ, *aut* Vesicæ *inflatæ superimpositum, idem* ponderet, *quod in* Fundo Lancis?

10. *Inquiratur de eo, quid possit & operetur, in communicatione Motus Gravitatis,* Distantia corporis à Libramine; *Hoc est, cita & sera perceptio incubitus, sive depressionis: Veluti in lancibus, ubi altera pars trabis est longior, (licet reducta ad idem pondus) an inclinet hoc ipsum lancem? Aut in tubis arcuatis, ubi longior pars certe trahet aquam? licet brevior pars facta (scilicet capacior) majus contineat pondus aquæ.*

11. *Inquiratur de eo, quid possit* Intermixtio, sive Copulatio Corporis Levis cum Corpore Gravi, *ad elevandam corporis gravitatem in pondere animalium vivorum & mortuorum?*

12. *Inquiratur de* secretis Ascensibus, & Descensibus partium leviorum, & graviorum in uno corpore integro: *unde fiant sæpe accuratæ separationes? ut in separatione vini & aquæ: in ascensione floris, lactis, & similibus.*

13. *Inquiratur,* quæ sit Linea & Directio motus Gravitatis, *& quatenus sequatur vel centrum terræ, id est, massam terræ, vel centrũ corporis ipsius, id est, Nexum partium ejus* Centra *enim illa ad demonstrationes apta sunt; in Natura nihil valent.*

14. *Inquiratur de* Comparatione Motus Gravitatis cum Motibus aliis; *quos scilicet vincat, quibus cedat? Veluti* Motu (*quem appellant*) violento, *motus gravitatis compescitur ad tempus: Etiam, cum pondus longe majus ferri ab exiguo magnete attollitur, cedit motus gravitatis motui sympathiæ.*

15. *Inquiratur de* Motu Aëris, *utrum feratur sursum, an sit tanquam adiaphorus? Quod difficile est inventu, nisi per experimenta aliqua exquisita. Nam emicatio aeris in fundo aquæ, fit potius per plagam aquæ, quam per motum aeris, cum idem etiam fiat in ligno. Aer autem aeri commistus nihil prodit, cum non minus levitatem exhibeat aer in aere, quam gravitatem aqua in aqua: In bulla autem, exili obducta pellicula, ad tempus stat.*

16. *Inquiratur,* quis sit terminus Levitatis? *Neque enim, quemadmodum centrum terræ posuerunt centrum gravitatis, volunt (credo) ut ultima convexitas Cœli sit terminus levitatis. An potius, veluti gravia videntur eo usque ferri, ut decumbant, & tanquam ad immobile, ita levia eo usque ferantur, ut rotari incipiant, & tanquam ad motum sine termino?*

17. *Inquiratur, quid in causa sit, cur* Vapores & Halitus *eo usque in altum, ac sita est Regio (quam vocant) media aeris, ferantur? cum & crassiusculæ sint Materiæ, & Radij solis per vices (noctu scilicet) cessent.*

18. *Inquiratur de* Regimine Motus Flammæ insursum. *Quod eo abstrusius est, quia singulis momentis flamma perit, nisi forte in medio Flammarum majorum: Etenim flammæ abruptæ à continuitate sua, parum durant.*

19. *Inquiratur de* Motu in sursum ipsius Activitatis Calidi: *veluti cum calor in ferro candente citius glisciat in sursum, quam in deorsum.*

Exemplum igitur *Topicæ particularis* tale sit: Illud interim, quod monere occepimus, iterum monemus. Nempe ut homines debeant *Topicas particulares* suas alternare, ita ut post majores progressus aliquos in inquisitione factos, aliam & subinde aliam instituant Topicam; si modo Scientiarum fastigia conscendere cupiant. Nos autem *Topicis particularibus* tantum tribuimus, ut proprium opus de ipsis, in subjectis naturalibus dignioribus, & obscurioribus, conficere in animo habeamus. Domini enim quæstionum sumus, rerum non item. Atque de *Inventiva* hactenus.

CAP. IV.

Partitio artis Judicandi, *in* Judicium per Inductionem & per Syllogismum. *Quorum prius aggregatur* Organo Novo. *Partitio prima* Judicij per Syllogismum, *in* Reductionem Rectam, & Inversam. *Partitio secunda ejus in* Analyticam, & Doctrinam de Elenchis. *Partitio* Doctrinæ de Elenchis, *in* Elenchos Sophismatum; Elenchos Hermeniæ, & Elenchos Imaginum, sive Idolorum. *Partitio* Idolorum, *in* Idola Tribus, Idola Specus; & Idola fori. *Appendix* Artis Judicandi, *videlicet* de Analogia Demonstrationum pro Natura Subjecti.

TRanseamus nunc ad *Judicium*, sive *Artem Judicandi*, in qua agitur de *natura probationum*, sive *demonstrationum*. In *arte* autem ista

ista *Iudicandi* (ut etiam vulgo receptum est) aut *per Inductionem*, aut *per Syllogismum* concluditur. Nam *Enthymemata*, & *Exempla*, illorum duorum Compendia tantum sunt. At quatenus ad *Iudicium*, quod fit per *Inductionem*, nihil est, quod nos detinere debeat: Uno siquidem eodemque mentis opere illud, quod quæritur, & invenitur, & judicatur. Neque enim per medium aliquod res transigitur, sed immediate, eodem fere modo, quo fit in sensu. Quippe sensus in objectis suis primariis simul & objecti speciem arripit, & ejus veritati consentit: Aliter autem fit in *Syllogismo*, cujus probatio immediata non est, sed per medium perficitur. Itaque alia res est *Inventio Medij*, alia *Judicium* de *Consequentia Argumenti*. Nam primo discurrit mens, postea acquiescit. At *Inductionis* formam vitiosam prorsus valere jubemus; legitimam ad *Novum Organum* remittimus. Itaque de *Iudicio per Inductionem* hoc loco satis.

De illo altero per *Syllogismum* quid attinet dicere? cum subtilissimis ingeniorum limis hæc res fere attrita sit, & in multas minutias redacta. Nec mirum, cum sit res, quæ cum intellectu humano magnam habeat sympathiam. Nam animus humanus miris modis ad hoc contendit, & anhelat, ut non pensilis sit, sed nanciscatur aliquid fixum & immobile, cui tanquam firmamento in transcursibus & disquisitionibus suis innitatur. Sane quemadmodum Aristoteles probare conatur, inveniri in omni motu corporum aliquid quod quiescit, & fabulam antiquam de Atlante, qui ipse erectus Cœlum humeris sustinuit, pereleganter ad Polos Mundi traducit, circa quos conversiones expediuntur: Similiter magno studio appetunt homines, aliquem habere intra se cogitationum Atlantem, aut Polos, qui intellectus fluctuationes & vertigines aliquatenus regant, Timentes scilicet, ne Cœlum ipsorum ruat. Itaque ad Principia Scientiarum constituenda præpropere festinarunt, circa quæ omnis disputationum varietas verteretur, sine periculo ruinæ & casus: Nescientes profecto, eum, qui certa nimis propere captaverit, in dubiis finiturum: qui autem Judicium tempestive cohibuerit, ad certa perventurum.

Manifestum est igitur, *Artem* hanc *judicandi per Syllogismum*, nihil aliud esse, quam reductionem propositionum ad principia per medios *terminos*. Principia autem consensu recepta intelliguntur, atque à quæstione eximuntur. At terminorum mediorum inventio libero ingeniorum acumini & investigationi permittitur. Est autem *reductio* illa duplex, *directa* scilicet, & *inversa*. *Directa* est, cum ipsa propositio ad ipsum principium reducitur: Id quod *probatio ostensiva* vocatur. *Inversa* est, cum contradictoria propositionis reducitur ad contradictorium principij; quod vocant *probationem per incommodum*. Numerus vero terminorum mediorum, sive scala eorum minuitur, aut augetur, pro remotione propositionis à principio.

His positis, partiemur *Artem Iudicij* (sicut vulgo fere solet) in *Analyticam* & *Doctrinam de Elenchis*: Altera indicat, altera cavet: *Analytica* enim veras formas instituit de consequentiis argumentorum; quibus si varietur, sive deflectatur, vitiosa deprehenditur esse conclusio. Atque hoc ipsum in se elenchum quendam, sive redargutionem continet. *Rectum enim* (ut dicitur) *& sui Index est, & obliqui*. Tutissimum nihilominus est, *Elenchos*, veluti monitores adhibere, quo facilius detegantur fallaciæ, Judicium alioquin illaqueaturæ. In *Analytica* vero nihil desiderari reperimus; quin potius oneratur superfluis, quam indiget accessionibus.

Doctrinam de Elenchis, in tres partes dividere placet: *Elenchos Sophismatum*, *Elenchos Hermeniæ*, *& Elenchos Imaginum* sive *Idolorum*. *Doctrina* de *Elenchis Sophismatum* apprime utilis est: Quamvis enim pinguius fallaciarum genus, à Senecæ, non inscite comparetur cum præstigiatorum technis; in quibus quo pacto res geratur nescimus; aliter autem se habere rem quam videtur, satis novimus: Subtiliora tamen *Sophismata* non solum id præstant, ut non habeat quis, quod respondeat, sed & Judicium ipsum serio confundunt.

Hæc Pars de *Elenchis Sophismatum*, præclare tractata est ab Aristotele, quoad Præcepta: Etiam à Platone adhuc melius, quoad Exempla: Neque illud tamen in persona Sophistarum Antiquorum, *Gorgiæ*, *Hippiæ*, *Protagoræ*, *Euthydemi*, & reliquorum, verum etiam in Persona ipsius Socratis, qui cum illud semper agat, ut nihil affirmet, sed à cæteris in medium adducta infirmet, ingeniosissime Objectionum, Fallaciarum, & Redargutionum Modos expressit. Itaque in hac parte nihil habemus quod *desideremus*. Illud interim notandum; quamvis usum hujus doctrinæ probum, & præcipuum, in hoc posuerimus, ut redarguantur sophismata; liquido nihilominus patere, usum ejus degenerem & corruptum, ad captiones, & contradictiones per illa ipsa sophismata struendas, & concinnandas spectare. Quod genus facultatis etiam pro eximio habetur, & haud parvas affert utilitates. Licet eleganter introducta sit à quopiam illa differentia inter oratorem & sophistam, quod alter tanquam Leporarius Cursu præstet, alter tanquam Lepus ipse Flexu.

Sequantur *Elenchi Hermeniæ*: ita enim (vocabulum potius, quam sensum ab Aristotele mutuantes) eos appellabimus. Redigamus igitur hominibus in memoriam, ea quæ à nobis de *transcendentibus*; & *adventitiis entium conditionibus*, sive *adjunctis*, (cum de *Philosophia prima* ageremus) superius dicta sunt. Ea sunt, *majus*, *minus*; *multum*, *paucum*; *prius*, *posterius*; *idem*, *diversum*; *potentia*, *actus*; *habitus*, *privatio*; *totum*, *partes*; *agens*, *patiens*, *motus*, *quies*; *ens*, *non ens*, & similia. Inprimis autem meminerint & notent, differentes eas, quas diximus, harum rerum contemplationes: videlicet quod possint inquiri vel *Physice*, vel *Logice*: *Physicam* autem circa eas tractationem, *Philosophiæ primæ* assigna-

assignavimus. Superest *Logica*: Ea vero ipsa est res, quam in præsenti *Doctrinam de Elenchis Hermeniæ* nominamus. Portio certe est hæc doctrinæ sana & bona. Hoc enim habent notiones illæ generales & communes, ut in omnibus disputationibus ubique intercurrant; adeo ut nisi accurate, & anxio cum judicio, bene jam ab initio distinguantur, universo disputationum lumini caliginem miris modis offusuræ sint, & eorem fere deducturæ, ut desinant disputationes in pugnas verborum. Etenim æquivocationes, & malæ acceptiones verborum, (præsertim hujus generis) sunt *Sophismata Sophismatum*. Quare etiam melius visum est, istarum tractationem seorsum constituere; quam eam, vel in *Philosophiam primam* sive *Metaphysicam* recipere; vel ex parte *Analyticæ* subjicere, ut Aristoteles satis confuse fecit. Dedimus autem ei nomen ex usu, quia verus ejus usus est plane redargutio, & cautio circa usum verborum. Quinimo partem illam de *Prædicamentis*, si recte instituatur, circa cautiones de non confundendis aut transponendis definitionum & divisionum terminis, præcipuum usum sortiri existimamus, & hoc etiam referri malumus. Atque de *Elenchis Hermeniæ* hactenus.

Ad *Elenchos verò Imaginum* sive *Idolorum* quod attinet, sunt quidem *Idola*, profundissimæ mentis humanæ fallaciæ. Neque enim fallunt in particularibus, ut cæteræ, judicio caliginem offundendo, & tendiculas struendo: sed plane ex prædispositione mentis prava, & perperam constituta, quæ tanquam omnes intellectus anticipationes detorquet, & inficit. Nam *Mens humana* (corpore obducta & obfuscata) tantum abest, ut speculo plano, æquali, & claro similis sit, quod rerum radios sincere excipiat, & reflectat, ut potius sit instar speculi alicujus incantati, pleni superstitionibus & spectris. Imponuntur autem intellectui *Idola*, aut per *naturam ipsam generis humani generalem*: aut per *naturam cujusque individualem*: aut per *verba* sive *naturam communicativam*. Primum genus *idola Tribus*. Secundum *idola specus*. Tertium *idola fori* vocare consuevimus. Est & quartum genus, quod *idola theatri* appellamus, atque superinductum est à *pravis Theoriis*, sive *Philosophiis*, & *perversis Legibus Demonstrationum*: Verum hoc genus abnegari potest, & deponi: Itaque illud in præsentia omittemus. At reliqua plane obsident mentem, neque prorsus evelli possunt. Igitur non est, quod quis in illis *Analyticam* aliquam exspectet: sed *Doctrina de Elenchis* est, circa ipsa *Idola*, Doctrina primaria. Neque (si verum omnino dicendum sit) *Doctrina de Idolis* in artem redigi possit: sed tantum adhibenda est, ad ea cavenda, prudentia quædam contemplativa. Horum autem Tractationem plenam & subtilem, ad *Novum Organum* amandamus: pauca generaliter tantum de iis hoc loco dicturi.

Idolorum Tribus exemplum tale sit. *Natura intellectus humani magis afficitur affirmativis, & activis, quam negativis, & privativis*, cum rite & ordine æquum se utrique præbere debeat. At ille, si res quæpiam aliquando constat, & teneat, fortiorem recipit de ea impressionem, quam si eadem longe pluries fallat, aut in contrarium eveniat. Id quod omnis superstitionis, & vanæ credulitatis quasi radix est. Itaque recte respondit ille, qui, cum suspensa tabula in templo monstraretur eorum, qui vota solverant, quod naufragij periculum effugissent, atque interrogando premeretur, annon tum demum Neptuni Numen agnosceret? quæsivit vicissim, *At ubi sunt illi depicti, qui post vota nuncupata perierunt*? Atque eadem est ratio superstitionum similium, sicut in Astrologicis, Insomniis, Ominibus, & reliquis. Alterum Exemplum est hujusmodi: *Animus humanus* (cum sit ipse substantia æqualis & uniformis) *majorem præsupponit, & affingit in natura rerum æqualitatem, & uniformitatem, quam revera est*. Hinc commentum Mathematicorum, *In cœlestibus omnia moveri per Circulos perfectos*, rejiciendo lineas spirales: Hinc etiam fit, quod cum multa sunt in Natura *Monodica*, & plena imparitatis; affingat tamen semper cogitatio humana, *Relativa*, *Parallela*, & *Conjugata*: Ab hoc enim fonte elementum ignis cum orbe suo introductum est, ad constituendam quaternionem cum reliquis tribus, Terra, Aqua, Aëre. Chymici autem fanaticam instruxerunt rerum universarum Phalangem, inanissimo commento inveniri fingentes, in quatuor illis suis elementis, (Cœlo, Aëre, Aqua, & Terra,) species singulas parallelas invicem, & conformes. Tertium Exemplum est superiori finitimum; quod *homo fiat quasi norma, & speculum Naturæ*: Neque enim credibile est, (si singula percurrantur & notentur) quantum agmen *Idolorum* Philosophiæ immiserit naturalium operationum ad similitudinem actionum humanarum reductio: Hoc ipsum, inquam, quod putetur, talia naturam facere, qualia homo facit. Neque multo meliora sunt istâ, quam hæresis *Anthropomorphitarum*, in cellis ac solitudine stupidorum Monachorum orta: Aut sententia Epicuri huic ipsi in paganismo respondens, qui Diis humanam figuram tribuebat. At non opus fuit Vellejo Epicureo interrogare, *Cur Deus Cœlum Stellis & Luminibus, tanquam Ædilis, ornasset*? Nam si summus ille Opifex ad modum Ædilis se gessisset, in pulchrum aliquem & elegantem ordinem stellas digerere debuisset, operosis Palatiorum Laqueatibus consimilem; cum è contra ægre quis ostendat, in tam infinito Stellarum numero figuram aliquam vel quadratam, vel triangularem, vel recti linearem. Tanta est Harmoniæ discrepantia, inter spiritum hominis, & spiritum mundi.

Quod ad *Idola Specus* attinet, illa ortum habent ex *propria ejusque natura, & animi & corporis* atque etiam *ex educatione & consuetudine*, & *fortuitis rebus*, quæ singulis hominibus accidunt. Pulcherrimum enim Emblema est illud de *Specu Platonis*. Siquidem si quis (missa illa exquisita Parabolæ subtilitate) à prima infantia, in antro, aut caverna obscura & subterranea, ad maturam usque ætatem degeret, & tunc de repente in aperta prodiret, & hunc cœli & rerum apparatum contueretur; dubium non est,

est, quin animum ejus subirent, & perstringerent quamplurimæ miræ, & absurdissimæ phantasiæ. Nos vero scilicet sub aspectu cœli degimus, interea tamen animi in cavernis corporum nostrorum conduntur; ut infinitas errorum, & falsitatum imagines haurire necesse sit è specu sua raro tantum & ad breve aliquod tempus prodeant, & non in contemplatione naturæ perpetuo, tanquam sub dio morentur. Emblemati siquidem illi *de specu Platonis* optimè convenit Parabola illa Heracliti; Quod *homines scientias in Mundis propriis, & non in Mundo majore quærant.*

At *Idola fori* molestissima sunt, quæ ex *fœdere tacito inter homines, de verbis & nominibus impositis*, se in intellectum insinuarunt. Verba autem plerunque ex captu vulgi induntur; atque per differentias, quarum vulgus capax est, res secant; Cum autem intellectus acutior, aut observatio diligentior res melius distinguere volet, verba obstrepunt. Quod vero hujus remedium est, (definitiones scilicet) in plurimis huic malo mederi nequit, quoniam & ipsæ definitiones ex verbis constant, & verba giguunt verba. Etsi autem putemus, verbis nostris nos imperare; & illud facile dictu sit, *Loquendum esse, ut vulgus; sentiendum, ut sapientes.* Quoniam vocabula artium (quæ apud peritos solum valent) huic rei satisfacere videri possunt; & definitiones (de quibus diximus) artibus præmissæ, (secundum prudentiam Mathematicorum) vocabulorum pravas acceptiones corrigere valeant, attamen hæc omnia non sufficiunt, quo minus verborum præstigiæ, incantationes plurimis modis seducant, & vim quandam intellectui faciant, & impetum suum (more Tartarorum sagittationibus) retro in Intellectum (unde profecta sunt) retorqueant. Quare altiore, & novo quodam remedio, ad hoc Malum opus est. Verum hæc jam cursim perstringimus, interim *desiderari* pronunciantes hanc doctrinam, quam *Elenchos magnos*, sive de *Idolis Animi humani nativis, & adventitiis*, appellabimus. Ejus autem Tractationem legitimam ad *Organum novum* referimus.

Superest *Artis Judicandi Appendix* quædam insignis, quam etiam *desiderari* statuimus. Siquidem Aristoteles rem notavit, modum rei nullibi persecutus est. Ea tractat, *quales demonstrationes ad quales materias, sive subjecta, applicari debeant*: ut hæc doctrina tanquam *judicationes judicationum* contineat. Optime enim Aristoteles, *Neque demonstrationes ab oratoribus, neque suasiones à Mathematicis requiri debere*, monet. Ut si in Probationis genere aberretur, judicatio ipsa non absolvatur. Quando vero sunt quatuor demonstrationum genera, vel per *consensum immediatum* & *notiones*, vel per *inductionem*, vel per *Syllogismum*, vel per eam (quam recte vocat Aristoteles) *demonstrationem in orbem*, (non à Notioribus scilicet, sed tanquam de Plano,) habent hæ demonstrationes singulæ certa subjecta, & materias scientiarum in quibus pollent; alia, à quibus excluduntur. Etenim rigor & curiositas, poscendo probationes nimium severas, in aliquibus, multo magis facilitas, & remissio, in acquiescendo probationibus levioribus in aliis, inter ea sunt numeranda, quæ detrimenti plurimum, & impedimenti scientiis attulerunt. Atque de *Arte Judicandi* hæc dicta sunt.

CAP. V.

Partitio Artis Retinendi *sive* Retentivæ, *in* doctrinam de adminiculis memoriæ, & doctrinam de Memoria ipsa. *Partitio* doctrinæ de Memoria ipsa, *in* Prænotionem & Emblema.

ARtem *Retinendi*, sive *Custodiendi* in duas doctrinas partiemur: *Doctrinam* scilicet de *Adminiculis Memoriæ*; & *Doctrinam de Memoria ipsa. Adminiculum Memoriæ* plane *Scriptio* est: Atque omnino monendum, quod *Memoria* sine hoc adminiculo, rebus prolixioribus & accuratioribus, impar sit; neque ullo modo, nisi de Scripto, recipi debeat. Quod etiam in *Philosophia inductiva*, & *Interpretatione Naturæ*, præcipue obtinet: Tam enim possit quis calculationes Ephemeridis, Memoria nuda, absque scripto absolvere, quam interpretationi Naturæ per Meditationes, & vires memoriæ nativas & nudas sufficere; nisi eidem memoriæ per *Tabulas ordinatas* ministretur. Verum missa *Interpretatione Naturæ*, quæ Doctrina nova est, etiam ad Veteres & Populares Scientias haud quicquam fere utilius esse possit, quam Memoriæ adminiculum solidum & bonum; hoc est, *Digestum* probum, & eruditum, *Locorum communium*. Neque tamen me fugit; quod relatio eorum, quæ legimus, aut discimus, in *Locos communes*, damno eruditionis ab aliquibus imputetur, ut quæ lectionis cursum remoretur, & *Memoriam* ad seriandum invitet. Attamen quoniam adulterina res est, in scientiis præconem esse & promptum, nisi etiam solidus sis, & multipliciter instructus; diligentiam & laborem in *locis communibus* congerendis magni prorsus rem esse usus, & firmitudinis, in studiis, judicamus; veluti quæ *Inventioni* copiam subministret, & aciem *Iudicii* in unum contrahat. Verum est tamen, inter methodos & syntaxes *Locorum communium*, quas nobis adhuc videre contigit, nullam reperiri, quæ alicujus sit prætii: quandoquidem in titulis suis faciem prorsus exhibeant magis scholæ, quam Mundi, vulgares & pædagogicas adhibentes divisiones, non autem eas, quæ ad rerum medullas, & interiora quovis modo penetrent.

Circa *Memoriam* autem *ipsam* satis segniter, & languide videtur adhuc inquisitum. Extant certe de ea *Arte* quæpiam; Verùm nobis constat, tum meliora præcepta de *Memoria* confirmanda haberi posse, quam illa ars complectitur; tum Practicam illius ipsius artis meliorem instituti posse, quam quæ recepta est. Neque tamen ambigimus (si cui placet hac arte ad ostentationem abuti) quin possint præstari per eam nonnulla mirabilia, & portentosa: Sed nihilominus res quasi sterilis est, (eo quo adhibetur modo) ad usus humanos. At illud interim ei non imputamus, quod *Naturalem memoriam* destruat, & superoneret, (ut vulgo obiicitur,) sed quod non dextre instituta sit, ad auxilia memo-

riæ commodanda, in negotiis & rebus seriis. Nos vero hoc habemus, (fortasse ex genere vitæ nostræ Politicæ) ut, quæ artem jactant, usum non præbent, parvi faciamus. Nam ingentem numerum nominum, aut verborum semel recitatorum, eodem ordine statim repetere, aut versus complures de quovis argumento ex tempore conficere, aut quicquid occurrit, Satyrica aliqua similitudine perstringere, aut seria quæque in jocum vertere, aut contradictione & cavillatione quidvis eludere, & similia, (quorum in facultatibus animi haud exigua est copia, quæque ingenio, & exercitatione ad miraculum usque extolli possunt,) hæc certe omnia & his similia nos non majoris facimus, quam funambulorum, & mimorum agilitates, & ludicra. Etenim eadem ferme res sunt: cum hæc corporis, illa animi viribus abutantur; & admirationis forsitan aliquid habeant, dignitatis parum.

Ars autem *Memoriæ* duplici nititur intentione; *Prænotione*, & *Emblemate*. *Prænotionem* vocamus abscissionem quandam investigationis infinitæ. Cum enim quis aliquid revocare in memoriam conatur; si nullam prænotionem habeat, aut perceptionem ejus quod quærit; quærit certe, & molitur, & hac illac discurrit, tanquam in Infinito. Quod si certam aliquam prænotionem habeat; statim abscinditur Infinitum, & fit discursus memoriæ magis in vicino; Ut venatio damæ, intra septa. Itaque & ordo manifesto juvat *Memoriam*. Subest enim *Prænotio*, id, quod quæritur, tale esse debere, ut conveniat cum ordine. *Similiter* carmina facilius discuntur memoriter, quam *prosa*. Si enim hæretur in aliquo verbo, subest *Prænotio*; tale debere esse verbum, quod conveniat cum versu. Atque ita *Prænotio* est *Artificialis Memoriæ* pars prima. Nam in *Artificiali Memoria Locos* habemus jam ante digestos, & paratos: *Imagines* ex tempore, prout res postulat, conficimus. At subest *Prænotio*, talem esse debere *Imaginem*, qualis aliquatenus conveniat cum *Loco*. Id quod vellicat Memoriam, & aliquo modo munit ad rem, quam quærimus. *Emblema* vero deducit intellectuale ad sensibile: Sensibile autem semper fortius percutit Memoriam, atque in ea facilius imprimitur, quam intellectuale. Adeo ut etiam Brutorum memoria per sensibile excitetur; per intellectuale, minime. Itaque facilius retineas imaginem venatoris leporem persequentis, aut pharmacopœi pyxides ordinantis, aut pedantii orationem habentis, aut pueri versus memoriter recitantis, aut mimi in scena agentis; quam ipsas notiones Inventionis, Dispositionis, Elocutionis, Memoriæ, Actionis. Sunt & alia, quæ pertinent ad *Memoriam* juvandam (ut modo diximus;) sed *Ars*, quæ jam habetur, ex his duobus jam præmissis consistit. Particulares autem artium defectus persequi, fuerit ab instituto nostro recedere. Igitur de *Arte retinendi*, sive *Custodiæ*, hæc dicta sint. Jam vero ad quartum membrum *Logicæ*, quod *Traditionem* & *Elocutionem* tractat, ordine pervenimus.

FRANCISCI BACONIS
DE VERULAMIO,
Vice-Comitis sancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER SEXTUS.
Ad Regem suum.

CAP. I.

Partitio Traditivæ, *in* Doctrinam de Organo Sermonis: Doctrinam de Methodo Sermonis; & Doctrinam de Illustratione Sermonis. *Partitio* Doctrinæ de Organo Sermonis, *in* Doctrinam de Notis Rerum: De Locutione: & De Scriptione. *Quarum duæ posteriores* Grammaticam *constituunt*, *ejusque* Partitiones *sunt*: *Partitio* Doctrinæ de Notis Rerum, *in* Hieroglyphica, & Characteres Reales. *Partitio secundæ* Grammaticæ, *in* Literariam, & Philosophantem. *Aggregatio* Poëseos, quoad Metrum, *ad* Doctrinam de Locutione. *Aggregatio* Doctrinæ de Ciphris, *ad* Doctrinam de Scriptione.

CONceditur certe cuivis (Rex optime) Se ipsum, & Sua ridere, & ludere. Quis igitur novit, num forte opus istud nostrum, non descriptum fuerit ex libro quodam veteri, reperto inter libros famosissimæ illius Bibliothecæ, *Sancti Victoris*; quorum Catalogum excepit Magister *Franciscus Rabelesius?* Illic enim invenitur liber, cui Titulus est, *Formicarium artium*. Nos sane pusillum acervum pulviscuti congessimus, & sub eo complura Scientiarum, & Artium grana condidimus, quo formicæ reptare possint, & paulatim conquiescere & subinde ad novos se labores accingere. At Regum sapientissimus pigros quoscunque remittit ad formicas: Nos autem pigros eos homines pronunciamus, quibus acquisitis uti tantum, cordi sit, neque subinde novas Scientiarum Sementes, & Messes facere.

Accedamus nunc ad *Artem Tradendi*, sive *Proferendi* & *Enunciandi* ea, quæ Inventa, Judicata, ac in Memoria reposita sunt; quam nomine generali *Traditivam* appellabimus. Ea omnes *artes* circa *verba* & *sermones* complectitur. Quamvis enim ratio sermonis veluti anima sit, tamen in tractando disjungi debent ratio, & sermo; non minus, quam anima, & corpus. *Traditivam* in tres partes dividemus, *Doctrinam circa Organum Sermonis*; *Doctrinam circa Methodum Sermonis*; & *Doctrinam circa Sermonis Illustrationem*, sive *Ornatum*.

Doctrina de Organo Sermonis vulgo recepta, quæ & *Grammatica* dicitur, duplex est: Altera de *Locutione*, Altera de *Scriptione*. Recte enim Aristoteles, *Cogitationum Tesseræ verba*, *Verborum literæ*. Utrumque *Grammaticæ* assignabimus. Verum

rum ut rem altius repetamus, antequam ad *Grammaticam*, & partes ejus jam dictas veniamus, in genere de *Organo Traditivæ* dicendum est. Videntur enim esse proles quædam *Traditivæ* aliæ, præter *Verba* & *Literas*. Hoc igitur plane statuendum est: Quicquid scindi possit in differentias satis numerosas, ad notionum varietatem explicandam, (modo differentiæ illæ sensui perceptibiles sint) fieri posse vehiculum cogitationum de homine in hominem. Nam videmus, Nationes *Linguis* discrepantes Commercia non male per *Gestus* exercere. At in Practica nonnullorum, qui surdi & muti usque à Nativitate fuerant, & alias erant ingeniosi, miros vidimus haberi inter eos, & amicos suos, qui eorum *gestus* perdidicerant, Dialogos. Quinetiam notissimum fieri jam cœpit, quod in China, & Provinciis ultimi Orientis, in usu hodie sint *Characteres* quidam *Reales*, non *Nominales*, qui scilicet nec literas, nec verba, sed res & notiones exprimunt. Adeo ut gentes complures, linguis prorsus discrepantes, sed hujusmpdi Characteribus (qui apud illos latius recepti sunt) consentientes, scriptis communicent: Eo usque, ut librum aliquem hujusmodi characteribus conscriptum, quæque Gens, patria lingua legere, & reddere possit.

Notæ igitur *Rerum*, quæ absque ope, aut medio *Verborum*, Res significant, duplicis generis sunt: Quantum prius genus ex *congruo*; Alterum ad *placitum* significat. Prioris generis sunt, *Hieroglyphica* & *Gestus*: Posterioris vero ij, quos diximus, *Characteres Reales*. *Hieroglyphicorum* usus vetustus admodum, & in veneratione quadam habitus: Præcipue apud Ægyptios Gentem valde antiquam: Adeo ut videantur *Hieroglyphica* fuisse *Scriptio* quædam ante nata, & senior ipsis *Elementis Litterarum*, nisi forte apud Hebræos. *Gestus* autem, tanquam *Hieroglyphica* transitoria sunt. Quemadmodum enim verba prolata volant, scripta manent; ita & *Hieroglyphicæ*, *Gestibus* expressa, transeunt, depicta durant. Cum enim Periander, consultus de conservanda Tyrannide, Legatum astare juberet; atque ipse in horto deambulans, summitates florum eminentiorum carperet, ac cædem Procerum innuens; non minus usus est *Hieroglyphico*, quam si id in charta depinxisset. Illud interim patet, *Hieroglyphica* & *Gestus*, semper cum re significata aliquid similitudinis habere, & Emblemata quædam esse; unde eas *Notas Rerum ex congruo* nominavimus. At *Characteres reales* nihil habent ex Emblemate, sed plane surdi sunt, non minus, quam ipsa elementa literarum, & ad *placitum* tantum effecti, consuetudine autem, tanquam pacto tacito, recepti. Illud interim liquet, vasta ipsorum multitudine ad scribendum opus esse: tot enim esse debent, quot sunt vocabula radicalia. Hæc igitur portio *Doctrinæ de Organo Sermonis*, quæ est de *Notis Rerum*, nobis ponitur pro *Desiderato*. Etsi autem tenuis possit videri esse ejus usus, cum verba & scriptio per literas sint Organa *Traditivæ* longè commodissima; visum est tamen nobis, veluti rei non ignobilis, aliquam hoc loco mentionem ejus facere. Tractamus enim hic, veluti numismata rerum intellectualium; Nec abs re fuerit nosse, quod, sicut nummi possint confici ex alia materia præter aurum & argentum, ita & *Notæ Rerum* aliæ possint cudi, præter *Verba* & *Literas*.

Pergamus igitur ad *Grammaticam*. Ea vero, veluti viatoris locum erga cæteras scientias obtinet, non nobilem illum quidem, sed imprimis tamen necessarium, præsertim cum scientiæ, nostris sæculis, ex linguis eruditis, non vernaculis, potissimum hauriantur. Neque tamen dignitas ejus parva censenda est, quandoquidem antidoti cujusdam vicibus fungatur contra maledictionem illam confusionis linguarum. Sane hoc agit industria humana, ut se restituat, & redintegret in benedictionibus illis, quibus culpa sua excidit. Atque contra maledictionem primam generalem de sterilitate terræ, *Comedendo panem suum in sudore vultus sui*, reliquis artibus omnibus se munit, & instruit. At contra secundam illam de confusione linguarum, advocat in auxilium *Grammaticam*: Ejus, in linguis quibusque vernaculis, exiguus certe usus est: In externis perdiscendis, latior: Amplissimus vero in illis linguis, quæ vulgares esse desierunt, & in libris tantum perpetuantur.

Grammaticam etiam bipartitam ponemus, ut alia sit *literaria*, alia *philosophica*. Altera adhibetur simpliciter ad linguas, nempe ut eas quis, aut celerius perdiscat, aut emendatius, & purius loquatur: Altera vero aliquatenus Philosophiæ ministrat: Qua in parte occurrit nobis, Cæsarem libros *de Analogia* conscripsisse; atque dubitatio subiit, utrum illi hanc, quam dicimus, *Grammaticam Philosophicam* tractarint? Suspicamur tamen, nil admodum in illis fuisse subtilius, aut sublimius, sed tantum præceptiones tradidisse de oratione casta, & integra, neque à consuetudine loquendi prava, neque ab affectatione aliquorum vitiata, & polluta, in quo genere ipse excelluit. Veruntamen hac ipsa re moniti, cogitatione complexi sumus *Grammaticam* quandam, quæ non analogiam verborum ad invicem, sed analogiam inter verba, & res, sive rationem, sedulo inquirat: citra tamen eam, quæ Logicæ subservit, Hermeniam. Vestigia certe rationis verba sunt: Itaque vestigia etiam aliquid de corpore indicant. Hujus igitur rei adumbrationem quandam tenuem dabimus. Primo autem minime probamus curiosam illam inquisitionem, quam tamen Plato Vir eximius non contempsit, nimirum de impositione, & Originali Etymologia nominum, supponendo, ac si illa jam à principio ad placitum indita minime fuissent, sed ratione quadam, & significanter derivata & deducta Materiam certe elegantem, & quasi ceream: quæ apte fingi & flecti possit; quoniam vero antiquitatum penetralia perscrutari videtur, etiam quodammodo venerabilem sed nihilominus parcè veram, & fructu cassam. Illa demum, ut arbitramur, foret nobilissima *Grammaticæ* species, si quis in *linguis* plurimis, tam eruditis, quam vulgaribus, eximie doctus, de variis *linguarum* proprietatibus tractaret; in quibus quæq; excellat, in quibus deficiat, ostendens. Ita enim & *linguæ* mutuo commercio locupletari possint, & fiet ex iis, quæ in singulis *Linguis* pulchra sunt, (tanquam Venus Apellis) Orationis ipsius quædam formosissima imago, & exemplar quoddã insigne, ad sensus animi rite exprimendos. Atq; una etiam hoc pacto capientur signa haud levia,

via, sed observatu digna, (quod fortasse quispiam non putaret) de ingeniis & moribus populorum, & nationum, ex linguis ipsorum. Equidem libenter audio Ciceronem, notantem, quod apud Græcos desit, verbum, quod latinum illud (*Ineptum*) reddat) *Propterea* (inquit) *quod Græcis hoc vitium tam familiare fuit, ut illud in se ne agnoscerent quidem*: Digna certe gravitate Romanâ Censura. Quid illud, quod Græci in compositionibus verborum tanta licentia usi sunt, Romani contra magnam in hac re severitatem adhibuerunt? Plane colligat quis, Græcos fuisse artibus, Romanos rebus gerendis magis idoneos. Artium enim distinctiones, verborum compositionem fere exigunt: At res & negotia, si simpliciora verba postulant. Quin Hebræi tantum compositiones illas refugiunt, ut malint Metaphora abuti, quam compositionem introducere: Quinetiam verbis tam paucis & minime commixtis utuntur, ut plane ex *lingua* ipsa quis perspiciat, Gentem fuisse illam Nazaræam, & à reliquis gentibus separatam. Annon & illud observatione dignum, (licet nobis modernis Spiritus nonnihil retundat) antiquas *linguas* plenas declinationum, casuum, conjugationum, temporum, & similium fuisse: modernas, his fere destitutas, plurima per præpositiones, & verba auxiliaria segniter expedire. Sane facile quis conjiciat, (utcunque nobis ipsi placeamus) ingenia priorum seculorum nostris fuisse multo acutiora, & subtiliora. Innumera sunt ejusmodi, quæ justum volumen complere possunt. Non abs re igitur fuerit; *Grammaticam Philosophantem* à *Simplici*, & *Literaria* distinguere, & *desideratam* ponere.

Ad *Grammaticam* etiam pertinere judicamus omnia illa, quæ verbis quoquo modo accidunt, qualia sunt *sonus*, *mensura*, *accentus*. At prima illa literarum simplicium cunabula (nempe qua percussione linguæ, qua apertura oris, qua adductione labiorum, quo nisu gutturis, singularum litterarum sonus generetur) ad *Grammaticam* non pertinent, sed portio sunt *doctrinæ de sonis*, *sub sensu* & *sensibili* tractanda, *Sonus*, de quo loquimur, *Grammaticus*, ad *Euphonias* tantum pertinet, & *Dysphonias*. Illarum quædam communes sunt: Nulla enim est *Lingua*, quin vocalium concurrentium hiatus, aut consonantium concurrentium asperitates aliquatenus refugiat. Sunt & aliæ respectivæ, quæ scilicet diversorum populorum auribus gratæ, aut ingratæ accedunt. *Græca Lingua* Diphthongis scatet: *Latina* longe parcius. *Lingua Hispanica* literas Tenues odit, easque statim vertit in medias. *Linguæ* quæ *ex Gothis* fluxere, aspiratis gaudent; Multa sunt ejusmodi. Verum hæc ipsa fortasse plus satis.

At *Mensura verborum* ingens nobis corpus artis peperit, *Poësim* scilicet, non quatenus ad materiam, de qua supra, sed quatenus ad stylum & figuram verborum, Versus nimirum, sive Carmina. Circa quæ ars habetur quasi pusilla, exempla accedunt grandia, & infinita. Neque tamen ars illa (quam *Prosodiam Grammatici* appellant) ad carminum genera, & mensuras edocendas tantum restringi debet: Adjicienda enim sunt præcepta, quod carminum genus, cuique materiæ, sive subjecto, optime conveniat. Antiqui heroica carmina historiis, & encomiis applicaverunt: Elegos quærimoniis, jambos invectivis, lyricos odis, & hymnis. Neque hæc prudentia recentioribus Poëtis in *Linguis propriis* defuit: illud reprehendendum, quod quidam Antiquitatis nimium studiosi, *Linguas Modernas*, ad mensuras antiquas (Heroicas, Elegiacas, Sapphicas, &c.) traducere conati sunt, quas ipsarum *Linguarum* fabrica respuit, nec minus aures exhorrent. In hujusmodi rebus, sensus judicium, artis præceptis præponendum, ut ait ille.

——— *Cœnæ fercula nostra*
Mallem convivis quam placuisse Cocis.

Neque vero ars est, sed artis abusus, cum illa naturam non perficiat, sed pervertat. Verum quod ad *Poësim* attinet: sive de *Fabulis*, sive de *Metro* loquamur, est illa, ut superius diximus, tanquam herba luxurians, sine semine nata, ex vigore ipsius terræ germinans. Quare ubique serpit, & latissime diffusa est, ut supervacuum foret de defectibus ejus sollicitum esse. De illa igitur cura est abjicienda. Quod vero ad *accentus verborum*, nil opus est de re tam pusilla dicere: nisi forte illud quis notatu dignum putet, quod *Accentus Verborum* exquisite, *Accentus* autem *Sententiarum* neutiquam in observationem veniat. Attamen illud fere universo generi humano commune est, ut vocem in fine periodi submittant, in interrogatione elevent, & alia hujusmodi non pauca. Atque de *Grammatica* parte, quæ ad *Locutionem* spectat, hactenus.

Quod ad *Scriptionem* attinet, ea aut *Alphabeto vulgari* perficitur, (quod ubique recipitur,) aut *occulto* & *privato*, de quo inter singulos convenit, quod *Ciphras* vocant. At *Orthographia vulgaris* etiam controversiam & quæstionem nobis peperit: Utrum scilicet eodem verba scribere oporteat, quo pronunciantur modo, an potius ex more consueto? At illa *Scriptio* quæ formata videri possit, (ut scilicet *Scriptio pronuntiationi* consona sit,) est ex genere inutilium subtilitatum. Nam & ipsa *pronunciatio* quotidie glisscit, nec constans est: & derivationes verborum, præsertim ex linguis extraneis, prorsus obscurantur: denique cum ex more recepto scripta, morem pronunciandi nullo modo impediant, sed liberum relinquant, quorsum attinet ista novatio?

Ad *Ciphras* igitur veniendum. Earum genera haud pauca sunt. *Ciphræ simplices*, *Ciphræ non significantibus Characteribus intermixtæ*; *Ciphræ duplices Literas uno Charactere complexæ*; *Ciphræ rotæ*, *Ciphræ clavis*, *Ciphræ verborum*, aliæ. Virtutes autem in *Ciphris* requirendæ tres sunt: ut sint expeditæ, non minus operosæ ad scribendum: Ut sint fidæ, & nullo modo pateant ad Deciphrandum: Addo denique, ut si fieri possit, suspicione vacent. Si enim epistolæ in Manus eorum devenient, qui in eos, qui scribunt, aut ad quos scribuntur, potestatem habeant, tametsi Ciphra ipsa fida sit, & deciphratu impossibilis, tamen subjicitur hæc Res Examini & Quæstioni, nisi Ciphra

sit

sit ejusmodi, quæ aut suspicione vacet, aut examinationem eludat. Quod vero ad elusionem examinis attinet, suppetit inventum ad hoc novum atque utile, quod cum in promptu habeamus, quorsum attinet illud inter *desiderata* referre, nec potius id ipsum proponere? Hoc hujusmodi est; ut habeat quis duo Alphabeta: unum literarum verarum, alterum non significantium: Et simul duas Epistolas involvat; unam quæ secretum deferat: alteram, qualem verisimile fuerit scribentem missurum fuisse absque periculo tamen. Quod si quis de ciphra severe interrogetur, porrigat ille Alphabetum non significantium, pro veris literis, Alphabetum autem verarum literarum pro Non-significantibus; hoc modo incidet examinator in Epistolam illam exteriorem, quam cum probabilem inveniet, de interiori Epistola nihil suspicabitur. Ut vero suspicio omnis absit, aliud inventum subiiciemus: quod certe, cum adolescentuli essemus Parisiis, excogitavimus, nec etiam adhuc visa nobis res digna est, quæ pereat. Habet enim gradum ciphræ altissimum: nimirum ut *omnia per omnia* significari possint: ita tamen, ut scriptio quæ involvitur, quintuplo minor sit, quam ea cui involvatur: Alia nulla omnino requiritur conditio, aut restrictio. Id hoc modo fiet. Primo, universæ literæ *Alphabeti* in duas tantummodo literas solvantur, per transpositionem earum. Nam transpositio duarum literarum, per locos quinque, differentiis triginta duabus, multo magis viginti quatuor, (qui est numerus *Alphabeti* apud nos) sufficiet. Hujus *Alphabeti* exemplum tale est.

Exemplum *Alphabeti Biliterarii.*

A	*B*	*C*	*D*	*E*
Aaaaa.	*aaaab.*	*aaaba.*	*aaabb.*	*aabaa.*
F	*G*	*H*	*I*	*K*
aabab.	*aabba.*	*aabbb.*	*abaaa.*	*abaab.*
L	*M*	*N*	*O*	*P*
ababa.	*ababb.*	*abbaa.*	*abbab.*	*abbba.*
Q	*R*	*S*	*T*	*V*
abbbb.	*baaaa.*	*baaab.*	*baaba.*	*baabb.*
VV	*X*	*Y*	*Z*	
babaa.	*babab.*	*babba.*	*babbb.*	

Neque leve quiddam obiter hoc modo perfectum est. Etenim ex hoc ipso patet modus, quo ad omnem loci distantiam, per objecta, quæ vel visui; vel auditui subiici possunt, sensa animi proferre, & significare liceat: si modo objecta illa duplicis tantum differentiæ capacia sint, veluti per campanas, per buccinas, per flammeos, per sonitus tormentorum, & alia quæcunque. Verum ut inceptum persequamur, cum ad scribendum accingeris, Epistolam interiorem in *Alphabetum* hoc *Biliterarium* solves. Sit epistola interior,

Fuge.

Exemplum *Solutionis.*

F	*V*	*G*	*E*
Aabab.	*baabb.*	*aabba.*	*aabaa.*

Præsto simul sit aliud *Alphabetum biforme*, nimirum, quod singulas *Alphabeti communis* literas, tam capitales, quam minores, duplici forma, prout cuique commodum sit, exhibeat.

Exemplum *Alphabeti biformis.*

a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.
A. A. a. a. B. B. b. b. C. C. c. c. D. D. d. d.
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.
E. E. e. e. F. F. f. f. G. G. g. g. H. H. h. h.
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.
I. I. i. i. K. K. k. k. L. L. l. l. M. M. m. m.
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.
N. N. n. n. O. O. o. o. P. P. p. p. Q. Q. q. q.
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.
R. R. r. r. S. S. s. s. T. T. t. t. V. V. v. v.
a. b. a. b. a. b. a. b. a. b.
u. u. w. w. vv. vv. X. X. x. x.
a. b. a. b. a. b. a. b.
Y. Y. y. y. Z. Z. z. z.

Tum demum epistolæ interiori, jam factæ *biliteratæ*, epistolam exteriorem *biformem* literatim accommodabis, & postea describes. Sit epistola exterior;

Manere te volo, donec venero.

Exemplum *Accommodationis.*

F	*V*	*G*	*E*
aabab.	*baabb.*	*aabba.*	*aabaa.*

Manere te volo, donec venero.

Apposuimus etiam exemplum aliud largius ejusdem ciphræ, *scribendi omnia per omnia.*

Epistola interior, ad quam delegimus *Epistolam Spartanam*, missam olim in Scytale.

Perditæres. Mundarius cecidit. Milites esuriunt. Neque hinc nos extricare, neque hic diutius manere possumus.

Epistola exterior, sumpta ex epistola *prima Ciceronis*, in qua *epistola Spartana* involvitur.

Ego omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus. Mihi ipse nunquam satisfacio. Tanta est enim magnitudo tuorum erga me meritorum, ut quoniam tu, nisi perfecta re, de me non conquiesti; ego, quia non idem in tua causa efficio, vitam mihi esse acerbam putem. In causa hæc sunt. Ammonius Regis Legatus aperte pecunia nos oppugnat. Res agitur per eosdem creditores, per quos, cum tu aderas, agebatur. Regis causa, si qui sunt qui velint, qui parati sunt, omnes ad Pompejum rem deferri volunt. Senatus Religionis calumniam, non religione, sed malevolentia, & illius Regia Largitionis invidia, comprobat, &c.

Doctrina autem de *ciphris* aliam secum traxit *doctrinam* erga ipsam relativam. Illa est de *Deciphratione*, sive reseratione Ciphrarum: licet quis Alphabetum Ciphræ, aut pactum de latebra penitus ignoret. Res sane est illa, laboriosa simul & ingeniosa, & arcanis Principum, veluti & illa prior, dicata. Attamen præcautione solerti fieri possit inutilis; etsi, quomodo Res nunc se habent, magni prorsus sit usus. Etenim si ciphræ introductæ essent bonæ & fideles, plurimæ fuerint, quæ operam Deciphratoris prorsus eluderent, & excluderent; quæ tamen sint satis commodæ, & expeditæ, ad legendum, aut scribendum. Verum imperitia, & inscitia Secretariorum, & Amanuensium, in aulis Principum tanta est, ut maxima plerumque negotia ciphris infirmis, & futilibus committantur.

Interea fieri potest, ut suspicetur quispiam,

nos

nos in enumeratione, & quasi censu artium, id agere, ut scientiarum copiæ (quas veluti in aciem addocimus) auctæ & multiplicatæ, magis sint admirationi; cum tamen numerus etiam forte ostentari, vires tam brevi Tractatu vix explicari possint. Verum nos institutum nostrum fideliter urgemus, atque, in hoc globo scientiarum conficiendo, etiam insulas minores, aut remotiores, omitti nolumus. Neque vero (ut arbitramur) perfunctorie, licet cursim, eas artes attingimus; sed potius nucleos, & medullas ipsarum, ex multa materiæ massa; stylo acuto excerpimus. Cujus rei judicium ipsis illis, qui in hujusmodi artibus peritissimi sunt, permittimus. Cum enim plerique, qui multiscii videri volunt, hoc fere habeant; ut vocabula & exteriora artium passim jactantes, illarum ignaris admirationi, Magistris ludibrio sint; speramus, nostra contrarium prorsus eventum habitura, ut peritissimi cujusque in artibus singulis judicium maximè detineant, cæteris minoris sint. Quod vero ad artes illas, quæ minorum quasi gentium videri possunt; si quis existimet, nos nimium quid ipsis tribuere; circumspiciat ille, & videbit, homines in provinciis suis, magnos sane & celebres, cum ad Metropolim aut sedem imperii forte migraverint, turbæ fere immisceri, & inferioris notæ esse: similiter mirum non est, artes istas leviores, juxta artes Principales, & supremas collocatas, dignitate minui; cum tamen iis, qui operam illis præcipue impenderint, res videantur utique magnæ, & præclaræ. Atque de *organo* sermonis hæc dicta sint.

Cap. II.

Doctrina *de* Methodo sermonis *constituitur*, *ut pars* traditivæ *sustantiva*, *& principalis*: *Nomen ei inditur* Prudentia traditivæ. *Enumerantur* Methodi *Genera diversa*: *& subjunguntur eorum commoda*, *& incommoda*.

VEniamus ad *doctrinam de methodo sermonis*. Ea pars Dialecticæ tractari consuevit. Etiam locum in *Rhetorica* per nomen *Dispositionis* reperit. Verum collatio ejus in famulitio aliarum artium, in causa fuit, ut plurima quæ ad ipsam spectant, cognitu utilia, prætermissa sint. Visum igitur est nobis, *Doctrinam Substantivam*, & *Principalem de Methodo* constituere, quam nomine generali *Prudentiam Traditivæ* appellamus. Itaque *Methodi* Genera (cum varia sint) enumerabimus potius, quam partiemur. Atque de unica *Methodo*, & Dichotomiis perpetuis, nil attinet dicere: Fuit enim Nebecula quædam Doctrinæ, quæ cito transit: Res certe simul & levis, & scientiis damnosissima. Etenim hujusmodi homines, cum *Methodi* suæ Legibus res torqueant; & quæcunque in Dichotomias illas non apte cadunt, aut omittant, aut præter Naturam inflectant; hoc efficiunt, ut quasi Nuclei, & Grana Scientiarum exiliant, ipsi aridas tantum, & desertas Siliquas stringant. Itaque inania compendia parit hoc genus *Methodi*, solida scientiarum destruit.

Constituatur igitur prima differentia *methodi*, ut sit aut *magistralis*, aut *initiativa*. Neque vero verbum *initiativæ* ita intelligimus, quasi hæc initia scientiarum tantum ita traderet, illa doctrinam integram; Verum contra (vocabulum à sacris mutuantes) eam dicimus *methodum initiativam*, quæ ipsa scientiarum mysteria recludat, & denudet. *Magistralis* siquidem docet uti iis, quæ dicuntur; *initiativa* vero potius, ut examen subeant: Altera scientias discentium vulgo; Altera tanquam filiis scientiarum tradit: Denique, altera pro fine habet, scientiarum (quales jam sunt) usum; Altera earundem continuationem, & ulteriorem progressum. Harum posterior, via videtur *deserta*, *& interclusa*. Ita enim adhuc scientiæ tradi consueverunt, quasi ex pacto, tam docens quam discens, errores adsciscere cupiant. Etenim qui docet, eo docet modo, quo maxime dictis suis fides astruatur, non quo illa commodissime examini subiiciantur: & qui discit, sibi exemplo fieri, non legitimam disquisitionem præstolari expetit; ut magis sit ei cordi, *Non Dubitare*, quam *non Errare*. Ita ut & Magister, amore gloriæ, infirmitatem scientiæ suæ prodere caveat, & Discipulus, laboris odio, vires proprias experiri nolit. Scientia vero, quæ aliis tanquam tela pertexenda traditur, *Eadem Methodo* (si fieri possit) *animo alterius est insinuanda, qua primitus inventa est*. Atque hoc ipsum fieri sane potest in scientia per *inductionem* acquisita: Sed in anticipata ista, & præmatura scientia (qua utimur) non facile dicat quis, quo itinere ad eam, quam nactus est, scientiam pervenerit. Attamen sane secundum majus & minus, possit quis scientiam propriam revisere, & vestigia suæ cognitionis, simul & consensus remetiri. atque hoc pacto scientiam sic transplantare in animum alienum, sicut crevit in suo. Artibus enim idem usuvenit quod plantis: si plantâ aliquâ uti in animo habeas, de radice quid fiat nil refert; si vero transferre cupias in aliud solum, tutius est radicibus uti, quam surculis. Sic traditio, (quæ nunc in usu est) exhibet plane tanquam truncos (pulchros illos quidem) scientiarum, sed tamen absque radicibus, fabro lignario certe commodos, at plantatori inutiles. Quod si, Disciplinæ ut crescant, tibi cordi sit, de truncis minus sis sollicitus; ad id curam adhibe, ut radices illæsæ, etiam cum aliquantulo terræ adhærentis, extrahantur. Cujus quidem generis traditionis, *Methodus* Mathematicorum, in eo subjecto, similitudinem quandam habet; generatim autem non video, quid aut in usu sit, aut quid quis inquisitioni ejus dederit operam; proinde eam inter *desiderata* numerabimus, eamque *Traditionem Lampadis*, sive *Methodum ad filios* appellabimus.

Sequitur aliquid *Methodi* discrimen, priori intentioni affine, reipsa fere contrarium. Hoc enim habet utraque *Methodus* commune, ut vulgus auditorum à selectis separet, Illud oppositum, quod prior introducit modum Tradendi solito apertiorem; altera, de qua jam dicemus, occultiorem. Sit igitur discrimen tale, ut altera *Methodus* sit, *Exoterica*, altera *Acroamatica*. Etenim quam antiqui adhibuerunt præcipue in edendis libris differentiam,

eam

eam nos transferemus ad ipsum modum Tradendi. Quinetiam *Acroamatica* ipsa apud Veteres in usu fuit, atque prudenter, & cum judicio adhibita. At *Acroamaticum*, sive *Ænigmaticum* istud dicendi genus, posterioribus temporibus de honestatum est à plurimis, qui eo tanquam lumine ambiguo, & fallaci abusi sunt, ad merces suas adulterinas extrudendas. Intentio autem ejus ea esse videtur, ut traditionis involucris vulgus (profanum scilicet) à Secretis Scientiarum summoveatur; atque illi tantum admittantur, qui aut per manus Magistrorum, parabolarum interpretationem nacti sunt, aut proprio ingenij acumine, & subtilitate, intra velum penetrare possint.

Sequitur aliud *Methodi* discrimen, magni prorsus ad Scientias momenti; cum scilicet Scientiæ traduntur, aut per *Aphorismos*, aut *Methodice*. Notatu enim inprimis dignum est, in consuetudinem plerunque venisse, ut homines ex pauculis axiomatibus & observationibus, in quovis modo subjecto, artem constituant quasi completam, & solennem, eam ingenij quibusdam Commentationibus suffarcinando, Exemplis illustrando; & *Methodo* revinciendo. At illa altera *Traditio* per *Aphorismos*, plurima secum fert commoda, ad quæ *traditio Methodica* non attingit. Primum enim de Scriptore specimen dat, utrum ille leviter, & perfunctorie Scientiam hauserit, an penitus imbiberit. *Aphorismi* enim, nisi prorsus forent ridiculi, necesse est, ut ex medullis, & interioribus Scientiarum conficiantur. Abscinditur enim illustratio, & excursio; Abscinditur varietas exemplorum; Abscinditur deductio, & connexio; Abscinditur descriptio Practicæ: ut ad materiem *Aphorismorum* nihil relinquatur, præter copiam observationum bene amplam. Igitur ad *Aphorismos* non sufficiet quispiam, imo de eis nec cogitabit sane, qui se neutiquam copiose, & solide instructum ad scribendum perspexerit. At in *Methodis*

— *Tantum series, juncturaque pollet,*
Tantum de medio sumptis accedit honoris,

ut speciem artis, nescio cujus, præclaræ, sæpenumero reportent ea; quæ si solvantur, segregentur, & denudentur, ad nihilum fere recasura forent. Secundo, *Traditio Methodica*, ad fidem & consensum valet; At indicationes de Praxi minus innuit: Siquidem demonstrationem quandam in orbe præ se fert, partibus se invicem illuminantibus, ideoque intellectui satisfacit magis; quia vero actiones in vita communi sparguntur, non ordine componuntur, ideo magis iisdem conducunt etiam sparsa documenta. Postremo, *Aphorismi*, cum Scientiarum portiones quasdam, & quasi frusta tantum exhibeant, invitant, ut alij etiam aliquid adjiciant & erogent; Traditio vero *Methodica*, dum Scientiam integram ostentat, secutos illico homines reddit, quasi jam summa adeptos.

Sequitur aliud *Methodi* discrimen, magni & illud quoque momenti: cum scilicet Scientiæ traduntur, aut per *assertiones adjectis probationibus*, aut per *quæstiones una cum determinationibus*. Hanc autem posteriorem *Methodum* si immoderatius quis persequatur. Scientiarum profectui non minus illa officit, quam fortunis, & progressibus exercitus cujuspiam impedimento, & damno foret, si in minutis quibusque castellis, aut oppidis expugnandis subinde hæreat. Etenim si quis in acie sit superior, & summæ belli sedulo incumbat, minora illa loca ultra se submittent. Illud tamen inficias non ierim, urbem aliquam magnam, & munitam à tergo relinquere, haud quaquam semper tutum esse: Eodem modo, confutationibus in Scientiarum traditione temperandum, iisque parce utendum: & ad hoc tantum, ut majores præoccupationes animorum, & præjudicia frangantur, minime autem, ut leviores dubitationes excitentur, & provocentur.

Sequitur aliud *Methodi* discrimen, ut scilicet *Methodus* sit *subjectæ materiæ, quæ tractatur, accommoda*. Alio enim modo traduntur Mathematica, (quæ sunt inter Scientias maxime abstracta & simplicia:) alio Politica, quæ maxime sunt immersa, & composita. Neque (ut jam diximus) *Methodus* uniformis in materia multiformi commode se habere potest. Equidem quemadmodum *Topicas particulares* ad inveniendum probavimus, ita *Methodos particulares* ad tradendum similiter aliquatenus adhiberi volumus.

Sequitur aliud *Methodi* discrimen, in tradendis Scientiis cum judicio adhibendum. Illud autem regitur per informationes, & anticipationes de Scientia (quæ tradenda est) in animis discensium prius infusas, & impressas. Aliter enim tradi debet Scientia, quæ ad animos hominum nova, & peregrina prorsus accedit; aliter ea, quæ opinionibus jam pridem imbibitis, & receptis, est affinis & familiaris. Ideoque Aristoteles Democritum suggillare cupiens, revera eum laudat; *Si* (inquit) *serio disputare velimus, non sectari similitudines, &c.* id vitio vertens Democrito, quod in comparationibus esset nimius. At illi, quorum documenta in opinionibus popularibus jam sedes suas collocarunt, non aliud habent, quod agant, nisi ut disputent & probent. Illis contra, quorum dogmata opiniones populares transcendunt, gemino labore opus est: primo ut intelligantur, quæ afferunt; deinde ut probentur: Ita ut necessum habeant confugere ad auxilia similitudinum, & translationum, quo se captui hominum insinuent. Videmus igitur, sub infantia doctrinarum, sæculis rudioribus, cum Syllepses illæ, quæ jam factæ sunt vulgares, & tritæ, novæ fuerant & inauditæ, omnia parabolis, & similitudinibus plena fuisse. Alias evenisset, ut quæ proponebantur, aut absque nota, seu attentione debita transmissa; aut pro paradoxis rejecta fuissent. Etenim Regula quædam est Traditivæ, *quod Scientia omnis, quæ Anticipationibus, sive præsuppositionibus non est consona, à similitudinibus, & comparationibus suppetias petere debeat.*

Atque de *Methodorum* diversis generibus hæc dicta sint; iis videlicet, quæ ante hac ab aliis notata non fuerunt: Nam quantum ad cæteras illas *Methodos*, *Analyticam*, *Systaticam*, *Diæreticam*,

ticam, etiam *Crypticam*, *Homericam*, & similes recte sunt eæ inventæ, & distributæ; Neque causa videtur, cur illis immoremur.

At *Methodi Genera* hujusmodi sunt. *Partes* autem duæ; Altera de *dispositione totius operis*, *vel argumenti* libri alicujus; Altera de *limitatione propositionum*. Etenim ad Architecturam spectat, non solum fabrica totius ædificij, sed etiam efformatio, & figura columnarum, trabium, & similium. *Methodus* vero, veluti Scientiarum Architectura est. Atque hac in parte melius meruit Ramus, in optimis illis Regulis (καθόλε πρῶτον, κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, &c.) renovandis, quam in unica sua *Methodo*, & *Dichotomiis* obtrudendis. Veruntamen nescio quo fato fit, ut humanis (sicut sæpius fingunt Poëtæ) *rebus pretiosissimis semper adhibeantur perniciosissimi quique custodes.* Certe conatus Rami, circa illam propositionum limam, conjecit eum in epitomas illas, & Scientiarum vada, Auspicato, & felicis cujusdam Genij ductu processerit oportet, qui *Axiomata* Scientiarum *Convertibilia* facere attentaverit, & non simul ea reddiderit *Circularia*, aut in semet recurrentia. Conatum nihilo secius Rami in hac parte utilem fuisse non inficiamur.

Supersunt duæ adhuc *Propositionum Limitationes* præter eam, ut fiant *Convertibiles*: Altera de *Extensione*; altera de *Productione* ipsarum. Sane habent *Scientiæ*, si quis recte advertat, præter profunditatem, alias duas dimensiones; Latitudinem scilicet, ac Longitudinem suam. Ac profunditas quidem ad ipsarum Veritatem, & Realitatem refertur: Hæc enim sunt, quæ soliditatem conferunt. Quantum ad reliquas duas, Latitudo accipi, & computari potest de Scientia in Scientiam; Longitudo vero sumitur à summa propositione ad imam in eadem Scientia. Altera fines & veros Scientiarum terminos complectitur, ut propositiones propriæ, non promiscue tractentur; & evitetur repetitio, excursio, confusio omnis: Altera normam præscribit, quousque & ad quem particularitatis gradum propositiones Scientiarum sint deducendæ. Sane dubium est, quin aliquid exercitationi, & Practicæ sit relinquendum; Oportet siquidem *Antonini Pij* vitium evitari, ne simus *Cumini Sectores in Scientiis*; neve divisiones ad infima quæque multiplicemus. Itaque qualiter in hac parte nobis ipsi temperemus, inquisitione plane dignum est. Videmus enim nimium Generalia (nisi deducantur) parum informare, quin potius hominum Practicorum ludibrio Scientias exponere, cum nihilo magis ad Practicam faciant, quam Chorographia Ortelij universalis, ad viam monstrandam, quæ Londino ducit Eboracum. Certe Regulæ optimæ speculis ex Metallo non inscite assimilantur, in quibus cernuntur utique imagines, sed non antequam expolita fuerint; Sic juvant demum Regulæ & Præcepta, postquam Exercitationis limam subierint. Quod si tamen, usque à principio, Regulæ illæ fieri possint nitidæ, & quasi crystallinæ, id optimum factu foret, quandoquidem exercitatione assidua minus indigebunt. Atque de *Scientia Methodi* (quam *Prudentiam Traditivæ* nominavimus) hæc dicta sint.

Neque tamen illud prætermittendum, quod nonnulli, viri magis tumidi, quam docti, insudarunt circa *Methodum* quandam, legitimæ *Methodi* nomine haud dignam, cum potius sit *Methodus* Imposituræ; quæ tamen quibusdam Ardelionibus acceptissima procul dubio fuerit. Hæc *Methodus* ita Scientiæ alicujus guttulas aspergit, ut quis sciolus specie nonnulla Eruditionis ad ostentationem possit abuti. Talis fuit *Ars Lullij*; talis *Typocosmia* à nonnullis exarata; quæ nihil aliud fuerint, quam vocabulorum artis cujusque massa, & acervus; ad hoc, ut qui voces artis habeant in promptu, etiam artes ipsas perdidicisse existimentur. Hujus generis Collectanea officinam referunt veteramentariam, ubi præsegmina multa reperiuntur, sed nihil quod alicujus sit pretij.

CAP. III.

De Fundamentis, & Officio Rhetoricæ. *Appendices tres* Rhetoricæ, *quæ ad* Promptuariam *tantummodo pertinent*, Colores Boni & Mali, tam simplicis, quam Comparati: Antitheta Rerum: Formulæ minores Orationis.

VEnimus jam ad *Doctrinam de Illustratione Sermonis*. Ea est, quæ *Rhetorica* dicitur, sive *Oratoria*. *Scientia* certe & in se egregia & egregie à Scriptoribus exculta. Eloquentia autem, si quis vere rem æstimet, Sapientia procul dubio est inferior. Videmus enim, quanto intervallo hæc illam post se relinquat, in verbis quibus allocutus est Mosem Deus, cum ille munus sibi delatum propter defectum Elocutionis recusasset, *Habes Aaronem, ille erit tibi Vice Oratoris, tu vero ei Vice Dei.* At fructu, & populari existimatione, Sapientia Eloquentiæ cedit. Ita enim Salomon, *Sapiens corde appellabitur prudens, sed dulcis eloquio majora reperiet.* Haud obscure innuens, Sapientiam famam quandam, & admirationem cuipiam conciliare: at in rebus gerendis, & vita communi. Eloquentiam præcipue esse efficacem. Ad *Artis* vero hujus culturam quod attinet; Aristotelis erga Rhetores sui temporis Æmulatio, atque Ciceronis studium acre & vehemens, illi nobilitandæ totis viribus incumbens, cum longo usu conjunctum, in caussa fuerunt, ut in libris suis de hac *Arte* conscriptis, se ipsos vicerint. Dein *Exempla* illa luculentissima hujusce *Artis*, quæ in *Orationibus Demosthenis* & *Ciceronis* habentur. Præceptorum acumini & diligentiæ addita, profectus ipsius geminarunt. Quare, quæ in hac *Arte desiderari* invenimus, versabuntur potius in *Collectionibus* quibusdam, quæ tanquam Pedissequæ huic Arti præsto sint, quam in Disciplina, & usu Artis ipsius. Nam etiam tum, cum *Promptuariæ* cujusdam inter *Logica* mentionem faceremus, uberiora ejus rei Exempla in *Rhetoricis* polliciti sumus.

Veruntamen ut more nostro, circa radices hujus *Artis*, glebam paululum aperiamus, & subigamus; *Rhetorica* certe *Phantasiæ*, quemadmodum *Dialectica Intellectui* subservit. Estque, si quis altius rem penetret, *Officium* & *munus Rhetoricæ* non aliud, quam ut *rationis dictamina*

min phantasiæ applicet, & commendet, ad excitandum appetitum, & voluntatem. Regimen enim rationis impeti, & perturbari videmus trib⁹ modis: Vel per *illaqueationem sophismatum*, quod ad *Dialecticam* pertinet; vel per *præstigias verborũ*, quod ad *Rhetoricam*, vel per *affectuum violentiam*, quod ad *Ethicam*. Quemadmodum enim in negotiis, quæ cum aliis contrahimus, vinci quis & perduci solet, vel *Astu*, vel *Importunitate*, vel *Vehementia*; ita etiam in illa negotiatione interna, quam nobiscum exercemus, aut *argumentorum fallaciis* subruimur; aut *impressionum*, & *observationum assiduitate* sollicitamur, aut inquietamur, aut *affectuum Impetu* concutimur, & rapimur. Neque vero tam infeliciter agitur cum natura humana, ut illæ artes, & facultates ad rationem deturbandam valeant, neutiquam vero ad eandem roborandã, & stabiliendam: Verum ad hanc rem longe magis. Finis enim *Dialecticæ* est, docere formam argumentorum, ad præsidia intellectus, non ad insidias. Finis itidem *Ethicæ*, affectus ita componere, ut rationi militent, non autem eam invadat. Finis denique *Rhetoricæ*, Phantasiam implere observationibus & simulachris, quæ rationi suppetias ferant, non autem eam opprimant. Abusus enim artis ex obliquo tantum interveniunt, ad cavendum non ad utendum.

Quapropter in Platone summa fuit iniquitas (licet ex non immerito erga *Rhetores* sui temporis odio orta) cum *Rhetoricam* inter artes voluptarias collocavit: eam similẽ esse dicens *Coquinariæ*, quæ non minus cibos salubres corrumperet, quam insalubres gratiores redderet, condimentorũ varietate, & deliciis abutens. Absit autem, ut oratio nõ frequentius versetur in rebus honestis ornandis, quam in turpibus obtinendis: Hoc enim ubique præsto est: Siquidẽ nemo est, qui honestius loquatur, quã aut sentiat, aut faciat. Sane à Thucydide optime notatum est, tale quidpiam solitum fuisse objici Cleoni; quod, cum semper deteriorem partem tueretur, in hoc multus esset, ut eloquentiam, & sermonis gratiam carperet. Probe quippe, cum sciret, de rebus sordidis, & indignis non posse quempiã pulchre loqui, at de rebus honestis, facillime. Eleganter Plato (licet jam in Trivio decantetur) *Virtus si conspici daretur, ingentes sui amores concitaret*: At *Rhetorica* virtutem, & bonum depingit plane, & reddit quasi conspicuum. Cum enim corporea effigie, illa sensui monstrari nequeant, superest ut per ornatũ verborũ, Phantasiæ, repræsentatione, quantum fieri potest, viva, coram sistantur. Siquidem mos Stoicorum, non erito dirisus est à Cicerone; qui concisis & argutis sententiis & conclusionibus, virtutem animis hominum imponere satagebant, quæ res parvum habet cum phantasia, & voluntate consensum.

Porro, si affectus ipsi in ordinem compulsi, & rationi prorsus morigeri essent; verum est, nullũ magnopere futurum persuasionum & insinuationum, quæ aditũ ad mentem præbere possit, usum; sed satis fore, si res ipsæ nude, & simpliciter proponantur, & probentur. Verum affectus contra, tantas secessiones faciunt, quin etiam tantas turbas, & seditiones movent, (secundum illud,

——*Video meliora, proboq;,*
Deteriora sequor)——

ut ratio prorsus in servitutem, & captivitatem abrepta foret, nisi Eloquentiæ Suada efficeret, quo minus Phantasia à partibus affectuum staret, sed potius opera ejus, fœdus ineatur inter rationem, & phantasiam, contra affectus. Notandum est enim, affectus ipsos ad bonũ apparens semper ferri, atq; hac ex parte aliquid habere cum ratione cõmune: verum illud interest: quod *Affectus intuentur præcipue bonum, in præsentia; Ratio prospiciens in longum, etiam futurum, & in summa.* Ideoque cum quæ in præsentia obversentur, impleant Phantasiam fortius, succumbit plerumq; ratio, & subjugatur. Sed postquam eloquentia, & suasionum vi effectum fit, ut futura & remota constituantur, & conspiciantur tanquam præsentia, tum demũ abeunte in partes rationis phantasia, ratio fit superior.

Concludamus igitur non debere magis vitio verti *Rhetoricæ*, quod deteriorem partem cohonestare sciat; quam *Dialecticæ*, quod Sophismata cõcinnare doceat. Quis enim nescit contrariorum eandem ratione esse, licet usu opponãtur? Porro non eo tantum differt *Dialectica* à *Rhetorica*, quod (ut vulgo dicitur) altera instar pugni, altera instar palmæ sit; (altera scilicet presse, altera fuse tractet (verum multo magis, quod *Dialectica* rationẽ in suis Naturalibus; *Rhetorica*, qualis in opinionibus vulgi sita est, consideret. Prudenter igitur Aristoteles *Rhetoricam* inter *Dialecticam*, & *Ethicam cum Politica*, collocat, cum ex utrisque participet. Siquidem probationes, & demonstrationes *Dialecticæ*, universis hominibus sunt communes, at probationes & suasiones *Rhetoricæ*, pro ratione auditorũ variari debent, ut quis tanquam Musicus, auribus diversis se accommodans, sit demum.

Orpheus in Sylphis, inter Delphinas Arion.

Quæ quidem applicatio, & variatio orationis (si quis eius perfectionem, & culmen desideret) eo usq; extendi debet; ut si eadem ipsa apud diversos homines sint dicenda apud singulos tamen aliis atque aliis verbis sit utendũ. Quanquam hac parte eloquentiæ (Politica scilicet & Negotiosa, in privatis sermonibus) maximos oratores plerumq; destitui certum sit dum ornatũ, & formulas elegãtes orationis captantes, volubili illa applicatione, & characteribus sermonũ, quibus versus singulos uti consultius foret, excidunt. Certe, non abs re fuerit, circa hoc ipsum, de quo nunc dicimus, novam instituere inquisitionem, eamq; nomine *Prudentiæ sermonis privati* indigitare, atque inter *Desiderata* reponere. Rem certe, quam quo attentius quis recogitet, eo pluris facier. Utrum vero hæc inter *Rhetorica*, an *Politica* collocetur, haud magni refert.

Descendamus modo ad *desiderata* in hac *arte*, quæ ut ante diximus) ejus sunt generis, ut pro *Appendicibus* potius censeri debeant, quam pro *portionibus artis* ipsius, & pertinẽt omnia ad *Promptuariam*. Primo igitur non invenimus, qui prudentiã illam, simul & diligentiam, Aristotelis, bene persecutus sit, aut suppleverit. Hic nimirum cœpit colligere, *signa popularia*, sive *colores boni, ac mali apparentis, tam simplicis, quam comparati*, qui sunt vere *Sophismata Rhetorica*. Sunt autem eximii usus, præsertim ad negotia, & prudentiã sermonis privati. Labores vero Aristotelis circa colores istos in trib⁹ claudicant. Primo, quod cũ multi sint, paucos admodum recenseat. Secundo, quod *Elenchos* suos non habeant adjunctos. Tertio, quod videtur ille

usum eorum ex parte ignoralle. Usus enim eorū, non magis ad probandum, quam ad afficiendum, & comovendum subservit. Complures siquidem loquendi formulæ, quæ idem significant, varie tamen afficiunt. Nam longe fortius penetrat, quod acuminatū est, quam quod obtusum; licet in ipsa percussione vires æqualiter indantur. Nemo est certe, qui non magis afficiatur, audiens, *Inimici tui de hoc miros triumphos agent*:

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ:

quam si simpliciter dicatur, *Hoc rebus tuis incommodabit*. Itaq; mucrones isti, & aculei sermonum, minimè sunt negligendi. Cum vero hanc rem, ut *Desideratam*, proponamus, ex consuetudine nostra, illam *Exemplis* fulciemus: *Præcepta* enim minus rem illustraverint.

Exempla *colorum boni & mali, tam simplicis, quam comparati.*

Sophisma.

1. *Quod laudant homines, & celebrant, Bonum, quod vituperant, & reprehendunt, Malum.*

Elenchus.

Fallit *Sophisma* quatuor modis, scilicet, Aut propter *ignorantiam*: Aut propter *malam fidem*, Aut propter *studia* & *factiones*: Aut propter *ingenia laudatorum*, & *vituperatorum*. Propter *ignorantiam*, Quid vulgi judicium ad examen boni & mali? Melius Phocion, qui, cum populus ei præter solitum applauderet, quæsivit, *Num forte deliquisset*: Propter *malam fidem*: Laudantes enim & vituperantes suam rem sæpius agunt, neque loquuntur ut sentiunt.

Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

Item: *malum est, malum est, inquit Emptor: sed cum recesserit, tum gloriabitur.* Propter *factiones*; Cuivis enim patet, consuescere homines, eos qui suarum partium sunt, immodicis efferre laudibus; qui autem contrariarū sunt, infra meritum deprimere. Propter *ingenia*: Alii enim natura facti sunt, & compositi ad adulationem servilem: Alii contra momi & tetrici: Ut laudando & vituperando, suis *Ingeniis* tantum obsecundent, parum de veritate solliciti.

Sophisma.

2. *Quod etiam ab inimicis laudatur, magnum bonum: quod vero etiam ab amicis reprehenditur, magnum malum.*

Sophisma fundamento hoc niti videtur, quod quæ in gratiis & contra animi nostri affectum & propensionem loquimur, ea ipsa vim varietatis à nobis extorquere, facile creditur.

Elenchus.

Fallit *Sophisma* propter *astutiam*, tam *inimicorum* quam *amicorum*. *Inimici* enim laudes quandoque tribuunt, non invite, nec à vi veritatis coacti, sed eas tamen deligentes, quæ inimicis suis invidiam & pericula conflare possint. Itaque apud Græcos superstitio quædā invaluit, ut crederent, si quis ab altero laudaretur, animo malevolo, & proposito nocendi, *naribus ejus pustulam annasci solere*. Fallit iterum, quia laudes interdum impertiunt *inimici*, tanquan præfatiunculas quasdam, ut postea liberius & malitiosius calumniarentur. Ex altera parte, fallit etiam hoc Sophisma propter astutiam *Amicorum*. Solent enim & illi vitia amicorum interdum agnoscere, & prædicare, non quod aliqua vis Veritatis eos cogat; sed ea eligentes quæ minimū amicos suos lædere possunt, ac si cætera quidem viri optimi essent. Fallit iterum, quia *Amici* quoq; reprehensionibus suis (sicut de *Inimici* laudibus diximus) tanquam præfatiunculis quibusdam utuntur, quo paulo post in laudes effusius excurrant.

Sophisma.

3. *Cuius privatio bona, id ipsum Malum: cujus Privatio mala, id ipsum Bonum.*

Elenchus.

Fallit *Sophisma* duobus modis: Aut propter *comparationem boni & mali*: Aut propter *successionem boni ad bonum, aut mali ad malum*. Propter *comparationem*: Si bonum fuerit generi humano, privari esu glandium, non sequitur, quod malus ille erat; sed *Dodona* bona, *Ceres* melior. Neque si malum fuit Populo Syracusano, Dionysio Seniore privati, sequitur quod Dionysius ille bonus fuerit; sed minus malus, quam Junior. Propter *Successionem*: Etenim privatio boni alicujus non semper dat locum malo, sed quāndoq; majori bono; ut cum flos decidit, fructus succedit. Nec privatio alicuius mali dat semper locum bono, sed interdum majori malo. Nam sublato inimico Clodio, Milo simul & segetem gloriæ perdidit.

Sophisma.

4. *Quod bono aut malo vicinum est id ipsum itidem bonum, aut malum: quod vero remotum est à bono, malum, quod à malo, bonum.*

Habet hoc fere rerum natura, ut quæ natura sua conveniunt, etiam locis conveniant, quę vero contrariæ naturæ sunt, etiam intervallis distent: Cum singula, amica sibi associare, inimica summovere gaudeant.

Elenchus.

Sed fallit *Sophisma* tribus modis: Primo propter *destitutionem*, secundo propter *obscurationem*, tertio propter *protectionem*. Propter *destitutionem*; Fit, ut quæ in suo genere amplissima sunt, & maxime excellunt, omnia, quantum fieri potest, ad se trahant & in vicino quæq; posita destituant, ac quasi inedia conficiant. Itaque in propinquo arborum grandium virgulta nunquam læta reperies. Recte etiam ille, *Divitis servi maxime servi*. Nec male cavillatus est, qui inferius famulitium in Aulis Principum, *Festorum vigiliis* comparavit; quæ, Festa sua in proximo attingunt, ipsæ autem jejuniis addicuntur. Propter *obscurationem*; Etenim & hoc habent quæque, in suo genere, præstantissima, ut licet proxima non extenuent, aut destituāt, tamen obscurent, & obumbrent. Quod etiam de *Sole* notant Astronomi, quod si scilicet aspectu bonus conjunctione & approximatu malus. Propter *protectionem*: Nam non solum res coëunt & congregantur propter consortium, & naturæ similitudinem, sed etiam malum (præsertim in civilibus) confugit ad bonum, ut lateat, & protegatur. Itaq; scelerati homines petunt Asyla Divorum, & vitium ipsum se in virtutis umbram recipit;

Sæpe latet vitium proximitate boni.

Contra & bonū se aggregat ad malum, non propter consortium, sed ut illud convertat, & reformet in bonum. Itaque & medici magis accedunt ad ægrotos, quam ad sanos: & Servatori nostro objectum est, quod *Conversaretur cum publicanis & peccatoribus.*

Sophisma

Sophisma.

5. *Cui cæteræ partes, vel secta, secundas unanimiter deferunt, (cum singulæ Principatum sibi vendicent) melior reliquis videtur: Nam primas quæque ex Zelo videtur sumere, secundas autem ex vero & merito tribuere.*

Ita Cicero argumentatur, sectam Academicorum, quæ Acatalepsiam tenuit, Philosophiã fuisse præstantissimam. *Interrogo enim* (inquit) *Stoicũ, quæ secta sit potior; ille suam cæteris anteponet: Deinde quæ secundas teneat, Academicam fatebitur. Age similiter cum Epicuro; (qui Stoici vix aspectum toleraverit) postquam suam Sectam collocarit in summo, collocabit Academicam in proximo.* Similiter, vacãte dignitate aliqua, Princeps si competitores singulos interrogaret, quem post se potissimum commendare vellent, verisimile est, secunda illorum vota, in eum qui præcipuè dignus, & optimè meritus fuerit, concursura.

Elenchus.

Fallit *Sophisma* propter *Invidiam.* Solent enim homines, proxime post se & factionem suã, in eos inclinare & propendere, qui reliquorum maxime sunt enerves & imbelles, quiq; eis minimum molestiæ exhibuerunt, in odium illorum, qui illis plurimum insultarunt, aut incommodarunt.

Sophisma.

6. *Cujus excellentia vel exuperantia melior, id toto genere melius.*

Huc pertinent *formulæ* illæ usitatæ; *Ne pervagemur in generalibus: Conferamus particularem aliquem cum particulari &c.*

Elenchus.

Videtur hoc *Sophisma* satis nervosum; & magis *Dialecticum* quiddam, quam *Rhetoricum.* Attamen interdũ fallit. Primo, quia sunt tres haud paucæ, periculo plurimum obnoxiæ, quæ tamen, si evadant, cæteris antecellant. Ita ut genere sint deteriores quia sæpius periclitantur & excidunt; Individuo autem nobiliores. In hoc numero est *Gemma Martia*, de qua Gallicum Adagium, *Filus Parisiorum & Gemma Mensis Martij, si ex illis evadat unus erit instar decem aliorum.* Adeo ut in genere Gemma Maii Gemmæ Martii præstet, sed tamen in individuo optima Gemma Martii optime Gemmæ Maii præferatur. Fallit secundo propter *naturam rerum, in aliquibus generibus aut speciebus magis æqualem, in aliquibus magis inæqualem.* Quemadmodum in observationem venit, climata calidiora generaliter ingenia producere acutiora; at in frigidioribus ingenia illa, quæ eminent, etiam acutissimis calidarum regionum præstare. Similiter, in exercitibus complurib⁹, si res duello inter singulos transigeretur, fortasse ad unam partem accederet Victoria, si copiis universis, in alteram. Etenim excellentiæ, & exuperantiæ casum recipiunt, at genera natura, aut disciplina reguntur. Quinetiam in genere, metallum lapide pretiosius Attamen Adamas præcellit auro.

Sophisma.

7. *Quod rem integram servat, bonum, Quod sine receptu est, malum: Nam si recipere non posse, impotentiæ genus est, Potentia autem bonum.*

Hinc confinxit Æsopus fabulam de duabus ranis; quæ in magna siccitate, cum aquæ ubiq: deficerent, deliberarunt, quid sibi demum agendũ esset. Prior autem: *Descendamus* [inquit] *in puteum profundum, neq; enim verisimile est ibi aquã defuturam.* Cui altera ita regerit; *Quin si forte ibi quoque aqua deficiet, quomodo exinde rursus ascendere poterimus?* Firmamentum autem hujus sophismatis est; Quod actiones humanæ adeo sint incertæ, & periculis expositæ, ut illud optimum videatur, quod plurima habeat effugia. Huc spectant formulæ illæ, quæ in usu sunt, *Obligatum plane & obstrictum te reddes: Non tantum, quantum voles, sumes ex fortuna &c.*

Elenchus.

Fallit *Sophisma* primo, quia in *actionibus* humanis fortuna urget, ut aliquid demum decernatur. Etenim ut eleganter à quopiam dictum est; *Etiam non statuere, est aliquid statuere:* Adeo ut sæpenumero consilii suspensio pluribus nos implicet necessitatibus, quã si aliquid statuissemus. Videtur autem iste morbus quidã animi, similis ei, qui reperitur in avaris: Sed translatus à cupiditate retinendi opes, ad cupiditatem retinendi arbitriũ & potestatem. Siquidẽ avarus frui non vult, ne quid detrahat de summa; Ita & huiusmodi scepticus nil exequi vult, ut omnia ei sint integra. Fallit secundo, quia necessitas, & illud (quod ajunt) *Jacta est alea*, stimulos addit animis: sicut inquit ille: *Cæteris pares necessitate certe superiores estis.*

Sophisma.

8. *Quod quis culpa suu contraxit, malus malum; quod ab externis imponitur, minus malum.*

Hujus rei causa est, quod morsus conscientiæ adversa conduplicet: Contra conscium sibi esse, quod culpa quis vacet, magnũ præbet in calamitate solatium. Itaq: Poëtæ ea pathemata maximè exggerant, tanquam desperationi propiora, ubi quis se in ipsum accuset, & discrutiet;

Seque unum clamat caussamque caputque malorum.

Contra, calamitates virorum insignium elevat & diluit innocentiæ & meriti conscietia. Porro cum malum ab aliis intẽtatur, habet quivis, quod libere conqueri possit, unde dolores sui exhalẽt, neq; cor suffocent. Etenim iis, quæ ab injuria hominũ profecta sunt, indignari solemus, aut ultionem meditari, aut denique Nemesim Divinam vel implorare, vel exspectare: Quinetiam, si à fortuna ipsa inflictum quid sit, tamen datur quædam cum fatis ipsis expostulatio;

Atque Deos, atque Astra vocat crudelia Mater.

Contra, ubi quis malum aliquod sua culpa contraxerit, stimuli doloris introvertuntur, animumque magis vulnerant, & confodiunt.

Elenchus.

Fallit istud *Sophisma*, primo propter *spem*; quæ malorum magnum est Antidotum. Etenim culpæ emẽdatio, sæpe in nostra potestate sita est; Fortunę vero minimè. Itaque Demosthenes non semel cives suos hujusmodi verbis affatus est; *Quod ad præterita pessimum, id ad futura optimum est. Quid hoc tandem sit? Hoc ipsum scilicet, quod vestra incuria & culpa res vestræ malè se habent: Nam si vos officio vestro per omnia perfuncti essetis, & nihilominus Status vester, ut nunc, laboraſſet, ne spes quidem reliqua esset, eum futurum aliquando meliorem. Cum vero Errores vestri in caussa potissimum fuerint; confidendum plane, Vos, illis emendatis, pristinum statum vestrum recuperaturos.* Similiter Epictetus de gradibus tranquillitatis animi verba

faciens; Infirmum locum illis attribuit, *qui alios accusant*: Superiorem iis, *qui se ipsos*: Supremũ vero illis, *qui nec alios, nec se ipsos*. Fallit secũdo, propter insitam animis humanis *superbiam*, qua ægre adducuntur homines, ut errores proprios agnoscãt. Hoc vero ut evitent, patientiam adhibent longe majorem, ut in iis malis, quæ culpa sua contraxerunt. Etenim, quemadmodum fieri videmus, ut cum culpa admissa sit, neq; de Auctore constiterit, supra modum excandescant homines. & tumultuentur: quod si postea in notitiam pervenerit, culpam illam ad filium, aut uxorem, aut gratiosum aliquem pertinere, statim sedantur turbæ, & consilescunt: Eodem modo fit, cum res aliqua accidit, propter quam necessitas incumbit, culpam in nos ipsos recipiendi. Id quod in mulieribus sæpissimè conspicitur, quæ si quid infeliciter egerunt, contra consensum parentum, aut amicorũ, quisecunq; infortunium sequatur, illud sedulo dissimulabunt.

Sophisma.

9. *Gradus privationis major videtur, quam Gradus diminutionis: & rursus gradus inceptionis major videtur quam gradus incrementi.*

Canon est in Mathematicis: *nullas esse rationes mutui ad aliquid.* Itaq; gradus nullitatis, & quidditatis, majores videntur gradibus incremẽti, & decrementi. Sicut monoculo durius est, unum perdere oculum, quam utrumq; oculum habenti. Similiter, complures liberos habenti, gravius est, ultimum, qui superstes fuerit, filium amittere, quam reliquos priores. Itaq; & Sybilla, cum duos priores libros combussisset, pretium tertii duplicavit: Siquidem illius amissio *gradus* fuisset *privationis*, non *diminutionis*.

Elenchus.

Fallit *Sophisma* primo, propter eas res, quarum usus in sufficientia quadam, sive competentia, hoc est, Quantitate determinata, consistit. Si quis enim obligetur pœnaliter ad solutionem certæ pecuniæ summæ, ad diem certum, gravius ei fuerit, nummo unico aureo carere, quam si, posito quod ille unicus parari non potuerit, deessent etiam decem alii. Similiter in decoctionibus fortunarum, damnosior videtur gradus obærationis, qui primus sortem minuit; quam extremus, qui ad egestatem redigit. Huc spectant formulæ illæ usitatæ; *Sera in fundo parsimonia*: *Parum interest, utrum nihil habeas, an quod nihil juvet, &c.* Fallit secundo, propter illud Principium in natura; quod *corruptio unius, sit generatio alterius.* Adeo ut *gradus* ipse *privationis* ultimæ, minus interdũ incommodet, quoniam ansam & stimulũ præbet novæ alicui rationi ineundæ. Vnde etiam Demosthenes sæpius conqueritur apud Cives suos; *Conditiones minus utiles, & honorificas, quas à Philippo impositas subibant, nihil aliud esse, quam alimenta quædam ipsorum ignaviæ & socordiæ; ut multo iis fuisset satius illis omnino carere, propterea quod hoc pacto industria illorum melius acui possit ad alia paranda remedia.* Novimus certe Medicum quendam, qui, mulieribus delicatis, querentibus se male habere sed tamen à medicamẽtis omnibus abhorrere, solebat dicere, non minus facete, quam morose: *Vobis omnino opus est, ut deterius valeatis. quo medicamenta, etiam qualibet, libenter toleretis.* Quin etiam ipse *gradus privationis*, sive indigentiæ ultimæ, salutaris esse possit, non tantum ad excitandam industriam, verum etiam ad inperandam patientiam.

Quod ad secundum membrum hujus *Sophismatis*, illud eodem, quo prius, fundamẽto (de gradibus quidditatis & nullitatis) nititur. Hinc tanta usurpantur, de initiis negotiorum, præconia.

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet, &c.

Hinc Astrologorum superstitio, qui judicium faciunt de dispositione aut fortuna hominis, ex momento sive articulo nativitatis, aut conceptus.

Elenchus.

Fallit sophisma primo, quoniam in nonnullis primæ rerum inceptionis nihil aliud sunt, quam quæ Epicurus, in Philosophia sua, appellat *tentamenta*, id est, rudimenta quædam, quæ nihili sunt, nisi interentur, aut provehantur. Itaq; in hoc casu, gradus secundus dignior videtur & potentior, quam primus: Quemadmodũ in plaustris, equus qui penultimus est, plus confert ad motum plaustri, quam primus. Etiam non inepte dici solet; *Convitium regestum, illud esse, quod pugnæ sit reum.* Prius enim fortasse prætervolaturum fuisset. Itaque *priu malo principium dedit, sed posterius modum abstulit.* Fallit Sophisma secundo, propter dignitatem perseverantiæ; quæ in progressu, non in aggressu sita est. Etenim casus aut natura, primum impetum progignere possunt; at affectus tantummodo maturus, & judicium, constantiam. Fallit tertio in iis rebus, quarum natura, & cursus ordinarius in contrarium rei inceptæ fertur. Ita ut prima inceptio perpetuo evacuetur, nisi vires cõtinuentur. Quemadmodũ in formulis illis usitatis dicitur: *Non progredi est regredi*: Et, *Qui non proficit, deficit*: Ut in cursu in adversum montis; Remigatione in adversum, gurgitis: Ac contra, si in declivi montis motus incipiat, aut secundo Flumine remigatio fiat; tum *gradus inceptus* lõge potiores partes tenet. Porro iste *color*, non tantũ extenditur ad *gradum inceptionis, qui sit à potentia ad actum, comparatum cum gradu; qui sit ab actu ad incrementum*: *Verum etiam ad gradum qui sit ab Impotentia ad potentiam, comparatum cum gradu, qui sit à potentia od actum. Etenim gradus ab impotentia ad potentiam, major videtur, quam à potentia ad actum.*

Sophisma.

10. *Quod ad veritatem refertur, majus est: quam quod ad opinionem. Modus autem & probatio ejus, quod ad opinionem pertinet, hæc est, quod quis, si clam putaret fore, facturus non esset.*

Ita pronunciant Epicurei de *felicitate Stoicorum, in virtute collata*, quod similis sit *felicitati* Histrionis in Scena, qui si à Spectatoribus, & plausu eorũ destitueretur, animis statim concideret. Itaq virtutem per ignominiam, *bonum theatrale* vocant Aliter fit in divitiis, de quibus ille,

Populus me sibilat; At mihi plaudo.

Itidem in Voluptate,

—Grata sub imo
Gaudia corde premens, vultu simulante pudorem.

Elenchus.

Fallacia hujus *Sophismatis* subtilior paulo est: licet responsio ad exemplum, quod adducitur, facilis. Neque enim virtus eligitur *propter auram popularem*. Cum etiam illud pręceptũ sit, *Vt quis maxime*

ximè omnium se ipsum revereatur. Ita ut vir bonus, idem fuerit in solitudine, idem in theatro. Licet forte intendatur virtus nõnihil per laudes, quemadmodũ calor augetur per reflexionem. Sed hoc suppositionem negat, non fallaciam redarguit. *Elenchus* vero talis est. Dato, quod virtus (præsertim ea, quæ labores & conflictus subit) non eligeretur, nisi quod laudes & fama eam comitari soleant; haud inde sequitur, quod appetitus, & motum ad virtutem non sit præcipue propter se. Siquidem fama, possit esse caussa tantum *impulsiva*, aut *sine qua non*, neutiquam *efficiens*, aut *constituens*. Exempli gratia: Si duo fuerint equi, quorum unus, calcaribus non admotis, quævis haud segniter præstaret: at alter calcaribus admotis, priorem longe superaret: Posterior iste (arbitror) palmam referet, & pro equo meliore judicabitur. Neque quenquam judicii sani commoverit formula illa; *Apage istum equum, cujus spiritus siti sunt in calcaribus.* Quandoquidem enim instrumentum ordinariũ equitanti sit calear, neq; ullo modo oneri aut impedimento ei sit; nõ minoris propterea æstimandus est equus, qui calcari incitatur: Neque etiam ille alter, qui absque calcaribus mira præstet, eo ipso melior; sed delicatior tantum habendus est. Similiratione, gloria & honor; virtuti, pro stimulis & calcaribus, subserviunt: Ac licet virtus, sine illis, paulo futura esset languidior; tamen cum semper illa præsto sint ei, etiam non invitata; nil officit, quo minus virtus propter se quoque expetatur. Itaque recte redarguitur illa positio; *Nota ejus rei, quod propter opinionem, & non propter veritatem eligitur, hæc est, quod quis, si clam putaret fore, facturus non fuisset.*

Sophisma.

11. *Quod opera & virtute nostra partum est, majus bonum; Quod ab alieno beneficio, vel ab indulgentia fortunæ delatum est minus bonum.*

Causæ hujus rei hæ sunt. Primo, propter *spem de futuro.* Siquidem in aliorum gratia, aut fortunæ ipsius ventis secundis, non multum inest certitudinis: Propria vero industria, aut virtus, semper domi adsunt. Adeo ut, postquam boni quid nobis hoc modo paratum fuerit, maneant etiam eadem instrumenta, in novos usus parata, quin & consuetudine & successu reddita validiora. Secundo, quia quod *alieno beneficio adipiscimur*, ejus etiam *aliis debitores sumus*: cum, quæ per nos ipsi comparaverimus, nihil oneris secum trahant. Etiam si quid indulgentia Divina in nos cumulaverit, retributionem quandam erga Dei bonitatem efflagitat, quod homines pravos & improbos mordet, ubi in priore genere illud Prophetæ usuveniat *Lætantur, & exultant immolanti plagis suis, & sacrificãti retis suo.* Tertio, quia *ea, quæ à virtute nostra minime profecta sunt, nulla sequitur laus & existimatio.* Quæ enim felicitatis sunt, admirationem quandam parient, laudem minime. Sicut ait Cicero ad Cæsarẽ: *Quæ miremur, habemus; quæ laudemus, expectamus.* Quarto, quia quæ, *industria propria* acquiruntur, cum *laboribus & contentione* fere conjuncta sunt; quod nonnullam habet in se *Suavitatem*; uti Salomon, *Suavis cibus à venatu.*

Elenchus.

At quatuor inveniuntur *colores oppositi*, qui rem in contrariam partem inclinant; possintque esse prioribus instar *Elenchorum.* Primo, quia *felicitas* videtur esse *signum quoddam, & character favoris divini*: & propterea, tum in nobismet ipsis confidentiam & alacritatem generat, tum apud alios auctoritatem & reverentiam. Felicitas autem ista etiam fortuita complectitur, ad quæ virtus ægre aspirat; Veluti cum Cæsar ad Navis Gubernatorẽ, animos addendo, dixit: *Cæsarem portas, & fortunam ejus.* Quod si dixisset, *Cæsarem portas, & virtutem ejus*, frigidum prorsus fuisset solatium periclitanti in procella. Secundo, quia *ea quæ virtute* aut *industria procedunt, sunt imitabilia*, & aliis patent; cum felicitas sit res inimitabilis, & prærogativa quædam hominis individui. Itaque, in genere videmus, res naturales artificialibus præponi, quia imitationem non recipiunt. Quod enim imitabile est, potentia vulgatum est. Tertio, quæ ex felicitate proveniunt; *bona videntur gratuita, nec laboribus empta*: atquæ virtute propria, pretio veluti acquisita. Itaque elegantèr Plutarchus, de rebus Timoleontis, hominis longè fortunatissimi, cum rebus Agesilai & Epaminondæ, qui uno ævo vixerunt, comparatis, dixit: *Illas Homeri Carminibus fuisse similes, quæ cum aliis excellant, sponte etiam fluere videantur, & quasi Genium sapere.* Quarto, quia, quod *præter spem* aut *præter expectatum contingit, gratius, & majore cum voluptate in hominum animos influit.* Illud vero neutiquam competit iis, quæ propria cura & ambitu comparantur.

Sophisma.

12. *Quod ex pluribus constat & divisibilibus, est majus eo, quod paucioribus, & magis unum: Nam omnia per partes considerata, majora videntur: Quare & pluralitas partium, magnitudinem præse fert: Fortius autem operatur pluralitas partium, si ordo absit: Nam inducit similitudinem infiniti, & impedit comprehensionem.*

Sophisma istud videtur etiam primo intuitu fallax, & quasi palpabile: Siquidem, non pluralitas partium tantum, sed majoritas earundem poterit constituere totum auctius. Attamen abripit hoc ipsum *sophisma* sæpius phantasiã; quinetiam insidiatur sensui. Etenim aspectui brevior videtur via in planitie, ubi nihil intercurrat quod visum frangat, quam in tali tractu terræ, ubi simul conspiciũtur arbores, aut ædificia, aut aliud aliquod signũ, quod spatium metiri & dividere possit. Sic homini bene nummato, postquam arcas suas, & marsupia diviserit, & digesserit, major etiam quam antea subit divitiarum phantasia. Habet etiam vim in amplificationibus, si res in plures portiones dividatur, atque singulæ seorsum tractentur. Hoc vero adhuc magis phantasiam implet, si fiat promiscue, & sine ordine. Confusio enim multitudinis opinionẽ generat. Siquidẽ quæ ordine ostenduntur, aut proponuntur, tum ipsa magis finita apparent, tum certum præbent argumentum, nihil esse prætermissum. At contra, quæ confusæ repræsentantur, non solum in se numerosa putantur, sed & suspicioni locum relinquunt, restare adhuc plura, quæ omittuntur.

Elenchus.

Fallit *Sophisma.* Primo, ubi quis ampliorẽ perceperit de re aliqua opinionem, quam pro vera rei ipsius magnitudine. Etenim cum hoc fit, distributio fallam illã opinionem destruet, & rẽ in veritate sua, non autem cum amplificatione, monstrabit.

Itaque si quis morbo aut dolore corripiatur, horæ longiores ei videbuntur absque horologio, aut clepsydra, quam si iisdem mensurentur. Nam si tædium & vexatio morbi, tempus videri longius faciunt quam revera est; at computatio temporis errorem illum corrigit, & brevius facit, quam opinio illa falsa conceperat. Etiam in planitie, contra quam superius dictũ est, aliquando evenit. Licet enim visus in principio viam ostentet breviorem sensui, quia indivisa est: tamẽ si ex eo obrepat opinio de longe minori intervallo quam reperitur: opinionis ejus vanæ frustratio efficit, ut videatur demum etiam, quam revera est, productior. Itaq; si quis opinioni alicujus falsæ magnitudine rei cujuspiam velificari cupiat, caveat à distributionibus, sed rem integram utique extollat. Fallit *Sophisma* secundo, si distributio ea distrahatur, non autẽ simul obversetur, aut uno aspectu visum feriat. Itaque si flores in horto aliquo in plures torulos distinguantur, majoris quantitatis speciem præbebunt, quam si omnes in uno toro simul crescerent; Modo toruli illi oculis simul subjiciantur; Aliter enim unio distributioni distractæ prævalebit. Sic reditus eorum majores videntur, quibus prædia & latifundia sua vicina aut conjuncta sunt. Nam si sparsim sita sint, non veniunt tam facile sub aspectum. Fallit *Sophisma* tertio, propter dignitatem unitatis, supra multitudinem. Omnis enim compositio, indigentiæ in singulis signum est certissimum, ubi illud usu venit:

Et quæ non prosunt singula, multa juvant.

Itaque Mariæ partes potiores; *Martha, Martha, attendis ad plurima, unum sufficit.* Hinc illa fabula Æsopi de vulpe, & feli: jactabat enim vulpes, quãtas artes haberet, & effugia, quibus se à canibus eriperet; Felis autem se unico tantum confidere auxilio dixit, utpote quæ tenuem scandendi facultatem haberet. Quod tamen reliquis illis vulpinis longè præstantius præsidium fuit: unde Adagium; *Multa novit vulpes, sed felis unum magnum.* Quin etiam in hujus fabulæ significatione morali idem cernitur: Nam potenti & fido amico niti, plus præsidii habet, quam artes & astutiæ complurimæ.

Atque hæc exempli loco sufficient. Superest autem nobis ejusmodi *colorum* numerus etiam magnus, quos olim adolescentes congessimus: attamen sine illustrationibus suis, atque *Elenchis*; quos hoc tempore concinnare non vacat: ideoq; *colores* illos nudos, absque illustrationibus suis, (cum superiores isti vestiti prodeant) proponere, minimè nobis consentaneum videtur. Illud interim monemus, rem istam, qualiscunque ea videri possit, haud parvi, judicio nostro, esse pretii: utpote quæ ex *Philosophia prima*, & ex *Rhetorica* participet. Atq; de *signis popularibus*, sive *coloribus boni ac mali apparentis*, tam *simplicis*, quam *comparati*, hactenus.

Secunda *Collectio*, quæ pertinet ad *promptuariam* & *desideratur*, ea est, quam Cicero (ut superius in *Logica* diximus) innuit; cum præcipit, ut in promptu habeantur *Loci communes* in utramque partem disputati & tractati. Quales sunt, *Proverbis legis* & *Prosententia legis*, &c. Nos vero hoc præceptum etiam ad alia extendimus; ut non solum ad genus judiciale, sed etiam ad deliberativum & demonstrativum adhibeatur. Omnino hoc volumus, *Locos* omnes, quorum frequens est usus, (sive ad probationes & refutationes, sive ad suasiones, & dissuasiones, sive ad laudes & vituperia spectent;) meditatos jam haberi, eosque ultimis ingenii viribus, & tanquam improbe, & prorsus præter veritatem, attolli & deprimi. Modum autem hujus *Collectionis*, tam ad usum, quam ad brevitatem, optimũ fore censemus, si hujusmodi Loci contrahantur in sententias quasdam acutas & concisas; tanquam glomos quosdam, quorum fila in fusiorem discursum, cũ res postulat, explicari possint. Atq; similem quandam diligentiam in Senecaperimus, sed in hypothesibus sive casibus. Ejus generis cum plurima parata habeamus, aliqua ad exemplum proponere visum est. Ea autem *Antitheta Rerum* nominamus.

Exempla *Antithetorum*.

NOBILITAS. I.

Pro.

Quibus virtus à Genere penitus insita est; ii jam non mali esse nolunt, sed nequeunt.

Nobilitas Laurea, qua tempus homines coronat.

Antiquitatem etiam in monumentis mortuis veneramur; quanto magis in vivis?

Si Nobilitatem familiarum contemnas, quæ tandem erit differentia inter sobolem hominũ, & brutorum?

Nobilitas virtutem invidiæ subducit, gratiæ tradit.

Contra.

Raro ex virtute Nobilitas, rarius ex Nobilitate Virtus.

Nobiles Majorum deprecatione ad veniam sæpius utuntur, quam suffragatione ad honores.

Tanta solet esse industria hominum novorũ, ut Nobiles præ illis tanquam Statuæ videantur.

Nobiles in stadio respectant nimis sæpe; quod mali cursoris est.

Forma. II.

Pro.

Deformes naturam ulcisci solent.

Et Virtus nil aliud, quam interna forma; & forma nil aliud, quam externa virtus.

Deformes se à contemptu, per malitiam utique suam, vindicare cupiunt.

Forma virtutes splendere facit, vitia rubere.

Juven-

Contra.

Virtus, ut gemma nobilis, melius inseritur sine multo auro & ornatu.

Quod vestis lauta deformi, hoc forma improbo.

Similiter plerumq; leves sunt, quos forma ornat, & quos movet.

Contra.

Juventus. III.

Pro.

Prima cogitationes, & juvenum consilia, plus habent è Numine.

Senes sibi sapiunt magis: aliis, & Reipublicæ, minus.

Si conspici daretur, magis deformat animos quam corpora senectus.

Senes omnia metuunt, præter Deos.

Valetudo. IV.

Pro.

Cura valetudinis animum humilem facit, & corpori supplicem.

Corpus sanum, hospes animæ est; Ægrum, ergastularius.

Nil tam summas actionum promovet, quam prospera valetudo: at contra, infirma feriatur nimis.

Uxor & Liberi. V.

Pro.

Charitas Reip. incipit à familia.

Uxor & Liberi disciplina quadam humanitatis, at cœlibes tetrici & severi.

Cœlibatus & Orbitas ad nil aliud conferunt, quam ad fugam.

Marti sacrificat, qui liberos non procreat.

Cætera felices, in liberis fere infortunati sunt: ne Divinæ Sorti nimium appropinquent homines.

Divitiæ. VI.

Pro.

Divitias contemnunt, qui desperant.

Invidia divitiarum, virtutem effecit Deam.

Dum Philosophi dubitant, utrum ad virtutem, an voluptatem omnia sint referenda, collige instrumenta utriusque.

Virtus per divitias vertitur in commune bonum.

Cætera bona provincialem habent administrationem, divitia sola generalem.

Honores. VII.

Pro.

Honores non Tyrannorum, (ut loquuntur) sed Providentiæ Divinæ calculi sunt.

Honores faciunt & virtutes & vitia conspicua: Itaque illas provocant, hæc refrænant.

Non novit quispiam, quantum in virtutis cursu profecerit, nisi honores ei campum præbeant apertum.

Virtutis, ut rerum aliarum, rapidus motus est ad locum, placidus in loco: Est autē virtutis locus honos.

Imperia. VIII.

Pro.

Felicitate frui, magnum bonum est, sed eam & aliis impertiri posse, adhuc majus.

Reges non hominum instar, sed astrorum sunt. Nam & in singulos, & in tempora ipsa, magnum habent influxum.

Qui Dei vices gerunt, iis resistere, non tantum læsæ Majestatis Crimen est, sed Theomachia quadam.

Laus. Existimatio. IX.

Pro.

Virtutis radij reflexi laudes.

Laus Honoris est, ad quem liberis suffragiis pervenitur.

Honores à diversis Politiis conferuntur, sed laudes ubique sunt libertatis.

Vox populi habet aliquid Divinum. Nam quomodo aliter tot capita in unum conspirare possint?

Ne mireris, si vulgus verius loquatur, quam honorationes; quia etiam tutius loquitur.

Natura. X.

Contra.

Juventus pœnitentiæ campus.

Ingenitus est juvenibus senilis auctoritatis contemptus: ut quisque suo periculo sapiat.

Tempus, ad quæ consilia non advocatur, nec rata habet.

Senibus Veneres mutantur in gratias.

Contra.

Sæpe convalescere, est sæpe juvenescere.

Excusatio valetudinis polychresta; ad quam etiam sani confugimus.

Nimis arcto fœdere corpus animæ jungit sanitas.

Et lectus magna imperia administravit, & Lectica magnos exercitus.

Contra.

Qui uxorem duxit, & liberos suscepit, obsides fortunæ dedit.

Generare, & liberi, humana sunt; creare, & opera, Divina.

Brutorum æternitas soboles: Virorum fama, merita, & instituta.

Oeconomicæ rationes, publicæ plerunque evertūt.

Aliquibus fortuna Priami placuit, qui suis omnibus superstes fuit.

Contra.

Divitiarum magnarum vel custodia est, vel dispensatio quadam, vel fama, at nullus usus.

Annon vides lapillis, & id genus deliciis, fingi pretia, ut possit esse aliquis magnarum divitiarum usus?

Multi, dum divitiis suis omnia venalia fore credderunt, ipsi in primis venierunt.

Non aliud divitias dixerim, quam impedimenta virtutis. Nam virtuti & necessariæ sunt, & graves.

Divitiæ bona ancilla, pessima domina.

Contra.

Dum honores appetimus, libertatem exuimus.

Honores dant fere Potestatem earum Rerum, quas optima Conditio est Nolle proxima Non posse.

Honorum ascensus arduus, statio lubrica, regressus præceps.

Qui in Honore sunt, vulgi opinionem mutuentur oportet, ut se ipsos beatos putent.

Contra.

Quam miserum, habere nil fere quod appetas, infinita quæ metuas.

Qui in Imperiis sunt, similes sunt Corporibus Cœlestibus, quæ magnam venerationem habent, requiem nullam.

Nemo humanæ sortis ad Deorum convivia admittitur, nisi ad Ludibrium.

Contra.

Fama deterior Judex, quam Nuncia.

Quid viro bono cum saliva vulgi?

Fama veluti fluvius, levia attollit, solida mergit.

Infimarum virtutum apud vulgus laus est, mediarum admiratio; supremarum sensus nullus.

Laus magis ex ostentatione, quam ex merito: & ventosis magis accedit, quam realibus.

Natura. X.

Pro.

Consuetudinis progressus est Arithmeticus, Natura Geometricus.

Ut in Rebuspublicis se habent Leges communes erga consuetudines, eodem modo in singulis se habet Natura ad Consuetudinem.

Consuetudo contra naturam, quasi Tyrannis quadam est: & cito ac levi occasione corruit.

Fortuna. XI.

Pro.

Virtutes apertæ laudes pariunt, occultæ fortunas.

Virtutes officiorum laudes pariunt: facultatum, fortunas.

Fortuna veluti galaxia, hoc est, nodus quarundam obscurarum virtutum, sine Nomine. Fortuna saltem ob filias suas honoranda est, confidentiam scilicet, & auctoritatem.

Vita. XII.

Pro.

Absurdum est, Accidentia Vitæ magis amare, quam vitam ipsam.

Præstat ad omnia, etiam ad virtutem, curriculum longum, quam breve.

Absque spatiis vitæ majoribus, nec perficere datur, nec perdiscere, nec pænitere.

Superstitio. XIII.

Pro.

Qui zelo peccant, non probandi, sed tamen amandi sunt.

Mediocritates moralibus debentur: extremitates Divinis.

Superstitiosus, Religiosus Designatus.

Fabulosissima quæque Portenta cujusvis Religionis, citius crediderim: quam hæc omnia sine Numine fieri.

Superbia. XIV.

Pro.

Superbia etiam vitiis insociabilis: atque ut venenum veneno, ita haud pauca vitia superbia expelluntur.

Facilis, etiam alienis vitiis obnoxius est: Superbus tantum suis.

Superbia, si ab aliorum contemptu ad sui contemptum ascendet, fiet demum Philosophia.

Ingratitudo. XV.

Pro.

Crimen ingrati animi, nil aliud est, quam perspicacia quædam in causam beneficij collati.

Dum grati erga quosdam esse volumus; nec cæteris justitiam præstamus, nec nobis ipsis Libertatem.

Beneficij gratia eo minus reddenda est, quod de pretio non constat.

Invidia. XVI.

Pro.

Naturale exprobrationem fortunæ suæ odisse.

Invidia in Rebuspub. tanquam salubris ostracismus.

Impudicitia. XVII.

Pro.

Zelotypia debètur, quod castitas sit facta virtus.

Multa

Contra.

Cogitamus secundum naturam, loquimur secundum Præcepta: sed agimus secundum Consuetudinem.

Natura Pedantius quidam est, Consuetudo Magistratus.

Contra.

Stultitia unius, fortuna alterius.

In fortuna illa præcipue laudaverim, quod cum eligat, non tueatur.

Viri Magni, dum invidiam virtutum suarum declinarunt, inter fortunæ cultores reperti sunt.

Contra.

Philosophi, dum tantum apparatum adversus mortem colligunt, ipsam magis timendam effecerunt.

Mortem homines timent, quia nesciunt, ut pueri tenebras.

Non invenias inter humanos affectum tam pusillum, qui si intendatur paulo vehementius, non mortis metum superet.

Mori velle, non tantum fortis, aut miser, aut prudens, sed etiam fastidiosus potest.

Contra.

Ut Simiæ similitudo cum homine, deformitatem addit: ita Superstitioni similitudo cum Religione.

Quale odium est affectationis in civilibus, tale superstitionis in Divinis.

Præstat nullam habere de Diis opinionem, quam contumeliosam.

Non Epicuri Schola, sed Stoa, veteres Respublicas perturbavit.

Non cadit in mentem humanam, ut sit merus Atheista Dogmate: sed magni Hypocritæ, sunt viri Atheistæ: qui Sacra perpetuo contrectant, sed nunquam verentur.

Contra.

Hedera virtutum ac bonorum omnium superbia.

Cætera vitia virtutibus tantum contraria: Superbia sola contagiosa.

Superbia optima vitiorum conditione caret, id est, latebris.

Superbus, cum cæteros contemnit, se interius negligit.

Contra.

Crimen ingrati animi, non suppliciis coërcetur, sed furiis permittitur.

Arctiora sunt vincula beneficiorum, quam officiorum: quare, qui ingratus, etiam injustus, & omnia.

Ea est conditio humana: Nemo tam publica fortuna natus est, quin privatæ & Gratiæ, & Vindictæ, se omnino debeat.

Contra.

Invidia Festos dies non agit.

Nemo virtuti invidiam reconciliaverit præter mortem.

Invidia virtutes laboribus exercet, ut Juno Herculem.

Contra.

Pessima Circes transformatio, impudicitia.

Impu-

Multa tristitia opus est, ut quis Venerem rem seriam putet.

Quid vel diaetapartem, vel munditiae speciem, vel superbiae filiam inter virtutes collocas?

Amorum, ut avium sylvestrium nulla proprietas est, sed jus possessione transfertur.

Crudelitas. XVIII.

Pro.

Nulla virtutũ tam saperea est, quam Clementia.

Crudelitas, si à vindicta est Justitia est: si à periculo, prudentia.

Qui Misericordiam inimico impertit, sibi denegat.

Non sapius Phebotomiae necessariae sunt in curationibus, quam cades in civilibus.

Gloria vana. XIX.

Pro.

Qui suas laudes appetit, aliorum simul appetit utilitates.

Qui tam sobrius est, ut nihil alienum curet, vereor ne & publica aliena putet.

Ingenia in quibus aliquid inane est, facilius curam Reipubl. recipiunt.

Justitia. XX.

Pro.

Imperia & Politiae, Iustitiae tantum additamenta sunt: Si enim Iustitia aliter possit exerceri, illis minime fuerit opus.

Iustitiae debetur, quod homo homini sit Deus, non lupus.

Iustitia etsi vitia tollere non possit, tamen hoc efficit, ut non lædant.

Fortitudo. XXI.

Pro.

Nil terribile nisi ipse timor.

Nil aut in voluptate solidum, aut in virtute munitum, ubi timor infestat.

Qui pericula apertis oculis intuetur, ut excipiat, advertit & ut evitet.

Cetera virtutes nos à dominatu liberant vitiorum, fortitudo sola à dominatu fortunae.

Temperantia. XXII.

Pro.

Eadem fere vis abstinendi & sustinendi.

Vniformitates, concordiae, & mensuraemotuum, cœlestia sunt, & characteres aeternitatis.

Temperantia, velut frigora salubria, animi vires colligit & firmat.

Exquisiti & vagi sensus Narcoticis indigent: similiter & affectus.

Constantia. XXIII.

Pro.

Basis virtutum constantia.

Miser est, qui qualis ipse futurus sit, non novit.

Imbecillitas humani judicij, rebus ipsis constare non potest: quare saltem sibi constet.

Etiam vitiũ decus aspirat constantia.

Si ad fortunae Inconstantiam accedat etiam inconstantia mentis, in quantis tenebris vivitur?

Fortuna, tanquam Proteus, si perseveres, ad formam redit.

Magnani-

Impudicus prorsus reverentiam sui perdidit: quod franum est omnium vitiorum.

Omnes, ut Paris, qui formae optionem faciunt, prudentiae & potentiae jacturam faciunt.

In Veritatem non vulgarem incidit Alexander: cum Somnum & Venerem, Mortis Arrhabones esse dixit.

Contra.

Cædibus grassari, aut Feræ, aut Furiae est.

Crudelitas viro bono semper fabulosa esse videtur, & fictio Tragica.

Contra.

Gloriosi semper factiosi, mendaces, mobiles, nimij.

Thraso Gnathonis præda.

Turpe est proco sollicitare ancillam: est autem virtutis ancilla Laus.

Contra.

Si hoc est justum esse; Quæ tibi fieri nolis, ea alteri non facere, Clementia demum Justitia est.

Si suum cuique tribuendum est, certe & venia humanitati.

Quid mihi æquitatem narras, cum sapienti omnia inæqualia sint?

Considera qualis reorum conditio fuerit apud Romanos & pronuncia, justitiam è Republ. non esse.

Vulgaris ista Justitia Politiarum, Philosophus in aula: hoc est, facit tantum ad Reverentiam Imperantium.

Contra.

Præclara virtus velle perire, ut perdas.

Præclara virtus quã etiam ebrietas inducit.

Vitæ suæ prodigus, alienæ periculosus.

Virtus ferreæ ætatis fortitudo.

Contra.

Negativa istæ virtutes non placent: nam Innocentiam præstant, non merita.

Languet mens, quæ excessibus caret.

Amo virtutes, quæ excellentiam actionis inducunt, non hebetudinem passionis.

Cum consonantes animi motus ponis, paucos ponis: Nam pauperis est numerare pecus.

Ista (non uti, ut non appetas: Non appetere, ut non timeas) pusillanimi sunt & diffidentiæ.

Contra.

Constantia, ut janitrix morosa, multa utilia judicia abigit.

Æquum est, ut constantiares adversas bene toleret; nam fere inducit.

Stultitia brevissima, optima.

Con-

Magnanimitas. XXIV.

Pro.

Si animus semel generosos fines optaverit, statim non modo virtutes circumstant, sed & Numina.

Virtutes ex habitu, aut præceptis gregales sunt: ex fine, Heroicæ.

Scientia, Contemplatio. XXV.

Pro.

Ea demum voluptas est secundum Naturam, cujus non est satietas.

Dulcissimus prospectus in errores aliorum subjacentes.

Quam bonum est, orbes mentis habere concentricos Universo?

Omnes affectus pravi, falsæ æstimationes sunt; atq; eadem sunt bonitas & veritas.

Literæ. XXVI.

Pro.

Si de rebus minutis libri scripti forent, vix ullus esset experientiæ usus.

Lectio est conversatio cum prudentibus: Actio fere cum stultis.

Non inutiles scientiæ existimandæ sunt, quarum in se nullus est usus, si ingenia acuant, & ordinent.

Promptitudo. XXVII.

Pro.

Opportuna prudentia nõ est, quæ celeris nõ est.

Qui cito errat, cito errorem emendat.

Qui ex composito & non obiter prudens est, nil magni facit.

Taciturnitas in Secretis. XXVIII.

Pro.

Taciturno nil reticetur, quia omnia tuto communicantur.

Qui facilè loquitur quæ scit, loquitur & quæ nescit.

Secretis etiam mysteria debentur.

Facilitas. XXIX.

Pro.

Amo virum alieno affectui obnoxium, sed tamen judicium ab obsequior evocantem.

Flexibilem esse, ad naturam auri proxime accedit.

Popularitas. XXX.

Pro.

Prudentibus eadem fere placent: at stultorum varietati occurrere, prudentia est.

Colere populum, est coli.

Qui ipsi magni viri sunt, neminem unum fere habent, quem vereantur, sed populum.

Loquacitas. XXXI.

Pro.

Qui silet, aut alios habet pro suspectis, aut suspectus est ipse sibi.

Custodiæ omnes infelices; miserrima silentij.

Silentium stultorum virtus: Itaque recte ille silenti: Si prudens es, stultus es; si stultus, prudens.

Silentium, veluti nox, insidiis opportunum.

Cogitationes in profluente sanissimæ.

Silentium solitudinis genus.

Opinioni se venditat, qui silet.

Contra.

Magnanimitas est virtus poëtica.

Contra.

Contemplatio, speciosa inertia.

Bene cogitare, non multo melius est, quam bene somniare.

Orbem Numen curat, tu patriam.

Vir politicus etiam Contemplationes serit.

Contra.

In Academiis discunt credere.

Quæ unquam ars docuit tempestivum artis usum?

Sapere ex regula, & experientia, plane contrariæ rationes sunt: ut qui alteri assuefactus sit, ad alterum sit ineptus.

Artis sæpissimè ineptus usus est, ne sit nullus.

Hoc ferè omnes Academici habent, ut ex qualibet re soleant agaoscere quod faciant, & non addiscere quod nesciant.

Contra.

Prudentia non alte petitur, quæ præsto est.

Prudentia ut vestis, levis, quæ expedita.

Cujus consilia non maturat deliberatio, nec prudentiam ætas.

Quæ ad breve tempus excogitantur, ad breve tempus placent.

Contra.

Varietas morum optimè animum collocat in secreto.

Taciturnitas confessoris virtus.

Taciturno omnia reticentur; quia silentium rependitur.

Tectus, ignoto proximus.

Contra.

Facilitas, Judicij quædam inepta privatio.

Facilium beneficia, debita videntur; negationes, injuriæ.

Sibi gratiam habet, qui à facili aliquid impetrat.

Facilem omnes Difficultates premunt; nam omnibus se implicat.

Facilis fere se recipit cum pudore.

Contra.

Qui valde cum stultis congruit, ipse suspectus esse potest.

Qui turbæ placet, fere & Turbas miscet.

Nil moderatum vulgo gratum est.

Infima assentatio est assentatio vulgi.

Contra.

Silentium verbis, & gratiam addit, & auctoritatem.

Silentium, veluti somnus quidam, alit prudentiam.

Silentium fermentatio cogitationum.

Stylus prudentiæ silentium.

Silentium ambit veritatem.

Silentium, nec pravas cogitationes egerit, nec bonas distribuit.

Dissimulatio. XXXII.

Pro.

Dissimulatio compendiaria sapientia.

Non idem dicere, sed idem spectare debemus.

Etiam in animo deformis nuditas.

Dissimulatio & decori est, & præsidio.

Sepes consiliorum, dissimulatio.

Aliqui bono suo falluntur.

Qui indissimulanter omnia agit æque despit: nam plurimi, aut non capiunt, aut non credunt.

Indissimulatio nihil aliud; quam animi impotentia.

Contra.

Cum cogitare secundum rerum veritatem non possimus, at loquamur secundum cogitationem.

Quibus artes civiles supra captum ingenij sunt, tis dissimulatio pro prudentia erit.

Qui dissimulat, præcipuo ad agendum instrumento se privat, Fide.

Dissimulatio dissimulationem invitat.

Qui dissimulat, liber non est.

Audacia. XXXIII.

Pro.

Docet improbare, qui verecundatur.

Quod actio oratori, id audacia viro civili, primum, secundum, tertium.

Confitentem verecundiam amo, accusantem odi.

Confidentia morum, animos promptius sociat.

Placet obscurus vultus, & perspicua oratio.

Contra.

Audacia stultitiæ viator.

Inverecundia inutilis, nisi ad imposturam.

Confidentia stultorum imperatrix, prudentium scurra.

Audacia est stupor quidam sensus; cum malitia voluntatis.

Ceremoniæ. Puncti. Affectatio. XXXIV.

Pro.

Vultus & gestus decora moderatio, verum condimentum virtutis.

Si & in verbis vulgo paremus, quidni in habitu, & gestis?

Qui in levibus, & quotidiana consuetudine, decus non retinet, sit licet vir magnus, noris tamen, hunc tantum certis horis sapere.

Virtus & prudentia sine punctis, velut peregrinæ linguæ sunt: nam vulgo non intelliguntur.

Qui vulgi sensum per congruitatem non novit, is, si nec per observationem noverit, omnium stultissimus est.

Puncti Translatio sunt, virtutis in linguam vernaculam.

Contra.

Cum gestus deformitatum ac concinnitatum aucupes quis non contemnat?

Rerum magnitudinem eluere joco, improbum artificium est.

Jocos tum considera, cum risu destituti sunt.

Faceti isti fere non penetrant ultra superficiem rerum; ubi joci sedes est.

Ubi jocus ad seria momenti aliquid habet, ibi levitas puerilis est.

Joci. XXXV.

Pro.

Oratorum ara jocus.

Qui in omnibus modestum leporem miscet, libertatem animi retinet.

Res est supra opinionem Politica, facile transire à joco ad serium, à serio ad jocum.

Veritatis, alias non perventuræ, sæpe vehiculum jocus.

Contra.

Amori multum debet scena, nihil Vita.

Nil tam varij hominis est, quam amor: Nam res, aut tam stulta est, ut se nesciat, aut tam turpis, ut se fuco condat.

Odi istos monophrontistas.

Augusta admodum contemplatio amor.

Amor. XXXVI.

Pro.

Annon vides, omnes se quærere? at amans solus se invenit.

Non est melior ordinatio animi, quam ex imperio affectus alicujus insigni.

Qui sapit, Desiderium quærat: nam qui non aliquid insigniter appetit, ei omnia ingrata sunt, & tædio plena.

Quidni in Vnitate acquiescat Vnus?

Contra.

Qui amicitias arctas copulat, novas necessitates sibi imponit.

Animi imbecillitatis est, partiri fortunam.

Amicitia. XXXVII.

Pro.

Eadem facit amicitia, quæ fortitudo; sed suavius.

Suave Condimentum omnium bonorum amicitia.

Pessima solitudo, non veras habere amicitias.

Digna mala fidei ultio, amicitiis privari.

Contra.

Adulatio stylus servorum.

Adulatio. XXXVIII.

Pro.

Adulatio magis ex more, quam ex malitia.

Laudando

Adulatio

Laudando instituere, semper formula fuit debita potentioribus.

Vindicta. XXXIX.

Pro.

Vindicta privata, Justitia agrestis.

Qui vim rependit, legem tantum violat, non hominem.

Utilis metus ultionis privatæ; Nam leges nimium sæpe dormiunt.

Innovatio. XL.

Pro.

Omnis medicina innovatio.

Qui nova remedia fugit, novà mala opperitur.

Novator maximus tempus; quidni igitur tempus imitemur?

Exempla remota inepta sunt; Recentia corrupta & ambitiosa.

Imperitis & contentiosis permitte, ut ad exempla res agant.

Sicut qui nobilitatem in familiam introducunt, digniores fere sunt posteris: ita novationes rerum plerunq; præstant iis, quæ ad exempla fiunt.

Morosa morum retentio, res turbulenta est, atque ac novitas.

Cum per se res mutentur in deterius, si consilio in melius non mutentur, quis finis erit mali?

Moris servi, temporis ludibria.

Mora. XLI.

Pro.

Fortuna multa festinanti vendidit, quibus morantem donat.

Dum initia rerum amplecti properamus, umbras prensamus.

Fluctuantibus rebus advertendum, inclinantibus agendum.

Prima actionum Argo committenda sunt, extrema Briareo.

Præparatio. XLII.

Pro.

Qui parvis copiis rem magnam aggreditur, fingit opportunitatem, ut speret.

Parvis apparatibus non fortuna, sed prudentia emitur.

Principiis obstare. XLIII.

Pro.

Plura pericula fallunt, quam vincunt.

Minus operis est, periculo remedium adhibere, quam progressus ejus observare & custodire.

Non jam leve est periculum, si leve videatur.

Consilia violenta. XLIV.

Pro.

Qui lenem istam prudentiam amplectuntur, iis augmenta mali salubria sunt.

Necessitas, quæ violenta consulit, eadem exequitur.

Suspicio. XLV.

Pro.

Diffidentia, nervi prudentiæ; at suspicio medicamentum arthriticum.

Merito ejus fides suspecta est, quam suspicio labefacit. Suspicio fragilem fidem solvit, fortem intendit.

Adulatio calx vitiorum.

Adulatio aucupij illud genus; quod similitudine vocis, Aves fallit.

Adulationis deformitas comica, nocumentum tragicum.

Auribus mederi, difficillimum.

Contra.

Qui injuriam fecit, principium malo dedit; qui reddidit, modum abstulit.

Vindicta, quo magis naturalis, eo magis coërcenda.

Qui facile injuriam reddit, is fortasse tempore, non voluntate, posterior erat.

Contra.

Novi partus deformes sunt.

Nullus auctor placet; præter tempus.

Nulla novitas absque injuria; nam præsentia convellit.

Quæ usu obtinuere, si non bona, at saltem apta inter se sunt.

Quis novator tempus imitatur, quod novationes ita insinuat, ut sensus fallant?

Quod præter spem evenit, cui prodest, minus acceptum; cui obest, magis molestum.

Contra.

Occasio primùm ansam vasis porrigit, deinde ventrem.

Occasio instar Sibyllæ minuit oblatum, pretium auget.

Celeritas, orci galea.

Quæ maturè fiunt, judicio fiunt; quæ serò, per ambitum.

Contra.

Optimus terminus parandi, prima occasio agendi.

Nemo speret, se fortunam apparatu ligare posse.

Alteratio apparatus & actionis, Politica sunt: Distinctio tumida & infelix.

Magnus apparatus, prodigus & temporis, & rerũ.

Contra.

Docet periculum progredi, qui accingitur, & periculum figit remedio.

Etiam in remediis periculorum, levia pericula subsistunt.

Præstat cum paucis remediis, quæ invaluerunt, rem habere: quam cum minis singulorum.

Contra.

Omne remedium violentum, prægnans novi mali.

Violenta consilia nemo dat, præter iram & metum.

Contra.

Suspicio fidem absolvit.

Suspicionum intemperies est Mania quædam Civilis.

Verba

Contra.

Verba Legis. XLVI.

Pro.

Non est interpretatio, sed divinatio, quæ recedit à litera.

Cum receditur à litera, judex transit in legislatorem.

Pro Testibus contra Argumenta. XLVII.

Pro.

Secundum Oratorem, non secundum causam pronunciat, qui argumentis nititur. Qui argumentis potius credit, quam testibus: etiam Ingenio magis debet fidere, quam sensui.

Tutum foret argumentis credere si homines nihil absurdi facerent.

Argumenta, cum sint contra testimonia, hoc præstant, ut res mira videatur, non autem ut vera.

Atque hæc *Antitheta*, (quæ nunc proposuimus) fortasse tanti non fuerint. Sed cum jam olim parata & collecta à nobis essent, noluimus diligentiæ nostræ juvenilis fructum perire: Præsertim cum, (si quis acutius introspiciat) *semina* sunt, non *flores*. In illo autem adolescentiam plane spirant, quod sint in *morali*, sive *demonstrativo genere*, uberiora; in *deliberativo*, & *judiciali*, perpauca.

Tertia *Collectio*, quæ pertinet ad *promptuariam*, atque etiam *desideratur*, est ea, quam vocare placet, *Formularum Minorum*. Illæ autem sunt, veluti vestibula, posticæ, ante-cameræ, recameræ, transitus. &c. Orationis, quæ indiscriminatim omnibus subjectis competere possint. Quales sunt *præfationes, conclusiones, digressiones, trãsitiones, promissiones, declinationes*, & plurima ejusmodi. Quemadmodum enim in ædificiis plurimum facit & ad voluptatem, & ad usum, ut frontispicia, gradus, ostia, fenestræ, aditus, trãsitus, & hujusmodi, commode distribuantur; eodem modo etiam in oratione fit, ut additamenta & interpositiones istæ, (si decore & perite formentur & collocentur) plurimum tum gratiæ, tũ commoditatis, universæ orationis structuræ adiiciant. Harum *Formularum* Exemplum unum aut alterum proponemus, neque diutius iisdem immorabimur. Etsi enim sint res haud exigui usus, tamen cum nihil in his addamus de nostro, sed tantum *formulas* nudas, ex Demosthene, aut Cicerone, aut alio quopiam selecto Auctore describamus; inferius quiddam videntur, quam ut in eo tempus teramus.

Exempla *Formularum minorum.*

Conclusio Deliberativæ.

Sic & culpam præteritam fas erit redimere, & futuris incommodis eadem opera prospicere.

Partitionis accuratæ Corollarium.

Vt omnes intelligant, nihil me & subterfugere voluisse reticendo, aut obscurare dicendo.

Transitio cum Monito.

Verum hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes & respectantes, relinquamus.

Præoccupatio contra opinionem inveteratam.

Faciam, ut intelligatis in tota causa, quidres ipsa tulerit, quiderror affinxerit, quid invidia conflaverit.

Hæc pauca enumerasse, ad Exempla, satisfuerit: cum quibus *Appendices Rhetoricæ*, quæ ad *Promptuariam* spectant, concludimus.

Contra.

Ex omnibus verbis eliciendus est sensus, qui interpretetur singula.

Pessima tyrannis lex in equuleo.

Contra.

Si testibus credendum sit contra argumenta, sufficit, tantum judicem esse, non surdum.

Argumenta antidotum contra venena testimoniorum.

Iis probationibus tutissimè creditur, quæ rarissime mentiuntur.

Cap. IV.

Appendices generales duæ Traditivæ: Critica; & Pædagogica.

Supersunt duæ appendices *Traditivæ* in genere; Altera *Critica*, Altera *Pædagogica*. Sicut enim pars *Traditivæ* præcipua in *Scriptione Librorum* consistit, ita pars ejus relativa in *Librorum* versatur *Lectione*: *Lectio* autem, vel Magistrorum ope regitur, vel industria cujusque propria perficitur; Atque huic rei inserviunt *Doctrinæ* illæ, quas diximus, duæ.

Ad *Criticam* spectant, primo *Authorum probatorum limata Correctio, & emendata Editio*; quibus & ipsorum Authorum honor vindicatur, & Studiosis lumen præfertur. Qua tamen in re studiis haud parum detrimenti intulit quorundam hominum diligentia temeraria. *Criticis* enim haud paucis mos est, ubi incidunt in quidpiam, quod non intelligunt, vitium statim in exemplari supponere Veluti in illo loco Taciti: Cum quædam Colonia jus Asyli apud Senatum assereret, narrat Tacitus, non æquis admodum auribus, quæ ab iis proferebantur, fuisse ab Imperatore & Senatu audita: Itaque Legati, causa diffisi, bonam pecuniæ summam Tito Vinio dederunt, ut eis patrocinaretur. Hoc itaq; pacto res obtinuit: *Tum* (inquit Tacitus) *Dignitas & Antiquitas Coloniæ valuit*: quasi Argumenta, quæ antea levia videbantur, accedente pretio novum tum pondus accepissent. At *Criticus* quidam, non ex infimis, verbum *Tum* expunxit, & *Tantum* reposuit. Atque hac prava *Criticorum* consuetudine factum est, ut (quod non nemo prudenter notavit) *Exemplaria maxime castigata sint sæpenumero minime omnium casta.* Quinimo, ut verum dicamus, nisi *Critici* fuerint eruditi in Scientiis illis, de quibus Libri ab ipsis editi tractant, periculo diligentia eorum non vacat.

Secundo ad *Criticam* spectant, *Authorum Interpretatio & Explicatio, Commentarii, Scholia, Notæ, Spicilegia*, & similia. In istiusmodi autem laboribus, pessimus ille *Criticorum* nonnullos quasi morbus invasit, ut multa ex obscurioribus transiliant, in satis vero perspicuis ad fastidium usque immorentur, & expatientur. Scilicet, non tam illud agitur, ut Author ipse illustretur, quam ut *Criticus* ille multiplicem suam eruditionem, & variã lectionem, ubique arrepta occasione, ostentet. Optandum inprimis foret, (licet hæc res ad Traditivam principalem, non ad appendices pertineat) ut qui Argumenta obscuriora & nobiliora pertractet Scriptor, suas ipse explicationes subjungat; ut

 & tex-

& textus ipse digressionibus aut explicationibus non abrumpatur, & Notæ à Scriptoris mente non recedant. Cujusmodi quidpiam suspicamur de *Theone Euclidis*.

Tertio, ad Criticam spectat, (quod etiam nomen eidem indidit) *de Authoribus, quos edunt, breve aliquod judicium interponere*; & illos cum cæteris Scriptoribus, qui eadem tractant, comparare; ut per hujusmodi censuram studiosi & de librorum delectu moneantur, & ad ipsam lectionem eorum instructiores accedant. Atque hoc ultimum, est *Criticorum* tanquam Cathedra, quam certe nostra ætate obliteraverunt Viri nonnulli magni, majores certe, nostro judicio, quam pro modulo *Criticorum*.

Ad *Pædagogicam* quod attinet, brevissimum foret dictu; *Consule Scholas Iesuitarum*: Nihil enim, quod in usum venit, his melius. Nos tamen pauca more nostro monebimus; tanquam spicas legentes. Omnino *institutionem pueritiæ & juventutis colligatam probamus*; Non in ædibus privatis; Non sub Ludimagistris tantum. Adest adolescentulis in *Collegiis* æmulatio major erga æquales; Adest quoq; ipse vultus & aspectus virorum gravium; quod facit ad verecundiam, & teneros animos etiam à principio conformat ad exemplar: Denique sunt quidem plurima *educationis collegiatæ* commoda. In *ordine* autem & *modo* disciplinæ, illud inprimis consuluerim; ut caveatur à *compendiis*; & à *præcocitate quadam doctrinæ*, quæ ingenia reddat audacula, & magnos profectus potiõ ostentet, quam faciat. Quin & *favendum nonnihil ingeniorum libertati*, ut si quis, quæ ex more disciplinæ sunt, faciat, & simul tempus ac alia, in quæ propensus est, suffuretur, ne utique cohibeatur. Porro operæ pretium fuerit, diligenter animadvertere, (quod fortasse adhuc non fuerit notatum) esse duos *assuefaciendi* & *exercendi* & *præparandi ingenia* modos, eosque tanquam antistrophos. *Alter incipit à faciliorbus* & ad *magis ardua paulatim deducit*; Alter *ab initio duriora imperat & urget*, ut iis obtentis, facilioribus quis etiam suaviter perfundi possit. Alia enim est *Methodus*, incipere saltare cum utribus, qui sublevent; Alia incipere saltare cum calceis ponderosis, qui aggravent. Neq; facile est dictu, quantum *Methodorum* prudens intermixtio conferat ad promovendas, tam animi quam corporis, facultates. Item *applicatio & delectus studiorum*, pro natura ingeniorum quæ erudiuntur, res est singularis & usus & judicii, quam etiam bene & vere notatam & perspectam Magistri parentibus adolescentiam debent; ut de genere vitæ, cui filios suos destinent, consulere possint. Verum, & illud attentius paulo observandum, nõ tantum in iis, ad quæ natura quisque sua fertur, longe maximos fieri profectus; sed etiam ad ea, ad quæ vitio naturæ quis maxime fuerit inhabilis, reperiri in studiis ad hoc proprie delectis, remedia & curationes. Exempli gratia; Si cuipiam ingenium tale sit, quale est avium, ut facile abripiatur, nec per moram (qualem oportet) intentum esse sustineat; Remedium huic rei præbebunt *Mathematica*, in quibus si evagatur paulo mens, de integro renovanda est demõstratio. Etiam *exercitiorum* in erudiendo, partes liquet esse vel maximas. At illud à paucis notatum est, quod *exercitiorum* debeat esse non solum prudens institutio, sed etiam prudens intermissio. Optime siquidem Cicero notavit, *quod in exercitiis plerunque exerceri contingat, non minus vitia, quam facultates*; adeo ut malus habitus, quandoque simul acquiratur, & se insinuet cum bono. Itaq; tutius est, intermittere *exercitia*, & subinde repetere, quam assidue continuare & urgere. Verum de his satis. Sũt certe hæ res primo aspectu minus grandes & sollennes, sed fructuosæ tamen & efficaces. Quemadmodum enim in plantis, ad felicitatem vel infelicitatem ipsarum, plurimum faciunt injuriæ, aut auxilia, quæ iisdem, cum teneræ fuissent, intervenerint; quemadmodum etiam incrementa illa immensa Imperii Romani, merito à quibusdam attribuuntur virtuti & prudentiæ sex illorum Regum, qui eidem in pueritia sua veluti Tutores fuerunt, aut Nutritii: Sic certe cultura & institutio annorum puerilium, aut teneriorum, eas habet vires, licet latentes, & minime in cujusvis observationem incurrentes, quas neq; temporis diuturnitas, neq; laborum assiduitas & contentio, postea, ætate maturiore, possint ullo modo æquiparare. Nõ abs re fuerit etiam, notare, facultates vel mediocres, si in magnos Viros aut res magnas inciderint, graves & insignes interdum producere effectus. Ejus rei ponemus exemplum memorabile; Quod eo magis adducimus, quia Jesuitæ eandem disciplinam non videntur aspernari, sano (ut nobis videtur) judicio. Atque est res, quæ si sit Professoria, infamis est: Verum disciplinaria facta, ex optimis est. Intelligimus autem *Actionem Theatralem*. Quippe quæ memoriam roborat; vocis & pronunciationis tonum atq; efficaciam temperat; Vultum & gestum ad decorum componit, Fiduciam non parvam conciliat, denique oculis hominum juvenes assuefacit. Etit autem exemplum à Tacito desumptum, *Vibuleni* cujusdam, olim Histrionis, tunc temporis autem militãtis in Legionibus Pannonicis. Ille, sub excessu Augusti, seditionem moverat; ita ut Blæsus præfectus aliquos ex seditiosis in carcerem coniiceret. Milites vero impressione facta, illos effractis carceribus liberarunt. At Vibulenus, apud Milites concionabundus, sic orsus est; *Vos* (inquit) *his innocentibus & miserrimis lucem & spiritum reddidistis: Sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit; quem missum ad vos à Germanico exercitu, de communibus commodis, nocte proxima jugulavit per gladiatores suos, quos in exitium Militum habet atq; armat. Responde, Blæse, ubi cadaver abjeceris? Ne hostes quidem sepulturam invident. Cum osculis, cum lachrymis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube, dum interfectos, nullum ob scelus, sed quia utilitati Legionum consulebamus, hi sepeliant.* Quibus verbis invidiæ ac consternationis nimium quantum concivit. Adeo ut, nisi brevi postea innotuisset, nihil horum fuisse, quin etiam fratrem eum nunquam habuisse, vix à Præfecto milites manus abstinuissent: Ille vero rem totam, tanquam fabulam, in scena peregit.

Nunc vero, ad Colophonem pervenimus tractatus nostri, de *doctrinis rationalibus*. In quibus licet à *partitionibus* receptis interdum recesserimus; nemo tamẽ existimet, nos illas omnes improbare *partitiones*, quibus usi non sumus. Duplex enim nobis imponitur necessitas partitiones mutandi: Una, quia hæc duo, nimirum, res natura proximas in unam classem redigere, & res ad usũ promẽdas

conii-

coniicere in unum cumulum, fine ipso, & intẽtione, sunt omnino diversa. Exempli gratia, Secretarius aliquis Regis aut Reipubl. in musæo chartas suas ita procul dubio distribuit; ut quæ similis sint Naturæ, simul componat, veluti fœdera seorsum, seorsum mandata; literas ab Exteris, literas domesticas, & similia, seorsim omnia. Contra, in scrinio aliquo particulari, illas simul componit, quas licet diversi generis sunt, simul tamen usui fore existimet; Sic nimirum in hoc universali scientiæ Repositorio nobis, pro natura rerum ipsarum, *partitiones* erant instituendæ: cum tamen, si particularis aliqua Scientia fuisset pertractanda, *Partitiones* fuissemus secuti, usui & praxi potius accommodatas. Altera necessitas partitiones mutandi est, quia *Desideratorum* ad Scientias adjectio, & eorum cum reliquis in integrum corpus redactio, etiam, per consequẽtiam, *Scientiarum* ipsarum partitiones transtulit. Nam (demonstrationis gratia) esto, quod artes, quæ habentur, rationem habeant Numeri 15. adjectis autem *Desideratis* Numeri 20. Dico quod partes Numeri 15. non sunt eædem partes, quæ Numeri 20. Nam partes Numeri 15. sunt 3. & 5. Partes vero Numeri 20. sunt 2. 4. 5. & 10. Itaque patet, quod hæc aliter fieri non potuerint. Atque de *Scientiis Logicis* hæc dicta sint.

FRANCISCI BACONIS
DE VERULAMIO,
Vice-Comitis sancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER SEPTIMUS.

Ad Regem suum.

CAP. I.

Partitio Ethicæ, *in* Doctrinam de Exemplari; *&* Georgica animi. *Partitio* Exemplaris; (*scilicet* Boni) *in* Bonum Simplex, *&* Bonum Comparatum. *Partitio* Boni Simplicis, *in* Bonum Individuale, *&* Bonum Communionis.

PErventum est (Rex optime) ad *Ethicam*, quæ *Voluntatem humanam* intuetur & tractat. Voluntatem gubernat recta ratio, seducit bonum apparens; Voluntatis stimuli affectus, ministri organa & motus voluntarii. De hac Salomon, *Ante omnia* (inquit) *custodi, Fili, cor tuum, nam inde procedunt actiones vitæ.* In hujus *Scientiæ* pertractatione, qui de ea scripserunt, perinde mihi fecisse videntur, ac si quis *scribendi artem* tradere pollicitus, pulchra tantum exhibeat *exemplaria*, literarum tam simplicium quam copulatarum; de *calamo* vero *ducendo*, aut modis characteres efformandi, nihil præcipiat: Ita & isti proposuerunt nobis exemplaria bella, & luculẽta, atq; descriptiones sive imagines accuratas, *boni, virtutis, officiorum, felicitatis*, tanquam vera objecta, & scopos voluntatis & appetitus humani: Verum quomodo quis possit optime ad hos scopos (excellentes sane, & bene ab illis positos) collimare, hoc est, quibus institutis animus ad illa assequẽda subigi & componi possit, aut nihil præcipiunt, aut perfunctorie, & minus utiliter. Differamus, quantum libuerit, virtutes morales in animo humano esse habitualiter, non naturaliter: Distinguamus solenniter, inter spiritus generosos, & vulgus ignobile, quod illi rationum momentis, hi præmio aut pœna ducantur: Præcipiamus ingeniose, animum humanum ut rectificetur, instar bacilli, in contrariam partem inclinationis suæ flecti oportere: Aliaque insuper hujusmodi hinc inde spargamus: Longe tamen abest, ut hæc & alia id genus, absentiam rei excusent, quam modo requirimus.

Hujusce neglectus causam haud aliam esse reor, quam latentem illum scopulum, ad quem tot *Scientiæ* naviculæ impingentes, naufragia passæ sunt: Nimirum, quod fastidiant Scriptores versari in rebus vulgatis, & plebe iis, quæ nec satis subtiles sint ad disputandum, nec satis illustres ad ornandum. Sane haud facile quis verbis assequatur, quantam calamitatem attulerit hoc ipsum, quod dicimus: quod homines ingenita superbia, & gloria vana, eas materias tractationum, eosq; modos tractandi sibi delegerint, quæ ingenia ipsorum potius commendent, quam Lectorum utilitatibus inserviant. Optime Seneca, *Nocet illis eloquentia, qui non rerum facit cupiditatem, sed sui*: Siquidem Scripta talia esse debent, ut amores documentorum ipsorum, non doctorum, excitent. Ii igitur recta incedunt via, qui consiliis suis id prædicare possint, quod fecit Demosthenes, atque hac clausula ea concludere, *Quæ si feceritis, non Oratorem duntaxat in præsentia laudabitis, sed vosmet ipsos etiam, non ita multo post, statu rerum vestrarum meliore,* Ego certe, (Rex optime) ut de me ipso, quod res est, loquar; & in iis quæ nunc edo & in iis, quæ in posterum meditor, Dignitatẽ ingenii & nominis mei (si qua sit) sæpius sciens & volens proiicio, dum commodis humanis inserviam: Quique Architectus fortasse in Philosophia & Scientiis esse debeam, etiam Operarius & Bajulus, & quidvis demum fio; cum haud pauca, quæ omnino fieri necesse sit, alii autem ob innatam superbiam subterfugiant, ipse sustineam, & exequar. Verum (ut ad rem redeamus) quod cœpimus dicere, delegerunt sibi Philosophi in *Ethica* massam quandam materiæ splendidam & nitentem, in qua potissimum vel ingenii acumen, vel eloquẽtiæ vigorem venditare possint. Quæ vero Practicam maxime instruunt, quandoquidem tam belle ornati non possint, maxima ex parte omiserunt.

Neq; tamen debuerant Viri tam eximii desperasse de fortuna, simili ei, quam Poëta Virgilius, & sibi spondere ausus, & revera consequutus est; qui non minorem, eloquentiæ, ingenii, & eruditionis, gloriam adeptus est, in explicando observationes agriculturæ, quam Æneæ res gestas Heroicas enarrando,

Nec sum animi dubius, verbis ea vincere, magnum
Quam sit, & angustis his addere rebus honorem.

Certe, si serio hominibus cordi sit, non in otio scribere, quæ per otium legantur, sed revera vitam activam instruere & subornare: *Georgica* ista *animi humani* non minore in pretio apud homines haberi debebant, quam Heroicæ illæ effigies *virtutis, boni, & felicitatis*, in quibus tam operose est insudatum.

Partiemur igitur *Ethicam* in doctrinas principales duas; Alteram de *exemplari* sive *imagine boni*, Alteram de *regimine & cultura animi*, quam etiam partem *Georgica animi* appellare consuevimus: Illa *naturam boni* describit, hæc *regulas de animo ad illa conformando* præscribit.

Doctrina de *exemplari* (quæ *boni naturam* intuetur & describit) *bonum* considerat, aut *simplex*, aut *comparatum*; aut *genera* (inquam) *boni*, aut *gradus*. In posteriore horum, disputationes illas infinitas, & speculationes circa *boni supremum gradum*, quem *felicitatem, beatitudinem, summum bonum* vocitarunt, (quæ Ethnicis instar Theologiæ erant) Christiana tandem fides sustulit, & missas fecit. Quemadmodum enim Aristoteles ait, *Adolescentes posse etiam beatos esse, sed non aliter, quam, spe*; eodem modo, à Christiana Fide edocti, debemus nos omnes minorum & adolescentum loco statuere, ut non aliam felicitatem cogitemus, quam quæ in Spe sita est.

Liberati igitur, bonis avibus, ab hac *doctrina*, tanquam de cœlo Ethnicorum; (Qua in parte procul dubio elevationem naturæ humanæ attribuerunt majorem quam cujus illa esset capax: Videmus enim quali Cothurno Seneca; *Vere magnum, habere fragilitatem hominis, securitatē Dei*) Reliqua certe ab illis, circa *doctrinam exemplaris*, tradita, minore aut veritatis aut sobrietatis jactura, magna ex parte recipere possumus. Etenim, quod ad *naturam boni positivi & simplicis* spectat, illam certe pulcherrime, & ad vivum, veluti in tabulis eximiis, depinxerunt; *Virtutum & officiorum figuras, posituras genera, affinitates, partes, subjecta, provincias, actiones, dispensationes*, diligentissime sub oculos repræsentantes. Neque his finis: Nam hæc omnia animo humano, magno quoque argumentorum acumine & vivacitate, & suasionum dulcedine, commendarunt atque insinuarunt: Quin etiam (quantum verbis præstari possit) eadem contra pravos & populares Errores, & insultus, fidelissime muniverunt. Quatenus vero ad *naturam boni comparati*, huic rei etiam nullo modo defuerunt; *In constituendis trinis illis ordinibus bonorum; in collatione vitæ contemplativæ cum activa; in discriminatione virtutis cum reluctatione, & virtutis jam securitatem nactæ, & confirmatæ; in conflictu & pugna honesti & utilis, in virtutum inter se libramine, nimirum cui quæque præponderet*, & similibus. Adeo ut hanc partem de *exemplari*, insigniter excultam jam esse, & Antiquos, in ea re, mirabiles se viros præstitisse, reperiam: Ita tamen, ut Philosophos longo post se intervallo reliquerit, quia & strenua Theologorum diligentia, in *officiis, & virtutibus moralibus, & casibus conscientiæ, & peccati circumscriptionibus* pensitandis & determinandis, exercitata.

Nihilo secius (ut ad Philosophos redeamus) si illi (antequam ad populares & receptas notiones, *virtutis, vitii, doloris, voluptatis*, & cæterorum, se applicassent) supersedissent paulisper, & radices ipsas boni & mali, & radicum illarum fibras indagassent; ingentem, meo judicio lucem illis omnibus, quæ postea in inquisitionem ventura fuissent, affudissent: Ante omnia, si *naturam rerum* non minus quam *axiomata moralia* consuluissent; *doctrinas* suas minus prolixas, magis autem profundas reddidissent. Quod cum ab illis, aut omnino omissum, aut confuse admodum tractatum fuerit, nos breviter retractabimus; & *fontes* ipsos *rerum morularum* aperire & purgare conabimur, antequam ad *doctrinam* de *cultura animi*, quam ponimus, ut *Desideratam*, perveniamus. Hoc enim (ut arbitramur) *doctrinam de exemplari* novis quodammodo viribus donabit.

Inditus est atque impressus unicuique rei appetitus, ad duplicem *naturam boni*; Alteram, qua *res totum quiddam est in se ipsa*: Alterā, qua est *pars totius alicujus majoris*. Atque posterior hæc illa altera dignior est, & potentior, cum tendat ad conservationem *formæ amplioris*. Nominetur prima, *bonum individuale, sive suitatis*: posterior, *bonum cōmunionis*. Ferrum Symphatia particulari fertur ad magnetem: at si paulo ponderosius fuerit, Amores illos deserit, & tanquam Bonus civis & amator patriæ, terram petit, regionem scilicet connaturalium suorum. Ulterius paulo pergamus; Corpora densa & gravia terram petunt, congregationem magnam corporum densorum: Attamen, potius quam natura rerum divulsionem patiatur, & detur (ut loquuntur) *vacuum*, corpora hujusmodi in sursum ferentur, & cessabunt ab officio suo erga *terram*, ut præstent officium suum *Mundo* ipsi debitum. Ita quasi perpetuo obtinet, ut Conservatio *Formæ* magis *Communis* minores Appetitus in ordinem redigat. At Prærogativa ista *Boni Communionis* signatur præcipue in homine, si non degeneraverit, juxta memorabile illud Pompeji Magni dictum; Qui, quo tempore Romam fames premeret, annonæ importandæ præpositus, vehementissime autem ab amicis interpellatus, ne Mari, atroce tempestate ingruente, se committeret, illud tantum respondit, *Necesse est, ut eam; non, ut vivam*: Adeo ut vitæ desiderium (quod in individuo maximum est) amori & fidei in Rempubl. apud eum non præponderaret. Sed quid moramur? Nulla, omnibus seculis, reperta est vel Philosophia, vel Secta, vel Religio, vel Lex, aut Disciplina, quæ in tantum communionis bonum exaltavit, *Bonum*, vero *individuale* depressit, quantum *Sancta Fides Christiana*: unde liquido pateat, unum eundemque *Deum* fuisse, qui creaturis Leges illas naturæ, hominibus vero Legem Christianam dedisset. Propterea legimus, nonnullos ex Electis & Sanctis Viris, optasse se potius erasos ex *Libro Vitæ*, quam ut salus ad fratres suos non perveniret; Ecstasi quadam charitatis, & impotenti desiderio *boni communionis* incitatos.

Hoc positum, ita ut immotum maneat & inconcussum, nonnullis ex gravissimis in *Morali Philosophia* controversiis finem imponit. Primo enim *Quæstionem* illam determinat; de *vita cōtemplativa activæ præferenda*; idque contra sententiam Aristotelis. Omnes siquidem rationes, quæ ab illo pro *contemplativa* afferuntur, *bonum privatum* respiciunt, atque *individui* tantum ipsius voluptatem, aut dignitatem, quibus in rebus *contemplativa* palmam haud dubie reportat. Etenim *contemplativa*

plativa non abſimilis eſt comparationi, qua uſus Pythagoras, ut Philoſophiæ & contemplationi honorem ac decus aſſereret. Qui ab Hierone, quiſnam eſſet, interrogatus, reſpondit? *Hieronem non latere, (ſi forte unquam Olympicis certaminibus interfuiſſet) idibi loci contingere, ut veniant eo Alii fortunæ ſuæ in agonibus periculum facturi: Alii vero, ut mercatores, ad merces diſtrahendas: Alii ut amicos undique confluentes convenirent, & epulis ac hilaritati indulgerent: Alii denique ut cæterorum eſſent ſpectatores. Se autem unum eſſe ex illis, qui ſpectandi gratia venerit.* Verum homines noſſe debent, in hoc humanæ vitæ theatro, Deo & Angelis ſolum convenire, ut *Spectatores* ſint. Neque ſane fieri potuit, ut hac de re dubitatio in Eccleſia unquam ſuſcitaretur: (utcunq; plurimis in ore fuerit dictum illud, *pretioſa in oculis Domini mors Sanctorum ejus*: Ex quo loco mortem illam civilem & inſtituta vitæ monaſticæ & regularis attollere ſolebant:) niſi illud etiam una ſubeſſet, quod vita illa monaſtica mere contemplativa non ſit, verum plane in officiis Eccleſiaſticis verſetur; Qualia ſunt jugis oratio, & votorum ſacrificia, Deo oblata: Librorum item Theologicorum, multo in otio, conſcriptio, ad Legis Divinæ doctrinam propagandam: Quemadmodum & Moſes fecit, cum per tot dies in mõtis ſeceſſu moratus eſſet. Quin etiam Henoch, *ab Adamo Septimus*, qui videtur fuiſſe princeps *Vitæ contemplativæ*, (etenim *cum Deo ambulaſſe* perhibetur) nihilominus Eccleſiam *Prophetiæ Libro* (qui etiam à Sancto Juda citatur) dotavit. *Contemplativam* vero quod attinet meram, & in ſe ipſa terminatam, quæque radios nullos, ſive caloris, ſive luminis, in ſocietatem humanam diffundat, neſcit eam certe Theologia.

Determinat etiam quæſtionem, tanta contentione agitatam, inter *Scholas Zenonis* & *Socratis* ex una parte, qui felicitatem in virtute, aut ſola, aut adornata, (cujus ſemper in officiis vitæ partes potiſſimæ) collocarunt: & reliquas complures Sectas & Scholas, ex altera parte: veluti *Scholas Cyrenaicorum & Epicuræorum*: qui eam in voluptate conſtituerunt, Virtutem autem (ſicut fit in Comœdiis aliquibus, ubi Hera cum famula veſtem mutat) plane ancillam ſtatuerunt: utpote ſine qua voluptati commode miniſtrari non poſſet: nec minus illam alteram *Epicuri Scholam*, quaſi *reformatam*; quæ felicitatem nihil aliud eſſe prædicabat, quam animi tranquillitatem & ſerenitatem, à perturbationibus liberi, & vacui; ac ſi Jovem de ſolio deturbare vellent, & Saturnum cum aureo ſeculo reducere, quando neque æſtas nec bruma fuiſſent, nec ver, nec autumnus, ſed una & æquabilis aëris temperies: denique & illam explosam *Pyrrhonis & Herilli Scholam*, qui ſitam autumaverunt felicitatem in ſcrupulis quibuſque animi prorſus eliminandis, nullam ſtatuentes fixam & conſtantem boni aut mali naturam, ſed actiones pro bonis aut malis habentes, prout ex animo, motu puro & irrefracto, aut contra, cum averſatione & reluctatione, prodirent; quæ tamen opinio in *Hæreſi Anabaptiſtarum* revixit, qui cuncta metiebantur juxta motus inſtinctus Spiritus, & conſtantiam vel vacillationem fidei. Liquet autem, iſta, quæ recenſuimus, omnia ad privatam animorum tranquillitatem, & complacentiam, nullo modo autem ad *bonũ communionis*, ſpectare.

Porro redarguit etiam *Philoſophiam Epicteti*, qui hoc utitur præſuppoſito; Felicitatem in iis poni debere, quæ in poteſtate noſtra ſunt, ne ſcilicet fortunæ & caſibus ſimus obnoxii; quaſi vero non multo fuerit felicius, in rectis & generoſis intentionibus, & finibus, qui publicum bonum amplectantur, ſucceſſu deſtitui, & fruſtrari, quam in omnibus, quæ ad privatam tantum fortunam noſtram referuntur, Voti perpetuo competes fieri! Sicut Conſalvus, Neapolim digito Militibus indicans, generoſa voce teſtatus eſt, *Multo ſibi optatius fore, unum pedem promovendo, ad interitum certum ruere, quam unius pedis receſſu vitam in multos annos producere.* Cui etiam concinit cœleſtis Dux & Imperator, qui pronunciavit, *Conſcientiam bonam juge eſſe Convivium*; Quibus verbis aperte ſignificat, mentem bonarum intentionum ſibi conſciam, utcunque ſucceſſu careat, verius & purius, & naturæ magis conſentaneum præbere gaudium, quam univerſum illum apparatum, quo inſtrui poſſit homo, vel ut deſideriis ſuis fruatur, vel ut animo conquieſcat.

Redarguit itidem, *Philoſophiæ abuſum illum*, circa Epicteti tempora graſſari cœptum: Nempe quod Philoſophia verſa fuerit in genus quoddam vitæ Profeſſorium, & tanquam in Artem; Quaſi ſcilicet inſtitutum Philoſophiæ eſſet, non ut perturbationes compeſcerentur & extinguerentur; ſed ut cauſæ & occaſiones ipſarum evitarentur & ſummoverentur: Ideoq; particularis quædam vitæ ratio ad hoc obtinendum ineunda eſſet: introducentio ſane, tale genus ſanitatis in animum, quale fuit Herodici in corpore: cujus meminit Ariſtoteles; illum ſcilicet nihil aliud per totam vitam egiſſe; quam ut valetudinem curaret; & proinde ab infinitis rebus abſtineret, corporis interim uſu quaſi multatus. Ubi ſi hominibus officia ſocietatis conſectari cordi ſit, illa demum valetudo maxime eſt expetenda, quæ quaslibet mutationes & impetus quoſcunque ferre & vincere queat. Eodem modo & animus ille demum vere & proprie ſanus & validus cenſendus eſt, qui per plurimas & maximas tentationes & perturbationes perrumpere poteſt. Ita ut optime Diogenes diXiſſe viſus ſit; qui eas vires animi laudarit, *quæ non ad cautę abſtinendum, ſed ad fortiter ſuſtinendum valerent*; quæque animi impetum, etiam in maximis præcipitiis, cohibere poſſint; quæque (id quod in equis bene ſubactis laudatur) præſtent, ut breviſſimo ſpatio, & ſiſtere ſe, & vertere poſſint.

Poſtremo, redarguit idem *teneritudinem quandam ineptitudinem ad morigerandum*, in nonnullis ex antiquiſſimis Philoſophis, & maxime in veneratione habitis, notam: Qui nimis facile ſe à rebus civilibus ſubduxerint, ut indignitatibus & perturbationibus ſe exuerent, atque magis, ſua opinione, illibati, & tanquam Sacroſancti, viverent: Ubi conſentaneum eſſet, conſtantiam hominis vere Moralis talem fore, qualem idem Conſalvus in homine militari requirebat: Nimirum ut honor ejus contexeretur tanquam è *tela craſſiore*; minimeque tam tenui, ut quidvis illud vellicare & lacerare poſſit.

CAP. II.

Partitio Boni individualis, *vel* Suitatis, *in* Bonum Activũ, & Bonum Paſſivum. *Partitio* Boni Paſſivi, *in* Bonum Conſervativum, & Bonum perfectivum. *Partitio* Boni Communionis *in* Officia Generalia, & Reſpectiva.

REpetamus igitur jam, & persequamur primum *bonum individuale*, & *suitatis*. Illud partiemur in *bonum activum*, & *bonum passivum*. Etenim hæc quoque differentia *boni* (non absimilis certe illis appellationibus, quæ Romanis in Oeconomicis erant familiares, *Promi* scilicet, & *Condi*) in universa rerum natura impressa reperitur: Præcipue autem se prodit in duplici rerum creatarum appetitu: altero, se *conservandi* & *muniendi*: altero, se *multiplicandi* & *propagandi*: Atque hic posterior, qui *activus* est, & veluti *Promus*, potentior videtur & dignior: Ille autem prior, qui *passivus* est, & veluti *Condus*, inferior censeri potest. Etenim in universitate rerum natura cœlestis præcipue *agens* est; at natura terrestris, *Patiens*. Etiam in delectationibus animantium, major voluptas est generandi, quam pascendi. In oraculis quoque Divinis pronunciatur, *Beatius esse dare, quam accipere*. Quin & in vita communi, nemo invenitur ingenio tam molli & effœminato, quin pluris faciat, aliquid, quod ei in votis erat, perficere, & ad exitum perducere, quam sensualitatem aliquam, aut delectamentum. Atque ista quidem *boni activi* præeminentia in immensum exaltatur, ex intuitu conditionis humanæ, quod sit & mortalis, & fortunæ ictibus exposita. Nam si in voluptatibus hominum posset obtineri perpetuitas atque certitudo, magnum pretium eis accederet, propter securitatem & moram. Quandoquidem autem rem videmus huc recidere; *Magni æstimamus mori tardius: &, Ne glorieris de crastino; nescis partum diei*: mirum minime est, si contentione feramur ad ea, quæ temporis injurias non reformident. Ea vero nulla esse possunt, præter opera nostra: sicut dicitur, *Opera eorum sequuntur eos*. Est & altera præeminentia *boni activi* haud exigua, indita & sustentata ex eo affectu, qui humanæ naturæ, ut comes individuus lateri adhæret: Amor scilicet novitatis, aut varietatis. Ille vero in sensuum voluptatibus (quæ *boni passivi* pars sunt vel maxima) angustus admodum est, nec latitudinē habet aliquam insignem: *Cogita quamdiu eadem feceris; Cibus, somnus, ludus; per hunc circulum curritur. Mori velle, non tantum fortis; aut miser, aut prudens, sed etiam fastidiosus potest*. At in actis vitæ nostræ, & institutis, & ambitionibus, insignis est varietas; Eaque multa cum voluptate percipitur, dum inchoamus, progredimur, interquiescimus, regredimur, ut vires augeamus, appropinquamus, deniq; obtinemus, & hujusmodi; Ut vere admodum dictum sit, *Vita sine proposito, languida & vaga est*. Quod simul & prudentibus & stultissimis competit, ut ait Salomon; *Pro desiderio quærit cerebrosus, omnibus immiscet se*. Quin etiam videmus, Reges potentissimos, ad quorum nutum, quæcunque sensibus grata sunt, parari possent, nihilominus procurasse sibi interdum desideria humilia & inania (quemadmodum Cithara fuit Neroni, *Gladiatoria Commodo*, *Antonino Aurigatio*; & alia aliis) quæ tamen ipsis fuerint omni affluentia voluptatum sensualium potiora. Tanto voluptatem majorem affert ut aliquid agamus, quam ut fruamur.

Illud interim paulo attentius notandum est, *bonum activum, individuale*, *à bono communionis* prorsus differre; quanquam nonnunquam ambo coincidant. Quamvis enim *bonum istud individuale, activum*, sæpe opera beneficentiæ (quæ ex *virtutibus communionis* est) pariat & producat; illud tamen interest, quod illa opera ab hominibus plurimi fiant, non animo alios juvandi, aut beandi, sed plane propter se atque potentiam & amplitudinem propriam. Id quod optime cernitur, quando *bonum activum* in aliquid impingit, quod sit *bono communionis* contrarium. Siquidem Gigantea illa animi conditio, qua abripiuntur magni isti orbis terrarum perturbatores; (qualis fuit L. Sylla, & plurimi alii, (licet in modulo longe minore) qui videntur ad hoc anhelare, ut omnes felices & ærumnosi sint, prout sibi fuerint amici, vel inimici; atque ut mundus tanquam ipsorum præferat imaginem: (quæ vera est *Theomathia*,) hæc inquam ipsa aspirat ad *bonum activum*, individuale, saltem *apparens*, etsi à bono *communionis* omnium maxime recedat.

At *bonum Passivum* partiemur, in *Bonum Conservativum*; & *Bonum perfectivum*. Etenim inditus est unicuiq; rei triplex appetitus, quatenus ad *Bonum Suitatis, sive individui*. Primus, ut se *conservet*: Secundus, ut se *perficiat*. Tertius, ut se *multiplicet*, sive *diffundat*. Atque hic postremas appetitus ad *bonum activum* refertur, de quo jam modo diximus, *bona*. Ex quibus præcellit *perfectivum*. Minus enim quiddam est, conservare rem in suo statu: Majus vero, eandem ad naturam sublimiorem evehere. Reperiuntur siquidem per res universas, naturæ aliquæ nobiliores, ad quarum dignitatem & excellentiam, naturæ inferiores aspirant, veluti ad origines & fontes suos. Sic de hominibus non male cecinit ille.

Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

Homini enim, assumptio aut approximatio ad Divinam aut Angelicam naturam, est formæ suæ perfectio. Cujus, quidem *boni perfectivi* prava & præposterta imitatio, pestis est ipsa vitæ humanæ, & turbo quidam rapidus, qui omnia abripit, & subvertit. Nimirum, dum homines, exaltationis vice formalis atque essentialis, cœca ambitione advolant ad exaltationem tantummodo localem. Quemadmodum enim ægri, remedium mali sui non invenientes, de loco in locum corpus agitant & volvunt; quasi mutatione loci à se ipsis abscedere, & internum malum effugere possint: Eodem modo evenit in ambitione, ut homines, simulachro quodam falso naturæ suæ exaltandæ abrepti, nihil aliud adipiscantur, quam loci quandam celsitudinem & fastigium.

Bonum vero *conservativum* nihil aliud est, quam *receptio & fruitio rerum naturæ nostræ congruentium*. Hoc vero *bonum*, licet maxime sit simplex, & nativum; tamen ex *bonis* videtur mollissimum atque infimum. Quin & hoc ipsum *Bonum* recipit differentiam nonnullam, circa quam partim vacillavit judicium hominum, partim omissa est inquisitio. *Boni* siquidem *fruitionis*, sive, quod vulgo dicitur, *jucundi* dignitas, & commendatio, aut in *sinceritate fruitionis* sita est, aut in ejusdem *vigore*: Quorum alterum inducit & præstat *æqualitas*, alterum autem *varietas* & *vicissitudo*: Alterum minorem habet mixturam mali, alterum impressionem magis fortem & vividam *boni*. Cæterum, horum utrum melius, *ambigitur*: Dein, num natura humana utramque simul apud se retinere possit, *non inquiritur*.

Atque

Atque quantum ad id, de quo *ambigitur*, ventilari cœpit illa controversia inter Socratem & Sophistam quendam. Ac Socrates quidem asserebat, *felicitatem sitam esse in animi pace constante, & tranquillitate*; Sophista vero in hoc, *Vt quis multum appetat, & multum fruatur.* Quin & ab argumentis delapsi sunt ad convitia; Dicente Sophista, *Felicitatem Socratis, stipitis vel lapidis esse felicitatem*; è contra Socrate, *Sophistæ felicitatem esse scabiosi, qui perpetuo pruriret, & scalperet.* Neq; tamen desunt utiq; sententiæ suæ firmamenta. Nam *Socrati* assentitur vel *Epicuri Schola* ipsa, quæ virtutis, ad felicitatem, partes esse maximas, non diffitebatur. Quod si ita sit, certo certius est, virtutis majorem usum in perturbationibus sedandis, quam rebus cupitis adipiscendis. *Sophistæ* autem nonnihil suffragari videtur *assertio* illa, cujus à nobis mentio modo facta est, quod videlicet *bonum perfectivum bono conservativo sit superius*; quippe quia cupitarum rerum adeptiones naturam videantur sensim perficere: quod licet vere non faciant, tamen & motus ipse in circulo, speciem nonnullam præ se fert *motus progressivi.*

At secunda *quæstio*, (*Num* scilicet *natura humana non possit & animi tranquillitatem, & fruendi vigorem, simul retinere?*) rite diffinita, priorē illam reddit otiosam & supervacaneam. Annon enim videmus, haud raro animos nonnullorum ita factos & compositos, ut voluptatibus afficiantur vel maxime cum adsint, & tamen earum jacturam non gravate ferant? Ita ut series illa Philosophica, *Non uti, ut non appetas*; *Non appetere, ut non metuas*, videatur esse pusilli cujusdam animi, & diffidentis. Sane *Doctrinæ* pleræq; Philosophorum videntur paulo timidiores, & cavere hominibus, plus quam natura rerum postulat. Veluti, cum mortis formidinem medendo augent. Etenim, cum nihil aliud fere vitam humanam faciant, quam mortis quandam præparationem & disciplinam, quomodo fieri possit, ut ille hostis mirum in modum non videatur terribilis, contra quem muniendi nullus sit finis? Melius Poëta, (inter Ethnicos;)

Qui finem vitæ extremum inter munera ponit
Naturæ. ———

Similiter & in omnibus annisi sunt Philosophi, animum humanum reddere nimis uniformem & harmonicum: eum motibus contrariis & extremis minime assuefaciendo. Cujus causam arbitror fuisse, quod ipsi vitæ se privatæ dedicarunt, à negotiis & aliorum obsequiis immuni & liberæ. Quin potius imitentur homines prudentiam geminatiorum, qui, si forte in gemma inveniatur nubecula aliqua, aut glaciecula, quæ ita posset eximi, ut magnitudini lapidis non nimium detrahatur, eam tollunt; aliter vero intactam eam relinquunt: Pari ratione, serenitati animorum ita consulendum est, ut non destruatur magnanimitas. Atque de *bono individuali* hactenus.

Postquam igitur de *bono suitatis* (quod etiam *particulare privatum*, *individuale*, appellare solemus) jam dixerimus; repetamus *bonum communionis*, quod *societatem* intuetur. Istud nomine *officii* magis proprie attribuitur animo bene disposito erga alios: vocabulū *virtutis* animo intra se recte formato & composito. Verum ista pars, primo intuitu, *Scientiæ civili* deberi videtur: Attamen, si diligentius attendas, non ita: Siquidem tractat regimen & imperium uniuscujusque in se ipsum, neutiquam vero in alios. Atque sicut in architectura, alia res est, postes, trabes, & cæteras ædificii partes efformare, & ad ædificandi usum præparare; alia autem, easdem ad invicem aptare & compaginare: Sicut etiam in mechanicis, instrumentum aut machinam fabricare & conficere, non idem est, quod fabricatum erigere, movere, & in opere ponere: Sic *doctrina* de *conjugatione ipsa hominum in civitate*, sive *societate*, differt ab ea, quæ eos reddit ad hujusmodi *Societatis* commoda conformes, & bene affectos.

Ista *pars de officiis*, etiam in duas portiones distribuitur; quarum altera tractat de *officio hominis in communi*; altera de *officiis specialibus & respectivis*, pro singulorum professione, vocatione, statu, persona & gradu. Harum primam, satis excultam, diligenterq; à veteribus & aliis explicatam, jam antea retulimus: Alteram quoq; sparsim quidem tractatam, licet non in corpus aliquod integrum Scientiæ digestam, reperimus. Neq; tamen hoc ipsum, quod sparsim tractetur, reprehendimus; quinimo de hoc argumento per partes scribi longe consultius existimamus. Quis enim tanta fuerit vel perspicacia, vel confidentia, ut de *officiis peculiaribus & relativis*, singulorum ordinum & conditionum, perite & ad vivum disceptare & diffinire possit, aut sustineat? Tractatus autem, qui experientiam non sapiunt, sed ex notitia rerū generali & Scholastica tantummodo deprompti sunt de rebus hujusmodi, inanes plerumq; evadunt & inutiles. Quamvis enim aliquando contingat, spectatorem ea animadvertere, quæ lusorem fugiant, atq; jactetur proverbium quoddam magis audaculum, quam sanū, de censura vulgi circa actiones principum, *stantem in valle optime perlustrare montem*; optandum tamen inprimis esset, ut non nisi expertissimus & versatissimus quisq; se hujusmodi argumentis immisceret. Hominum enim speculativorum, in materiis activis, lucubrationes, iis, qui in agendo fuerint exercitati, nihilo meliores videntur, quam dissertationes Phormionis de bellis æstimatæ sunt ab Hannibale, qui eas habuit pro somniis & deliriis. Unum duntaxat vitium illos occupat, qui de rebus, ad suum munus, aut artem pertinentibus, libros conscribunt; quod scilicet in illis ipsis *Spartis* suis ornandis, atque attollendis, modum tenere nesciant.

In hoc genere Librorum, piaculum foret, non meminisse (honoris causa) excellentissimi illius operis, à Majestate tua elucubrati, *De Officio Regis.* Scriptum enim hoc plurimos intra se cumulavit ac recondidit Thesauros, tam conspicuos, quam occultos, *Theologiæ*, *Ethicæ*, & *Politicæ*; insigni cum aspersione aliarum artium: Estq; meo judicio, inter Scripta, quæ mihi perlegere contigerit, præcipue sanum & solidum. Non illud ullo loco, aut inventionis fervore æstuat, aut indulgentiæ frigore torpet aut dormitat: Non vertigine aliquando corripitur, unde in ordine suo servando cōfundatur aut excidat: Non digressionibus distrahitur, ut illa, quæ nihil ad rhombum sunt, expatiatione aliqua flexuosa complectatur: Non odoramentorum aut pigmentorum sucis adulteratur; qualibus illi utūtur, qui Lectorū potius delectationi, quam argumēti naturę inserviunt: Ante omnia vero, spiritu valet istud opus, non minus, quam corpore, utpote

quod & cum veritate optime consentiat, & ad usum sit accommodatissimum. Quin etiam vitio illo, de quo paulo ante diximus, (quod, si in alio quopiam, in Rege certe, & Scripto de Majestate Regia, tolerandum fuerit) omnino caret: Nempe, quod culmen & fastigium Regum non immodice aut invidiose extollat: siquidem Majestas tua Regem non depinxit aliquem, *Assyriæ* aut *Persiæ*, gloria & externo fastu nitentem, & corruscantem: sed vere *Mosem*, aut *Davidem*, Pastores scilicet Populi sui. Neque vero mihi unquam memoria excidet dictum quoddam vere regium, quod in lite gravissima terminanda, Majestas tua, pro sacro illo, quo prædtius es, Spiritu, ad populos regendos pronunciavit; Nimirum, *Reges juxta Leges Regnorum suorum gubernacula tractare, quemadmodum & Deus juxta Leges Naturæ: & æque raro prærogativam illam suam, quæ Leges transcendit, ab illis usurpandam, ac à Deo videmus usurpari potestatem Miracula patrandi.* Nihilo tamen secius, ex Libro illo altero, à Majestate tua conscripto de *Libera Monarchia*, satis omnibus innotescit, non minus Majestati tuæ cognitam esse & perspectam plenitudinem potestatis Regiæ, atque *Ultimitates* (ut Scholastici loquuntur) Jurium Regalium, quam Officii & Muneris Regii Limites & Cancellos. Non dubitavi igitur in medium adducere Librum illum à Majestatis tuæ calamo exaratum, tanquam exemplum primarium & maxime illustre, *Tractatuum de peculiaribus & respectivis officiis.* Quo de Libro, quæ à me jam dicta sunt, dixissem profecto, si ante Annos mille à Rege quopiam conscriptus fuisset. Neque vero movet Decorum illud, quod vulgo præscribitur, ne quis coram laudetur: modo Laudes illæ nec modum excedant, nec intempestive, aut nulla data occasione, tribuantur. Cicero certe, in luculentissima illa Oratione sua pro M. Marcello, nihil aliud agit, quam ut exhibeat tabulam quandam, singulari artificio depictam, de Laudibus Cæsaris, licet coram ipso Oratio illa haberetur. Quod & Plinius secundus erga Trajanum. Itaque jam ad propositum revertamur.

Pertinet porro ad hanc *partem de officiis respectivis vocationum, & professionum singularum*, *doctrina* alia, tanquam priori relativa, sive opposita; nimirum de *fraudibus, cautelis, imposturis*, & *vitiis* ipsarum: Siquidem depravationes & vitia officiis & virtutibus opponuntur. Neque omnino de his, in plurimis Scriptis & Tractatibus, siletur: sed sæpe, ad illa notanda, saltem obiter excurritur. At quo tandem modo? Per Satyram scilicet, & Cynice (more Luciani) potius, quam serio & graviter. Etenim, plus operæ impenditur, ut pleraque in artibus, etiam utilia & sana, maligno dente vellicentur, & ad ludibrium hominibus exponantur, quam ut, quæ in iisdem corrupta sunt & vitiosa, secernantur à salubribus & incorruptis. At optime Salomon: *Quærenti derisori scientiam, ipsa se abscondit, sed studioso sit obviam.* Quicunque enim ad scientiam accedit animo irridendi & aspernandi, inveniet proculdubio quæ cavilletur plurima; ex quibus vero doctior fiat, perpauca. Verum, Tractatio hujus, de quo loquimur, argumenti, gravis & prudens, atq; cum integritate quadam & sinceritate conjuncta, inter munitissima virtutis ac probitatis propugnacula videtur numeranda. Nam sicut fabulose perhibetur de *Basilisco*, si primus quēpiam conspexerit, illico hominem perimit; si quis illum prior, Basiliscus perit: pari ratione, fraudes, imposturæ, & malæ artes, si quis eas prior detexerit, nocendi facultate privantur; quod si illæ prævenerint, tum vero, non alias, periculum creant. Est itaq; quod gratias agamus *Machiavello*, & hujusmodi Scriptoribus, qui aperte & indissimulanter proferunt, quid homines facere soleant, non quid debeant. Fieri enim nullo modo potest, ut conjungatur *serpentina* illa *prudentia* cum *innocentia columbina*, nisi quis mali ipsius naturam penitus pernoscat. Absq; hoc enim deerunt virtuti sua præsidia & munimenta. Imo, neq; ullo modo possit vir bonus & probus malos & improbos corrigere & emendare, nisi ipse prius omnia malitiæ latibula & profunda exploraverit. Etenim, qui judicio plane corrupto sunt, & depravato, hoc habent, ut præsupponant, Honestatem in hominibus ab insicitia & simplicitate quadam morum oriri, atq; ab eo tantum, quod fides habeatur Concionatoribus, & Pædagogis, item libris, præceptis moralibus, & iis, qui vulgo prædicantur & decantantur, sermonibus: Adeo ut, nisi plane perspiciant, opiniones suas pravas, ac corrupta & detorta principia, non minus illis qui hortantur & admonent, quam sibi ipsis, esse explorata, & cognita, Probitatem omnem morum & consiliorum aspernentur: Juxta Oraculum illud Salomonis mirabile: *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus.* Hanc autem partem, de *cautelis*, & *vitiis respectivis*, inter *Desiderata* numeramus; eamque nomine *Satyræ seriæ*, sive *Tractatus de interioribus rerum*, appellabimus.

Etiam ad *doctrinam de officiis respectivis* pertinent *officia mutua*, inter maritum & uxorem, parentes & liberos, dominum & servum: Similiter leges amicitiæ, & gratitudinis: Nec non civiles obligationes fraternitatum, collegiorum, etiam vicinitatis; ac similium: Verum intelligatur hoc semper, illa istic tractari, non quatenus sunt partes *societatis civilis*, (id enim ad *Politicam* refertur,) sed quatenus animi singulorum, ad illa *societatis vincula* tuenda, instrui & prædisponi debeant.

At *doctrina de bono communionis* (quemadmodum & illa de *individuali*) *bonum* tractat, non tantum simpliciter, sed & comparate? Quo spectat, officia perpendere, inter hominem & hominem; inter casum & casum; inter privata & publica, inter tempus præsens & futurum. Sicut videre est in animadversione illa severa & atroci L. Bruti, contra filios suos, illam à plerisque in cœlum laudibus efferri; At alius quispiam dixit;

Infelix utcunque ferent ea fata minores.

Id ipsum licet intueri in cœna illa, ad quam invitati sunt M. Brutus, C. Cassius, & alii. Illic enim, cum ad animos explorandos, circa conspirationem in caput Cæsaris intentatam, Quæstio astute mota esset, (*Tum licitum foret Tyrannum occidere?*) Ibant Convivæ in opiniones diversas; Dum alii dicerent, plane licere, *Quod Servitus ultimum esset malorum*: Alii minimè, *Quod Tyrannis minus exitialis esset, quam bellum civile.* Tertium autem genus, veluti ex Schola Epicuri, asserebat, *Indignum esse, prudentes periclitari pro stultis.* Verum plurimi sunt casus de *officiis comparatis*, inter quos frequēter ille interveniet; *Virum à Justitia deflectendum sit,*

sit, propter salutem Patriæ, aut hujusmodi aliquod insigne bonum in futuro? Circa quam Jason Thessalus dicere solebat: *Aliqua sunt injuste facienda, ut multa juste fieri possint*: Verum replicatio in promptu est: *Authorem præsentis Iustitiæ habes: Sponsorem futuræ non habes.* Sequantur homines, quæ in præsentia bona & justa sunt; futura divinæ Providentiæ remittentes. Atque circa *doctrinam de Exemplari*, sive de *bono*, hæc dicta sint.

CAP. III.

Partitio Doctrinæ de Cultura Animi; *in* Doctrinam de Characteribus Animorum; De Affectibus & de Remediis *sive* Curationibus. *Appendix* Doctrinæ *ejusdem de* Congruitate inter Bonum Animi, & Bonum Corporis.

NUnc igitur, postquam de *fructu vitæ* (sensu intelligimus Philosophico) verba fecerimus; superest, ut de *Cultura animi*, quæ ei debetur, dicamus: Sine qua pars prior nihil aliud videtur, quam imago quædam, aut statua, pulchra quidem aspectu, sed motu & vita destituta. Cui sententiæ Aristoteles ipse disertis verbis suffragatur: *Necesse est igitur de virtute dicere, & quid sit, & ex quibus gignatur. Inutile enim fere fuerit, virtutem quidem nosse, acquirendæ autem ejus modos & vias ignorare. Non enim de virtute tantum, qua specie sit, quærendum est, sed & quomodo sui copiam faciat: Utrumq; enim volumus, & rem ipsam nosse, & ejus compotes fieri: Hoc autem ex voto non succedet, nisi sciamus, & ex quibus, & quo modo.* Verbis adeo expressis, atque etiam iterato, hanc partem inculcat, quam tamen ipse nõ persequitur. Hoc similiter illud est, quod Cicero Catoni Juniori, veluti laudem non vulgarem, attribuit; quod scilicet Philosophiam amplexus esset, *nõ disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi.* Quamvis autem, pro temporum, in quibus vivimus, socordia, paucis, curæ sit, ut animum sedulo colant, & componant, & vitæ rationem ad normam aliquam instituant, (secũdum illud Senecæ, *de partibus vitæ quisque deliberat; de summa nemo*: adeo ut hęc pars censeri possit supervacua:) Illud tamen minime nos movet, ut eam intactam relinquamus, quin potius cum illo Hippocratis Aphorismo concludimus, *Qui gravi morbo correpti, dolores non sentiunt, iis mens ægrotat* Medicina illis hominibus opus est, non solum ad curandum morbum, sed ad sensum expergefaciendum. Quod si quis obiiciat, animorum curationem, Theologiæ Sacræ munus esse, verissimũ est quod asserit; Attamen *Philosophum Moralem* in famulitium Theologiæ recipi, instar ancillæ prudentis, & pedissequæ fidelis, quæ ad omnes ejus nutus præsto sit, & ministret, quid prohibeat? Etenim quemadmodum in Psalmo habetur, quod *Oculi ancillæ perpetuo ad manus dominæ respiciunt*: cum tamen minime dubium sit, quin haud pauca ancillæ judicio & curæ relinquantur: eodem modo & *Ethica* obsequium *Theologiæ* omnino præstare debet, ejusque præceptis morigera esse, ita tamen ut & ipsa, intra suos limites, haud pauca sana & utilia documenta continere possit.

Hanc igitur partem (quando præstantiam ejus in animo recolo) in *corpus doctrinæ* nondum redactam, non possum non vehementer mirari. Eam igitur, ex more nostro, cum inter *Desiderata* collocemus, aliqua ex parte adumbrabimus.

Ante omnia igitur in hacre (sicut & in universis, quæ spectant ad Practicam) ratio nobis est subducenda, quid in nostra sit potestate, quid non. In altero enim datur alteratio, in altero vero applicatio tantum. Agricolæ nullum est imperium, aut in naturam soli, aut in aëris temperies; Itidem nec Medico, aut in crasin & constitutionem naturalem ægri, aut in accidentium varietatem. At in *cultura animi*, & morbis ejus persanandis, tria in considerationem veniunt; *Characteres diversi dispositionum; Affectus, & Remedia*: Quemadmodum & in corporibus medicandis proponuntur illa tria; *complexio*, sive *constitutio ægri, morbus & curatio.* Ex illis autem tribus, postremum tãtum in nostra potestate situm est, priora duo non item. Verum & in illis ipsis, quę in potestate nostra non sunt non minus diligens facienda est inquisitio, quam in illis, quæ potestati nostræ subiiciũtur. Etenim illorum perspicax & accurata cognitio substernenda est *doctrinæ de remediis*, ut eadem commodius & felicius applicentur. Neque enim vestis corpori aptari possit, nisi mensura corporis ante excipiatur.

Primus igitur articulus, *doctrinæ* de *cultura animi*; versabitur circa *diversos characteres ingeniorum* sive *dispositionum.* Neque tamen loquimur de vulgatis illis propensionibus in virtutes & vitia, aut etiam in perturbationes, & affectus: sed de magis intrinsecis, & radicalibus. Sane subiit animum, etiam in hac parte nonnunquam admiratio, quod à *Scriptoribus*, tam *Ethicis*, quam *Politicis*, ut plurimum neglecta aut prætermissa sit; cum utrique scientiæ clarissimum luminis jubar affundere possit. In *Traditionibus Astrologiæ* non inscite omnino distincta sunt ingenia, & dispositiones hominum, ex prædominantiis Planetarum; quod alij à Natura facti sint *ad contemplationes*; *alij* ad res *civiles*; alii *ad militiam*; alii *ad ambitũ*; alii *ad amores*; alii *ad artes*; alii *ad genus vitæ varium.* Item apud *Poëtas* (Heroicos, Satyricos, Tragicos, Comicos) spargunturubique simulachra ingeniorum, licet fere cum excessu & præter modum veritatis. Quin & hoc ipsum argumentum, de *diversis characteribus ingeniorum*, est ex iis rebus, in quibus sermones hominum communes (quod valde raro, interdum tamen contingit) libris ipsis sunt prudentiores. At longe optima hujus Tractatus supellex & sylva peti debet ab *Historicis* prudentioribus: Neque tamen ab Elogiis tantum, quæ sub obitum personæ alicujus illustris subnectere solent, sed multo magis ex corpore integro *Historiæ*, quoties hujusmodi persona, veluti Scenam conscendit. Illa enim intertextaimago, potior videtur descriptio, quam Elogij Censura: Qualis habetur apud T. Livium, *Africani*, & *Catonis Majoris*: Apud Tacitum, *Tiberij, Claudij*, & *Neronis*: Apud Herodianum, *Septimij Severi*: Apud Philippum Comineum, *Ludovici undecimi* Gallorum Regis: Apud Franciscum Guicciardinum, *Ferdinandi, Hispani, Maximiliani Cæsaris*, & *Leonis*, & *Clementis*, Pontificum. Isti enim Scriptores, harum Personarum, quas sibi depingendas delegerunt, Effigies quasi perpetuo intuentes, nunquam fere Rerum Gestarum ab ipsis mentionem faciunt, quin & aliquid insuper de Natura ipsorum inspergant. Etiam nonnullæ, in quas incidimus, *relationes de conclavibus Pontificum*, characteres de moribus Cardinalium bonos exhibuerunt: sicut & Literæ Legatorum de Consiliariis Principum. Fiat itaque ex ea, quam diximus, materia (quæ certe fertilis est & copiosa) Tractatus diligens,

diligens, & plenus. Neque vero volumus, ut *characteres* isti in Ethicis (ut fit apud Historicos, & Poëtas, & in sermonibus communibus,) excipiantur, tanquam imagines Civiles integræ: sed potius ut imaginum ipsarum lineæ, & ductus magis simplices, quæ inter se compositæ & commixtæ quascunq; effigies constituunt, quot & quales eæ sint, & quomodo inter se connexæ, & subordinatæ; ut fiat tanquam artificiosa & accurata ingeniorum & animorum dissectio, atq; ut dispositionum, in hominibus individuis, secreta prodantur, atque ex eorum notitia curationum animi præcepta rectius instituantur.

Neque vero *characteres ingeniorum* ex natura impressi, recipi tantum in hũc Tractatum debent; sed & illi, qui alias animo imponuntur, ex *sexu, ætate, patria, valetudine, forma*, & similibus: atq; insuper illi, qui ex *fortuna*, veluti *Principum, Nobilium, ignobilium, divitum, pauperum, Magistratuum, idiotarum, felicium, ærumnosorum*, & hujusmodi. Videmus enim, Plautum miraculi loco habere, quod Senex quis sit beneficus: *Benignitas hujus, ut Adolescentuli est*. D. autum Paulus, severitatem disciplinæ erga Cretenses præcipiens (*Increpa eos dure*) ingenium Gentis ex Poëta accusat, *Cretenses semper mendaces, malæ Bestiæ, Ventres pigri*. Sàlustius id in Regum Ingeniis notat, quod apud eos frequens sit, Contradictoria appetere; *plerumque Regiæ voluntates, ut vehementes sunt, sic mobiles, sæpeq; ipsæ sibi adversæ*. Tacitus observat, honores & dignitates ingenia hominum in deterius sæpius flectere, quam in melius; *Solus Vespasianus mutatus est in melius*. Pindarus illud animadvertit, Fortunã subitam & indulgentem, animos plerumq; enervare, & solvere; *Sunt, qui magnam felicitatem concoquere nõ possunt*. Psalmus innuit, facilius esse modum adhibere & temperamentum, in fortunæ statu, quam in incremento; *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. De similibus quibusdam observationibus ab Aristotele in *Rhetoricis* mentionem obiter factam, non inficior, nec non in aliorũ Scriptis nonnullis sparsim: Verum nunquam adhuc incorporatæ fuerunt in *Moralem Philosophiam*: Ad quam principaliter pertinent. Non minus certe quam ad *Agriculturam*, Tractatus de diversitate soli & glebæ: Aut ad *Medicinam*, Tractatus de complexionibus aut habitibus corporum diversis. Id autem nunc tandem fieri oportet, nisi forte imitari velimus temeritatem Empiricorum, qui iisdem utuntur medicamentis ad ægrotos omnes, cujuscunque sint constitutionis.

Sequitur *doctrinam de characteribus, doctrina de affectibus & perturbationibus*, qui loco morborum animi sunt, ut jam dictum est. Quemadmodum enim Politici prisci de Democratiis dicere solebant; Quod *populus esset mari ipsi similis, Oratores autem ventis*: Quia sicut *Mare* per se placidum foret & tranquillum, nisi à *Ventis* agitaretur & turbaretur; sic & *Populus* esset natura sua pacatus & tractabilis, nisi à *seditiosis Oratoribus* impelleretur, & incitaretur: Similiter vere affirmari possit; *naturam mentis humanæ* sedatam fore; & sibi constantem, si *affectus*, tanquam *venti*, non tumultuarentur, ac omnia miscerent. Et hic rursus subiit nova admiratio, Aristotelem, qui tot Libros de *Ethicis* conscripsit, *Affectus*, ut membrum *Ethicæ* Principale, in illis non tractasse; in *Rhetoricis* autem, ubi tractãdi interveniunt secundario (quatenus scilicet Oratione cieri aut cõmoveri possint) locum illis reperisse: (in quo tamen loco, de iis, quantum tam paucis fieri potuit, acute & bene disseruit:) Nam disceptationes ejus de *voluptate* & *dolore* huic Tractatui nullo modo satisfaciunt: non magis, quam, qui de luce & *lumine tantum* scriberet, de *particularium colorum natura* scripsisse diceretur: Siquidẽ *voluptas* & *dolor* erga *affectus particulares* ita se habent, ut *lux erga colores*. Meliorem certe in hoc argumento (quatenus ex his, quæ nunc extant, conjicere liceat) diligentiam adhibuerunt Stoici; attamen talem, quæ potius in diffinitionem subtilitate, quam in tractatu aliquo pleno, & fuso, consisteret. Equidem reperio etiam libellos quosdam elegantes, de nonnullis ex *affectibus*; veluti de *ira, de inutili verecundia*, & aliis perpaucis. Sed si verum omnino dicendum sit Doctores hujus *Scientiæ* præcipui sunt *Poëtæ* & *Historici*, in quibus ad vivum depingi & dissecari solet, Quomodo *Affectus* excitandi sint & accendendi? Quomodo lenendi & sopiendi? Quomodo rursus continendi ac restinguendi, ne in actus erumpant? Quomodo itidem se, licet compressi & occultati, prodãt? Quas operationes edant? Quas vices subeant? Qualiter sibi mutuo implicentur? Qualiter inter se digladientur & opponantur? Et innumera hujus generis. Inter quę hoc ultimum plurimi est usus in *moralibus* & *civilibus*; *Qualiter* (inquam) *affectus affectum in ordinem cogat; & alterius auxilio, ad alterum subjugandum, uti liceat?* Venatorum & aucupum more, qui bestiæ opera ad bestias, volucris alicujus ad volucres capiendas, utũtur? Quod fortasse aliter ex sese absq; Brutorum auxilio, homo tam facile præstare non possit. Quin & hoc fundamento nititur excellens ille, & per omnia patens, usus in Civilibus, *præmij & pœnæ*; quæ Rerumpubl. columen sunt; cum *Affectus* illi prædominantes, *formidinis* & *spei*, alios omnes *affectus* noxios coërceant & supprimant. Etiam, sicut in regimine Status, non raro fit ut factio factione in officio contineatur, similiter fit ut in regimine mentis interno.

Pervenimus nunc ad illa, quæ in nostra sunt potestate, quæq; operantur in animum, volũtatemq; & appetitum afficiunt, & circumagunt, ideoq; ad immutandos mores plurimum valent. Qua in parte debuerant Philosophi strenue & gnaviter inquirere, *De viribus & energia consuetudinis, exercitationis, habitus, educationis, imitationis, æmulationis, convictus, amicitiæ, laudis, reprehensionis, exhortationis, famæ, legum, librorum, studiorum*, & si quæ sunt alia. Hæc enim sunt illa, quæ regnant in *Moralibus*; Ab istis agentibus animus patitur & disponitur; Ab istis veluti ingredientibus, conficiuntur pharmaca, quæ ad cõservandam & recuperandam animi sanitatem conducant, quatenus remediis humanis id præstari possit. Ex quorum numero unum aut alterum seligemus, in quibus paululum immorabimur, ut reliquis sint exemplo. *De consuetudine* igitur, & *Habitu*, pauca delibabimus.

Opinio illa Aristotelis plane mihi videtur angustias quasdam contemplationis, & negligentiam sapere: cum asserit, in illas actiones, quæ naturales sunt, *Consuetudinem* nihil posse: exemplo usus, Quod *si lapis millies proficiatur in altum, ne inclinationẽ quidem sponte ascendendi aaquirit*: quinetiam, quod

quod *sæpius videndo aut audiendo, nihilo melius aut videmus, aut audimus.* Quamvis enim hoc teneat in aliquibus, ubi Natura est peremptoria; (cujus rei causas reddere in præsentia non vacat) aliter tamen in illis fit, in quibus natura, secundum latitudinem quandam, patitur intentionem & remissionem. Sane videre potuit, *Chirothecam* paulo arctiorem, manui sæpius inducendo, laxiorem reddi; *Baculum* usu & mora in contrarium flexus sui naturalis incurvari, & in eodem statu paulo post durare; *Vocem* exercitando, magis fieri robustam & sonoram; *Frigora Æstumq; consuetudine* tolerari; & jusdem generis complura. Quæ quidem posteriora duo exempla propius accedunt ad rem, quam quæ ab ipso adducta sunt. Attamen, utcunq; hoc se habeat; quo magis verum fuerit, *tam virtutes, quam vitia, in habitu consistere*; eo magis ei contendendum fuerat, ut normas præscriberet, quomodo hujusmodi habitus fuerint acquirendi, aut amovendi. Plurimi siquidem confici possint præcepta de prudenti institutione exercitationum, animi non minus quam corporis. Illorum paucula recensebimus.

Primum erit, ut jam à principio caveamus à *pensis, vel magis arduis, vel magis pusillis*, quam res postulat: Nam si oneris nimium imponatur, apud ingenium mediocre bene-sperandi alacritatem obtundes, apud ingenium fiduciæ plenum opinionem concitabis, qua plus sibi polliceatur, quam præstare possit; Quod secum trahit socordiam. In utroque autem ingenij temperamento fiet ut experimentum expectationi non satis faciat, Id quod animum semper dejicit, & confundit. Quod si pensa leviora fuerint, magna inducitur, in progressionis summa, jactura.

Secundum erit, ut ad *exercendam facultatem aliquam, quo habitus comparetur, duo* inprimis *tempora observentur*: Alterum, quando animus optimè fuerit ad rem dispositus; Alterum, quãdo pessimè: Ut ex priore, plurimum in via promoveamus; ex posteriore, nodos obicesque animi contentione strenua deteramus: unde tempora media facile & placide labentur.

Tertium erit illud præceptum, cujus Aristoteles obiter meminit; *Ut totis viribus* (citra tamen vitium) *nitamur in contrarium illius, ad quod natura maxime impellimur*; Sicut cum in adversum gurgitis remigamus, aut Baculum incurvum, ut rectum fiat, in contrarium flectimus.

Quartum Præceptum ex illo Axiomate pendet, quod verissimum est; *Animum ad quæcunque felicius trahi & suavius, si illud, quo tendimus, in intentione operantis non sit principale, sed tanquam aliud agendo superetur*; quoniam ita fert natura, ut necessitatem & imperium durum ferme oderit. Sunt & alia multa, quæ utiliter præcipi possint, de Regimine *Consuetudinis*: *Consuetudo* enim, si prudenter & perite inducatur, fit revera (ut vulgo dicitur) *altera natura*: Quod si imperite & fortuito administretur, erit tantum *simia* naturæ, quæ nihil ad vivum imitetur, sed inscite tantum, & deformiter.

Similiter, si de *Libris* & *Studiis*, eorumque ad *Mores* virtute & influentia, verba facere vellemus; numnam desunt plurima præcepta, & consilia fructuosa eo spectantia? Annon unus ex Patribus, magna cum indignatione, *Poësim* appellavit *vinũ dæmonum*; cum revera progignat plurimas tentationes, cupiditates, & opiniones vanas? Annõ prudens admodum & digna, quæ bene perpendatur, est Sententia Aristotelis, *Iuvenes nõ esse idoneos moralis Philosophiæ auditores*: quia in illis perturbationum æstuatio nondum sedata est, nec tempore & rerum experientia consopita? Atq; ut verum dicamus, an nõ ideo fit, ut Scriptorum priscorum præstantissimi libri & sermones (quibus ad virtutem homines efficacissime invitati sunt: *tam augustam ejus majestatem* omnium oculis repræsentando, quam opiniones populares, in virtutis ignominiam, tanquam *Habitu Parasitorum* indutas, derisui propinando) tam parum profint ad vitæ honestatem, & mores pravos corrigendos, quia perlegi & revolvi non consueverunt à viris ætate & judicio maturis, sed pueris tãtum & tyronibus relinquuntur? Annõ & hoc verum est, Juvenes multo minus *Politicæ* quam *Ethicæ* auditores idoneos esse, antequam *religione & doctrina de moribus & officiis* plane imbuantur: ne forte judicio depravati & corrupti, in eam opinionem veniant, non esse rerum differentias morales veras & solidas, sed omnia ex utilitate, aut successu metienda? sicut Poëta canit;

Prosperum & felix scelus virtus vocatur.

& rursus,

Ille crucem pretium sceleris tulit, hic Diadema.

Ac Poëtæ quidem hæc Satyrice & per indignationem loqui videntur. At *Libri* nonnulli *politici* idem serio & positive supponunt. Sic enim Macchiavello dicere placet, *Quod si contigisset Cæsarem Bello superatum fuisse, Catilinâ ipsa fuisset odiosior*: Quasi vero nihil interfuisset, præter fortunam solam, inter Furiam quandam, ex libidine & sanguine conflatam, atque animum excelsum, & inter homines naturales, maxime omnium (si ambitio abfuisset) suscipiendum. Videmus etiam ex hoc ipso, quam necessarium sit, homines *doctrinas pias & ethicas*, antequam *Politicam* degustent, plenis faucibus haurire: Nimirum, quod qui in aulis Principum, & negotiis civilibus, à teneris (ut ajunt) unguiculis innutriti sunt, nunquam fere sinceram & internam morum probitatem assequantur: quanto minus si accesserit etiam librorum disciplina? Porro, & in documentis ipsis moralibus, vel saltem aliquibus eorum, annon cautio pariter est adhibenda, ne inde fiant homines pertinaces, arrogantes, & insociabiles, juxta illud Ciceronis de M. Catone: *Hæc Bona, quæ videmus, divina & egregia, ipsius scitote esse propria: quæ nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non à natura, sed à Magistris.* Sunt & axiomata alia complura, de iis, quæ à *studiis* & *libris*, hominum animis ingenerantur. Verum est enim quod dicit ille, *Abeunt studia in mores!* Quod pariter affirmandum de cæteris illis rebus, *convictu, fama, legibus patriis*, & reliquis, quas paulo ante recensuimus.

Cæterum *animi* quædam est *cultura*, quæ adhuc magis accurata & elaborata videtur, quàm reliquæ. Nititur autem hoc fundamento: *Quod omnium mortalium animi, certis temporibus, reperiantur in statu perfectiore, aliis, in statu magis depravato.* Hujus igitur culturæ intentio fuerit & institutum, ut *bona* illa *tempora* foveantur; *Prava* vero tanquam ex Kalendario deleantur, & expungantur. Ac *bonorum* quidem *temporum fixatio* duobus modis procuratur: *votis* aut saltem *constantissimis*

animæ

animi decretis, & *observantiis* atq; *exercitationibus*; quæ non tantum in se valent, quantum in hoc, quod animum in officio & obedientia jugiter cõtineant. *Malorum temporum obliteratio* deplici itidem ratione perfici potest: *Redemptione aliqua*, vel *expiatione præteritorum*, & *novo Vitæ instituto*, veluti *de integro*. Verum hæc pars ad religionem plane spectare videtur; Nec mirum; cum *Moralis Philosophia* vera & genuina (sicut ante dictum est) ancillæ tantum vices erga Theologiam suppleat.

Quamobrem concludemus hanc partem de *cultura Animi* cum eo *Remedio*, quod omnium est maxime compendiosum, & summarium, & rursus maxime nobile & efficax, quo animus ad virtutem efformetur, & in statu collocetur perfectioni proximo. Hoc autem est, *Ut fines vitæ actionumque deligamus, & nobis ipsis proponamus rectos, & virtuti congruos, qui tamẽ tales sint, ut eos assequendi nobis aliquatenus suppetat facultas*. Si enim hæc duo supponantur: ut & *fines actionum sint honesti, & boni*, & *decretum animi de iis assequendis, & obtinendis, fixum* sit & *constans*, sequetur, ut continuo vertat & efformet se animus, una opera in virtutes omnes. Atque hæc certe illa est operatio, quæ *Naturæ ipsius opus* referat, cum reliquæ, quæ diximus, videãtur esse solummodo sicut *opera manus*. Quemadmodum enim *Statuarius*, quando simulachrum aliquod sculpit aut incidit, illius solummodo partis figuram effingit, circa quam manus occupata est, non autem cæteratum: (veluti si faciem efformet, corpus reliquum rude permanet & informe saxum, donec ad illud quoque pervenerit:) E contra vero *Natura*, quando florem molitur, aut animal, rudimentia partium omnium simul parit, & producit: Eodem modo, quando virtutes habitu acquiruntur, dum temperantiæ incumbimus, ad fortitudinem aut reliquas parum proficimus; quando autem *rectis* & *honestis Finibus* nos dedicaverimus penitus, & devoverimus, quæcunque fuerit virtus, quam animo nostro commendaverint & imperaverint fines illi, reperiemus nos jamdudum imbutos, & prædispositos habilitate & propensione nonnulla, ad eam assequendam & exprimendam. Atque hic possit esse status illius animi, qui egregie ab Aristotele describitur: & ab eo, non *virtutis*, sed *divinitatis* cujusdam charactere insignitur. Ipsa ejus verba hæc sunt: *Immanitati autem consentaneum est, opponere eam, quæ supra humanitatem est, heroicam* sive *divinam Virtutem*. Et paulo post, *Nam ut feræ, neque vitium, neque virtus est, sic neque Dei. Sed hic quidem status altius quiddam virtute est, ille aliud quiddam à vitio*. Plinius certe Secundus, ex licentia magniloquentiæ ethnicæ, Trajani virtutem, divinæ, non tanquam imitamentum, sed tanquam exemplar proponit, cum ait: *Opus non esse hominibus, altas ad Deos preces fundere, quam ut benignos æque & propitios se dominos mortalibus præstarent; ac Trajanus præstitisset*. Verum hæc profanam Ethnicorum Jactantiam sapiunt, qui umbras quasdam corpore majores prensabant. At Religio vera, & sancta fides Christiana, rem ipsam petit: imprimendo animis hominum charitatem; quæ appositissime *vinculum perfectionis* appellatur, quia virtutes omnes simul colligat, & revincit. Sane elegantissime dictum est à Menandro, de *amore sensuali*, qui *Divinum* illum perperam imitatur: *Amor, melior Sophista Lævo ad humanam vitam*. Quibus innuit, morum decus melius ab amore efformari, quam à Sophista & præceptore inepto, quem *Lævum* appellat. Siquidem universis suis operosis Regulis & Preceptionibus hominem tam dextre & expedite effingere nequeat, ut se ipsum & in pretio habeat, & se belle in omnibus componat, quam amor facit. Sic proculdubio, si animus cujuspiam, fervore *Charitatis* veræ incendatur, ad majorem perfectionem evehetur, quam per universam *Ethicam Doctrinam*; Quæ *Sophista* profecto habet rationem, si cum altera illa conferatur. Quinetiam, sicut Xenophon recte observavit, *cæteros affectus, licet animum attollant, eum tamen distorquere & discomponere per ecstases & excessus suos: amorem vero solum, eum simul & dilatare, & componere*: Sic omnes aliæ humanæ, quas admiramur, dotes, dum naturam in majus exaltãt, excessui interim sunt obnoxiæ: sola autem *Charitas* non admittit excessum. Angli, dum ad potentiam divinæ parem aspirarent, prævaricati sunt, & ceciderunt: *Ascendam, & ero similis Altissimo*. Homo dum ad Scientiam Divinæ parem aspiraret, prævaricatus est, & lapsus: *Eritis sicut Dij: scientes bonum & malum*. Verum ad similitudinem Divinæ *Bonitatis* aut *Charitatis* aspirando, nec Angelus, nec homo, unquam in periculum venit, aut veniet. Imo ad hanc ipsam *Imitationem* etiam invitamur: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*. Quin & in ipso Archetypo Naturæ verba sic collocat Religio Ethnica, (*Optimus Maximus*,) Scriptura autem Sacra pronunciat; *Misericordia ejus super omnia opera ejus*.

Hanc itaq; *moralis doctrinæ* partem, de *Georgicis animi*, jam absolvimus. In qua, si ex intuitu portionum ejus, quas perstrinximus, quis existimet, operam nostram in hoc tantummodo sitam esse, ut ea in *artem* seu *doctrinam* redigeremus, quæ ab aliis scriptoribus prætermissa sint, tanquam vulgata & obvia, & per se satis clara & perspicua; suo judicio libere utatur. Interim illud meminerit, quod ab initio novimus, propositum nobis esse, non rerum pulchritudinem, sed usum & veritatem sectari. Recordetur etiam paulisper commentum illud Parabolæ antiquæ, de *geminis somni portis*:

Sunt geminæ Somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris;
Altera candenti perfecta nitens Elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.

Insignis sane magnificentia *Portæ eburneæ*; tamen *somnia vera* per *corneam* commeant.

Additamenti vice poni possit circa *Doctrinam Ethicam* observatio illa, inveniri nimirum relationem & congruitatem quandam, inter *bonum animi*, & *bonum corporis*. Nam sicut *bonum corporis* constare diximus ex *sanitate, pulchritudine, robore*, ac *voluptate*; sic *animi bonum*, si juxta *moralis doctrinæ* scita illud contemplemur, huc tendere perspiciemus; ut animum reddat *sanum*, & à perturbationibus immunem; *Pulchrum*, veriq; decoris ornamentis excultum; *Fortem*, ac agilem ad omnia vitæ munia obeunda; deniq; non *stupidum*, sed *voluptatis* & solatij honesti sensum vivide retinẽtem. Hæc autem, sicut in *corpore*, ita & in *animo*, raro simul

ſimul omnia conjunguntur. Facile enim videre eſt multos, ingenii viribus & fortitudine animi pollentes, quos infeſtant tamen perturbationes; quorumq; etiam moribus vix aliquid elegãtiæ aut venuſtatis aſpergitur: Alios, quibus abũde eſt in moribus elegãtiæ & venuſtãtis, illis tamẽ non ſuppetit, aut probitas animi, ut velint, aut vires, ut poſſint recte agere: Alios, animo præditos honeſto, atq; à vitiorum labe repurgato, qui tamen nec ſibi ipſis ornamento ſunt, nec Reip. utiles: Alios, qui iſtorum fortaſſe trium compotes ſunt, ſed tamen Stoica quadam triſtitia & ſtupiditate præditi, virtutis quidem actiones exercent, gaudiis non perfruuntur. Quod ſi contingat, ex quatuor iſtis duo aut tria aliquando concurrere, rariſſime tamen fit, quemadmodum diximus, ut omnia. Jam vero Principale iſtud membrum *Philoſophiæ humanæ*, quæ *hominem* contemplatur, quatenus ex *corpore* conſiſtit atq; *anima*, ſed tamen *ſegregatum*, & citra *ſocietatem*, à nobis pertractum eſt.

FRANCISCI BACONIS
DE VERULAMIO,
Vice-Comitis ſancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER OCTAVUS.

Ad Regem ſuum.

CAP. I.

Partitio Doctrinæ Civilis, *in* Doctrinam de Converſatione, Doctrinam de Negotiis, *&* Doctrinam de Imperio, *ſive* Republica.

VEtus eſt narratio, (Rex Optime) conveniſſe complures Philoſophos ſolenniter, coram Legato Regis exteri, atque ſingulos pro virili parte Sapientiam ſuam oſtentaſſe; ut haberet Legatus, quæ referret de mirabili ſapientia Græcorum. Unus tamen eorum numero *ſilebat*, & nihil adducebat in medium: adeo ut Legatus ad eum converſus diceret: *Tu vero quid habes, quod referam?* Cui ille: *Refer* (inquit) *Regi tuo, te inveniſſe apud Græcos aliquem, qui tacere ſciret.* Et quidem oblitus eram, in hac artium Synopſi, artem *tacendi* interſerere: Quam tamen (quoniam plerumque *deſideretur*) Exemplo jam proprio docebo. Etenim, cum me tandem ordo rerum ad illud deduxerit, ut paulo poſt de *arte Imperii* tractandum ſit, cumq; ad tantum Regem ſcribam, qui perfectus adeo in arte ſit Magiſter, ipſamq; ab incunabilis ſuis hauſerit; Nec omnino immemor eſſe poſſim, qualem apud Majeſtatem tuam locum ſuſtinuerim; conſentaneum magis exiſtimavi, me ipſum *tacẽdo* de hac re, apud Majeſtatem tuam, quam ſcribendo, probare. Cicero vero, non ſolum artis, verum etiam eloquentiæ cujuſdam, quæ in *tacendo*, reperiatur, meminit. Cum enim ſermones nonnullos ſuos, cum alio quodam ultra citroque habitos, in epiſtola quadam ad Atticum commemoraſſet, ſic ſcribit: *Hoc loco, ſumpſi aliquid de tua eloquentia; nam tacui.* Pindarus vero, (cui illud peculiare eſt, animos hominum inopinato, ſentẽtiola aliqua mirabili, veluti virgula Divina, percutere) hujuſmodi quidpiã ejaculatur: *Interdum magis afficiunt non dicta, quã dicta.* In hac parte igitur, *tacere*, aut quod ſilentio proximũ eſt, *brevis* admodum eſſe decrevi. Verũ, antequam ad *artes Imperii* perveniam, haud pauca de aliis *doctrinæ civilis portionibus* ſunt præmittẽda.

Scientia civilis, verſatur circa ſubjectum, quod cæterorum omnium maxime eſt Materiæ immerſum: ideoque difficillime ad axiomata reducitur. Sunt tamen nonnulla, quæ hanc difficultatem levant. Primo enim, quemadmodum *Cato* ille *Cenſorius* de Romanis ſuis dicere ſolitus eſt: *Ovibus eos ſimiles eſſe, quarum gregem integrũ minore quis moleſta ageret, quam unam aliquam: quoniam ſi paucæ ex grege, ut rectam ineant viam, propellere poſſis, cæteræ ultro ſequentur:* Similiter, hoc quidem reſpectu, Ethicæ munus eſt quodammodo illo politicę difficilius. Secũdo, proponit ſibi *Ethica*, ut animus *bonitate interna* imbuatur, & cumuletur: At *civilis ſcientia* nihil amplius poſtulat præter bonitatẽ externam: Hæc enim ad *ſocietatem* ſufficit. Itaque non raro accidit, ut regimen ſit bonum, tempora mala: Siquidem in Sacra Hiſtoria illud non ſemel occurrit (cum de Regibus bonis & piis narratur) *Sed adhuc populus non direxerat cor ſuum ad Dominum Deum Patrum ſuorum.* Itaque & hoc quoque reſpectu, duriores partes ſunt *Ethicæ*. Tertio, hoc habent Reſpubl. ut tanquam machinæ grandiores tardius moveãtur, nec ſine magno molimine, unde haud tam cito labefactantur: Sicut enim in Ægypto ſeptem anni fertiles, ſteriles ſeptem ſuſtentarunt: in Rebuspubl. priorum temporum bona inſtitutio efficit, ut ſequentium errores non ſtatim perniciem inferant: At ſingulorũ hominum decreta, & mores, magis ſubito ſubverti ſolent. Hoc deniq; *Ethicam* gravat, *Politicæ* ſuccurrit.

Scientia civilis tres habet partes, juxta tres ſocietatis actiones ſummarias: *Doctrinam de converſatione*; *Doctrinam de negotiis*: *& doctrinam de Imperio* ſive *Republ.* Tria ſiquidem ſunt *bona*, quæ ex *ſocietate civili* homines ſibi parare expetunt: *Solamen contra ſolitudinem, adjumentum in negotiis, & protectio contra injurias.* Suntq; iſtæ tres prudentiæ plane inter ſe diverſæ, & ſæpenumero disjunctæ: *Prudentia in converſando, prudentia in negotiando, & prudentia in gubernando.*

Enimvero, quod ad *converſationem* attinet, illa certe affectata eſſe non debet, at multo minus neglecta: cum prudentia in ejus moderamine, & decus quoddam morum in ſe ipſa præ ſe ferat, & ad negotia tam publica, quam privata, commode adminiſtrãda, plurimum juvet. Etenim ſicut actio oratori tanti habetur, (licet ſit externum quiddam) ut etiam illis alteris partibus, quæ graviores & interiores videntur, anteponatur; eodem fere modo, in viro civili, *converſatio*, ejuſque regimen, (utcunq; in exterioribus occupetur) ſi non ſummum, at certe eximium locum invenit. Quale

enim pondus habet *vultus* ipse, ejusq; compositio? Recte Poëta;

— *Nec vultu destrue verba tuo.*

Poterit enim quis *vim orationis*, *vultu* labefactare, & plane prodere. Quin & *facta*, non minus quam *verba*, *vultu* pariter destrui possint, si Ciceroni credamus. Qui, cum fratri affabilitatem commēdaret erga Provinciales, non in hoc eam potissimum sitam dixit, ut aditus præberet ad se faciles, nisi etiam *vultu* ipso comiter accedentes exciperet. *Nil interest habere ostium apertum, vultum clausum.* Videmus quoque, Atticum, sub primum Ciceronis cum Cæsare congressum, bello adhuc fervente, diligente & serio Ciceronem per Epistolam monuisse, de *vultu* & *gestu* ad dignitatem & gravitatem componendis. Quod si tantum possit *oris* & *vultus* solius moderatio, quanto magis *sermo familiaris*, & alia, quæ ad *conversationē* pertinent? Atque sane summa & compendium decori & elegantiæ morum in hoc fere sita sunt, ut quasi æqua lance & propriam Dignitatem & aliorum metiamur & tueamur: Quod etiam non male expressit T. Livius, (licet alii rei intentus) eo personæ charactere; *Ne* (inquit) *aut arrogans videar, aut obnoxius: quorum alterum est alienæ libertatis obliti, alterum suæ.* Ex contraria vero parte, si *urbanitati*, & elegantiæ morum externæ impensius studeamus, transeunt illæ in affectationem quandam Deformem, & Adulterinam. *Quid enim deformius, quam Scenam in Vitam transferre?* Quinetiam, licet in excessum illum vitiosum minime prolabantur; temporis tamen nimium in hujusmodi leviculis absumitur, animusq; ad curam ipsarum, magis quam oportet, deprimitur. Ideoq; sicut in Academiis, adolescentes literarum studiosi, at sodalium congressibus plus satis indulgētes, moveri solent à præceptoribus, *Amicos esse fures temporis*: sic certe assidua ista, in *conversationis* decorum animi intentio, magnum gravioribus meditationib⁹ futurum facit. Deinde, qui primas adeo in *urbanitate* obtinent, & ad hanc rem unam quasi nati videntur, hoc fere habent, ut sibi ipsis in illa sola complaceant, & virtutes solidiores, & celsiores, vix unquam aspirent: Quando è contra, qui sibi in hac parte defectus sunt conscii, decus ex bona existimatione quærunt: Ubi enim adest bona existimatio, omnia fere decent, ubi vero illa deficit, tum demum à commoditate morum, atq; *urbanitate*, subsidium petendum est. Porro, ad res gerendas, vix gravius aut frequentius reperias impedimentum, quam hujusce decori externi curiosam nimis observationem; atque illud alterum, quod huic ipsi inservit, nimirum, anxiam temporis atque opportunitatum electionem. Egregie enim Salomon: *Qui respicit ad ventos, non seminat; qui respicit ad nubes, non metit.* Creanda siquidem nobis est opportunitas sæpius quam opperienda. Ut verbo dicamus, *urbana* ista morum *compositio*, veluti vestis animi est, & proinde vestis commoditates referre debet. Primum enim talis esse debet, ut sit in usu communi: Rursus, ut non sit nimis delicata aut sumptuosa: Deinde, ita conficienda, ut si qua sit in animo virtus, eam exhibeat maxime conspicuam; si qua deformitas, eandem suppleat, & occultet: Postremo; & super omnia, ne sit nimis arcta, atque ita animum angustet, ut ejusdem motus in rebus gerendis cohibeat & impediat. Verum hæc pars *scientiæ civilis de conversatione* eleganter profecto à nonnullis tractata est, neq; ullo modo tanquam *desiderata* reponi debet.

CAP. II.

Partitio Doctrinæ de Negotiis; *in* Doctrinam de Occasionibus Sparsis; & Doctrinam de Ambitu Vitæ. *Exemplum* Doctrinæ de Occasionibus Sparsis, *ex* Parabolis *aliquibus* Salomonis, *Præcepta* de Ambitu Vitæ.

DOctrinam *de negotiis* partiemur in *doctrinam de occasionibus sparsis*, & *doctrinam de ambitu vitæ*: Quarum altera universa *negotiorum* varietatem complectitur, & vitæ communis tanquam *Amanuensis* est; Altera, ea tantum, quæ ad *propriā cujusq; fortunam* amplificandam spectant, excerpit, & suggerit, quæ singulis, pro intimis quibusdam rerū suarum *tabellis* aut *codicillis* esse possint, Verum antequam ad species descēdamus, aliquid circa *doctrinam de negotiis* in genere præfabimur. *Doctrinam de negotiis*, pro rei momento, tractavit adhuc nemo, cum magna, tam literarum, quam literatorum, existimationis jactura. Ab hac enim radice pullulat illud malum, quod notam eruditis inussit, nimirum *eruditionem & prudentiam civilē raro admodum conjungi.* Etenim si quis recte advertat, ex prudentiis illis tribus, quas modo diximus ad vitam civilem spectare, illa *conversationis* ab eruditis fere contemnitur, tanquam servile quiddam, atque insuper meditationibus inimicum. Quod vero ad illam de *Repub. administranda*, sane, si quando rerum gubernaculis admoveantur, eruditi, munus suum incommodè sustinent; Verum ea promotio contingit paucis. De *prudentia* autem *negotiandi*, (qua de nunc loquimur) in qua vita humana plurimum versatur, nulli omnino libri conscripti habentur: præter pauca quædam *monita civilia* in fasciculum unum aut alterum collecta, quæ amplitudini hujus subjecti nullo modo respondent. Etenim si libri aliqui extarēt de hoc argumento, sicut de cæteris, minimè dubitaverim, quin viri eruditi, aliquo experientiæ manipulo instructi, ineruditos, licet diutina experiētia edoctos, longe superarent, & *proprio illorum* (quod dicitur) *arcuusi*, magis è longinquo ferirēt.

Neque vero est cur vereamur, ne *scientiæ* hujus tam varia sit materia, ut sub præceptionibus non cadat: Multo siquidem angustior est, quam illa *Reip. administrandæ scientia*; quam tamē apprime videmus excultam. Hujus generis *prudentiæ*, apud Romanos, optimis temporibus, extitisse videntur nonnulli professores. Testatur enim Cicero, moris fuisse, paulo ante sua secula, ut Senatores, prudentia, & rerum usu maxime celebres, (*Coruncanij, Curij, Lalij*, & alii,) statis horis in foro deambularent, ubi civibus copiam sui facerent, & consulerentur, non de jure, sed de negotiis omnigenis: Veluti *de filia elocanda, sive de filio educando, sive de prædio coëmendo, de contractu, accusatione, defensione*, aut aliqua quacunq; re, quæ in vita communi interveniat. Ex quo liquet, prudentiam quandam esse *consilium dandi*, etiam in negotiis privatis, ex universali rerum civilium cognitione & experientia promanantem, quæ exerceatur quidem in casibus particularibus, extrahatur autem ex generali casuum consimilium observatione. Sic enim videmus, in eo libro, quem ad fratrem conscripsit Q. Cicero, *de petitione consulatus*, (quem unicum à veteribus habemus, quantum memini, tractatum, de *nego-*

de *negotio aliquo particulari*) quanquam ad consilium dandum, de re tum præsenti, potissimum spectaret, plurima tamen contineri axiomata politica, quæ non usum solum temporarium, sed normam quandam perpetuam, circa electiones populares præscribant. In hoc genere autem nihil invenitur, quod ullo modo comparandum sit cum *aphorismis* illis, quos edidit Rex Salomon: De quo testatur Scriptura, *Cor illi fuisse instar arenæ maris*: Sicut enim arenæ maris universas orbis oras circumdant, ita & Sapientia ejus omnia humana, non minus quam divina, cōplexa est. In *aphorismis* vero illis, præter alia magis Theologica, reperies liquido haud pauca præcepta & monita civilia præstantissima, ex profundis quidem sapientiæ penetralibus scaturientia, atq; in amplissimum varietatis campum excurrentia. Quoniam vero *doctrinā de occasionibus sparsis* (quæ *doctrinæ de negotiis* portio est prior) inter *desiderata* reponimus, ex more nostro paulisper in illa immorabimur: Atq; exemplum ejusdem, ex *aphorismis* sive *parabolis* illis Salomonis desumptū, proponemus. Neq; vero quis, ut arbitramur, nos merito sugillare possit, quod ex Scriptoribus Sacræ Scripturæ aliquem, ad sensum politicum trahamus: Equidem existimo, si extarēt commentarii illi Salomonis ejusdem, de *natura rerum* (in quibus de *omni vegetabili, à musco super murum ad cedrum libani*, itemque de *animalibus*, conscripsit) non illicitum esse, eos secundum sensum naturalem interpretari: Quod idem nobis liceat in *Politicis*.

EXEMPLUM PORTIONIS

Doctrinæ de occasionibus sparsis, ex *parabolis aliquibus Salomonis*.

Parabola.

1. *Mollis Responsio frangit iram.*

Explicatio.

Si incendatur *ira* Principis vel Superioris adversus te, & tuæ jam sint loquēdi partes, duo præcipit Salomon: Alterum, ut *fiat responsio*; Alterum, ut *eadem sit mollis*. Prius continet tria præcepta. Primo, ut *caveas à silentio tristi & contumaci*: Illud enim, aut culpam totam in te recipit, ac si nihil habeas, quod respondere possis; aut Dominum occulte iniquitatis insimulat, ac si aures ejus, defensioni, licet justæ, non paterent. Secundo, ut *caveas à re comperendinanda*, neq; tempus aliud ad defensionem postules: Hoc enim, aut eandem notam inurit, quam prius, nimirum Dominum tuum nimia mentis perturbatione efferri; aut plane significat, te artificiosam quandam defensionem meditari, cum in promptu nihil habeas: Adeo ut optimum semper fuerit, aliquid in præsentia, & è re nata, in excusationem tui adducere. Tertio, ut *fiat prorsus responsio*: *Responsio*, inquam, non mera *confessio*, aut mera *submissio*, sed aliquid apologiæ & excusationis inspergatur: Neq; enim aliter tutum est facere, nisi apud ingenia valde generosa & magnanima; quæ rara admodū sunt. Sequitur posteriore loco, ut *Responsio mollis*, minime perfracta, aut aspera.

Parabola.

2. *Servus prudens dominabitur in filium stultum; Et partietur hæreditatem inter fratres.*

Explicatio.

In omni familia, turbata & discordi, semper exurgit aliquis *servus*, aut *humilis amicus*, præpotēs, qui pro arbitrio se gerat, ad lites familiæ componendas, cuique, eo nomine, & familia tota, & dominus ipse, sunt obnoxii. Ille, si suam rem agat, familiæ mala fovet, & aggravat: sin fidelis revera fuerit & integer, plurimum certe meretur: Adeo ut etiam tanquam inter *fratres* haberi debeat, aut saltem *procurationem hæreditatis* accipere *fiduciariam*.

Parabola.

3. *Vir Sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem.*

Explicatio.

Monemur sæpius, ut *congressum imparem fugiamus*, eo sensū, *Ne cum potioribus decertemus*. At haud minus utile est monitum, quod hic exhibet Salomon, *Ne cū indigno contendamus*. Iniquā enim prorsus sorte hæc res transigitur. Siquidem, si superiores simus, nulla sequitur victoria: si superemur, magna indignitas. Neq; juvat etiam in hujusmodi contentione exercenda, si interdum veluti *per jocum* agamus, interdum cum *fastu & contemptu*. Nam quocunq; nos vertamus, leviores inde efficiemur, neque commode nos explicabimus. Pessime autem fit, si hujusmodi persona, qui cum contēdimus, (ut Salomon loquitur,) aliquid affine habeat cum *stulto*, hoc est; si sit audaculus, & temerarius.

Parabola.

4. *Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes aurem tuam; ne forte audias servum tuum maledicentem tibi.*

Explicatio.

Vix credi possit, vitam quantum perturbet *inutilis curiositas*, circa illa res, quæ nostra intersunt: Nimirum, quando secreta illa rimari satagimus, quæ detecta & inventa, ægritudinem quidem animo inferant, ad consilia autem expediēda nihil juvēt. Primo enim sequitur *animi vexatio & inquietudo*, cū humana omnia perfidiæ & ingratitudinis plena sint. Adeo ut, si comparari posset speculum aliquod magicum, in quo odia, & quæcunq; cōtra nos ullibi commoventur, intueri possemus, melio nobis foret, si protinus proiiceretur & colliderctur. Hujusmodi enim res, veluti foliorum murmura sunt, & brevi evanescunt. Secundo *curiositas illa animum suspicionibus nimis onerat*, quod consiliis inimicissimum est, eaque reddit inconstantia, & complicata. Tertio eadem, *mala ipsa sæpissime figit, alias prætervolatura*: Grave enim est conscientias hominum irritare; qui, si latere se putent, facile mutantur in melius, sin deprehensos se sentiant, malum malo pellunt. Merito igitur summæ prudentiæ tribuebatur Pompejo Magno, quod Sertorii chartas universas, nec à se perlectas, nec aliis permissas, igni protinus dedisset.

Parabola.

5. *Advenit veluti viator pauperies, & egestas quasi vir armatus.*

Explicatio.

Eleganter describitur in parabola, quomodo *prodigis*, & circa rem familiarē incuriosis, superveniant *naufragia fortunarum*. A principio enim pedetentim, & passibus lentis, instar *viatoris*, advenit *obæratio*, & *sortis diminutio*, neque fere sentitur: At nō multo post invadit *egestas* tanquā *vir armatus*, manu scilicet tam forti, & potēte, ut ei amplius resisti non possit: cum apud Antiquos recte dictū sit, *necessitatem ex omnibus rebus esse fortissimam*. Itaq; *viatori* occurrendū contra *armatum* muniendum.

Parabola.

6 *Qui erudit derisorem, ipse sibi injuriam facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat.*

Explicatio.

Congruit cum præcepto Salvatoris. *Ut non mittamus margaritas nostras ante porcos.* Distinguũtur autem in hac *parabola* actiones *præceptionis*, & *reprehensionis*; Distinguuntur itidem personæ *derisoris*, & *impii*; Distinguitur postremo *id quod repẽditur*. In priore enim *rependitur opera lusa*; in posteriore, etiam & *macula*. Cum enim quis erudit & instituit *derisorem*, *jactura* primum *fit temporis*; Deinde & alii *conatum irrident*, tanquam rem vanam, & operam male collocatã; Postremo *derisor* ipse *scientiam, quam didicit, fastidio habet*. At majore cum periculo transigitur res in *reprehensione impii*; qui non solum *impius* non auscultat; sed & cornua obvertit, & reprehensorem, odiosum sibi jam factum aut confestim convitiis proscindit, aut saltem postea apud alios criminatur.

Parabola.

7. *Filius sapiens lætificat patrem: Filius vero stultus mæstitiæ est matri suæ.*

Explicatio.

Distinguuntur solatia atq; ægritudines œconomicæ, *patris* videlicet & *matris*, circa *liberos* suos. Etenim *filius prudens* & *frugi*, præcipuo *solatio* est *patri*, qui *virtutis* pretium melius novit, quam *mater*; ac propterea *filii* sui indoli, ad virtutẽ propẽsæ, magis gratulatur: Quin etiã gaudium illi fortasse affert institutum suum, quod *filium* tã probe educarit; illiq; honestatem morum, præceptis & exẽplo, impresserit: E contra *mater calamitati filii plus compatitur* & indolet, tum ob affectum maternum magis mollẽ, & tenerum; tum fortasse indulgẽtiæ suæ conscia, qua eum corruperit, & depravaverit.

Parabola.

8. *Memoria justi cum laudibus; at nomen impiorum putrescet.*

Explicatio.

Distinguitur inter *famam virorum bonorum* & *malorum*, qualis esse soleat post *obitum*. *Viris* enim *bonis*, extincta invidia, (quæ famam eorum, dum vixerant, carpebat) *nomen* continuo efflorescit, & *laudes* magis indies invalescũt: At *viris malis* (licet fama eorum, per gratiam amicorum & factionis suæ hominum, ad breve tempus manserit) paulo post fastidium *nominis* oboritur, & postremo *laudes* illæ *evanidæ* in *infamiam*, & veluti in *odorem gravem* & *tetrum*, desinunt.

Parabola.

9. *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos.*

Explicatio.

Utile admodum monitum, de *discordiis* & *turbis domesticis*. Plurimi enim, ex *dissidiis uxorum*, aut *exhæredationibus filiorum*, aut *mutationibus frequentibus familiæ*, magna sibi spondent; ac si inde, vel animi tranquillitas, vel rerum suarum administratio felicior, sibi obventura foret. Sed plerumq; abeunt spes suæ in *ventos*. Etenim, tum mutationes illæ, ut plurimum; non cedunt in melius; tum etiam, perturbatores isti familiæ suæ molestias varias, & ingratitudinem eorum, quos, aliis præteritis, adoptant, & deligunt, sæpe numero experiuntur. Quin & hoc pacto rumores sibi progignunt non optimos, & famas ambiguas: Neq; enim male Cicerone notatum est, *Omnem famam à domesticis manare*. Utrumq; autem malum per *ventorum possessionem* eleganter à Salomone exprimitur: Nam & *expectationis frustratio*, & *rumorum suscitatio*, *ventis* recte comparantur.

Parabola.

10. *Melior est finis orationis, quam principium.*

Explicatio.

Corrigit *parabola* errorem frequentissimum, non solum apud eos, qui verbis præcipue student, verum etiam apud prudẽtiores. Is est, quod homines de *sermonum* suorum *aditu* atq; *ingressu* magis sint solliciti, quam de *exitu*, & accuratius exordia & præfatiunculas meditentur, quam extrema orationum. Debuerant autem nec illa negligere, & ista, ut longe potiora, præparata & digesta apud se habere; revolventes secum, &, quantum fieri potest, animo prospicientes, quis tandem *exitus sermonis* sit futur⁹, & quomodo negotia inde promoveri & maturari possint. Neq; hic finis. Quinimo non *epilogos* tãtum & *sermonum*, *qui ad ipsa negotia spectant egressus*, meditari oportet; verum etiam & illorum *sermonum* cura suscipienda, *quos sub ipsum discessum commode & urbane injicere possint*, licet à *negotio prorsus alienos*. Equidem novi Consiliarios duos, viros certe magnos, & prudentes, & quibus onus rerum tunc præcipue incumbebat; quibus illud fuit perpetuum, & proprium, ut quoties cum Principibus suis de negotiis ipsorum communicarent, colloquia, in rebus ad ipsa negotia spectantibus, nunquam terminarent; verum semper, aut ad jocum, aut aliud aliquid, quod audire erat volupe, diverticula quærerent; atq; ut adagio dicitur, *sermones marinos aqua fluviatilis sub extremum abluerent*. Neq; hoc illis inter artes postremum erat.

Parabola.

11. *Sicut muscæ mortuæ fœtere faciunt unguentum optimum; sic hominem pretiosum sapientiâ & gloriâ, parva stultitia.*

Explicatio.

Iniqua admodum & misera est conditio *hominum virtute præcellentium*, (ut optime notat *parabola*) quia *erroribus* eorum quantumvis levissimis, nullo modo ignoscitur. Verum quemadmodum in gemma, valde nitida minimum quodq; granulum, aut nubecula, oculos ferit & molestia quadam afficit: quod tamen si in gemma vitiosiore repertum foret, vix notam subiret: Similiter in *viris singulari virtute præditis*, minima quæq; vitia statim in oculos & sermones hominum incurrunt, & censura perstringuntur graviore: quæ in *hominibus mediocribus* aut omnino laterent, aut veniam facile reperirent. Itaque viro valde prudenti, parva stultitia; valde probo, parvum peccatum; urbano & moribus eleganti paululum indecori, de fama & existimatione multum detrahit. Adeo ut non pessimum foret *viris egregiis*, si nonnulla *absurda* (quod citra vitium fieri possit) actionibus suis immiscerent; ut libertatem quandam sibi retineant, & parvorum defectuum notas confundant.

Parabola.

12. *Homines derisores civitatem perdunt, sapientes vero avertunt calamitatem.*

Explicatio.

Mirum videri possit, quod in descriptione hominum, qui ad Respubl. labefactandas & perdendas veluti natura comparati & facti sunt, delegerit Salomon characterem; Non hominis superbi & insolen-

insolentis; Non tyrannici & crudelis; Non temerarii & violenti; Nō impii & scelerati; Nō injusti & oppressoris; Non seditiosi & turbulenti; Non libidinosi & voluptuarii; Non deniq; insipientis & inhabilis: Sed *derisoris*. Verum hoc sapientia ejus Regis, qui Rerumpubl. conservationes & eversiones optime norat, dignissimum est. Neq; enim similis fere est pestis Regnis & Rebus publ. quam si Consiliarii Regū, aut Senatores, quiq; gubernaculis rerum admoventur, sint ingenio *derisores*. Hujusmodi enim homines periculorum magnitudinem, ut fortes videantur Senatores, semper extenuant; iisque, qui pericula, prout par est, ponderant, veluti timidis insultant: Consultandi & deliberandi maturas moras, & meditatas disceptationes, veluti rem oratoriam, & tædii plenā, & ad summas rerum nihil facientē, subsannant, Famam ad quam Principum Consilia præcipue sunt componenda, ut *salivam vulgi*, & rem cito prætervolaturam, contemnunt: Legum vim & auctoritatem, ut reticula quædam quibus res majores minime cohiberi debeant, nil morantur: Consilia & præcautiones, in longum prospicientes, ut somnia quędā, & apprehensiones melancholicas, rejiciunt: Viris revera prudentibus, & rerum peritis, atq; magni animi, & consilii, dicteriis & facetiis illudunt: Deniq; fundamenta omnia regiminis politici simul labefactant. Quod magis attendendum est, quia cuniculis, & non impetu aperto, hęc res agitur: Neq; cœpit esse inter homines (prout meretur) suspecta.

Parabola.

13. *Princeps, qui libenter præbet aures verbis mendacii, omnes servos habet improbos.*

Explicatio.

Cum *Princeps* talis fuerit, ut susurronibus, & sycophantis, absq; judicio faciles & credulas aures præbeat; spirat omnino, tanquam à parte *Regis*, aura pestilens, quæ omnes *servos* ejus corrumpit, & inficit. Alii metus *Principis* rimantur, eosq; narrationibus fictitiis exaggerant: Alii invidiæ furias concitant, præsertim in optimos quosq;: Alii criminationibus aliorum, proprias sordes, & conscientias malas eluunt: Alii amicorū suorum honoribus & desideriis velificant, competitores eorum calumniando, & mordendo: Alii fabularum argumenta, contra inimicos suos, tanquam in scena, componūt: & innumera hujusmodi. Atq; hæc illi, qui ex *servis Principis* ingenio sunt magis improbo. At illi etiam, qui Natura probiores sunt, & melius morati, postquam in innocentia sua parum præsidii esse senserint, (quoniam *Princeps* vera à falsis distinguere non novit) morum suorum probitatem exuunt, & ventos aulicos captant, iisque servilem in modum circumferuntur. *Nihil enim* (ut ait Tacitus de Claudio) *tutum est apud Principem, cujus animo omnia sunt tanquam indita & jussa*. Atq; bene Cominæus; *Præstat, servum esse Principis, cujus suspicionum non est finis, quam ejus, cujus credulitatis non est modus.*

Parabola.

14. *Justus miseretur animæ jumenti sui; sed misericordiæ impiorum crudeles.*

Explicatio.

Inditus est, ab ipsa Natura, homini, *misericordiæ* affectus nobilis, & excellens; qui etiā ad *animalia bruta* extenditur; quæ, ex ordinatione divina, ejus imperio subjiciuntur. Itaq; habet ista *misericordia* analogiam quandam, cum illa Principis erga subditos. Quinetiam illud certissimum est, quod quo dignior est anima, eo pluribus compatiatur. Etenim animæ angustæ, & degeneres, hujusmodi res ad se nihil pertinere putant: At illa, quæ nobilior est portio universi, ex communione afficitur. Quare videmus, sub veteri lege haud pauca fuisse præcepta, non tam mere *cæremonialia*, quam *misericordiæ institutiva*: Quale fuit illud, de *non comedendo carnem cum sanguine ejus*; & similia. Etiam in sectis Essæorum, & Pythagoræorum, ab esu animalium omnino abstinebant. Quod etiā hodie obtinet (superstitione inviolata) apud incolas nonnullos Imperii Mogollensis. Quin & Turcæ (Gens licet, & stirpe & disciplina, crudelis, & sanguinaria) Brutis tamen eleëmosynas largiri solent; neq; animalium vexationes & torturas fieri sustinent. Verum, ne forte hæc, quędiximus, omnis generis *misericordia* patrocinari videantur, salubriter subjungit Salomon, *impiorū misericordias esse crudeles*. Eæ sunt quando hominibus sceleratis & facinorosis parcitur, justitiæ gladio feriendis: Crudelior enim hujusmodi *misericordia*, quam crudelitas ipsa. Nā crudelitas exercetur in singulos: at misericodia illa universum facinorosorū exercitū, concessa impunitate, in homines innocentes armat & immittit.

Parabola.

15. *Totum spiritum suum profert stultus; at sapiens reservat aliquid in posterum.*

Explicatio.

Corrigit parabola præcipue (ut videtur) non hominum vanorum futilitatē, qui dicenda, tacenda, facile proferunt: non Parthesiam illam, qua absq; discrimine & judicio in omnes & omnia involant: nō garrulitatem; qua ad nauseam usq; aliis obstrepunt: sed vitium aliud magis occultum; nempe sermonis regimen minime omnium prudens & politicum; hoc est, cum quis ita sermonē (in colloquiis privatis) instituit, ut, quæcunque in animo habet, quæ ad rem pertinere putet, simul, & tanquā uno spiritu, & oratione continuata, proferat. Hoc enim plurimum negotiis officit. Siquidem primo, *oratio intercisa*, & per partes infusa, longe magis penetrat quam continuata; quoniam in continuata pondus rerum non distincte & sigillatim excipitur, nec per moram nonnullam insidet, sed ratio rationem, antequam penitus insederit, expellit. Secundo, nemo tam potenti & felici eloquentia valet, ut primo sermonis impetu eum, quem alloquitur, *mutum* & *elinguem plane reddat*: quin & alter aliquid vicissim respondebit, & fortasse objiciet. Tū vero accidit, ut quæ in refutationem aut replicationem reservanda fuissent, præmissa jam, & antea delibata, vires suas & gratiam amiserint. Tertio si quis ea, quæ dicenda sunt, non simul effundat, sed per partes eloquatur, aliud primo, aliud subinde injiciens; sentiet ex ejus, quem alloquitur, vultu, & responso, quomodo singula illum affecerint, quam in partem accepta fuerint; ut, quæ adhuc restant dicenda, cautius aut supprimat, aut excerpat.

Parabola.

16. *Si Spiritus potestatem habentis adscenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare magna peccata.*

Explicatio.

Præcipit *parabola*, quomodo se quis gerere debeat, cum iram atque indignationem *principis* incurrit.

incurrit. Præceptum duplex: Primo, *ut non dimittat locũ suum*: Secundo, ut *curationi*, tanquam in morbo aliquo gravi, diligenter & caute *attendat*. Consueverunt enim homines, postquam commotos contra se *Principes* suos senserint, partim ex dedecoris impatientia, partim ne vulnus observãdo refricent, partim ut tristitiam & humilitatem eorum Principes sui perspiciant, se à munerib⁹ & functionibus suis subducere, quinetiam interdum ipsos Magistratus, & Dignitates quas gerunt, in *Principum* manus restituere. At Salomon, hanc medendi viam, veluti noxiam, improbat: idq; summa profecto ratione. Primò enim, *dedecus ipsum nimis illa publicat*; unde tum inimici, atq; invidi, audaciores fiunt ad lædendum; tum amici timidiores ad subveniendũ. Secundo, hoc pacto fit, ut *Principis ira*, quæ fortasse, si non evulgaretur, sponte concideret, *magis figatur*, &, veluti principio jam facto hominis deturbandi, in præcipitium illius feratur. Postremò, *Secessus* iste, *aliquid sapit ex malevolo*, & temporibus infenso: Id quod malum indignationis, malo suspicionis cumulat. Ad *curationẽ* autem pertinent ista. Primo, caveat ante omnia, ne *stupiditate* quadam, aut etiam *animi elatione*, *indignationẽ Principis minime sentire*, aut inde, prout debeat, affici, videatur: Hoc est, ut & vultum, non ad tristitiam contumacem, sed ad mœstitiam gravem atq; modestã componat: & in rebus quibuscunq; agendis se minus solito hilarem & lætum ostendat: Quin & in rem suam erit, amici alicujus opera, & sermone, apud *Principem* uti, qui, quanto doloris sensu in intimis excrutietur, tempestive insinuet. Secundo, *occasiones omnes*, vel *minimas*, sedulo *evitet*, per quas aut *res* ipsa, quæ indignationi causam præbuit, *refricetur*, aut *Princeps* denuo excandescẽdi, & ipsum, quacunq; de causa, coram aliis objurgandi, ansam arripiat. Tertio, perquirat etiam diligenter occasiones omnes, in quibus *opera ejus Principi grata esse possit*: ut & voluntatem promptam redimendi culpam præteritam ostendat: & *Princeps* suus sentiat, quali tandem servo, si eum dimittat, privari se contigerit. Quarto, *Culpam ipsam*, aut *sagaciter in alios transferat*; aut *animo* illam non *malo commissam* esse insinuet: aut etiam *malitiam illorum*, qui ipsum Regi detulerunt, vel rem supra modum aggravarunt, *indicet*. Deniq; in omnibus evigilet, & *curationi* sit intentus.

Parabola.

17. *Primus in causa sua justus: tum venit altera pars, & inquirit in eum.*

Explicatio.

Prima in unaquaq; *causa informatio*, si paulisper animo judicis insederit, altas radices agit, eumq; imbuit, & occupat: adeo ut ægre elui possit, nisi aut manifesta aliqua falsitas in materia informationis, aut artificium aliquod in eadẽ exhibenda deprehendatur. Etenim nuda & simplex defensio, licet justa sit & prępondérans, vix prejudicium informationis primæ compensare, aut libram justitiæ semel propendentem ad æquilibrium reducere, per se valet. Itaq; & judici totissimum, ut nihil, quod ad merita causę spectat, prelibetur, priusquam utraq; pars simul audiatur: & defensori optimum, si judicem senserit præoccupatum, in hoc potissimum (quantum dat causa) incumbere, ut versutiam aliquam, & dolum malum, ab adversa parte, in judicis abusum adhibitum, detegat.

Parabola.

18 *Qui delicate à pueritia nutrit servum, postea sentiet eum contumacem.*

Explicatio.

Servandus est, *Principibus* & *Dominis*, ex consilio Salomonis, in gratia & favore suo erga *servos modus*. Is triplex est. Primo, ut *promoveantur per gradus, non per saltus*: Secundo, ut *interdum assuefiant repulsæ*: Tertio, (quod bene præcipit Macciavellus) ut *habeant præ oculis suis semper aliquid, quo ulterius aspirare possint*. Nisi enim hæc fiant, reportabunt proculdubio *Principis* in fine à *servis* suis, loco animi grati, & officiosi, fastidium & contumaciam. Etenim, ex promotione subita, oritur *insolentia*: ex perpetua desideratorum adeptione, *impatientia repulsæ*: Denique si vota desint, deerit itidem alacritas & *industria*.

Parabola.

19. *Vidisti virum velocem in opere suo: coram Regibus stabit, nec erit inter ignobiles.*

Explicatio.

Inter virtutes, quas *Reges*, in delectu *servorum*, potissimum spectant & requirunt, gratissima est præ cunctis *celeritas*, & in *negotiis expediendis strenuitas*. Viri profunda prudentia *Regibus* suspecti, utpote qui nimium sint inspectores, & dominos suos, inscios & invitos, ingenii sui viribus (tanquam machina) circumagere possint. Populares, invisi: utpote qui Regum Luminibus officiunt, & oculos populi in se convertunt. Animosi, pro turbulentis sæpe habẽtur, & ultra, quam par est, ausuris. Probi, & vitæ integræ, tanquam difficiles existimantur, nec ad omnes nutus heriles apti. Deniq; non est virtus alia, quæ non habeat aliquam quasi umbram, qua *Regum* animi offendantur: Sola *velocitas admandata*, nihil habet, quod non placeat. Insuper, motus animorum regiorum celeres sunt, & moræ minus patientes. Putant enim, se quidvis efficere posse: Illud tantum deesse, ut cito fiat. Itaque antea omnia iis grata est *celeritas*.

Parabola.

20. *Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo, qui consurgit pro eo.*

Explicatio.

Notat *parabola* vanitatem hominum, qui se agglomerare solent ad *successores designatos principũ*. Radix autem hujus rei est insania illa, hominum animis penitus à natura insita: nimirũ ut spes suas nimium adament. Vix enim reperitur, qui non delectetur magis iis, quę *sperat*, quam iis, quę *fruitur*. Quinetiam *novitas* humanæ naturæ grata est, & avide expetitur. In *successore* autẽ *Principis* ista duo concurrunt: *Spes* & *Novitas*. Innuit autem *parabola* idem, quod olim dictum erat; primo à Pompejo ad Syllam; postea à Tiberio de Macrone: *Plures adorare solem orientem, quam occidentem*. Neq; tamẽ *imperantes* multum hac re comoventur, aut eam magni faciunt, sicut nec Sylla, nec Tiberius fecit, sed rident potius hominum levitatem, nec pugnant cum somniis: *Est autem* (ut ajebat ille) *spes vigilantis insomnium*. Parabola.

21. *Erat Civitas parva, & pauci in ea viri: Venit contra eam Rex magnus, & vadavit eam instruxitq; munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio: inventusq; est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit eam per sapientiam suam: & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.*

Explica-

Explicatio.

Describit *parabola ingenium hominum pravum & malevolum.* Il in rebus duris, & angustis, confugiunt fere ad viros prudentes, & strenuos, licet antea contemptui habitos. Quamprimum autem tempestas transierit, ingrati demum erga conservatores suos reperiuntur. Macciavellus vero, non sine causa, instituit quæstionem, *Uter ingratior esset erga benemeritos, Princeps, aut populus?* Sed interim utrumq; ingratitudinis arguit. Attamen hoc non solum ex *ingratitudine Principis* aut *populi* oritur, sed accedit plerumque his *invidia procerum*, qui secreto indolent eventui, licet felici & prospero, quia ab ipsis profectus non sit: Itaque & meritum hominis extenuant, & ipsum deprimunt.

Parabola.

22. *Iter pigrorum, quasi sepes spinarum.*

Explicatio.

Elegantissime ostendit *parabola, pigritiam* in fine *laboriosam* esse. Diligentia enim, & sedula præparatio, id præstant, ut pes in aliquod offendiculum non impingat: sed ut complanetur via, antequam ineatur: At qui piger est, & omnia in extremum momentum executionis differt, necesse est, ut perpetuo, & singulis passibus, quasi per rubos & sentes incedat, qui eum subinde detineant, & impediant. Idem observari possit etiam in familia regenda: in qua, si adhibeatur cura & providentia, omnia placide & veluti sponte procedunt, absque strepitu & tumultu: Sin hæc desint, ubi major aliquis motus intervenerit, omnia simul agenda turmatim occurrunt: tumultuantur servi, ædes personant.

Parabola.

23. *Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit: Iste & pro buccella panis deseret veritatem.*

Explicatio.

Prudentissime notat *Parabola*, in *judice* magis perniciosam esse *facilitatem morum*, quam *corruptelam munerum. Munera* enim haudquaquam ab omnibus deferuntur: at vix ulla est causa, in qua non inveniatur aliquid, quod flectat judicis animū, si *personas respiciat.* Alius enim respicietur, ut popularis; Alius, ut maledicus; Alius, ut dives; Alius, ut gratus: Alius, ut ab amico commendatus. Deniq; omnia plena sunt iniquitatis, ubi dominatur *respectus personarum*: & levi omnino de causa, veluti pro *buccella panis, judicium* pervertetur.

Parabola.

24. *Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.*

Explicatio.

Parabola ista antiquitus expressa & depicta fuit, sub fabula *Hirudinis, utriuq;*, nimirum, plenæ, & vacuæ. *Pauperis* enim & *famelici oppressio* longe gravior est, quam *oppressio* per *divitem* & *repletum*: quippe quæ omnes exactionum technas, & omnes nummorum angulos, perquirit. Solebat hoc ipsum etiam spongiis assimilari, quæ aridæ fortiter sugunt: madidæ, non item. Monitum autem utile continet: tum erga Principes, ne præfecturas provinciarum, aut Magistratus, viris indigentibus, & obæratis, committant: tum erga populos, ne Reges suos cum nimia egestate conflictari permittant.

Parabola.

25. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, est justus cadens coram impio.*

Explicatio.

Præcipit *parabola*, rebus publicis ante omnia cavendum esse de *iniquo & infami judicio*, in *causa aliqua celebri & gravi*: præsertim ubi non absoltur innoxius, sed condemnatur insons. Etenim injuriæ inter privatos grassantes, turbant quidem & polluunt *latices justitiæ*, sed tanquam in *rivulis.* Verum judicia iniqua, qualia diximus, à quibus exempla petuntur, *fontes* ipsos *justitiæ* inficiunt, & inquinant. Postquam enim tribunal cesserit in partes injustitiæ, status rerum vertitur tanquam in latrocinium publicum: Fitque plane, ut *homo homini sit lupus.*

Parabola.

26. *Noli esse amicus homini iracundo, ne ambulato cum homine furioso.*

Explicatio.

Quanto religiosius amicitiæ jura inter bonos servanda & colenda sunt, tanto magis cavendum est, jam usq; à principio, de *prudente amicorum delectu.* Atq; amicorum natura & mores, quantum ad nos ipsos spectant, omnino ferendi sunt. Cum vero necessitatem nobis imponunt, qualem erga alios personam induamus, & geramus, dura admodum, & iniqua amicitiæ conditio est. Itaq; interest inprimis, ut præcipit Salomon, ad vitæ pacem, & præsidia, ne res nostras cum *hominibus iracundis*, & qui facile lites & jurgia provocant, aut suscipiunt, commisceamus. Istud enim genus amicorum perpetuo nos contentionibus & factionibus implicabit: ut aut amicitiam abrumpere, aut incolumitati propriæ deesse, cogamur.

Parabola.

27. *Qui celat delictum, quærit amicitiam: sed qui altero sermone repetit, separat fœderatos.*

Explicatio.

Duplex, concordiam tractandi, & animos reconciliandi, via. Altera, quæ incipit ab *amnestia*; Altera, quæ à *repetitione injuriarum*, subjungendo apologias, & excusationes. Equidem memini sententiam viri admodum prudentis & politici, *Qui pacem tractat, non repetitis conditionibus dissidii, is magis animos dulcedine concordiæ fallit, quam æquitate componit.* Verum Salomon, illo scilicet prudentior, in contraria opinione est; & *amnestiam* probat, *repetitionem* prohibet. Etenim in *repetitione* hæc insunt mala; tum quod ea sit veluti *unguis in ulcere*; tum quod *periculum impendeat à nova altercatione*, (siquidem de injuriarum rationibus inter partes nunquam conveniet,) tum denique quod *deducat rem ad apologias*; At utraque pars, malit videri, potius offensam remisisse, quam admisisse excusationem.

Parabola.

28. *In omni opere bono erit abundantia; ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.*

Explicatio.

Separat Salomon hac *parabola* fructum *laboris linguæ*, & *laboris manuum*; quasi ex altero proveniat *egestas*, ex altero *abundantia.* Etenim fit fere perpetuo, ut, qui multa effutiunt, jactant multa, multa promittunt, egeni sint, nec emolumentum capiant ex illis rebus, de quibus loquuntur. Quin etiam, ut plurimum, industrii minime sunt, aut impigri ad opera, sed tantummodo sermonibus se, tanquam vento, pascunt & satiant. Sane, ut poëta loquitur, *Qui silet, est firmus.* Is qui conscius

est, se in opere proficere, sibi plaudit, & tacet: Qui vero è contra conscius est, auras se inanes captare, multa & mira apud alios prædicat.

Parabola.

29. *Melior est correptio manifesta, quam amor occultus.*

Explicatio.

Reprehendit *parabola mollitiem amicorum*, qui amicitiæ privilegio non utuntur in admonendo libere & audacter amicos, tam de erroribus, quam de periculis suis. *Quid enim faciam* (solet hujusmodi *mollis amicus* dicere) *aut quo me vertam? Amo illum quantum quis, maxime; meque, si quid illi adversi contigerit, ipsius loco libenter substituerim: Sed novi ingenium ejus; si libere cum eo egero, animum illius offendam; saltem contristabo; Neque tamen proficiam; Atq; citius eum ab amicitia mea alienabo, quam ab iis, quæ in animo fixa habet, abducam.* Hujusmodi *amicum*, tanquam enervem, & inutilem, redarguit Salomon; atque plus utilitatis ab inimico *manifesto*, quam ab ejus generis *amico*, sumi posse pronunciat. Siquidem ea fortasse audire ei contigerit ab *inimico* per contumeliam, quæ *amicus* mussat præ nimia indulgentia.

Parabola.

30. *Prudens advertit ad gressus suos; Stultus divertit ad dolos.*

Explicatio.

Duæ sunt *prudentiæ* species. Altera vera & sana: Altera degener & falsa, quam Salomon *stultitiæ* nomine appellare non dubitat. Qui priori se dederit, viis & vestigiis propriis cavet, periculis prospiciens, meditans remedia: proborum opera utens, contra improbos se ipsum muniens, cautus inceptu, receptu non imparatus; in occasiones attentus, contra impedimenta strenuus: cum innumeris aliis, quæ ad sui ipsius *actiones & gressus regendos* spectant. At altera species, tota est consuta ex *fallaciis & astutiis*, spemq; ponit omnino in aliis circumveniendis, iisdemq; ad libitum effingendis. Hanc merito rejicit *parabola*, non tantum ut improbam, sed etiam ut *stultam*. Primo enim, minime est ex iis rebus, quæ *in nostra sunt potestate*, nec etiam aliqua *constanti regula nititur*: Sed nova quotidie comminiscenda sunt stratagemata, prioribus fatiscentibus, & absoletis. Secundo, qui vafri & subdoli hominis famam & opinionem semel incurrerit, præcipuo se ad res gerendas *instrumento* prorsus privavit, hoc est, *fide*: Itaque omnia parum votis suis consentientia experietur. Postremo, *artes istæ, utcunque pulchræ videantur*, & *complaceant*; attamen sæpius frustrantur, quod bene notavit Tacitus: *Consilia callida & audacia, exspectatione læta, tractatu dura, eventu tristia.*

Parabola.

31. *Noli esse justus nimium, nec sapientior, quam oportet; cur abripiare subito?*

Explicatio.

Sunt tempora (ut inquit Tacitus) *in quibus magnis virtutibus certissimum est exitium.* Atque hoc viris virtute & justitia egregiis, aliquando subito, aliquando diu ante prævisum, contingit. Quod si adjungatur etiam prudentia, hoc est, ut cauti sint, & ad propriam incolumitatem evigilent, tum hoc lucrantur, ut ruina eorum subito obveniat ex occultis omnino & obscuris consiliis, quibus & evitetur invidia, & pernities ipsos imparatos adoriatur. Quod vero ad illud *Nimium*, quod in *Parabola* ponitur, (quandoquidem non Periandri alicujus, sed Salomonis verba sunt ista; Qui mala in hominum vita sæpius notat, nunquam præcipit) intelligendum est, non de virtute ipsa, (in qua *Nimium* non est,) sed de vana ejus atque invidiosa affectatione, & ostentatione. Simile quiddam innuit Tacitus de Lepido, Miraculi loco ponens, quod nunquam servilis alicujus sententiæ auctor fuisset, & tamen tam sævis temporibus incolumis mansisset: *Subit* (inquit) *cogitatio, utrum hæc fato regantur, an etiam sit in nostra potestate, cursum quendam tenere inter deforme obsequium, & abruptam contumaciam, medium, periculo simul & indignitate vacuum.*

Parabola.

32. *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.*

Explicatio.

Distinguit *Parabola* inter *Sapientiam* illam, quæ in verum habitum increverit, & maturuerit, & illam, quæ natat tantum in cerebro & conceptu, aut sermone jactatur, sed radices altas non egerit. Siquidem prior, oblata occasione, in qua exerceatur, illico excitatur, accingitur, dilatatur, adeo ut se ipsa major videatur: Posterior vero, quæ ante occasionem alacris erat, occasione data, fit attonita & confusa, ut etiam ipsi, qui ea se præditum arbitrabatur, in dubium vocetur; annon præceptiones de ea fuerint insomnia mera, & speculationes inanes?

Parabola.

33. *Qui laudat amicum voce alta, surgendo mane, erit illi loco maledictionis.*

Explicatio.

Laudes moderatæ, & tempestivæ, & per occasionem prolatæ, famæ hominum atque etiam fortunæ, plurimum conferunt: At immoderatæ, & stereperæ, & importune effusæ, nihil prosunt: imo potius, ex sententia *Parabolæ*, impense nocent. Primo enim manifesto se produnt, aut ex *nimia benevolentia oriundas*, aut ex *composito affectatas*; quo *collaudatum* potius falsis præconiis demereantur, quam veris attributis ornent. Secunda, *laudes parcæ & modestæ, invitant* fere *præsentes*, ut *ipsis etiam aliquid adjiciant*; profusæ contra & immodicæ, ut aliquid demant & detrahant. Tertio, (quod caput rei est) conflatur illi invidia, qui *nimium laudatur*: cum *laudes* omnes *nimiæ*, videantur spectare ad contumeliam aliorum, qui non minus merentur.

Parabola.

34. *Quomodo in aquis resplendent facies: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

Explicatio.

Distinguit *Parabola* inter *mentes prudentium*, & *cæterorum hominum*; Illas *aquis* aut *speculis* comparans, quæ species & imagines rerum recipiunt: cum alteræ similes sint *terræ*, aut *lapidi impolito*, in quibus nihil reflectitur. Atq; eo magis apte comparatur *animus hominis prudentis* ad *speculum*: quia in *speculo imago* propria spectari possit, una cum *imaginibus aliorum*: Id quod *oculis* ipsis sive *speculo* non conceditur. Quod si *animus prudentis* adeo capax sit, ut innumera ingenia & mores observare

vare & internoscere possit; superest, ut detur opera, quo reddatur non minus *varius applicatione*, quam *repræsentatione*;

Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.

ATque his *Salomonis Parabolis*, diutius fortasse immorati sumus, quam pro modo exempli; dignitate & rei ipsius, & auctoris, longius provecti.

Neque tantum in usu erat apud Hebræos, sed alibi etiam Priscorum sapientibus frequentissimum; ut si cujuspiam observatio in aliquid incidisset, quod vitæ communi conducibile fuisset, id redigeret & contraheret in brevem aliquam *sententiam*, vel *Parabolam*, vel etiam *Fabulam*. Verum, quod ad *fabulas*, (sicut aliud dictum est) illæ exemplorum vicarii, & supplementa, olim extiterunt: Nunc quando tempora *historiarum* copia abundent, ad animatum scopum rectius & alacrius collimatur. At motus scribendi, qui optime convenit argumento tam vario & multiplici, (quale est *tractatus* de *negotiis* & *occasionibus sparsis*) aptissimus ille esset, quem delegit Macciavellus, ad tractandas res Politicas; nimirum per observationes, sive *discursu* (ut loquuntur) super *historiam* & *exempla*. Nam scientia, quæ recenter, & quasi in conspectu nostro, ex particularibus elicitur, viam optime novit, particularia denuo repetendi: Atq; certe ad Practicam longe conducit magis cum discursus sive disceptatio sub exemplo militat, quam cum exemplum disceptationi subjungitur. Neque enim hic ordo tantum spectatur, sed res ipsa. Cum enim exemplum statuitur tanquam disceptationis basis, universo cum circumstantiarum apparatu proponi solet, quæ discursum interdum corrigant, interdum suppleant; unde fit loco exemplaris ad imitationem, & practicam: Ubi è contra exempla, in gratiam disceptationis adducta succincte & nude citantur, & tanquam mancipia, nutus tantum disceptationis observant.

Hoc vero discriminis operæ pretium fuerit observasse; quod sicut *historiæ temporum* optimam præbent materiam ad *discursus* super *Politica*, quales sunt illi Macciavelli; ita *historiæ vitarum* optime adhibentur ad *documenta* de *negotiis*; Quoniam omnem occasionum & negotiorum, tam grandium quam leviorum, varietatem complectuntur. Imo reperire est basin ad *præceptiones* de *negotiis*, utrâq; illâ *historiâ* adhuc commodiorem: Ea est, ut discursus fiant super *epistolas*, sed prudentiores, & magis serias; quales sunt illæ Ciceronis ad Atticum; & aliæ. Siquidem *epistolæ* magis in proximo & ad vivum, negotia solent repræsentare, quam vel *Annales*, vel *vitæ*. Quare jam, & de materia, & de forma portionis primæ, *doctrinæ* de *negotiis*, quæ tractat *occasiones sparsas*, diximus; eamque inter *desiderata* numeramus.

Est & alia portio ejusdem *doctrinæ*, quæ tantum differt ab illa altera, de qua diximus, quantum *sapere* & *sibi sapere*. Altera enim movere videtur, tanquam à centro ad circumferentiam; Altera tanquam à circumferentia ad centrum. Est enim *prudentia* quædam *consilii aliis impertiendi*, est vero & alia *suis rebus prospiciendi*: Atque hæ nonnunquam conjunguntur, sæpius separantur. Multi siquidem in suis ipsorum rationibus instituendis prudentissimi sunt, qui tamẽ in rebuspublicis administrandis, aut etiam consiliis dandis, nihil valent: Formicæ similes; quæ creatura sapiens est ad sese tuendum, sed horto plane noxia. Hæc virtus *sibi sapiendi*, Romanis ipsis, licet patriæ optimis curatoribus, non ignota fuit: unde Comicus, *Nam pol sapiens fingit fortunam sibi*. Quin & in Adagium apud ipsos versum est, *Faber quisque fortunæ propriæ*. Et Livius hanc ipsam Catoni Majori tribuit: *In hoc viro tanta vis animi & ingenii inerat, ut quocunque loco natus esset, sibi ipsi fortunam facturus videretur.*

Hoc genus *prudentiæ*, si quis ipsum profiteatur, & palam venditet, semper habitum est, non modò non Politicum, verum etiam infaustum quiddam, & inauspicatum: Sicut in Timotheo Athenienſi observatum est: Qui, postquam præclara multa facinora in decus & commodum civitatis suæ, edidisset, atque Administrationis suæ (sicut tum moris erat) populo rationem redderet; singula conclusit hac clausula; *Atque in hac re fortunæ partes fuerunt nullæ.* Contigit vero ut post id temporis nunquam ei quicquam feliciter cesserit. Sane nimis elatum hoc, & altum sapiens, eodem spectans, quo Ezechielis illud de Pharaone; *Dicit, Fluvius est meus, & ego feci memet ipsum*, aut illud Habacuc Prophetæ; *Exultant & sacrificant reti suo*, aut illud etiam Poëtæ, de contemptore Deûm Mezentio:

Dextra mihi, Deus, & telum, quod missile libro,
Nunc adsint. ——

Denique, Julius Cæsar, nunquam (quod memini) impotentiam cogitationum suarum arcanarum prodidit, nisi simili dicto: Cum enim Aruspex ei referret, exta reperta fuisse non bona, admurmuravit submisse: *Erunt latiora cum volo.* Quod etiam dictum, mortis suæ infortunium nõ diu præcessit. Verum excessus iste fiduciæ (ut diximus) res, ut profana, ita semper infelix. Qua propter, Viris magnis, & vere sapientibus, visum, successus quoslibet felicitati suæ, non virtuti, aut industriæ, tribuere: Nam & Sylla, *felicem* se, non *Magnum* cognominat; & Cæsar (melius quam supra) ad navis gubernatorem; *Cæsarem vehis, & Fortunam ejus.*

Attamen istæ sententiæ; *Faber quisque fortunæ suæ*; *Sapiens dominabitur astris*; *Invia virtuti nulla est via*, ac similes; si intelligantur & adhibeantur potius pro calcaribus ad industriam, quam pro stapedibus ad insolentiam, magisque ut progignant in hominibus decretorum constantiam & robur, quam arrogantiam & jactantiam, tanquam sanæ & salutares merito habitæ sunt, ac proculdubio in pectoribus hominum magnanimorum sedem nonnullam occuparunt; eousque ut cogitationes tales quandoque ægre dissimulent. Videmus enim, Augustum Cæsarem (qui cum Avunculo suo comparatus, potius ab illo diversus quam inferior fuit; sed Vir certe paulo moderatior) sub finem vitæ petiisse ab amicis, qui lectum ejus circumstabant, ut, postquam expirasset, sibi *plauderent*, quasi conscius sibi fuisset, *mimum vitæ à se commode transactum.* Hæc quoque *doctrinæ* portio inter *desiderata* numeranda est: Non quin in praxi, etiam nimio plus quam oportet, usurpata sit & frequentata; Verum quod libri de illa silent. Quamobrem ex more nostro, sicut in priore, nonnulla ejus capita recensebimus: Eamque *fabrum* for-

fortunæ, sive (ut diximus) *doctrinam de ambitu vitæ* nominabimus.

Ac primo quidem intuitu, novum quoddam & insolitum argumentum tractare videbor: docent do homines, quomodo *fortunæ suæ fabri* fieri possint, Doctrinam certe, cui quivis libenter se discipulum addixerit, donec difficultatem ejusdem habuerit perspectam. Non enim leviora sunt, aut pauciora, aut minus ardua, quæ ad *fortunam* comparandam requiruntur, quam quæ ad *virtutem*: Resque est æque difficilis ac severa, fieri vere *Politicum*, ac vere *Moralem*. At hujus *doctrinæ* pertractatio plurimum ad literarum, tum *decus*, tum *pondus*, pertinet. Interest enim inprimis *honoris* literarum, ut homines isti pragmatici sciant, eruditionem haud quaquam aviculæ, qualis est alauda, similem esse, quæ in sublime ferri, & cantillando se oblectare soleat; at nihil aliud: quinimo ex accipitris potius genere esse, ut qui in alto volare, ac subinde, cum visum fuerit, descendere, & prædam rapere novit. Deinde & ad *perfectionem* literarum hoc ipsum spectat, quia legitimæ inquisitionis vera norma est, ut *nihil inveniatur in globo materiæ, quod non habeat parallelum in globo crystallino, sive intellectu*. Hoc est, ut nihil veniat in *Practicam*, cujus non sit etiam *Doctrina* aliqua & *Theoria*. Neque tamen literæ hanc ipsam *fortunæ architecturam* aliter admirantur, aut æstimant, quam ut opus quoddam inferioris generis. Nemini enim *fortuna propria*, pro dono *esse sui*, à Deo concesso, ullo modo digna retributio esse possit. Quin & non raro fit, ut viri virtutibus egregii fortunæ suæ sponte renuncient, ut rebus sublimioribus vacent. Digna tamen est *fortuna*, quatenus virtutis ac benemerendi organum est, sua quoque *speculatione* & *doctrina*.

Ad hanc *doctrinam* pertinent præcepta, nonnulla *summaria*, nonnulla *sparsa* & *varia*. Præcepta *summaria* versantur, circa veram *notitiam*, & *aliorum*, & *sui*. Primum igitur præceptum (in quo cardo *notitiæ aliorum* vertitur) illud constituatur, ut procuremus nobis (quantum fieri possit) *fenestram* illam, quam olim requisivit Momus. Ille, cum in humani cordis fabrica tot angulos & recessus conspicatus esset, id reprehendit, quod desuisset *fenestra*, per quam in obscuros illos & tortuosos anfractus inspicere quis possit. Hanc autem *fenestram* obtinebimus, si omni sedulitate nobis informationem comparemus, & procuremus, de personis, quibuscum intercedunt negotia, particularibus; earumque ingeniis, cupiditatibus, finibus, moribus, auxiliis & adminiculis, quibus præcipue suffulciuntur & valent; & rursus, defectibus & imbecillitatibus, quaque ex parte maxime pateant & obnoxii sint; amicis, factionibus, patronis, clientelis; rursusque inimicis, invidis, competitoribus; etiam temporibus & aditibus;

(*Sola viri molles aditus & tempora noris*;)

denique institutis, & normis, quas sibi præscripserunt; & similibus. Quin etiam, non solum informatio capienda est de *personis*, sed insuper de *actionibus* particularibus, quæ de tempore in tempus in motu sunt, & tanquam sub incude; Quomodo regantur & succedant, quorum studiis foveantur, à quibus oppugnentur, cujusque sint ponderis & momenti, & quid secum trahant, & hujusmodi. Etenim *actiones* præsentes nosse, & in se plurimum prodest; & illud insuper habet, quod absque hoc, etiam personarum notitia valde futura sit fallax & erronea. Mutantur enim homines simul cum actionibus: & alii sunt, dum actionibus ipsis implicantur & obsidentur: alii, postquam redierint ad ingenium. Atque hæ de rebus particularibus informationes, quæ tã ad *personas* quam ad *actiones* spectant, sunt tanquam propositiones minores in omni activo Syllogismo. Nulla enim observationum aut axiomatum (unde conficiuntur majores propositiones politicæ) veritas, aut excellentia, ad conclusionis firmamentum sufficere possit; si in minore propositione fuerit erratum. Quod vero hujusmodi *notitia* comparari possit, fidejussor nobis est Salomon, qui ait; *Consilium in corde viri, tanquam aqua profunda, sed vir prudens exhauriet illud*. Quamvis autem ipsa *notitia* non cadat sub præceptum, quoniam individuorum est; attamen mandata de eadem elicienda utiliter dari possunt.

Notitia hominum sex modis elici & hauriri potest: per *vultus* & ora ipsorum, per *verba*, per *facta*, per *ingenia* sua, per *fines* suos, denique per *relationes aliorum*. Quantum ad *vultus* attinet, minime nos moveat vetus adagium, *fronti nulla fides*: Licet enim hoc ipsum non perperam dictum sit, de *vultus* & *gestus* compositione externa & generali; attamen subsunt subtiliores quidam motus, & labores *oculorum*, *oris*, *vultus*, & *gestus*: Ex quibus reseratur & patet (ut eleganter ait Q. Cicero) veluti *Ianua quædam animi*. Quis Tiberio Cæsare occultior? At Tacitus, notans characterem & modum loquendi diversum; quo usus est Tiberius in laudando apud Senatum Res à Germanico & à Druso gestas, de laudibus Germanici sic: *Magis in speciem adornatis verbis, quam ut penitus sentire videretur*. De laudibus Drusi sic; *Paucioribus, sed intentior, & fida oratione*. Iterum Tacitus, eundem Tiberium, alias etiam ut nõnihil pellucidum, notans: *in aliis* (inquit) *erat veluti eluctantium verborum; solutius vero loquebatur, quando subveniret*. Sane difficile reperiatur simulationis artifex aliquis tam peritus & egregius: aut vultus aliquis ita coactus, &, ut ille loquitur, *jussus*; qui à sermone artificioso & simulatorio possit istas notas sejungere, quin aut sermo sit solito *solutior*, aut magis *vagus* & *oberrans*, aut magis *aridus* & quasi *eluctans*.

Ad *verba hominum* quod attinet, sunt quidem illa (ut de Urinis loquuntur Medici) *meretricia*. Sed isti *meretricii fuci* optime deprehenduntur duobus modis; Cum scilicet *proferuntur verba* aut *ex improviso*, aut in *perturbatione*. Sic Tiberius, cum ex Agrippinæ verbis aculeatis subito commotus esset, & nonnihil abreptus, extra innatæ simulationis terminos pedem protulit; *Audita* hæc (inquit Tacitus) *raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque, Græco versu, admonuit; Ideo lædi, quia non regnaret*. Quare Poëta perturbationes hujusmodi non inscite appellat *torturas*, quod ab iis secreta sua prodere homines compellantur;

—— *Vinotortus & ira*.

Ipsa sane testatur experientia, paucos admodum reperiri, qui erga arcana sua tam fidi sint, animumque gerant adeo obfirmatum, quin interdum ex iracundia, interdum ex jactantia, interdum ex intima erga amicum benevolentia; interdum ex animi

animi imbecillitate, qui se mole cogitationum onerari amplius non sustineat, interdum denique ex alio quopiam affectu, intimas animi cogitationes revelent & communicent. Ac ante omnia sinus animi excutit, si simulatio simulationem impulerit; juxta Adagium illud Hispanorum; *Dic mendacium, & erues veritatem.*

Quin & *factis* ipsis, licet humani animi pignora sint certissima, non prorsus tamen fidendum, nisi diligenter ac attente pensitatis prius illorum & *magnitudine, & proprietate.* Illud enim verissimũ; *Fraus sibi in parvis fidem præstruit, ut majore emolumento fallat.* Italus vero seipsum. *In ipso stare lapide* putat, *ubi præco prædicat*, si melius solito tractetur, absq; causa manifesta. Etenim officia ista minora homines reddunt oscitantes, & quasi consopitos, tam ad cautionem, quam ad industriam: Atq; recte à Demosthene appellantur *alimenta socordiæ.* Porro *proprietatem* & naturam nonnullorum *factorum*, etiam quæ *beneficiorum* loco habẽtur, subdolam & ambiguam, luculentur cernere licet ex eo, quod Antonio Primo imposuit Mutianus: Qui post reditum cum eo in gratiam, sed fide pessima, plurimos ex Antonii Amicis ad dignitates evexit; *Simul amicis ejus præfecturas & tribunatus largitur.* Hoc autem astu Antonium non munivit, sed exarmavit penitus & desolavit, amicitias ejus ad se transferendo.

Certissima autem clavis, ad animos hominum reserandos, vertitur, in rimandis & pernoscendis, vel *ingeniis* & *naturis* ipsorum, vel *finibus* & *intentionibus.* Atq; imbecilliores certe & simpliciores, ex *ingeniis*; Prudentiores autem, & tectiores: ex *finibus* suis optime judicantur. Certe prudenter & facete (licet meo judicio minus vere) dictum fuit à nuntio quopiam Pontificis, sub reditu ejus à Legatione apud Nationem quandam, ubi tanquam Ordinarius resederat. Interrogatus de delectu Successoris sui, consilium dedit, *nullo modo mitteretur aliquis, qui eximie prudens esset, sed potius mediocriter tantum, quoniam* (inquit) *ex prudentioribus nemo facile conjiciet, quid verisimile foret illius gentis homines facturos.* Sane non raro intervenit ille error, & maxime familiaris est Viris Prudentibus, ut ex modulo ingenii proprii aliis metiantur, ac proinde ultra scopum sæpius jaculentur, supponendo quod homines majora quædam meditentur, & sibi destinent, & subtilioribus technis utantur, quam quæ illorum animos unquam subierint. Quod etiam eleganter innuit Adagium Italicum, quo notatur; *Nummorum, prudentiæ, fidei, semper minores inveniri rationes, quã quis putaret.* Quare in levioris ingenii hominibus, quia multa absurda faciunt, capienda est cõjectura potius ex propensionibus *ingeniorum*, quam ex destinationibus *finium.* Porro, *Principes* quoque (sed longe aliam ob causam) ab *ingeniis* optime judicantur: *Privati* autem ex *finibus. Principes* enim fastigium adepti humanorum desideriorum, nullos fere sibi propositos *fines* habent, ad quos præsertim vehementer & constanter aspirent: ex quorum *finium* situ & distantia, reliquarum suarum *actionum* possit excipi & confici Directio & Scala: Id quod inter alia, causa est vel præcipua, ut *corda eorum* (quod Scriptura pronunciat) *sint inscrutabilia.* At *privatorum* nullus est, qui non sit plane veluti viator, & proficiscatur intente ad aliquam itineris metam, ubi consistat: unde non male divinare quis poterit quid facturus sit, aut non facturus. Si enim in ordine sit quidpiam ad finem suum, probabile est facturum: Sin sit in contrarium finis, minime. Neq; de *finium* aut *ingeniorum* in hominibus diversitate informatio capienda est simpliciter tantum, sed & comparate: Quid scilicet prædominetur, & reliqua in ordinem cogat? Sic, ut videmus, Tigellinus, cum se Petronio Turpiano inferiorem sentiret in voluptatibus Neroni ministrandis & præguſtandis, *Metus* (ut ait Tacitus) *Neronis rimatus est*, & hoc pacto æmulum evertit.

Ad *notitiam* quod attinet, de hominum animis, secundariam, nimirum, quæ ab aliorum *relatione* desumitur, breviter dicere sufficiet. Defectus & vitia didiceris optime ab inimicis: Virtutes & facultates ab amicis: Mores & tempora à famulis: Opiniones & meditationes ab intimis familiaribus, cum quibus frequentius colloquia miscent. Fama popularis levis est, & superiorum judicia minus certa: Etenim coram illis tectiores incedunt homines; *Verior fama è domesticis emanat.*

Verum ad *inquisitionem* istam universam via maxime compendiaria in tribus consistit. Primum, ut *amicitias multas* comparemus, cum ejusmodi *hominibus*, qui *multiplicem & variam* habent, tam *rerum*, quam *personarum, notitiam*: Inprimis vero enitendum, ut saltem singulas habeamus præsto, qui, pro negotiorum atq; hominum diversitate, nos de unaquaque re certiores facere & solide informare possint. Secundo, ut *prudens temperamentum* & *mediocritatem* quandam persequamur, & in *libertate sermonis*, & in *taciturnitate*: frequentius *libertatem* usurpantes: at, cum res postulat, *silentium. Libertas* siquidem in *sermone*, etiam alios invitat & provocat, ut pari *libertate* erga nos utantur: Et sic multa deducit ad notitiam nostram: At *taciturnitas* fidem conciliat, efficitque, ut ament homines secreta sua apud nos, tanquam in sinu, deponere. Tertio, is nobis paulatim acquirendus est *habitus*, ut vigilante & præsente animo, in omnibus colloquiis & actionibus, simul & rem, *quæ instat, geramus*, & alia, *quæ incidunt, observemus.* Nam sicut Epictetus præcipit, ut *Philosophus*, in singulis suis actionibus, ita secum loquatur: *Et hoc volo, & etiam institutum servare*; Sic *Politicus* in singulis negotiis ita secum statuat; *Et hoc volo, atque etiam aliquid, quod in futurum usui esse possit, addiscere.* Itaque, qui eo sunt ingenio, ut nimirum *hoc agant*, & toti sint in præsente negotio quod in monibus habent, de iis autem, quæ interveniunt, nec cogitant quidem, (id quod in se agnoscit Montaneus) illi certe Ministri Regum aut Rerumpubl. sunt vel optimi, sed ad proprias fortunas claudicant. Interim cautio ante omnia adhibenda, ut *impetum animi* & *alacritatem* nimiam cohibeamus, ne multa sciendo, ad nos multis immiscendum feramur. Infelix enim quiddam est, & temerarium, *Polypragmosyne.* Itaque ista, quam comparandam præcipimus, *notitia rerum & personarum* varietas, huc tandem redit, ut & *rerum*, quas suscipimus, & *hominum*, quorum opera utimur, magis cum judicio delectum faciamus, unde cuncta & magis dextre, & magis tuto, disponere & administrare sciamus.

Notitiam aliorum sequitur *notitia sui.* Etenim non

non minor diligentia adhibenda est, sed major potius, ut nos de nobis ipsis, quam de aliis, vere & accurate informemus. Quippe cum oraculum illud, *Nosce te ipsum*, non tantum sit canon prudentiæ universalis, sed & in *Politicis* præcipuum locum habeat. Optime enim homines monet S. Jacobus, *eum, qui vultum in speculo consideravit, oblivisci tamen illico, qualis fuerit*: Ut omnino frequenti inspectione sit opus. Idque tenet etiam in *Politicis*. Sed *specula* scilicet sunt diversa: Nam *speculum Divinum*, in quo nos contueri debemus, est verbum Dei: *Speculum* autem *Politicum*, non aliud est, quam Status Rerum, & Temporum, in quibus vivimus.

Examen igitur accuratum, nec quale esse solet; Sui nimium Amantis, instituendum est *homini*, de propriis *facultatibus, virtutibus* & *adminiculis*, nec non de *defectibus, inhabilitatibus*, & *obstaculis*: ita rationem subducendo, ut hæc perpetuo in majus illa autem minoris potius, quam revera sunt, æstimentur. Ex hujusmodi autem examine, in *considerationem* veniant, quæ sequuntur.

Prima *consideratio* sit, quomodo alicui homini, moribusque & naturæ suæ; cum *temporibus* conveniat; quæ si inventa fuerint congrua omnibus in rebus, magis libere & solute agere, & suo ingenio uti liceat: sin sit aliqua antipathia, tum demum in universo vitæ cursu magis caute & recte est incedendum, minusque in publico versandum. Sic Tiberius fecit, qui morum suorum sibi conscius, cum sæculo suo non optime convenientem, ludos publicos nunquam spectavit: quin etiam per duodecim continuos annos postremos nunquam in Senatum venit: ubi contra Augustus perpetuo in oculis hominum vixit: quod & Tacitus observat; *Alia Tiberio morum via*. Eadem & Periclis ratio fuit.

Secunda sit *consideratio*, quomodo alicui conveniat cum *professionibus & generibus vitæ*, quæ in usu & pretio sunt, quorumq; sibi delectus sit faciendus: ut si jam decretum non sit de *genere vitæ*, maxime aptum & ingenio suo congruum sumat: sin jam pridem id *genus* vitæ, at quod minus à natura factus est, fuerit ingressus, sub prima occasione se subducat, & novam conditionem arripiat. Id quod à Valentino Borgia videmus factum, ad vitam sacerdotalem à patre innutrito: quam tamen postea ejuravit, suo ob Necessitatis ingenio, & vitæ militari se applicuit: quanquam Principatu æque ac Sacerdotio indignus, cum utrunque homo pestilens dehonestaverit.

Tertia sit *consideratio*, quomodo se habeat quis, *comparatus ad æquales & æmulos suos*, quos verisimile sit eum habiturũ in fortuna sua competitores: eumque vitæ cursum teneat, in quo maxima inveniatur virorum egregiorum solitudo: atq; in quo probabile sit, se ipsum inter cæteros, maxime posse enitere. Id quod à C. Cæsare factum est: qui ab initio Orator fuit, & causas egit: & in Toga potissimum versabatur: Cum vero vidisset, *Ciceronem, Hortensium, Catulum*, eloquentiæ gloria excellere, Rebus vero Bellicis clarum admodum neminem, præter Pompejum; destitit ab incepto, & Potentiæ illi Civili multum valedicere jubens, transtulit se ad artes militares, & Imperatorias: Ex quibus ad summum rerum fastigium conscendit.

Quarta sit *consideratio*, ut naturæ suæ & ingenii rationem habeat, in *deligendis amicis*; ac *necessariis*: Siquidem diversis diversum genus *amicorum* convenit; alias solenne, & taciturnum; aliis audax, & jactabundum; & complura id genus. Certe notatu dignum est, quales fuerint *amici* Julii Cæsaris (Antonius, Hirtius, Pansa, Oppius, Balbus, Dolabella, Pollio, reliqui:) Illi scilicet jurare solebant, *Ita vivente Cæsare moriar*; infinitum studium erga Cæsarem præ se ferentes; erga omnes alios arrogantes & contemptores. Fueruntque homines in negotiis gerendis impigri; fama, & existimatione, mediocres.

Quinta sit *consideratio*, ut caveat quis sibi *ab exemplis*, neque ad *imitationem aliorum* se inepte componat; quasi quod aliis fuerit pervium, etiam sibi patere necesse sit; neutiquam secum reputans, quantum fortasse interfuerit inter suum, & illorum, quod ad exemplum sibi delegit, ingenium & mores. In quem errorem manifesto incidit Pompejus, qui, ut Cicero scriptum reliquit, toties solitus erat dicere: *Sylla potuit, ego non potero*? Qua in re vehementer sibi imposuit, cum ingenium & rationes agendi Syllæ à suis *toto cœlo* (ut ajunt) *distarent*: cum alter ferox esset, violentus, quique factum in omnibus urgeret: alter gravis, legum memor, omniaque ad Majestatem & famam componens, unde longe minus erat, ad perficienda quæ cogitarat, efficax & validus. Sunt & aliæ hujus generis *præceptiones*: verum hæ ad exemplum reliquarum sufficiunt.

Neque vero, *Nosse se ipsum*, homini sufficit, sed ineunda etiam est ratio secum, quomodo se *ostentare, declarare*, denique *flectere se & effingere*, commode & prudenter possit. Ad *ostentandum se* quod attinet, nihil videmus usu venire frequentius, quam ut qui virtutis habitu sit inferior, specie virtutis externa sit potior. Non parva igitur est prudentiæ prærogativa, si quis arte quadam, & decore, specimen sui apud alios exhibere possit; *virtutes* suas, *merita*, atque *fortunam* etiam, (quoad sine arrogantia aut fastidio fieri possit) commode *ostentando*; contra, *vitia, defectus, infortunia* & *dedecora*, artificiose occultando; illis immorans, easque veluti ad lumen obvertens; his subterfugia quærens, aut apte ea interpretando eluens; & similia. Itaque, de Mutiano, viro sui temporis prudentissimo, & ad res gerendas impigerrimo, Tacitus; *Omnium, quæ dixerat, fecerat que, arte quadam Ostentator*. Indiget certe res hæc arte nonnulla, ne tædium & contemptum pariat: Ita tamen, ut *ostentatio* quæpiam, licet usque ad vanitatis *primum gradum*, vitium sit potius in *Ethicis*, quam in *Politicis*. Sicut enim dici solet de calumnia, *Audacter calumniare, semper aliquid hæret*: sic dici possit de jactantia, (nisi plane deformis fuerit & ridicula,) *Audacter te vendita, semper aliquid hæret*. Hærebit certe apud populum, licet prudentiores subrideant. Itaque existimatio parta apud plurimos, paucorum fastidium abunde compensabit. Quod si ista, de qua loquimur, *sui ostentatio* decenter & cum judicio regatur; Exempli gratia; Si nativum quendam pectoris candorem & ingenuitatem præ se ferat: aut si illis temporibus adhibeatur, vel cum pericula circumstant (ut apud viros militares in bellis,) vel cum alii invidia flagrant; aut si verba, quæ ad laudes proprias pertinent, tanquam aliud agenti excidisse videantur; minimeque vel serio,

vel

vel prolixe nimis, iis insistatur; aut si ita quis se laudibus honester, ut simul etiam censuris & jocis erga se non abstineat; aut si denique hoc facit, non sponte, sed tanquam lacessitus, & aliorum insolentiis & contumeliis provocatus; non parvum certè hæc res existimationi hominis cumulum adjicit. Neque sane exiguus est eorum numerus qui, cum natura sint magis solidi, & minime ventosi, atque propterea hac arte, honori suo velificand, careant, Moderationis suæ, nonnulla cum dignitatis jactura dant pœnas.

Verum hujusmodi *ostentationem virtutis*, utcunque aliquis infirmiore judicio, & nimium fortasse *Ethicus*, improbaverit: illud nemo negavit, dandam saltem esse operam ut virtus per incuriam justo suo prætio non fraudetur, & minoris, quam revera est, æstimetur. Hæc vero in virtute æstimanda, pretii diminutio, tribus modis solet contingere: Primo, quando quis, in rebus gerendis, se, & operam suam, offert & obtrudit, non vocatus, aut accersitus: Hujusmodi enim officiis, remunerationis loco esse solet, si non repudientur. Secundo, quando quis in principia rei gerendæ viribus suis nimium abutitur; & quod sensim erat præstandum, uno impetu offendit; Id quod rebus bene administratis præproperam conciliat gratiam, in fine autem satietatem inducit. Tertio, quando quis virtutis suæ fructum, in laudibus, plausu, honore, gratia sibi præbitis, nimis cito & leviter sentit, atque in iis sibi complacet, de quo prudens habetur monitum: *Cave ne insuetus rebus majoribus videaris, si hæc te res parva, sicuti magna, delectat.*

Defectuum enim vero sedula *occultatio*, minoris haudquaquam momenti est, quam *virtutum* prudens & artificiosa *ostentatio*. Defectus autem occultantur, & latent maxime, triplici quadam industria, & quasi tribus latebris; *Cautione, prætextu, & confidentia*. *Cautionem* dicimus, quando iis rebus prudenter abstinemus, quibus pares non sumus: Ubi contra, ingenia audacula, & inquieta, se facile ingerunt, sine judicio, rebus, quibus non insueverunt; & proinde defectus suos proprios publicant, & quasi proclamant. *Prætextum* dicimus, cum sagaciter, & prudenter, viam nobis sternimus & munimus, qua benigna & commoda de *vitiis & defectibus* nostris fiat interpretatio; quasi aliunde provenientibus, aut alio tendentibus, quam vulgo existimatur. Etenim de latebris vitiorum non male Poëta:

Sæpe latet vitium proximitate boni.

Quare, si quem *defectum* in nobis ipsis perceperimus, opera danda, ut persona & prætextum *virtutis finitimæ* mutuemur, sub cujus umbra lateat. Verbi gratia, *tardè gravitas* prætexenda, *ignavo lenitas*, & sic de cæteris. Illud etiam utile, probabilem aliquam causam obtendere, & in vulgus spargere, qua adducti, ultimas vires nostras promere refugiamus; ut quod *non possumus, nolle* videamur. Quod ad *confidentiam* attinet, impudens certe est remedium, sed tamen certissimum atque efficacissimum: Nempe, ut quis ea omnino contemnere, & vilipendere se profiteatur, quæ revera assequi non possit: Mercatorum prudentium more, quibus solenne est, & proprium, ut pretium mercium suarum attollant, aliorum deprimant. Est tamen & aliud *confidentiæ* Genus, hoc ipso impudentius; Nimirum, perfricta fronte *defectus* suos etiam opinioni obtrudere, & venditare, quasi in iis, quibus maxime destituitur, se eminere credat. Atque ut hoc facilius cæteris imponat, se in iis rebus, quibus revera plurimum pollet, fingat diffidentem. Quemadmodum fieri videmus in Poëtis. Poëta enim carmina sua recitante, si unum aliquem versiculum non admodum dixerit probandum, audias illico: *Atq; hic versu pluris mihi constitit, quam reliquorum plurimi.* Tum vero alium quempiam versum adducet, quasi sibi suspectum, & de eo, quid putes, sciscitabitur, quem satis norit, inter plurimos esse optimum, & censuræ minime obnoxiũ. Ante omnia vero ad hoc, quod nunc agitur, ut scilicet specimen sui quis edat coram aliis illustre, & jus suum in omnibus retineat, nil magis interesse judico, quam ne quis per nimiam suam naturæ bonitatem, & suavitatem, se exarmet, & injuriis & contumeliis exponat: Quin potius in omnibus aliquos animi liberi, & generosi, & non aculei minus quam mellis intra se gestantis, igniculos, subinde emittat. Quæ quidem munita vitæ ratio, una cum prompto & parato ad se à contumeliis vindicandum animo, aliquibus ex accidente imponitur, & necessitate quadam inevitabili, propter aliquid infixum in persona aut fortuna sua: veluti fit in *deformibus, & spuriis, & ignominia aliqua mulctatis*: unde hujusmodi homines, si virtus non desit, felices plerumque evadunt.

Quod vero ad se *declarandum* attinet; id alia res omnino est ab *ostentatione* sui, de qua diximus. Neque enim ad *virtutes* aut *defectus* hominum refertur; sed ad *actiones vitæ particulares*. Qua in parte nihil invenitur magis Politicum, quam ut Mediocritas quædam servetur, prudens & sana in sensa animi, circa actiones particulares, aperiendo, aut recondendo. Licet enim profunda taciturnitas, & consiliorum occultatio, & is rerum gerendarum modus, qui omnia cæcis & (ut modernæ linguæ potius loquuntur) surdis artibus & mediis operetur, res sit & utilis, & mirabilis: tamen non raro evenit, ut (quod dicitur) *Dissimulatio errores pariat, qui dissimulatorem ipsum illaqueant.* Nam videmus, viros politicos, maxime omnium insignes, libere & indissimulanter fines, quos peterent, palam proferre non dubitasse. Sic L. Sylla manifesto præ se tulit, *se, omnes mortales vel felices, vel infelices fieri, cupere, prout sibi essent vel amici, vel inimici.* Sic Cæsar, cum primum profectus est in Gallias, nil veritus est profiteri: *se malle primum esse in villa obscura, quam secundum Romæ.* Idem Cæsar, cæpto jam bello, dissimulatorem minime egit, si Audiamus, quid Cicero de illo prædicet. *Alter* (Cæsarem innuens) *non recusat, sed quodammodo postulat, ut, (ut est) sic appelletur Tyrannus.* Similiter videmus, in Epistola quadam Ciceronis ad Atticum, quam minime fuerit Augustus Cæsar dissimulator; qui in ipso ingressu ad res gerendas, cum adhuc Senatui esset in deliciis, solitus tamen erat in concionibus apud populum jurare illa Formula: *Ita parentis honores consequi liceat.* Illud autem non minus quiddam erat, quam ipsa tyrannis. Verum est, ad invidiam paululum leniendam, solitum eum simul ad statuam Iulii Cæsaris, quæ in Rostris posita erat, manum protendere. Homines autem ridebant, & plaudebant, & admirabantur, & inter se ita loquebantur: *Quid hoc est? Qualis Adolescens?* Sed tamen nihil malitiæ in eo suspicabantur, qui

tam candide & ingenue, quod sentiret, loqueretur. Et isti quidem, quos animavimus, prospera omnia consecuti sunt: Pompejus contra, qui ad eosdem tendebat fines, sed viis magis umbrosis & obscuris, (sicut Tacitus de eo loquitur, *Occultior, non melior*: atque Salustius similiter idem insimulat, *Ore probo, animo inverecundo*:) id prosus agebat, & innumeris technis moliebatur, ut cupiditates suas & ambitionem alte recondendo, interim Rempublicam in Anarchiam & Confusionem redigeret, quo illa se necessario in sinus ejus conjiceret, atque hoc pacto summa rerum ad eum deferretur, quasi invitum & renitentem. Cum vero hoc se putaret consequutum, factus Consul solus (quod nunquam cuiquam contigisset) nihilo plus ad fines suos proficiebat, eo quod etiam illi, qui procul dubio eum fuissent adjuturi, quid vellet, non perciperent. Adeo ut tandem coactus sit, tritam & vulgarem inire viam, at scilicet, prætextu se Cæsari opponendi, arma & exercitum compararet. Adeo lenta, casibus obnoxia, & plerumque infelicia solent esse ea consilia, quæ profunda *dissimulatione* obteguntur. Qua de re, idem sensisse videtur, Tacitus, cum *simulationis* artificia, tanquam inferioris subsellij prudentiam, constituit, præ *artibus politicis*: illam Tiberio, has vero Augusto Cæsari attribuens. Etenim, de Livia verba faciens, sic loquitur: Quod fuisset illa *cum artibus mariti, & simulatione filij, bene composita.*

Quod ad animum *flectendum* & *effingendum* attinet; Totis viribus certe incumbendum, ut animus reddatur occasionibus & opportunitatibus obsequens, neque ullo modo erga eas durus aut renitens. Neque enim majus fuerit impedimentum ad res gerendas, aut fortunas hominum constituendas, quam illud; *Idem manebat, neque idem decebat*: videlicet, cum homines iidem sunt, & natura sua utuntur, postquam occasiones se mutaverint. Bene itaque Livius, cum Catonem majorem introducit, tanquam fortunæ suæ architectum peritissimum, illud subjungit, quòd ei fuerit *ingenium versatile*. Atque hinc fit, quod ingenia gravia & solennia, & mutare nescia, plus plerumque habeant dignitatis, quam felicitatis. Hoc vero vitium in aliquibus à *natura* penitus insitum est, qui suopte ingenio sunt *viscosi* & *nodosi*, & ad versandum inepti. At in aliis *consuetudine* obtinuit (quæ est altera *natura*) atque opinione quadam, (quæ in animos hominum facile obrepit) ut minime mutandam sibi putent rerum gerendarum rationem, quam prius bonam & prosperam sint experti. Prudenter enim observat Macciavellus in Fabio Maximo, quod *pristinum suum & inveteratum cunctandi, & belli trahendi morem retinere mordicus voluerit, cum natura belli esset alia, & acriora postularet consilia.* In aliis porro idem vitium ex inopia Judicii progignitur; cum homines periodos rerum & actionum non tempestive discernant: sed tum demum se vertant, postquam opportunitas jam elapsa sit. Tale quidpiam in Athenienſibus suis redarguit Demosthenes, eos ajens esse *rusticis similes, qui in ludo Gladiatorio se probantes, semper post plagam acceptam, in eam partem muniendam scutum transferunt, qua percussi sunt; non prius.* In aliis rursus hoc ipsum contingit, qui operam, in via ea quam semel ingressi sunt, collocatam, perdere gravantur, nec receptui canere sciunt, sed potius, se occasionibus superiores fore constantia sua confidunt. Verum ista animi *viscositas* & *retinentia*, à quacunque illa tandem radice pullularit, rebus gerendis, & fortunæ hominum, est damnosissima: Nihilque magis Politicum, quam animi rotas reddere cum rotis fortunæ concentricas, & simul volubiles. Atque de *præceptis duobus summarijs*, circa *Fortunæ Architecturam*, hactenus. *Præcepta* autem *sparsa* haud pauca sunt; Nos tamen per pauca deligemus, pro modo exempli.

Primum *præceptum* est; *Faber fortunæ*, amusse sua perite utatur, eamque rite applicet; Hoc est, animum assuefaciat, ut rerum omnium pretium & valorem æstimet, prout ad fortunam & fines suos magis aut minus conducant; Hoc; curet sedulo, non perfunctorie. Mira enim res, sed verissima; Inveniuntur plurimi, quorum mentis *pars Logica* (si ita loqui licet) est bona, *Mathematica* pessima; videlicet, quid de rerũ consequentiis satis firmiter judicant; de pretiis vero imperitissime. Hinc fit, ut alii privata & secreta cum Principibus colloquia; alii auras populares, tanquam magna adepti, admirentur, cum sit utrumque sæpenumero res & invidia & periculo plena: Alii autem res metiuntur ex difficultate atque opera sua in eis impensa; fieri oportere existimantes, ut quantum moverint, tantum etiam promoverint: Sicut Cæsar de Catone Utricensi, veluti per Ironiam, dixit, narrando, quam laboriosus fuerit & assiduus, & quasi indefatigabilis, neque tamen multum ad rem; *Omnia* (inquit) *magno studio agebat.* Hinc etiam illud accidit, ut homines sæpius se ipsos fallant; qui, si Magni alicujus aut Honorati viri opera utantur, sibi omnia prospera promittunt; cum illud verum sit, non grandissima quæque Instrumenta, sed aptissima, citius & felicius opus quodque perficere. Atque ad *Mathematicam* veram *animi* informandam, operæ pretium est, illud inprimis nosse, & descriptum habere, quid ad cujusque fortunam constituendam & promovendam primum statui debeat, quid secundum, & sic deinceps. Primo loco *emendationem animi* pono; *animi* enim *impedimenta & nodos* tollendo & complanando, citius viam fortunæ aperueris, quam fortunæ auxiliis *animi impedimenta* sustuleris, Secundo loco *opes* pono, & *pecuniam*; Quam summo loco plurimi fortasse collocaverint, cum tanti sit ad omnia usus. Verum eam opinionem, similem ab causam ab judico, atque Macciavellus fecit, in alia re, non multum ab ea discrepante. Cum enim vetus fuerit Sententia, *Pecuniam esse nervos belli*; ille contra, non alios esse *nervos belli* asseruit, quam *nervos virorum fortium & militarium.* Eodem prorsus modo vere asseri possit; *Nervos fortunæ*, non esse *pecuniam*, sed potius *animi vires*, ingenium, fortitudinem, audaciam, constantiam, moderationem industriam, & similia. Tertio loco colloco *famam* & *existimationem*; eo magis, quod illa æstus quosdam habeant, & tempora, quibus si non opportune utaris, difficile erit in integrum restituere. Ardua enim res, famam præcipitantem retrovertere. Postremo loco pono *honores*, ad quos certe facilior aditus per unumquodque ex illis tribus, multo magis per omnia conjuncta, datur, quam si ab *honoribus* auspiceris, & deinde ad reliqua perrexeris. Verum, ut in ordine rerum servando haud parum est momenti, ita non multo minus in servando ordine tem-

temporis; Cujus perturbatione frequentissime peccatur, dum ad fines tum properatur, quando initia essent curanda; atque dum ad maxima quæque subito advolamus, quæ in medio posita sunt, temere transilientes. At illud recte præcipitur; *Quod nunc instat agamus.*

Secundum *præceptum* est, ut caveamus, ne animi quadam magnitudine, & perfidentia, ad magis ardua, quam par est, feramur; neve in adversum fluvii remigemus. Optimum enim consilium circa fortunas hominum;

—*Fatis accede, Deisque.*

Circumspiciamus in omnes partes, & observemus, qua res pateant, qua clausæ & obstructæ sint, qua proclives, qua arduæ; neque viribus nostris, ubi non patet aditus commodus, abutamur. Hoc si fecerimus, & à repulsa nos immunes præstabimus, & in negotiis singulis nimis diu non hærebimus, & moderationis laudem reportabimus, & pauciores offendemus, & denique felicitatis opinionem acquiremus; dum quæ sponte, fortasse eventura fuissent, nostræ industriæ accepta ferentur.

Tertium *præceptum* cum proxime præcedente nonnihil pugnare videri possit; licet, probe intellectum, minime. Illud hujusmodi est: Ut occasiones nonsemper expectemus, sed eas quandoque provocemus & ducamus. Quod etiam innuit Demosthenes, magniloquentia quadam. *Et quemadmodum receptum est, ut exercitum ducat Imperator, sic à cordatis viris res ipsæ ducenda, & quæ ipsis videntur, ea gerantur; & non ipsi persequi eventus cogantur.* Etenim, si diligenter attendamus, duas observabimus, easque discrepantes species, eorum, qui rebus gerendis, & Negotiis tractandis, pares habeantur. Alii siquidem occasionibus commode sciunt uti, sed nihil ex se moliuntur, aut excogitant; Alii toti sunt in machinando, qui occasiones, quæ opportune incidunt, non arripiunt. Harum facultatum altera, alteri non conjuncta, manca omnino & imperfecta censenda est.

Quartum est *præceptum*; ut nihil suscipiamus, in quo necesse sit, temporis plurimum insumere; verum ut verticulus ille autem semper vellicet,

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Neque alia subest caussa, cur ii, qui professionibus laboriosis, aut rebus similibus, se addixerunt, veluti Jurisconsulti, Oratores, Theologi doctiores, Librorum Scriptores, & hujusmodi, in fortuna sua constituenda, & promovenda, minus sint solertes, quam quod tempore (alias scilicet insumpto) indigent ad particularia pernoscenda, opportunitates captandas, & machinas, quæ ad fortunam suam spectent, commiscendas, & meditandas. Quin etiam in aulis Principum & Rebuspubl. eos reperias, & ad fortunam suam promovendam, & ad aliorum invadendam, maxime efficaces, qui nullo publico munere funguntur, sed in hoc, de quo loquimur, *ambitu vitæ*, perpetuo occupantur.

Quintum est *præceptum*; Ut naturam quodammodo imitemur, quæ *nihil facit frustra.* Id quod factu non erit admodum difficile, si negotia nostra omnium generum perite commisceamus & contexamus. In singulis enim actionibus ita animus est instituendus & præparandus, atque intentiones nostræ aliæ aliis substernendæ, & subordinandæ: ut, si in aliqua re voti compotes in *summo gradu* fieri non possimus, in *secundo* tamen liceat consistere, imo vel in *tertio*: Quod si nec in *aliqua* omnino *parte* rei hærere aut consistere possimus, tum vero ad alium quempiam (præter destinatum) finem, operam impensam flectamus: Sin nec in *præsenti* aliquem Fructum demetere queamus, saltem aliquid, ex ea extrahamus, quod in *futurum* prosit: Si vero nihil *solidi*, nec in *præsenti* nec in *Futuro*, inde elicere detur, satagamus saltem, ut aliquid *existimationi* nostræ inde accrescat; & alia id genus: rationes semper à nobis ipsis exigendo, quibus constet, nos fructus aliquid, plus minus, ex singulis actionibus & consiliis nostris percepisse: neque ullo modo permittendo, ut tanquam confusi ac consternati animũ illico despondeamus, si forte scopum principalem non licuerit attingere. Nihil enim minus convenit viro Politico, quam uni rei unice esse intentum. Qui enim hoc facit, occasionum innumerarum jactura mulctabitur; quæ rebus agendis ex obliquo intervenire solent, quæque fortasse magis fuerint propitiæ & commodæ ad alea quæ postea usui futura sint, quam ad ea, quæ in manibus habeamus. Ideoque bene calleamus illam Regulam: *Hæc oportet facere, & illa non omittere.*

Sextum est *præceptum*, ut nos rei alicui nimis peremptorie non astringamus; quamquam casui videatur, primo intuitu, minus obnoxia; sed semper habeamus, vel fenestram apertam ad evolandum; vel posticum aliquod secretum ad redeundum.

Septimum *præceptum*, est antiquum illud Biantis; modo non ad perfidiam, sed ad cautionem, & moderationem adhibeatur: *Et ames tanquam inimicus futurus, & oderis tanquam amaturus.* Nam utilitates quasque, mirum in modum, prodit & corrumpit, si quis nimium se immerserit amicitiis infelicibus, molestis & turbidis odiis, aut puerilibus & futilibus æmulationibus.

Hæc exempli loco circa *doctrinam* de *ambitu vitæ* sufficient: Illud enim hominibus in memoriam subinde reducendum est, longe abesse, ut adumbrationes istæ, quibus utimur in desideratis, loco justorum tractatuum ponantur; sed esse solummodo tanquam schedas aut fimbrias, ex quibus de tela integra judicium fieri possit. Neque rursus ita desipimus, ut fortunam absque tanto, quantum diximus, molimine minime parari asseramus. Probe enim novimus, eam tanquam sponte in gremium aliquorum defluere: Alii autem eam diligentia sola & assiduitate, (cautione nonnulla aspera) absque arte multa aut operosa, adipiscuntur. Verum sicut Cicero Oratorem perfectum depingens, non id vult, ut causidici singuli tales esse debeant, aut possint: ac rursus, sicut in Principe aut Aulico describendo (quod nonnulli tractandum susceperunt) modulus effingitur, prorsus secundum artis perfectionem, non autem secundum Practicam vulgatam: idem & nos *Politico* instruendo præstitimus; *Politico*, (inquam) quoad *Fortunam propriam.*

Enimvero, illud utique monendum, *præcepta*, quæ circa hanc rem delegimus & proposuimus, omnia ex genere eorum esse, quæ *bonæ artes* vocantur. Quod enim ad *malas artes* attinet. Si quis Macchiavello se dederit in disciplinam; qui præcipit,

pit, *Virtutem ipsam non magnopere curandam, sed tantum speciem ejus, in publicum versam: quia virtutis fama & opinio homini adjumento sit, virtus ipsa impedimento*: quique alio loco præcipit; *ut homo Politicus illud tanquam fandamentum prudentiæ suæ substernat, quod præsupponat, homines non recte nec tuto ad ea, quæ volumus, flecti aut adduci posse, præterquam solo metu: ideoque det operam, ut omnes quantum in se est, obnoxii sint, atque in periculis & angustiis constituti*: ita esse Politicus suus videatur esse, quod Itali dicunt, *seminator spinarum*: Aut si quis axioma illud, quod à Cicerone citatur, amplecti velit: *Cadant amici, dummodo inimici intercidant*; Sicut Trium viri fecerunt, qui inimicorum interitum amicissimorum exitio redimebant: Aut siquis L. Catilinæ imitator esse velit, ut Rerumpubl. incendiarius fiat & perturbator, quo melius in aquis turbidis piscari & fortunam suam expedire possit *Ego*, [inquit] *si in fortuniis meis incendium sit excitatum, id non aqua, sed ruina restinguam*: Aut siquis illud Lysandri ad se transferat; qui dicere solebat: *Pueros placentis, viros perjuriis alliciendos*: Cum aliis ejusdem farinæ pravis, ac perniciosis dogmatibus; Quorum [ut fit in cæteris rebus omnibus] major est numerus, quam rectorum & sanorum Si quis (inquam) hujusmodi inquinata prudentia delectetur; noniërim inficias, eum [quandoquidem legibus charitatis & virtutis omnibus se ipsum solutum, fortunæ solummodo manciparit] posse, majore compendio, & celerius, fortunam suam promovere. Fit vero in *vita*, quemadmodum & in *via*, ut iter brevius sit fœdius & cœnosius: neque sane, ut per viam meliorem quis incedat, multa circuitione opus est.

Tantum vero abest, ut homines ad huiusmodi *artes pravas* se applicare oporteat; ut potius sane (si modo sint apud se, seque sustinere valeant, neq; ambitionis turbine & procella in adversum rapiantur) ante oculos proponere debeant; non solum mundi chorographiam generalem illam, quod *omnia sunt vanitas, & vexatio Spiritus*; verum etiam & illam magis specialem, videlicet, quod ipsum *esse*, se junctum à *bene esse*, maledictionis loco sit, & quo grandius sit *esse*, eo maior sit maledictio; quodque amplissimum virtutis præmium sit ipsa virtus; Quemadmodum & ultimum vitii supplicium est vitium ipsum; sicut egregie Poëta;

Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis
Præmia posserear solvi? Pulcherrima primum
Dii moresque dabunt vestri; —

& econtra non minus vere ille de sceleratis, *atque eum ulciscentur mores sui*. Quin etiam, Mortales, dum in omnes partes cogitationes suas agitant, & diffundunt, ut fortunis suis recte prospectum atq; consultum sit, interim in mediis illis animi transcursibus ad divina judicia & providentiam æternam oculos attollere debent: quæ sæpissime impiorum machinationes, & consilia prava, licet profunda, subvertit, & ad nihilum redigit; secundum illud scripturæ, *Concepit iniquitatem, & pariet vanitatem*. Imo, etsi in juriis & *malis artibus* abstineant: attamen hæc jugis & irrequieta anhelatio ad ardua fortunæ, absque cessatione, & quasi sine sabbato, tributum temporis nostri Deo debitum minime solvit: Qui, ut videre est, facultatum nostrarum decimas, temporis autem septimas, exigit & sibi seponit. Quorsum enim fuerit, os gerere in cœli sublimia erectum, mentem vero humi prostratam, & pulverem instar serpentis comedentem? Quod etiam Ethnicos non fugit;

Atque affigit humo Divina Particulam Auræ.

Quod si in hoc sibi quisquam abblandiatur, quod fortuna sua, utcunque eam malis artibus obtinuerit, recte uti decreverit: sicut de Augusto Cæsare, & Septimio Severo, solitum erat dici, *Debuisse illos, aut nunquam nasci, aut nunquam mori*; tanta in ambitu fortunæ suæ patrarunt mala; tanta rursus, summa adepti, contulerunt bona: intelligat nihilominus, hanc malorum per bona compensationem post factum probari, consilium autem hujusmodi merito damnari. Ab re postremo nobis non fuerit, in cursu isto incitato, & fervido, versus fortunam nostram, frigidam paulisper aspergere, haustam è dicterio illo non inelegante Caroli Quinti Imperatoris, in Institutionibus suis ad Filium: *Imitari fortunam mores mulierum, quæ procos plus nimio ambientes plerumque superbe aversantur*. Verum hoc ultimum remedium pertinet ad eos, quibus gustus ex morbo animi corruptus est. Innitantur potius hominis *lapidi* illi; qui *Theologiæ & Philosophiæ* est tanquam *Angularis*; quæ idem fere asserunt de eo quod *primum quæri* debeat. Etenim *Theologia* edicit: *Primum quærite regnum Dei, & ista omnia adjicientur vobis*. Philosophia autem simile quiddam jubet: *Primum quærite Bona animi; cætera aut aderunt, aut non oberunt*. Quamvis autem hoc *fundamentum*, humanitus jactum, interdum locetur super *arenas*: quemadmodum videre est in M. Bruto, qui in eam vocem, sub exitum suum prorupit:

Te colui, virtus ut rem: ast tu nomen inane es:

At idem *fundamentum*, divinitus locatum, firmatur semper in *petra*. Hic autem *doctrinam* de *ambitu vitæ*, & simul *doctrinam generalem* de *negotiis*, concludimus.

CAP. III.

Partitiones Doctrinæ *de* Imperio *sive* Repub. *omittuntur, Tantum aditus fit ad* Desiderata *duo*, Doctrinam *de* Proferendis Finibus Imperii, *&* Doctrinam *de* Justitia Universali, *sive de* Fontibus Juris.

VEnio jam ad *artem imperij*, sive *doctrinam de Repub. administranda*: Sub qua etiam *Oeconomica* continetur, ut *familia* sub *civitate*. In hac parte, sicut jam antea dixi, silentium mihi imperavi. Neque tamen prorsus diffidere debui, quin possim de illa fortasse non imperite aut inutiliter disserere: utpote qui longa experientia edoctus, & per tot munerum & honorum gradus ad amplissimum Regni Magistratum, favore Majestatis tuæ indulgentissimo, nullo merito meo, evectus fuerim, eundemque Magistratum per annos quatuor integros gesserim: & quod pluris est, Majestatis tuæ Mandatis & Colloquiis per annos octodecim continuos assueverim; (quod etiam è stipite aliquo Politicum exsculpere potuisset:) quique etiam, inter omnes artes, plurimum temporis in Historiis & Legibus contriverim. Quæ omnia non jactantia ad Posteros refero, sed quia ad literarū dignitatem nonnihil pertinere putem, quod homo quispiam, ad literas potius quam ad aliud quicquam natus, & ad res gerendas nescio quo fato contra Genium suum abreptus, ad civilia tamen munera tam honorifica & ardua sub Rege prudentissimo

r ssimo assumptus fuerit. Verum, si quid circa *Politicam* posthac parturiet otium meum, erit fortasse *proles* aut *abortiva*, aut *posthuma*. Interim, ne scientiis omnib°, jam veluti in subsellijs suis collocatis, Sedes hæc tam excelsa omnino vacet, decrevi duas tantum *civilis scientiæ* portiones, quæ ad *arcana imperij* non pertinent, sed sunt naturæ magis communis, ut *desiderata*, notare, earumque, more nostro, *exempla proponere*.

Cum *artes imperij* tria *officia politica* complectantur primo, ut *imperium conversetur*; secundo; ut *beatum efficiatur, & florens*; tertio, ut *amplificetur, finesque ejus longius proferantur*: de duobus primis *officiis*, maxima ex parte, egregie à nonnullis tractatum est; de tertio siletur. Illud itaque inter *desiderata* reponemus, & more nostro *exemplum* ejus proponemus. eam *doctrinæ* partem, *consulem paludatum*, sive *doctrinam de proferendis imperij finibus* nominantes.

Exemplum Tractatus summarij de proferendis finibus imperij.

Dictum Themistoclis, sibi ipsi applicatum, incivile certe fuit, & inflatum; sin de aliis, atque in genere, prolatum fuisset, prudentem sane observationem & per gravem censuram complecti videretur. Rogatus in convivio, ut cytharam pulsaret, respondit, *fidibus se nescire; caterum posse oppidum parvum in magnam civitatem evehere*. Ista certe verba, ad sensum politicum translata, facultates duas, multum inter se discrepantes, in iis, qui rerum gubernacula tractant, optime describunt & distinguunt. Etenim, si Regum consiliarios, senatores, aliosque ad negotia publica admotos, qui usquam fuerunt, attente intueamur, reperientur profecto (licet rarissime) nonnulli, qui *regnum* aut *civitatem* è parvis ampla efficere possint; fidicines tamen sint valde imperiti: E contra autem alii quam plurimi, in *cythara*, aut *Lyra*, (hoc est, aulicis tricis) miri artifices, qui tantum abest ut *Rempubl. amplificare* possint, ut potius à natura comparari videantur ad statum Reipubl. beatum & florentem labefactandum & evertendum. Sane, artes illæ degeneres, & præstigiæ, quibus sæpenumero Consiliarii, atque Rerum Potentes, & gratiam apud Principes suos, & famam in vulgus, reportant, haud aliud nomen merentur, quam *peritiæ* cujusdam fidicularia, utpote cum sint res magis gratæ in præsens, & artificibus ipsis ornamento, quam ad Rerumpubl., quarum sunt ministri, opes, & amplitudinem, utiles aut accommodæ. Occurrent procul dubio & alii Consiliarii, atque Reipubl. Gubernatores, minime spernēdi, qui sint negotiis pares, possintque res commode administrare, easque à manifestis præcipitiis & incommodis conservare, à virtute tamen illa rerumpubl. erectrice & amplificatrice longo intervallo absunt.

Verum, qualescunque demum fuerint operarii, conjiciamus oculos in opus ipsum; Qualis nimirum censeri debeat vera *Regnorum* & *Rerumpub. Magnitudo*, & quibus *artibus obtineri* possit: Dignum profecto argumentum, quod principes perpetuo in manibus habeant. & diligenter meditentur; quo nec vires suas in majus æstimantes, inceptis se vanis & nimis ardis implicent; nec rursus easdem plus æquo despicientes, ad consilia pusillanima & meticulosa demittant.

Magnitudo Imperiorum, quoad molem & territorium, mensuræ subjicitur, quoad reditus, calculis. Numerus civium, & capita, censu; Urbium & oppidorum multitudo & amplitudo, tabulis excipi possunt. Attamen non repetitur inter civilia res errori magis obnoxia, quam verum & intrinsecum excipere valorem, circa *vires* & *copias imperij* alicujus. Assimilatur *regnum cœlorum* non glandi, aut nuci alicui grandioti, sed *grano sinapis*, quod inter grana est minimum, quod tamen habet interim intra se proprietatem quandam & spiritum innatum, quo se & citius attollat, & latius diffundat: Eodem modo invenire est Regna & Status, ambitu quidem & regionum tractu valde ampla, quæ tamen ad *fines ulterius proferendos*; aut latius imperandum, sunt minus apta; Alia contra, dimensione satis exigua, quæ tamen bases, in quibus maximæ Monarchiæ inædificentur, esse possit.

1. Vrbes munitæ, plena armamentaria, equorum propagines generosæ, currus armati, elephanti, machinæ atque tormenta bellica omnigena, & similia, sunt certe ista universa nihil aliud, quam ovis induta pelle leonina, nisi gens ipsa, stirpe sua, & ingenio, sit fortis, & militaris. Imo, nec numerus ipse copiarum multum juvat, ubi milites imbelles sunt & ignavi. Recte enim Virgilius;

— *Lupus numerum pecorum non curat.*

Exercitus Persarum in campis Arbelæ oculis Macedonum tanquam vastum hominum pelagus subjiciebatur, adeo ut Duces Alexandri, nonnihil ipso spectaculo perculsi, Regem iuterpellarent, atque ut noctu prœlium committeret, ei Auctores erant: Quibus ille, *Nolo*, (inquit) *suffurari victoriam*. Ea autem etiam opinione fuit facilior Tigranes Armenius, castrametatus in quodā colle cum exercitu quadringentorum millium. Cum spectaret aciem Romanorum, quæ quatuordecim millia non excessit, contra se tendentem, in dicterio illo suo sibi complacuit; *Ecce* [inquit] *hominum pro legatione nimio plus quam oportet; pro pugna longe minus*. Eosdem tamen, priusquam occubuisset sol, satis multos, ad illum infinita strage profligandum expertus est. Innumera sunt exempla, quam sit multitudinis cum fortitudine congressus impar. Primo igitur pro re certissima & exploratissima decernatur, & statuatur, quod caput omnium, quæ ad magnitudinem regni aut status spectent, sit, ut *populus* ipse sit *stirpe & ingenio bellicosus*. Atque illud magis tritum quam verum, quod *nervi belli sint pecuniæ*, si desint nervi lacertorum in gente molli & effœminata. Recte enim Crœso ostentanti aurum respondit Solon; *At si quis (O Rex) venerit, qui melius, quam tu, ferrum gestet, illi profecto totum hoc cedit aurum*. Quare, quicunque is tandem sit, Princeps aut Status, cujus subditi nativi & indigenæ non sint animosi & militares, potentiam suam admodum sobrie æstimet: Atque econtra Principes, qui dominantur in gentes animosas & Martias, norint illi satis vires suas, si sibi alias non desint. Quod attinet ad *copias mercenarias*, [quod solet adhiberi remedium, cum *copia nativæ* desunt) plena sunt omnia exemplis, quibus liquido patet, quod quicunque *status* illis innitetur, poterit fortasse pennas, ad tempus breve, nido majores extendere, sed defluent paulo post.

2. *Benedictio Judæ*, & *Issacharis*, unum nunquam convenient; Nimirum, ut eadem Tribus aut

Gens, sit simul, & *Leonis Catulus*, & *Asinus procumbens inter Sarcinas*. Neque unquam fiet, ut *populus* tributis oppressus, fortis existat & bellicosus. Verum est, collationes publico consensu factas, minus animos subditorum dejicere, & deprimere, quam quæ ex imperio mero indicuntur. Id quod liquido videre est in *tributis Germaniæ inferioris*, quas *exisas* vocant: atque alia ex parte in iis, quæ *subsidia* nominantur apud *Anglos*. Etenim notandum est, sermonem jam institui, de animis hominum, non de opibus. *Tributa* autem, quæ ex consensu conferuntur, & quæ ex imperio imponuntur, etsi eadem res sint, quoad opes exhauriendas, varie tamen omnino animos subditorum afficiunt. Statuatur igitur & hoc, *populum* tributis gravatum, ideoneum ad imperandum non esse.

3. Adspirantibus ad *magnitudinem* Regnis & Statibus, prorsus cavendum, ne *Nobiles* & *Patricii*, atque (quos vocamus) *Generosi*, majorem in modum multiplicentur. Hoc enim eo rem deducit, ut *plebs* Regni sit humilis & abjecta; & nihil aliud fere quam Nobilium mancipia & operarii. Simile quiddam fieri videmus in sylvis cæduis; quibus, si major, quam par est, caudicum sive arborum majorum relinquatur numerus, non renascetur sylva sincera, & pura; sed major pars in vepres & dumos degenerabit. Eodem modo, in *nationibus*, ubi numerosior justo est *nobilitas*, erit *plebs* vilis & ignava: atque eo demum res redibit, ut nec centesimum quodque caput sit ad galeam portandam idoneum: præsertim si peditatum spectes, qui exercitus plerumque est robur præcipuum; Unde succedet magna populatio, vires exiguæ. Nusquam gentium, hoc quod dico, luculentius comprobatum est, quam exemplis Angliæ & Galliæ. Quarum Anglia, quamvis territorio, & numero incolarum, longe inferior, potiores tamen partes fere semper in bellis obtinuit: hanc ipsam ob caussam, quod apud Anglos coloni, & inferioris ordinis homines, militiæ habiles sint, rustici Galliæ non item. Qua in re, mirabili quadam & profunda prudentia excogitatum est ab Henrico Septimo Angliæ Rege, (id quod in *vita ejus Historia* fusius tractavimus) ut prædia minora atque domus agricolationis instituerentur, quæ habeant certum eumq; mediocrem agri modum annexum, qui distrahi non possit, eo fine, ut ad victum liberaliorem sufficiat; utque agricultura ab iis exerceretur, qui domini fuerint fundi, aut saltem usufructuarii, non conductitii aut mercenarii. Nam ita demum characterem illum, quo antiquam Italiam insignivit Virgilius, merebitur Regio aliqua:

—*Terra potens armis, atq; ubere gleba.*

Neque prætereunda est illa pars populi, (quæ Angliæ fere est peculiaris, nec alibi (quod scio) in usu, nisi forte apud Polonos) *famuli* scilicet *nobilium*: Hujus enim generis etiam inferiores, quoad peditatum, agricolis ipsis minime cedunt. Quare certissimum est; quod magnificentia & splendor ille hospitalis, atque famulitia, & veluti satellitia ampla, quæ in more sunt apud Nobiles & Generosos in Anglia, ad potentiam militarem apprime conducant: ubi contra, Nobilium obscura & magis privata in se reducta vitæ ratio copias militares minuit.

4. Danda est omnino opera, ut *arbor* ista *Monarchiæ*, qualis fuit Nebuchadnezaris, *Truncum* habeat satis *amplum*, & *robustum*, ad *ramos* suos & *frondes sustentandos*; Hoc est, ut numerus *indigenarum*, ad *subditos extraneos* cohibendos, satis superque sufficiat. Illi igitur *status* ad *imperij magnitudinem* bene comparati sunt, qui *jus civitatis* facile & libenter largiuntur. Vana siquidem fuerit opinio, posse manipulum hominum, utcunque animis & consilio excellant, regiones nimio plus amplas & spatiosas imperii jugo cohibere & frænare. Id ad tempus fortasse facere possint, sed diuturnitatem hæc res non assequitur. *Spartani* parci fuerunt, & difficiles in cooptãdos novis civibus. Unde, donec intra parvos limites damnati sunt, res eorum firmæ fuerunt & stabiles. At postquam limites suos cœpissent proferre, & latius dominari, quam ut stirps Spartanorum turbam Exterorum imperio commode coërcere posset, potentia eorum subito corruit. Nulla unquam Respubl. sinus suos ad novos cives recipiendos tam profuse laxavit, quam *Respublica Romana*. Itaque par erat, instituto tam prudenti, fortuna: cum in imperium toto Orbe amplissimum succreverint, Moris apud eos erat, *jus civitatis* prompte elargiri: idque in supremo gradu: Hoc est, non solum *jus commercii*, *jus connubii*, *jus hæreditatis*; verum etiam *jus suffragii*, & *jus petitionis*, sive *honorum*: Hoeque rursus, non singulis tantum personis, sed totis familiis, imo civitatibus, & nonnunquam integris nationibus, communicarunt. Huc adde consuetudinem *deducendi colonias*, quibus Romanæ stirpes in solum exterum transplantabantur. Quæ duo instituta si simul componas, dices profecto, non Romanos se diffudisse super Universum orbem: sed contra orbem universum se diffudisse super Romanos: Quæ securissima *proferendi imperii* est ratio. Subit mirari sæpius *imperium Hispanorum*; quod tam paucis indigenis tot Regna & Provincias amplexari & frænare possit. At certe Hispaniæ ipsæ pro arboris stemmate satis grandi haberi debent, cum longe ampliorem contineant Regionum tractum, quam Romæ aut Spartæ, sub initiis suis, contigerat. Porro, quamquam *jus civitatis* satis parce soleant Hispani impertire, quod proximum tamen est, faciunt; Quippe qui cujuscunque rationis homines ad militiam suam ordinariam promiscue admittant. Quin etiam summum belli imperium haud raro ad duces natione non Hispanos deferunt. Attamen & illam ipsam videntur non ita pridem *indigenarum* paucitatem sensisse, eique succurrere cupiisse; ut ex *pragmatica sanctione*, hoc anno promulgata, cernere est.

5. Certissimum est, *artes mechanicas sedentarias*, quæ non sub dio, sed sub tecto exercentur, atque *manufacturas delicatas*, (quæ digitum potius, quam brachium requirunt) sua natura militaribus animis esse contrarias. In universum populi bellicosi feriari gaudent, & pericula quam labores minus exhorrent, Atque in hoc ingenio suo non sunt admodum reprimendi, si animos ipsorum in vigore conservari cordi nobis sit. Magno itaque adjumento Spartæ, Athenis, Romæ, aliisque antiquis Rebuspub. fuit quod habuerint non *ingenuos*, sed *servos* plerumq;, quorum laboribus istiusmodi opificia expediebantur. Verum mancipiorũ usus, post legem Christianam receptam, maxima ex parte

abiit

abiit in desuetudinem. Hinc vero rei proximum est, ut artes istæ alienigenis tantum permittantur; qui propterea alliciendi, aut saltē facile recipiendi sunt. *Nativorum* ante *plebs* ex tribus generibus hominum constare debet; nempe, ex *agricolis*; *famulis ingenuis*; & *artificibus*, quorum *opera robur & lacertos viriles* postulant; cujusmodi sunt *fabri ferrarij, lapidarij, lignarij*, & similes; non annumerando *mercatorum descriptam*.

6. Ante omnia ad *imperij magnitudinem* confert, ut gens aliqua *armorum studium* profiteatur, tanquam decus suum, & institutæ vitæ primarium, & in præcipuo honore habitū. Quæ enim à nobis adhuc dicta sunt, ad habilitates tantum erga arma spectant: Quorsum autem habilitas, si non rei ipsi incumbitur, ut producatur in actum? *Romulus*, (ut narrant aut fingunt) postquam è vivis excesserat, illud civibus suis legavit, ut ante omnia rem militarem colerent, unde in caput orbis terrarum urbs eorum insurgeret. *Imperii Spartani* fabrica universa (non nimis prudenter quidem, sed diligenter tamen) ad illum finem & scopum composita est & constructa, ut cives sui belligeratores essent *Persarum & Macedonum*. Idem erat institutū, sed non tam constans aut diuturnum. *Britanni Galli, Germani, Gothi, Saxones, Normanni*, & nonnulli alii, etiam ad tempus armis se præcipue dederunt. *Turcæ* idem institutum, lege sua haud paululum extimulati, hodie retinet, sed magna cum militiæ suæ [ut nunc est] declinatione. In Europa Christiana, gens quæ illud adhuc retinet & profitetur, soli sunt *Hispani*. Verum res est tam liquida, & manifesta, unumquemque in proficere maxime, in quo plurimum impendit studii, ut verbis non indigeat. Satis sit innuisse, desperandum omnino alicui nationi esse, quæ non ex professo arma & militiam colat, iisq; præcipue studeat & incumbat, sibi veluti ultro obventuram insignem aliquam *imperii magnitudinem*: Contra autem, certissimum esse temporis oraculum, nationes illas, quæ in armorū professione & studiis diutius permanserint, (id Romani Turcæq; potissimum fecere) miros in imperio amplificando fecere progressus. Quin & illæ, quæ bellica gloria per unius tantummodo sæculi spatium floruere; inde tamen, unico illo sæculo, eam imperii amplitudinem assecutæ sunt, quam longo post tempore, etiam remissa illa armorum disciplina, retinuerunt.

7. Præcepto præcedenti affine est; Vt *status* quis utatur ejusmodi *legibus & consuetudinibus*, quæ justas illi caussas, aut saltem prætextus, arma capessandi, tanquam in promptu ministrent. Etenim, ea est insita animis hominum justitiæ apprehensio, ut bellū (quod tot sequuntur calamitates) nisi gravē ob caussam, saltem speciosa, inferre abstineant. Turcis præsto & semper, & ad nutum, belli caussa; Propagatio scilicet legis & sectæ suæ. Romani, quāquam pro magno decore Imperatoribus apud eos fuerit, si *fines imperii ipsorum protulissent*, tamen ob hanc solam caussam, ut *fines proferrentur*, nunquam bella susceperunt. Aspirantibus igitur ad imperiū nationi illud in more sit: Vt *sensum* habeat *vividum* & *arcem injuriæ* alicujus, vel subditis suis limitaneis, vel mercatoribus, vel publicis ministris, illatæ, neque à prima provocatione, diutius torpeat, aut tardet. Item, *prompta* sit & *alacri* ad *auxilia mittenda sociis suis*, & *fœderatis*: Id quod perpetuum erat apud Romanos: Adeo ut, si forte in populum fœderatum, cui etiam cum aliis fœdus defensivum intercederet, hostilis impressio facta esset, atque ille à plurimis suppetias peteret; Romani omnium primi semper adessent, beneficii decus nemini præripiendū relinquentes. Quod verò attinet ad *bella*, antiquis temporibus propter *statuum conformitatem* quandam, aut *correspondentiam tacitam* gesta, non video, in quo jure illa fundata sint. Talia fuerunt bella, quæ à Romanis suscepta erant ad Græciam in Libertatem vindicandam: Talia à Lacedæmoniis & Atheniensibus, ad constituendas aut evertendas Democratias, & Oligarchias: Talia quandoq; illata sunt à Rebuspub. aut Principibus, sub prætextu, subditos alienos protegendi, & à Tyrannide liberandi. Ad rem præsentem sufficiat, ut illud decernatur: Non esse expectandam *statui* alicui *imperii amplitudinem*, nisi ad quamvis occasionem justam se armandi protinus expergiscatur.

8. Nullum omnino *corpus*, sive sit illud *naturale* sive *politicum*, absque *exercitatione sanitatem* suam tueri queat. Regno autem, aut Reipubl. justum atq; honorificum *bellum* loco salubris *exercitationis* est. Bellum civile profectò, instar caloris febrilis est: At bellum externum instar caloris ex motu, qui valetudini inprimis conducit. Ex pace enim desidia atq; torpente & emolliuntur animi, & corrumpuntur mores. Sed utcunque res se habeat quatenus ad alicujus status felicitatem, *magnitudinis* proculdubio interest, ut quasi semper in armis sit. Atq; exercitus veteranus, perpetuo tanquam sub vexillis habitus, etsi res magni proculdubio sumptus & impensæ, attamen eiusmodi est, ut statui alicui quasi arbitrium rerum inter vicinos, aut saltem plurimum existimationis ad omnia conferat. Id quod insigniter cernere est in Hispanis qui jam per annos centum & viginti exercitum veteranum, ad aliquas partes, licet non semper ad easdem, alunt.

9. *Maris dominium*, Monarchiæ quædam epitome est. Cicero, de Pompeji contra Cæsarem apparatu, scribens ad Atticum: *Consilium* (inquit) *Pompeji, plane Themistocleum est: putat enim, qui mari potitur, eum rerum potiri*. Atq; Cæsarem Pompejus proculdubio delassasset, & attrivisset, nisi inani fiducia inflatus, ab illo incepto distitisset. *Prælia navalia*, quanti fuerint momenti, ex multis exemplis patet. *Pugna* ad *Actium* orbis imperium determinavit. *Pugna* ad *Insulas Cursolares circutum in naribus* Turcæ *posuit*. Multoties certe evenit, ut victoriæ navales finem summæ belli attulerint. Sed hoc factum est, cum alea hujusmodi prœliorum, totius belli fortuna commissa est. Illud minime dubium, quod qui *maris* potitur Dominio, in magna libertate agit, & tantum, quantum velit, de bello sumere potest; Vbi contra, qui terrestribus copiis est superior, nihilominus plurimis angustiis confiictatur. At hodie, atq; apud nos Europæos, si unquam, aut uspiam, *potentia navalis*, (quæ quidem huic *Regno Britannia* in dotem cessit) summi ad rerum fastigia momenti est; tum quia pleraque Europæ regna mediterranea simpliciter non sunt, sed maxima ex parte *mari* cincta, tum etiam, quia utriusque Indiæ thesauri & opes, *imperio Maris*, veluti accessorium quiddam existunt.

10. *Bella moderna*, veluti in *tenebris gesta*, censer;

possunt, præ gloria & decore vario, quæ in homines militares, priscis temporibus, à rebus bellicis resilire solebāt. Habemus hodie fortasse ad animos faciendos, *Ordines* quosdam honorificos militiæ, qui tamen jam facti sunt & armis & togæ communes. Etiam in *scutis gentilitiis stemmata* nonnulla habemus: Insuper *hospitia* quædam *publica*, militibus emeritis & mutilatis destinata, & hujusmodi. Verum apud Veteres, in locis, ubi victoriæ partæ sunt, extructa *trophæa*; *Laudationes funebres*, & *monumenta magnifica occumbentium in bello. Coronæ civicæ, militares*, singulis concessæ. Nomen ipsum *Imperatoris*; quod postea Reges maximi à belli Ducibus mutuati sunt: Redeuntium Ducum, bellis prospere confectis, *celebres triumphi. Donativa*, atque *largitiones ingentes* in milites; sub exercituum dimissionem. Hæc (inquam) tot & tanta fuerunt, & tam insigni splendore coruscantia, ut pectoribus mortalium, etiam maxime conglaciatis, igniculos subdere, eaque ad bellum inflammare potuerint. Ante omnia vero *mos* ille *triumphandi*, apud *Romanos*, non res erat ex pompa, aut spectaculum quoddam inane, sed inter prudentissima plane nobilissimaq; instituta numerandus. Vtpote qui in se hæc tria haberet: *Ducum decus & gloriam*; *Ærarij* ex *spoliis locupletionem*, & *donativa militum*. Verum *honor triumphi* fortasse *Monarchis* non competit, præterquam in personis *regis* ipsius, aut *filiorum Regis*. Quod etiam temporibus Imperatorum Romæ obtinuit; qui honorem ipsum triumphi, sibi & filiis suis, de bellis, quæ præsentes ipsi confecerant, tanquam peculiarem reservarunt: *Vestimenta* autem solummodo, & *insignia triumphalia*, aliis Ducibus indulserunt.

Verum, ut sermones hos claudamus: Nemo est (ut testatur Sacra Scriptura) *qui sollicite cogitando potest apponere ad staturam suam cubitum unum*; In pusillo scilicet, *corporis humani* modulo: Cæterum, in magna *Regnorum* & *Rerumpub.* fabrica imperium amplificare & *fines proferre*, Reges penes & Dominantes est. Nam prudenter introducendo leges, instituta, & consuetudines, quales jam proposuimus, & alias his similes, posteris, & seculis futuris, *magnitudinis* sementem fecerint. Verum ista consilia apud Principes raro tractantur, sed res fortunæ plerumque committitur.

Atque hęc habuimus, quæ de *proferendis imperij finibus* in præsentia occurrunt. Verum quorum ista commentatio; cum *Monarchia Romana* futura sit inter mundanas (ut creditur) ultima: Nisi quod nobis, instituto nostro fidis, neq; uspiam de via declinantibus, [quandoquidē *amplificatio imperij* fuerit inter *officia* tria *Politices* tertium] illud omnino prætermittere non licuerit. Restat jam *desideratum* alterum ex iis, quæ posuimus, duobus; nimirum, de *Justitia universali*, sive de *fontibus juris*.

Qui de *Legibus* scripserunt, omnes vel tanquam Philosophi, vel tanquam Jurisconsulti, argumentum illud tractaverunt. Atque Philosophi proponunt multa, dictu pulchra, sed ab usu remota. Jurisconsulti autem suæ quisque Patriæ Legum, vel etiam Romanarum, aut Pontificiarum, placitis obnoxii & addicti, judicio sincero non utuntur, sed tanquamè vinculis sermocinantur. Certe cognitio ista ad vitos civiles proprie spectat: qui optime norunt, quid ferat societas humana, quid salus populi quid æquitas naturalis, quid gentium mores, quid Rerumpubl. formæ diversæ: ideoq; possint de *legibus*, ex principiis & præceptis, tam æquitatis naturalis, quam politices, decernere. Quamobrem id nuncagatur, ut *fontes justitiæ* & *utilitatis publicæ*, petantur, & in singulis *juris* partibus *character* quidam & *idea justi* exhibeatur, ad quam particularium regnorum & Rerumpub, *Leges* probare, atq; inde emendationem moliri, quisq;, cui hoc cordi erit & curæ, possit. Hujus igitur rei, more nostro, *exemplum*, in *titulo* proponemus.

Exemplum Tractatus de *Justitia Universali*, sive de Fontibus Juris, in uno Titulo, per Aphorismos.

PROOEMIVM.

Aphorismus 1.

IN *societate civili aut* lex, *aut* vis *valet. Est autem & vis quædam* legem *simulans: & lex nonnulla magis* vim *sapiens, quam* æquitatem juris. *Triplex est igitur* injustitiæ fons, vis mera; illaqueatio malitiosa *prætextu* legis; *& acerbitas ipsius* legis.

Aphorismus 2.

Firmamentum juris privati *tale est. Qui injuriam facit, re utilitatem aut voluptatem capit, exemplo periculum. Cæteri utilitatis aut voluptatis illius participes non sunt, sed exemplū ad se pertinere putant, itaque facile coëunt in consensum. ut caveatur sibi per* leges; *ne injuria per vices ad singulos redeant. Quod si ex ratione temporum, & communione culpæ, id eveniat, ut pluribus & potentioribus, per* legem *aliquam, periculum erectur, quam caveatur*, fact o *solvit* legem; *Quod & sæpe fit.*

Aphorismus 3.

At jus privatum *sub tutela* Jurispublici *latet*. Lex *enim cavet civibus. Magistratus* Legibus *Magistratuum autem auctoritas pendet ex majestate imperij, & fabrica Politiæ*, & Legibus Fundamentalibus. *Quare, si ex illa parte sanitas fuerit, & recta constitutio*, Leges *erunt in bono usu; sin minus, parum in ū præsidii erit.*

Aphorismus 4.

Neq; tamen jus publicum *ad hoc tantum spectat, ut addatur tanquam custos* juri privato, *ne illud violetur. atq; cessent injuria: sed extenditur etiam ad religionem, & arma, & disciplinam, & ornamenta, & opes denicq; ad omnia circa bene esse Civitatis.*

Aphorismus 5.

Finis *enim & scopus, quem* leges *intueri, atq; ad quem jussiones & sanctiones suas dirigere debent. non alius est, quam ut cives feliciter degant. Id fiet, si pietate & religione recte instituti; moribus honesti; armis adversus hostes externos tuti*; legum *auxilio adversus seditiones & privatas injurias muniti, imperio & magistratibus obsequentes; copiis & opibus locupletes & florentes fuerint. Harum autem rerum instrumenta & nervi sunt* Leges.

Aphorismus 6.

Atq; hunc finem *optimæ* leges *assequuntur: plurimæ vero ipsarum aberrant.* Leges *enim mirum in modum, & maximo intervallo, inter se differunt: ut aliæ* excellant, *aliæ* mediocriter se habeant, *aliæ prorsus* vitiosæ *sint. Dictabimus igitur pro judicij nostri modulo quasdam tanquam* legum leges, *ex quibus informatio petipossit, quid in singulis* legibus *bene aut perperam positum aut constitutum sit.*

Aphorismus 7.

Antequam vero ad corpus *ipsum* legum particula-

culariumdeveniamus: perstringemus paucu virtutes & dignitates Legum in genere. Lex bona censeri possit, quæ sit intimatione certa; præcepto justa; executione commoda cum forma politiæ congrua; & generans virtutem in subditis.

TITULUS I.

De prima Dignitate Legum, ut sint certæ.

Aphorismus. 1.

Legis tantum interest ut certa sit, ut absq; hoc nec justa esse possit. Si enim incertam vocem det tuba, quis se parabit ad bellum? Similiter, si incertam vocem det Lex quis se parabit ad parendum? ut moneat igitur oportet, priusquam feriat. Etiam illud recte positum est; Optimam esse Legum, quæ minimũ relinquit arbitrio Judicis Id quod certitudo ejus præstat.

Aphorismus 9.

Duplex legum incertitudo: altera ubi lex nulla præscribitur; altera ubi ambigua & obscura. Itaque de casibus omissis à lege primo dicendum est; ut in his etiam inveniatur aliqua norma certitudinis.

De Casibus omissis à Lege.

Aphorismus 10.

Angustia prudentiæ humanæ, casus omnes quos tempus reperit, non potest capere. Non raro itaque se ostendunt casus omissi & novi. In hujusmodi casibus triplex adhibetur remedium, sive supplementum: vel per processum ad similia; vel per usum exemplorum, licet in legem non coaluerint; vel per jurisdictiones, quæ statuunt ex arbitrio boni viri, & secundum discretionem sanam, sive illæ curiæ fuerint Prætoriæ, sive censoriæ.

De processu ad similia, & extensionibus legum.

Aphorismus 11.

In casibus omissis deducenda est norma legis à similibus, sed caute, & cum judicio. Circa quod servandæ Regulæ sequentes. Ratio prolifica; consuetudo sterilis esto, nec generet casus. Itaq; quod contra rationem juris receptum est, vel etiam ubi Ratio ejus est obscura, non trahendum est ad consequentiam.

Aphorismus 12.

Bonum publicum insigne, rapit ad se casus omissos. Quamobrem, quando Lex aliqua Reipubl. Commoda notabiliter & majorem in modum intuetur, & procurat, interpretatio ejus extensiva esto, & amplians,

Aphorismus 13.

Durum est, torquere Leges, ad hoc, ut torqueant homines. Non placet igitur, extendi Leges pœnales, multo minus Capitales, ad delicta nova. Quod si crimen vetus fuerit, & legibus notum, sed prosecutio ejus incidat in casum novum, à Legibus non provisum; omnino recedatur à placitis juris, potius quam delicta maneant impunita.

Aphorismus 14.

In Statutis, quæ Jus Commune (præsertim circa ea, quæ frequenter incidunt, & diu coaluerunt) plane abrogant, non placet procedi per similitudinem ad casus omissos. Quando enim Respubl. tota lege caverit, idque in casibus expressis; parum periculi est, si casus omissi expectent remedium à Statuto novo.

Aphorismus 15.

Statuta, quæ manifesto temporis leges fuere, atq; ex occasionibus Reipubl. tunc invalescentibus nata; mutata ratione temporum, satis habent, si se in proprijs casibus sustinere possint: præposterum autem esset, si ad casus omissos ullo modo traherentur.

Aphorismus 16.

Consequentia non est Consequentia: sed sisti debet extensio intra casus proximos: Alioqui labetur paulatim ad dissimilia & magis valebunt acumina ingeniorum, quam auctoritates legum.

Aphorismus 17.

In Legibus & Statutis brevioris stylũ, extensio facienda est liberius. At in illis, quæ sunt enumerativa casuum particularium, cautius. Nam ut exceptio firmat vim Legis, in casibus non exceptis: ita enumeratio infirmat eam, in casibus non enumeratis.

Aphorismus 18.

Statutum explanatorium claudit rivos statuti prioris; nec recipitur postea extensio in alterutro statuto, Neq; facienda est superextensio à Judice, ubi semel cœpit fieri extensio à Lege.

Aphorismus 19.

Solennitas verborum & actorum, non recipit extensionem a similia, Perdit enim naturam solennis, quod transit à more ad arbitrium: Et introductio novorum, corrumpit majestatem veterum.

Aphorismus 20.

Proclivis est extensio Legis ad casus postnatos, qui in rerum natura non fuerunt tempore Legis late. Vel enim casus exprimi non poterat, quia tunc nullus erat, vel casus omissus habetur pro expresso, si similis fuerit ratio.

Atq; de extensionibus Legum in casibus omissis, hæc dicta sint: Nunc de usu exemplorum dicendum.

De exemplis, & usu eorum.

Aphorismus 21.

De exemplis jam dicendum est, ex quibus Jus hauriendum sit, ubi Lex deficit. Atqui de consuetudine, quæ Legis species est, deque exemplis, quæ per frequentem usum, in consuetudinem transierunt, tanquam Legem tacitam, suo loco dicemus. Nunc autem de exemplis loquimur, quæ raro & sparsim interveniunt, nec in Legis vim coaluerunt, quando, & qua cautione, norma Juris ab ipsis petenda sit, cum Lex deficit.

Aphorismus 22.

Exempla à temporibus bonis & moderatis petenda sunt, non tyrannicis, aut factiosis, aut dissolutis. Hujusmodi exempla temporis partus spurij sunt, & magis nocent, quam docent.

Aphorismus 23.

In exemplis, recentiora habenda sunt pro tutioribus. Quod enim panlo ante factum est, unde nullum sit secutum incommodum, quidni iterum repetatur? Sed tamen minus habent auctoritatis recentia. Et si forte res in melius restitui opus sit, recentia exempla magis seculum sunm sapiunt, quam rectam rationem.

Aphorismus 24.

At vetustiora exempla caute & cum delectu recipienda; Decursus siquidem ætatis multa mutat, ut quod tempore videatur antiquum, id perturbatione & informitate ad præsentia, sit plane novum. Medii itaq; temporis exempla sunt optima, vel etiam talis temporis, quod cum tempore currente plurimum conveniat; quo aliquando præstat tempus remotius magis quam in proximo.

Aphorismus 25.

Intra fines exempli, vel citra potius, se cohibeto, nec illos ullo modo excedito. Ubi enim no adest norma

Legis, *omnia quasi pro* suspectis *habenda sunt. Itaq;, ut in* obscuris *minimum sequitur.*

Aphorismus 26.

Cavendum ab exemplorum fragmentis *&* compendiis: *atq; integrum* exemplum *& universus ejus processus introspiciendus. Si enim incivile sit, nisi tota* Lege *perspecta de parte ejus judicare, multo magis hoc valere debet in* exemplis: *quæ ancipitis sunt usus, nisi valde quadrent.*

Aphorismus 27.

In exemplis *plurimum interest, per quas manus transierint, & transacta sint. Si enim apud* scribas *tantum, &* ministros justitiæ, *ex* cursu curiæ, *absq;* notitia *manifesta* Superiorum, *obtinuerint, aut etiã apud* errorum magistrum populum; *conculcanda sunt, & parvifacienda. Sin apud* Senatores, *aut* Judices, *aut* curias principales, *ita subocculta posita fuerint, ut necesse fuerit illa, approbatione Judicum, saltem tacita, munita fuisse, plus dignationis habent.*

Aphorismus 28.

Exemplis *quæ publicata fuerunt, utcunq; minus fuerint in usu, cum tamen sermonibus, & disceptationibus hominum, agitata & ventilata extiterint, plus auctoritatis tribuendum. Quæ vero in scrinis & archivis manserunt tanquam sepulta, & palam in oblivionem transierunt, minus.* Exempla *enim, sicut aqua,* in profluente sanissima.

Aphorismus 29.

Exempla, *quæ ad* leges *spectant, non placet ab* Historicis *peti; sed ab* actis publicis *&* traditionibus diligentioribus. *Versatur enim infelicitas quædam inter* historicos *vel optimos ut* legibus *&* actis judicialibus, *non satis immorentur; aut si forte diligentiam quandam adhibuerint; tamen ab* authenticis *longe varient.*

Aphorismus 30.

Exemplum, *quod* ætas contemporanea *aut* proxima *respuit, cum* casus *subinde recurreret, non facile admittendum est. Neque enim tantum pro illo facit, quod homines illud quandoq; usurparunt; quam contra, quod experti reliquerunt,*

Aphorismus 31.

Exempla *in* consilium adhibentur, *non utiq;* jubent, *aut* imperant. *Igitur ita regantur, ut* actoritas præteriti temporis *flectatur ad* usum præsentis.

Atq; de informatione ab exemplis, ubi lex deficit, hæc dicta sint. Jam dicendum de curiis prætoriis, & censoriis.

De curiis prætoriis & censoriis.

Aphorismus 32.

Curiæ sunto & jurisdictiones, *quæ statuant ex arbitrio boni viri, & discretione sana, ubi* legis norma *deficit.* Lex *enim, (ut antea dictum est) non sufficit* casibus; *sed ad ea, quæ plerumq; accidunt aptatur. Sapientissima autẽ res* tempus, *(ut ab antiquis dictum est) & novorum* casuum *quotidie auctor, & inventor.*

Aphorismus 33.

Interveniunt autem novi casus *& in* criminalibus, *qui pœna indigent, & in* civilibus, *qui auxilio.* Curias, *quæ ad priora illa respiciunt,* censorias; *quæ ad posteriora,* prætorias *appellamus.*

Aphorismus 34.

Habento curiæ censoriæ *jurisdictionem & potestatem, non tantum* nova delicta *puniendi, sed etiam* pœnas à legibus constitutas *pro* delictis veteribus *augendi, si* casus *fuerint odiosi, & enormes, modo non sint capitales. Enormes enim tanquam novum est.*

Aphorismus 35.

Habeant similiter curiæ prætoriæ *potestatem, tam subveniendi contra* rigorem legis, *quam supplendi* defectum legis. *Si enim porrigi debet remedium ei, quem* lex præteriit, *multo magis ei, quem* vulneravit.

Aphorismus 36.

Curiæ *istæ* censoriæ *&* prætoriæ *omnino intra* casus enormes & extraordinarios *se continento, nec* jurisdictiones ordinarias *invadunto, ne forte tendat res ad* Supplantationem legis, *magis quam ad* supplementum.

Aphorismus 37.

Jurisdictiones *istæ in* supremis *tantum* curiis *residento, nec ad* inferiores *communicantor. Parum enim abest à potestate* legis *condendi, potestas eas supplendi, aut extendendi, aut moderandi.*

Aphorismus 38.

At curiæ *illæ* uni viro *ne committantur, sed ex* pluribus *constent. Nec* Decreta *exeant cum* silentio, *sed* judices sententiæ *suæ* rationes *adducant, itaq;* palã, *atq; adstante* corona: *ut quod ipsa potestate sit liberũ, fama tamen & existimatione sit circumscriptum.*

Aphorismus 39.

Rubricæ sanguinis *ne sunto nec de* capitalibus, *in quibuscunq;* curiis, *nisi ex* lege nota *&* certa, *pronunciato. Indixit mortem Deus ipse prius, postea inflixit. Nec vita eripienda nisi ei, qui se in suam vitam peccare prius nosset.*

Aphorismus 40.

In Curiis Censoriis *calculum tertium dato, ut Judicibus non imponatur necessitas, aut* absolvendi, *aut* condemnandi *sed etiam ut* non liquere *pronunciare possint. Etiam* censoria *non tantum* pœna, *sed &* Nota *esto: Scilicet, quæ non infligat* supplicium *sed aut in* admonitionem *desinat, aut res* ignominia levi *& tanquam* rubore *castiget.*

Aphorismus 41.

In Curiis Censoriis, *omnium* magnorum criminum, *&* scelerum, actus inchoati, *&* medii, *puniuntur, licet non sequatur* effectus consummatus: *Atq; sit earum* curiarum *usus vel maximus: cum & severitatis interfit, initia scelerum puniri; & clementiæ, perpetrationẽ eorum (puniendo actus medios) intercipi.*

Aphorismus 42.

Cavendum in primis, ne in Curiis Prætoriis *præbeatur auxilium in* casibus, *quos* Lex *non tam* omisit, *quam pro* levibus contempsit, *aut pro* odiosis remedio indignos judicavit.

Aphorismus 43.

Maxime omnium interest certitudinis legum (*de qua nunc agimus*) ne Curiæ Prætoriæ *intumescant & exundent in tantum, ut prætextu* rigoris legum mitigandi, *etiam* robur *&* nervos *iis incidant, aut laxent; omnia trahendo ad arbitrium.*

Aphorismus 44.

Decernendi *contra* Statutum expressum, *sub nullo æquitatis prætextu,* curiis Prætoriis *jus ne esto. Hoc enim si fieret,* judex *prorsus transiret in* legislatorem. *atq; omnia ex arbitrio penderent.*

Aphorismus 45.

Apud nonnullos receptum est, ut Jurisdictio, *quæ decernit secundum* æquum *&* bonum, *atq; illa altera, quæ procedit secundum* jus strictum, iisdem curiis, *deputentur: apud alios autem, ut* diversis, *omnino placet* curiarum separatio. *Neque enim servabitur* distinctio casuum, *si fiat* commixtio jurisdictionum: *Sed* arbitrium legem *tandem trahet.*

Apho-

Aphorismus 46.

Non sine caussa in usum venerat apud Romanos album prætoris, *in quo præscripsit, & publicavit, quomodo ipse jus dicturus esset. Quo exemplo* judices *in* curiis prætoriis, *Regulas sibi certas,* (*quantum fieri potest*) *proponere, eaq; publice affigere debent. Etenim optima est* lex, *quæ minimum relinquit arbitrio judicis; optimus judex, qui minimum sibi.*

Verum de curiis istis fusius tractabimus, cum ad locum de judiciis veniemus; ob ter tantum jam locuti de iis, quatenus expediant, & suppleant omissa à lege.

De Retrospectione Legum.

Aphorismus 47.

Est & aliud genus supplementi casuum omissorum, cum lex legem supervenit, *atque simul* casus omissos *trahit. Id fit in* legibus, *sive* statutis, *quæ* retrospiciunt, *ut vulgo loquuntur. Cujus generis* leges *raro, & magna cum cautione, sunt adhibenda: neque enim placet* Janus *in* legibus.

Aphorismus 48.

Qui verba, *aut* sententiam *legis*, captione *&* fraude *eludit & circumscribit, dignus est, qui à* lege sequente *innodetur. Igitur in* casibus, fraudis *&* evasionis dolosæ *justum est, ut* leges retrospiciant, *atq; altera alteri in subsidiis sint: ut qui* dolos *meditatur, & eversionem* legum præsentium, *saltem à* futuris *metuat.*

Aphorismus 49.

Leges quæ actorum *&* instrumentorum *veras intentiones contra* formularum *aut* solennitatum *defectus roborant & confirmant, rectissime præterita complectuntur.* Legis *enim, quæ* retrospicit, *vitium vel principium est, quod* perturber. *At hujusmodi* leges confirmatoriæ *ad pacem & stabilimentum eorum, quæ transacta sunt spectant. Cavendum tamen est ne convellantur res judicatæ.*

Aphorismus 50.

Diligenter attendendum, ne ea leges *tantum ad* præterita respicere *putentur, quæ* anteacta infirmant *sed & ea quæ* futura prohibent *&* restringunt, *cum* præteritis *necessario* connexa. *Veluti si quæ* lex *artificibus aliquibus interdicat, ne mercimonia sua in* posterum *vendant: hæc sonat in* posterum, *sed operatur in* præteritum: *Neq; enim illis alia ratione victum quærere jam integrum est.*

Aphorismus 51.

Lex declaratoria *omnis, licet non habet* verba de præterito, *tamen ad* præterita, *ipsa vi* declarationis *omnino trahitur. Non enim tum incipit* Interpretatio *cum* declaratur, *sed efficitur tanquam* contemporanea *ipsi legi. Itaq;* leges declaratorias *ne ordinato, nisi in casibus, ubi* leges *cum justitia* retrospicere *possint.*

Hic vero eam partem absolvimus, quæ tractat de incertitudine legum ubi invenitur lex nulla. Jam dicendum est de altera illa parte, ubi scilicet lex extat aliqua, perplexa, & obscura.

De obscuritate legum.

Aphorismus 25.

Obscuritas legum, *à quatuor rebus originem ducit; vel ab* accumulatione legum nimia, *præsertim admixtis obsoletis: vel à* descriptione earum ambigua, *aut minus perspicua, & dilucida. vel à* modis enucleandi juris neglectis, *aut non bene instituis: vel denique à* contradictione *&* vacillatione judiciorum.

De accumulatione legum nimia.

Aphorismus 53.

Dicit Propheta: pluet super eo laqueos. *Non autem pejores* laquei, *quam* laquei legum, *præsertim* pœnalium; *Si numero immensa, & temporis decursu mutiles, non* lucernam pedibus *præbeant, sed* retia *potius objiciant.*

Aphorismus 54.

Duplex in usum venit statut. novi *condendi ratio. Altera,* statuta priora *circa idem subjectum* confirmat *&* roborat; *dein nonnulla* addit *aut* mutat. *Altera* abrogat *&* delet *cuncta, quæ ante ordinata sunt, & de* integro legem novam *&* uniformem substituit. *Placet posterior ratio. Nam ex priore ratione, ordinationes deveniunt complicatæ, & perplexæ: & quod instat, agitur sane, sed* corpus legum *interim redditur vitiosum. In posteriore autem major certe est adhibenda diligentia, cum de* lege *ipsa liberetur; Et ante acta scilicet evolvenda. & pensitanda, antequam* lex *feratur: sed optime procedit per hoc* legum concordia *in futurum.*

Aphorismus 55.

Erat in more apud Athenienses, *ut* contraria legum capita (*quæ antinomias vocant*) *quotannis à sex viris* examinarentur, *& quæ* reconciliari *non poterant,* proponerentur populo, *ut de illis* certum *aliquid* statueretur. *Ad quorum exemplum ij, qui potestatem in singulis Politiis* legum *condendarum habent, per triennium, aut quinquennium, aut prout videbitur,* antinomias *retractanto. Ea autem à viris, ad hoc delegatis, prius inspiciantur, & præparentur, & demum Comitiis exhibeantur, ut quod placuerit, per suffragia stabiliatur & figatur.*

Aphorismus 56.

Neq; vero contraria legum capita reconciliandi, *& omnia (ut loquuntur)* salvandi, *per distinctiones subtiles, & quæsitas, nimis sedula aut anxia cura esto. Ingenij enim hæc tela est: Atque utcumq; modestiam quandam & reverentiam præ se ferat, inter noxia tamen censenda est; utpote quæ reddat* corpus universum legum *varium, & male consutum. Melius est prorsus, ut succumbant deteriora, & meliora stent sola.*

Aphorismus 57.

Obsolutæ leges, *& quæ abierunt in desuetudinem, non minus quam* antinomiæ *proponantur,* à delegatis ex *officio tollendæ. Cum enim* statutum expressum *regulariter desuetudine non abrogetur, fit ut ex contemptu legum obsoletarum fiat nonnulla auctoritatis jactura etiam in reliquis; & sequitur tormenti illud genus* Mezentii, *ut* Leges vivæ in complexu mortuarum perimantur. *Atque omnino cavendum est à* Gangræna in legibus.

Aphorismus 58.

Quin & in legibus *&* statutis obsoletis, *nec noviter promulgatis;* curiis prætoriis *interim contra eas decernendi jus esto. Licet enim non male dictum sit,* neminem oportere legibus esse sapientiorem, *tamen intelligatur hoc de* legibus, *cum* evigilant, *non cum* dormitant. *Contra* recentiora *vero* statuta (*quæ* juri publico *nocere deprehenduntur*) *non utiq;* prætoribus, *sed* regibus *&* sanctioribus consiliis, *&* supremis potestatibus, *auxilium præbendi jus esto: earum executionem per edicta aut acta suspendendo, donec redeant comitia, aut hujusmodi cœtus, qui potestatem habeant eas abrogandi; ne salus populi interim periclitetur.*

De no-

De novis digestis legum.

Aphorismus 59.

Quod si leges aliæ super aliis accumulatæ, *in tam vasta excreverint volumina, aut tanta confusione laboraverint, ut eas de integro retractare, & in corpus sanum & habile redigere, ex usu sit; id ante omnia agito, atq; opus eiusmodi opus heroicum esto: Atque auctores talis operis, inter legislatores, & instauratores, rite & merito numerantur.*

Aphorismus 60

Hujusmodi legum expurgatio, & digestum novum, *quinq; rebus absolvitur. Primo omittantur* obsoleta, quæ Iustinianus antiquas fabulas *vocat. Deinde ex* antinomiis recipiantur probatissimæ, aboleantur contrariæ. *Tertio* homoionomiæ, *sive* leges, quæ idem sonant, *atq; nil aliud sunt, quam iterationes ejusdem rei*, expungantur; *atque* una quæpiam ex iis, *quæ maxime est perfecta*, retineatur *vice omnium. Quarto, si quæ* legum nihil determinent, *sed* quæstiones *tantum* proponant, *easque relinquant indecisas, similiter* facessant. *Postremo, quæ* verbosæ *inveniuntur, & nimis* prolixæ, contrahantur magis in arctum.

Aphorismus 61.

Omnino vero ex usu fuerit, in novo digesto legum, leges *pro* jure communi receptas, *quæ tanquam immemoriales sunt in origine sua, atque ex altera parte* statuta de tempore in tempus supperaddita, *seorsum digerere & componere: Cum in plurimis rebus, non eadem sit, in jure dicendo*, juris communis & statutorum *interpretatio, & administratio. Id quod fecit* Trebonianus *in* digesto & codice.

Aphorismus 62.

Verum in hujusmodi legum regeneratione, *atq;* structura nova veterum legum *atque* librorum, leges verba *prorsus* & textum *retineto, licet per* centones *&* portiones exiguas *eas excerpere necesse fuerit: Ea deinde ordine contexito. Etsi enim fortasse commodius hoc transigi posset per textum novum, quam per hujusmodi consarcinationem; tamen in* legibus, *non tam* stylus, & descriptio, *quam* auctoritas, *& hujus patronus* antiquitas, *spectanda est. Alias videri possit hujusmodi opus* scholasticum *potius quiddam*, & methodus, *quam* corpus legum imperantium.

Aphorismus 63.

Consultum fuerit in novo digesto legum, vetera volumina *non prorsus* deleri, & *in oblivionem cedere, sed in* Bibliothecis *saltem* manere; *licet usus eorum vulgaris & promiscuus prohibeatur. Etenim in causis gravioribus, non abs re fuerit*, legum *præteritarum mutationes, & series, consulere & inspicere; ac certe solenne est, antiquitatem præsentibus adspergere.* Novum *autem hujusmodi* corpus legum *ab iis, qui in politiis singulis habent potestatem legislatoriam, prorsus confirmandum est: ne forte prætextu* veteres leges *digerendi*, leges novæ *imponantur occulto.*

Aphorismus 64.

Optandum esset, ut hujusmodi legum instauratio *illis* temporibus *suscipiatur, quæ* antiquioribus, *quorum acta & opera tractant*, literis & rerum cognitione *præstiterint. Quod secus in* opere Iustianiani *evenit. Infelix res namq; est, cum ex judicio & delectu ætatis minus prudentis & eruditæ* antiquorum opera *mutilantur, & recomponuntur. Veruntamen sæpe* necessarium *est, quod non* optimum.

Atq; de legum obscuritate, quæ nimia & confusa earum accumulatione fit, hæc dicta sint. Jam de descriptione earum, ambigua & obscura, dicendum.

De descriptione legum perplexa, & obscura.

Aphorismus 65.

Descriptio legum obscura *oritur, aut ex* loquacitate & verbositate earum; *aut rursus ex* brevitate nimia *aut ex* prologo legis cum ipso corpore legis pugnante.

Aphorismus 66.

De obscuritate *vero* legum *quæ ex earum* descriptione prava *oritur, jam dicendum est.* Loquacitas, *quæ in præscribendo leges in usum venit*, & prolixitas, *non placet. Neq; enim, quod vult & cupit, ullo modo assequitur, sed contrarium potius. Cum enim casus singulos particulares verbis appositis & propriis persequi & exprimere contendat, maiorem inde sperans certitudinem; è contra quæstiones multiplices parit de verbis; ut difficilius procedat interpretatio secundum* sententiam legis, (*quæ sanior est & verior*) *propter* strepitum verborum.

Aphorismus 67.

Neq; propterea nimis concisa & affectata brevitas, *Maiestatis gratia, & tanquam magis imperatoria, probanda est, præsertim his seculis, ne forte si* lex instar regulæ Lesbiæ. *Mediocritas ergo affectanda est: & verborum exquirenda generalitas, bene terminata; quæ licet* casus comprehensos *non sedulo persequatur attamen non* comprehensos *satis perspicue excludat.*

Aphorismus 68.

In legibus *tamen atque* edictis ordinariis & politicis, *in quibus, ut plurimum, nemo Jurisconsultum adhibet, sed suo sensui confidit, omnia* fusius explicari *debent, & ad captum vulgi, tanquam digito monstrari.*

Neque nobis prologi legum, *qui inepti olim habiti sunt*, & leges *introducunt* disputantes, *non* jubentes, *utiq; placerent, si priscos mores ferre possemus. Sed* prologi isti legum *plerumq;* (*ut nunc sunt tempora*) *necessario adhibentur, non tam ad* explicationem legis, *quam instar* suasionis, *ad* perferendam legem *in* comitiis *& rursus ad* satisfaciendum populo. *Quantum fieri potest tamen* prologi *evitentur*, & lex *incipiat à* jussione.

Aphorismus 70.

Intentio & sententia legis, *licet ex* præfationibus & præambulis (*ut loquuntur*) *non* male *quandoq; eliciatur; attamen* latitudo *aut* extensio *ejus ex illis minime peti debet. Sæpe enim* præambulum *arripit nonnulla ex maxime plausibilibus & speciosis ad exemplum, cum* lex *tamen multo plura complectatur: Aut contra*, lex *restringit & limitat complura, cujus limitationis rationem* præambulo *inseri non fuerit opus. Quare* dimensio & latitudo legis *ex* corpore legis *petenda. Nam* præambulum, *sæpe aut ultra, aut citra cadit.*

Aphorismus 71.

Est vero genus præscribendi leges *valde vitiosum. Cum scilicet* casus, *ad quem* lex *collimat fuse exprimitur in* præambulo, *unde* præambulum *inseritur & incorporatur ipsi* legi: *Quod & obscurum est, & minus tutum: quia non eadem adhiberi consuevit diligentia in ponderandis & examinandis verbis* præambuli, *quæ adhibetur in* corpore *ipsius legis.*

Hanc partem de incertitudine legum, quæ ex mala descriptione ipsarum ortum habet, fusius tractabimus, quando de interpretatione legum postea agemus

agemus. Atque de descriptione legum obscura hæc dicta sunt: Jam de modis enucleandi juris dicendum.

De modis enucleandi juris & tollendi ambigua.

Aphorismus 72.

Modi enucleandi juris, & tollendi dubia, *quinque sunt. Hoc enim fit, ut per* perscriptiones judiciorum: *aut per* scriptores authenticos: *aut per* libros auxiliares: *aut per* prælectiones: *aut per* responsa *sive* consulta prudentum. *Hæc omnia, si bene institutantur, præsto erunt magna* legum obscuritati *subsidia.*

De perscriptione judiciorum.

Aphorismus 73.

Ante omnia, judicia reddita *in* curiis supremis *& principalibus, atque* causis gravioribus, *præsertim* dubiis, *quæque aliquid habent* difficultatis, *aut* novitatis, *diligenter & cum fide excipiunto.* Judicia *enim* anchoræ legum sunt, *ut* leges Reipub.

Aphorismus 74.

Modus *hujusmodi* judicia excipiendi, *& in* scripta referendi, *talis esto.* Casus *præcise,* judicia *ipsa exacte perscribito.* Rationes judiciorum, *quas adduxerunt judices, adjicito*: Casuum, *ad exemplum adductorum,* auctoritatem, *cum* casibus principalibus, *ne commisceto: De* advocatorum perorationibus, *nisi quidpiam in iis fuerit admodum eximium, sileto.*

Aphorismus 75.

Personæ, *quæ hujusmodi* judicia *excipiant, ex* advocatis *maxime* doctis *sunto, &* honorarium liberale *ex* publico *excipiunto.* Judices *ipsi ab hujusmodi* perscriptionibus *abstinento: ne forte opinionibus propriis addicti, & authoritate propria freti, limites* referendarii *transcendant.*

Aphorismus 76.

Judicia *illa, in* ordine *&* serie temporis, *digerito: non per* methodum *&* titulos. *Sunt enim* scripta *ejusmodi, tanquam* historiæ, *aut* narratione legum. *Neque solum* acta *ipsa, sed &* tempora *ipsorum,* judici prudenti *lucem præbent.*

De Scriptoribus authenticis.

Aphorismus 77.

Ex legibus ipsis, *quæ* jus commune *constituunt: deinde, ex* constitutionibus *sive* statutis: *tertio loco ex* judiciis perscriptis, corpus juris *tantummodo constituitor. Præter illa, alia* authentica *aut nulla sunto, aut parce recipiuntor.*

Aphorismus 78.

Nil tam interest certitudinis legum, (*de qua nunc tractamus*) *quam ut* scripta authentica *intra* fines Moderatos *coerceantur, & facessat* multitudo *enormis* Auctorum & Doctorum in Jure; *unde laceratur sententia legum, judex fit attonitus, processus immortales, atque advocatus ipse, cum tot libros perlegere & vincere non possit, compendia sectatur.* Glossa *fortasse aliqua bona; & ex* scriptoribus classicis pauci, *vel potius,* scriptorum paucorum pauculæ portiones, *recipi possint pro* authenticis. *Reliquorum nihilominus maneat usus nonnullus in* Bibliothecis, *ut eorum* tractatus *inspiciant* judices, *aut* advocati, *cum opus fuerit: Sed in causis agendis, in foro citare eos non permittitor, nec in auctoritatem transeunto.*

De libris auxiliaribus.

Aphorismus 79.

At scientiam juris, & practicam, auxiliaribus libris *ne nudanto, sed potius instruunto. Is sex in genere sunto;* Institutiones: De verborum significatione: De regulis juris: Antiquitates legum: Summæ: Agendi formulæ.

Aphorismus 80.

Præparandi sunt juvenes, *&* novitii, *ad scientiam & arduæ juris altius & commodius hauriendæ & imbibendæ, per* institutiones. Institutiones *illas ordine claro & perspicuo componito. In illis ipsis universum* jus privatum *percurrito: non alia omittendo, in aliis plus satis immorando, sed ex singulis quæaam breviter delibando, ut ad* corpus legum *perlegendum accessuro nil se ostendat prorsus novum, sed levi aliqua notione præceptum.* Jus publicum *in* institutionibus *ne attingito verum illud ex* fontibus *ipsis hauriatur.*

Aphorismus 81.

Commentarium *de* vocabulis juris *conficito. In explicatione ipsorum, & sensu reddendo, ne curiose nimis aut laboriose versator. Neque enim hoc agitur, ut* definitiones verborum *quærantur exacte, sed* explicationes *tantum, quæ legendis* juris libris *viam aperiant faciliorem.* Tractatum *autem istum, per* literas alphabeti *ne digerito. Id* indici *alicui relinquito: sed collocentur simul verba, quæ circa eandem rem versantur; ut alterum alteri sit juvamento ad intelligendum.*

Aphorismus 82.

Ad certitudinem legum *facit (si quid aliud)* tractatus *bonus & diligens* de diversis Regulis Juris. *Is dignus est, qui maximis Ingeniis, & prudentissimis Iureconsultis committatur. Neq; enim placent, quæ in hoc genere extant. Colligenda autem sunt* regulæ, *non tantum notæ, & vulgatæ, sed & aliæ magis subtiles & reconditæ, quæ ex* legum *&* rerum judicatarum *harmonia extrahi possint, quales in* rubricis *optimis quandoque inveniuntur: sunt que dictamina generalia rationis, quæ per materias* legis *diversas percurrunt, & sunt tanquam* Saburra Juris.

Aphorismus 83.

At singula Juris, scita *aut* placita, *non intelligantur pro* regulis, *ut fieri solet satis imperite. Hoc enim si reciperetur. Quot* leges, *tot* regulæ. Lex *enim nil aliud, quam* regula imperans. *Verum eas pro* regulis *habeto, quæ in forma ipsa justitiæ hærent: und, ut plurimum, per* jura civilia *diversarum Rerumpubl. eadem* regulæ *fere reperiuntur, nisi forte propter relationem ad formas politiarum varient.*

Aphorismus 84.

Post regulam, *brevi & solido verborum complexu enuntiatam, adjiciantur* exempla *&* decisiones casuum, *maximè luculentæ ad* explicationem; distinctiones, *&* exceptiones *ad* limitationem; cognata *ad* ampliationem *ejusdem* regulæ.

Aphorismus 85.

Recte jubetur; ut non ex regulis jus *sumatur; sed* ex jure *quod est,* regula fiat. *Neque enim ex* verbis regulæ *petenda est probatio, ac si esset* textus legis. Regula *enim* legem (*ut* acus natica polos) indicat, *non statuit.*

Aphorismus 86.

Præter Corpus *ipsum* Juris, *juvabit etiam* Antiquitates Legum *invisere, quibus licet evanuerit* Autoritas, *manet tamen* Reverentia. *Pro* Antiquitatibus *autem* Legum *habeantur* Scripta *circa* Leges *&* Judicia; *sive illa fuerint edita, sive non, quæ ipsum* Corpus Legum *tempore præcesserunt. Earum siquidem jactura facienda non est. Itaque ex*

iis utilissima quaque excerptio (multa enim invenientur inania & frivola) eaque in unum volumen redigito: ne antiquæ Fabulæ, *ut loquitur* Trebonianus, *cum* Legibus *ipsis misceantur.*

Aphorismus 87.

Practicæ *vero plurimum interest, ut* Jus universum *digeratur ordine in* Locos & Titulos; *ad quos subito (prout dabitur occasio) recurrere quis possit, veluti in promptuario paratum ad præsentes usus. Hujusmodi* Libri summarum, *& ordinant sparsa, & abbreviant fusa & prolixa in* Lege. *Cavendum autem est, ne* Summæ *istæ reddant homines* promptos *ad* Practicam; cessatores *in* scientia *ipsa. Earum enim officium est tale, ut ex iis* recolatur jus, *non* perdiscatur. Summæ *autem omnino magna diligentia, fide & judicio sunt conficiendæ, ne furtum faciant* legibus.

Aphorismus 88.

Formulas agendi *diversas in unoquoque genere colligito. Nam & practicæ hoc interest, & certe pandunt illa oracula & occulta* Legum. *Sunt enim non pauca, quæ latent* legibus: *At in* formulis agendi, *melius & fusius perspiciuntur, instar* pugni, *&* palmæ.

De Responsis & Consultis.

Aphorismus 89.

Dubitationes particulares, *quæ de tempore in tempus emergunt, dirimendi aliqua ratio iniri debet. Durũ enim est, ut iis, qui ab errore cavere cuperant, ducem via non inveniant, verum ut actus ipse periclitetur, neque sit aliquis antea rem peractam juris prænoscendi modus.*

Aphorismus 90.

Responsa prudentum, *quæ petentibus dantur de* jure *sive ab* Advocatis, *sive a* Doctoribus, *tanta valere auctoritate, ut ab eorum sententia* judici *recedere non sit licitum, non placet.* Jura *à* juratis judicibus *sumunto.*

Aphorismus 91.

Tentari judicia *per* causa & personas fictas, *ut eo modo experiantur homines qualis futura sit* legis norma, *non placet. Dedecorat* Majestatem Legum, *& pro prævaricatione quapiam censenda est.* Judicia *autem aliquid habere ex* scena, *deforme est.*

Aphorismus 92.

Judicium *igitur solummodo tam* judicia, *quam* responsa & consulta *sunto. Illa de* litibus pendentibus; *hæc de* arduis juris quæstionibus *in thesi. Ea* consulta, *sive in* privatis rebus, *sive in* publicis *à* judicibus *ipsis ne poscito, (id enim si fiat,* judex *transeat in* advocatum,) *sed à* Principe, *aut Statu. Ab illis ad* judices *demandentur.* Judices *vero, tali auctoritate freti, disceptationes advocatorum, vel ab his, quorum interest, adhibitorum, vel à judicibus ipsis, si opus sit, assignatorum, & argumenta ex utraque parte, audiunto, & re deliberata* jus *expediunto, & declaranto.* Consulta *hujusmodi inter* judicia *referunto & edunto, & paris auctoritatis sunto.*

De Prælectionibus.

Aphorismus 93.

Prælectionibus *de* jure, *atque* exercitationes *eorum, qui* juris *studiis incumbunt, & operam dant, ita instituuntor & ordinantor, ut omnia tendant ad* quæstiones & controversias *de jure* sedandas *potius, quam* excitandas. Ludus *enim (ut nunc fit) fere apud omnes instituitur, & aperitur, ad* altercationes, & quæstiones de jure *multiplicandas, tanquam ostendandi ingenii causa. Atque hoc vetus est malum. Etenim etiam apud antiquos gloria fuit, tanquam per sectas & factiones, quæstiones complures de* Jure *magis fovere, quam extinguere. Id ne fiat, provideto.*

De Vacillatione Judiciorum.

Aphorismus 94.

Vacillant judicia, *vel propter* immaturam & præfestinam sententiam; *vel propter* æmulationem curiarum; *vel propter* malam & imperitam perfectionem judiciorum; *vel propter* viam præbitam ad rescissionem eorum nimis facilem & expeditam. *Itaque providendum est, ut* judicia emanent, matura deliberatione prius habita, *atque ut* curiæ se invicem revereantur, *atque ut* judicia perscribantur fideliter & prudenter: *atque* via ad rescindenda judicia, sit arcta, confragosa, *& tanquam* muricibus strata.

Aphorismus 95.

Si judicium *redditum fuerit de* casu *aliquo in aliqua* curia Principali, *& similis* casus *inter venerit in alia* curia, *ne procedito ad* judicium, *antequam fiat* consultatio *in* Collegio aliquo judicum majore, Judicia *enim* reddita *si forte* rescindi *necesse sit, saltem* sepeliuntor cum honore.

Aphorismus 96.

Ut curiæ *de* jurisdictione *degladientur, & conflictentur, humanum quiddam est, eoque magis, quod per ineptam quandam sententiam* (quod boni & strenui sit judicis, ampliare jurisdictionem curiæ) *alatur plane ista intemperies, & calcar addatur, ubi fræno opus est. Ut vero ex hac animorum contentione,* curiæ, judicia *utrobique reddita (quæ nil ad* jurisdictionem *pertinent) libenter rescindant, intolerabile malum, & à Regibus, aut Senatu, aut Politia, plane vindicandum. Pessimi enim exempli res est, ut* Curiæ, *quæ pacem subditis præstant, inter se duella exerceant.*

Aphorismus 97.

Non facilis esto aut proclivis ad judicia rescindenda *aditus per* appellationes, *aut* impetitiones *de* errore, *aut* revisus, *& similia. Receptum apud nonnullos est, ut* lis trahatur *ad* forum superius, *tanquam res integra:* Judicio *inde dato seposito, & plane suspenso. Apud alios vero, ut* judicium ipsum maneat *in suo* vigore, *sed* executio *ejus tantum cesset. Neutram placet, nisi* curiæ, *in quibus* judicium *redditum sit, fuerint* humiles, *&* inferioris ordinis: *Sed potius, ut &* judicium *stet, & procedat ejus* executio: *modo* cautio *detur* à defendente *de* damnis & expensis *si* judicium *fuerit rescissum.*

ATque hic *titulus*, de *Certitudine Legum*, ad exemplum *Digesti* reliqui (quod meditamur) sufficiet. Jam vero *doctrinam civilem* (quatenus eam nobis tractare visum est) conclusimus. Atque una cum ea *Philosophiam humanam*: Sicut etiam cũ *Philosophia humana, Philosophiam* in genere. Tandem igitur paululum respirantes atque ad ea, quæ prætervecti sumus, oculos retroflectentes, hunc tractatum nostrum non absimilem esse censemus sonis illis & præludiis, quæ prætentant Musici, dum fides ad modulationem concinnant: Quæ ipsa quidem auribus ingratum quiddam & asperum exhibent: at in causa sunt, ut quæ sequuntur, omnia sint suaviora; Sic nimirum nos in animum induximus, ut in cithara Musarum concinnanda, & ad harmoniam veram redigenda, operam navaremus, quo ab aliis postea pulsentur chordæ, meliore digito, aut plectro. Sane, cum nobis ante oculos proponimus

mus temporum horum Statum, in quibus *litera* jam tertio ad mortales videntur rediisse: & una diligenter intuemur, quam variis jam nos inviserint instructæ præsidiis & auxiliis, quia sunt ingeniorum nostri temporis complurium acumen & sublimitas; eximia illa monumenta scriptorum veterum, quæ veluti tot faces nobis prælucent; ars Typographica, Libros cujusque fortunæ hominibus larga manu suppeditans; Oceani sinus laxati, & orbis ex omni parte peragratus, unde experimenta plurima Priscis ignota comparuerunt, & ingens accessit Naturali Historiæ cumulus: otium, quo ingenia optima in Regnis & Provinciis Europæ ubique abundant, cum negotiis minus his in locis implicentur homines, quam aut Græci, propter populares Status, aut propter Ditionum Amplitudinem, Romani solebant: pax qua fruitur hoc tempore Britannia, Hispania, Italia, etiam nunc Gallia, & aliæ Regiones non paucæ: consumptio & exinanitio omnium quæ videntur excogitari aut dici posse circa Controversias Religionis, quæ tot ingenia jam diu diverterunt à cæterarum artium studiis: summa & excellens Majestatis tuæ eruditio, cui (tanquam Phœnici Volucres) aggregant se undique Ingenia: proprietas denique inseparabilis, quæ *tempus* ipsum sequitur, ut veritatem indies parturiat: Hæc (inquam) cum cogitamus, non possumus non in eam spem animum erigere, ut existimemus, tertiam hanc *literarum periodum* duas illas priores apud *Græcos* & *Romanos*, longo intervallo superaturam: modo saltem homines, & vires suas, atque defectus etiam virium suarum, probe & prudenter nosse velint: atque alii ab aliis inventionis lampada, non contradictionis torres accipiant atque inquisitionem veritatis pro incepto nobili, non pro delectamento, aut ornamento putent: Atque opes ac magnificentiam impendant in res solidas eximias, non in pervulgatas, & obvias. Ad labores meos quod attinet, si cui libeat in eorum reprehensione, aut sibi, aut aliis placere, veterem certe & ultimæ patientiæ petitionem exhibebunt illi: *Verbera, sed audi.* Reprehendant homines quantum libuerit, modo attendant & perpendant, quæ dicuntur. Appellatio sane legitima fuerit, (licet res fortasse minus ea indigebit) si à primis cogitationibus hominum ad secundas provocetur, & ab ævo præsenti ad posteros. Veniamus nunc ad eam Scientiam, qua caruerunt duæ illæ priscæ temporum periodi, neque enim tanta illis felicitas concessa est) *sacram* dico & *divinitus inspiratam Theologiam*, cunctorum laborum ac peregrinationum humanarum Sabbathum ac Portum nobilissimum.

FRANCISCI BACONIS
DE VERULAMIO.
Vice-Comitis sancti Albani,
De Dignitate & Augmentis Scientiarum,
LIBER NONUS.

Ad Regem suum.

CAP. I.

Partitiones Theologiæ inspiratæ *omittuntur*; *Tantum additus fit ad* desiderata *tria*; Doctrinam *de* Legitimo usu Rationis Humanæ *in* Divinis; Doctrinam de Gradibus Unitatis *in* Civitate Dei, & Emanationes Scripturarum.

IAm vero (Rex optime) cum carina parva, qualis nostra esse potuit, universum ambitum, tam veteris, quam novi Orbis, Scientiarum circumnavigaverit, (quàm secundis ventis, & cursu, posterorum sit judicium) quid superest, nisi ut vota, tandem perfuncti, persolvamus? At restat adhuc *Theologia Sacra*, sive *Inspirata*. Veruntamen si eam tractare pergamus, exeundum nobis è *navicula rationis humanæ*, & transeundum in *Ecclesiæ Navem*, quæ sola *Acu Nautica Divina* pollet, ad cursum rectè dirigendum. Neque enim sufficient amplius *Stellæ Philosophiæ*, quæ hactenus præcipue nobis affulserunt. Itaque par foret, silentium quoque in hac re colere. Quamobrem *partitiones legitimas* circa eam omittemus: Pauca tamen, pro tenuitate nostra, etiam in hanc conferemus, loco votorum. Id eo magis facimus, quia in corpore Theologiæ nullam prorsus Regionem, aut Tractum, plane desertum, aut incultum, invenimus: Tanta fuit hominum diligentia, in seminandis, aut tritico, aut zizaniis.

Tres igitur proponemus *Theologiæ Appendices*, quæ non de *materia* per *Theologiam informata*, aut *informanda*, sed tantummodo de *modo informationis* tractent. Neque tamen, circa eos *Tractatus*, (ut reliquis consuevimus) vel *exempla* subjungemus, vel *præcepta* dabimus. Id Theologis relinquemus. Sunt enim illa (ut diximus) instar votorum tantum.

I. *Prærogativa* Dei totum hominem complectitur: nec minus ad *rationem*, quam ad *voluntatem humanam* extenditur: ut homo scilicet in universum se abneget, & accedat Deo. Quare, sicut *Legi Divinæ* obedire tenemur, licet reluctetur *voluntas*, ita & *Verbo Dei* fidem habere, licet reluctetur *ratio*. Etenim, si ea duntaxat credamus, quæ sunt *rationi* nostræ consentanea, *rebus* assentimur, non *auctori*: Quod etiam suspectæ fidei testibus præstare solemus. At *Fides* illa, quæ *Abrahamo imputabatur ad justitiam*, de hujusmodi re exiitit, quam irrisui habebat *Sarah*: Quæ in hac parte imago quædam erat *rationis naturalis*. Quanto igitur *Mysterium* aliquod *Divinum* fuerit magis absonum, & incredibile, tanto plus in *credendo* exhibetur honoris Deo, & fit *victoria fidei* nobilior. Etiam & peccatores, quo magis conscientia sua gravantur, & nihilominus Fidem de salute sua in Dei Misericordia collocant, eo Deum majore afficiunt honore: omnis autem *Desperatio* Deo pro contumelia est. Quinetiam, si attente rem perpendamus, dignius quidnam est *credere*, quam *scire*, qualiter

nunc *scimus*. In *Scientia* enim mens humana patitur à sensu, qui à rebus materiatis resilit, in *Fide* autem anima patitur ab anima, quæ est Agens digitus. Aliter se res habet in *Statu Gloriæ*: Tunc siquidem cessabit *Fides*, atque *cognoscemus sicut & cogniti sumus*

Concludamus igitur, *Theologiam Sacram* ex *Verbo & Oraculis Dei*, non ex *lumine naturæ*, aut *rationis dictamine* hauriri debere. Scriptum est enim, *Cœli enarrant Gloriam Dei*: At nusquam scriptum invenitur, *Cœli enarrant voluntatem Dei*. De illa pronuntiatur. *Ad Legem & Testimonia, si non fecerint secundum Verbum istud*, &c. Neque hoc tenet tantum in *grandibus* illis *Mysteriis* de *Deitate, Creatione, Redemptione*; verum pertinet etiam ad interpretationem perfectiorem Legis Moralis; *Diligite inimicos vestros; Benefacite his, qui oderunt vos*, &c. *Ut sitis Filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui pluit super Iustos & Injustos*. Quæ certe verba plausum illum merentur; *Non vox hominem sonat*. Siquidem *vox* est, quæ *lumen naturæ* superat. Quin etiam videmus, Poetas Ethnicos, præsertim cum pathetice loquuntur, expostulare non raro cum *legibus* & *doctrinis moralibus* (quæ tamen *legibus divinis* multo sunt indulgentiores & solutiores) ac si naturæ libertati cum malignitate quædam repugnet:

--- *Et quod natura remittit*
Invida iura negant. ---

Ita Dendamis Indus, ad Alexandri Nuntios: *Se inaudisse quidem aliquid de nomine Pythagoræ, & aliorum Sapientum è Græcia: Et credere, illos fuisse Viros magnos; Vitio tamen illo laborasse, quod scilicet nimia in reverentia & veneratione haburssent rem quampiam phantasticam, quam Legem & Morem vocitabant*. Quare, nec illud dubitandum, magnam partem *Legis moralis* sublimiorem esse, quam quo *lumen naturæ* adscendere possit. Verum tamen, quod dicitur, habere homines, etiam ex *lumine & lege naturæ*, notiones nonnullas, *virtutis, vitii, justitiæ, injuriæ, boni, mali*; Id verissimum est. Notandum tamen, *lumen naturæ* duplici significatione accipi. Primo, quatenus oritur ex sensu, inductione, ratione, augmentis, secundum *leges cœli* ac *terræ*: Secundo, quatenus animæ humanæ interno affulget instinctu, secundum *legem conscientiæ*, quæ scintilla quædam est, & tanquam reliquiæ, pristinæ & primitivæ puritatis. In quo posteriore sensu præcipue particeps est anima lucis nonnullæ, ad perfectionem intuendam & discernendam *legis moralis*; Quæ tamen lux non prorsus clara est, sed ejusmodi, ut potius vitia quadamtenus redarguat, quam de officiis plene informet. Quare *Religio*, sive Mysteria spectes, sive mores, pendet ex *revelatione divina*.

Attamen usus *rationis humanæ* in spiritualibus, multiplex sane existit, ac late admodum patet. Neque enim sine causa est, quod Apostolus Religionem appellaverit *Rationalem cultum Dei*. Recordetur quis cæremonias & typos veteris Legis. *Fuerunt illæ Rationales*, & significativæ, longe discrepantes à cæremoniis idololatriæ, & magiæ, quæ tanquam surdæ & mutæ erant, nihil docentes plerunque, imo ne innuentes quidem. Præcipue *Christiana fides*, ut in omnibus, sic in hoc ipso eminet, quod auream servet mediocritatem, circa usum *rationis* & *disputationis* (quæ *rationis* proles est) inter Leges Ethnicorum & Mahometi; quæ extrema sectantur. Religio siquidem Ethnicorum, Fidei aut Confessionis constantes nihil habebat; Contra in Religione Mahometi, omnis disputatio interdicta est: Ita ut altera, erroris vagi & multiplicis, altera, vafræ cujusdam & cautæ imposturæ faciem præ se ferat; Cum sancta *Fides Christiana rationis* usum & *disputationem* (sed secundum debitos fines) & recipiat & rejiciat.

Humanæ rationis usus, in rebus ad *Religionem* spectantibus, duplex est, alter, in *explicatione Mysteriis*, alter, in *illationibus*, quæ inde deducuntur. Quod ad *Mysteriorum explicationem* attinet, videmus, non dedignati *Deum* ad infirmitatem captus nostri se dimittere; *mysteria* sua ita explicando, ut à nobis optime ea possint percipi; atque *revelationes* suas in *rationis* nostræ syllepses & notiones veluti inoculando; atque *inspirationes* ad intellectum nostrum aperiendum sic accommodando, quemadmodum figura clavis aptatur figuræ seræ. Qua tamen in parte nobis ipsis deesse minime debemus. Cum enim *Deus* ipse opera *rationis* nostræ in *illuminationibus* suis utatur, etiam nos eandem in omnes partes versare debemus, quo magis capaces simus ad *Mysteria* recipienda & imbibenda. Modo animus, ad amplitudinem *Mysteriorum*, pro modulo suo, dilatetur, non *Mysteria* ad angustias animi constringantur.

Quantum vero ad *illationes*, nosse debemus, relinqui nobis usum *rationis* & *ratiocinationis* (quod *Mysteria*) secundarium quendam & respectivum, non primitivum & absolutum. Postquam enim *articuli*, & *principia Religionis*, jam in sedibus suis fuerint locata, ita ut à *rationis* examine penitus eximantur, tum demum concediturab illis *illationes* derivare, ac deducere, secundum analogiam ipsorum. In *rebus* quidem *naturalibus* hoc non tenet. Nam & ipsa *principia* examini subjiciuntur; per *inductionem*, inquam; licet minime per *Syllogismum*; Atque eadem illa nullam habent cum *ratione* repugnantiam, ut ab eodem fonte cum primæ propositiones, tum mediæ deducantur. Aliter fit in *Religione*; Ubi & primæ propositiones Authypostatæ sunt, atque per se subsistentes; Et rursus, non reguntur ab illa *ratione*, quæ propositiones consequentes deducit. Neque tamen hoc fit in *Religione* sola, sed etiam in aliis *Scientiis*, tam gravioribus, quam levioribus; ubi scilicet propositiones primariæ *placita* sunt, non *posita*: Siquidem & in illis *rationis* usus absolutus esse non potest. Videmus enim in *Ludis*, puta *Schaccorum*, aut similibus, primas Ludi normas, & leges, mere positivas esse, & ad placitum; quas recipi, non in disputationem vocari, prorsus oporteat: Ut vero vincas, & perite lusum instituas, id artificiosum est & rationale: Eodem modo fit & in *Legibus Humanis*: In quibus hand paucæ sunt *Maximæ*, (ut loquuntur) hoc est, *Placita mera Iuris*, quæ *Auctoritate* magis quam *ratione* nituntur; Neque in disceptationem veniunt; Quid vero sit justissimum, non absolute, sed relative; (hoc est, ex analogia illarum *Maximarum*;) id demum rationale est, & latum disputationi campum præbet. Talis igitur est *secundaria* illa *ratio* quæ in *Theologia sacra* locum

cum habet, quæ scilicet fundata est super *Placita Dei*.

Sicut vero *rationis humanæ* in *Divinis usus* est duplex; ita & in eodem *usu* duplex excessus. Alter, cum in *modum Mysterii curiosius*, quam par est, *inquiritur*. Alter, cum *illationibus æqua tribuitur auctoritas*, ac *principiis* ipsis. Nam & *Nicodemi discipulus* videri possit, qui pertinacius quærat; *Quomodo posset homo nasci cum sit senex?* Et *discipulus Pauli* neutiquam censeri possit, qui non quandoque in doctrinis suis inserat, *Ego, non Dominus*: Aut illud, *Secundum Consilium meum*. Siquidem *illationibus* plerisque stylus iste conveniet. Itaque nobis res salubris videtur, & imprimis utilis, si tractatus instituatur sobrius & diligens, qui de *usu rationis humæ* in *Theologicis* utiliter præcipiat, tanquam *Divina* quædam *Dialectica*. Utpote quæ futura sit instar *Opiatæ* cujusdam *Medicinæ*, quæ non modo speculationum, quibus schola interdum laborat, inania consopiat, verum etiam controversiarum furores, quæ in Ecclesia tumultus cient, nonnihil mitiget. Ejusmodi tractatum inter *desiderata* ponimus; & *Sophronem*, sive De *legitimo usu rationis humanæ in Divinis* nominamus.

2. Interest admodum *pacis Ecclesiæ*, ut *fœdus Christianorum*, à *Servatore* præscriptum in duobus illis *Capitibus*, quæ nonnihil videntur discrepantia, bene & clare explicetur: Quorum alterum sic diffinit; *Qui non est nobiscum, est contra nos*: Alterum autem sic; *Qui contra nos non est; nobiscum est*. Ex his liquido patet, esse nonnullos articulos, in quibus qui dissentit, extra *fœdus* statuendus sit: alios vero, in quibus dissentire liceat, salvo *fœdere*. Vincula enim communionis Christianæ ponuntur, *Una fides, Unum Baptisma*, &c. Non *unus ritus, una opinio*. Videmus quoque, *tunicam Salvatoris* inconsutilem extitisse; *Vestem* autem *Ecclesiæ* versicolorem. *Palea* in arista separanda sunt à frumento; at *zyzania* in agro non protinus evellenda. *Moses*, cum certantem reperisset Ægyptium cum Israelita, non dixit, *Cur certatis?* Sed gladio evaginato Ægyptium interfecit: At cum Israelitas duos certantes vidisset, quamvis fieri non potuit, ut utrique causa justa contingeret, ita tamen eos alloquitur; *Fratres estis, cur certatis?* His itaque perpensis, magni videatur res & usus esse, ut definiatur, qualia sunt illa, & quantæ latitudinis, quæ ab Ecclesiæ corpore homines penitus divellant, & à Communione fidelium eliminent. Quod si quis putet, hoc jam pridem factum esse, videat ille etiam atque etiam, quam sincere & moderate. Illud interim verisimile est, eum qui *Pacis* mentionem fecerit, reportaturum responsum illud Jehu ad Nuntium, (*Nunquid pax est Iehu*) *Quid tibi & paci? transi, & sequere me*: cum non *pax*, sed *partes* plerisque cordi sint. Nobis nihilominus visum est, Tractatum de *Gradibus Unitatis in Civitate Dei*, ut salubrem & utilem, inter *desiderata* reponere.

3. Cum *Scripturarum Sacrarum*, circa *Theologiam reformandam* tantæ sint partes, de earum *Interpretatione* imprimis videndum. Neque nunc de *Auctoritate eas interpretandi* loquimur, quæ *in consensu* Ecclesiæ firmatur, sed de *modo interpretandi*. Is duplex est; *Methodicus*, & *Solutus*. Etenim Latices isti Divini, qui aquis illis ex puteis Jacobi in infinitum præstant, similibus fere hauriuntur & exhibentur modis, quibus aquæ naturales ex puteis solent: Hæ siquidem, aut sub primum haustum in cisternas recipiuntur, unde per tubos complures ad usum commode deduci possunt; aut statim in vasa infunduntur, subinde, prout opus est, utendæ. Atque *modus* ille prior *methodicus Theologiam* nobis tandem peperit *Scholasticam*; per quam *Doctrinam Theologiæ* in *artem*, tanquam in *cisternam*, collecta est; atque inde *Axiomatum* & *Positionum rivuli* in omnes partes sunt distributi. At in *Interpretandi modo Soluto* duo interveniunt *excessus*. Alter ejusmodi *præsupponit in Scripturis Perfectionem*, ut etiam omnis Philosophia ex earum fontibus peti debeat, ac si Philosophia alia quævis, res profana esset & ethnica. Hæc intemperies in Schola Paracelsi præcipue, nec non apud alios invaluit: Initia autem ejus à Rabbinis & Cabalistis defluxerunt. Verum istiusmodi homines non id assequuntur quod volunt: Neque enim honorem, ut putant, Scripturis deferunt; sed easdem potius deprimunt & polluunt, Cœlum enim materiatum; & terram, qui in *Verbo Dei* quæsiverit, (de quo dictum est, *Cœlum & terra pertransibunt, Verbum autem meum non pertransibit*) is sane transitoria inter æterna temere persequitur. Quemadmodum enim *Theologiam* in *Philosophia* quærere, perinde est, ac si *vivos quæras inter mortuos*: Ita contra *Philosophiam* in *Theologia* quærere, non aliud est, quam *mortuos quærere inter vivos*. Alter autem *Interpretandi modus* (quem pro *excessu* statuimus) videtur primo intuitu sobrius & castus; sed tamen & *Scripturas* ipsas dedecorat, & plurimo *Ecclesiam* afficit detrimento. Is est (ut verbo dicamus) quando *Scripturæ divinitus inspiratæ*, eodem, quo *Scriptæ humanæ, explicantur modo*. Meminisse autem oportet, *Deo* Scripturarum Auctori duo illa patere, quæ humana ingenia fugiunt: *Secreta* nimirum *cordis*, & *successiones temporis*. Quamobrem, cum *Scripturarum dictamina* talia sint, ut ad *cor* scribantur, & *omnium seculorum vicissitudines* complectantur; cum æterna & certa præscientia omnium hæresium, contradictionum, & Status Ecclesiæ varii & mutabilis, tum in communi, tum in electis singulis; Interpretandæ non sunt solummodo secundum latitudinem & obvium sensum loci, aut respiciendo ad occasionem; ex qua verba erant prolata: aut præcise ex contextu verborum præcedentium & sequentium: aut contemplando scopum dicti principalem; sed sic, ut intelligamus, complecti eas, non solum totaliter, aut collective, sed distributive, etiam in clausulis & vocabulis singulis, innumeros doctrinæ rivulos & venas ad Ecclesiæ singulas partes, & animas fidelium, irrigandas. Egregie enim observatum est, quod *Responsa Salvatoris* nostri, ad quæstiones non paucas, ex iis, quæ proponebantur, non videntur ad rem, sed quasi impertinentia. Cujus rei causa duplex est; Altera, quod cum *cogitationes* eorum, qui interrogabant, non ex *verbis*, ut nos homines solemus, sed *immediate* & *ex sese* cognovisset, ad *cogitationes* eorum, non ad *verba* respondit: Altera, quod non ad *eos* solum locutus est, qui *tunc aderant*, sed ad *nos* etiam, *qui vivimus*, & ad *omnia ævi ac loci homines*, quibus *Evangelium* fuerit prædicandum. Quod etiam in aliis *Scripturæ Locis* obtinet.

His itaque prælibatis, veniamus ad *Tractatum* eum, quem *desiderari* statuimus. Inveniuntur pro-

fecto inter *Scripta Theologica*, *libri controversiarum* nimio plures: *Theologia* ejus, quam diximus *positivam*, massa ingens; *Loci communes*; *Tractatus speciales*; *Casus Conscientiæ*; *Conciones* & *Homiliæ*; Denique prolixi plurimi in Libros Scripturarum *Commentarii*. Quod *desideramus* autem, est hujusmodi: *Collectio scilicet succincta, sana*, & cum judicio, *annotationum*, & *observationum*, super *Textus Scripturæ Particulares*; neutiquam in Locos communes excurrendo, aut controversias persequendo, aut in artis Methodum eas redigendo, sed quæ plane spartæ sint, & nativæ. Res certe in concionibus doctioribus, se quandoque ostendens; quæ ut plurimum non perennant; sed quæ in Libros adhuc non coaluit, qui ad posteros transeant. Certe quemadmodum vina, quæ sub primam calcationem molliter defluunt, sunt suaviora, quam quæ à torculari exprimuntur; quoniam hæc ex acino & cute uvæ aliquid sapiant: Similiter salubres admodum ac suaves sunt doctrinæ, quæ ex *Scripturis leniter expressis* emanant, nec ad *Controversias*, aut *Locos communes*, trahant. Hujusmodi tractatum *Emanationes Scripturarum* nominabimus.

Jam itaque mihi videor confecisse globum exiguum *orbis intellectualis*, quam potui, fidelissime; una cum designatione & descriptione earum partium, quas, industria & laboribus hominum aut non constanter occupatas, aut non satis excultas, invenio. Quo in opere, sicubi à Sententia veterum recesserim, intelligatur, hoc factum esse animo *proficiendi in melius*, non *innovandi* aut *migrandi in aliud*. Neque enim mihimet ipsi, aut argumento, quod in manibus habeo, constare potui, nisi plane decretum mihi fuisset; *aliorum inventis*, quantum in me fuerit, addere; cum tamen non minus optaverim, etiam *inventa mea* ab aliis in posterum superari. Quam autem in hac re æquus fuerim, vel ex hoc apparet; quod opiniones meas proposuerim ubique nudas, & inermes, neque alienæ Libertati, per confutationes pugnaces, præjudicare contenderim. Nam in iis, quæ recte à me posita sunt, subest spes, id futurum, ut si in prima lectione emergat scrupulus, aut objectio, aut in lectione iterata responsum se ultro sit exhibitum: In iis vero, in quibus mihi errare contigit, certus sum, nullam à me illatam esse vim veritati per argumenta contentiosa: Quorum ea fere est natura, ut erroribus auctoritatem concilient, recte inventis derogent. Siquidem ex dubitatione error honorem acquirit; veritas patitur repulsam. Interim in mentem mihi venit responsum illud Themistoclis, qui, cum ex oppido parvo Legatus quidam magna nonnulla perorasset, hominem perstrinxit; *Amice, verba tua Civitatem desiderant*. Certe objici mihi rectissime posse existimo, quod verba mea *Seculum* desiderent. *Seculum* forte *integrum*, ad probandum, *complura* autem *Secula* ad perficiendum. Attamen quoniam etiam res quæque maximæ initiis suis debentur, mihi satis fuerit, sevisse *posteris*, & *DEO immortali*: Cujus Numen supplex precor, per *Filium* suum & *Servatorem* nostrum, ut has, & hisce similes, *Intellectus humani victimas*, *Religione*, tanquam *Sale*, respersas, & Gloriæ suæ *immolatas*, propitius accipere dignetur.

NOVUS ORBIS SCIENTIARUM,
SIVE DESIDERATA.

LIB. II.

ERrores naturæ *sive Historia prætergenerationum*.
Vincula naturæ, *sive historia mechanica*.
Historia inductiva, *sive historia naturalis in ordine ad condendam Philosophiam*.
Oculus Polyphemi, *sive historia literarum*.
Historia ad Prophetias.
Philosophiam secundum parabolas antiquas.

LIB. III.

Philosophia prima, *sive de axiomatibus scientiarum communibus*.
Astronomia viva.
Astrologia sana.
Continuatio problematum naturalium.
Placita antiquorum Philosophorum.
Pars Metaphysica de formis rerum.
Magia naturalis, *sive deductio formarum ad opera*.
Inventarium opum humanarum.
Catalogus Polychrestorum.

LIB. IV.

Triumphi hominis, *sive de summitatibus naturæ humanæ*.
Physiognomia corporis in motu. *Narrationes Medicinales*.
Anatomia comparata.
De curatione morborum habitorũ pro insanabilibus.
De Euthanasia exteriore.
De medicinis authenticis.
Imitatio Thermarum naturalium.
Filum medicinale.
De prolongando curriculo vitæ.
De substantia anima sensibilis.
De nixibus spiritus in motu voluntario.
De differentia perceptionis & sensus.
Radix perspectiva sive de forma lucis.

LIB. V.

Experientia literata, sive venatio Panis.
Organum novum.
Topicæ particulares.
Elenchi idolorum.
De analogia demonstrationum.

LIB. VI.

De notis rerum.
Grammatica philosophans.
Traditio lampadis, *sive methodus ad filios*.
De prudentia sermonis privati.
Colores boni & mali apparentis, tam simplicis, quam comparati.
Antitheta rerum.
Formulæ minores orationum.

LIB. VII.

Satyra seria, *sive de interioribus rerum*.
Georgica animi, *sive de cultura morum*.

LIB. VIII.

Amanuensis vitæ, *sive de occasionibus sparsis*.
Faber fortunæ, *sive de ambitu vitæ*.
Consul paludatus, *sive de proferendis imperii finib.*
Idea justitiæ universalis, sive de fontibus juris.

LIB. IX.

Sophron, *sive de legitimo usu rationis humanæ in divinis*.
Iræneus, *sive de gradibus unitatis in civitate Dei*.
Uttes cœlestes, *sive emanationes scripturarum*.

FRANCISCI

BACONI,

BARONIS

DE

VERULAMIO,

VICE-COMITIS SANCTI ALBANI,

AC SUMMI ANGLIÆ

CANCELLARII,

NOVUM ORGANUM

SCIENTIARUM,

Sive

Judicia vera de Interpretatione Naturæ.

Impensis JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.

ANNO clɔ Iɔc LXIV.

FRANCISCUS De VERULAMIO

Sic cogitavit;

Talemque apud se rationem instituit, quam Viventibus & Posteris notam fieri, ipsorum interesse putavit.

CVm illi pro comperto esset, Intellectum humanum sibi ipsi negotium facessere, neque auxiliis veris (quæ in Hominis potestate sunt) uti sobrie & commodè; unde multiplex Rerum Ignoratio, & ex Ignoratione Rerum detrimenta innumera: omni ope connitendum existimavit, si quo modo commercium istud Mentis & Rerum (cui vix aliquid in terris, aut saltem in terrenis, se ostendit simile) restitui posset in integrum, aut saltem in melius deduci. Vt vero errores qui invaluerunt, quique in æternum invaliturі sunt, alii post alios (si mens sibi permittatur) ipsi se corrigerent, vel ex vi Intellectus propria, vel ex auxiliis atque adminiculis Dialecticæ, nulla prorsus superat spes, propterea quod Notiones Rerum primæ, quas Mens haustu facili & supina excipit, recondit, atque accumulat, (unde reliqua omnia fluunt) vitiosæ sint, & confusæ, & temerè à rebus abstractæ, neque minor sit in secundis & reliquis libido & Inconstantia. Ex quo fit, ut universa ista ratio humana, qua utimur quoad Inquisitionem Naturæ, non bene congesta & ædificata sit, sed tanquam moles aliqua magnifica sine fundamento. Dum enim falsas mentis vires mirantur homines & celebrant; Veras ejusdem (quæ esse possint, si debita ei adhibeantur auxilia atque ipsa rebus morigera sit, nec impotenter rebus insultet) præterunt & perdunt. Restabat illud unum, ut res de integro tentetur, melioribus præsidiis, atque fiat Scientiarum, & Artium, atque omnis Humanæ Doctrinæ, in universum Instauratio, à debitis excitata Fundamentis. Hoc vero licet Aggressu infinitum quiddam videri possit, ac supra vires mortales; tamen idem tractatu sanum invenietur ac sobrium, magis quam ea quæ adhuc facta sunt. Exitus enim huius rei est nonnullus. In iis vero, quæ jam sunt circa Scientias, est Vertigo quædam, & Agitatio perpetua, & Circulus. Neque enim fugit, quanta in solitudine versetur hoc Experimentum, & quam durum & incredibile sit ad faciendam fidem. Nihilominus, nec rem, nec se Ipsum deserendum putavit, quin Viam, quæ una Humanæ Menti pervia est, tentaret atque Iniret. Præstat enim Principiū dare Rei, quæ Exitū habere possit, quam in iis, quæ exitum nullum habent, perpetua contentione & studio implicari. Viæ autem Contemplativæ Viis illis activis decantatis fere respondent; ut altera ab initio ardua & difficilis, desinat in apertum; altera primo intuitu expedita & proclivis, ducat in avia & præcipitia. Quum autem incertus esset, quando hæc alicui posthac in mentem ventura sint; eo potissimum usus Argumento, quod neminem hactenus invenit, qui ad similes cogitationes animum applicuerit; decrevit prima quæque, quæ perficere licuit, in publicum edere. Neque hæc festinatio ambitiosa fuit, sed sollicita; ut si quid illi humanitus accideret, extaret tamen Designatio quædam, ac destinatio Rei quam animo complexus est, utque extaret simul Signum aliquod honestæ suæ & propensæ in Generis Humani Commoda voluntatis. Certe aliam quamcunque Ambitionem inferiorem dixit Re, quam præ manibus habuit. Aut enim hoc quod agitur, nihil est, aut tantum, ut merito ipso contentum esse debeat, nec fructum extra quærere.

SERE-

Serenissimo Potentissimoque

Principi ac Domino

nostro,

JACOBO,

DEI GRATIA

Magnæ Britannię, Francię & Hibernię

Regi, Fidei *Defensori, &c.*

Serenissime Potentissimeq; Rex,

POterit fortasse Majestas Tua me furti incusare, quod tantum Temporis, quantum ad hæc sufficiat, Negotiis tuis suffuratus sum. Non habeo quod dicam. Temporis enim non fit Restitutio: nisi forte quod detractum fuerit Temporis Rebus tuis, id Memoriæ nominis tui, & Honori Seculi tui reponi possit; si modo hæc alicujus sint pretii. Sunt certe prorsus nova; etiam toto genere: sed descripta ex veteri admodum exemplari, Mundo scilicet ipso, & Natura Rerum & Mentis. Ipse certe (ut ingenue fatear) soleo æstimare hoc Opus magis pro partu Temporis, quam ingenii. Illud enim in eo solum modo mirabile est; Initia Rei, & tantas de iis quæ invaluerunt Suspiciones, alicui in mentem venire potuisse. Cætera non illibenter sequuntur. At versatur proculdubio Casus (ut loquimur) & quiddam quasi Fortuitum, non minus in iis, quæ cogitant Homines, quam in iis quæ agunt aut loquuntur. Verum hunc Casum (de quo loquor) ita intelligi volo, ut si quid in his, quæ affero, sit boni, id immensæ misericordiæ & Bonitati divinæ, & Felicitati Temporum tuorum tribuatur: Cui & vivus integerrimo affectu servivi, & mortuus fortasse id effecero, ut illa Posteritati, nova hac accensa face in Philosophiæ tenebris, prælucere possint. Merito autem Temporibus Regis omnium sapientissimi & doctissimi *Regeneratio* ista & *Instauratio* Scientiarum debetur. Superest Petitio, Majestate tua non indigna; & maxime omnium faciens ad id quod agitur. Ea est, ut quando Salomonem in plurimis referas, Judiciorum gravitate, Regno pacifico, Cordis latitudine, Librorum denique, quos composuisti, nobili varietate: etiam hoc ad ejusdem Regis exemplum addas, ut cures Historiam Naturalem & Experimentalem, veram & severam, (missis Philologicis) & quæ sit in Ordine ad condendam Philosophiam, denique qualem suo loco describemus, congeri & perfici: Ut tandem post tot Mundi ætates Philosophia & Scientiæ non sint amplius pensiles & aëreę, sed solidis Experientiæ omnigenæ ejusdemq; bene pensitatę nitantur fundamentis. Equidem *Organum* præbui; verum Materies è Rebus ipsis petenda est. Deus Opt. Max. Majestatem Tuam diu servet incolumem.

Serenissimæ Majestati Tuæ

Servus Devinctissimus & Devotissimus

FRANCISCUS VERULAM,
CANCELLARIUS.

FRANCISCI
De
VERULAMIO
INSTAURATIO MAGNA.

PRÆFATIO.

De statu Scientiarum, quod non sit felix; aut majorem in modum auctus; quodque alia omnino, quam prioribus cognita fuerit, via aperienda sit Intellectui humano, & alia comparanda auxilia, ut mens suo jure in rerum Naturam uti posset.

VIdentur nobis homines, nec opes nec vires suas bene nosse, verum de illis majora quam par est, de his minora credere. Ita fit, ut aut artes receptas insanis pretiis æstimantes, nil amplius quærant; aut seipsos plus æquo contemnentes, vires suas in levioribus consumant, in iis, quæ ad summam rei faciant, non experiantur. Quare sunt & suæ Scientiis Columnæ, tanquam fatales; cum ad ulterius penetran-

penetrandum homines nec desiderio, nec spe excitentur. Atque, cum opinio copiæ inter maximas causas inopiæ sit; quumque ex fiducia præsentium, vera auxilia negligantur in posterum; ex usu est, & plane ex necessitate, ut ab illis quæ adhuc inventa sunt, in ipso operis nostri limine (idque relictis ambagibus, & non dissimulanter) honoris & admirationis excessus tollatur; utili monito, ne homines eorum aut copiam, aut utilitatem, in majus accipiant, aut celebrent. Nam si quis in omnem illam librorum varietatem, qua Artes & Scientiæ exsultant, diligentius introspiciat, ubique inveniet ejusdem rei repetitiones infinitas, tractandi modis diversas, inventione præoccupatas; ut omnia primo intuitu numerosa, facto examine pauca reperiantur. Et de utilitate dicendum est; Sapientiam istam, quam à Græcis potissimum hausimus, pueritiam quandam Scientiæ videri, atque habere quod proprium est puerorum; ut ad garriendum prompta, ad generandum invalida & immatura sit. Controversiarum enim fetax, operum effœta est. Adeo ut Fabula illa de Scylla in literarum statum, qualis habetur, ad vivum quadrare videatur, quæ virginis os & vultum extulit, ad uterum vero monstra latrantia succingebantur & adhærebant. Ita habent & Scientiæ, quibus insuevimus, generalia quædam blandientia, & speciosa, sed cum ad particularia ventum est, veluti ad partes generationis, ut fructum & opera ex se edant, tum contentiones & oblatrantes disputationes exoriuntur, in quas desinunt, & quæ partus locum obtinent. Præterea, si hujusmodi Scientiæ plane res mortua non essent, id minime videtur eventurum fuisse, quod per multa jam sæcula usu venit, ut illæ suis immotæ fere hæreant vestigiis, nec incrementa genere humano digna sumant: eo usque, ut sæpenumero non solum assertio maneat assertio, sed etiam quæstio maneat quæstio, & per disputationes non solvatur, sed figatur, & alatur; omnisque traditio & successio disciplinarum repræsentet & exhibeat personas Magistri & Auditoris, non Inventoris, & ejus qui inventis aliquid eximium adjiciat. In artibus autem mechanicis contrarium evenire videmus. Quæ, ac si autæ cujusdam vitalis forent participes, quotidie crescunt & perficiuntur; & inprimis authoribus rudes plerunque & fere onerosæ & informes apparent, postea vero novas virtutes & commoditatem quandam adipiscuntur, eo usque, ut citius studia hominum & cupiditates deficiant & mutentur, quam illæ ad culmen & perfectionem suam pervenerint. Philosophia contra, & Scientiæ Intellectuales, statuarum more adorantur & celebrantur, sed non promoventur. Quin etiam in primo nonnunquam authore maxime vigent, & deinceps degenerant. Nam postquam homines deditii facti sunt, & in unius sententiam (tanquam pedarii Senatores) coierunt, Scientiis ipsis amplitudinem non addunt, sed in certis authoribus ornandis & stipandis servili officio funguntur. Neque illud afferat quispiam; Scientias paulatim succrescentes, tandem ad statum quendam pervenisse, & tum demum (quasi confectis spatiis legitimis) in operibus paucorum sedes fixas posuisse; atque postquam nil melius inveniri potuerit, restare scilicet, ut quæ inventa sint, exornentur, & colantur. Atque optandum quidem esset, hæc ita se habuisse. Rectius illud, & verius; istas Scientiarum mancipationes nil aliud esse, quam rem ex paucorum hominum confidentia, & reliquorum socordia & inertia natam. Postquam enim Scientiæ per partes diligenter fortasse excultæ & tractatæ fuerunt, tum forte exortus est aliquis, ingenio audax, & propter Methodi compendia acceptus, & celebratus, qui specie tenus Artem constituerat, re vera veterum labores corrupuerat. Id tamen posteris gratum esse solet, propter usum operis expeditum, & inquisitionis novæ tædium, & impatientiam. Quod si quis, consensu jam inveterato, Tanquam Temporis judicio moveatur; sciat, se ratione admodum fallaci & infirma niti. Neque enim nobis magna ex parte notum est, quid in Scientiis & Artibus, variis sæculis & locis, innotuerit, & in publicum emanarit; multo minus, quid à singulis tentatum sit & secreto agitatum. Itaque nec Temporis Partus, nec Abortus extant in Fastis. Neque ipse consensus, ejusque diuturnitas, magni prorsus æstimandus est. Utcunque enim varia sint genera Politiarum, unicus est status Scientiarum, isque semper fuit & mansurus est popularis. Atque apud populum plurimum vigent doctrinæ, ut contentiosæ & pugnaces, aut speciosæ & inanes; quales videlicet assensum aut illaqueant, aut demulcent. Itaque maxime ingenia proculdubio per singulas ætates vim passa sunt; dum viri captu & intellectu non vulgares, nihilo secius existimationi suæ consulentes, temporis & multitudinis judicio se submiserunt. Quamobrem arctiores Contemplationes si forte usquam emicuerint, opinionum vulgarium ventis subinde agitatæ sunt, & extinctæ: Adeout Tempus, tanquam fluvius, levia & inflata ad nos devexerit, gravia & solida demerserit. Quin & illi ipsi authores, qui dictaturam quandam in Scientiis invaserunt, & tanta confidentia de rebus pronuntiant; cũ tamen per intervalla ad se redeunt, ad querimonias de subtilitate Naturæ, veritatis recessibus, rerum obscuritate, Causarum implicatione, ingenii humani infirmitate, se convertunt: in hoc nihilo tamen modestiores, cum malint communem hominum & rerum conditionem causari, quam de seipsis confiteri. Quin illis hoc fere solenne est, ut quicquid Ars aliqua non attingat, id ipsum ex eadem arte impossibile esse statuant. Neque vero damnari potest Ars, quum ipsa disceptet, & judicet. Itaque id agitur, ut ignorantia etiam ab ignominia liberetur. Atque quæ tradita atque recepta sunt, ad hunc fere modum se habent: quoad opera sterilia, quæstionum plena; incrementis suis tarda & languida; perfectionem in toto simulantia, sed per partes male impleta; delectu autem popularia, & authoribus ipsis suspecta, ideoque artificiis quibusdam munita, & ostentata. Qui autem & ipsi experiri, & se Scientiis addere, earumque fines proferre statuerunt, nec illi à receptis prorsus descisscere ausi sunt, nec fontes rerum petere. Verum se Magnum quiddam consequutos putant, si aliquid ex proprio inserant, & adjiciant; prudenter secum reputantes, se in assentiendo modestiam, in adjiciendo libertatem tueri posse. Verum dum opinionibus & moribus consulitur, mediocritates istæ laudatæ in magnum Scientiarum detrimentum cedunt. Vix enim datur, authores simul & admirari, & superare. Sed fit aquarum more, quæ non altius ascendunt, quam ex quo descenderunt. Itaque hujusmodi homines emendant nonnulla, sed parum promovent, & proficiunt in melius, non in majus. Neque tamen defuerunt, qui ausu majore omnia

integra

integra sibi duxerunt, & ingenii impetu usi, priora prosternendo, & destruendo, aditum sibi & placitis suis fecerunt; quorum tumultu non magnopere profectum est; quum Philosophiam & Artes non re ac opere amplificare, sed placita tantum permutare, atque regnum opinionum in se transferre contenderint: exiguo sane fructu, quum inter errores oppositos, errandi causæ sint fere communes. Si qui autem nec alienis, nec propriis placitis obnoxii, sed libertati faventes, ita animati fuere, ut alios secum simul quærere cuperent. illi sane affectu honesti, sed conatu invalidi fuerunt. Probabiles enim tantum rationes sequuti videntur, & argumentorum vertigine circumaguntur, & promiscua quærendi licentia severitatem inquisitionis enervarunt. Nemo autem reperitur, qui in rebus ipsis, & experientia, moram fecerit legitimam. Atque nonnulli rursus qui experientiæ undis se commisere, & fere Mechanici facti sunt; tamen ipsa experientia Erraticam quandam inquisitionem exercent, nec ei certa lege militant. Quin & plerique pusilla quædam pensa sibi proposuêre, pro magno ducentes, si unum aliquod inventum eruere possint; instituto non minus tenui quam imperito. Nemo enim rei alicujus naturam in ipsa re recte aut feliciter perscrutatur; verum post laboriosam experimentorum variationem non acquiescit, sed invenit quod ulterius quærat. Neque illud inprimis omittendum est, quod omnis in expriendo industria statim ab initio opera quædam destinata præpropero & intempestivo studio captavit; Fructifera (inquam) Experimenta, non Lucifera, quæsivit, nec ordinem divinum imitata est, qui primo die lucem tantum creavit, eique unum diem integrum attribuit, neque illo die quicquam materiati operis produxit, verum sequentibus diebus ad ea descendit. At, qui summas Dialecticæ partes tribuerunt, atque inde fidissima Scientiis præsidia comparari putarunt, verissime & optime viderunt; intellectum humanum sibi permissum, merito suspectum esse debere. Verum infirmior omnino est malo medicina; nec ipsa mali expers. Siquidem Dialectica quæ recepta est, licet ad Civilia & Artes, quæ in sermone & opinione positæ sunt; rectissime adhibeatur; Naturæ tamen subtilitatem longo intervallo non attingit, & prensando quod non capit, errores potius stabiliendos, & quasi fingendos, ad viam veritati aperiendam valuit.

Quare ut, quæ dicta sunt complectamur, non videtur hominibus aut aliena fides, ut industria propria, circa Scientias hactenus, feliciter illuxisse; præsertim quum & in demonstrationibus & in experimentis adhuc cognitis, parum sit præsidii. Ædificium autem hujus universi, structura sua, intellectui humano contemplanti instar labyrinthi est; ubi tot ambigua viarum, tam fallaces rerum & signorum similitudines, tam obliquæ & implexæ Naturarum spiræ & nodi, undequaque se ostendunt; iter autem, sub incerto sensus lumine, interdum affulgente, interdum se condente, per experientiæ & rerum particularium sylvas perpetuo faciendum est. Quin etiam duces itineris (ut dictum est) qui se offerunt, & ipsi implicantur, atque errorum & errantium numerum augent. In rebus tam duris de judicio hominum ex vi propria, aut etiam de felicitate fortuita, desperandum est. Neque enim Ingeniorum quantacunque excellentia, neque experiendi alea sæpius repetita est, ista vincere queat. Vestigia filo regenda sunt: omnisque via usque à primis ipsis sensuum perceptionibus certa ratione muniendâ. Neque hæc ita accipienda sunt, ac si nihil omnino tot sæculis tantis laboribus actum sit; Neque enim eorum quæ inventa sunt, nos pœnitet. Atque antiqui certe in iis, quæ in ingenio & meditatione abstracta posita sunt, mirabiles se viros præstitêre. Verum, quemadmodum sæculis prioribus, cum homines in navigando per stellarum tantum observationes cursum dirigebant, veteris sane Continentis oras legere potuerunt, aut maria aliqua minora & mediterranea trajicere; priusquam autem Oceanus trajiceretur, & novi Orbis regiones detegerentur, necesse fuit, usum acus nauticæ, ut ducem viæ magis fidum, & certum, innotuisse: simili prorsus ratione, quæ hucusque in Artibus & Scientiis inventa sunt, ea hujusmodi sunt, ut usu, meditatione, observando, argumentando, reperiri potuerint; utpote quæ sensibus propria sint, & communibus rationibus ut fere subjaceant: antequam vero ad remotiora & occultiora Naturæ liceat appellere, necessario requiritur, ut melior & profectior mentis & Intellectus humani usus & adoperatio introducatur.

Nos certe æterno Veritatis amore devicti, viarum incertis & arduis, & solitudinibus, nos commisimus; & Divino auxilio freti & innixi, mentem nostram, & contra opinionum violentias & quasi instructas acies, & contra proprias & internas hæsitationes & scrupulos, & contra rerum caligines, & nubes, & undequaque volantes phantasias, sustinuimus; ut tandem magis fides & secura indicia viventibus & posteris comparare possemus. Qua in re si quid profecerimus, non alia sane ratio nobis viam aperuit, quam vera & legitima spiritus humani humiliatio. Omnes enim ante nos, qui ad artes inveniendas se applicuerunt, conjectis paulisper in res & exempla, & experientiam oculis, statim, quasi inventio nil aliud esset, quam quædam excogitatio, spiritus proprios, ut sibi Oracula exhiberent, quodammodo invocarunt. Nos vero inter res caste & perpetuo versantes, Intellectum longius à Rebus non abstrahimus, quam ut rerum imagines, & radii, (ut in sensu fit) coire possunt; unde fit ut Ingenii viribus & excellentiæ non multum relinquatur. Atque quam in inveniendo adhibemus humilitatem, eandem & in docendo sequuti sumus. Neque enim aut Confutationum triumphis, aut antiquitatis advocationibus, aut authoritatis usurpatione quadam, aut etiam obscuritatis velo, aliquam his nostris inventis majestatem imponere aut conciliare conamur; qualia reperire non difficile esset ei, qui nomini suo, non animis aliorum lumen affundere conaretur. Non (inquam) ullam aut vim, aut insidias hominum judiciis fecimus, aut paramus; verum eos ad res ipsas & rerum fœdera adducimus; ut ipsi videant, quid habeant, quid arguant, quid addant, atque in commune conferant. Nos autem si qua in re, vel male credidimus, vel obdormivimus, & minus attendimus, vel defecimus in via, & inquisitione abrupimus: nihilominus iis modis res nudas & apertas exhibemus, ut errores nostri, antequam Scientiæ massam altius inficiant, notari & separari possint, atque etiam ut facilis & expedita sit laborum nostrorum continuatio. Atque hoc modo, inter Empiricam & Rationalem facultatem (quarũ morosa & inauspicata divortia, & repu-

dia,

dia, omnia in humana familia turbavêre) conjugium verum & legitimum in perpetuum nos firmasse existimamus.

Quamobrem, quum hæc arbitrarii nostri non sint; in principio Operis, ad DEUM Patrem, Deum Verbum, Deum Spiritum, preces fundimus humillimas, & ardentissimas, ut humani generis ærumnarum memor, & peregrinationis istius vitæ, in qua dies paucos & malos terimus, novis suis Eleemosynis, per manus nostras, familiam humanam dotare dignetur. Atque illud insuper supplices rogamus, ne humana divinis officiant; neve ex reseratione viarum sensus, & accensione majore luminis naturalis, aliquid incredulitatis & noctis animis nostris erga Divina mysteria obortiatur: sed potius, ut ab intellectu puro, à phantasiis & vanitate repurgato, & divinis oraculis nihilominus subito & prorsus dedititio, fidei dentur, quæ fidei sunt. Postremo, ut Scientiæ veneno à serpente infuso, quo animus humanus tumet & inflatur, deposito, nec altum sapiamus, nec ultra sobrium, sed veritatem in charitate colamus.

Peractis autem votis, ad homines conversi, quædam & salutaria monemus & æqua postulamus. Monemus primum, (quod etiam precati sumus) ut homines sensum in officio, quoad Divina contineant. Sensus enim (instar Solis) Globi terrestris faciem aperit, cœlestis claudit, & obsignat. Rursus, ne hujusce mali fuga in contrarium peccent. Quod certe fiet, si naturæ Inquisitionem ulla ex parte veluti Interdicto separatam putant. Neque enim pura illa & immaculata Scientia naturalis, per quam *Adam* nomina ex proprietate rebus imposuit, principium aut occasionem lapsui dedit. Sed ambitiosa illa & imperativa Scientiæ Moralis, de Bono & Malo dijudicantis, cupiditas, ad hoc, ut Homo à Deo deficeret, & sibi ipsi leges daret, ea demum ratio atque modus tentationis fuit. De Scientiis autem quæ Naturam contemplantur, sanctus ille Philosophus pronuntiat, *Gloriam Dei esse, celare rem; gloriam Regis autem, rem invenire*: non aliter, ac si Divina Natura innocenti & benevolo puerorum ludo delectaretur, ideo se abscondunt ut inveniantur, atque animam humanam sibi collusorem in hoc ludo, pro sua in homines indulgentia & bonitate, cooptaverit. Postremo omnes in universum monitos volumus, ut Scientiæ veros fines cogitent; nec eam aut animi causa petant, aut ad contentionem, aut ut alios despiciant, aut ad commodum, aut ad famam, aut ad potentiam, aut hujusmodi inferiora; sed ad meritum. & usus vitæ, eamque in charitate perficiant, & regant. Ex appetitu enim Potentiæ, Angeli lapsi sunt; ex appetitu Scientiæ, homines: sed Charitatis non est Excessus; neque Angelus, aut Homo, per eam unquam in periculum venit.

nonne sui ipsius causa? ??

sed quem ad finem vitæ?

Postulata autem nostra, quæ afferimus, talia sunt. De nobis ipsis silemus: De re autem quæ agitur, petimus, ut homines eam non Opinionem, sed Opus esse cogitent; ac pro certo habeant, non Sectæ nos alicujus, aut Placiti, sed utilitatis & amplitudinis humanæ fundamenta moliri. Deinde, ut suis cõmodis æqui, exutis opinionum zelis & prejudiciis, in commune consulant, ac ab erroribus viarum atque impedimentis, nostris præsidiis & auxiliis, liberati & muniti, laborum, qui restant, & ipsi in partem veniant. Præterea, ut bene sperent, neque *Instaurationem* nostram, ut quiddam infinitum, & ultra mortale, fingant, & animo concipiant; quum revera sit infiniti erroris finis, & termino legitimus; mortalitatis autem, & humanitatis, non sit immemor; quum rem non intra unius ætatis curriculum omnino perfici posse confidat, sed successioni destinet; denique Scientias, non per arrogantiam in humani Ingenii cellulis, sed submisse in mundo majore quærat. Vasto vero, ut plurimum solent esse, quæ inania: solida contrahuntur maxime, & in parvo sita sunt. Postremo etiam petendum videtur, (ne forte quis rei ipsius periculo nobis iniquus esse velit) ut videant homines, quatenus ex eo, quod nobis asserere necesse sit, (si modo nobis ipsi constare velimus) de his nostris opinandi, aut sententiam ferendi, sibi jus permissum putent: quum nos omnem istam rationem humanam præmaturam, anticipantem, & à rebus temere, & citius quam oportuit, abstractam, (quatenus ad inquisitionem Naturæ (ut rem variam, & perturbatam, & male extructam, rejiciamus. Neque postulandum est, ut ejus judicio stetur, quæ ipsa in judicium vocatur.

NOVUM ORGANUM SIVE JUDICIA VERA DE INTERPRETATIONE NATURÆ.

Organum hoc artem ipsam Interpretandi Naturam, & verioris adoperationis Intellectus, exhibet: neque eam ipsam tamen in Corpore tractatus justi; sed tantum digestam per summas, in Aphorismos.

PRÆFATIO.

QUi de Naturâ, tanquam de re exploratâ, pronuntiare ausi sunt, sive hoc ex animi fiduciâ fecerint, sive ambitiosè, & more professorio; maximis illi Philosophiam & Scientias detrimentis affecêre. Ut enim ad fidem faciendam validi, ita etiam ad inquisitionem extinguendam & abrumpendam efficaces fuerunt. Neque virtute propria tantum profuerunt, sed, quantum in hoc, nocuerunt, quòd aliorum virtutem corruperint, & perdiderint. Qui autem contrariam huic viam ingressi sunt, atque nihil prorsus sciri posse asseruerunt, sive ex Sophistarum veterum odio, sive ex animi fluctuatione, aut etiam ex quadam doctrinæ copiâ, in hanc opinionem delapsi sint, certè non contemnendas ejus rationes adduxerunt; veruntamen nec à veris initiis sententiam suam derivarunt, & studio quodam, atque affectatione, prorsus modum excesserunt. At antiquiores ex Græcis (quorum scripta perierunt) inter pronuntiandi jactantiam, & *Acatalepsia* desperationem, prudentius se sustinuerunt: Atque de inquisitionis difficultate, & rerum obscuritate, sæpiùs querimonias & indignationes miscentes, & veluti frænum mordentes, tamen propositum urgere, atque Naturæ se immiscere, non destiterunt: Consentaneum (ut videtur) existimantes, hoc ipsum (videlicet utrùm aliquid sciri possit) non disputare, sed experiri. Et tamen illi ipsi, impetu tantùm intellectus usi, Regulam non adhibuerunt, sed omnia in acri meditatione, & mentis volutatione, & agitatione perpetuâ, posuerunt.

Nostra autem ratio, ut opere ardua, ita dictu facilis est. Ea enim est, ut certitudinis gradus constituamus, Sensum per reductionem quandam tueamur, sed Mentis opus, quod Sensum subsequitur, plerunque rejiciamus; novam autem & certam viam, ab ipsis Sensuum perceptionibus, Menti aperiamus, & muniamus. Atque hoc proculdubio viderunt & illi, qui tantas Dialecticæ partes tribuerunt. Ex quo liquet, illos Intellectui adminicula quæsivisse, Mentis autem processum nativum, & sponte moventem, suspectum habuisse. Sed serum planè rebus perditis hoc adhibetur remedium; postquam Mens ex quotidianâ vitæ consuetudine, & auditionibus, & doctrinis inquinatis occupata, & vanissimis *Idolis* obsessa fuerit. Itaque Ars illa Dialecticæ, serò (ut diximus) cavens, neque rem ullo modo restituens, ad errores potiùs figendos, quàm ad veritatem aperiendam valuit. Restat unica salus, ac sanitas, ut opus Mentis universum de integro resumatur; ac Mens, jam ab ipso principio, nullo modo sibi permittatur, sed perpetuò regatur; ac res, veluti per machinas, conficiatur. Sanè si homines opera Mechanica nudis manibus, absque instrumentorum vi, & ope, aggressi essent, quemadmodum opera Intellectualia nudis ferè Mentis viribus tractare non dubitarunt; parvæ admodum fuissent res, quas movere & vincere potuissent, licèt operas innixas, atque etiam conjunctas præstitissent. Atqui si paulisper morari, atque in hoc ipsum exemplum, veluti in speculum, intueri velimus; exquiramus (si placet) si forte obeliscus aliquis, magnitudine insignis, ad triumphi vel hujusmodi magnificentiæ decus transferendus esset, atque id homines nudis manibus aggrederentur, annon, hoc magnæ cujusdam esse dementiæ, spectator quispiam rei sobrius fateretur? Quod si numerum augerent operariorum, atque hoc modo se valere posse confiderent, annon tanto magis? Sin autem delectum quendam adhibere vellent, atque imbecilliores separare, & robustis tantum & vigentibus uti, atq; hinc saltem se voti compotes fore sperarent, annon adhuc eos impensius delirare diceret? Quin etiam, si hoc ipso non contenti, artem tàdem athleticam consulere statuerent, ac omnes deinceps manibus, & lacertis, & nervis ex arte bene unctis, & medicatis, adesse juberent, annon prorsus eos dare operam, ut cum ratione quadam & prudentia insanirent, clamaret? Atqui homines tamen simili malesano impetu, & conspiratione inutili, feruntur in Intellectualibus; dum ab ingeniorum vel multitudine & consensu, vel excellentia & acumine, magna sperant; aut etiam Dialectica (quæ quædam Athletica censeri possit) mentis nervos roborant: Sed interim, licet tanto studio & conatu, (si quis vere judicaverit) intellectum nudum applicare non desinunt. Manifestissimum autem est, in omni opere magno, quod manus hominis præstat, sine instrumentis & machinis, vires nec singulorum intendi, nec omnium coire posse.

Itaque ex his quæ diximus præmissis, statuimus, duas esse res, de quibus homines plane monitos volumus, ne forte illæ eos fugiant, aut prætereant. Quarum prima hujusmodi est; fieri fato quodam (ut existimamus) bono, ad extinguendas & depellendas contradictiones, & tumores animorum, ut & Veteribus honor & reverentia intacta & immiuta maneant, & nos destinata perficere, & tamen modestiæ nostræ fructum percipere possimus. Nam nos, si profiteamur, nos meliora afferre quàm antiqui, eandem quam illi viam ingressi; nullâ verborum arte efficere possimus, quin inducatur quædam ingenii, vel excellentiæ, vel facultatis comparatio, sive contentio; non ea quidem illicita, aut nova; (quidni enim possimus, pro jure nostro, (neque eo ipso alio, quàm omnium) si quid apud eos non rectè inventum aut positum sit, reprehendere, aut notare!) sed tamen utcunque justa aut permissa. Nihilominùs impar fortasse fuisset ea ipsa contentio, ob virium nostrarum modum. Verùm quùm per nos illud agatur, ut alia omnino via Intellectui aperiatur, illis intentata & incognita, commutata jam ratio est; cessant studium & partes; nosque indicis tantummodo personam sustinemus; quod mediocris certe est auctoritatis, & fortunæ cujusdam potius, quam facultatis & excellentiæ. Atque hæc moniti species ad Personas pertinet, altera ad Res ipsas.

Nos siquidem de deturbanda ea, quæ nunc floret, Philosophia, aut si quæ alia sit, aut erit, hac emendatior, aut auctior, minime laboramus. Neque enim officimus, quin Philosophia ista recepta, & aliæ id genus, disputationes alant, Sermones ornent, ad professoria munera, & vitæ civilis compendia, adhibeantur, & valeant. Quin etiam aperte significamus, & declaramus, eam quam nos adducimus Philosophiam, ad istas res admodum utilem non futuram. Non præsto est; neque in transitu capitur; neque ex prænotionibus Intellectui blanditur; neque ad vulgi captum, nisi per utilitatem, & effecta, descendet.

Sint itaque (quod felix faustumque sit utrique parti) duæ doctrinarum emanationes, ac duæ dispensationes; duæ similiter Contemplantium sive Philosophantium Tribus, ac veluti Cognationes; atque illæ neutiquam inter se inimicæ, aut alienæ, sed fœderatæ, & mutuis auxiliis devinctæ: sit denique alia Scientias Colendi, alia Inveniendi ratio. Atque quibus prima potior & acceptior est, ob festinationem, vel vitæ civilis rationes, vel quod illam alteram ob mentis infirmitatem capere & complecti non possint; (id quod longe plurimis accidere necesse est) optamus, ut iis feliciter & ex voto succedat quod agunt; atque ut quod sequuntur, teneant. Quod si cui mortalium cordi & curæ sit, non tantum Inventis hærere, atque iis uti, sed ad ulteriora penetrare; atque non disputando adversarium, sed opere naturam vincere; denique, non belle & probabiliter opinari, sed certo & ostensive scire; tales, tanquam veri Scientiarum filii, nobis (si videbitur) se adjungant; suo omissis Naturæ atriis, quæ infiniti contriverunt, aditus aliquando ad interiora patefiat. Atque ut melius intelligamur, utque illud ipsum quod volumus, ex nominibus impositis magis familiariter occurrat; altera ratio, sive via, *Anticipatio Mentis*; altera, *Interpretatio Naturæ*, à nobis appellari consuevit.

Est etiam quod petendum videtur. Nos certe cogitationem suscepimus, & curam adhibuimus, ut quæ à nobis proponentur, non tantum vera essent, sed etiam ad animos hominum (licet miris modis occupatos & interclusos) non incommode & aspere accederent. Veruntamen æquum est, ut ab hominibus impetremus, (in tanta præsertim Doctrinarum & Scientiarum restauratione) ut qui de hisce nostris aliquid, sive ex sensu proprio, sive ex authoritatum turba, sive ex demonstrationum formis, (quæ nunc tanquam Leges quædam judiciales invaluerunt) statuere, aut existimare velit; ne id in transitu, & velut aliud agendo, facere se posse speret; sed ut rem pernoscat; nostram, quam describimus & munimus, viam ipse paulatim tentet; subtilitati rerum, quæ in experientia signata est, assuescat; pravos denique, atque alte hærentes mentis habitus, tempestiva, & quasi legitima mora corrigat; atque tum demum (si placuerit) postquam in potestate sua esse cœperit, judicio suo utatur.

LIBER PRIMUS,

Digestus in

APHORISMOS.

APHORISMI

de Interpretatione

NATURÆ,

&

Regno Hominis.

APHORISMVS

I.

HOmo Naturæ minister, & Interpres tantum facit & intelligit, quantum de Naturæ Ordine re, vel mente, observaverit: nec amplius scit, aut potest.

II.

NEc manus nuda, nec Intellectus sibi permissus, multum valet, Instrumentis & auxiliis res perficitur; quibus opus est, non minus ad intellectum, quam ad manum. Atque ut Instrumenta manus motum aut cient, aut regunt; Ita & instrumenta Mentis, Intellectui aut suggerunt, aut cavent.

III.

SCientia & Potentia humana in idem coincidunt, quia ignoratio causæ destituit effectum. Natura enim non nisi parendo vincitur: Et quod in Contemplatione instar causæ est; id in Operatione instar Regulæ est.

IV.

AD opera nil aliud potest Homo, quam ut corpora naturalia admoveat, & amoveat: reliqua, Natura intus transigit.

Ita in medicina.

V.

SOlent se immiscere Naturæ (quoad Opera) Mechanicus, Mathematicus, Alchymista, & Magus: sed omnes (ut nunc sunt res) conatu levi, successu tenui.

Et nonne quoque medicus?

VI.

INsanum quiddam esset, & in se contrarium, existimare, ea, quæ adhuc nunquam facta sunt, fieri posse, nisi per modos adhuc nunquam tentatos.

VII.

GEnerationes Mentis & Manus numerosæ admodum videntur in libris, & Opificiis. Sed omnis ista varietas sita est in subtilitate eximia, & derivationibus paucarum rerum, quæ innotuerunt; non in numero Axiomatum.

VIII.

ETiam Opera, quæ jam inventa sunt, Casui debentur, & Experientiæ, magis quam Scientiis: Scientiæ enim, quas nunc habemus, nihil aliud sunt quam quædam Concinnationes rerum antea inventarum; non modi inveniendi, aut designationes novorum Operum.

IX.

CAusa vero & radix fere omnium malorum in Scientiis ea una est; quod dum Mentis humanæ vires falso miramur & extollimus, vera ejus auxilia non quæramus.

X.

SUbtilitas Naturæ subtilitatem Sensus & Intellectus multis partibus superat; ut pulchræ illæ meditationes, & speculationes humanæ, & Causationes, res malesana sint, nisi quod non adsit qui advertat.

XI.

SIcut Scientiæ, quæ nunc habentur, inutiles sunt ad inventionem Operum: Ita & Logica, quæ nunc habetur, inutilis est ad inventionem Scientiarum.

XII.

LOgica, quæ in abusu est, ad errores (qui in notionibus vulgaribus fundantur) stabiliendos & figendos valet, potius quam ad inquisitionem veritatis; ut magis damnosa sit, quam utilis.

XIII.

SYllogismus ad Principia Scientiarum non adhibetur, ad media Axiomata frustra adhibetur, cum sit subtilitati Naturæ longe impar. Assensum itaque constringit, non res.

XIV.

SYllogismus ex Propositionibus constat, propositiones ex verbis, verba Notionum tesseræ sunt. Itaque si notiones ipsæ, (id quod basis rei est) confusæ sint, & temere à rebus abstractæ; nihil in iis, quæ superstruuntur, est firmitudinis. Itaq; spes est una in *Inductione* vera.

XV.

IN Notionibus nil sani est, nec in Logicis, nec in Physicis; non *Substantia*, non *Qualitas*, *Agere*, *Pati*, ipsum *Esse*, bonæ notiones sunt; multo minus *Grave*, *Leve*: *Densum*, *Tenue*: *Humidum*, *Siccum*: *Generatio*, *Corruptio*: *Attrahere*, *Fugare*, *Elementum*; *Materia*, *Forma*, & id genus; sed omnes phantasticæ & male terminatæ.

XVI.

NOtiones infimarum Specierum, *Hominis*, *Canis*, *Columbæ*, & prehensionum immediatarum sensus, *Calidi*, *Frigidi*; *Albi*, *Nigri*, non fallunt magnopere; quæ tamen ipsæ à fluxu Materiæ & Commissione rerum quandoque confunduntur; reliquæ

reliquæ omnes (quibus homines hactenus usi sunt] aberrationes sunt, nec debitis modis à rebus abstractæ & excitatæ.

XVII.

NEc minor est libido & aberratio in constituendis Axiomatibus, quam in Notionibus abstrahendis; idque in ipsis principiis, quæ ab inductione vulgari pendent. At multo minor est in Axiomatibus, & propositionibus inferioribus, quæ educit Syllogismus.

XVIII.

QUæ adhuc inventa sunt in Scientiis, ea hujusmodi sunt, ut notionibus vulgaribus fere subjaceant; Vt vero ad interiora, & remotiora Naturæ penetretur, necesse est, ut tam Notiones, quã Axiomata, magis certa & munita via à rebus abstrahantur, atque omnino melior & certior Intellectio adoperatio in usum veniat.

XIX.

DVæ viæ sunt, atque esse possunt, ad inquirendam & inveniendam veritatem. Altera à sensu & particularibus advolat ad Axiomata maxime generalia, atque ex iis principiis eorumque immota veritate judicat & invenit Axiomata media: Atque hæc via in usu est. Altera à sensu & particularibus excitat Axiomata, ascendendo continenter & gradatim, ut ultimo loco perveniatur ad maxime generalia; quæ via vera est, sed intentata.

XX.

EAndem ingreditur viam (priorem scilicet) Intellectus sibi permissus, quam facit ex ordine Dialecticæ. Gestit enim Mens exilire ad magis generalia, ut acquiescat: Et post parvam moram fastidit experientiam: Sed hæc mala demum aucta sunt à Dialectica ob pompas disputationum.

XXI.

INtellectus sibi permissus, in ingenio sobrio & patiente, & gravi, [præsertim si à doctrinis receptis non impediatur] tentat nonnihil illam alteram viam (quæ recta est, sed exiguo profectu; cum Intellectus, nisi regatur & juvetur, res inæqualis sit, & omnino inhabilis ad superandam rerum obscuritatem.

XXII.

UTraque Via orditur à sensu & particularibus, & acquiescit in maxime generalibus: Sed immensum quiddam discrepant; cum altera perstringat tantum experientiam & particularia cursim, altera in iis rite & Ordine versetur Altera rursus jam à principio constituat generalia quædam abstracta, & inutilia; altera gradatim exurgat ad ea quæ revera Naturæ sunt notiora.

XXIII.

NOn leve quiddam interest inter humanæ mentis *Idola*, & divinæ mentis Ideas, hoc est, inter placita quædam inania, & veras signaturas, atque impressiones factas in creaturis, prout inveniuntur.

XXIV.

NVllo modo fieri potest, ut Axiomata per argumentationem constituta ad Inventionem novorum Operum valeant; quia subtilitas Naturæ, subtilitatem argumentandi multis partibus superat. Sed Axiomata à particularibus rite & Ordine abstracta, nova particularia rursus facile indicant, & designant; Itaque Scientias reddunt activas.

XVX.

AXiomata, quæ in usu sunt, ex tenui & manipulari experientia, & paucis particularibus, quæ ut plurimum occurrunt, fluxêre; & sunt fere ad mensuram eorum facta, & extensa: ut nil mirum sit, si ad Nova particularia non ducant. Quod si forte instantia aliqua non prius animadversa aut cognita se offerat, Axioma distinctione aliqua frivola salvatur, ubi emendari ipsum verius foret.

XXVI.

RAtionem humanam, qua utimur, ad Naturã, *Anticipationes Naturæ*, (quia res temeraria est & præmatura,) at illam rationem quæ debitis modis elicitur à rebus, *Interpretationem Naturæ*, docendi gratia, vocare consuevimus.

XXVII.

A*Nticipationes* satis firmæ sunt ad consensum; quandoquidem, si homines etiam insanirent ad unum modum & conformiter, illi satis bene inter se congruere possent.

XXVIII.

QUin longe validiores sunt ad subeundum assensum *Anticipationes* quam *Interpretationes*, quia ex paucis collectæ, iisq; maxime quæ familiariter occurrunt, Intellectum statim perstringunt, & phantasiam implent; ubi contra, *Interpretationes*, ex rebus admodum variis & multum distantibus sparsim collectæ, Intellectum subito percutere non possunt; ut necesse sit eas, quoad Opiniones, duras & absonas, fere instar mysteriorum fidei, videri.

XXIX.

IN Scientiis, quæ in Opinionibus & placitis fundatæ sunt, bonus est usus *Anticipationum*, & Dialecticæ; quando opus est assensum subjugare, non res.

XXX.

NOn, si omnia omnium ætatum ingenia coierint, & labores contulerint & transmiserint, progressus magnus fieri poterit in Scientiis per *Anticipationes*: quia errores radicales, & in prima digestione mentis, ab excellentia functionum, & remediorum sequentium non curantur.

XXXI.

FRustra magnum expectatur augmentum in Scientiis ex superinductione & insitione novorum super vetera; sed instauratio facienda est abimis fundamentis, nisi libeat perpetuo circumvolvi in Orbem, cum exili & quasi contemnendo progressu.

XXXII.

ANtiquis Authoribus suus constat honos, atque adeo omnibus; quia non ingeniorum aut facultatum inducitur comparatio, sed viæ; nosque non Judicis, sed Indicis personam sustinemus.

XXXIII.

NUllum [dicendum enim est aperte] recte fieri potest judicium nec de via nostra, nec de iis quæ secundum eam inventa sunt, per *Anticipationes*, rationem scilicet quæ in usu est, quia non postulandum est ut eius rei judicio stetur, quæ ipsa in judicium vocatur.

XXXIV.

NEq; etiam tradendi & explicandi ea, quæ adducimus, facilis est ratio; quia, quæ in se nova sunt, intelligentur tamen ex analogia veterum.

XXXV.

DIxit *Borgia* de expeditione *Gallorum* in *Italiam*; eos venisse cum creta in manibus, ut diversoria notarent, non cum armis, ut perrumperent. Itidem & nostra ratio est: ut doctrina nostra animos idoneos & capaces subintret. Confutationum enim nullus est usus, ubi de Principiis & ipsis Notionibus, atque etiam de formis Demonstrationum dissentimus.

XXXVI.

REstat vero nobis modus tradendi unus & simplex, ut homines ad ipsa particularia & eorum Series & Ordines adducamus; & ut illi rursus imperent sibi ad tempus abnegationem Notionum, & cum rebus ipsis consuescere incipiant.

XXXVII.

RAtio eorum, qui *Acatalepsiam* tenuerunt, & via nostra, initiis suis quodammodo consentiunt; exitu immensum disjunguntur & opponuntur. Illi enim, nihil sciri posse, simpliciter asserunt; Nos, non multum sciri posse in Natura, ea, quæ nunc in usu est, via: Verum illi exinde authoritatem sensus & intellectus destruunt: Nos auxilia iisdem excogitamus & subministramus.

XXXVIII.

I*Dola* & Notiones falsæ, quæ Intellectum humanum jam occuparunt, atque in eo altè hærent, non solum mentes hominum ita obsident, ut veritati aditus difficilis pateat; sed etiam dato & concesso aditu, illa rursus in ipsa instauratione Scientiarum occurrent, & molesta erunt; nisi homines præmoniti, adversus ea se, quantum fieri potest, muniant.

XXXIX.

QVatuor sunt genera *Idolorum* quæ mentes humanas obsident. Iis (docendi gratia) nomina imposuimus, ut primum genus, *Idola Tribus*; secundum, *Idola Specus*; tertium, *Idola Fori*; quartum, *Idola Theatri*, vocentur.

XL.

EXcitatio Notionum & Axiomatum per *Inductionem* veram, est certe proprium remedium ad *Idola* arcenda & summovenda; Sed tamen indicatio *Idolorum* magni est usus. Doctrina enim de *Idolis* similiter se habet ad *Interpretationem Naturæ*, sicut doctrina de Sophisticis Elenchis ad Dialecticam vulgarem.

LIX.

I*Dola Tribus* sunt fundata in ipsa Natura humana, atque in ipsa Tribu seu gente hominum. Falso enim asseritur, Sensum humanum esse Mensuram rerum; Quin contra, omnes Perceptiones, tam Sensus quam Mentis, sunt ex analogia Hominis, non ex analogia Vniversi. Estq; Intellectus humanus instar speculi inequalis ad radios rerum; qui suam naturam Naturæ rerum immiscet, eamque distorquet & inficit.

XLII.

I*Dola Specus* sunt *Idola* hominis individui. Habet enim unusquisque [præter aberrationes Naturæ humanæ in genere] Specum sive cavernam quandam individuam, quæ lumen Naturæ frangit & corrumpit; vel propter naturam cujusque propriam & singularem; vel propter educationem & conversationem cum aliis; vel propter lectionem librorum, & authoritates eorum quos quisq; colit & miratur, vel propter differentias Impressionum, prout occurrunt in animo præoccupato, & prædisposito, aut in animo æquo & sedato vel ejusmodi; ut plane spiritus humanus (prout disponitur in hominibus singulis) sit res varia, & omnino perturbata, & quasi fortuita. Vnde bene *Heraclitus*, homines Scientias quærere in minoribus Mundis, & non in majore sive communi.

XLIII.

SVnt etiam *Idola* tanquam ex contractu & societate humani generis ad invicem, quæ *Idola Fori*, propter hominum commercium, & consortium, appellamus. Homines enim per sermones sociantur; At verba ex captu vulgi imponuntur. Itaque mala & inepta verborum impositio, miris modis intellectum obsidet. Neque definitiones aut explicationes, quibus homines docti se munire & vindicare in nonnullis consueverunt, rem ullo modo restituunt: Sed verba plane vim faciunt intellectui, & omnia turbant; & homines ad inanes & innumeras Controversias, & Commenta, deducunt.

XLIV.

SVnt denique *Idola* quæ immigraverunt in animos hominum ex diversis Dogmatibus Philosophiarum, ac etiam ex perversis legibus Demonstrationum; quæ *Idola Theatri* nominamus; quia quot Philosophiæ receptæ aut inventæ sunt, tot fabulas productas & actas censemus, quæ Mundos effecerint fictitios & scenicos. Neque de his quæ jam habentur, aut etiam de veteribus Philosophiis & Sectis tantum loquimur, cum complures aliæ ejusmodi fabulæ componi & concinnari possint; quandoquidem errorum prorsus diversorum causæ sint nihilominus fere communes. Neque rursus de Philosophiis universalibus tantum hoc intelligimus, sed etiam de Principiis & Axiomatibus compluribus Scientiarum, quæ ex traditione & fide & neglectu invaluerunt. Verum de singulis istis generibus *Idolorum*, fusius & distinctius dicendum est, ut intellectui humano cautum sit.

XLV.

INtellectus humanus ex proprietate sua facile supponit majorem ordinem, & æqualitatem in rebus, quam invenit: & cum multa sint in Natura monodica, & plena imparitatis, tamen affingit Parallela, & Correspondentia, & Relativa, quæ non sunt. Hinc Commenta illa, *In cœlestibus omnia moveri per circulos perfectos*, lineis spiralibus & draconibus (nisi nomine tenus) prorsus rejectis. Hinc elementum Ignis cum Orbe suo introductum est ad constituendum quaternionem cum reliquis tribus, quæ subjiciuntur sensui. Etiam Elementis [quæ vocant] imponitur ad placitum decupla proportio excessus, in raritate ad invicem, & hujusmodi somnia. Neque vanitas ista tantum valet in dogmatibus, verum etiam in Notionibus simplicibus.

XLVI.

INtellectus humanus in iis quæ semel placuerunt, [aut quia recepta sunt & credita, aut quia delectant,) alia etiam omnia trahit ad suffragationem, & consensum cum illis: Et licet major sit instantiarum vis & copia, quæ occurrunt in contrarium; tamen eas aut non observat, aut contemnit, aut

aut distinguendo summovet & rejicit, non sine magno & pernicioso præjudicio, quo prioribus illis Syllepsibus authoritas maneat inviolata. Itaque recte respondit ille, qui, cum suspensa tabula in templo ei monstraretur eorum, qui vota solverant, quod naufragii periculo elapsi sint, atque interrogando premeretur, anne tum quidem Deorum Numen agnosceret? Quæsivit denuo, At *ubi sunt illi depicti, qui post vota nuncupata perierunt?* Eadem ratio est fere omnis superstitionis, ut in Astrologicis, in Somniis, Ominibus, Nemesibus, & hujusmodi; in quibus, homines delectati, hujusmodi vanitatibus, advertunt eventus, ubi implentur; ast ubi fallunt, licet multo frequentius, tamen negligunt, & prætereunt. At longe subtilius serpit hoc malum in Philosophiis, & Scientiis; in quibus quod semel placuit, reliqua (licet multo firmiora & potiora) inficit, & in ordinem redigit. Quinetiam licet abfuerit ea, quam diximus, delectatio & vanitas, is tamen humano intellectui error est proprius & perpetuus, ut magis moveatur & excitetur Affirmativis, quam Negativis; cum rite & ordine æquum se utrique præbere debeat; quin contra, in omni Axiomate vero constituendo, major est vis instantiæ negativæ.

XLVII.

3. Intellectus humanus illis, quæ simul & subito mentem ferire & subire possunt, maxime movetur; à quibus phantasia impleri & inflari consuevit: reliqua vero modo quodam, licet imperceptibili, ita se habere fingit, & supponit, quomodo se habent pauca illa quibus Mens obsidetur; ad illum vero transeut sum ad instantias remotas & hæterogeneas, per quas Axiomata tanquam igne probantur, tardus omnino intellectus est, & inhabilis, nisi hoc illi per duras leges, & violentum imperium, imponatur.

XLVIII.

4. Gliscit intellectus humanus, neque consistere, aut acquiescere potis est, sed ulterius petit; at frustra. Itaque incogitabile est ut sit aliquid extremum aut extimum Mundi, sed semper quasi necessario occurrit ut sit aliquid ulterius. Neque rursus cogitari potest quomodo æternitas defluxerit ad hunc diem; cum distinctio illa quæ recipi consuevit, quod sit *Infinitum à parte ante, & à parte post*, nullo modo constare possit; quia inde sequeretur, quod sit unum infinitum alio infinito majus, atque ut consumatur infinitum, & vergat ad finitum. Similis est subtilitas de lineis semper divisibilibus, ex impotentia cogitationis. At majore cum pernicie intervenit hæc impotentia Mentis in inventione causarum: Nam cum maxime universalia in Natura positiva esse debeant, quemadmodum inveniuntur, neque sunt revera causabilia; tamen Intellectus humanus nescius acquiescere, adhucappetit notiora. Tum vero, ad ulteriora tendens, ad proximiora recidit, videlicet ad causas finales, quæ sunt plane ex natura hominis, potius quam Universi: atque hoc ex fonte Philosopiam miris modis corruperunt. Est autem æque imperiti & leviter philosophantis, in maxime universalibus causam requirere, ac in subordinatis & subalternis causam non desiderare.

XLIX.

Intellectus humanus luminis sicci non est; sed recipit infusionem à voluntate & affectibus; id quod generat *Ad quod vult Scientias*: Quod enim mavult homo verum esse, id potius credit. Rejicit itaque difficilia, ob inquirendi impatientiam; sobria, quia coarctant spem; altiora Naturæ, propter superstitionem; lumen experientiæ, propter arrogantiam & fastum, ne videatur Mens versari in vilibus & fluxis; paradoxa, propter Opinionem vulgi; Denique innumeris modis, iisque interdum imperceptibilibus, affectus intellectum imbuit & inficit. 5.

L.

At longe maximum impedimentum & aberratio Intellectus humani provenit à stupore & incompetentia & fallaciis Sensuum; ut ea quæ Sensum feriant, illis quæ Sensum immediate non feriunt, licet potioribus, præponderent. Itaque contemplatio fere desinit cum aspectu; adeo ut rerum invisibilium exigua aut nulla sit observatio. Itaque omnis operatio spirituum in corporibus tangibilibus inclusorum latet, & homines fugit. Omnis etiam subtilior metaschematismus in partibus rerum crassiorum, [quem vulgo alterationē vocant, cum sit revera latio per minima] latet similiter: & tamen nisi duo ista, quæ diximus, explorata fuerint & in lucem producta, nihil magni fieri potest in Natura quoad opera. Rursus ipsa natura aëris communis, & corporum omnium, quæ aërem tenuitate superant, [quæ plurima sunt] fere incognita est. Sensus enim per se res infirma est, & aberrans; neque organa ad amplificandos Sensus aut acuendos multum valent; sed omnis verior interpretatio Naturæ conficitur per instantias, & experimenta idonea & apposita; ubi Sensus de experimento tantum, experimentum de Natura & re ipsa judicat. 6.

LI.

Intellectus humanus fertur ad abstracta propter naturam propriam; atque ea, quæ fluxa sunt, fingit esse constantia. Melius autem est Naturam secare, quam abstrahere, id quod *Democritus* Schola fecit, quæ magis penetravit in Naturam, quam reliquæ. Materia potius considerari debet, & ejus Schematismi, & Metaschematismi, atq; Actus purus, & lex Actus, sive Motus; Formæ enim Commenta animi humani sunt, nisi libeat leges illas Actus Formas appellare. 7.

LII.

Hujusmodi itaque sunt *Idola*, quæ vocamus *Idola Tribus*; quæ ortum habent aut ex æqualitate substantiæ spiritus humani; aut ex præoccupatione ejus; aut ab angustiis ejus; aut ab inquieto Motu ejus, aut ab infusione affectuum, aut ab incompetentia Sensuum, aut ab impressionis modo.

LIII.

Idola Specus ortum habent ex propria cujusque Natura & animi & corporis, atque etiam in educatione & consuetudine, & fortuitis. Quod genus, licet sit varium, & multiplex, tamen ea proponemus, in quibus maxima Cautio est, quæq; plurimū valent ad polluēdum Intellectū, ne sit purus. 11.

LIV.

Adamant homines Scientias & Contemplationes particulares, aut quia authores & inventores

tores se earum credunt; aut quia plurimum in illis operæ posuerunt, iisque maxime assueverunt. Hujusmodi vero homines, si ad Philosophiam & Contemplationes universales se contulerint, illas ex prioribus Phantasiis detorquent, & corrumpunt, id quod maxime conspicuum cernitur in *Aristotele*, qui Naturalem suam Philosophiam, Logicæ suæ prorsus mancipavit, ut eam fere inutilem & contentiosam reddiderit. Chymicorum autem genus, ex paucis experimentis fornacis, Philosophiam constituerunt phantasticam, & ad pauca spectantem. Quin etiam *Gilbertus*, postquam in contemplationibus Magnetis se laboriosissime exercuisset, confinxit statim Philosophiam consentaneam rei apud ipsum præpollenti.

LV.

MAximum & velut radicale discrimen ingeniorum, quoad Philosophiam & Scientias, illud est; quod alia ingenia sint fortiora & aptiora ad notandas rerum differentias; alia ad notandas rerum similitudines. Ingenia enim constantia & acuta, figere contemplationes, & morari, & hærere in omni subtilitate differentiarum possunt: Ingenia autem sublimia, & discursiva, etiam tenuissimas & catholicas rerũ similitudines & agnoscunt, & componunt. Vtrumque autem ingenium facile labitur in excessum, prensando aut gradus rerum, aut umbras.

LVI.

REperiuntur ingenia alia in admirationem Antiquitatis, alia in amorem & amplexum Novitatis effusa; pauca vero ejus temperamenti sunt, ut modum tenere possunt, quin aut quæ recte posita sunt ab Antiquis convellant, aut ea contemnant quæ recte afferuntur à Novis. Hoc vero magno scientiarum & Philosophiæ detrimento fit, quum studia potius sint Antiquitatis & Novitatis, quam judicia: Veritas autem non à felicitate temporis alicujus, quæ res varia est; sed à lumine Naturæ & experientiæ, quod æternum est, petenda. Itaque abneganda sunt ista studia: & videndum, ne intellectus ab illis ad consensum abripiatur.

LVII.

COntemplationes Naturæ, & corporum in simplicitate sua, intellectum frangũt & comminuunt: Contemplationes vero Naturæ, & corporum in compositione & configuratione sua, intellectum stupefaciunt & solvunt. Id optime cernitur in schola *Leucippi* & *Democriti*, collata cum reliquis Philosophiis. Illa enim ita versatur in particulis Rerum, ut fabricas fere negligat: reliquæ autem ita fabricas intuentur attonitæ, ut ad simplicitatem naturæ non penetrent: Itaque alternandæ sunt contemplationes istæ, & vicissim sumendæ; ut Intellectus reddatur simul penetrans, & capax, & evitentur ea quæ diximus incommoda; atq; *Idola* ex iis provenientia.

LVIII.

TAlis itaque esto Prudentia contemplativa in arcendis & summovẽdis *Idolis Specus*; quæ aut ex prædominãtia, aut ex excessu compositionis & divisionis, aut ex studiis erga tempora, aut ex objectis largis & minutis maxime ortum habent. Generaliter autem pro suspecto habendum unicuiq; rerum Naturam contemplanti, quicquid intellectum suum potissimum capit & detinet; tantoque major adhibenda in hujusmodi placitis est cautio, ut Intellectus servetur æquus & purus.

LIX.

AT *Idola Fori* omnium molestissima sunt; quæ ex fœdere verborum & nominum, se insinuarunt in Intellectum. Credunt enim homines, rationem suam verbis imperare. Sed fit etiam ut verba vim suam super Intellectum retorqueant & reflectant, quod Philosophiam & Scientias reddidit Sophisticas & inactivas. Verba autem plerumque ex captu vulgi induntur, atque per lineas, vulgari intellectui maxime conspicuas, res secant. Quum autem intellectus acutior, aut observatio diligentior, eas lineas transferre velit, ut illæ sint magis secundum naturam; verba obstrepunt. Vnde fit, ut magnæ & solennes disputationes hominum doctorum, sæpe in controversias circa verba & omina desinant; à quibus (ex more & prudentia Mathematicorum) incipere consultius foret, easque per definitiones in ordinem redigere. Quæ tamen definitiones, in Naturalibus & materiatis, huic malo mederi non possunt; quoniã & ipsæ definitiones ex verbis constant, & verba gignunt verba: adeo ut necesse sit, ad instantias particulares, earumque series & ordines recurrere, ut mox dicemus, quum ad modum & rationem constituendi Notiones & Axiomata deventum fuerit.

LX.

I*Dola* quæ per verba intellectui imponuntur, duorum generum sunt: Aut enim sunt rerum nomina, quæ non sunt, (quemadmodum enim sunt res, quæ nomine carent, per observationem; ita sunt & nomina, quæ carent rebus, per suppositionem phantasticam:) aut sunt nomina rerum quæ sunt, sed confusa, & male terminata, & temere & inæqualiter à rebus abstracta. Prioris generis sunt, Fortuna, Primum mobile, Planetarum Orbes, Elementum Ignis, & hujusmodi commenta, quæ à vanis & falsis theoriis ortum habent. Atque hoc genus *Idolorum* facilius ejicitur, quia per constantem abnegationem & antiquationem theoriarum terminari possunt.

Ad alterum genus perplexum est, & alte hærens; quod ex mala & imperita abstractione excitatur. Exempli gratia, accipiatur aliquod verbum, (*Humidum*, si placet) & videamus quomodo sibi constent, quæ per hoc verbum significantur: & invenietur verbum istud, *Humidum*, nihil aliud quam nota confusa diversarum actionũ, quæ nullam constantiam ad reductionem patiuntur. Significat enim, & quod circa aliud corpus facile se circumfundit, & quod in se est indeterminabile, nec consistere potest; & quod facile cedit undique, & quod facile se dividit, & dispergit; & quod facile se unit, & colligit, & quod facile fluit, & in motu ponitur, & quod alteri corpori facile adhæret, idque madefacit; & quod facile reducitur in liquidum, sive colliquatur cum antea consisteret. Itaque quum ad hujus nominis prædicationem & impositionem ventum sit; si alia accipias, flamma humida est; si alia accipias, aër humidus non est, si alia, pulvis minutus humidus est; si alia, vitrum humidum est; ut facile appareat, istam Notionem ex aqua tantum, & communibus & vulgaribus liquoribus, absque ulla debita verificatione, temere abstractam esse.

In

In verbis autem, gradus sunt quidam pravitatis & erroris. Minus vitiosum genus est nominum substantiæ alicujus, præsertim specierum infimarum, & bene deductarum; (nam notio cretæ, luti, bona; terræ, mala:) vitiosius genus est actionum, ut *generare*, *corrumpere*, *alterare*: vitiosissimum qualitatum, (exceptis objectis sensus immediatis) ut *gravis*, *levis*, *tenuis*, *densi*, &c. & tamen in omnibus istis fieri non potest, qnin sint aliæ Notiones aliis paulo meliores, prout in sensum humanum incidit rerum copia.

LXI.

IV. AT *Idola Theatri* innata non sunt, nec occulto insinuata in Intellectum; sed ex fabulis theoriarum & perversis legibus Demonstrationum, plane indita & recepta. In his autem confutationes tentare & suspicere consentaneum prorsus non est illis, quæ à nobis dicta sunt. Quum enim nec de Principiis consentiamus, nec de Demonstrationibus; tollitur omnis argumentatio. Id vero bono sit fato, ut Antiquis suus constet honos. Nihil enim illis detrahitur, quum de via omnino quæstio sit. Claudus enim (ut dicitur) in via, antevertit cursorem extra viam. Etiam illud manifesto liquet, currenti extra viam, quo habilior sit & vellocior, eo majorem contingere aberrationem.

Nostra vero inveniendi Scientias ea est ratio, ut non multum ingeniorum acumini & robori relinquatur; sed quæ ingenia & Intellectus fere exæquet. Quemadmodum enim, ad hoc ut linea recta fiat, aut circulus perfectus describatur, multũ est in constantia & exercitatione manus, si fiat ex vi manus propria, sin autem adhibeatur regula, aut circinus, parum aut nihil; omnino similis est nostra ratio. Licet autem confutationum particularium nullus sit usus; de sectis tamen & generibus hujusmodi theoriarum nonnihil dicendum est; atque etiam paulo post, de signis exterioribus, quod se male habeant; & postremo de causis tantæ infelicitatis, & tam diuturni & generalis in errore consensus; ut ad vera minus difficilis sit aditus, & Intellectus humanus volentius expurgetur, & *Idola* dimittat.

LXII.

I*Dola Theatri*, sive Theoriarum, multa sunt, & multo plura esse possunt, & aliquando fortasse erunt. Nisi enim, per multa jam sæcula, hominum ingenia circa religionem & Theologiam occupata fuissent; atque etiam Politiæ Civiles (præsertim Monarchiæ) ab istiusmodi novitatibus, etiã in contemplationibus, essent aversæ; ut, cum periculo & detrimento fortunarum suarum in illas homines incumbant, non solum præmio destituti, sed etiam contemptui & invidiæ expositi; complures aliæ proculdubio Philosophiarum & Theoriarum sectæ, similes illis quæ magna varietate olim apud Græcos floruerunt, introductæ fuissent. Quemadmodum enim super *Phænomena* ætheris, plura *Themata* Cœli confingi possunt; similiter, & multo magis, super *Phænomena* Philosophiæ fundari possunt & constitui varia dogmata. Atque hujusmodi *Theatri* fabulæ habent etiam illud, quod in Theatro Poëtarum usu venit: aut narrationes fictæ ad Scenam, narrationibus ex historia veris concinniores sint, & elegantiores, & quales quis magis vellet.

In genere autem, in materiam Philosophiæ sumitur aut multum ex paucis, aut parum ex multis, ut utrinque Philosophia super experientiæ & naturalis historiæ nimis angustam basin fundata sit, atque ex paucioribus quam par est, pronunciet. Rationale enim genus Philosophantium ex experientia arripiunt varia & vulgaria, eaque neque certo comperta, nec diligenter examinata & pensitata; reliqua in meditatione atque ingenii agitatione ponunt.

Est aliud genus Philosophantium, qui in paucis experimentis sedulo & accurate elaborarunt, atque inde Philosophias educere & confingere ausi sunt; reliqua miris modis ad ea detorquentes.

Est & tertium genus eorum, Qui Theologiam & traditiones ex fide & veneratione immiscent, inter quos vanitas nonnullorum, ad petendas & derivandas Scientias, à Spiritibus scilicet & Geniis deflexit, ita ut stirps errorum, & *Philosophia falsa*, genere triplex sit: *Sophistica*, *Empirica*, & *Superstitiosa*.

LXIII.

PRimi generis exemplum in *Aristotele* maxime conspicuum est. Qui Philosophiam Naturalem Dialectica sua corrupit; quum Mundum ex Categoriis effecerit; animæ humanæ, nobilissimæ substantiæ, genus ex vocibus secundæ intentionis tribuerit; negotium *densi* & *rari*, per quod corpora subeunt majores & minores dimensiones sive spatia, per frigidam distinctionem Actus & Potentiæ transegerit, motum singulis corporibus unicum & proprium, &, si participent ex alio motu, id alunde moveri, asseruerit, & innumera alia, pro arbitrio suo, Naturæ rerum imposuerit: magis ubiq; sollicitus quomodo quis respondendo se explicet, & aliquid reddatur in verbis positivum, quam de interna rerum veritate. Quod etiam optime se ostendit in comparatione Philosophiæ ejus, ad alias philosophias, quæ apud Græcos celebrabantur. Habent enim Homoiomera *Anaxagoræ*, Atomi *Leucippi* & *Democriti*, Cœlum & Terra *Parmenidis*, Lis & Amicitia *Empedoclis*, Resolutio corporum in adiaphoram naturam Ignis, & Replicatio eorundem ad densum, *Heraclitii*, aliquid ex Philosopho naturali: & rerum naturam, & experientiam, & corpora sapiunt: ubi *Aristotelis* Physica, nihil aliud quam Dialecticæ voces plerunque sonet; quam etiam in Metaphysicis sub solenniore nomine, & ut magis scilicet Realis, non Nominalis, retractavit. Neque illud quenquam moveat, quod in libris ejus de Animalibus, & in Problematibus, & in aliis suis tractatibus, versatio frequens sit in experimentis. Ille enim prius decreverat; neque experientiam ad constituenda Decreta & Axiomata rite consuluit; sed postquam pro arbitrio suo decrevisset, experientiam ad sua placita tortam circumducit, & captivam; ut hoc etiam nomine magis accusandus sit, quam sectatores ejus moderni (Scholasticorum Philosophorum genus) qui experientiam omnino deseruerunt.

LXIV.

AT Philosophiæ genus *Empiricum* placita magis deformia & monstrosa educit, quam *Sophisticum* aut rationale genus, quia non in luce notionum vulgarium, (quæ licet tenuis sit & superficialis, tamen est quodammodo universalis, & ad

multa pertinens) sed in paucorum experimentorum angustiis & obscuritate fundatum est. Itaque talis Philosophia, illis qui in hujusmodi experimẽtis quotidie versantur, atque ex ipsis phantasiam contaminarunt, probabilis videtur, & quasi certa: cæteris, incredibilis & vana. Cujus exemplum notabile est in Chymicis, eorumque dogmatibus, a libi autem vix hoc tempore invenitur, nisi forte in Philosophia *Gilberti*. Sed tamen circa hujusmodi Philosophias cautio nullo modo prætermittenda erat; quia mente jam prævidemus & auguramur, si quando homines, nostris monitis excitati, ad experientiam se serio contulerint [valere jussis doctrinis Sophisticis,] tum demum propter præmaturam & præproperam Intellectus festinationem, & saltum, volatum ad generalia, & rerum principia, fore, ut magnum ab hujusmodi Philosophis periculum immineat; cui malo etiam nunc obviam ire debemus

ut nunc in Galvanismo ad illam explicandam Philosophiae

LXV.

AT Corruptio Philosophiæ ex *Superstitione*, & Theologia admista, latius omnino patet, & plurimum mali infert, aut in Philosophias integras, aut in earum partes. Humanus enim Intellectus non minus impressionibus Phantasiæ est obnoxius, quam impressionibus vulgarium notionũ. Pugnax enim genus Philosophiæ & *Sophisticum*, illaqueat intellectum: at illud alterum phantasticum, & tumidum, & quasi Poëticum, magis blanditur intellectui. Inest enim homini quædam Intellectus ambitio, non minor quam voluntatis; præsertim in ingeniis altis & elevatis.

Hujus autem generis exemplum inter Græcos illucescit, præcipue in *Pythagora*, sed cum *Superstitione* magis crassa & onerosa conjunctum; at periculosius & subtilius in *Platone*, atque ejus schola. Invenitur etiam hoc genus mali in partibus Philiosophiarum reliquarum, introducendo formas abstractas, & causas finales, & causas primas; omittendo sæpissime medias, & hujusmodi. Huic autem rei summa adhibenda est cautio. Pessima enim res est errorum *Apotheosis*, & pro peste Intellectus habenda est, si vanis accedat veneratio. Huic autem vanitati, nonnulli ex modernis summa levitate ita indulserunt, ut in primo capitulo Geneseos, & in libro Job, & aliis Scripturis sacris, Philosophiam naturalem fundari conati sint; inter *viva quærentes mortua*. Tantoque magis hæc vanitas inhibenda venit, & coërcenda, quia ex Divinorum & humanorum malesana admistione, non solum educitur Philosophia phantastica, sed etiam Religio hæretica. Itaque salutare admodum est, si mente sobria fidei tantum dentur quæ fidei sunt.

NB.

LXVI.

ET de malis authoritatibus Philosophiarum, quæ aut in *Vulgaribus notionibus*, aut in *paucis experimentis*, aut in *superstitione* fundatæ sunt, jam dictum est. Dicendum porro est & de vitiosa materia Contemplationuum, præsertim in Philosophia Naturali. Inficitur autem Intellectus humanus ex intuitu eorum, quæ in Artibus Mechanicis fiunt, in quibus corpora per compositiones aut separationes ut plurimum alterantur; ut cogitet, simile quiddam etiam in natura rerum universali fieri. Unde fluxit commentum illud Elementorum, deque illorum concursu, ad constituenda corpora naturalia. Rursus, quum homo Naturæ libertatem cõtempletur, incidit in species Rerum, Animalium, Plantarum, Mineraliũ: unde facile in eam labitur cogitationem, ut existimet, esse in Natura quasdam formas Rerum primarias, quas Natura educere moliatur; atque reliquam varietatem ex impedimentis & aberrationibus Naturæ in opere suo conficiendo, aut ex diversarum specierũ conflictu, & transplantatione ulterius in alteram provenire. Atq; prima cogitatio qualitates primas elementares, secunda proprietates occultas, & virtutes specificas, nobis peperit, quarum utraque pertinet ad inania contemplationũ compendia, in quibus acquiescit animus, & à solidioribus avertitur. At Medici, in secundis rerum, qualitatibus & operationibus, Attrahendi, Repellendi, Attenuandi, Inspissandi, Dilatandi, Astringendi, Discutiendi, Maturandi, & hujusmodi, operã præstant meliorem: atq; nisi ex illis duobus (quæ dixi) compendiis (qualitatibus scilicet elementaribus, & virtutibus specificis) illa altera (quæ recte notata sunt) corrumperent, reducendo illa ad primas qualitates, earumq; mixturas subtiles & incõmensurabiles, aut ea non producendo, cũ majore & diligentiore observatione, ad qualitates tertias & quartas, sed contemplationem intempestive abrumpendo; illi multo melius profecissent. Neque hujusmodi virtutes (non dico eædem, sed similes) in humani corporis medicinis tandem exquirendæ sunt; sed etiam in cæterorum corporum naturalium mutationibus.

Sed multo adhuc majore cum malo fit, quod quiescentia rerum principia, *ex quibus*; & non moventia, *per quæ* res fiunt, contemplentur & inquirant. Illa enim ad sermones, ista ad opera spectant. Neque enim vulgares illæ differentiæ Motus, quæ in Naturali Philosophia recepta notantur, *Generationis, Corruptionis, Augmentationis, Diminutionis, Alterationis, & Lationis*, ullius sunt pretii. Quippe hoc sibi volunt; si corpus, alias non mutatum, loco tamen moveatur, hoc *Lationem* esse; si manente & loco, & specie, qualitate mutetur, hoc *Alterationem* esse; si vero ex illa mutatione moles ipsa, & quantitas corporis non eadem maneat, hoc Augmentationis & Diminutionis motum esse; si eatenus mutentur, ut speciem istam & substantiam mutent, & in alia migrent, hoc Generationem & Corruptionem esse. At ista mere popularia sunt, & nullo modo in Naturam penetrant, suntque mensuræ & periodi tantum, non species motus. Innuunt enim illud, *Hucusque*, & non, *Quomodo*, vel *Ex quo fonte*. Neque enim de corporum appetitu, aut de partium eorum processu, aliquid significant, sed tantum quum motus ille rem aliter ac prius, crasso modo, sensui exhibeat, inde divisionem suam auspicatur. Etiam quum de causis motuum aliquid significare volunt, atque divisionem ex illis instituere, differentiam motus naturalis & violenti, maxima cum socordia, introducunt, quæ & ipsa omnino ex nõtione vulgari est, cum omnis motus violentus etiam naturalis revera sit, scilicet cum externum efficiens naturam alio modo in opere poner, quam quo prius.

At hisce omissis; si quis (exempli gratia) observaverit, inesse corporibus appetitum contactus ad invicem, ut non patiantur unitatem Naturæ prosus

prorsus dirimi, aut abscindi, ut vacuum detur: aut si quis dicat, inesse corporibus appetitum se recipiendi in naturalem suam dimensionem, vel tensuram, ut si ultra eam, aut citra eam, comprimantur, aut distrahantur, statim in veterem sphæram & exporrectionem suam se recuperare & remittere moliantur: aut si quis dicat, inesse corporibus appetitum congregationis ad massas connaturalium suorum, densorum videlicet versus Orbem Terræ, tenuiorum & rariorum versus ambitum Cœli: hæc & hujusmodi vere Physica sunt genera Motuum. At illa altera plane Logica sunt, & Scholastica, ut ex hac collatione eorum manifesto liquet.

Neque minus etiam malum est, quod in Philosophiis & contemplationibus suis, in Principiis rerum atque Ultimitatibus naturæ investigandis & tractandis, opera insumatur, cum omnis utilitas & facultas operandi, in mediis consistat: Hinc fit, ut abstrahere Naturam homines non desinant, donec ad materiam potentialem & informem ventum fuerit; nec rursus secare Naturam desinant, donec perventum fuerit ad Atomum, quæ, etiamsi vera essent, tamen ad juvandas hominum fortunas parum possunt.

LXVII.

DAnda est etiam cautio Intellectui, de intemperantiis Philosophiarum, quoad assensum præbendum aut cohibendum; quia hujusmodi intemperantiæ videntur *Idola* figere, & quodammodo perpetuare, ne detur aditus ad ea summovenda.

Duplex autem est excessus: Alter eorum; qui facile *pronuntiant*, & scientias reddunt positivas & Magistrales; Alter eorum, qui *Acatalepsiam* introduxerunt, & inquisitionem vagam sine termino. Quorum primus Intellectum deprimit, alter enervat. Nam *Aristotelis* Philosophia (more Ottomanorum erga fratres suos) pugnacibus confutationibus ctu trucidasset; de singulis pronuntiavit; & ipse rursus quæstiones ex arbitrio suo exornat, deinde conficit; ut omnia certa sint & decreta. Quod etiam apud successiones suas valet, & in usu est.

At *Platonis* schola *Acatalepsiam* introduxit, primo tanquam per jocum & ironiam, in odium veterum Sophistarum, *Protagoræ*, *Hippiæ*, & reliquorum, qui nihil tam verebantur, quam ne dubitare de re aliqua viderentur. At nova Academia *Acatalepsiam* dogmatizavit, & ex professo tenuit. Quæ licet honestior ratio sit, quam *pronuntiandi* licentia, quum ipsi pro se dicant, se minime confundere inquisitionem, ut *Pyrrho* fecit & *Ephectici*, sed habere quod sequantur ut probabile, licet non habeant quod teneant ut verum; tamen postquam animus humanus de veritate invenienda semel desperaverit, omnino omnia fiunt languidiora: Ex quo fit, ut deflectant homines potius ad amœnas disputationes & discursus, & rerum quasdam peragrationes, quam in severitate inquisitionis se sustineant. Verum quod à principio diximus, & perpetuo agimus, sensui & intellectui humano, eorumque infirmitati, authoritas non deroganda, sed auxilia præbenda.

LXVIII.

ATque de *Idolorum* singulis generibus, eorumque apparatu, jam diximus; quæ omnia constanti & solenni decreto sunt abneganda, & renuntianda, & Intellectus ab iis omnino liberandus est, & expurgandus, ut non alius fere sit aditus ad Regnum Hominis, quod fundatur in Scientiis, quam ad Regnum Cœlorum, *in quod, nisi sub Persona infantis, intrare non datur.* NB.

LXIX.

AT pravæ demonstrationes, *Idolorum* veluti munitiones quædam sunt & præsidia; eæque, quas in Dialecticis habemus, id fere agunt, ut Mundum plane cogitationibus humanis, cogitationes autem verbis addicant & mancipent. Demonstrationes vero Potentia quadam Philosophiæ ipsæ sunt, & Scientiæ. Quales enim eæ sunt, ac prout rite aut male institutæ, tales sequuntur Philosophiæ, & Contemplationes. Fallunt autem, & incompetentes sunt eæ, quibus utimur in universo illo processu, qui à sensu & rebus ducit ad Axiomata, & Conclusiones. Qui quidem Processus quadruplex est, & vitia ejus totidem. Primo, impressiones sensus ipsius vitiosæ sunt; sensus enim & destituit, & fallit. At destitutionibus substitutiones, fallaciis rectificationes debentur. Secundo, Notiones ab impressionbus sensuum male abstrahuntur; & interminatæ, & confusæ sunt, quas terminatas & bene finitas esse oportuit. Tertio, Inductio mala est, quæ per enumerationem simplicem Principia concludit Scientiarum, non adhibitis exclusionibus & solutionibus, sive separationibus Naturæ debitis. Postremo, modus ille inveniendi & probandi, ut primo Principia maxime generalia constituantur, deinde media Axiomata ad ea applicentur, & probentur, errorum mater est, & Scientiarum omnium calamitas. Verum de istis, quæ jam obiter perstringimus, fusius dicemus, quum veram interpretandæ Naturæ viam, absolutis istis expiationibus & expurgationibus Mentis, proponemus.

LXX.

SEd demonstratio longe optima est Experientia; modo hæreat in ipso experimento. Nam si traducatur ad alia, quæ similia existimantur, nisi rite & ordine fiat illa traductio, res fallax est. At modus experiendi, quo homines nunc utuntur, cæcus est & stupidus. Itaque cum errant & vagantur nulla via certa, sed ex occursu rerum tantum consilium capiunt, circumferuntur ad multa, sed parum promovent; & quandoque gestiunt, quandoque distrahuntur; & semper inveniunt quod ulterius quærant. Fere autem ita fit, ut homines leviter & tanquam per ludum experiantur, variando paululum experimenta jam cognita; &, si res non succedat, fastidiendo, & conatum deserendo. Quod si magis serio & constanter, ac laboriose ad Experimenta se accingant; tamen in uno aliquo experimento eruendo operam collocant; quemadmodum *Gilbertus* in Magnete, Chymici in auro. Hoc autem faciunt homines, instituto non minus imperito, quam tenui. Nemo enim alicujus rei naturam in ipsa re feliciter perscrutatur: sed amplianda est inquisitio ad magis communia.

Quod si etiam scientiam quandam & dogmata ex Experimentis moliantur; tamen semper fere studio præpropero & intempestivo deflectunt ad praxin;

praxin: Non tantum propter usum & fructum ejusmodi praxeos; sed ut in opere aliquo novo veluti pignus sibi arripiant, se nō inutiliter in reliquis versaturos: atque etiam aliis se venditent, ad existimationem meliorem comparandam de iis inquibus occupati sunt. Ita fit, ut morā *Atalantæ*, & via decedant ad tollendum aureum pomum; interim vero cursum interrumpant, & victoriam emittant è manibus. Verum in Experientiæ vero curriculo, eoque ad nova producendo, Divina Sapientia omnino, & Ordo, pro exemplari sumenda sunt. Deus autem primo die Creationis Lucem tantum creavit, eique operi diem integrum attribuit; nec aliquid materiati operis eo die creavit. Similiter & ex omnimoda Experientia, primum inventio Causarum & Axiomatum verorum eliciendaest: & lucifera Experimenta, non fructifera quærenda. Axiomata autem recte inventa & constituta Praxin non strictim sed confertim instruūt; & Operum agmina ac turmas post se trahunt. Verum de experiendi viis, quæ non minus quam viæ Judicandi obsessæ sunt & interclusæ, postea dicemus: impræsentiarum de Experientia vulgari, tanquam de mala Demonstratione, tantum loquuti. Jam vero postulat ordo rerum, ut de iis, quorum paulo ante mentionem fecimus, signis (quod Philosophiæ & Contemplationes in usu male se habeant,) & de Causis rei primo intuitu tam mirabilis & incredibilis, quædam subjungamus. Signorum enim notio præparat assensum: Causarum vero explicatio tollit miraculum. Quæ duo ad extirpationem *Idolorum* ex Intellectu faciliorem & clementiorem multum juvant.

LXXI.

SCientiæ, quas habemus, ferè à Græcis fluxerunt. Quæ enim Scriptores Romani, aut Arabes, aut Recentiores addiderunt; non multa, aut magni momenti sunt: & qualiacunque sint, fundata sunt super basin eorum quæ inventa sunt à Græcis. Erat autem sapientia Græcorum, professoria, & in disputationes effusa: quod genus inquisitioni veritatis adversissimum est. Itaque nomen illud Sophistarum, quod per contemptum ab iis, qui se Philosophos haberi voluerunt, in antiquos Rhetores rejectum & traductum est, *Gorgiam*, *Protagoram*, *Hippiam*, *Polum*, etiam universo generi competit, *Platoni*, *Aristoteli*, *Zenoni*, *Epicuro*, *Theophrasto*; & eorum successoribus, *Crysippo*, *Carneadi*, reliquis. Hoc tantum intererat; quod prius genus vagum fuerit & mercenarium, civitates circumcursando, & sapiētiam suam ostentando, & mercedem exigendo; Alterum vero solennius & generosius, quippe eorum qui sedes fixas habuerunt, & scholas aperuerunt, & gratis philosophati sunt. Sed tamen utrumque genus (licet cætera dispar) professorium erat, & ad disputationes rem deducebat, & sectas quasdam atque hæreses Philosophiæ instituebat & propugnabat: ut essent ferè doctrinæ eorum (quod non male cavillatus est Dionysius in Platonem) *Verba otiosorum senum ad imperitos juvenes.* At antiquiores illi ex Græcis, *Empedocles*, *Anaxagoras*, *Leucippus*, *Democritus*, *Parmenides*, *Heraclitus*, *Xenophanes*, *Philolaus*, reliqui, [nam *Pythagoram*, ut superstitiosum, omittimus] Scholas [quod novimus] non aperuerunt: sed majore silentio, & severius, & simplicius, id est, minore cum affectatione & ostentatione, ad inquisitionem veritatis se contulerunt. Itaq; & melius, ut arbitramur, se gesserunt; nisi quod Opera eorum à levioribus istis, qui vulgari captui & affectui magis respondent ac placent, tractu temporis extincta sint; tempore (ut fluvio) leviora & magis inflata ad nos devehente, graviora & solida mergente. Neque tamen isti à Nationis vitio prorsus immunes erant: sed in ambitionem & vanitatem sectæ condendæ, & auræ popularis captandæ, nimium propendebant. Pro desperata autem habenda est veritatis inquisitio, cum ad hujusmodi inania deflectit. Etiam non omittendum videtur judicium illud, sive vaticinium potius Sacerdotis *Ægypti* de Græcis: *Quod semper pueri essent, neque haberent antiquitatem Scientiæ, aut Scientiam Antiquitatis.* Et certe habent id quod puerorum est; ut ad garriendum promptiores sint, generare autem non possint: Nam verbosa videtur Sapientia eorum, & operum sterilis. Itaque ex Ortu & Gente Philosophiæ, quæ in usu est, quæ capiuntur signa, boni non sunt.

LXXII.

NEquè multo meliora sunt Signa, quæ ex natura Temporis & Ætatis capi possunt, quàm quæ ex natura Loci & Nationis. Angusta enim erat & tenuis notitia per illam ætatem, vel Temporis, vel Orbis: quod longe pessimum est, præsertim iis qui omnia in Experientia ponunt. Neque enim mille annorum Historiam, quæ digna erat nomine Historiæ, habebant; sed fabulas & rumores Antiquitatis. Regionum vero tractuumq; mundi exiguam partem noverant; cum omnes Hyperboreos, Scythas; omnes Occidentales, Celtas indistinctè appellarent: nil in Africa ultra citimam Æthiopiæ partem, nil in Asia ultra Gangem; multo minus Novi Orbis provincias, ne per auditum sane aut famam aliquam certam & constantem, nossent: imo & plurima climata & zonæ, in quibus populi infiniti spirant & degunt, tanquam inhabitabiles ab illis pronuntiata sint: quin etiam peregrinationes *Democriti*, *Platonis*, *Pythagoræ*, non longinquæ profecto, sed potius suburbanæ, ut magnum aliquid celebrarentur. Nostris autem temporibus, & Novi Orbis partes complures, & Veteris Orbis extrema undique innotescunt; & in infinitum, Experimentorum cumulus excrevit. Quare si ex Nativitatis aut geniturae tempore (Astrologorum more) signa capienda sint, nil magni de istis Philosophiis significari videtur.

LXXIII.

INter signa nullum magis certum aut nobile est, quam quod ex fructibus. Fructus enim & Opera inventa, pro varietate Philosophiarum velut sponsores & fidejussores sunt. Atque ex Philosophiis istis Græcorum, & derivationbus earum per particulares Scientias, jam per tot annorum spatia, vix unum Experimentum adduci potest quod ad hominum statum levandum & juvandum spectet, & Philosophiæ speculationibus ac dogmatibus vere acceptum referri possit. Idque *Celsius* ingenuè ac prudenter fatetur; nimirum, experimenta Medicinæ primo inventa fuisse, ac postea homines circa ea philosophatos esse, & causas indagasse & assignasse: non ordine inverso evenisse, ut ex Philosophia & causarum cognitione, ipsa

Experi-

Experimenta inventa aut deprompta essent. Itaque mirum non erat, apud Ægyptios (qui rerum Inventoribus divinitatem & consecrationem attribuerunt) plures fuisse Brutorum animalium imagines, quam Hominum: quia bruta animalia, per instinctus naturales, multa invēta pepererunt; ubi homines, ex sermonibus & conclusionibus rationalibus, pauca aut nulla exhibuerint.

At Chymicorum industria, nonnulla peperit; sed tanquam fortuito, & obiter, aut per Experimentorum quandam variationem, (ut Mechanici solent) non ex arte aut Theoria aliqua; nam ea, quam confinxerunt, Experimenta magis perturbat, quam juvat. Eorum etiam, qui in Magia (quam vocant) Naturali versati sunt, pauca reperiuntur inventa; eaque levia, & imposturæ propiora. Quocirca, quemadmodum in Religione cavetur, ut Fides ex operibus monstretur; idem etiam ad Philosophiam optime traducitur, ut ex Fructibus judicetur, & vana habeatur, quæ sterilis sit: idq; eo magis, si loco fructuum uvæ & olivæ, producat disputationum & contentionum carduos & spinas.

LXXIV.

CApienda etiam sunt Signa ex incrementis & progressibus Philosophiarum & Scientiarum. Quæ enim in Natura fundata sunt, crescunt & augentur: quæ autem in Opinione, variantur, non augentur. Itaque si istæ Doctrinæ plane instar Plantæ à stirpibus suis revulsæ non essent, sed utero Naturæ adhærerent, atque ab eadem alerentur, id minime eventurum fuisset, quod per annos bis mille jam fieri videmus: nempe, ut Scientiæ suis hæreant vestigiis, & in eodem fere statu maneant, neque augmentum aliquod memorabile sumpserint; quin potius in primo Authore maxime floruerint, & deinceps declinaverint. In Artibus autem Mechanicis, quæ in Natura & Experientiæ luce fundatæ sunt, contra evenire videmus: quæ (quamdiu placent) veluti spiritu quodam repletæ, continuo vegetant & crescunt; primo rudes, deinde commodæ, postea excultæ, & perpetuo auctæ.

LXXV.

ETiam aliud Signum capiendum est; (si modo Signi appellatio huic competat; cum potius Testimonium sit, atque adeo testimoniorum omnium validissimum;) hoc est, propria Confessio Authorum, quos homines nunc sequuntur. Nam & illi qui tanta fiducia de rebus pronuntiant, tamen per intervalla, cum ad se redeunt, ad querimonias de Naturæ subtilitate, Rerum obscuritate, Humani ingenii infirmitate, se convertunt. Hoc vero si simpliciter fieret, alios fortasse, qui sunt timidiores, ab ulteriori inquisitione deterrere, alios vero, qui sunt ingenio alacriori & magis fidenti, ad ulteriorem progressum acuere & incitare possit. Verum non satis illis est, de se confiteri, sed quicquid sibi ipsis aut Magistris suis incognitum aut intactum fuerit, id extra terminos Possibilis ponunt; & tanquam ex arte, cognitu aut factu impossibile pronuntiant: summa superbia & invidia, suorum Inventorum infirmitatem, in Naturæ ipsius calumniam, & aliorum omnium desperationem, vertentes. Hinc schola Academiæ novæ, quæ *Acatalepsiam* ex professo tenuit, & homines ad sempiternas tenebras damnavit. Hinc opinio, quod Formæ sive veræ rerum Differentiæ (quæ revera sunt leges Actus puri) inventu impossibiles sint, & ultra hominem. Hinc opiniones illæ in Activa & Operativa parte; Calorem Solis & Ignis toto genere differre; ne scilicet homines putent se per opera Ignis, aliquid simile iis, quæ in Natura fiunt, educere & formare posse. Hinc illud: Compositionem tantum opus Hominis, Mistionem vero opus solius Naturæ esse: ne scilicet homines sperent aliquam ex arte Corporū naturalium generationem aut transformationem. Itaque ex hoc signo homines sibi persuaderi facile patientur, ne cum dogmatibus non solum desperatis, sed etiam desperationi devotis, fortunas suas & labores misceant.

LXXVI.

NEque illud signum prætermittendum est, quod tanta fuerit inter Philosophos olim dissensio, & Scholarum ipsarum varietas: Quod satis ostendit, viam à Sensu ad Intellectum non bene munitam fuisse, cum eadem materia Philosophiæ (Natura scilicet rerum) in tam vagos & multiplices errores abrepta fuerit & distracta. Atque licet hisce temporibus dissensiones & dogmatum diversitates circa Principia ipsa, & Philosophias integras, ut plurimum extinctæ sint; tamen circa partes Philosophiæ, innumeræ manent quæstiones & controversiæ; ut plane appareat, neque in Philosophiis ipsis, neque in modis Demonstrationum aliquid certi aut sani esse.

LXXVII.

QUod vero putant homines, in Philosophia *Aristotelis* magnum utique consensum esse; cum post illam editam, Antiquorum Philosophiæ cessaverint & exoleverint; ast apud tempora, quæ sequuta sunt, nil melius inventum fuerit; adeo ut illa tam bene posita & fundata videatur, ut utrumque tempus ad se traxerit: Primo, quod de cessatione Antiquarum Philosophiarum post *Aristotelis* Opera edita homines cogitant, id falsum est; diu enim postea, usque ad tempora *Ciceronis*, & secula sequentia, manserunt opera veterum Philosophorum. Sed temporibus insequentibus, ex inundatione Barbarorum in Imperium Romanum, postquam Doctrina humana velut naufragium perpessa esset; tum demum Philosophiæ *Aristotelis* & *Platonis* tanquam tabulæ ex materia leviore & minus solida per fluctus temporum servatæ sunt. Illud etiam de Consensu fallit homines, si acutius rem introspiciant. Verus enim Consensus is est, qui ex libertate judicii (re prius explorata) in idem conveniente consistit. At numerus longe maximus eorum, qui in *Aristotelis* Philosophiam consenserunt, ex præjudicio & authoritate aliorum se illi mancipavit; ut sequacitas sit potius & coitio, quam Consensus. Quod si fuisset ille verus Consensus, & late patens, tantum abest ut Consensus pro vera & solida Authoritate haberi debeat, ut etiam violentam præsumptionem inducat in contrarium. Pessimum enim omnium est augurium quod ex Consensu capitur in rebus Intellectualibus: exceptis Divinis & Politicis, in quibus suffragiorum jus est. Nihil enim multis placet, nisi imaginationem feriat, aut Intellectum vulgarium notionum nodis astringat, ut supra dictum est. Itaque optime traducitur illud *Phocionis* à Moribus ad Intellectualia; *Vi*

statim

statim se examinare debeant homines, quiderraverint, aut peccaverint; si multitudo consentiat & complaudat. Hoc signum igitur ex aversissimis est. Itaque quod Signa veritatis & sanitatis Philosophiarum & Scientiarum, quæ in usu sunt, male se habeant; sive capiantur ex Originibus ipsarum, sive ex Fructibus, sive ex Progressibus, sive ex Confessionibus Authorum, sive ex Consensu; jam dictum est.

LXXVIII.

JAm vero veniendum ad Causas errorum, & tam diuturnæ in illis per tot sæcula moræ; quæ plurimæ sunt & potentissimæ: ut tollatur omnis admiratio, hæc quæ adducimus, homines hucusque latuisse & fugisse; & maneat tantum admiratio, illa nunc tandem alicui mortalium in mentem venire potuisse, aut cogitationem cujuspiam subiisse: quod etiam (ut nos existimamus) Felicitatis magis est cujusdam, quam excellentis alicujus Facultatis; ut potius pro Temporis partu haberi debeat, quam pro partu Ingenii.

Primo autem tot sæculorum numerus, vere rem reputanti, ad magnas angustias recidit. Nam ex viginti quinque annorum Centuriis, in quibus memoria & doctrina hominum fere versatur, vix sex Centuriæ seponi & excerpi possunt, quæ Scientiarum feraces, earumve proventui utiles fuerunt. Sunt enim non minus Temporum, quam Regionum Eremi & vastitates. Tres enim tantum Doctrinarum revolutiones & periodi recte numerari possunt: Una, apud Græcos; Altera, apud Romanos; Ultima, apud nos, Occidentales scil. Europæ nationes: quibus singulis vix duæ Centuriæ annorum merito attribui possunt. Media Mundi tempora, quoad Scientiarum segetem uberem aut lætam, infelicia fuerunt. Neque enim causa est, ut vel Arabum, vel Scholasticorum mentio fiat: qui per intermedia tempora Scientias potius contriverunt numerosis tractatibus, quam pondus earum auxerunt. Itaque prima Causa tam pusilli in Scientiis profectus, ad angustias Temporis erga illas propitii, rite & ordine refertur.

LXXIX.

AT secundo loco se offert Causa illa magni certe per omnia momenti: ea videlicet, quod per illas ipsas ætates, quibus hominum ingenia & literæ maxime vel etiam mediocriter floruerint, Naturalis Philosophia minimam partem humanæ operæ sortita sit. Atque hæc ipsa nihilominus pro magna Scientiarum matre haberi debet. Omnes enim Artes & Scientiæ ab hac stirpe revulsæ, poliuntur fortasse, & in usum effinguntur; sed nil admodum crescunt. At manifestum est, postquam Christiana fides recepta fuisset & adolevisset, longe maximam ingeniorum præstantissimorum partem ad Theologiam se contulisse; atque huic rei & amplissima præmia proposita, & omnis generis adjumenta copiosissime subministrata fuisse: Atque hoc Theologiæ studium præcipue occupasse tertiam illam partem sive periodum temporis apud nos Europæos Occidentales, eo magis, quod sub idem fere tempus & literæ florere, & controversiæ circa Religionem pullulare cœperint. At ævo superiori, durante periodo illa secunda, apud Romanos, potissimæ Philosophorum meditationes & industriæ in Morali Philosophia (quæ Ethnicis vice Theologiæ erat) occupatæ & consumpræ fuerunt: Etiam summa ingenia illis temporibus ut plurimum ad res Civiles se applicuerunt, propter magnitudinem Imperii Romani, quod plurimorum hominum opera indigebat. At illa ætas, qua Naturalis Philosophia apud Græcos maxime florere visa est, particula fuit Temporis minime diuturna; cum & antiquioribus temporibus septem illi qui Sapientes nominabantur, omnes (præter *Thaletem*) ad moralem Philosophiam & Civilia se applicuerint; & posterioribus temporibus, postquam *Socrates* Philosophiam de cœlo in terras deduxisset, adhuc magis invaluerit Moralis Philosophia, & ingenia hominum à Naturali averterit.

At ipsissima illa periodus temporis, in qua inquisitiones de Natura viguerint, contradictionibus & novorum placitorum ambitione corrupta est, & inutilis reddita. Itaque quandoquidem per tres istas periodos, Naturalis Philosophia majorem in modum neglecta aut impedita fuerit, nil mirum si homines parum in ea re profecerint, cum omnino aliud egerint.

LXXX.

ACcedit & illud, quod Naturalis Philosophia in iis ipsis viris, qui ei incubuerint, vacantem & integrum hominem, præsertim his recentioribus, vix nacta sit; nisi forte quis Monachi alicujus in cellula, aut Nobilis in villula lucubrantis, exemplum adduxerit: Sed facta est demum Naturalis Philosophia instar transitus cujusdam & pontisternii ad alia.

Atque magna ista Scientiarum Mater mira indignitate ad officia Ancillæ detrusa est; quæ Medicinæ aut Mathematicis operibus ministret, & rursus quæ adolescentium immatura ingenia lavet & imbuat velut tinctura quadam prima, ut aliam postea felicius & commodius excipiant. Interim nemo expectet magnum progressum in Scientiis, (præsertim in parte earum Operativa) nisi Philosophia Naturalis ad Scientias particulares producta fuerit, & Scientiæ particulares rursus ad Naturalem Philosophiam reductæ. Hinc enim fit, ut Astronomia, Optica, Musica, plurimæ Artes Mechanicæ, atque ipsa Medicina, atque (quod quis magis miretur) Philosophia Moralis & Civilis, & Scientiæ Logicæ, nil fere habeant altitudinis in profundo; sed per superficiem & varietatem rerum tantum labantur: quia postquam particulares istæ Scientiæ dispertitæ & constitutæ fuerint, à Philosophia Naturali non amplius aluntur; quæ ex fontibus & veris contemplationibus, Motuum, Radiorum, Sonorum, Texturæ, & Schematismi Corporum, Affectuum, & prehensionum Intellectualium, novas vires & augmenta illis impertiri potuerat. Itaque minime mirum est, si Scientiæ non crescant, cum à radicibus suis sint separatæ.

LXXXI.

RUrsus se ostendit alia causa potens & magna, cur Scientiæ parum promoverint. Ea vero hæc est; quod fieri non possit, ut recte procedatur in curriculo, ubi ipsa Meta non recte posita sit, & defixa. Meta autem Scientiarum vera & legitima, non alia est, quam ut dotetur vita humana novis Inventis, & copiis. At turba longe maxima nihil ex hoc sapit, sed meritoria plane est, & professoria; nisi forte quandoque eveniat, ut artifex aliquis acrioris

cerioris ingenii, & gloriæ cupidus, novo alicui Invento det operam; quod fere fit cum Facultatum dispendio. At apud plerosq; tantum abest, ut homines id sibi proponant, ut Scientiarum & Artium Massa augmentum obtineat; ut ex ea, quæ præsto est, Massa, nil amplius sumant aut quærant, quam quantum ad usum professorium, aut lucrum, aut existimationem, aut hujusmodi compendia, convertere possint. Quod si quis ex tanta multitudine Scienriam affectu ingenuo & propter se expetat; invenietur tamen ille ipse, potius contemplationum & doctrinarum varietatem, quam veritatis severam & rigidam inquisitionem sequi. Rursus, si alius quispiam fortasse veritatis inquisitor sit severior; tamen & ille ipse talem sibi proponet veritatis conditionem, quæ Menti & Intellectui satisfaciat in redditione causarum, rerum quæ jam pridem sunt cognitæ; non eam quæ nova operum pignora, & novam Axiomatum lucem assequatur. Itaque, si finis Scientiarum à nemine adhuc bene positus sit, non mirum est, si in iis, quæ sunt subordinata ad finem, sequatur aberratio.

LXXXII.

QUemadmodum autem finis & Meta Scientiarum male posita sunt apud homines; ita rursus etiam si illa recte posita fuissent, viam tamen sibi delegerunt omnino erroneam, & imperviam. Quod stupore quodam animum rite rem reputanti perculserit; non ulli mortalium curæ aut cordi fuisse, ut Intellectui humano, ab ipso sensu & experientia ordinata & bene condita, via aperiretur & muniretur; sed omnia vel traditionum caligini, vel argumentorum vertigini, & turbini, vel casus & experientiæ vagæ & inconditæ undis, & ambagibus, permissa esse. Atque cogitet quis sobrie & diligenter, qualis sit ea via, quam in inquisitione & inventione alicujus rei homines adhibere consueverunt. Et primo notabit proculdubio inveniendi modum simplicem & artificiosum, qui hominibus maxime est familiaris. Hic autem non alius est, quam ut is qui se ad inveniendum aliquid comparat & accingit, primo quæ ab aliis circa illa dicta sint inquirat & evolvat; deinde propriam meditationem addat, atque per Mentis multam agitationem, spiritum suum proprium sollicitet, & quasi invocet, ut sibi oracula pandat; quæ res omnino sine fundamento est, & in opinionibus tantum volvitur.

At alius quispiam Dialecticam ad inveniendum advocet, quæ nomine tenus tantum ad id quod agitur, pertinet. Inventio enim Dialecticæ non est Principiorum, & Axiomatum præcipuorum, ex quibus Artes constant, sed eorum tantum, quæ illis consentanea videntur. Dialectica enim magis curiosos & importunos, & sibi negotium facessentes, eamque interpellantes de probationibus & inventionibus Principiorum, sive Axiomatum primorum, ad fidem, & veluti Sacramentum cuilibet Arti præstandum, notissimo responso rejicit.

Restat Experientia mera, quæ, si occurrat, Casus; si quæ sita sit, Experimentum nominatur. Hoc autem Experientiæ genus nihil aliud est, quam (quod ajunt) scopæ dissolutæ, & mera palpatio, quali homines noctu utuntur, omnia pertentando, si forte in rectam viam incidere detur; quibus multo satius & consultius foret, diem præstolari, aut lumen accendere, & deinceps viam inire. At contra, verus Experientiæ ordo primo lumen accendit, deinde per lumen iter demonstrat, incipiendo ab Experientia ordinata, & digesta, & minimè præpostera aut erratica, atque ex ea educendo Axiomata, atque ex Axiomatibus constitutis rursus Experimenta nova, quum nec verbum Divinum in rerum Massam absque ordine operatum sit.

Itaque desinant homines mirari, si spatium Scientiarum non confectum sit, cum à via omnino aberraverint; relicta prorsus, & deserta Experientia, aut in ipsa (tanquam in Labyrintho) se intricando, & circumcursando; cum rite institutus ordo, per Experientiæ sylvas, ad aperta Axiomatum, tramite constanti ducat.

LXXXIII.

EXcrevit autem mirum in modum istud malũ, ex opinione quadam, sive æstimatione inveterata, verum tumidâ, & damnosâ; Minui nempe Mentis humanæ Majestatem, si experimentis, & rebus particularibus sensui subjectis, & in materia determinatis, diu ac multum versetur: præsertim quum hujusmodi res ad inquirendum laboriosæ, ad meditandum ignobiles, ad dicendum asperæ, ad practicam illiberales, numero infinitæ & subtilitate tenues esse soleant. Itaq; jam tandem huc res rediit, ut via vera non tantum deserta, sed etiam interclusa & obstructa sit; fastidita Experientia, nedum relicta, aut male administrata.

LXXXIV.

RUrsus vero homines à progressu in Scientiis detinuit & fere incantavit Reverentia Antiquitatis, & virorum, qui in Philosophia magni habiti sunt, authoritas, atque deinde Consensus. Atque de Consensu superius dictum est. §.77.

De Antiquitate autem, opinio quam homines de ipsa fovent, negligens omnino est, & vix verbo ipsi congrua. Mundi enim senium & grandævitas pro Antiquitate vere habenda sunt; quæ temporibus nostris tribui debent, non juniori ætati Mundi, qualis apud antiquos fuit. Illa enim ætas respectu nostri, antiqua & major; respectu mundi ipsi, nova & minor fuit. Atque revera quemadmodum majorem rerum humanarum notitiam, & maturius judicium, ab homine sene expectamus, quam à Juvene, propter Experientiam, & rerum quas vidit, & audivit, & cogitavit, varietatem & copiam; eodem modo & à nostra ætate (si vires suas nosset, & experiri, & intẽdere vellet) majora multo quam à priscis temporibus expectari par est; utpote ætate Mundi grandiore, & infinitis experimentis & observationibus aucta & cumulata.

[Sed modum et potius morta senili laborans mihi videtur]

Neque pro nihilo æstimandum, quod per longinquas navigationes & peregrinationes (quæ sæculis nostris increbuerunt) plurima in Natura patuerint, & reperta sint, quæ novam Philosophiæ lucem immittere possint. Quin & turpe hominibus foret; si globi materialis tractus, Terrarum videlicet, Marium, Astrorum, nostris temporibus immensum aperti & illustrati sint; globi autem Intellectualis fines, inter veterum inventa & angustias cohibeantur.

Authores vero quod attinet, summæ pusillanimitatis est, Authoribus infinita tribuere, Authori autem authorum, atque adeo omnis authoritatis, Tempori, jus suum denegare. Recte enim Veritas,

Temporis filia dicitur, non Authoritatis. Itaque mirum non est, si fascina ista Antiquitatis, & Authorum, & Consensus, hominum virtutem ita ligaverint, ut cum rebus ipsis consuescere (tanquam Maleficiati) non potuerint.

LXXXV.

NEque solum admiratio Antiquitatis, Authoritatis, Consensus, hominum industriam in iis quæ jam inventa sunt acquiescere compulit; verum etiam operum ipsorum admiratio, quorum copia jampridem facta est humano generi. Etenim quum quis rerum varietatem, & pulcherrimum apparatum, qui per Artes Mechanicas ad cultum humanum congestus & introductus est, oculis subjecerit, eo certe inclinabit, ut potius ad opulentiæ humanæ admirationem, quam ad inopiæ sensum accedat; minime adverrens, primitivas hominis observationes, atque Naturæ operationes, (quæ ad omnem illam varietatem, instar animæ sunt, & primi Motus) nec multas, nec alte petitas esse; cætera ad patientiam hominum tantum, & subtilem & ordinatum Manus vel Instrumentorum motum, pertinere. Res enim (exempli gratia) subtilis est certe & accurata, confectio horologiorum, talis scilicet, quæ cælestia in rotis, pulsum animalium in motu successivo & ordinato, videatur imitari; quæ tamen res, ex uno aut altero Naturæ Axiomate pendet.

Quod si quis rursus subtilitatem illam intueatur, quæ ad Artes Liberales pertinet; aut etiam eam, quæ ad corporum naturalium præparationem, per Artes Mechanicas spectat, & hujusmodi res suspiciat; veluti Inventionem motuum cælestium in Astronomia, Concentuum in Musica, literarum Alphabeti (quæ etiam adhuc in regno Sinarum in usu non sunt) in Grammatica; aut rursus in Mechanicis, factorum Bacchi & Cereris, hoc est, præparationem vini & cervisiæ, panificiorum, aut etiam Mensæ deliciarum, & destillationum, & similium; ille quoque, si secum cogiter, & animum advertat, per quantos temporum circuitus (cum hæc omnia, præter destillationes, antiqua fuerint) hæc ad eam quam nunc habemus culturam perducta sint, & (ut jam de horologiis dictum est) quam parum habeant ex observationibus & Axiomatibus Naturæ, atque quam facile, & tanquam per occasiones obvias, & contemplationes incurrentes, ista inveniri potuerint; ille (inquam) ab omni admiratione se facile liberabit, & potius humanæ conditionis miserebitur, quod per tot sæcula, tanta fuerit Rerum & Inventorum penuria, & sterilitas. Atq; hæc ipsa tamen, quorum nunc mentionem fecimus, Inventa, Philosophiâ & Artibus Intellectus antiquiora fuerunt adeo ut, (si verum dicendum sit) cum hujusmodi Scientiæ rationales & dogmaticæ inceperint, Inventio operum utilium desierit.

Quod si quis ab Officinis ad Bibliothecas se converterit, & immensam quam videmus librorum varietatem in admiratione habuerit, is examinatis & diligentius introspectis ipsorum librorum materiis & contentis, obstupescet certe in contrarium; & postquam nullum dari finem repetitionibus observaverit, quumque homines eadem agant & loquantur, ab admiratione varietatis transibit ad miraculum indigentiæ & paucitatis earum rerum, quæ hominum mentes adhuc tenuerunt & occuparunt.

Quod si quis ad intuendum ea, quæ magis curiosa habentur quam sana, animum submiserit, & Alchymistarum aut Magorum opera penitius introspexerit, is dubitabit forsitan, utrum risu, an lachrymis potius illa digna sint. Alchymista enim spem alit æternam, atque ubi res non succedit, errores proprios reos substituit; secum accusatorie reputando, se aut Artis, aut Authorum vocabula non satis intellexisse; unde ad traditiones & auriculares susurros animum applicat; aut in practicæ suæ scrupulis & momentis aliquid titubatum esse; unde Experimenta in infinitum repetit: ac interim quum inter Experimentorum sortes, in quædam incidit aut ipsa facie nova, aut utilitate non contemnenda; hujusmodi pignoribus animum pascit, eaque in majus ostentat & celebrat; reliqua spe sustentat. Neque tamen negandum est, Alchymistas non pauca invenisse, & Inventis utilibus homines donasse. Verum fabula illa non male in illos quadrat de Sene, qui filiis aurum in vinea defossum (sed locum se nescire simulans) legaverit; unde illi vineæ fodiendæ diligenter incubuerunt, & aurum quidem nullum repertum, sed vindemia ex ea cultura facta est uberior.

At Naturalis Magiæ Cultores, qui per rerum Sympathias omnia expediunt, ex conjecturis otiosis & supinissimis, rebus virtutes & operationes admirabiles affinxerunt; atque si quando opera exhibuerint, ea illius sunt generis, ut ad admirationem & novitatem, non ad fructum & utilitatem, accommodata sint.

In superstitiosa autem Magia, (si & de hac dicendum sit) illud imprimis animadvertendum est, esse tantummodo certi cujusdam & definiti generis subjecta, in quibus Artes curiosæ & superstitiosæ, per omnes Nationes, atque ætates, atque etiam religiones, aliquid posuerint. Itaque ista missa faciamus. Interim nil mirum est, si opinio Copiæ, causam Inopiæ dederit.

LXXXVI.

Atq; hominum admirationi quoad Doctrinas & Artes, per se satis simplici, & prope puerili, incrementum accessit ab eorũ astu & artificio, qui Scientias tractaverunt & tradiderunt. Illi enim ea ambitione & affectatione eas proponunt, atque in eum modum efformatas, ac veluti personatas, in hominum conspectum producunt, ac si illæ omni ex parte perfectæ essent, & ad exitum perductæ. Si enim Methodum aspicias, & partitiones, illæ prorsus omnia complecti & concludere videntur, quæ in illud subjectum cadere possunt. Atq; licet membra illa male impleta, & veluti Capsulæ inanes sint; tamen apud Intellectum vulgarem Scientiæ formam & rationem integræ præ se ferunt.

At primi & Antiquissimi veritatis Inquisitores, meliore fide & fato, cognitionem illam, quam ex rerum contemplatione decerpere & in usum recondere statuebant, in *Aphorismos*, sive breves, easdemque sparsas, nec Methodo revinctas sententias, conjicere solebant; neque se Artem universam complecti simulabant, aut profitebantur. At eo quo nunc res agitur modo, minime mirum est, si homines in iis ulteriora non quærant, quæ pro perfectis & numeris suis jampridem absolutis traduntur.

LXXXVII.

LXXXVII.

ETiam Antiqua magnum existimationis & fidei incrementum acceperunt, ex eorum vanitate & levitate qui nova proposuerunt; præsertim in Philosophiæ Naturalis parte activa & operativa. Neq; enim defuerunt homines vaniloqui & phantastici, qui partim ex credulitate, partim ex impostura, genus humanum promissis oneraturnt: vitæ Prolongationem, Senectutis retardationem, dolorum levationem, Naturalium defectuum reparationem, Sensuum deceptiones, Affectuum ligationes & incitationes, Intellectualium facultatum illuminationes, Substantiarum transmutationes, & Motuum ad libitum roborationes & multiplicationes, Aeris impressiones & alterationes; Cœlestium Influentiarum deductiones & procurationes, rerum futurarum divinationes, remotarum repræsentationes, occultarum revelationes, & alia complura pollicitando & ostentando. Verum de istis Largitoribus non multum abertaverit, qui istiusmodi judicium fecerit, tantum nimirum in doctrinis Philosophiæ, inter horum vanitates, & veras Artes, interesse, quantum inter res gestas *Iulii Cæsaris*, aut *Alexandri Magni*, & res gestas *Amadicii ex Gallia*, aut *Arthuri ex Britannia*, in historiæ narrationibus intersit. Inveniuntur enim clarissimi illi Imperatores revera majora gessisse, quam umbratiles isti Heroes etiam fecisse fingantur; sed modis & viis scilicet actionum, minime fabulosis & prodigiosis. Neque propterea æquum est, veræ memoriæ fidem derogari, quod à fabulis illa quandoque læsa sit, & violata. Sed interim minime mirum est, si propositionibus novis (præsertim cum mentione operum) magnum sit factum præjudicium, per istos impostores qui similia tentaverunt; cum vanitatis excessus & fastidium, etiam nunc omnem in ejusmodi conatibus magnanimitatem destruxerit.

LXXXVIII.

AT longe majora à pusillanimitate, & pensorum, quæ humana industria sibi proposuit, parvitate & tenuitate, detrimenta in Scientias invecta sunt. Et tamen (quod pessimum est) pusillanimitas ista non sine arrogantia & fastidio se offert.

Primum enim, omnium Artium illa reperitur cautela jam facta familiaris, ut in qualibet Arte Authores, Artis suæ infirmitatem in Naturæ calumniam vertant; & quod Ars ipsorum non assequitur, id ex eadem Arte impossibile in Natura pronunciant. Neque certe damnari potest Ars, si ipsa judicet. Etiam Philosophia quæ nunc in manibus est, in sinu suo posita quædam fovet, aut placita, quibus (si diligentius inquiratur) hoc hominibus omnino persuaderi volunt; nil ab Arte, vel hominis opere, arduum, aut in Naturam imperiosum & validum, expectari debere; ut de Heterogenia Caloris, Astri & Ignis, & Mistione, superius dictum est. Quæ si notentur accuratius, omnino pertinent ad humanæ potestatis circumscriptionem malitiosam, & ad quæsitam & artificiosam desperationem, quæ non solũ spei auguria turbet, sed etiam omnes industriæ stimulos & nervos incidat, atque ipsius Experientiæ aleas abjiciat; dum de hoc tantum solliciti sunt, ut Ars eorum perfecta censeatur; gloriæ vanissimæ & perditissimæ dantes operam, scilicet ut quicquid adhuc inventum & comprehensum non sit, id omnino nec inveniri, nec comprehendi posse in futurum credatur. At si quis rebus addere se, & novum aliquid reperire conetur, ille tamen omnino sibi proponet & destinabit, unum aliquod Inventum (nec ultra) perscrutari & eruere; ut Magnetis naturam, Maris fluxum & refluxum, Thema Cœli, & hujusmodi, quæ secreti aliquid habere videntur, & hactenus parum feliciter tractata sint: Quum summæ sit imperitiæ, rei alicujus naturam in se ipsa perscrutari: quandoquidem eadem Natura, quæ in aliis videtur latens & occulta, in aliis manifesta sit, & quasi palpabilis; atque in illis admirationem, in his ne attentionem quidem moveat. Ut fit in Natura Consistentiæ, quæ in ligno vel lapide non notatur, sed solidi appellatione transmittitur, neque amplius de fuga separationis aut solutionis continuitatis inquiritur: At in Aquarum bullis eadem res videtur subtilis, & ingeniosa; quæ bullæ se conjiciunt in pelliculas quasdam in Hemisphærii formam curiose effictas, ut ad momentum temporis evitetur solutio continuitatis.

Atque prorsus illa ipsa quæ habentur pro secretis, in aliis habent naturam manifestam & communem; quæ nunquam se dabit conspiciendam, si hominum Experimenta aut contemplationes in illis ipsis tantum versentur. Generaliter autem & vulgo, in Operibus Mechanicis habentur pro novis Inventis, si quis jampridem Inventa subtilius poliat, vel ornet elegantius, vel simul uniat & componat, vel cum usu commodius copulet, aut opus majore, aut etiam minore quam fieri consuevit mole vel volumine exhibeat, & similia.

Itaque minime mirum est, si nobilia, & genere humano digna Inventa in lucem extracta non sint, quum homines hujusmodi exiguis pensis, & puerilibus, contenti & delectati fuerint; quin etiam in iisdem se magnum aliquod sequutos, aut assequutos putaverint.

LXXXIX.

NEque illud prætermittendum est, quod nacta sit Philosophia Naturalis per omnes ætates adversarium molestum & difficilem; Superstitionem nimirum, & zelum Religionis cæcum & immoderatum. Etenim videre est apud Græcos, eos, qui primum causas naturales Fulminis & Tempestatum insuetis adhuc hominẽm auribus proposuerunt, impietatis in Deos eo nomine damnatos: Nec multo melius à nonnullis antiquorum Patrum Religionis Christianæ exceptos fuisse eos, qui ex certissimis demonstrationibus (quibus nemo hodie sanus contradixerit) Terram rotundam esse posuerunt, atque ex consequenti Antipodas esse asseruerunt.

Quin etiam, ut nunc sunt res, conditio sermonum de Natura, facta est durior & magis cum periculo, propter Theologorum Scholasticorum Summas & Methodos; qui cum Theologiam (satis pro potestate) in ordinem redegerint, & in Artis formam effinxerint, hoc insuper effecerunt, ut pugnax & spinosa *Aristotelis* Philosophia Corpori Religionis, plus quam par erat, immisceretur.

Eodem etiam spectant (licet diverso modo) eorum Commentationes, qui veritatem Christianæ Religionis ex Principiis & Authoritatibus Philosophorum deducere & confirmare haud veriti

ſunt; Fidei & Senſus conjugium tanquam legitimum multa pompa & ſolennitate celebrantes, & grata rerum varietate animos hominum permulcentes; ſed interim Divina Humanis, impari conditione, permiſcentes. At in hujusmodi Miſturis Theologiæ cum Philoſophia, ea tantum, quæ nunc in Philoſophia, recepta ſunt, comprehenduntur; ſed nova, licet in melius mutata, tantum non ſummoventur & exterminantur.

Denique invenias, ex quorundam Theologorum imperitia, aditum alicui Philoſophiæ, quamvis emendatæ, pene interclusum eſſe. Alii ſiquidem ſimplicius ſubverentur, ne forte altior in Naturam inquiſitio ultra conceſſum ſobrietatis terminum penetret; traducentes & perperam torquentes ea quæ de divinis Myſteriis in Scripturis Sacris adverſus rimantes ſecreta divina dicuntur, ad occulta Naturæ, quæ nullo interdicto prohibentur. Alii callidius conjiciunt & animo verſant, ſi media ignorentur, ſingula ad manum & virgulam divinam (quod Religionis, ut putant, maxime interſit) facilius poſſe referri: quod nihil aliud eſt, quam *DEO per mendacium gratificari velle.* Alii ab exemplo metuunt, ne motus & mutationes circa Philoſophiam in Religionem incurrant, ac deſinant. Alii denique ſolliciti videntur, ne in Naturæ inquiſitione aliquid inveniri poſſit, quod Religionem (præſertim apud indoctos) ſubvertat; aut ſaltem labefactet. At iſti duo poſteriores metus nobis videntur omnino ſapientiam animalem ſapere; ac ſi homines in mentis ſuæ receſſibus, & ſecretis cogitationibus, de firmitudine Religionis, & Fidei in Senſum imperio, diffiderent ac dubitarent; & propterea ab inquiſitione Veritatis in Naturalibus periculum illis impendere metuerent. At vere rem reputanti, Philoſophia Naturalis, poſt Verbum Dei, certiſſima Superſtitionis medicina eſt; eademque probatiſſimum Fidei alimentum. Itaque merito Religioni donatur tanquam fidiſſima ancilla: cum altera Voluntatem Dei, altera poteſtatem manifeſter. Neque enim erravit ille qui dixit; *Erratis, neſcientes Scripturas & Poteſtatem Dei:* informationem de Voluntate, & meditationem de Poteſtate, nexu individuo commiſcens & copulans. Interim minus mirum eſt, ſi Naturalis Philoſophiæ incrementa cohibita ſint; cum Religio, quæ plurimum apud animos hominum pollet, per quorundam imperitiam & zelum incautum in partem contrariam tranſierit, & abrepta fuerit.

XC.

RUrſus in moribus & inſtitutis Scholarum, Academiarum, Collegiorum, & ſimilium Conventum, quæ doctorum hominum ſedibus, & eruditionis culturæ deſtinata ſunt, omnia progreſſui Scientiarum adverſa inveniuntur. Lectiones enim & Exercitia ita ſunt diſpoſita, ut aliud à conſuetis haud facile cuiquam in mentem venit cogitare, aut contemplari. Si vero unus aut alter fortaſſe judicii libertate uti ſuſtinuerit, is ſibi ſoli hanc operam imponere poſſit; ab aliorum autem conſortio nihil capiet utilitatis. Sin & hoc toleraverit, tamen in capeſſenda fortuna induſtriam hanc & magnanimitatem ſibi non levi impedimento fore experietur. Studia enim hominum in ejuſmodi locis in quorundam Authorum ſcripta, veluti in carceres, concluſa ſunt; à quibus ſi quis diſſentiat, continuo ut homo turbidus, & rerum novarum cupidus corripitur. At magnum certe diſcrimen inter Res Civiles & Artes: Non enim idem periculum à novo motu, & à nova luce. Verum in rebus Civilibus mutatio etiam in melius ſuſpecta eſt ob perturbationem; cum Civilia authoritate, conſenſu, fama, & opinione, non demonſtratione nitantur. In Artibus autem & Scientiis tanquam in metalli fodinis omnia novis Operibus & ulterioribus progreſſibus circumſtrepere debent. Atque ſecundum rectam Rationem res ita ſe habet, ſed interim non ita vivitur: ſed iſta, quam diximus, Doctrinarum adminiſtratio & Politia, Scientiarum augmenta durius premere conſuevit.

XCI.

ATque inſuper licet iſta invidia ceſſaverit; tamen ſatis eſt ad cohibendum augmentum Scientiarum, quod hujusmodi conatus & induſtriæ præmiis careant. Non enim penes eosdem eſt cultura Scientiarum, & præmium. Scientiarum enim augmenta à magnis utique Ingeniis proveniunt; at pretia & præmia Scientiarum ſunt penes Vulgus aut Principes viros, qui (niſi raro admodum) vix mediocriter docti ſunt. Quin etiam hujuſmodi progreſſus, non ſolum præmiis & beneficentia hominum, verum etiam ipſa populari laude deſtituti ſunt. Sunt enim illi ſupra captum maximæ partis hominum, & ab opinionum vulgarium ventis facile obruuntur & extinguuntur. Itaque nil mirum ſi res illa non feliciter ſucceſſerit, quæ in honore non fuit.

XCII.

SEd longe maximum progreſſibus Scientiarum, & novis penſis ac provinciis in iisdem ſuſcipiendis, obſtaculum deprehenditur in deſperatione hominum, & ſuppoſitione Impoſſibilis. Solent enim viri prudentes & ſeveri in hujusmodi rebus plane diſſidere: Naturæ obſcuritatem, Vitæ brevitatem, Senſuum fallacias, Judicii infirmitatem, Experimentorum difficultates, & ſimilia ſecum reputantes. Itaque exiſtimant, eſſe quosdam Scientiarum, per temporum & ætatum Mundi revolutiones, fluxus & refluxus; cum aliis temporibus creſcant & floreant, aliis declinent & jaceant: ita tamen, ut cum ad certum quendam gradum & ſtatum pervenerint, nil ulterius poſſint.

Itaque ſi quis majora credat aut ſpondeat, id putant eſſe cujusdam impotentis, & immaturi animi; atque hujusmodi conatus initia ſcilicet læta, media ardua, extrema confuſa habere. Atque cum hujusmodi cogitationes eæ ſint, quæ in viros graves & judicio præſtantes facile cadant, curandum revera eſt, ne rei optimæ & pulcherrimæ amore capti ſeveritatem judicii relaxemus, aut minuamus; & ſedulo videndum, quid ſpei affulgeat, & ex qua parte ſe oſtendat; atque auris levioribus ſpei rejectis, ea quæ plus firmitudinis habere videntur, omnino diſcutiendæ ſunt & penſitandæ. Quin etiam Prudentia Civilis ad conſilium vocanda eſt & adhibenda, quæ ex præſcripto diffidit, & de rebus humanis in deterius conjicit. Itaque jam & de Spe dicendum eſt; præſertim cum nos promiſſores non ſimus, nec vim aut inſidias hominum judiciis faciamus aut ſtruamus, ſed homines manu & ſponte ducamus. Atque licet longe potentiſſimum futurum ſit remedium ad ſpem impri-

primendam, quando homines ad particularia, præsertim in Tabulis nostris Inveniendi digesta & disposita, (quæ partim ad secundam, sed multo magis ad quartam *Instaurationis* nostræ partem pertinent) adducemus; cum hoc ipsum sit non spes tantum, sed tanquam res ipsa: tamẽ ut omnia clementius fiant, pergendũ est in instituto nostro de præparandis hominum mentibus; cujus Præparationis, ista ostensio Spei pars non est exigua. Nam absque ea, reliqua faciunt magis ad contristationem hominum, (scilicet, ut deteriorem & viliorem habeant de iis, quæ jam in usu sunt, opinionem, quam nunc habent; & suæ conditionis infortunium plus sentiant & pernoscant) quam ad alacritatem aliquam inducendam, aut industriam experiendi acuendam, Itaque Conjecturæ nostræ, quæ spem in hac re faciunt probabilem, aperiẽdæ sunt & proponendæ: sicut Columbus fecit, ante navigationem illam suam mirabilem maris Atlantici; cum rationes adduceret, cur ipse novas Terras & Continentes, præter eas, quæ ante cognitæ fuerunt, inveniri posse confideret: Quæ rationes licet primo rejectæ, postea tamen experimento probatæ sunt, & rerum maximarum causæ & initia fuerunt.

XCIII.

PRincipium autem sumendum à Deo: Hoc nimirum quod agitur, propter excellentem in ipso Boni natutam, manifeste à Deo esse; qui Author Boni, & Pater luminum est. In operationibus autem divinis, initia quæque tenuissima exitum certo trahunt. Atque quod de Spiritualibus dictum est, *Regnum Dei non venit cum observatione*, id etiã in omni majore Opere Providentiæ divinæ avenire reperiatur: ut omnia sine strepitu & sonitu placide labantur; atque res plene agatur, priusquam homines eam agi putent aut advertant. Neque omittenda est Prophetia *Danielis* de ultimis Mundi temporibus; *Multi pertransibunt, & multiplex erit scientia*: Manifeste innuens & significans, esse in Fatis, id est, in Providentia, ut pertransitus Mundi (qui per tot longinquas navigationes impletus plane, aut jam in opere esse videtur) & augmenta Scientiarum in eandem ætatem incidant.

XCIV.

SEquitur ratio omnium maxima ad faciendam spem, nempe ex erroribus temporis præteriti, & viarum adhuc tentatarum. Optima enim est ea reprehensio, quam de Statu Civili haud prudenter administrato quispiam his verbis complexus est: *Quod ad præterita pessimum est, id ad futura optimum videri debet. Si enim vos omnia, quæ ad officium vestrum spectant, præstitissetis, neque tamen res vestræ in meliore loco essent, ne spes quidem ulla reliqua foret, eas in melius provehi posse. Sed cum rerum vestrarum status, non à vi ipsa rerum, sed ab erroribus vestris male se habeat, sperandum est, illis erroribus missis aut correctis, magnam rerum in melius mutationem fieri posse.* Simili modo, si homines per tanta annorum spatia viam veram inveniendi & colendi Scientias tenuissent, nec tamen ulterius progredi potuissent, audax proculdubio & temeraria foret opinio, posse rem in ulterius provehi. Quod si in via ipsa erratum sit, atque hominum opera in iis consumpta in quibus minime oportebat, sequitur exeo, non in Rebus ipsis difficultatem oriri, quæ potestatis nostræ non sunt; sed in Intellectu humano, ejusque usu & applicatione; quæ res remedium & medicinam suscipit. Itaque optimum fuerit illos ipsos errores proponere: Quot enim fuerint errorum impedimenta in præterito, tot sunt spei argumenta in futurum. Ea vero licet in his quæ superius dicta sunt, non intacta omnino fuerint, tamen ea etiam nunc breviter, verbis nudis ac simplicibus, repræsentare visum est.

XCV.

QVi tractaverunt Scientias, aut Empirici, aut Dogmatici fuerunt. Empirici, formicæ more congerunt tantum, & utuntur: Rationales, aranearum more, telas ex se conficiunt: Apis vero ratio media est, quæ materiam ex floribus horti & agri elicit; sed tamen eam propria facultate vertit & digerit. Neque ab simile Philosophiæ verum opificium est: quod nec Mentis viribus tantum aut præcipuè nititur, neque ex Historia Naturali & Mechanicis Experimentis præbitam materiam, in Memoria integram, sed in Intellectu mutatam & subactam, reponit. Itaque ex harum facultatum (Experimentalis scilicet, & Rationalis) arctiore & sanctiore fœdere (quod adhuc factum non est) bene sperandum est.

XCVI.

NAturalis Philosophia adhuc syncera non invenitur, sed infecta & corrupta: in *Aristotelis* schola, per Logicam; in *Platonis* schola, per Theologiam Naturalem; in secunda schola *Platonis*, *Procli*, & aliorum, per Mathematicam; quæ Philosophiam naturalem terminare, non generare aut procreare debet. At ex Philosophia naturali pura & impermista, meliora speranda sunt.

XCVII.

NEmo adhuc tanta mentis constantia & rigore inventus est, ut decreverit & sibi imposuerit, Theorias & Notiones communes penitus abolere, & Intellectum abrasum & æquum ad particularia de integro applicare. Itaque illa Ratio humana quam habemus, ex multa fide, & multo etiam casu, nec non ex puerilibus, quas primo hausimus, Notionibus, farrago quædam est & congeries.

Quod si quis ætate matura, & sensibus integris, & mente repurgata, se ad Experientiam & ad Particularia de integro applicet, de eo melius sperandum est. Atque hac in parte nobis spondemus fortunam *Alexandri* Magni; neque quis nos vanitatis arguat, antequam exitum rei audiat, quæ ad exuendam omnem vanitatem spectat.

Etenim de *Alexandro* & ejus rebus gestis *Æschines* ita loquutus est: *Nosce te vitam mortalem non vivimus; sed in hoc nati sumus, ut posteritas de nobis portenta narret & prædicet*: perinde ac si *Alexandri* res gestas pro miraculo habuisset.

At ævis sequentibus *Titus Livius* melius rem advertit & introspexit, atque de *Alexandro* hujusmodi quippiam dixit: *Eum non aliud quam bene ausum vana contemnere.* Atque simile etiam de nobis judicium futuris temporibus factum iri existimamus: *Nos nil magni fecisse, sed tantum ea quæ pro magnis habentur, minoris fecisse.* Sed interim (quod jam diximus) non est spes nisi in *Regeneratione* Scientiarum; ut eæ scilicet ab Experientia certo ordine excitentur & rursus condantur: quod

adhuc factum esse aut cogitatum, nemo (ut arbitramur) affirmaverit.

XCVIII.

ATque Experientiæ fundamenta (quando ad hanc omnino deveniendum est) aut nulla, aut admodum infirma adhuc fuerunt; nec Particularium sylva & materies, vel numero, vel genere, vel certitudine, informando Intellectui competens, aut ullo modo sufficiens, adhuc quæsita est & congesta. Sed contra homines docti (supini sane & faciles) rumores quosdam Experientiæ, & quasi famas & auras ejus, ad Philosophiam suam vel constituendam vel confirmandam exceperunt, atque illis nihilominus pondus legitimi testimonii attribuerunt. Ac veluti si Regnum aliquod aut Status non ex literis & relationibus à Legatis & Nuntiis fide dignis missis, sed ex Urbanorum sermunculis & ex triviis consilia sua & negotia gubernaret; omnino talis in Philosophiam administratio, quatenus ad Experientiam, introducta est. Nil debitis modis exquisitum, nil verificatum, nil numeratum, nil appensum, nil dimensum in Naturali Historia reperitur. At quod in observatione indefinitum & vagum, id in informatione fallax & infidum est. Quod si cui hæc mira dictu videantur, & querelæ minus justæ propiora; cum *Aristoteles* tantus ipse vir, & tanti Regis opibus subnixus, tam accuratam *de Animalibus* Historiam confecerit; atq; alii nonnulli majore diligentia (licet strepitu minore) multa adjecerint; & rursus alii de Plantis, de Metallis, & Fossilibus, historias & narrationes copiosas conscripserint; is sane non satis attendere & perspicere videtur, quid agatur in præsentia. Alia enim est ratio Naturalis Historiæ, quæ propter se confecta est; alia ejus, quæ collecta est ad informandum Intellectum in ordine ad condendam Philosophiam. Atque hæ duæ Historiæ tum aliis rebus, tum præcipuè in hoc differunt; quod prima ex illis specierum naturalium varietatem, non Artium Mechanicarum Experimenta contineat. Quemadmodum enim in Civilibus ingenium cujusque, & occultus animi affectuum sensus, melius elicitur, cum quis in perturbatione ponitur, quam alias: Simili modo, & occulta Naturæ magis se produnt per vexationes Artium, quam cum cursu suo meant. Itaque tum demum bene sperandum est de Naturali Philosophia; postquam Historia Naturalis (quæ ejus basis est & fundamentum) melius instructa fuerit: antea vero minimè.

vix nunc sperari potest.

XCIX.

ATque rursus in ipsa Experimentorum Mechanicorum copia, summa eorum quæ ad Intellectus informationem maximè faciunt, & juvant, detegitur inopia. Mechanicus enim de veritatis inquisitione nullo modo sollicitus, non ad alia, quam quæ operi suo subserviunt, aut animum erigit, aut manum porrigit. Tum vero de Scientiarum ulteriore progressu Spes bene fundabitur, quum in Historiam Naturalem recipientur & aggregabuntur complura Experimenta, quæ in se nullius sunt usus, sed ad inventionem causarum & Axiomatum tantum faciunt, quæ nos *Lucifera* Experimenta, ad differentiam *Fructiferorum* appellare consuevimus. Illa autem miram habent in se virtutem & conditionem; hanc videlicet quod nunquam fallant, aut frustrentur. Cum enim ad hoc adhibeantur, non ut opus aliquod efficiant, sed ut causam naturalem in aliquo revelent, quaqua versum cadunt, intentione æque satisfaciunt, cum quæstionem terminent.

C.

AT non solum copia major Experimentorum quærenda est & procuranda, atque etiam alterius generis, quam adhuc factum est; sed etiam Methodus plane alia, & Ordo, & Processus, continuandæ & provehendæ Experientiæ, introducenda. Vaga enim Experientia, & se tantum sequens, (ut superius dictum est) mera palpatio est, & homines potius stupefacit, quam informat. At cum Experientia lege certa procedet, seriatim & continenter; de Scientiis aliquid melius sperari poterit.

CI.

POstquam vero Copia & Materies Historiæ Naturalis & Experientiæ talis, qualis ad opus Intellectus, sive ad opus Philosophicum requiritur, præsto jam erit & parata; tamen nullo modo sufficit Intellectus, ut in illam Materiem agat sponte & memoriter; non magis, quam si quis Cōputationem alicujus Ephemeridis memoriter se tenere, & superare posse speret. Atque hactenus tamen potiores Meditationis partes, quam Scriptionis, in inveniendo fuerunt; neq; adhuc Experientia literata facta est: Atqui nulla nisi de Scripto inventio probanda est. Illa vero in usum veniente, ab Experientia facta demum literata, melius sperandum.

CII.

ATque insuper, cum tantus sit particularium numerus, & quasi exercitus, isque ita sparsus & diffusus, ut Intellectum disgreget & confundat; de velitationibus, & levibus Motibus, & transcursibus Intellectus, non bene sperandum est; nisi fiat instructio & coordinatio per tabulas inveniendi idoneas, & bene dispositas, & tanquam vivas, eorum quæ pertinent ad subjectum in quo versatur inquisitio, atque ad harum tabularum auxilia præparata & digesta Mens applicetur.

CIII.

VErum post Copiam particularium, rite & ordine, veluti sub oculos positorum, non statim transeundum est ad Inquisitionem, & inventionem novorum particularium, aut operum; aut saltem, si hoc fiat, in eo non acquiescendum. Neque enim negamus, postquam omnia omnium Artium Experimenta collecta & digesta fuerint, atque ad unius hominis notitiam & judicium pervenerint; quin ex ipsa traductione Experimentorum unius Artis in alias, multa nova inveniri possint, ad humanam vitam & statum utilia, per istam Experientiam quam vocamus Literatam: sed tamen minora de ea speranda sunt; majora vero à nova luce Axiomatum, ex particularibus illis certa via & regula eductorum, quæ rursus nova particularia indicent & designent. Neque enim in plano via sita est, sed ascendendo, & descendendo; Ascendendo primo ad Axiomata, Descendendo ad Opera.

CIV.

NEq; tamen permittendum est, ut Intellectus à particularibus, ad Axiomata remota & quasi generalissima (qualia sunt Principia (quæ vocant) Artium, & Rerum) saliat, & volet; & ad eorum immotam veritatem Axiomata media probet, &

& expediat: quod adhuc factum est, prono ad hoc impetu naturali Intellectus, atque etiam ad hoc ipsum, per Demonstrationes quæ fiunt per Syllogismum, jampridem edocto & assuefacto. Sed de Scientiis tum demum bene sperandum est, quando per scalam veram, & per gradus continuos, & non intermissos, aut hiulcos, à particularibus ascendetur ad Axiomata minora, & inde ad media, alia aliis superiora, & postremo demum ad generalissima. Etenim Axiomata infima non multum ab Experientia nuda discrepant. Suprema vero illa & generalissima (quæ habentur) notionalia sunt, & abstracta, & nil habent solidi. At media sunt Axiomata illa vera, & solida, & viva, in quibus humanæ res, & fortunæ, sitæ sunt; & supra hæc quoque, tandem ipsa illa generalissima; talia scilicet, quæ non abstracta sint, sed per hæc media vere limitantur.

Itaq; hominum Intellectui non plumæ addendæ, sed plumbum potius, & pondera; ut cohibeant omnem saltum & volatum. Atq; hoc adhuc factũ non est; Quum vero factum fuerit, melius de Scientiis sperare licebit.

CV.

IN constituendo autem Axiomate, forma *Inductionis* alia, quam adhuc in usu fuit, excogitanda est; eaque non ad Principia tantum (quæ vocant) probanda & invenienda, sed etiam ad Axiomata minora, & media, denique omnia. Inductio enim quæ procedit per enumerationem simplicem, res puerilis est, & precario concludit, & periculo exponitur ab instantia contradictoria, & plerumque secundum pauciora quam par est, & ex his tantummodo quæ præsto sunt, pronunciat. At *Inductio*, quæ ad inventionem & demonstrationem Scientiarum & Artium erit utilis, Naturam separare debet, per rejectiones & exclusiones debitas; ac deinde post negativas tot quot sufficiunt, super affirmativas concludere; quod adhuc factum non est, nec tentatum certe, nisi tantummodo à *Platone*, qui ad executiendas definitiones & ideas, hac certe forma Inductionis aliquatenus utitur. Verum ad hujus Inductionis, sive Demonstrationis instructionem bonam & legitimam, quamplurima adhibenda sunt, quæ adhuc nullius mortalium cogitationem subiêre; adeo ut in ea major sit consumenda opera, quam adhuc consumpta est in Syllogismo. Atq; hujus Inductionis auxilio, non solum ad Axiomata invenienda, verum etiam ad Notiones terminandas, utendum est. Atq; in hac certe *Inductione*, spes maxima sita est.

CVI.

AT in Axiomatibus constituendis per hanc Inductionem, examinatio & probatio etiam facienda est, utrùm quod constituitur Axioma aptatum sit tantum & ad mensuram factum eorũ particularium ex quibus extrahitur; an vero sit amplius, & latius. Quod si sit amplius, aut latius, videndum, an eam suam amplitudinem & latitudinem, per novarum particularium designationem, quasi fidejussione quadam firmet; ne vel in jam notis tantum hæreamus, vel laxiore fortasse complexu, umbras & formas abstractas, nõ solida & determinata in materia, prensemus. Hæc vero cũ in usum venerint, solida tum demũ spes merito affulserit.

CVII.

AT q; hic etiam resumendum est, quod superius dictum est de Naturali Philosophia producta, & Scientiis particularibus ad eam reductis, ut non fiat scissio & truncatio Scientiarum; Nam etiam absq; hoc, minus de progressu sperandum est.

CVIII.

ATq; de desperatione tollenda, & spe facienda, ex præteriti temporis erroribus valere jussis, aut rectificatis, jam dictum est. Videndum autem est, si quæ alia sint, quæ spem faciant. Illud vero occurrit; si hominibus non quærentibus, & aliud agentibus, multa utilia, tanquam casu quodam, aut per occasionem, inventa sint; nemini dubium esse posse, quin iisdem quærentibus, & hoc agentibus, idque via & ordine, non impetu & desultorie, longe plura detegi necesse sit. Licet enim semel aut iterum accidere possit, ut quispiam in id forte fortuna incidat, quod magno conatu & de industria scrutantem antea fugit; tamen in summa rerum, procul dubio contrarium invenitur. Itaque longe plura, & meliora, atque per minora intervalla, à ratione & industria, & directione, & intentione hominum speranda sunt, quam à casu, & instinctu animalium, & hujusmodi, quæ hactenus principium inventis dederunt. quod dubito.

CIX.

ETiam illud ad spem trahi possit, quod nonnulla ex his quæ jam inventa sunt, ejus sint generis, ut antequam invenirentur, haud facile cuiquam in mentem venisset, de iis aliquid suspicari; sed plane quis illa ut impossibilia contempsisset. Solent enim homines de rebus novis, ad exemplum veterum, & secundũ phantasiam ex iis præceptam, & inquinatam, hariolari; quod genus opinandi fallacissimum est, quandoquidem multa ex his quæ ex fontibus rerum petuntur, per rivulos consuetos non fluant.

Veluti si quis ante tormentorum igneorum inventionem, rem per effectus descripsisset, atq; in hunc modum dixisset; Inventum quoddam detectum esse, per quod muri, & munitiones quoque maximæ, ex longo intervallo concuti, & dejici possint; homines sane de viribus tormentorum & machinarum, per pondera, & rotas, & hujusmodi arietationes & impulsus multiplicandis, multa & varia secum cogitaturi fuissent: De vento autem igneo, tam subito & violenter se expandente, & exsufflante, vix unquam aliquid alicujus imaginationi, aut phantasiæ, occursurum fuisset; utpote cujus exemplum in proximo non vidisset, nisi forte in terræ motu, aut fulmine, quæ ut Magnalia Naturæ, & non mirabilia ab homine, homines statim rejecturi fuissent.

Eodem modo, si ante fili bombycini inventionem, quispiam hujusmodi sermonem injecisset; Esse quoddam fili genus inventum, ad vestium & supellectilis usum, quod filum linteum aut laneũ, tenuitate, & nihilominus tenacitate, ac etiam splendore, & mollitie, longe superaret; homines statim aut de serico aliquo vegetabili, aut de animalis alicujus pilis delicatioribus, aut de aviũ plumis, & lanugine, aliquid opinaturi fuissent; verum de vermis pusilli textura, eaq; tam copiosa, & se renovante, & anniversaria, nil fuissent certe commenturi. Quod si quis etiam de verme verbum aliquod injecisset, ludibrio certe futurus fuisset, ut qui novas Aranearum operas somniaret.

Similiter, si ante inventionem Acus Nauticæ, quispiam hujusmodi sermonem intulisset, inventũ

esse quoddam instrumentum, per quod Cardines & puncta Cœli, exacte capi & dignosci possint; homines statim, de magis exquisita fabricatione instrumentorum Astronomicorum, ad multa & varia, peragitationem phantasiæ, discutsuri fuissent: quod vero aliquid inveniri possit, cujus motus cum cœlestibus tam bene conveniret, atque ipsum tamen ex cœlestibus non esset, sed tantum substantia lapidea, aut metallica, omnino incredibile visum fuisset. Atque hæc tamen, & similia, per tot mundi ætates, homines latuerunt, nec per Philosophiam, aut Artes rationales inventa sunt, sed casu, & per occasionem, suntque illius [ut diximus] generis, ut ab iis quæ antea cognita fuerunt, plane heterogenea & remotissima sint, ut præ notio aliqua nihil prorsus ad illla conducere potuisset.

Itaque sperandum omnino est, esse adhuc in Naturæ sinu multa excellentis usus reconditia, quæ nullam cum jam Inventis cognationem habent, aut parallelismum, sed omnino sita sunt extra vias phantasiæ, quæ tamen adhuc inventa non sunt, quæ proculdubio per multos sæculorum circuitus & ambages & ipsa quandoque prodibunt, sicut illa superiora prodierunt, Sed per viam, quam nunc tractamus, propere, & subito, & simul repræsentari, & anticipari possunt.

CX.

ATtamen conspiciuntur & alia Inventa ejus generis, quæ fidem faciant, posse genus humanum nobilia Inventa, etiã ante pedes posita, præterire, & transilire. Vtrumq; enim pulveris tormẽtarij, vel fili bombycini, vel Acus nauticæ, vel Saccharii, vel Papyri, vel similium Inventa, quibusdam Rerum & Naturæ proprietatibus niti videantur, at certe Imprimendi artificium nil habet, quod non sit aPertum, & fere obvium. Et nihilominus homines non advertentes, literarum modulos difficilius scilicet collocari, quam literæ per motum manus scribantur, sed hoc interesse, quod literarum moduli semel collocati, infinitis impressionibus, literæ autem per manum exaratæ, unicæ tantum scriptioni sufficiant, aut fortasse iterum non advertentes, atramentum ita inspissari posse, ut tingat, non fluat, præsertim literis resupinatis, & impressione facta desuper. hoc pulcherrimo Invento [quod ad Doctrinarum propagationem tantum facit] per tot sæcula caruerunt.

Solet autem Mens humana, in hoc Inventionis curriculo, tam læva sæpenumero & male composita esse, ut primo diffidat, & paulo post se contemnat, atque primo incredibile ei videatur, aliquid tale Inveniri posse; Postquam autem inventum fit, incredibile rursus videatur, id homines tam diu fugere potuisse. Atque hoc ipsum ad spem rite trahitur: superesse nimirum adhuc magnum Inventorum cumulum, qui non solum ex operationibus incognitis eruendis, sed ex jam cognitis transferendis & applicandis, per eam quam diximus, Experientiam literatam deduci possit.

CXI.

NEque illud omittendum ad faciendam Spem, Reputent [si placet] homines, infinitas ingenii, temporis, facultatum expensas, quas homines in rebus, & studiis longe minoris usus & prætii, collocant, quorum pars quota, si ad sana & solida verteretur, nulla non difficultas superari posset. Quod idcirco adjungere visum est, quia plane fatemur, Historiæ Naturalis & Experimentalis collectionem, qualem animo metimur, & qualis esse debet, opus esse magnum, & quasi Regium, & multæ operæ atque impensæ.

CXII.

INterim particularium multitudinem nemo reformidet, quin potius hoc ipsum ad spem revocet. Sunt enim Artium & Naturæ particularia *Phænomena*, Manipuli instar, ad ingenii Commenta, Postquã ab evidentia rerum disjuncta & abstracta fuerint. Atq; hujua viæ, exitus in aperto est, & fere in propinquo, Alterius, exitus, nullus, sed implicatio infinita. Homines enim adhuc parvam in Experientia moram fecerunt, & eam leviter perstrinxerunt, sed in meditationibus & commentationibus ingenii, infinitũ tempus contriverunt. Apud nos vero si esset præsto quispiam, qui de facto Naturæ ad interrogata responderet, paucorum annorum esset Inventio Causarum & Scientiarum omnium.

CXIII.

ETiam nonnihil hominibus spei fieri posse putamus ab exemplo nostro proprio; neq; jactãtiæ causa hoc dicimus, sed quod utile dictu sit. Si qui diffidant, me videãt, hominem inter homines ætatis meæ, Civilibus negotiis occupatissimum, nec firma admodum valetudine, [quod magnum habet temporis dispendium] atque in hac re plane *Protopirum*, & vestigia nullius sequutum, neq; hæc ipsa cum ullo mortalium communicantem, & tamen veram viam, constanter ingressum, & ingenium rebus submittentem, hæc ipsa aliquatenus [ut existimamus] provexisse: Et deinceps videant: quid ab hominibus otio abundantibus, atque à laboribus consociatis, atque à temporum successione, post hæc indicia nostra expectandum sit; præsertim via quæ non singulis solummodo pervia est, [ut fit in via illa rationali] sed ubi hominum labores & operæ [præsertim quantum ad Experientiæ Collectam] optime distribui, & deinde componi possint. Tum enim homines vires suas nosse incipient, cum non eadem infiniti, sed alia alii præstabunt.

CXIV.

POstremo, etiam si multo infirmior & obscurior aura Spei ab *ista nova Continente* spiraverit, tamen omnino experiendum esse [nisi velimus animi esse plane objecti] statuimus. Non enim res pari periculo non tentatur, & non succedit, cum in illo, ingentis boni, in hoc, exiguæ humanæ operæ jactura vertantur. Verum ex dictis, atq: etiam ex non dictis. visum est nobis, spei abunde subesse, non tantum homini strenuo ad experiendum, sed etiam prudenti & sobrio ad credendum.

CXV.

ATque de desparatione tollenda, quæ inter Caulas potentissimas ad progressum Scientiarum remorandum & inhibendũ fuit, jam dictum est: Atque simul sermo de Signis & Causis Errorũ, & inertiæ, & ignorantiæ quæ invaluit, absolutus est, præsertim cum subtiliores causæ, & quæ in judicium populare aut observationem non incurrunt, ad ea quæ de *Idolis* animi humani dicta sunt, referri debeant.

Atque hic simul pars destruens *Instaurationis* nostræ claudi debet, quæ perficitur tribus Redargurio-

gutionibus; Redargutione nimirum *Humanæ Rationis Nativæ*, & sibi permissæ; Redargutione *Demonstrationum*; & Redargutione *Theoriarum*, sive Philosophiarum, & Doctrinarum, quæ receptæ sunt. Redargutio vero earum talis fuit, qualis esse potuit: videlicet per signa, & Evidentiam Causarum; cum confutatio alia nulla à nobis (qui & de Principiis, & de Demonstrationibus, ab aliis dissentimus) adhiberi potuerit.

Quocirca tempus est, ut ad ipsam Artem & Normam *Interpretandi Naturam* veniamus; & tamen nonnihil restat, quod prævertendum est. Quum enim in hoc primo *Aphorismorum* libro illud nobis propositum sit, ut tam ad intelligendum, quam ad recipiendum ea quæ sequuntur, Mentes hominum præparentur; Expurgata jam, & abrasa, & æquata Mentis Area, sequitur ut Mens sistatur in positione bona, & tanquam Aspectu benevolo, ad ea quæ proponemus. Valet enim in re nova ad præjudicium, non solum præoccupatio fortis opinionis veteris, sed & præceptio sive præfiguratio falsa, rei quæ affertur. Itaq; conabimur efficere, ut habeantur bonæ, & veræ, de iis quæ adducimus, opiniones, licet ad tempus tantummodo, & tanquam usurariæ, donec res ipsa pernoscatur.

CXVI.

Primo itaq; postulandum videtur, ne existiment homines, nos more Antiquorum Græcorum, aut quorundam novorum hominum, *Telesii*, *Patricii*, *Severini*, sectam aliquam in Philosophia condere velle: Neque enim hocagimus, neque etiam multum interesse putamus, ad hominum fortunas, quales quis opiniones abstractas de Natura & rerum Principiis habeat: Neq; dubium est, quin multa hujusmodi, & vetera revocari, & nova introduci possint; quemadmodum & complura Themata Cœli supponi possunt, quæ cũ *Phænomenis* sat bene cõveniunt, inter se tamen dissentiunt.

At nos de hujusmodi rebus opinabilibus, & simul inutilibus, non laboramus. At contra nobis constitutum est experiri, an revera potentiæ & amplitudinis humanæ firmiora fundamenta jacere, ac fines in latius proferre possimus. Atque licet sparsim, & in alia quibus subjectis specialibus, longe veriora habeamus, & certiora, (ut arbitramur) atq; etiam magis fructuosa, quam quibus homines adhuc utuntur, (quæ in quintam *Instaurationis* nostrę partem congessimus) tamen Theoriam nullam universalem, aut integram proponimus. Neque enim huic rei tempus adhuc adesse videtur. Quin nec spem habemus vitæ producendæ, ad sextam *Instaurationis* partem (quæ Philosophiæ, per legitimam Naturæ interpretationem inventæ, destinata est) absolvendam; sed satis habemus, si in Mediis sobrie & utiliter nos geramus, atq; interim semina veritatis sincerioris in posteros spargamus, atque initiis rerum magnarum non desimus.

CXVII.

Atq; quemadmodum Sectæ Conditores non sumus; ita nec operum particularium Largitores, aut Promissores. Attamen possit aliquis hoc modo occurrere; quo nos, qui tam sæpe Operum mentionem faciamus, & omnia eo trahamus; etiam Operum aliquorum pignora exhibeamus. Verum via nostra, & ratio, (ut sæpe perspicue diximus, & adhuc dicere juvat) ea est; ut non Opera ex Operibus, sive Experimenta ex Experimentis, (ut Empirici) sed ex Operibus & Experimentis Causas & Axiomata, atq; ex Causis & Axiomatibus rursus nova Opera & Experimenta (ut legitimi Naturæ Interpretes) extrahamus.

Atque licet in Tabulis nostris inveniendi, (ex quibus quarta pars *Instaurationis* consistit) atque etiam exemplis particularium, (quæ in secunda parte adduximus) atque insuper observationibus nostris super Historiam, (quæ in tertia parte Operis descripta est) quivis vel mediocris perspicaciæ & solertiæ, complurium operum nobilium indicationes & designationes ubiq; notabit; ingenue tamen fatemur, Historiam Naturalem, quam adhuc habemus, aut ex libris, aut ex inquisitione propria, non tam copiosam esse & verificatam, ut legitimæ Interpretationi satisfacere aut ministrare possit.

Itaque si quis ad Mechanica sit magis aptus, & paratus, atque sagax, ad venanda opera, ex conversatione sola cum experimentis, ei permittimus & relinquimus illam industriam, ut ex Historia nostra, & Tabulis, multa tanquam in via decerpat, & applicet, ad Opera, ac veluti fœnus recipiat ad tempus, donec sors haberi possit. Nos vero, cum ad majora contendamus, moram omnem præproperam & præmaturam in istiusmodi rebus, tanquam Atalantæ pilas (ut sæpius solemus dicere) damnamus. Neque aurea poma pueriliter affectamus, sed omnia in victoriâ cursûs Artis super Naturam ponimus; neque muscum aut segetem herbidam demetere festinamus, sed messem tempestivam expectamus.

CXVIII.

Occurret etiam alicui proculdubio, postquam ipsam Historiam nostram, & Inventionis Tabulas perlegerit, aliquid in ipsis Experimentis minus certum, vel omnino falsum; atque propterea secum fortasse reputabit, fundamentis & Principiis falsis, & dubiis, Inventa nostra niti. Verum hoc nihil est; necesse enim est, talia sub initiis evenire. Simile enim est, ac si inscriptione aut impressione, una forte litera, aut altera, perperam posita aut collocata sit; id enim legentem non multum impedire solet, quandoquidem errata ab ipso sensu facile corriguntur. Ita etiam cogitent homines, multa in Historia Naturali Experimenta falso credi & recipi posse; quæ paulo post à Causis & Axiomatibus inventis facile expunguntur, & rejiciuntur. Sed tamen verum est, si in Historia Naturali, & Experimentis, magna, & crebra, & continua fuerint errata, illa nulla ingenii aut Artis felicitate corrigi aut emendari posse, itaque si in Historia nostra Naturali, quæ tanta diligentia, & severitate, & fere religione probata & collecta est, aliquid in particularibus quandoq; subsit falsitatis, aut erroris; quid tandem de Naturali Historia vulgari, quæ præ nostra tam negligens est, & facilis, dicendum erit? aut de Philosophia & Scientiis super hujusmodi arenas (vel Syrtes potius) ædificatis? Itaque hoc quod diximus, neminem moveat.

CXIX.

Occurrent etiã in Historia nostra & Experimentis plurimæ res: primo leves & vulgatæ, deinde viles & illiberales, postremo nimis subtiles ac mere speculativæ, & quasi nullius usus: Quod genus rerum, hominũ studia avertere & alienare possit.

Atque de istis rebus, quæ videntur vulgatæ, illud homines cogitent: solere sane eos adhuc nihil aliud agere, quam ut eorũ, quæ rara sunt, causas ad ea, quæ frequenter fiunt, referant & accommodent: at ipso-

at ipsorum, quæ frequenter eveniunt, nullas causas inquirant, sed ea ipsa recipiant tanquam concessa & admissa.

Itaque non Ponderis, non Rotationis Cœlestium, non Caloris, non Frigoris, non Luminis, non Duri, non Mollis, non Tenuis, non Densi, non Liquidi, non Consistentis, non Animati, non Inanimati, non Similaris, non Dissimilaris, nec demum Organici causas quærunt; sed illis tanquam pro evidentibus & manifestis receptis, de cæteris rebus, quæ non tam frequenter & familiariter occurrunt, disputant & judicant.

Nos vero, qui satis scimus, nullum de rebus raris aut notabilibus judicium fieri posse, multo minus res novas in lucem protrahi, absque vulgarium rerum causis & causarum causis rite examinatis & repertis; necessario ad res vulgarissimas in Historiam nostram recipiendas compellimur. Quin etiam nil magis Philosophiæ offecisse deprehendimus, quam quod res, quæ familiares sunt & frequenter occurrunt, contemplationem hominum non morentur & detineant, sed recipiantur obiter, neque earum causæ quæri soleant: ut non sæpius requiratur Informatio de rebus ignotis, quam Attentio in notis.

CXX.

Quod vero ad rerum Vilitatem attinet, vel etiam Turpitudinem, quibus (ut ait *Plinius*) honos præfandus est; eæ res, non minus quam latissimæ & pretiosissimæ, in Historiam Naturalem recipiendæ sunt. Neque propterea polluitur Naturalis Historia: Sol enim æque palatia & cloacas ingreditur, neq; tamen polluitur. Nos autem non Capitolium aliquod aut Pyramidem hominum superbiæ dedicamus aut condimus, sed Templum sanctum ad exemplar Mundi in intellectu humano fundamus. Itaque exemplar sequimur. Nam quicquid Essentia dignum est, id etiam Scientia dignũ; quæ est essentiæ imago. At vilia æque subsistunt, ac lauta. Quin etiam, ut è quibusdam putridis materiis, veluti Musco & Zibetho, aliquando optimi odores generantur; ita & ab instantiis vilibus & sordidis, quandoque eximia lux & informatio emanat. Verum de hoc nimis multa; cum hoc genus fastidii sit plane puerile & effœminatum.

CXXI.

At de illo omnino magis accurate dispiciendum: Quod plurima in Historia nostra captui vulgari, aut etiam cuivis intellectui, (rebus præsentibus assuefacto) videbuntur curiosæ cujusdam & inutilis subtilitatis. Itaque de hoc ante omnia & dictum & dicendum est. Hoc scilicet; Nos jam sub initiis & ad tempus, tantum *lucifera* Experimenta, non *fructifera* quærere; ad exemplum Creationis divinæ, quod sæpius diximus, quæ primo die lucem tantum produxit, eique soli unum integrum diem attribuit, neque illo die quicquam materiati operis immiscuit.

Itaq; si quis istiusmodi res nullius esse usus putet, item cogitet ac si nullum etiam Lucis esse usum censeat, quia res scilicet solida aut materiata non sit. Atque revera dicendum est, Simplicium Naturarum cognitionem benè examinatam & definitam instar Lucis esse; quæ ad universa Operum penetralia aditum præbet; atque tota agmina Operum & turmas, & Axiomatum nobilissimorum fontes potestate quadam complectitur & post se trahit; in se tamen non ita magni usus est. Quin & Literarum elementa per se & separatim nihil significant, nec alicujus usus sunt, sed tamen ad omnis sermonis compositionem & apparatum instar Materiæ primæ sunt. Etiam semina rerum potestate valida, usu (nisi in processu suo) nihili sunt. Atque lucis ipsius radii dispersi, nisi coëant, beneficium suum non impertiuntur.

Quod si quis Subtilitatibus speculativis offendatur; quid de Scholasticis viris dicendum erit, qui subtilitatibus immensum indulserunt? Quæ tamen Subtilitates in verbis, aut saltem vulgaribus notionibus, (quod tantundem valet) non in rebus aut Natura consumptæ fuerunt; atque utilitatis expertes erant, non tantum in Origine, sed etiam in Consequentiis: Tales autem non fuerunt, ut haberent in præsens utilitatem nullam, sed per consequens infinitam; quales sunt eæ de quibus loquimur. Hoc vero sciant homines pro certo, omnem Subtilitatem disputationum & discursuum Mentis, si adhibeatur tantum post Axiomata inventa, seram esse & præposteram: & Subtilitatis tempus verum ac proprium, aut saltem præcipuum, versari in pensitanda Experientia, & inde constituendis Axiomatibus: Nam illa altera Subtilitas Naturam prensat & captat, sed nunquam apprehendit aut capit. Et verissimum certe est, quod de Occasione sive Fortuna dici solet, si transferatur ad Naturam videlicet, *eam à fronte comatam, ab occipitio calvam esse.*

Deniq; de contemptu in Naturali Historia rerum aut Vulgarium, aut Vilium, aut nimis Subtilium, & in originibus suis inutilium, illa vox Mulierculæ ad tumidum Principem, qui petitionem ejus, ut rem indignam, & Majestate sua inferiorem, abjecisset, pro oraculo sit; *Desine ergo Rex esse*: Quia certissimum est, imperium in Naturam, si quis hujusmodi rebus ut nimis exilibus & minutis vacare nolit, nec obtineri nec geri posse.

CXXII.

Occurrit etiam & illud; mirabile quiddam esse & durum, quod non omnes Scientias atque omnes Authores simul ac veluti uno ictu & impetu summoveamus: idque non assumpto aliquo ex Antiquis in auxilium & præsidium nostrum, sed quasi viribus propriis.

Nos autem scimus, si minus sincera fide agere voluissemus, non difficile fuisse nobis, ista, quæ afferuntur, vel ad antiqua sæcula ante Græcorum tempora, (cum scientiæ de Natura magis fortasse, sed tamen majore cum silentio floruerint; neq; in Græcorum tubas & fistulas adhuc incidissent) vel etiam (per partes certe) ad aliquos ex Græcis ipsis referre, atq; astipulationem & honorem inde petere: more novorum hominum, qui nobilitatem sibi ex antiqua aliqua prosapia, per genealogiarum favores, astruunt & affingunt. Nos vero rerum evidentia freti omnem commenti & imposturæ conditionem rejicimus, neque ad id quod agitur plus interesse putamus, utrùm, quæ jam invenientur, Antiquis olim cognita, & per rerum vicissitudines & sæcula occidentia & orientia sint; quam, hominibus curæ esse debere, utrum Novus Orbis fuerit Insula illa Atlantis, & veteri Mundo cognita; an nunc primum reperta. Rerum enim inventio à Naturæ luce petenda, non ab Antiquitatis tenebris repetenda est.

Quod

Quod vero ad universalem istam reprehensionem attinet, certissimum est vere rem reputanti, eam & magis probabilem esse, & magis modestam, quam si facta fuisset ex parte. Si enim in primis Notionibus errores radicati non fuissent, fieri non potuisset, quin nonnulla recte inventa, alia perperam inventa correxissent. Sed cum errores fundamentales fuerint, atque ejusmodi, ut homines potius res neglexerint ac præterierint, quam de illis pravum aut falsum judicium fecerint; minime mirum est, si homines id obtinuerint, quod non egerint; nec ad metam pervenerint, quam non posuerint aut collocarint; neque viam emensi sint, quam non ingressi sint aut tenuerint.

Atque insolentiam rei quod attinet; Certe si quis manus constantia atque oculi vigore lineam magis rectam, aut circulum magis perfectum se describere posse, quam alium quempiam, sibi assumat; inducitur scilicet facultatis comparatio: Quod si quis asserat, se adhibita regula aut circumducto circino, lineam magis rectam, aut circulum magis perfectum posse describere, quam aliquem alium vi sola oculi & manus; is certe non admodum jactator fuerit. Quin hoc, quod dicimus, non solum in hoc nostro conatu primo & inceptivo locum habet, sed etiam pertinet ad eos qui huic rei posthac incumbent. Nostra enim via Inveniendi Scientias, exæquat fere ingenia, & non multum excellentiæ, eorum reliquit: cum omnia per certissimas Regulas & Demonstrationes transigat. Itaq; hæc nostra (ut sæpe diximus) Felicitatis cujusdam sunt potius quam Facultatis, & potius Temporis partus quam Ingenii. Est enim certe Casus aliquis non minus in Cogitationibus humanis, quam in Operibus & factis.

CXXIII.

ITaq; dicendum de nobis ipsis quod ille per jocum dixit, præsertim cum tam bene rem secet: *Fieri non potest ut idem sentiant, qui aquam, & qui vinum bibant.* At cæteri homines, tam Veteres, quam Novi, liquorem biberunt crudum in Scientiis, tanquam aquam, vel sponte ex Intellectu manantem, vel per Dialecticam, tanquam per rotas ex puteo haustam. At nos liquorem bibimus & propinamus ex infinitis confectam uvis, iisq; maturis & tempestivis, & per racemos quosdam collectis ac decerptis; subinde in torculari pressis, ac postremo in vase repurgatis & clarificatis. Itaque nil mirum, si nobis cum aliis non conveniat.

CXXIV.

OCcurret proculdubio & illud: nec metam aut Scopum Scientiarum à nobis ipsis (id quod in aliis reprehendimus) verum & optimum præfixum esse. Esse enim Contemplationem veritatis, omni Operū utilitate & magnitudine dignior, & celsiorem: longam vero istam & sollicitam moram in Experientia & Materia, & rerum Particularium fluctibus, Mentem veluti homo affigere, vel potius in Tartarum quoddam confusionis & pertubationis dejicere; atq; ab Abstractæ Sapientiæ serenitate & tranquillitate (tanquam à statu multo diviniore) arcere & summovere. Nos vero huic rationi libenter assentimur; & hoc ipsum, quod innuunt ac præoptant, præcipue atque ante omnia agimus. Etenim verum exemplar Mundi in Intellectu humano fundamus; quale invenitur, non quale cuipiam sua propria ratio dictaverit. Hoc autem perfici non potest, nisi facta Mundi dissectione atq; Anatomia diligentissima. Modulos vero ineptos Mundorum & tanquam simiolas, quas in Philosophiis phantasiæ hominum extruxerunt, omnino dissipandas edicimus. Sciant itaq; homines, (id quod superius diximus) quantum interfit inter humanæ Mentis *Idola* & divinæ Mentis Ideas. Illa enim nihil aliud sunt, quam Abstractiones ad placitum: Hæ autem sunt vera signacula Creatoris super creaturas, prout in Materiâ per lineas veras & exquisitas imprimuntur & terminantur. Itaq; ipsissimæ Res sunt (in hoc genere) Veritas & Vtilitas: atq; Opera ipsa pluris facienda sunt, quatenus sunt veritatis pignora, quam propter vitæ commoda.

CXXV.

OCcurret fortasse & illud, nos tanquam actum agere; atque Antiquos ipsos eandem, quam nos, viam tenuisse. Itaque verisimile putabit quispiam, etiam nos, post tantum motum & molitionem, deventuros tandem ad aliquam ex illis Philosophiis quæ apud Antiquos valuerunt. Nam & illos in Meditationum suarum Principiis vim & copiam magnam Exemplorum & Particularum paravisse; atq; in Commentarios, per locos & titulos, digessisse; atque inde Philosophias suas & Artes confecisse, & postea, re comperta, pronuntiasse; & Exempla ad fidem & docendi lumen sparsim addidisse; sed Particularium notas, & codicillos, ac commentarios suos, in lucem edere, supervacuum & molestum putasse, ideoq; fecisse, quod in ædificando fieri solet; nempe post ædificii structuram, machinas & scalas à conspectu amovisse. Neque aliter factum esse, credere certe oportet. Verum nisi quis omnino oblitus fuerit eorum quæ superius dicta sunt, huic objectioni (aut scrupulo potius) facile respondebit. Formam enim inquirendi & inveniendi apud Antiquos & ipsi profitemur, & scripta eorum præ se ferunt. Ea autem non alia fuit, quam ut ab Exemplis quibusdam & Particularibus (additis Notionibus communibus, & fortasse portione nonnulla ex opinionibus receptis, quæ maxime placuerunt) ad Conclusiones maxime generales sive Principia Scientiarum advolarent; ad quorum veritatem immotam & fixam, Conclusiones inferiores per Media educerent ac probarent, ex quibus Artem constituebant. Tum demum si nova Particularia & Exempla mota essent & adducta, quæ placitis suis refragarentur; illa aut per distinctiones, aut per regularū suarum explanationes, in ordinem subtiliter redigebant; aut demum per exceptiones grosso modo summovebant: At rerum Particularium non refragantiū causas, ad illa Principia sua laboriose & pertinaciter accommodabant. Verum nec Historia Naturalis & Experientia illa erat, quam fuisse oportebat; (longe certe abest) & ista advolatio ad Generalissima, omnia perdidit.

CXXVI.

OCcurret & illud; nos, propter inhibitionem quandam pronūtiandi, & principia certa ponendi, donec per medios gradus ad Generalissima rite perventum sit; Suspensionem quandam judicii tueri, atq; ad *Acatalepsiam* rem deducere. Nos vero non *Acatalepsiam*, sed *Eucatalepsiam* meditamur & proponimus: Sensui enim non derogamus,

sed

ſed miniſtramus; & Intellectum non contemnimus, ſed regimus. Atque melius eſt ſcire quantum opus ſit, & tamen nos non penitus ſcire putare, quam penitus ſcire nos putare, & tamen nil eorum, quæ opus eſt, ſcire.

CXXVII.

ETiam dubitabit quiſpiam potius quam objiciet; utrum nos de Naturali tantum Philoſophia, an etiam de Scientiis reliquis, Logicis, Ethicis, Politicis, ſecundum viam noſtram perficiendis loquamur. At nos certe de univerſis hæc, quæ dicta ſunt, intelligimus: Atq; quemadmodũ vulgaris Logica, quæ regit res per Syllogiſmum, non tantum ad Naturales, ſed ad omnes Scientias pertinet; Ita & noſtra, quæ procedit per *Inductionem*, omnia complectitur. Tam enim Hiſtoriam & Tabulas inveniendi conficimus de Ira, Metu, & Verecundia, & ſimilibus; ac etiam de exemplis rerum Civilium: nec minus de motibus mentalibus Memoriæ, Compoſitionis & Diviſionis, Judicii, & reliquorum; quam de Calido & Frigido, aut Luce, aut Vegetatione, aut ſimilibus. Sed tamen cum noſtra ratio *Interpretandi*, poſt Hiſtoriam præparatam & ordinatam, non Mentis tantum motus & diſcurſus, (ut Logica vulgaris) ſed & rerum naturam intueatur; ita Mentem regimus, ut ad Rerum naturam ſe, aptis per omnia modis, applicare poſſit. Atque propterea multa & diverſa in Doctrina *Interpretationis* præcipimus, quæ ad Subjecti, de quo inquirimus, qualitatem & conditionem, modum Inveniendi nonnulla ex parte applicent.

CXXVIII.

AT illud de nobis ne dubitare quidem fas ſit: utrum nos Philoſophiam & Artes & Scientias, quibus utimur, deſtruere & demoliri cupiamus: Contra enim, earum & uſum & cultum & honores libenter amplectimur. Neq; enim ullo modo officimus, quin iſtæ, quæ invaluerunt, & Diſputationes alant, & Sermones ornent, & ad Profeſſoria munera ac vitæ Civilis compendia adhibeantur & valeant; denique tanquam numiſmata quædam, conſenſu inter homines recipiantur. Quin etiam ſignificamus aperte, ea, quæ nos adducemus, ad iſtas res non multum idonea futura; cum ad vulgi capitum deduci omnino non poſſint, niſi per Effecta & Opera tantum. At hoc ipſum, quod de affectu noſtro & bona voluntate erga Scientias receptas dicimus, quam vere profiteamur, Scripta noſtra in publicum edita (præſertim libri *de Progreſſu Scientiarum*) fidem faciant. Itaq; id verbis amplius vincere non conabimur. Illud interim conſtanter & diſerte monemus, his modis, qui in uſu ſunt, nec magnos in Scientiarum doctrinis & contemplatione progreſſus fieri, nec illas ad amplitudinem Operum deduci poſſe.

CXXIX.

SUpereſt ut de Finis excellentia pauca dicamus. Ea ſi prius dicta fuiſſent, votis ſimilia videri potuiſſent: ſed ſpe jam facta, & iniquis præ judiciis ſublatis, plus fortaſſe ponderis habebunt. Quod ſi nos omnia perfeciſſemus & plane abſolviſſemus, nec alios in partem & conſortium laborum ſubinde vocaremus; etiam ab hujusmodi verbis abſtinuiſſemus, ne acciperentur in prædicationem meriti noſtri. Cũ vero aliorum induſtria acuenda ſit, & animi excitandi atq; accendendi; conſentaneũ eſt, ut quædam hominibus in mentem redigamus.

Primo itaq; videtur Inventorum nobilium introductio, inter Actiones humanas longe primas partes tenere: id quod antiqua ſæcula judicaverũt. Ea enim rerum Inventoribus divinos honores tribuerunt: iis autem, qui in Rebus Civilibus merebantur, (quales erant orbium & imperiorum Cõditores, Legislatores, Patriarum à diuturnis malis Liberatores, Tyrannidum Debellatores, & his ſimiles) Heroum tantum honores decreverunt. Atq; certe ſi quis ea recte conferat, juſtum hoc priſci ſæculi judicium reperiet. Etenim Inventorum beneficia ad univerſum genus humanum pertinere poſſunt; Civilia ad Certas tantummodo hominũ ſedes: hæc etiam non ultra paucas ætates durant; illa, quaſi perpetuis temporibus. Atq; Status emendatio in Civilibus nõ ſine vi & perturbatione plerumq; procedit: at Inventa beant, & beneficium deferunt abſq; alicujus injuria aut triſtitia.

Etiam Inventa quaſi novæ Creationes ſunt, & divinorum Operum Imitamenta, ut bene cecinit ille:

Primum frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dediderant quondam præſtanti nomine Athenæ:
Et RECREAVERUNT vitam legesque rogarunt.

Atq; videtur notatu dignum in *Salomone*; quod cum Imperio, Auro, magnificentia Operum, Satellitio, Famulitio, Claſſe inſuper, & Nominis claritate, ac ſumma hominum admiratione floreret, tamen nihil horum delegerit ſibi ad gloriam, ſed ita pronuntiaverit: *Gloriam Dei eſte, celare rem; gloriam Regũ, inveſtigare rem.*

Rurſus (ſi placet) reputet quiſpiam, quantum interſit inter hominũ vitam in excultiſſima quapiam Europæ Provincia, & in Regione aliqua Novæ Indiæ maxime fera & barbara: Eas tantum differre exiſtimabit, ut merito *Hominem homini Deum eſſe*, non ſolum propter auxilium & beneficium, ſed etiam per ſtatus comparationem, recte dici poſſit. Atque hoc, non Solum, non Cœlum, non Corpora, ſed Artes præſtant.

Rurſus, vim & virtutem & conſequentias Rerum inventarum notare juvat: quæ non in aliis manifeſtius occurrunt, quam in illis tribus, quæ Antiquis incognitæ, & quatum primordia, licet recentia, obſcura & ingloria ſunt: *Artis* nimirum *Imprimendi*, *Pulveris Tormentarii*, & *Acus Nautice*. Hæc enim tria, rerum faciem & ſtatum in Orbe terrarum mutaverunt: primum in Re Literaria; ſecundum, in Re Bellica: tertium, in Navigationibus: Unde innumeræ rerum mutationes ſequutæ ſunt, ut non Imperium aliquod, non Secta, non Stella majorem efficaciam & quaſi influxum ſuper res humanas exercuiſſe videatur, quam iſta Mechanica exercuerunt.

Præterea non abs re fuerit, tria hominum Ambitionis genera, & quaſi gradus diſtinguere. Primum eorũ, qui propriam potentiam in Patria ſua amplificare cupiunt; quod genus vulgare eſt & degener. Secundum eorum, qui Patriæ potentiam & imperium inter humanum genus amplificare nitũtur: Illud plus certe habet dignitatis, cupiditatis haud minus. Quod ſi quis humani generis ipſius potentiam & imperium in rerum Univerſitatem inſtaurare & amplificare conetur; ea procul dubio Ambitio (ſi modo ita vocanda ſit) reliquis & ſanior eſt & auguſtior. Hominis autem imperium in Res, in ſolis

in solis Artibus & Scientiis ponitur. Naturæ enim non imperatur, nisi parendo.

Præterea, si unius alicujus particularis Inventi utilitas ita homines affecerit, ut eum, qui genus humanum Universum beneficio aliquo devincire potuerit, Homine majorem putaverint; quanto celsius videbitur, tale aliquid invenire, per quod alia omnia expedite inveniri possint? Et tamen (ut verum omnino dicamus) quemadmodum luci magnam habemus gratiam, quod per eam vias inire, Artes exercere, legere, nos invicem dignoscere possimus, & nihilominus ipsa visio lucis res præstantior est & pulchrior, quam multiplex ejus usus. Ita certe ipsa Contemplatio Rerum, prout sunt, sine Superstitione aut Impostura, Errore aut Confusione, in se ipsa magis digna est, quam Universus Inventorum fructus.

Postremo, si quis depravationem Scientiarum & Artium ad malitiam & luxuriam & similia, objecerit; id neminem moveat. Illud enim de omnibus mundanis Bonis dici potest, Ingenio, Fortitudine, Viribus, Forma, Divitiis, Luce ipsa, & reliquis. Recuperet modo genus humanum jus suum in Naturam, quod ei ex dotatione divina competit; & detur ei copia: usum vero recta Ratio, & sana Religio gubernabit.

CXXX.

JAm vero tempus est ut Artem ipsam *Interpretandi* Naturam proponamus: in qua licet nos utilissima & verissima præcepisse arbitremur, tamen necessitatem ei absolutam (ac si absq; ea nil agi possit) aut etiam perfectionem non attribuimus. Etenim in ea opinione sumus; si justam Naturæ & Experientiæ Historiam præsto haberent homines atque in ea sedulo versarentur; sibiq; duas res imperare possent; unam, ut receptas opiniones deponerent; alteram, ut Mentem à generalissimis & proximis ab illis, ad tempus cohiberent; fore ut etiam vi propria & genuina Mentis, absque alia Arte, in formam nostram *Interpretandi* incidere possent. Est enim *Interpretatio* verum & naturale opus Mentis, demptis iis quæ obstant: Sed tamen omnia certe per nostra Præcepta erunt magis in cinctu, & multo firmiora. Neq; tamen illis nihil addi posse affirmamus: sed contra, nos, qui Mentem respicimus, non tantum in facultate propria, sed quatenus copulatur cum Rebus; Artem Inveniendi cum Inventis adolescere posse, statuere debemus.

LIBER SECUNDUS APHORISMORUM,

de Interpretatione

NATURÆ

sive

de Regno

HOMINIS.

APHORISMUS

I.

SUPER datum Corpus novam Naturam, sive novas Naturas generare & superinducere, Opus & Intentio est humanæ Potentiæ. Datæ autem Naturæ Formam, sive Differentiam veram; sive Naturam naturantem, sive Fontem emanationis (ista enim vocabula habemus, quæ ad indicationem rei proxime accedunt) invenire; Opus & Inventio humanæ Scientiæ. Atque his operibus primariis, subordinantur alia Opera duo secundaria, & inferioris notæ; Priori, transformatio Corporum concretorum de alio in aliud, intra terminos *possibilis*; Posteriori, inventio, in omni generatione & Motu, *latentis processus* continuati ab Efficiente manifesto, & Materia manifesta, usque ad Formam inditam; & inventio similiter *latentis Schematismi* Corporum quiescentium, & non in Motu.

II.

QUam infeliciter se habeat Scientia humana quæ in usu est, etiam ex illis liquet quæ vulgo asseruntur. Recte ponitur; *Vere scire, esse per Causas scire.* Etiam non male constituuntur Causæ quatuor; Materia, Forma, Efficiens, & Finis. At ex his Causa Finalis tantum abest ut prosit, ut etiam Scientias corrumpat, nisi in Hominis actionibus. Formæ inventio habetur pro desperata. Efficiens vero & Materia (quales quæruntur & recipiuntur, remotæ scilicet, absque *latenti processu* ad formam) res perfunctoriæ sunt, & superficiales, & nihili fere ad Scientiam veram & activam. Neque tamen obliti sumus, superius notasse & correxisse errorem Mentis humanæ, in deferendo Formis primas Essentiæ. Licet enim in Natura nihil vere existat præter Corpora individua, edentia actus puros individuos ex lege; in doctrinis tamen, illa ipsa lex, ejusq; inquisitio, & inventio atque explicatio, pro fundamento est tam ad sciendum, quam ad operandum. Eam autem *legem*, ejusque *Paragraphos*, Formarum nomine intelligimus; præsertim cum hoc vocabulũ invaluerit, & familiariter occurrat.

III.

QUi Causam alicujus Naturæ (veluti Albedinis, aut Caloris) in certis tantum subjectis novit; ejus Scientia imperfecta est; & qui Effectum super certas tantum Materias (inter eas quæ sunt susceptibiles) inducere potest; ejus Potentia pariter imperfecta est. At qui Efficientem & Materialem Causam tantummodo novit, (quæ Causæ fluxæ sunt, & nihil aliud quam vehicula, & Causæ, Formam deferentes in aliquibus) is ad nova Inventa, in Materia aliquatenus simili, & præparata, pervenire potest; sed rerum Terminos altius fixos non movet. At qui Formas novit, is Naturæ unitatem in Materiis dissimillimis complectitur. Itaque quæ adhuc facta non sunt, qualia nec Naturæ vicissitudines, neq. Experimentales industriæ, neq; Casus ipse, in Actum unquam perduxissent, neq; cogitationem humanã subitura fuissent; detegere & producere potest. Quare ex Formarum Inventione, sequitur Contemplatio vera, & Operatio libera.

IV.

LIcet viæ ad Potentiam, atque ad Scientiam humanam, conjunctissimæ sint, & fere eædem; tamen propter perniciosam & inveteratã consuetudinem

dinem versandi in abstractis, tutius omnino est, ordiri & excitare Scientias ab iis fundamentis, quæ in ordine sunt ad partem Activam, atque ut illa ipsa partem Contemplativam signet & determinet. Videndum itaq; est, ad aliquam Naturam super Corpus datum generandam & superinducedam, quale quis præceptum, aut qualem quis directionem, aut deductionem maxime optaret: idque sermone simplici, & minime abstruso.

Exempli gratia; si quis argento cupiat superinducere flavum colorem auri, aut augmentum ponderis, (servatis legibus materiæ) aut lapidi alicui non diaphano diaphaneitatem, aut vitro tenacitatem, aut corpori alicui non vegetabili vegetationem; Videndum (inquam) est, quale quis præceptum, aut deductionem potissimum sibi dari exoptet. Atq; primo, exoptabit aliquis proculdubio, sibi monstrari aliquid hujusmodi, quod opere non frustret, neque experimento fallat. Secundo, exoptabit quis aliquid sibi præscribi, quod ipsum non astringat & coërceat ad Media quædam, & Modos quosdam operandi particulares. Fortasse enim destituetur, nec habebit faultatem, & commoditatem, talia media comparandi & procurandi. Quod si sint & alia Media, & alii Modi (præter illud præceptum) progignendæ talis Naturæ; ea fortasse ex iis erunt, quæ sunt in operantis potestate; à quibus nihilominus per angustias præcepti excludetur, nec fructum capiet. Tertio, optabit aliquid sibi monstrari, quod non sit æque difficile, ac illa ipsa operatio de qua inquiritur, sed propius accedat ad praxin.

Itaque de præcepto vero & perfecto operandi, pronuntiatum erit tale; *ut sit certum, liberum, & disponens, sive in ordine ad actionem.* Atque hoc ipsum idem est cum Inventione Formæ veræ. Etenim Forma Naturæ alicujus talis est, ut ea posita Natura data infallibiliter sequatur. Itaq; adest perpetuo, quando Natura illa adest, atque eam universaliter affirmat, atque inest omni. Eadem Forma talis est, ut ea amota, Natura data infallibiliter fugiat. Itaque abest perpetuo, quando Natura illa abest, eamque perpetuo abnegat, atq; inest soli. Prostremo, Forma vera talis est, ut Naturam datam ex fonte aliquo Essentiæ deducat, quæ inest pluribus, & notior est Naturæ (ut loquuntur) quam ipsa Forma. Itaque de Axiomate vero & perfecto sciendi, pronuntiatum & præceptum tale est; *ut inveniatur Natura alia, quæ sit cum Natura data convertibilis, & tamen sit limitatio Naturæ notioris, instar generis veri.* Ista autem duo pronuntiata, Activum & Contemplativum, res eadem sunt; & quod in operando utilissimum, id in sciendo verissimum.

V.

AT Præceptum sive Axioma de transformatione Corporum, duplicis est generis. Primum intuetur Corpus, ut turmam sive conjugationem Naturarum simplicium: ut in Auro hæc conveniunt; quod sit flavum; quod sit ponderosum; ad pondus tale; quod sit malleabile, aut ductile; ad extensionem talem; quod non fiat volatile, deperdat de quanto suo per ignem; quod fluat fluore tali; quod separetur & solvatur modis talibus; & similiter de cæteris Naturis, quæ in Auro concurrunt. Itaq; hujusmodi Axioma rem deducit ex Formis Naturarum simplicium. Nam qui Formas & Modos novit, superinducendi flavi, ponderis, ductilis, fixi, fluoris, solutionum, & sic de reliquis, & eorum graduationes & modos; videbit & curabit, ut ista conjungi possint in aliquo corpore, unde sequatur transformatio in aurum. Atq; hoc genus operandi pertinet ad Actionem primariam. Eadem enim est ratio generandi Naturam aliquam simplicem, & plures; nisi quod arctetur magis & restringatur homo in operando, si plures requirantur, propter difficultatem tot Naturas coadunandi; quæ non facile conveniunt, nisi per vias Naturæ tritas & ordinarias. Utcunque tamen dicendum est, quod iste Modus operandi (qui Naturas intuetur simplices, licet in corpore concreto) procedat ex iis, quæ in Natura sunt constantia, & æterna, & Catholica, & latas præbeat potentiæ humanæ vias, quales (ut nunc sunt res) Cogitatio humana vix capere aut repræsentare possit.

At secundum genus Axiomatis, (quod à *latentis processus* inventione pendet) non per Naturas simplices procedit, sed per concreta corpora, quemadmodum in Natura inveniuntur, cursu ordinario. Exempli gratia; In casu ubi fit Inquisitio, ex quibus initiis, & quo modo, & quo processu, Aurum, aut aliud quodvis metallum aut lapis generetur, à primis menstruis, aut rudimentis suis, usque ad Mineram perfectam: Aut similiter, quo processu herbæ generentur à primis concretionibus succorum in terra, aut à seminibus, usque ad plantam formatam, cum universa illa successione Motus, & diversis & continuatis Naturæ nixibus; Similiter, de generatione ordinatim explicata Animaliũ, ab Initu ad partum; Et similiter de corporibus aliis.

Enimvero neque ad generationes Corporum tantum spectat hæc Inquisitio, sed etiam ad alios motus & opificia Naturæ. Exempli gratia; In casu ubi fit Inquisitio de universa serie, & continuatis actionibus alimentandi, à prima exceptione alimenti, ad assimilationem perfectam; aut similiter de Motu voluntario in animalibus, à prima impressione imaginationis, & continuatis nixibus spiritus, usq; ad flexiones & motus artuum; aut de explicato motu linguæ, & labiorum, & instrumentorum reliquorum, usque ad editionem vocum articulatarum. Nam hæc quoq; spectant ad Naturas concretas, sive Collegiatas, & in fabrica; & intuentur veluti consuetudines Naturæ particulares, & speciales, non leges fundamentales & communes, quæ constituunt formas. Veruntamen omnino fatendum est, rationem istam videri expeditiorem, & magis sitam in propinquo, & spem injicere magis, quam illam primariam.

At pars Operativa similiter, quæ huic parti Contemplativæ respondet, operationem extendit & promovet, ab iis quæ ordinario in Natura inveniuntur, ad quædam proxima, aut à proximis non admodum remota; Sed altiores & radicales operationes super Naturam, pendent utiq; ab Axiomatibus primariis. Quinetiam ubi non datur homini facultas operandi, sed tantum sciendi, ut in Cœlestibus, (neque enim conceditur homini operari in Cœlestia aut ea immutare aut transformare) tamẽ Inquisitio facti ipsius, sive veritatis rei, non minus quam cognitio Causarum & consensuum, ad primaria illa & Catholica Axiomata de Naturis simplicibus (veluti de Natura Rotationis spontaneæ, Attractionis sive virtutis Magneticæ, & aliorum complu-

complurium, quæ magis communia sunt, quam ipsa Cœlestia) refertur. Neque enim speret aliquis terminare quæstionem, utrum in Motu diurno revera Terra aut Cœlum rotet; nisi Naturam Rotationis spontaneæ prius comprehenderit.

VI.

LAtens autem *Processus*, de quo loquimur, longe alia res est, quam animis hominum (qualiter nunc obsidentur) facile possit occurrere. Neq; enim intelligimus mensuras quasdam, aut signa, aut scalas processus, in corporibus spectabiles; sed plane processum continuatum, qui maxima ex parte sensum fugit.

Exempla gratia; In omni generatione & transformatione Corporum, inquirendum, quid deperdatur & evolet, quid maneat, quid accedat; quid dilatetur, quid contrahatur; quid uniatur, quid separetur; quid continuetur, quid abscindatur; quid impellat, quid impediat; quid dominetur, quid succumbat; & alia complura.

Neq; hic rursus hæc tantum in generatione aut transformatione Corporum quærenda sunt; sed & in omnibus aliis alterationibus, & Motibus, similiter inquirendum, quid antecedat, quid succedat; quid sit incitatius, quid remissius; quid Motum præbeat, quid regat; & hujusmodi. Ista vero omnia Scientiis (quæ nunc pinguissima Minerva, & prorsus inhabili, contexuntur) incognita sunt & intacta. Cum enim omnis Actio naturalis per minima transigatur, aut saltem per illa quæ sunt minora, quam ut sensum feriant; nemo se Naturam regere aut vertere posse speret, nisi illa debito modo comprehenderit, & notaverit.

VII.

SImiliter, Inquisitio & Inventio *latentis Schematismi* in corporibus, res nova est; non minus, quam Inventio *latentis processus* & Formæ. Versamur enim plane adhuc in atriis Naturæ, neque ad interiora paramus aditum. At nemo corpus datum nova Natura dotare, vel in novum corpus feliciter & apposite transmutare potest, nisi Corporis alterandi aut transformandi bonam habuerit notitiam. In modos enim vanos incurret, aut saltem difficiles, & perversos, nec pro corporis natura, in quod operatur. Itaque ad hoc etiam via plane est aperienda & munienda.

Atque in Anatomia Corporum Organicorum (qualia sunt hominis, & animalium) opera sane recte & utiliter insumitur, & videtur res subtilis, & scrutinium Naturæ bonum. At hoc genus Anatomiæ spectabile est, & sensui subjectum, & in corporibus tantum organicis locum habet. Verum hoc ipsum obvium quiddam est, & in promptu situm, præ Anatomia vera *Schematismi latentis* in corporibus quæ habentur pro similaribus; præsertim in rebus specificatis, & earum partibus, ut ferri, lapidis; & partibus similaribus, plantæ, animalis; veluti radicis, folii, floris, carnis, sanguinis, ossis, &c. At etiam in hoc genere non prorsus cessavit industria humana; hoc ipsum enim innuit separatio corporum similarium per destillationes, & alios solutionū modos, ut dissimilaritas compositi per congregationem partium homogenearum appareat. Quod etiā ex usu est, & facit ad id quod quærimus; licet sæpius res fallax sit; quia complures Naturæ separationi imputantur & attribuuntur, ac si prius substitissent in composito; quas revera ignis & calor, & alii modi apertionum de novo indunt, & superinducunt. Sed & hæc quoq parva pars est operis, ad inveniendum *Schematismum* verum incompositio; qui *Schematismus* res est longe subtilior, & accuratior, & ab operibus ignis potius confunditur, quam eruitur & elucescit.

Itaq; facienda est corporum separatio & solutio; non per ignem certe, sed per rationem & *Inductionem* veram, cum Experimentis auxiliatibus; & per comparationem ad alia corpora, & reductionem ad Naturas simplices, & earum formas, quæ in composito conveniunt & complicantur; & transeundum plane à *Vulcano* ad *Minervam*, si in animo sit veras corporum texturas & *Schematismos* (unde omnis occulta atque (ut vocant) specifica proprietas & virtus in rebus pendet, unde etiam omnis potentis alterationis & transformationis norma educitur) in lucem protrahere.

Exempli gratia; inquirendum, quid sit in omni corpore spiritus, quid essentia tangibilis; atque ille ipse Spiritus, utrum sit copiosus & turgeat, an jejunus & paucus; tenuis, aut crassior; magis aëreus, aut igneus; acris, aut deses; exilis aut robustus; in progressu, aut in regressu; abscissus, aut continuatus; consentiens cum externis & ambientibus, aut dissentiens; &c. Et similiter, Essentia tangibilis (quæ non pauciores recipit differentias, quam spiritus) atque ejus villi, & fibræ, & omnimoda textura. Rursus autem collocatio Spiritus per corpoream molem, ejusque pori, meatus, venæ & cellulæ, & rudimenta, sive tentamenta Corporis organici, sub eandem Inquisitionem cadunt. Sed & in his quoq;, atq; adeo in omni *latentis Schematismi* Inventione, lux vera & clara ab Axiomatibus primariis immittitur, quæ certe caliginem omnem, & subtilitatem discutit.

VIII.

NEque propterea res deducetur ad Atomum, quæ præsupponit Vacuum, & Materiam non fluxam, (quorum utrumq; falsum est) sed ad particulas veras, quales invenuntur. Neq; rursus est, quod exhorreat quispiam istam subtilitatem, ut inexplicabilem; sed contra, quo magis vergit Inquisitio ad Naturas simplices, eo magis omnia erunt sita in plano & perspicuo; translato negotio à multiplici in simplex; & ab incommensurabili ad commensurabile; & à surdo ad computabile; & ab infinito & vago ad definitum & certum; ut fit in elementis literarum, & tonis concentuum. Optime autem cedit Inquisitio Naturalis, quando Physicum terminatur in Mathematico. At rursus multitudinem aut fractiones nemo reformidet. In rebus enim quæ per numeros transiguntur, tam facile quis posuerit aut cogitaverit Millenarium, quam unum; aut millesimam partem unius, quam unum integrum.

IX.

EX duobus generibus Axiomatum, quæ superius posita sunt, oritur vera divisio Philosophiæ, & scientiarum; translatis vocabulis receptis (quæ ad indicationem rei proxime accedunt) ad sensum nostrum. Videlicet, ut Inquisitio *Formarū*, quæ sunt (ratione certe, & sua lege) æternæ & immobiles, constituat *Metaphysicam*; Inquisitio vero *Efficientis & Materiæ*, & *latentis processus*, & *latentis Schematismi*, (quæ omnia cursum Naturæ communem & ordinarium, non leges funda-

mentales & æternas respiciunt) constituat *Physicam*; atque his subordinentur similiter Practicæ duæ; *Physicæ Mechanica*: *Metaphysicæ* (perpurgato nomine) *Magia*, propter latas ejus vias, & majus imperium in Naturam.

X.

POsito itaque doctrinæ scopo, pergendum ad præcepta; idque ordine minime perverso, aut perturbato. Atq; indicia de *Interpretatione Naturæ* complectuntur partes in genere duas; primam, de educendis aut excitandis Axiomatibus ab Experientia; secundam, de deducendis aut derivandis Experimentis novis ab Axiomatibus. Prior autem trifariam dividitur; in tres nempe Ministrationes; Ministrationem ad sensum; Ministrationem ad Memoriam; & Ministrationem ad Mentem, sive Rationem.

Primo enim paranda est *Historia Naturalis*, & *Experimentalis*, sufficiens & bona; quod fundamentum rei est: Neque enim fingendum, aut excogitandum, sed inveniendum, quid Natura faciat, aut ferat.

Historia vero Naturalis & *Experimentalis* tam varia est & sparsa, ut Intellectum confundat & disgreget, nisi sistatur & compareat ordine idoneo. Itaque formandæ sunt *Tabulæ* & *Coordinationes Instantiarum*, tali modo & instructione, ut in eas agere possit Intellectus.

Id quoque licet fiat; tamen Intellectus sibi permissus, & sponte movens, incompetens est, & inhabilis ad opificium Axiomatum, nisi regatur, & muniatur. Itaque tertio adhibenda est *Inductio* legitima, & vera, quæ ipsa *clavis* est *Interpretationis*. Incipiendum autem est à Fine, & retro pergendum ad reliqua.

XI.

INquisitio Formarum sic procedit; Super Naturam datam primo facienda est *comparentia ad Intellectum* omnium *Instantiarum* Notarum, quæ in eadem Natura conveniunt, per Materias licet dissimillimas. Atq; hujusmodi collectio facienda est historice, absque contemplatione præfestina aut subtilitate aliqua majore. Exempli gratia; In Inquisitione de Forma Calidi.

Instantiæ Convenientes in Natura Calidi.

1. Radii Solis, præsertim Æstate & Meridie.
2. Radii Solis reflexi & constipati, ut inter montes, aut per parietes, & maxime omnium in speculis comburentibus.
3. Meteora Ignita.
4. Fulmina comburentia.
5. Eructationes flammarum ex Cavis montium, &c.
6. Flamma omnis.
7. Ignita solida.
8. Balnea Calida Naturalia.
9. Liquida ferventia, aut calefacta.
10. Vapores & Fumi ferventes, atque Aer ipse, qui fortissimum & furentem suscipit calorem, si concludatur; ut in Reverberatoriis.
11. Tempestates aliquæ sudæ per ipsam constitutionem Aëris, non habita ratione Temporis Anni.
12. Aër conclusus & subterraneus in Cavernis nonnullis, præsertim hyeme.
13. Omnia villosa, ut lana, pelles animalium, & plumagines, habent nonnihil teporis.
14. Corpora omnia, tam solida, quam liquida, & tam densa, quam tenuia, (qualis est ipse Aer) Igni ad tempus approximata.
15. Scintillæ ex silice & chalybe per fortem percussionem.
16. Omne Corpus fortiter attritum, ut lapis, lignum, pannus, &c. adeo ut temones, & axes rotarum, aliquando flammam concipiant; & Mos excitandi Ignis apud Indos Occidentales fuerit per Attritionem.
17. Herbæ virides & humidæ simul conclusæ & contrusæ, ut Rosæ, pisa in corbibus; adeo ut fœnum, si repositum fuerit madidum, sæpe concipiat flammam.
18. Calx viva, aquâ aspersa.
19. Ferrum, cum primo dissolvitur per aquas fortes in vitro, idque absque ulla admotione ad ignem: & stannum similiter, &c. sed non adeo intensè.
20. Animalia, præsertim & perpetuo per interiora; licet in insectis calor ob parvitatem corporis non deprehendatur ad tactum.
21. Fimus equinus, & hujusmodi excrementa animalium recentia.
22. Oleum forte Sulphuris & Vitrioli exequitur opera Caloris, in linteo adurendo.
23. Oleum Origani, & hujusmodi, exequitur opera Caloris in adurendis ossibus dentium.
24. Spiritus vini fortis & bene rectificatus exequitur opera Caloris; adeo ut si albumen ovi in eum injiciatur, concrescat & albescat, fere in modum albuminis cocti; panis injectus torrefiat & incrustetur, ad modum panis tosti.
25. Aromata, & herbæ calidæ, ut Dracunculus, Nasturtium vetus, &c. licet ad manum non sint calida, (nec integra, nec pulveres eorum) tamen ad linguam & palatum parum masticata, percipiuntur calida, & quasi adurentia.
26. Acetum forte, & omnia acida, in membro ubi non sit *Epidermis*, ut in oculo, lingua, aut aliqua alia parte vulnerata, & cute detecta, dolorem cient, non multum discrepantem ab eo qui inducitur à calido.
27. Etiam frigora acria & intensa inducunt sensum quendam ustionis;

Nam Boreæ penetrabile frigus adurit.

28. Alia.

Hanc *Tabulam Essentiæ & Præsentiæ* appellare consuevimus.

XII.

SEcundo, facienda est *Comparentia* ad Intellectum *Instantiarum*, quæ Natura data privantur: quia Forma (ut dictum est) non minus abesse debet, ubi Natura data abest; quam adesse, ubi adest. Hoc vero infinitum esset in omnibus.

Itaq; subjungenda sunt *Negativa Affirmativis*, & Privationes inspiciendæ tantum in illis Subjectis, quæ sunt maxime cognata illis alteris, in quibus Natura data inest & comparet. Hanc *Tabulam declinationis*, sive *Absentiæ in proximo*, appellare consuevimus.

Instantiæ in proximo, quæ privantur natura Calidi.

Ad Instantiam primam Affirmativam.

Lunæ, Stellarum, & Cometarum radii, non inveniuntur calidi ad tactum: quinetiam observari solent acerrima frigora in Pleniluniis.

Instantia

Instantia prima Negativa vel Subjunctiva.

At Stellæ fixæ Majores, quando Sol eas subit, aut iis approximatur, existimantur fervores Solis augere & intendere; ut fit cum Sol sistitur in Leone, & Diebus Canicularibus.

Ad secundam, secunda.

Radii Solis in Media (quam vocant) Regione Aëris non calefaciunt; cujus ratio vulgo non male redditur; quia Regio illa nec satis appropinquat ad Corpus Solis unde radii emanant, nec etiam ad Terram, unde reflectuntur. Atque hoc liquet ex fastigiis Montium, (nisi sint præalti) ubi nives perpetuo durant. Sed contra notatum est à nonnullis, quod in cacumine *Picus de Tenariph*, atque etiam in *Andis Peruviæ*, ipsa fastigia Montium nive destituta sint; nivibus jacentibus tantum inferius in ascensu. Atq; insuper Aër in illis ipsis Verticibus Montium deprehenditur minime frigidus, sed tenuis tantum & acer; adeo ut, in *Andis*, pungat & vulneret oculos per nimiam acrimoniam, atq; etiam pungat os ventriculi, & inducat vomitum. Atque ab Antiquis notatum est, in vertice *Olympi* tantam fuisse Aëris tenuitatem, ut necesse fuerit illis, qui eo ascenderant, secum deferre spongias aceto & aqua madefactas, easque ad os & nares subinde apponere; quia Aër ob tenuitatem non sufficiebat respirationi. In quo Vertice etiam relatum est tantam fuisse serenitatem & tranquillitatem à pluviis, & nivibus, & ventis; ut Sacrificantibus literæ descriptæ digito in cineribus Sacrificiorũ super aram *Jovis*, manerent in annum proximum absque ulla perturbatione. Atque etiam hodie ascendentes ad verticem *Picus de Tenariph*, eo vadunt noctu & non interdiu; & paulo post ortum Solis monentur & excitantur à Ducibus suis, ut festinent descendere, propter periculum (ut videtur) à tenuitate Aëris, ne solvat spiritus & suffocet.

Ad secundam, tertia.

Reflexio radiorum Solis in Regionibus prope Circulos Polares, admodum debilis & inefficax invenitur in Calore: adeo ut Belgæ, qui hybernarunt in nova *Zembla*, cum expectarent navis suæ liberationem & deobstructionem à glaciali mole, (quæ eam obsederat) per initia mensis Julii spe sua frustrati sint, & coacti scaphæ se committere. Itaque radii Solis directi videntur parum posse, etiam super terram planam; nec reflexi etiam, nisi multiplicentur & uniantur, quod fit, cum Sol magis vergit ad perpendiculum; quia tum incidentia radiorum facit angulos acutiores; ut lineæ radiorum sint magis in propinquo: ubi contra in magnis obliquitatibus Solis, anguli sint valde obtusi, & proinde lineæ radiorum magis distantes. Sed interim notandum est, multas esse posse operationes radiorum Solis, atq; etiam ex natura Calidi, quæ non sunt proportionatæ ad tactum nostrum: adeo ut respectu nostri non operentur usque ad calefactionem, sed respectu aliorum nonnullorum corporum exequantur opera Calidi.

Ad secundam, quarta.

Fiat hujusmodi Experimentum. Accipiatur speculum fabricatum, contra ac fit in speculis comburentibus; & interponatur inter manum & radios Solis; & fiat observatio, utrum minuat calorem Solis, quemadmodum speculum comburens eundem auget & intendit. Manifestum est enim quoad radios Opticos, prout fabricatur speculum in densitate inæquali respectu Medii & Laterum, ita apparere simulachra magis diffusa, aut magis contracta. Itaq; idem videndum in Calore.

Ad secundam, quinta.

Fiat Experimentum diligenter, utrum per specula comburentia fortissima & optime fabricata, radii Lunæ possint excipi & colligi in aliquem vel minimum gradum teporis. Is vero gradus teporis si fortasse nimis subtilis & debilis fuerit, ut ad tactum percipi & deprehendi non possit; confugiendum erit ad Vitra illa quæ indicant constitutionem Aëris calidam aut frigidam; ita ut radii Lunæ per Speculum comburens incidant & jaciantur in summitatem Vitri hujusmodi; atq; tum notetur, si fiat depressio aquæ per teporem.

Ad secundam, sexta.

Practicetur etiam Vitrum comburens super Calidum, quod non sit radiosum aut luminosum; ut Ferri, & Lapidis calefacti, sed non igniti, aut Aquæ ferventis, aut similium: & notetur, utrum fiat augmentũ & intentio Calidi, ut in radiis Solis.

Ad secundam, septima.

Practicetur etiam Speculum comburens in flamma communi.

Ad tertiam, octava.

Cometarum (si & illos numerare inter Meteora libuerit) non deprehenditur constans aut manifestus effectus in augendis ardoribus anni, licet siccitates sæpius inde sequi notatæ sint. Quinetiam Trabes, & Columnæ lucidæ, & Chasmata, & similia, apparent sæpius temporibus hybernis, quam æstivis; & maxime per intensissima frigora, sed conjuncta cum siccitatibus. Fulmina tamen & Coruscationes & Tonitrua raro eveniunt hyeme, sed sub tempus magnorum fervorum. At Stellæ (quas vocant) cadentes, existimantur vulgo magis constare ex viscosa aliqua materia splendida & accensa, quam esse naturæ igneæ fortioris. Sed de hoc inquiratur ulterius.

Ad quartam, nona.

Sunt quædam Coruscationes, quæ præbent Lumen, sed non urunt: Ea vero semper fiunt sine Tonitru.

Ad quintam, decima.

Eructationes & eruptiones Flammarum inveniuntur non minus in Regionibus frigidis quam calidis; ut in *Islandia & Groenlandia*: quemadmodum & Arbores per regiones frigidas magis sunt quandoq; inflammabiles, & magis piceæ ac resinosæ, quam per regiones calidas; ut fit in Abiete, Pinu, & reliquis: Verum in quali situ & natura Soli hujusmodi eruptiones fieri soleant, ut possimus *Affirmativa* subjungere *Negativam*, non satis quæsitum est.

Ad sextam, undecima.

Omnis flamma perpetuo est calida magis aut minus, neq; omnino subjungitur *Negativa*. Et tamen referunt Ignem fatuum, (quem vocant) qui etiam aliquando impingitur in parietem, non multum habere caloris; fortasse instar flammæ spiritus vini, quæ clemens & lenis est. Sed adhuc lenior videtur ea flamma, quæ in nonnullis Historiis fidis & gravibus invenitur apparuisse circa capita & comas Puerorum & Virginum; quæ nullo modo comas adurebat, sed molliter circum eas trepidabat. Atque certissimum est, circa Equum in itinere

ſudantem, noctu & ſuda tempeſtate apparuiſſe quaedoq; Coruſcationem quandam absque manifeſto calore. Atq; paucis abhinc annis notiſſimum eſt, & pro miraculo quaſi habitum, Gremiale cujusdam Puellæ paulo motum aut fricatum coruſcaſſe; quod fortaſſe factum eſt ob alumen aut ſales, quibus gremiale tinctum erat, paulo craſſius hærentia & incruſtata, & ex fricatione fracta. Atq; certiſſimum eſt, Saccharum omne, ſive conditum (ut vocant) ſive ſimplex, modo ſit durius, in tenebris fractum aut cultello ſcalptum coruſcare. Similiter Aqua marina & ſalſa, noctu interdum invenitur remis fortiter percuſſa coruſcare. Atq; etiam in tempeſtatibus Spuma Maris fortiter agitata noctu coruſcat; quam Coruſcationem Hiſpani *Pulmonem marinum* vocant. De illa Flamma autem, quam antiqui nautæ vocabant *Caſtorem* & *Pollucem*, & moderni *Focum Sancti Ermi*, qualem calorem habeat, non ſatis quæſitum.

Ad ſeptimam, duodecima.

Omne Ignitum ita ut vertatur in ruborem igneum, etiam ſine flamma perpetuo calidum eſt; neq; huic *Affirmativæ* ſubjungitur *Negativa*: ſed quod in proximo eſt, videtur eſſe Lignũ putre; quod ſplendet noctu, neque tamen deprehenditur calidum: & ſquamæ Piſcium putreſcentes etiam ſplendent noctu, nec inveniuntur ad tactum calidæ: neque etiam corpus Cicindelæ, aut Muſcæ, (quam vocant Luciolam) calidum ad tactum deprehenditur.

Ad octavam, decima tertia.

De balneis calidis, in quo ſitu & natura Soli emanare ſoleant, non ſatis quæſitum eſt: itaq; non ſubjungitur *Negativa*.

Ad nonam, decima quarta.

Liquidis ferventibus ſubjungitur *Negativa* ipſius Liquidi in natura ſua. Nullum enim invenitur liquidum tangibile, quod ſit in natura ſua & maneat conſtanter calidum; ſed ſuperinducitur ad tempus tantum Calor, ut Natura aſcititia: adeo ut quæ poteſtate & operatione ſunt maxime calida, ut ſpiritus Vini, olea aromatum chymica, etiam olea vitrioli & ſulphuris, & ſimilia, quæ paulo poſt adurunt ad primum tactum ſint frigida. Aqua autem Balneorum naturalium excepta in vas aliquod, & ſeparata à fontibus ſuis, defervefcit perinde ac aqua igne calefacta. At verum eſt, corpora Oleoſa ad tactum paulo minus eſſe frigida quam Aquea; ut Oleum minus quam Aqua, Sericum minus quam Linteum. Verum hoc pertinet ad *Tabulam Graduum* de *Frigido*.

Ad decimam, decima quinta.

Similiter Vapori fervido ſubjungitur *Negativa* naturæ ipſius Vaporis, qualis apud nos invenitur. Etenim exhalationes ex Oleoſis, licet facile inflammabiles, tamen non inveniuntur calidæ, niſi à corpore calido recenter exhalaverint.

Ad decimam, decima ſexta.

Similiter Aëri ipſi ferventi ſubjungitur *Negativa* naturæ Aëris ipſius. Neq; enim invenitur apud nos Aër calidus, niſi fuerit aut concluſus, aut attritus, aut manifeſte calefactus à Sole, Igne, aut aliquo alio corpore calido.

Ad undecimam, decima ſeptima.

Subjungitur *Negativa* Tempeſtatum frigiditatum magis quam pro ratione temporis Anni, quæ eveniunt apud nos flante Euro & Borea, quemadmodum & contrariæ tempeſtates eveniunt flante Auſtro & Zephyro. Etiam inclinatio ad pluviam (præſertim temporibus hyemalibus) comitatur tempeſtatem tepidam: at Gelu contra, frigidam.

Ad duodecimam, decima octava.

Subjungitur *Negativa* Aëris concluſi in cavernis tempore æſtivo. At de Aëre concluſo omnino diligentius inquirendum. Primo enim non absque cauſa in dubitationem venit, qualis ſit natura Aëris, quatenus ad Calidum & Frigidum in natura ſua propria. Recipit enim Aër Calidum manifeſto ex impreſſione Cœleſtium; Frigidum autem fortaſſe ab expiratione Terræ; & rurſus in Media (quam vocant) Regione Aëris, à vaporibus frigidis & nivibus: Ut nullum judicium fieri poſſit de Aëris natura per Aërem qui foras eſt & ſub Dio, ſed verius foret judicium per Aërẽ concluſum. Atqui opus eſt etiam ut Aër concludatur in tali vaſe & materia, quæ nec ipſa imbuat Aërem calido vel frigido ex vi propria, nec facile admittat vim Aëris extranei. Fiat itaq; Experimentum per ollam figularem multiplici corio obductam ad muniendam ipſam ab Aëre extraneo, facta mora per tres aut quatuor dies in vaſe bene occluſo: deprehenſio autem fit poſt apertionem vaſis, vel per manum, vel per vitrum graduum ordine applicatum.

Ad decimam tertiam, decima nona.

Subeſt ſimiliter dubitatio, utrum tepor in lana, & pellibus, & plumis, & hujusmodi, fiat ex quodam exili calore inhærente, quatenus excernuntur ab animalibus; aut etiam ob pinguedinem quandam & oleoſitatem, quæ ſit naturæ congruæ cum tepore; vel plane ob concluſionem & fractionem Aëris, ut in articulo præcedente dictum eſt. Videtur enim omnis Aër abſciſſus à continuitate Aëris forinſeci, habere nonnihil teporis. Itaque fiat Experimentum in fibroſis, quæ fiunt ex lino; non ex lana, aut plumis, aut ſerico, quæ excernuntur ab animatis. Notandum eſt etiam, omnes pulveres (ubi manifeſto includitur Aër) minus eſſe frigidos, quam corpora integra ipſorum: quemadmodum etiam exiſtimamus, omnem ſpumam (utpote quæ aërem contineat) minus eſſe frigidam, quam liquorem ipſum.

Ad decimam quartam, viceſima.

Huic non ſubjungitur *Negativa*. Nihil enim reperitur apud nos ſive Tangibile, ſive Spiritale, quod admotum igni non excipiat calorem. In eo tamen differunt, quod alia excipiant calorẽ citius, ut Aër, Oleum, & Aqua; alia tardius, ut Lapis & Metalla. Verum hoc pertinet ad *Tabulam Graduum*.

Ad decimam quintam, viceſima prima.

Huic inſtantiæ non ſubjungitur *Negativa* alia, quàm ut bene notetur; Non excitari ſcintillas ex ſilice & chalybe, aut alia aliqua ſubſtantia dura, niſi ubi excutiuntur minutiæ aliquæ ex ipſa ſubſtantia Lapidis vel Metalli: neq; Aërem attritum unquam per ſe generare ſcintillas, ut vulgo putant: Quin & ipſæ illæ ſcintillæ ex pondere corporis igniti magis vergunt deorſum quam ſurſum, & in extinctione redeunt in quandam fuliginem corpoream.

Ad decimam ſextam, viceſima ſecunda.

Exiſtimamus, huic Inſtantiæ non ſubjungi *Negativam*. Nullum enim invenitur apud nos corpus tangibile, quod nõ ex attritione manifeſto calefcat; adeo ut Veteres ſomniarent, non ineſſe Cœleſtibus

aliam

aliam vim, aut virtutem calefaciendi, nisi ex attritione Aëris per rotationem rapidam & incitatam. Verum in hoc genere ulterius inquirendum est, utrum corpora quæ emittuntur ex Machinis (qualia sunt pilæ ex Tormentis) non ex ipsa percussione contrahant aliquem gradum caloris; adeo ut postquam deciderint, inveniantur nonnihil calida. At Aër motus magis infrigidat quam calefacit; ut in ventis, & follibus, & flatu oris contracti. Verum hujusmodi motus non est tam rapidus ut excitet calorem, & fit secundum totum, non per particulas: ut mirum non sit, si non generet calorem.

Ad decimam septimam, vicesima tertia.

Circa hanc Instantiam facienda est inquisitio diligentior. Videntur enim Herbæ & Vegetabilia viridia & humida aliquid habere in se occulti caloris. Ille vero calor tam tenuis est, ut in singulis non percipiatur ad tactum: Verum postquam illa adunata sint & conclusa, ut spiritus ipsorum non expiret in aërem, sed se invicem foveat; tum vero oritur calor manifestus, & nonnunquam flamma in materia congrua.

Ad decimam octavam, vicesima quarta.

Etiam circa hanc Instantiam diligentior facienda est inquisitio. Videtur enim Calx viva aqua aspersa concipere calorem; vel propter unionem caloris qui antea distrahebatur, (ut ante dictum est de herbis conclusis) vel ob irritationem & exasperationem spiritus ignei ab aqua, ut fiat quidam conflictus & antiperistasis. Utra vero res sit in causa, facilius apparebit, si loco Aquæ immittatur Oleum. Oleum enim æque ac Aqua valebit ad unionem spiritus inclusi, sed non ad irritationem. Etiam faciendum est Experimentum latius tam in cineribus & calcibus diversorum corporum, quam per immissionem diversorum liquorum.

Ad decimam nonam, vicesima quinta.

Huic Instantiæ subjungitur *Negativa* aliorum Metallorum, quæ sunt magis mollia & fluxa. Etenim bracteolæ Auri solutæ in liquorem per Aquam Regis, nullum dant calorem ad tactum in dissolutione: neque similiter Plumbum in Aqua forti. Neque etiam Argentum vivum, (ut memini) Sed Argentum ipsum parum excitat caloris, atque etiam Cuprum, (ut memini) sed magis manifesto Stannum, atque omnium maxime Ferrum & Chalybs; quæ non solum fortem excitant calorem in dissolutione, sed etiam violentam ebullitionem. Itaque videtur calor fieri per conflictum, cum Aquæ fortes penetrant & fodiunt, & divellunt partes corporis, corpora ipsa resistunt. Ubi vero corpora facilius cedunt, vix excitatur Calor.

Ad vicesimam, vicesima sexta.

Calori Animalium nulla subjungitur *Negativa*, nisi Insectorum (ut dictum est) ob parvitatem corporis. Etenim in Piscibus collatis ad Animalia terrestria magis notatur gradus coloris, quam privatio. In Vegetabilibus autem & Plantis nullus percipitur gradus caloris ad tactum, neque in lachrymis ipsorum, neque in Medullis recenter apertis. At in Animalibus magna reperitur diversitas Caloris, tum in partibus ipsorum; (alius est enim calor circa Cor, alius in Cerebro, alius circa Externa) tum in Accidentibus eorum, ut in exercitatione vehementi, & febribus.

Ad vicesimam primam, vicesima septima.

Huic Instantiæ vix subjungitur *Negativa*. Quin etiam excrementa Animalium non recentia manifeste habent calorem potentialem, ut cernitur in impinguatione Soli.

Ad vicesimam secundam & tertiam, vicesima octava.

Liquores (sive Aquæ vocentur, sive Olea) qui habent magnam & intensam acrimoniam, exequuntur opera caloris in divulsione corporum, atque adustione post aliquam moram: sed tamen ad ipsum tactum manus non sunt calidi ab initio. Operantur autem secundum analogiam, & poros corporis cui adjunguntur. Aqua enim Regis Aurum solvit, Argentum minime: At contra, Aqua fortis Argentum solvit, Aurum minime: Neutrum autem solvit Vitrum. Et sic de cæteris.

Ad vicesimam quartam, vicesima nona.

Fiat experimentum spiritus vini in Lignis, ac etiam in Butyro, aut Cera, aut Pice; si forte per calorem suum ea aliquatenus liquefaciat. Etenim Instantia 24. ostendit potestatem ejus imitativam Caloris in incrustationibus. Itaque fiat similiter Experimentum in Liquefactionibus. Fiat etiam Experimentum per Vitrum Graduum sive Calendare, quod concavum sit in summitate sua per exterius; & immittatur in illud concavum exterius spiritus vini bene rectificatus, cum operculo, ut melius contineat calorem suum; & notetur utrum per calorem suum faciat aquam descendere.

Ad vicesimam quintam, tricesima.

Aromata, & Herbæ acres ad palatum, multo magis sumptæ interius, percipiuntur calida. Videndum itaque in quibus aliis materiis exequantur opera caloris. Atque referunt Nautæ, cum cumuli & massæ Aromatum diu conclusæ subito aperiuntur, periculum instare illis, qui eas primo agitant & extrahunt, à febribus & inflammationibus spiritus. Similiter fieri poterit Experimentum, utrum pulveres hujusmodi Aromatum aut Herbarum non arefaciant Laridum, & carnem suspensam super ipsos, veluti fumus Ignis.

Ad vicesimam sextam, tricesima prima.

Acrimonia sive Penetratio inest tam Frigidis, qualia sunt Acetum, & oleum Vitrioli, quam Calidis, qualia sunt oleum Origani, & similia. Itaque similiter & in Animatis cient dolorem, & in non Animatis divellunt partes & consumunt. Neque huic instantiæ subjungitur *Negativa*. Atque in Animatis nullus reperitur dolor, nisi cum quodam sensu caloris.

Ad vicesimam septimam, tricesima secunda.

Communes sunt complures actiones & Calidi, & Frigidi, licet diversa admodum ratione. Nam & nives, puerorum manus videntur paulo post urere; & frigora tuentur carnes à putrefactione, non minus quam ignis; & Calores contrahunt corpora in minus, quod faciunt & Frigida. Verum hæc & similia opportunius est referre ad Inquisitionem de Frigido.

Aphor. XIII.

Tertio facienda est *Comparentia ad Intellectum* Instantiarum, in quibus Natura, de qua fit Inquisitio, inest secundum magis & minus; sive facta comparatione incrementi & decrementi in eodem subjecto, sive facta comparatione ad invicem in subjectis diversis. Cum enim Forma rei sit ipsissima Res; neque differat Res à Forma, aliter

quam differunt Apparens & Existens, aut Exterius & Interius, aut in ordine ad Hominem & in ordine ad Universum; omnino sequitur, ut non recipiatur aliqua Natura pro vera Forma, nisi perpetuo decrescat quando Natura ipsa decrescit, & similiter perpetuo augeatur quando Natura ipsa augetur. Hanc itaque Tabulam, *Tabulam Graduum* sive *Tabulam Comparativæ* appellare consuevimus.

Tabula Graduum, sive *Comparativæ* in Calido.

PRimo itaque dicemus de iis quæ nullum prorsus gradum Caloris habent ad tactum; sed videntur habere potentialem tantum quendam calorem, sive dispositionem & præparationem ad calidum. Postea demum descendemus ad ea, quæ sunt actu sive ad tactum Calida, eorumque fortitudines & Gradus.

1. In corporibus solidis & tangibilibus non invenitur aliquid, quod in Natura sua Calidum sit originaliter. Non enim lapis aliquis, non metallum, non sulphur, non fossile aliquod, non lignum, non aqua, non cadaver animalis, inveniuntur calida. Aquæ autem calidæ in Balneis videntur calefieri per accidens, sive per flammam aut ignem subterraneum, qualis ex Ætna & montibus aliis compluribus evomitur; sive ex conflictu corporum, quemadmodum Calor fit in ferri & stanni dissolutionibus. Itaque gradus Caloris in Inanimatis, quatenus ad tactum humanum, nullus est; veruntamen illa Gradu Frigoris differunt; non enim æque frigidum est lignum, ac metallum. Sed hoc pertinet ad *Tabulam graduum in Frigido.*

2. Attamen quoad potentiales Calores & præparationes ad flammam, complura inveniuntur inanimata admodum disposita, ut Sulphur, Naphtha, Petrelæum.

3. Quæ antea incaluerunt, ut fimus equinus ex animali, aut calx, aut fortasse cinis aut fuligo ex Igne, reliquias latentes quasdam caloris prioris retinent. Itaque fiunt quædam distillationes & separationes corporum, per sepulturam in fimo equino; atque excitatur calor in calce per adspersionem aquæ; ut jam dictum est.

4. Inter Vegetabilia non invenitur aliqua Planta, sive pars Plantæ, (veluti lachryma, aut medulla) quæ sit ad tactum humanum calida. Sed tamen (ut superius dictum est) herbæ virides conclusæ calescunt; atque ad interiorem tactum, veluti ad palatum, aut ad stomachum, aut etiam ad exteriores partes post aliquam moram, (ut in emplastris & unguentis) alia vegetabilia inveniuntur calida, alia frigida.

5. Non invenitur in partibus animalium, postquam fuerint mortuæ aut separatæ, aliquid calidum ad tactum humanum. Nam neque fimus equinus ipse, nisi fuerit conclusus & sepultus, calorem retinet. Sed tamen omnis fimus habere videtur calorem potentialem, ut in agrorum impinguatione. Et similiter, cadavera animalium, hujusmodi habent latentem & potentialem calorem; adeo ut in Cœmeteriis, ubi quotidie fiunt sepulturæ, Terra calorem quendam occultum colligat, qui cadaver aliquod recenter impositum consumit, longe citius quam terra pura. Atque apud Orientales traditur inveniri textile quoddam tenue & molle, factum ex avium plumagine, quod vi innata butyrum solvat & liquefaciat, in ipso leviter involutum.

6. Quæ impinguant agros, ut Fimi omnis generis, Creta, Arena maris, Sal, & similia, dispositionem nonnullam habent ad Calidum.

7. Omnis putrefactio in se rudimenta quædam exilis Caloris habet, licet non hucusque, ut ad tactum percipiatur. Nam nec ea ipsa quæ putrefacta solvuntur in animalcula, ut Caro, Caseus, ad tactum percipiuntur Calida neque lignum putre, quod noctu splendet, deprehenditur ad tactum Calidum. Calor autem in putridis quandoque se prodit per odores tetros & fortes.

8. Primus itaque Caloris gradus, ex iis quæ ad tactum humanum percipiuntur Calida, videtur esse Calor animalium, qui bene magnam habet graduum latitudinem; Nam infimus gradus (ut in insectis) vix ad tactum deprehenditur; Summus autem gradus vix attingit ad gradum Caloris radiorum Solis in regionibus & temporibus maxime ferventibus, neque ita acris est, quin tolerari possit à manu Et tamen referunt de *Constantio*, aliisque nonnullis, qui Constitutionis & habitus Corporis admodum sicci fuerunt, quod acutissimis febribus correpti, ita incaluerint, ut manum admotam aliquantulum urere visi sint.

9. Animalia ex Motu & exercitatione, ex vino & epulis, ex venere, ex febribus ardentibus, & ex dolore augentur Calore.

10. Animalia in accessibus febrium intermittentium, à principio, frigore & horrore corripiuntur; sed paulo post majorem in modum incalescunt; quod etiam faciunt à principio in Causonibus, & febribus pestilentialibus.

11. Inquiratur ulterius de Calore comparato in diversis animalibus, veluti piscibus, quadrupedibus, serpentibus, avibus; atque etiam secundum species ipsorum, ut in Leone, Milvio, Homine; Nam ex vulgari opinione, pisces per interiora minus calidi sunt, aves autem maxime calidæ; præsertim Columbæ, Accipitres, Struthiones.

12. Inquiratur ulterius de Calore comparato in eodem animali, secundum partes & membra ejus diversa. Nam lac, sanguis, sperma, ova, inveniuntur gradu modico tepida, & minus Calida quam ipsa caro exterior in animali, quando movetur, aut agitatur. Qualis vero gradus sit Caloris in cerebro, stomacho, corde, & reliquis, similiter adhuc non est quæsitum.

13. Animalia omnia, per hyemem & tempestates frigidas, secundum exterius frigent; sed per Interiora etiam magis esse calida existimantur.

14. Calor Cœlestium etiam in regione calidissima, atque temporibus anni & diei calidissimis, non eum gradum Caloris obtinet, qui vel lignum aridissimum, vel stramen, vel etiam linteum ustum incendat aut adurat, nisi per specula comburentia roboretur; sed tamen è rebus humidis vaporem excitare potest.

15. Ex traditione Astronomorum ponuntur stellæ aliæ magis, aliæ minus calidæ. Inter Planetas enim

enim post *Solem* ponitur *Mars* calidissimus; deinde *Iupiter*, deinde *Venus*; Ponuntur autem tanquam frigidi, *Luna*, & deinde omnium maxime *Saturnus*. Inter fixas autem ponitur calidissimus Sirius; deinde Cor Leonis, sive Regulus; deinde Canicula, &c.

16. *Sol* magis calefacit, quo magis vergit ad perpendiculum, sive Zenith; quod etiam credendum est de aliis Planetis, pro modo suo Caloris; Exempli gratia, *Iovem* magis apud nos calefacere, cum positus sit sub Capricorno, aut Aquario.

17. Credendum est, Solem ipsum, & Planetas reliquos, magis calefacere in Perigæis suis, propter propinquitatem ad terram, quam in Apogæis. Quod si eveniat, ut in aliqua regione Sol sit simul in Perigæo, & propius ad perpendiculum; necesse est, ut magis calefaciat, quam in regione ubi Sol sit similiter in Perigæo, sed magis ad obliquum. Adeo ut Comparatio exaltationis Planetarum notari debeat, prout ex perpendiculo aut obliquitate participet, secundum regionum varietatem.

18. Sol etiam, & similiter reliqui Planetæ, calefacere magis existimantur, cum sint in proximo ad Stellas fixas majores; veluti cum Sol ponitur in Leone, magis vicinus fit cordi Leonis, caudæ Leonis, & Spicæ virginis, & Sirio, & Caniculæ, quam cum ponitur in Cancro, ubitamen magis sistitur ad perpendiculum. Atque credendum est, partes Cœli majorem infundere calorem (licet ad tactum minime perceptibilem) quo magis ornatæ sint Stellis, præsertim majoribus.

19. Omnino Calor Cœlestium augetur tribus modis; videlicet ex perpendiculo, ex propinquitate sive Perigæo, & ex conjunctione sive consortio Stellarum.

20. Magnum omnino invenitur intervallum inter Calorem Animalium, ac etiam radiorum Cœlestium, (prout ad nos deferuntur,) atque flammam, licet lenissimam, atque etiam Ignita omnia; atque insuper liquores, aut aërem ipsum, majorem in modum ab igne calefactum. Etenim flamma spiritus vini, præsertim rara, nec constipata, tamen potis est stramen, aut linteum, aut papyrum incendere, quod nunquam faciet Calor Animalis, vel Solis, absque speculis comburentibus.

21. Flammæ autem, & Ignitorum, plurimi sunt gradus in fortitudine & debilitate Caloris. Verum de his nulla est facta diligens Inquisitio; ut necesse sit ista leviter transmittere. Videtur autem ex flammis illa ex spiritu vini esse mollissima; nisi forte Ignis fatuus, aut flammæ, seu coruscationes ex sudoribus animalium, sint molliores. Hanc sequi opinamur flammam ex vegetabilibus levibus & porosis, ut stramine, scirpis, & foliis arefactis; à quibus non multum differre flammam ex pilis aut plumis. Hanc sequitur fortasse flamma ex lignis, præsertim iis quæ non multum habent ex resina aut pice; ita tamen ut flamma ex lignis quæ parva sunt mole (quæ vulgo colligantur in fasciculos) lenior sit, quam quæ fit ex truncis arborum & radicibus. Id quod vulgo experiri licet in fornacibus quæ ferrum excoquunt, in quibus ignis ex fasciculis & ramis arborum non est admodum utilis. Hanc sequitur (ut arbitramur) flamma ex oleo, & sevo, & cera, & hujusmodi oleosis & pinguibus, quæ sunt sine magna acrimonia. Fortissimus autem Calor reperitur in pice & resina, atque adhuc magis in Sulphure, & Caphura, & Naphtha, & Petrelæo, & Salibus, (postquam materia cruda eruperit) & in horum compositionibus, veluti pulvere Tormentario, Igne Græco, (quem vulgo Ignem ferum vocant) & diversis ejus generibus, quæ tam obstinatum habent Calorem, ut ab aquis non facile extinguantur.

22. Existimamus etiam, flammam, quæ resultat ex nonnullis metallis imperfectis; esse valde robustam & acrem. Verum de istis omnibus inquiratur ulterius.

23. Videtur autem flamma fulminum potentiorum has omnes flammas superare; adeo ut ferrum ipsum perfectum aliquando colliquaverit in guttas; quod flammæ illæ alteræ facere non possunt.

24. In Ignitis autem diversi sunt etiam gradus Caloris, de quibus etiam non facta est diligens inquisitio. Calorem maxime debilem existimamus esse ex linteo usto; quali ad flammæ excitationem uti solemus; & similiter ex ligno illo spongioso, aut funiculis arefactis, qui ad tormentorum accensionem adhibentur. Post hunc sequitur carbo ignitus ex lignis, & anthracibus, atque etiam ex lateribus ignitis, & similibus. Ignitorum autem vehementissime calida existimamus esse metalla ignita, ut Ferrum, & Cuprum, & cætera. Verum de his etiam facienda est ulterior inquisitio.

25. Inveniuntur ex Ignitis nonnulla longe Calidiora, quam nonnullæ ex flammis. Multo enim Calidius est & magis adurens Ferrum Ignitum, quam flamma spiritus vini.

26. Inveniuntur etiam ex illis quæ Ignita non sunt, sed tantum ab igne Calefacta, sicut Aquæ ferventes, & Aër conclusus in reverberatoriis, nonnulla quæ superant Calore multa ex flammis ipsis, & Ignitis.

27. Motus auget Calorem; ut videre est in follibus & flatu; adeo ut duriora ex Metallis non solvantur aut liquefiant per ignem mortuum aut quietum, nisi flatu excitetur.

28. Fiat Experimentum per specula comburentia, in quibus (ut memini) hoc fit; ut si speculum ponatur (exempli gratia) ad distantiam Spithamæ ab objecto combustibili, non tantopere incendat aut adurat, quam si positum fuerit speculum (exempli gratia) ad distantiam Semispithamæ, & gradatim & lente trahatur ad distantiam Spithamæ. Conus tamen, & unio radiorum eadem sunt, sed ipse Motus auget operationem Caloris.

29. Existimantur incendia illa, quæ fiunt flante vento forti majores progressus facere adversus ventum, quam secundum ventum; quia scilicet flamma resilit motu perniciore, vento remittente, quam procedit vento impellente.

30. Flamma non emicat aut generatur, nisi detur aliquid concavi, in quo flamma movere possit & ludere; præterquam in flammis flatuosis pul-

pulveris Tormentarii, & similibus, ubi compressio & incarceratio flammæ auget ejus furorem.

31. Incus per malleum calescit admodum; adeo ut si Incus fuerit laminæ tenuioris, existimemus, illam per fortes & continuos ictus mallei posse rubescere, ut ferrum ignitum; sed de hoc fiat Experimentum.

32. At in Ignitis quæ sunt porosa, ita ut detur spatium ad exercendum motum ignis, si cohibeatur hujusmodi motus per compressionem fortem, statim extinguitur ignis; veluti cum linteum ustum, aut filum ardens candelæ aut lampadis, aut etiam carbo aut pruna ardens, comprimitur per pressorium, aut pedis conculcationem, aut hujusmodi statim cessant operationes Ignis.

33. Approximatio ad corpus Calidum auget Calorem, pro gradu approximationis; quod etiam fit in lumine: Nam quo propius collocatur objectum ad lumen, eo magis est visibile.

34. Unio calorum diversorum auget Calorem, nisi facta sit commistio corporum. Nam focus magnus, & focus parvus in eodem loco, nonnihil invicem augent Calorem; at aqua tepida immissa in aquam ferventem refrigerat.

35. Mora corporis calidi auget Calorem. Etenim Calor perpetuo transiens & emanans, commiscetur cum calore præinexistente, adeo ut multiplicet Calorem. Nam focus non æque calefacit cubiculum per moram semihoræ, ac si idem focus duret per horam integram. At hoc non facit lumen; Etenim lampas aut candela in aliquo loco posita, non magis illuminat per moram diuturnam, quam statim ab initio.

36. Irritatio per frigidum ambiens, auget Calorem; ut in focis videre est per gelu acre. Quod existimamus fieri non tantum per convulsionem & contractionem Caloris, quæ est species unionis; sed per exasperationem: veluti cum aër aut baculum violenter comprimitur aut flectitur, non ad punctum loci prioris resilit, sed ulterius in contrarium. Itaque fiat diligens Experimentum, per baculum vel simile aliquid immissum in flammam, utrum ad latera flammæ aduratur citius, quam in medio flammæ.

37. Gradus autem in susceptione Caloris sunt complures. Atque primo omnium notandum est, quòd parvus & exilis calor, etiam ea corpora quæ Caloris minime omnium sunt susceptiva, immutet tamen & nonnihil calefaciat. Nam ipse calor manus, globulum plumbi, aut alicujus Metalli, paulisper detentum nonnihil calefacit. Adeo facile, & in omnibus transmittitur & excitatur Calor, corpore nullo modo ad apparentiam immutato.

38. Facillime omnium corporum apud nos & excipit & remittit Calorem Aër; quod optime cernitur in vitris Calendaribus. Eorum confectio est talis; Accipiatur vitrum ventre concavo, collo tenui & oblongo; resupinetur, & demittatur hujusmodi vitrum, ore deorsum verso, ventre sursum, in aliud vasculum vitreum ubi sit Aqua, tangendo fundum vasculi illius recipientis, extremo ore vitri immissi; & incumbat paululum vitri immissi collum ad os vitri recipientis, ita ut stare possit; quod ut commodius fiat, apponatur parum ceræ ad os ejus vitri recipientis, ita tamen ut non penitus obturetur os ejus, ne ob defectum Aëris succedentis impediatur motus, de quo jam dicetur, qui est admodum facilis & delicatus.

Oportet autem ut vitrũ demissum, antequam inseratur in alterum, calefiat ad ignem à parte superiori, ventre scilicet. Postquam autem fuerit vitrum illud collocatum, ut diximus, recipiet & contrahet se Aër (qui dilatatus erat per calefactionem) post moram sufficientem pro extinctione illius ascititii Caloris, ad talem extensionem sive dimensionem, qualis erit Aëris ambientis aut communis tunc temporis, quando immittitur vitrum; atque attrahet aquam in sursum ad hujusmodi mensuram. Debet autem appendi charta angusta & oblonga, & gradibus (quod libuerit) interstincta. Videbis autem, prout tempestas diei incalescit aut frigescit, Aërem se contrahere in angustius per frigidum, & extendere se in latius per calidum; id quod conspicietur per aquam ascendentem quando contrahitur Aër, & descendentem sive depressam quando dilatatur Aër. Sensus autem aëris, quatenus ad Calidum, & Frigidum, tam subtilis est & exquisitus, ut facultatem tactus humani multum superet; adeo ut Solis radius aliquis, aut calor anhelitus, multo magis calor manus, super vitri summitatem positus, statum deprimat aquam manifesto. Attamen existimamus, spiritum animalium magis adhuc exquisitum sensum habere Calidi & Frigidi, nisi quod à mole corporea impediatur & hebetetur.

39. Post Aërem existimamus corpora esse maxime sensitiva Caloris ea, quæ à frigore recenter immutata sint & compressa, qualia sunt Nix, & Glacies; ea enim leni aliquo tepore solvi incipiunt & colliquari. Post illa sequitur fortasse Argentum vivum. Post illud sequuntur corpora pinguia, ut oleum, butyrum, & similia; deinde Lignum; deinde Aqua. Postremo Lapides, & Metalla, quæ non facile calefiunt, præsertim interius. Illa tamen Calorem semel susceptum diutissime retinent; ita ut later, aut lapis, aut ferrum ignitum, in pelvim aquæ frigidæ immissum, & demersum, per quartam partem horæ (plus minus) retineat Calorem, ita ut tangi non possit.

40. Quo minor est corporis moles, eò citius per corpus calidum approximatum incalescit; id quod demonstrat, omnem Calorem apud nos, esse corpori tangibili quodammodo adversum.

41. Calidum, quatenus ad sensum & tactum humanum, res varia est & respectiva; adeo ut aqua tepida, si manus frigore occupetur, sentiatur esse calida; sin manus incaluerit, frigida.

Aphor. XIV.

QUam inopes simus historiæ, quivis facile advertet, cum in *Tabulis* superioribus, præterquam quod loco historiæ probatæ & Instantiarum certarum nonnunquam traditiones & relationes inseramus, (semper tamen adjecta dubiæ fidei & Authoritatis vota) sæpenumero etiam hisce verbis, *Fiat Experimentum*, vel *Inquiratur ulterius*, uti cogamur.

XV.

XV.

ATque Opus & officium harum trium Tabularum, *Comparentiam Instantiarum ad intellectum*, vocare consuevimus. Facta autem *Comparentiâ*, in opere ponenda est ipsa *Inductio*. Invenienda est enim, super *Comparentiam* omnium & singularum Instantiarum, Natura talis quæ cum natura data perpetuo adsit, absit, atque crescat, & decrescat; sitque (ut superius dictum est) limitatio Naturæ magis communis. Hoc si mens jam ab initio facere tentet affirmativè, (quod sibi permissa semper facere solet) occurrent phantasmata, & opinabilia, & Notionalia male terminata, & Axiomata quotidie emendanda; nisi libeat (Scholarum more) pugnare pro falsis. Ea tamen proculdubio erunt meliora aut praviora, pro facultate & robore intellectus qui operatur. At omnino Deo (Formarum Inditori & opifici) aut fortasse Angelis & Intelligentiis competit, Formas per Affirmationem immediate nosse, atque ab initio Contemplationis. Sed certe supra hominem est; Cui tantum conceditur, procedere primo per *Negativas* & postremo loco desinere in *Affirmativas*, post omnimodam exclusionem.

XVI.

ITaque Naturæ facienda est prorsus solutio & separatio; non per Ignem certe, sed per Mentem, tanquam Ignem divinum. Est itaque *Inductionis* veræ opus primum (quatenus ad inveniendas Formas) *Rejectio* sive *Exclusiva* Naturarum singularum, quæ non inveniuntur in aliqua Instantiâ, ubi Natura data adest. Aut inveniuntur in aliqua Instantia, ubi Natura data abest, aut inveniuntur in aliqua Instantia crescere, cum Natura data decrescat; aut decrescere, cum Natura data crescat. Tum vero post *Rejectionem & Exclusivam* debitis modis factam, secundo loco (tanquam in fundo) manebit (abeuntibus in fumum opinionibus volatilibus) Forma affirmativa, solida, & vera, & bene terminata. Atque hoc breve dictu est, sed per multas ambages ad hoc pervenitur. Nos autem nihil fortasse de iis, quæ ad hoc faciunt, prætermittemus.

XVII.

CAvendum autem est, & monendum quasi perpetuo, ne cum tantæ partes Formis videantur à nobis tribui, trahantur ea, quæ dicimus, ad Formas eas, quibus hominum contemplationes & cogitationes hactenus assueverunt.

Primo enim, de Formis copulatis, quæ sunt (ut diximus) Naturarum simplicium Conjugia ex cursu communi universi, ut Leonis, Aquilæ, Rosæ, Auri & hujusmodi, impræsentiarum non loquimur. Tempus enim erit de iis tractandi, cum ventum fuerit ad *latentes Processus*, & *latentes Schematismos*, eorumque inventionem, prout reperiuntur in substantiis (quas vocant) seu Naturis concretis.

Rursus vero, non intelligantur ea quæ dicimus (etiam quatenus ad Naturas simplices) de formis & Ideis abstractis, aut in materia non determinatis, aut male determinatis. Nos enim quum de Formis loquimur, nil aliud intelligimus, quàm leges illas & determinationes Actus puri, quæ Naturam aliquam simplicem ordinant & constituunt; ut calorem, lumen, pondus, in omnimoda materia & subjecto susceptibili. Itaque eadem res est Forma Calidi, aut Forma Luminis, & Lex Calidi, sive Lex Luminis; neque vero à rebus ipsis & parte operativa, unquam nos abstrahimus, aut recedimus. Quare cum dicimus (exempli gratia) in Inquisitione Formæ Caloris, *Rejice tenuitatem*, aut *Tenuitas non est ex Forma Caloris*; idem est ac si dicamus, *potest homo superinducere Calorem in corpus densum*; aut contra, *potest homo auferre aut arcere Calorem à corpore tenui*.

Quod si cuiquam videantur etiam Formæ nostræ habere nonnihil abstracti, quod misceant & conjungant heterogenea, (videntur enim valde esse heterogenea Calor Cœlestium, & Ignis; rubor fixus in rosa, aut similibus, & apparens in Iride, aut radiis Opalii, aut Adamantis; Mors ex summersione, ex crematione, ex punctura gladii, ex Apoplexia, ex Atrophia; & tamen conveniunt ista in Natura Calidi, Ruboris, Mortis) is se habere intellectum norit, consuetudine, & integralitate rerum, & opinionibus captum & detensum. Certissimum enim est, ista utcunque heterogenea & aliena, coire in Formam, sive Legem eam quæ ordinat Calorem, aut ruborem, aut mortem; nec emancipari posse potentiam humanam, & liberari à Naturæ cursu communi, & expandi & exaltari ad Efficientia nova, & Modos operandi novos, nisi per revelationem & inventionem hujusmodi Formarum; & tamen post istam unionem Naturæ, quæ est res maxime principalis, de Naturæ divisionibus & venis, tam ordinariis, quam interioribus & verioribus, suo loco postea dicetur.

XVIII.

JAm vero proponendum est Exemplum *Exclusionis* sive *Rejectionis* Naturarum, quæ per *Tabulas Comparentiæ* reperiuntur non esse ex Forma Calidi; illud interim monendo, non solum sufficere singulas *Tabulas* ad *Rejectionem* alicujus Naturæ, sed etiam unamquamque ex Instantiis singularibus in illis contentis. Manifestum enim est ex iis quæ dicta sunt, omnem *Instantiam contradictoriam* destruere opinabile de Forma. Sed nihilominus quandoque perspicuitatis causa, & ut usus *Tabularum* clarius demonstretur, *Exclusivam* duplicamus, aut reperimus.

Exemplum *Exclusivæ*, sive *Rejectionis Naturarum* à forma Calidi.

1. PEr radios Solis, *Rejice* Naturam Elementarem.
2. Per Ignem communem, & maxime per Ignes subterraneos (qui remotissimi sunt, & plurimum intercluduntur à radiis Cœlestibus) *Rejice* Naturam Cœlestem.
3. Per Calefactionem omnigenûm corporum, (hoc est, Mineralium, Vegetabilium, partium exteriorum Animalium, Aquæ, Olei, Aëris) & reliquorum ex approximatione sola ad Ignem aut aliud Corpus calidum; *Rejice* omnem Varietatem, sive subtiliorem Texturam corporum.
4. Per Ferrum & Metalla ignita, quæ calefaciunt alia corpora, nec tamen omnino pondere aut substantia minuuntur; *Rejice* inditionem sive mixturam substantiæ alterius Calidi.
5. Per Aquam ferventem, atque Aërem, atque etiam per Metalla, & alia Solida calefacta, sed

sed non usque ad ignitionem sive ruborem; *Rejice* Lucem & Lumen.

6. Per radios Lunæ, & aliarum Stellarum, (excepto Sole) *Rejice* etiam Lucem & Lumen.
7. Per *Comparativam* Ferri igniti, & Flammæ spiritus vini, (ex quibus Ferrum ignitum plus habet calidi & minus lucidi, Flamma autem spiritus vini plus lucidi & minus calidi) *Rejice* etiam Lucem & Lumen.
8. Per aurum & alia Metalla ignita, quæ densissimi sunt corporis secundum totum; *Rejice* Tenuitatem.
9. Per Aërem, qui invenitur ut plurimum frigidus, & tamen manet tenuis; *Rejice* etiam Tenuitatem.
10. Per Ferrum ignitum, quod non intumescit mole, sed manet intra eandem dimensionem visibilem; *Rejice* Motum localem, aut expansivum, secundum totum.
11. Per dilatationem Aëris in Vitris Calendariis & similibus, qui movetur localiter & expansive manifestò, neque tamen colligit manifestum augmentum Caloris; *Rejice* etiam Motum Localem, aut expansivum secundum totum.
12. Per facilem Tepefactionem omnium corporum absque aliqua destructione aut alteratione notabili; *Rejice* Naturam destructivam, aut inditionem violentam alicujus Naturæ novæ.
13. Per Consensum & Conformitatem operum similium, quæ eduntur à Calore & à Frigore; *Rejice* Motum tam Expansivum quam Contractivum, secundum totum.
14. Per Accensionem Caloris ex attritione corporum; *Rejice* Naturam Principalem. Naturam Principialem vocamus eam, quæ Positiva reperitur in Natura, nec causatur à Natura præcedente.

Sunt & aliæ Naturæ: neque enim Tabulas conficimus perfectas, sed Exempla tantum.

Omnes & singulæ Naturæ prædictæ non sunt ex Forma Calidi. Atque ab omnibus Naturis prædictis liberatur Homo in operatione super Calidum.

Aphor. XIX.

ATque in *Exclusiva* jacta sunt fundamenta *Inductionis* veræ, quæ tamen non perficitur donec sistatur in Affirmativa. Neque vero ipsa *Exclusiva* ullo modo perfecta est, neque adeo esse potest sub initiis. Est enim *Exclusiva* (ut plane liquet) *Rejectio* Naturarum Simplicium. Quod si non habeamus adhuc bonas & veras Notiones Naturarum simplicium, quomodo rectificari potest *Exclusiva?* At nonnullæ ex supradictis (veluti Notio Naturæ Elementaris, Notio Naturæ Cœlestis, Notio Tenuitatis) sunt Notiones vagæ, nec bene terminatæ. Itaque nos, qui nec ignari sumus, nec obliti, quantum opus aggrediamur, (vid. ut faciamus Intellectum humanum Rebus & Naturæ parem) nullo modo acquiescimus his quæ adhuc præcepimus: sed & rem in ulterius provehimus, & fortiora auxilia in usum Intellectus machinamur & ministramus; quæ nunc subjungemus. Et certe in *Interpretatione Naturæ* animus omnino taliter est præparandus & formandus, ut & sustineat se in gradibus debitis certitudinis, & tamen cogitet, (præsertim sub initiis) ea, quæ adsunt, multum pendere ex iis quæ supersunt.

XX.

ATtamen quia citius emergit Veritas ex errore quam ex confusione, utile putamus, ut fiat permissio Intellectui, post tres Tabulas *Comparentiæ primæ* (quales posuimus) factas & pensitatas, accingendi se & tentandi opus *Interpretationis Naturæ* in affirmativa; tam ex Instantiis Tabularum, quam ex iis quæ alias occurrent. Quod genus Tentamenti, *Permissionem Intellectus*, sive *Interpretationem inchoatam*, sive *Vindemiationem primam* appellare consuevimus.

Vindemiatio prima de Forma Calidi.

ANimadvertendum autem est, Formam rei inesse (ut ex iis, quæ dicta sunt, plane liquet) Instantiis universis & singulis, in quibus Res ipsa inest; aliter enim Forma non esset: Itaque nulla plane dari potest *Instantia* contradictoria. Attamen longe magis conspicua invenitur Forma & evidens in aliquibus *Instantiis*, quam in aliis; in iis videlicet ubi minus cohibita est Natura Formæ, & impedita, & redacta in ordinem, per Naturas alias. Hujusmodi autem Instantias, *Elucescentias* vel *Instantias Ostensivas* appellare consuevimus. Pergendum itaque est ad *Vindemiationem* ipsam *primam* de Forma Calidi Per universas & singulas *Instantias*, Natura, cujus limitatio est Calor, videtur esse Motus. Hoc autem maxime ostenditur in Flamma, quæ perpetuo movetur; & in Liquoribus ferventibus aut bullientibus, qui etiam perpetuo moventur. Atque ostenditur etiam in incitatione sive incremento Caloris facto per motum; ut in Follibus, & ventis: de quo vide *Instant.* 29. *Tab.* 3. Atque similiter in aliis modis Motus, de quibus vide *Instant.* 28. & 31. *Tab.* 3. Rursus ostenditur in extinctione Ignis & Caloris per omnem fortem compressionem, quæ frænat & cessare facit Motum: de qua vide *Instant.* 30. & 32. *Tab.* 3. Ostenditur etiam in hoc, quod omne corpus destruitur aut saltem insigniter alteratur ab omni Igne & Calore forti ac vehementi. Unde liquido constat, fieri à Calore tumultum & perturbationem, & motum acrem, in partibus internis Corporis; qui sensim vergit ad dissolutionem.

Intelligatur hoc quod diximus de Motu, (nempe, ut sit instar Generis ad Calorem) non quod Calor generet Motum, aut quod Motus generet Calorem: (licet & hæc in aliquibus vera sint) sed quod ipsissimus Calor, sive *Quidipsum* Caloris sit Motus, & nihil aliud: limitatus tamen per *Differentias*, quas mox subjungemus, postquam nonnullas cautiones adjecerimus ad evitandum Æquivocum.

Calidum ad sensum, res Respectiva est & in ordine ad Hominem, non ad Universum; & ponitur recte ut Effectus Caloris tantum in spiritum Animalem: Quin etiam in se ipso res varia est, cum idem corpus (prout Sensus prædisponitur) inducat perceptionem tam Calidi quam Frigidi: ut patet per *Instant.* 42. *Tab.* 3.

Neque vero communicatio Caloris, sive Natura ejus Transitiva, per quam corpus admotum corpori calido incalescit, confundi debet cum forma Calidi. Aliud enim est Calidum; aliud Calefactivum. Nam per motum Attritionis inducitur Calor absque aliquo Calido præcedente, unde excluditur Calefactivum à Forma Calidi. Atque etiam

etiam ubi Calidum efficitur per approximationem Calidi, hoc ipsum non fit ex forma Calidi; sed omnino pendet à Natura altiore & magis communi; vid. ex Natura Assimilationis sive Multiplicationis sui: de qua facienda est separatim inquisitio.

At notio ignis plebeja est, & nihil valet: composita enim est ex concursu qui fit Calidi & Lucidi in aliquo corpore; ut in Flamma communi, & corporibus accensis usque ad ruborem.

Remoto itaque omni Æquivoco, veniendum jam tandem est ad *Differentias* veras quæ limitant Motum, & constituunt eum in Formam Calidi.

PRima igitur *differentia* ea est, quod Calor sit Motus Expansivus, per quem corpus nititur ad dilatationem sui, & recipiendum se in majorem sphæram vel dimensionem, quam prius occupaverat. Hæc autem *Differentia* maxime ostenditur in flamma; ubi fumus sive halitus pinguis manifesto dilatatur & aperit se in flammam.

Ostenditur etiam in omni Liquore fervente, qui manifesto intumescit, insurgit, & emittit bullas; atque urget processum expandendi se, donec vertatur in corpus longe magis extensum & dilatatum, quam sit ipse Liquor; vid. in Vaporem, aut Fumum, aut Aërem.

Ostenditur etiam in omni Ligno & Combustibili; ubi fit aliquando exudatio, at semper evaporatio.

Ostenditur etiam in colliquatione Metallorum, quæ (cum sint corporis compactissimi) nō facile intumescunt & se dilatant: sed tamen Spiritus eorum, postquam fuerit in se dilatatus, & majorem adeo dilatationem concupierit, trudit plane & agit partes crassiores in Liquidum. Quod si etiam Calor fortius intendatur, solvit & vertit multum ex iis in volatile.

Ostenditur etiam in Ferro aut Lapidibus: quæ licet non liquefiant aut fundantur, tamen emolliuntur. Quod etiam fit in baculis ligni; quæ calefacta paululum in cineribus calidis, fiunt flexibilia.

Optime autem cernitur iste Motus in Aëre, qui per exiguum calorem se dilatat continuo & manifesto, ut per *Instant.* 38. *Tab.* 3.

Ostenditur etiam in natura contraria Frigidi. Frigus enim omne corpus contrahit & cogit in angustius; adeo ut per intensa Frigora clavi excidant ex parietibus, æra dissiliant, vitrum etiam calefactum & subito positum in Frigido dissiliat & frangatur. Similiter Aër per levem infrigidationem recipit se in angustius: ut per *Instant.* 38. *Tab.* 3. Verum de his fusius dicetur in inquisitione de Frigido.

Neque mirum est, si Calidum & Frigidum edant complures actiones communes, (de quo vide *Instant.* 32. *Tab.* 2.) cum inveniantur duæ ex sequentibus *Differentiis* (de quibus mox dicemus) quæ competunt utrique Naturæ; licet in hac *Differentia* (de qua nunc loquimur) actiones sint ex diametro oppositæ: Calidum enim dat motum expansivum & dilatantem, Frigidum autem dat motum contractivum & coëuntem.

SEcunda *differentia* est modificatio prioris; Hæc videlicet, quod Calor sit Motus expansivus sive versus circumferentiam: hac lege tamen, ut unà feratur corpus sursum. Dubium enim non est, quin sint Motus complures mixti. Exempli gratia: sagitta aut spiculum simul & progrediendo rotat, & rotando progreditur. Similiter & Motus Caloris simul est & Expansivus, & Latio in sursum.

Hæc vero *Differentia* ostenditur in Forcipe, aut Bacillo ferreo, immisso in ignem: quia si immittatur perpendiculariter, tenendo manum superius, cito manum adurit; sin ex latere aut inferius, omnino tardius.

Conspicua etiam est in *Distillationibus* per Descensorium; quibus utuntur homines ad Flores delicatiores, quorum odores facile evaporescunt. Nam hoc reperit industria, ut collocent Ignem non subter sed supra, ut adurat minus. Neque enim Flamma tantum vergit sursum, sed etiam omne Calidum.

Fiat autem Experimentum hujus rei in contraria Natura Frigidi: vid. utrum Frigus non contrahat corpus descendendo deorsum; quemadmodum Calidum dilatat corpus ascendendo sursum. Itaque adhibeantur duo bacilla ferrea, vel duo tubi vitrei, quoad cætera pares; & calefiant nonnihil; & ponatur spongia cum aqua frigida, vel nix, subter unam, & similiter super alteram. Existimamus enim, celeriorem fore Refrigerationem ad extremitates in eo bacillo ubi nix ponitur supra, quam in eo ubi nix ponitur subter: contra ac fit in Calido.

TErtia *Differentia* ea est; ut Calor sit Motus, non Expansivus uniformiter secundum totum, sed Expansivus per particulas minores corporis; & simul cohibitus, & repulsus, & reverberatus; adeo ut induat Motum alternativum, & perpetuo trepidantem, & tentantem & nitentem, & ex repercussione irritatum; unde furor ille Ignis & Caloris ortum habet.

Ista vero *Differentia* ostenditur maxime in Flamma & Liquoribus bullientibus: quæ perpetuo trepidant, & in parvis portionibus tument, & rursus subsidunt.

Ostenditur etiam in iis corporibus, quæ sunt tam duræ compagis, ut calefacta aut Ignita non intumescant aut dilatentur mole; ut Ferrum ignitum, in qua Calor est acerrimus.

Ostenditur etiam in hoc, quod per frigidissimas tempestates focus ardeat acerrime.

Ostenditur etiam in hoc, quod cum extenditur Aër in vitro Calendari absque impedimento aut repulsione, uniformiter scilicet & æqualiter; non percipiatur Calor. Etiam in ventis conclusis, licet erumpant vi maxima, tamen non percipitur Calor insignis; quia scilicet Motus fit secundum totum, absque Motu alternante in particulis. Atque ad hoc fiat Experimentum, utrum Flamma non urat acrius versus latera, quam in medio flammæ.

Ostenditur etiam in hoc, quod omnis ustio transigatur per minutos poros corporis quod uritur; adeo ut Ustio subruat & penetret, & fodicet, & stimulet; perinde ac si essent infinitæ cuspides acus. Itaque ex hoc illud etiam fit, quod omnes Aquæ fortes (si proportionatæ sint ad corpus, in quod agunt) edant opera Ignis, ex natura sua corrodente & pungente.

Atque ista *Differentia* (de qua nunc dicimus) communis est cum natura Frigidi; in quo cohibetur Motus contractivus; per renitentiam expandendi; quemadmodum in Calido cohibetur Motus expansivus, per renitentiam contrahendi.

Itaque sive partes corporis penetrent versus interius, sive penetrent versus exterius, similis est ratio; licet impar admodum sit fortitudo: quia non habemus hic apud nos in superficie Terræ aliquid, quod sit impense Frigidum. Vide *Instant.* 27. *Tab.* 9.

Quarta *Differentia* est modificatio prioris: Hæc scilicet, quod Motus ille Stimulationis aut Penetrationis debeat esse nonnihil rapidus & minime lentus; atque fiat etiam per particulas, licet minutas; tamen non ad extremam subtilitatem, sed quasi majusculas.

Ostenditur hæc *Differentia* in comparatione operum quæ edit Ignis, cum iis quæ edit Tempus sive Ætas. Ætas enim sive Tempus arefacit, consumit, subruit, & incinerat, non minus quam Ignis: vel potius longe subtilius: sed quia Motus ejusmodi est lentus admodum & per particulas valde exiles, non percipitur Calor.

Ostenditur etiam in comparatione dissolutionum Ferri & Auri. Aurum enim dissolvitur absque calore excitato; Ferrum autem cum vehementi excitatione Caloris, licet simili fere intervallo quoad tempus. Quia scilicet in Auro, ingressus Aquæ Separationis est clemens & subtiliter insinuans, & cessio partium Auri facilis: At in Ferro, ingressus est asper, & cum conflictu, & partes Ferri habent obstinationem majorem.

Ostenditur etiam aliquatenus in Gangrænis nonnullis & Mortificationibus carnium; quæ non excitant magnum calorem aut dolorem, ob subtilitatem putrefactionis.

Atque hæc sit *Prima Vindemiatio* sive *Interpretatio inchoata* de Forma Calidi, facta per *Permissionem intellectus*.

Ex *Vindemiatione* autem ista *prima*, Forma sive Definitio vera Caloris (ejus, qui est in ordine ad Universum, non relativus tantummodo ad Sensum) talis est, brevi verborum complexu. *Calor est Motus Expansivus, cohibitus, & nitens per partes minores.* Modificatur autem Expansio; *ut expandendo in ambitum, nonnihil tamen inclinet versus superiora.* Modificatur autem & Nixus ille per partes; *ut non sit omnino segnis, sed incitatus, & cum impetu nonnullo.*

Quod vero ad Operativam attinet, eadem res est. Nam designatio est talis *Si in aliquo corpore naturali poteris excitare Motum ad se dilatandum, aut expandendum; eumque Motum ita reprimere & in se vertere, ut dilatatio illa non procedat æqualiter, sed partim obtineat, partim retrudatur; proculdubio generabis Calidum:* non habita ratione, sive corpus illud sit Elementare, (ut loquuntur) sive imbutum à Cœlestibus; sive luminosum, sive opacum: sive tenue, sive densum; sive localiter expansum, sive intra claustra dimensionis primæ contentum; sive vergens ad dissolutionem, sive manens in statu; sive Animal, sive Vegetabile, sive Minerale; sive Aqua, sive Oleum, sive Aër; aut aliqua alia substantia quæcunque susceptiva Motus prædicti. Calidum autem ad Sensum, res eadem est: sed cum analogia, qualis competit Sensui. Nunc vero ad ulteriora auxilia procedendum est.

Aphor. XXI.

POst *Tabulas Comparentiæ primæ & Rejectionem* sive *Exclusivam*, nec non *Vindemiationem primam* factam secundum eas; pergendum est ad reliqua auxilia Intellectus, circa *Interpretationem Naturæ*, & *Inductionem* veram ac perfectam. In quibus proponendis, ubi opus erit Tabulis, procedemus super Calidum & Frigidum; ubi autem opus erit tantum Exemplis paucioribus, procedemus per alia omnia: ut nec confundatur Inquisitio, & tamen Doctrina versetur minus in angusto.

Dicemus itaque primo loco, de *Prærogativis Instantiarum*: Secundo, de *Adminiculis Inductionis*: Tertio, de *Rectificatione Inductionis*: Quarto, de *Variatione Inquisitionis pro Natura Subjecti*: Quinto, de *Prærogativis Naturarum* quatenus ad Inquisitionem; sive de eo quod inquirendum est prius & posterius: Sexto, de *Terminis Inquisitionis*, sive de *Synopsi* omnium *Naturarum* in Universo: Septimo, de *Deductione ad Praxin*, sive de eo quod est in Ordine ad Hominem: Octavo, de *Parascevis ad Inquisitionem*: Postremo autem, de *Scala Ascensoria & Descensoria Axiomatum.*

XXII.

INter *Prærogativas Instantiarum*, Primo proponemus *Instantias Solitarias*. Eæ autem sunt *Solitariæ*, quæ exhibent Naturam, de qua fit Inquisitio, in talibus Subjectis quæ nil habent commune cum aliis Subjectis, præter illam ipsam Naturam: aut rursus quæ non exhibent Naturam, de quo fit Inquisitio, in talibus Subjectis quæ sunt similia per omnia cum aliis Subjectis, præterquam in illa ipsa Natura. Manifestum enim est, quod hujusmodi instantiæ tollant ambages, atque accelerent & roborent *Exclusivam*; adeo ut paucæ ex illis sint instar multarum.

Exempli gratia: si fiat Inquisitio de Natura *Coloris*, *Instantiæ solitariæ* sunt Prismata, Gemmæ Crystallinæ, quæ reddunt colores, non solum in se, sed exterius supra parietem. Item Rores, &c. Istæ enim nil habent commune cum coloribus fixis in Floribus, Gemmis coloratis, Metallis, Lignis, &c. præter ipsum colorem. Unde facile colligitur, quod Color nil aliud sit quam Modificatio imaginis lucis immissæ & receptæ: in priore genere, per gradus diversos Incidentiæ; in posteriore, per Texturas & Schematismos varios corporis. Istæ autem, *Instantiæ* sunt *solitariæ* quatenus ad Similitudinem.

Rursus in eadem Inquisitione, venæ distinctæ Albi & Nigri in Marmoribus & variegationes colorum in Floribus ejusdem speciei, sunt *Instantiæ solitariæ* Album enim & Nigrum Marmoris, & maculæ Albi & Purpurei in floribus Caryophylli, conveniunt fere in omnibus præter ipsum colorem. Unde facile colligitur, Colorem non multum rei habere cum Naturis alicujus corporis intrinsecis, sed tantum situm esse in Positura partium crassiori & quasi Mechanica. Istæ autem *Instantiæ* sunt *Solitariæ*, quatenus ad Discrepantiam. Utrunque

que autem genus, *Instantias solitarias* appellare consuevimus, aut *ferinas*, sumpto vocabulo ab Astronomis.

XXIII.

INter prærogativas Instantiarum, ponemus secundo loco *Instantias migrantes*. Eæ sunt, in quibus Natura Inquisita migrat ad generationem, cum prius non existeret; aut contra migrat ad corruptionem, cum prius existeret. Itaque in utraque Antistrophe, Instantiæ tales sunt semper geminæ; vel potius una Instantia in motu, sive transitu, producta ad periodum adversam. At hujusmodi Instantiæ non solum accelerant & roborant *Exclusivam*, sed etiam compellunt *Affirmativam*, sive Formam ipsam, in angustum. Necesse est enim ut Forma rei sit quippiam, quod per hujusmodi *Migrationem* indatur; aut contra per hujusmodi *Migrationem* tollatur, & destruatur. Atque licet omnis Exclusio promoveat *Affirmativam*, tamen hoc magis directe fit in subjecto eodem, quam in diversis. Forma autem (ut ex omnibus quæ dicta sunt manifesto liquet) prodens se in uno, ducit ad omnia. Quo autem simplicior fuerit *Migratio*; eo magis habenda est Instantia in pretio. Præterea *Instantiæ Migrantes* magni sunt usus ad partem Operativam; quia cum proponant Formam copulatam cum Efficiente aut Privante, perspicue designant praxin in aliquibus; unde facilis etiam est transitus ad proxima. Subest tamen in illis nonnihil periculi; quod indiget cautione; hoc videlicet, ne Formam nimis retrahant ad Efficientem, & Intellectum perfundant, vel saltem perstringant falsa opinione de Forma, ex intuitu Efficientis. Efficiens vero semper ponitur nil aliud esse, quam vehiculum, sive deferens Formæ. Verum huic rei, per *Exclusivam* legitime factam, facile adhibetur remedium.

Proponendum itaque est jam Exemplum *Instantiæ Migrantis*. Sit Natura inquisita, Candor, sive Albedo: *Instantia Migrans* ad generationem, est vitrum integrum, & vitrum pulverisatum. Similiter, Aqua simplex, & Aqua agitata in spumam. Vitrum enim integrum, & Aqua simplex, Diaphana sunt, non Alba: At vitrum pulverisatum, & Aqua in spuma, Alba, non Diaphana. Itaque quærendum, quid acciderit ex ista *Migratione* Vitro, aut Aquæ. Manifestum enim est, Formam Albedinis deferri & invehi per istam contusionem Vitri, & agitationem Aquæ. Nihil autem reperitur accessisse, præter comminutionem partium Vitri & Aquæ, & Aëris insertionem. Neque vero parum profectum est ad inveniendam Formam Albedinis, quod corpora duo per se Diaphana, sed secundum magis & minus, (Aër scilicet & Aqua, aut Aër & Vitrum) simul posita, per minutas portiones exhibeant Albedinem, per refractionem inæqualem radiorum lucis.

Verum hac in re proponendũ est etiam Exemplum periculi & cautionis, de quibus diximus. Nimirum facile hic occurret Intellectui ab hujusmodi Efficientibus depravato, quod ad Formam Albedinis Aër semper requiratur; quod Albedo generetur tantum per corpora Diaphana, quæ omnino falsa sunt, & per multas Exclusiones convicta. Quin potius apparebit, (misso Aëre, & hujusmodi) corpora omnino æqualia (secundum portiones Opticas) dare Diaphanum; corpora vero inæqualia, per texturam simplicem, dare Album; corpora inæqualia secundum texturam compositam, sed ordinatam, dare reliquos colores, præter Nigrum; corpora vero inæqualia per texturam compositam, sed omnino inordinatam & confusam dare Nigrum. Itaque de *Instantia Migrante* ad generationem in Natura inquisita albedinis, propositum est jam Exemplum. *Instantia* autem *migrans* ad corruptionem in eadem Natura albedinis, est Spuma dissoluta. Exuit enim albedinem, & induit diaphanum aqua, postquam fit Integrale sine aëre.

Neque vero illud ullo modo prætermittendum est, quod sub *Instantiis migrantibus* comprehendi debeant non tantum illæ quæ migrant ad Generationem & Privationem; sed etiam illæ quæ *migrant* ad Majorationem & Minorationem; cum illæ etiam tendant ad inveniendam Formam, ut per definitionem Formæ superius factam, & *Tabulam Graduum*, manifesto liquet. Itaque Papyrus, quæ sicca quum fuerit, alba est; at madefacta (exclusо aëre, & recepta aqua) minus alba est, & magis vergit ad Diaphanum; similem habet rationem cum *Instantiis* supradictis.

XXIV.

INter Prærogativas Instantiarum, tertio loco ponemus *Instantias ostensivas*, de quibus in *Vindemiatione prima de Calido* mentionem fecimus; quas etiam *Elucescentias* sive *Instantias liberatas*, & *prædominantes*, apppellare consuevimus. Eæ sunt, quæ ostendunt Naturam Inquisitam nudam & substantivam, atque etiam in exaltatione sua, aut summo gradu Potentiæ suæ; emancipatam scilicet, & liberatam ab impedimentis, vel saltem per fortitudinem suæ virtutis dominantem super ipsa, eaque supprimentem & coercentem. Cum enim omne Corpus suscipiat multas Naturatũ Formas copulatas, & in Concreto; fit ut alia aliam retundat, deprimat, frangat, & liget; unde obscurantur Formæ singulæ. Inveniuntur autem subjecta nonnulla, in quibus Natura Inquisita præ aliis est in suo vigore, vel per absentiam impedimenti, vel per prædominantiam virtutis. Hujusmodi autem *Instantiæ* sunt maxime *ostensivæ* Formæ. Verum & in his ipsis Instantiis adhibenda est cautio, & cohibendus impetus Intellectus. Quicquid enim ostentat Formam, eamque trudit, ut videatur occurrere Intellectui, pro suspecto habendum est, & recurrendum ad *Exclusivam* severam & diligentem.

Exempli gratia; sit Natura inquisita, Calidum, *Instantia ostensiva* Motus Expansionis, quæ (ut superius dictum est) portio est præcipua Formæ Calidi, est Vitrum Calendare Aëris. Etenim Flamma, licet manifesto exhibeat Expansionem; tamen propter momentaneam extinctionem non ostendit progressum Expansionis. Aqua autem fervens, propter facilem transitionem aquæ in vaporem & aërem, non tam bene ostendit Expansionem Aquæ in corpore suo. Rursus Ferrum ignitum & similia, tantum abest ut progressum ostendant, ut contra per retusionem & fractionem spiritus, per partes compactas & crassas, (quæ domant & frænant Expansionem) ipsa Expansio non sit omnino conspicua ad sensum. At Vitrum Calendare clarè ostendit Expansionem in Aëre, & conspicuam, &

progredientem, & durantem, neque transeuntem.

Rursus, Exempli gratia; sit Natura inquisita, Pondus. *Instantia Ostensiva* Ponderis, est Argentum vivum. Omnia enim superat pondere magno intervallo, præter Aurum; quod non multo gravius est. At præstantior Instantia est ad indicandam Formam ponderis Argentum vivum, quam Aurum; quia Aurum solidum est, & Consistens, quod genus referri videtur ad Densum; at Argentum vivum liquidum est, & turgens Spiritu, & tamen multis partibus exuperat gravitate Diamantem, & ea quæ putantur solidissima. Ex quo ostenditur, Formam gravis, sive ponderosi, dominari simpliciter in copia Materiæ, & non in arcta Compage.

XXV.

INter Prærogativas Instantiarum ponemus quarto loco *Instantias Clandestinas*, quas etiam *Instantias Crepusculi* appellare consuevimus. Eæ sunt veluti oppositæ *Instantiis Ostensivis*. Exhibent enim Naturam inquisitam in infima virtute, & tanquam in incunabulis, & rudimentis suis; tentantem, & tanquam primo experientem, sed sub contraria Natura latentem, & subactam. Sunt autem hujusmodi *Instantiæ* magni omnino momenti, ad inveniendas Formas; quia sicut *Ostensivæ* ducunt facile ad Differentias, ita *Clandestinæ* ducunt optime ad Genera; id est, ad Naturas illas Communes, quarum Naturæ inquisitæ nihil aliud sunt quàm limitationes.

Exempli gratia; sit Natura Inquisita, Consistens, sive se Determinans; cujus contrarium est Liquidum, sive Fluens. *Instantiæ Clandestinæ* sunt illæ, quæ exhibent gradum nonnullum debilem & infirmum Consistentis in fluido; veluti Bulla Aquæ, quæ est tanquam pellicula quædam consistens, & determinata, facta ex corpore Aquæ. Similiter Stillicidia, quæ, si adfuerit Aqua quæ succedat, producunt se in filum admodum tenue, ne discontinuetur Aqua; At si non detur talis copia Aquæ, quæ succedere possit, cadit Aqua in guttis rotundis, quæ est Figura quæ optimè Aquam sustinet contra discontinuationem. At in ipso temporis articulo, cum desinit filum Aquæ, & incipit descensus in guttis, resilit ipsa Aqua sursum ad evitandam discontinuationem. Quin in Metallis, quæ quum funduntur sunt liquida, sed magis tenacia, recipiunt se sæpe guttæ liquefactæ sursum, atque ita hærent. Simile quiddam est in Instantia Speculorum puerilium, quæ solent facere pueruli in scirpis ex saliva, ubi cernitur etiam pellicula consistens Aquæ. At multo melius se ostendit hoc ipsum in altero illo ludicro puerili; quando capiunt Aquam, per Saponem factam paulo tenaciorem; atque inflant eam per Calamum cavum, atque inde formant Aquam, tanquam in Castellum bullarum; quæ per interpositionem Aëris inducit Consistentiam, eo usque ut se projici nonnihil patiatur absque discontinuatione. Optime autem cernitur hoc in Spuma & Nive: quæ talem induunt Consistentiam, ut fere secari possint; cum tamen sint Corpora formata ex Aëre & Aqua, quæ utraque sunt liquida. Quæ omnia non obscure innuunt, Liquidum & Consistens esse Notiones tantum plebejas, & ad sensum; inesse autem revera omnibus Corporibus fugam & evitationem se discontinuandi; eam in Corporibus homogeneis (qualia sunt Liquida) esse debilem & infirmam; in Corporibus vero quæ sunt composita ex heterogeneis, magis esse vividam & fortem: propterea quod Admotio Heterogenei constringit Corpora; at Subintratio Homogenei solvit & relaxat.

Similiter, exempli gratia; Sit natura Inquisita, attractio, sive coitio corporum. *Instantia* circa Formam ejus *ostensiva* maxime insignis est, magnes. Contraria autem natura attrahenti est, non attrahens; licet in substantia simili. Veluti ferrum, quod non attrahit ferrum, quemadmodum nec plumbum plumbum, nec lignum lignum, nec aquam aqua. *Instantia* autem *clandestina* est, magnes ferro armatus, vel potius ferrum in magnete armato. Nam ita fert natura, ut magnes armatus in distantia aliqua non trahat ferrum fortius, quam magnes non armatus. Verum si admoveatur ferrum, ita ut tangat ferrum in magnete armato, tunc magnes armatus longe majus pondus ferri sustinet, quam magnes simplex & inermis; propter similitudinem substantiæ ferri versus ferrum; quæ operatio erat omnino *clandestina*, & latens in ferro, antequam magnes accessisset. Itaque manifestum est, formam Coitionis esse quippiam, quod in magnete sit vividum & robustum, in Ferro debile & latens. Itidem, notatum est, sagittas parvas ligneas absque cuspide ferrea, emissas ex sclopetis grandibus altius penetrare in materiam ligneam, (puta latera Navium, aut similia) quam easdem sagittas Ferro acuminatas, propter similitudinem substantiæ ligni ad lignum, licet hoc ante in ligno latuerit. Itidem, licet aër aërem, aut aqua aquam manifesto non trahat in Corporibus integris; tamen bulla approximata bullæ, facilius dissolvit bullam, quam si bulla illa altera abesset, ob appetitum Coitionis aquæ cum aqua, & aëris cum aëre. Atque hujusmodi *Instantiæ clandestinæ* (quæ sunt usus nobilissimi, ut dictum est) in portionibus Corporum parvis & subtilibus maxime se dant conspiciendas. Quia Massæ rerum majores, sequuntur Formas magis Catholicas, & generales; ut suo loco dicetur.

XXVI.

INter Prærogativas Instantiarum ponemus quinto loco *Instantias Constitutivas*, quas etiam *Manipulares* appellare consuevimus. Eæ sunt quæ constituunt unam speciem Naturæ inquisitæ tanquam Formam minorem. Cum enim Formæ legitimæ (quæ sunt semper convertibiles cum Naturis inquisitis) lateant in profundo, nec facile inveniantur; postulat res & infirmitas humani Intellectus, ut Formæ particulares, quæ sunt Congregativæ *Manipulorum* quorundam Instantiarum (neutiquam vero omnium) in Notionem aliquam Communem, non negligantur, verum diligentius notentur. Quicquid enim unit Naturam licet modis imperfectis; ad inventionem Formarum viam sternit. Itaque Instantiæ quæ ad hoc utiles sunt, non sunt contemnendæ potestatis, sed habent nonnullam prærogativam.

Verum in his diligens est adhibenda Cautio, ne Intellectus humanus, postquam complures ex istis Formis particularibus adinvenerit, atque inde Partitiones sive Divisiones Naturæ inquisitæ confecerit; in illis omnino acquiescat, atque ad Inventionem

tionem legitimam Formæ magnæ se non accingat; sed præsupponat, Naturam velut à radicibus esse multiplicem & divisam, atque ulteriorem Naturæ unionem, tanquam rem supervacuæ subtilitatis, & vergentem ad merum Abstractum, fastidiat & rejiciat.

Exempli gratia; sit Natura inquisita, Memoria, sive Excitans & Adjuvans memoriam. *Instantiæ Constitutivæ* sunt; Ordo, sive Distributio, quæ manifesto juvat Memoriam. Item Loci in Memoria artificiali; qui aut possunt esse Loci secundum proprium sensum, veluti Janua, Angulus, Fenestra, & similia; aut possunt esse Personæ familiares, & Notæ; aut possunt esse quidvis ad placitum; (modo in ordine certo ponantur) veluti Animalia, Herbæ; etiam Verba, Literæ, Characteres, Personæ Historicæ, & cætera; licet nonnulla ex his magis apta sint & commoda, alia minus. Hujusmodi autem Loci Memoriam insigniter juvant, eamque longe supra vires naturales exaltant. Item Carmina facilius hærent, & discuntur memoriter, quàm Prosa. Atque ex isto *Manipulo*, trium Instantiarum, videlicet Ordinis, Locorum Artificialis Memoriæ, & Versuum, constituitur Species una Auxilii ad Memoriam. Species autem illa, *Abscissio Infiniti* recte vocari possit. Cum enim quis aliquid reminisci aut revocare in Memoriam nititur; si nullam prænotionem habeat aut perceptionem ejus quod quærit, quærit certe & molitur, & hac illac discurrit, tanquam in Infinito. Quod si certam aliquam prænotionem habeat; statim abscinditur Infinitum; & fit discursus Memoriæ magis in vicino. In tribus autem illis Instantiis quæ superius dictæ sunt, prænotio perspicua est & certa. In Prima videlicet debet esse aliquid quod congruat cum Ordine: In Secunda debet esse Imago, quæ relationem aliquam habeat, sive convenientiam ad illa Loca certa: In Tertia debent esse Verba, quæ cadant in Versum. Atque ita abscinditur Infinitum. Aliæ autem Instantiæ dabunt hanc alteram Speciem; ut quicquid deducat Intellectuale ad ferendum Sensum (quæ ratio etiam præcipue viget in Artificiali Memoria) juvet Memoriam. Aliæ Instantiæ dabunt hanc alteram Speciem; ut quæ faciunt impressionem in Affectu forti, incutientia scilicet Metum, Admirationem, Pudorem, Delectationem, juvent Memoriam. Aliæ Instantiæ dabunt hanc alteram Speciem, ut quæ maxime imprimuntur à Mente pura & minus præoccupata ante vel post; veluti quæ discuntur in pueritia, aut quæ commentamur ante somnum, etiam primæ quæque rerum vices; magis hæreant in Memoria. Aliæ Instantiæ dabunt hanc alteram Speciem, ut multitudo Circumstantiarum, sive Ansarum, juvet Memoriam; veluti Scriptio per partes non continuatas; Lectio, sive Recitatio voce alta. Aliæ denique Instantiæ dabunt hanc alteram Speciem, ut quæ expectantur, & attentionem excitant, melius hæreant, quam quæ prætervolant. Itaque si scriptum aliquod vicies perlegeris, non tam facile illud memoriter disces, quam si illud legas decies, tentando interim illud recitare, & ubi deficit Memoria, inspiciendo librũ. Ita ut sint veluti Sex Formæ Minores eorũ, quæ juvant Memoriam; Videlicet Abscissio Infiniti; Deductio Intellectualis ad Sensibile; Impressio in Affectu forti; Impressio in Mente pura; Multitudo Ansarum; Præexpectatio.

Similiter, Exempli gratia; Sit Natura Inquisita, Gustus, sive Gustatio. *Instantiæ* quæ sequuntur sunt *Constitutivæ*: videlicet, quod qui non olfaciunt, sed sensu eo à Natura destituti sunt, non percipiant, aut gustu distinguant cibum rancidum, aut putridum; neque similiter Alliatum, aut Rosatum, aut hujusmodi. Rursus, illi qui per accidens Nares habent per descensum rheumatis obstructas, non discernunt aut percipiunt aliquid putridum, aut rancidum, aut Aqua Rosacea inspersum. Rursus, qui afficiuntur hujusmodi rheumate, si in ipso momento, cum aliquid fœtidum aut odoratum habent in ore, sive palato, emungant fortiter; in ipso Instanti manifestam perceptionem habent rancidi vel odorati. Quæ Instantiæ dabunt & constituent hanc Speciem, vel partem potius Gustus; ut Sensus Gustationis ex parte nihil aliud sit, quàm Olfactus interior, transiens & descendens à Narium Meatibus superioribus in Os & Palatum. At contra, Salsum, & Dulce, & Acre, & Acidum, & Austerum, & Amarum & similia; hæc (inquam) omnia æque sentiunt illi, in quibus Olfactus deest, aut obturatur, ac quisquam alius: ut manifestum sit, Sensum Gustus esse Compositum quiddam ex Olfactu interiori, & Tactu quodam exquisito; de quo nunc non est dicendi locus.

Similiter, Exempli gratia; Sit Natura inquisita, Communicatio Quantitatis, absque Commistione Substantiæ. Instantia Lucis, dabit vel constituet unam Speciem Communicationis; Calor vero & Magnes, alteram. Communicatio enim Lucis est tanquam Momentanea, & statim perit, amota Luce Originali. At Calidum, & Virtus Magnetica postquam transmissa fuerint, vel potius excitata in alio Corpore, hærent & manent ad tempus non parvum, amoto primo movente.

Denique magna est omnino Prærogativa *Instantiarum Constitutivarum*; ut quæ plurimum faciant, & ad Definitiones, (præsertim particulares) & ad Divisiones, sive Partitiones Naturarum; de quo non male dixit *Plato*, *Quod habendus sit tanquam pro Deo, qui definire & dividere bene sciat.*

XXVII.

INter Prærogativas Instantiarum ponemus sexto loco *Instantias Conformes*, sive *Proportionatas*; quas etiam *Parallelas*, sive *Similitudines Physicas*, appellare consuevimus. Eæ vero sunt, quæ ostendunt Similitudines & Conjugationes rerum, non in Formis Minoribus (quod faciunt *Instantiæ Constitutivæ*) sed plane in Concreto. Itaque sunt tanquam primi & infimi Gradus ad unionem Naturæ. Neque constituunt aliquod Axioma statim ab initio; sed indicant & observant tantùm quendam Consensum Corporum. Attamen licet non multum promoveant ad inveniendas Formas; nihilominus magna cum utilitate revelant partium Universi fabricam, & in membris ejus exercent veluti Anatomiam quandam; atque proinde veluti manu-ducunt interdum ad Axiomata sublimia & nobilia; præsertim illa quæ ad Mundi configurationem pertinent, potius quam ad Naturas & Formas simplices.

Exempli gratia; Instantiæ Conformes sunt quæ sequuntur: Speculum, & Oculus; & similiter fabrica Auris, & loca reddentia Echo. Ex qua Conformitate, præter ipsam observationem Similitudinis, quæ ad multa utilis est, proclive est insuper

colligere & formare illud Axioma; videlicet, Organa Sensuum & Corpora quæ pariunt reflexiones ad Sensus, esse similis Naturæ. Rursus ex hoc ipso admonitus Intellectus, non ægre insurgit ad Axioma quoddam altius & nobilius. Hoc nimirum; Nihil interesse inter Consensus sive Sympathias Corporum sensu præditorum, & inanimatorum sine sensu; nisi quod in illis accedat spiritus Animalis ad corpus ita dispositum; in his autem absit. Adeo ut quot sint Consensus in Corporibus inanimatis, tot possint esse sensus in Animalibus, si essent perforationes in Corpore Animato, ad discursum spiritus Animalis in membrum rite dispositum, tanquam in Organum idoneum. Et rursus, quot sint sensus in Animalibus, tot sint proculdubio Motus in Corpore inanimato, ubi Spiritus Animalis abfuerit; licet necesse sit multo plures esse Motus in Corporibus Inanimatis, quam Sensus in Animatis, propter paucitatem Organorum Sensus. Atque hujus rei ostendit se Exemplum valde manifestum in doloribus. Etenim quum sint plura genera Doloris in Animalibus, & tanquam varii illius Characteres, (veluti alius est Dolor Ustionis, alius Frigoris intensi, alius Puncturæ, alius Compressionis, alius Extensionis, & similium) certissimum est, omnia illa, quoad Motum, inesse Corporibus inanimatis; veluti Ligno, aut Lapidi, cum uritur, aut per gelu constringitur, aut pungitur, aut scinditur, aut flectitur, aut tunditur; & sic de aliis; licet non subintrent Sensus, propter absentiam Spiritus Animalis.

Item *Instantiæ Conformes* (quod mirum fortasse dictu) sunt Radices & Rami Plantarum. Omne enim Vegetabile intumescit, & extrudit partes in Circumferentiam, tam sursum quam deorsum. Neque alia est differentia Radicum & Ramorum, quam quod Radix includatur in terra, & Rami exponantur Aëri, & Soli. Si quis enim accipiat Ramum tenerum & vegetum arboris, atque illum reflectat in aliquam terræ particulam, licet non cohæreat ipsi Solo, gignit statim non Ramum, sed Radicem. Atque vice versa, si terra ponatur superius, atque ita obstruatur Lapide, aut aliqua dura substantia, ut Planta cohibeatur, nec possit frondescere sursum; edet Ramos in Aërem deorsum.

Item *Instantiæ Conformes* sunt, Gummi arborum, & pleræque Gemmæ rupium. Utraque enim nil aliud sunt, quam Exudationes & percolationes Succorum: In primo genere scilicet, Succorum ex Arboribus; in secundo, ex saxis; unde gignitur Claritudo & splendor in utrisque, per percolationem nimirum tenuem & accuratam. Nam inde fit etiam, quod Pili Animalium non sint tam pulchri, & tam vividi caloris, quam Avium Plumæ complures; quia Succi non tam delicatè percolantur per cutem, quam per calamum.

Item *Instantiæ Conformes* sunt, Scrotum in Animalibus Masculis; & Matrix in Femellis. Adeo ut nobilis illa Fabrica, per quam Sexus differunt, (quatenus ad Animalia terrestria) nil aliud videatur esse, quàm secundum Exterius, & Interius; videlicet majore Caloris genitalia in Sexu Masculo protrudente in exterius, ubi in Femellis nimis debilis est Calor, quam ut hoc facere possit; unde accidit, quod contineantur Interius.

Item *Instantiæ Conformes* sunt, Pinnæ Piscium, & Pedes Quadrupedum, aut Pedes & Alæ Volucrum, quibus addidit *Aristoteles* quatuor volumina in motu Serpentum. Adeo ut in Fabrica Universi, Motus viventium plerumque videatur expediri per quaterniones Artuum sive Flexionum.

Item Dentes in Animalibus terrestribus, & Rostra in Avibus, sunt *Instantiæ Conformes*; unde manifestum est in omnibus Animalibus perfectis fluere duram quandam substantiam versus Os.

Item non absurda est Similitudo & Conformitas illa, ut Homo sit tanquam Planta inversa. Nam radix nervorum & facultatum Animalium, est Caput; Partes autem seminales sunt infimæ, non computatis extremitatibus tibiarum, & brachiorum. At in Planta, radix (quæ instar Capitis est) regulariter infimo loco collocatur; semina autem supremo.

Denique illud omnino præcipiendum est, & sæpius monendum; ut diligentia hominum in Inquisitione & Congerie Naturalis Historiæ deinceps mutetur plane, & vertatur in contrarium ejus quod nunc in usu est. Magna enim hucusque, atque adeo curiosa fuit hominum industria, in notanda rerum varietate, atque explicandis accuratis Animalium, Herbarum, & Fossilium differentiis; quarum pleræque magis sunt Lusus Naturæ, quam seriæ alicujus utilitatis versus Scientias. Faciunt certe hujusmodi Res ad delectationem, atque etiam quandoque ad Praxin; verum ad introspiciendam Naturam parum, aut nihil. Itaque convertenda plane est opera ad inquirendas & notandas rerum Similitudines & Analoga, tam in integralibus, quam partibus. Illæ enim sunt, quæ Naturam uniunt, & constituere Scientias incipiunt.

Verum in his omnino est adhibenda Cautio gravis, & severa; ut accipiantur pro *Instantiis Conformibus & Proportionatis* illæ quæ denotant Similitudines) ut ab initio diximus) Physicas; id est, reales & substantiales, & immersas in Natura; non fortuitas & ad speciem; multo minus superstitiosas aut curiosas, quales Naturalis Magiæ scriptores (homines levissimi, & in rebus tam seriis, quales nunc agimus, vix nominandi) ubique ostentant; magna cum vanitate & desipientia inanes Similitudines & Sympathias rerum describentes, atque etiam quandoque affingentes.

Verum his missis, etiam in ipsa Configuratione Mundi in Majoribus, non sunt negligendæ *Instantiæ Conformes*: veluti Africa, & Regio Peruviana, cum Continente se porrigente usque ad Fretum Magellanicum. Utraque enim Regio habet similes Isthmos, & similia Promontoria, quod non temere accidit.

Item Novus & Vetus Orbis; in eo quod utriq; Orbes versus Septentriones lati sunt, & exporrecti; versus Austrum autem angusti & acuminati.

Item *Instantiæ Conformes* nobilissimæ sunt, Frigora intensa in media (quam vocant) Aëris Regione; & Ignes acerrimi, qui sæpe reperiuntur erumpentes ex locis subterraneis; quæ duæ res sunt Ultimitates & Extrema; Naturæ scilicet Frigidi, versus Ambitum Cœli, & Naturæ Calidi versus viscera Terræ; per Antiperistasin, sive Rejectionem Naturæ Contrariæ.

Postremo autem in Axiomatibus Scientiarum, notatu digna est *Conformitas Instantiarum*.

Veluti

Veluti Tropus Rhetoricæ, qui dicitur *Præter Expectatum*, conformis est Tropo Musicæ, qui vocatur *Declinatio Cadentiæ*. Similiter, Postulatum Mathematicum, ut *quæ eidem Tertio æqualia sunt, etiam inter se sint æqualia*, conforme est cum Fabrica Syllogismi in Logica; qui unit ea quæ conveniunt in Medio. Deniq; multũ utilis est in quamplurimis Sagacitas quædã in conquirendis & indagandis Conformitatibus & Similitudinibus Physicis.

XXVIII.

INter *Prærogativas Instantiarum*, Ponemus septimo loco *Instantia Monodicas*; quas etiam *Irregulares*, sive *Heteroclitas* (sumpto vocabulo à Grammaticis) appellare consuevimus. Eæ sunt, quæ ostendunt corpora in Concreto; quæ videntur esse Extravagantia, & quasi Abrupta in Natura, & minime convenire cum aliis rebus ejusdem generis. Etenim *Instantiæ Conformes* sunt similes alterius: at *Instantiæ Monodicæ* sunt sui similes. Usus vero *Instantiarum Monodicarum* est talis, qualis est *Instantiarum Clandestinarum*: vid. ad evehendam & uniendam Naturam ad invenienda Genera, sive Communes Naturas, limitandas postea per Differentias veras. Neq; enim desistendum ab Inquisitione, donec proprietates & qualitates, quæ inveniuntur in hujusmodi rebus, quæ possunt censeri pro Miraculis Naturæ, reducantur & comprehendantur sub aliqua Forma sive Lege certa: ut Irregularitas sive Singularitas omnis reperiatur pendere ab aliqua Forma Communi; Miraculum vero illud sit tandem solummodo in Differentiis accuratis, & gradu & concursu raro, & non in ipsa Specie: Ubi nunc Contemplationes hominum non procedant ultra, quam ut ponant hujusmodi res pro Secretis & Magnalibus Naturæ, & tanquam Incausabilibus, & pro Exceptionibus Regularum Generalium.

Exempla *Instantiarum Monodicarum* sunt, Sol, & Luna inter Astra; Magnes, inter Lapides; Argentum vivum, inter Metalla; Elephas, inter Quadrupes; Sensus Veneris, inter genera Tactus; Odor Venaticus in Canibus, inter genera Olfactus. Etiam S litera apud Grammaticos, habetur pro Monodica; ob facilem compositionem quam sustinet cum Consonantibus, aliquando duplicibus, aliquando triplicibus: quod nulla alia litera facit. Plurimi autem faciendæ sunt hujusmodi Instantiæ, quia acuunt & vivificant Inquisitionem, & medentur Intellectui depravato à Consuetudine, & ab iis quæ fiunt plerunq;.

XXIX.

INter *Prærogativas Instantiarum*, ponemus loco octavo *Instantias deviantes*; Errores scilicet Naturæ, & Vaga, ac Monstra: ubi Natura declinat & deflectit à cursu ordinario. Differunt enim Errores Naturæ ab *Instantiis Monodicis*, in hoc; quod *Monodicæ* sint Miracula Specierum; at Errores sint Miracula Individuorum. Similis autem fere sunt usus; quia rectificant Intellectum adversus consueta, & revelant Formas Communes. Neq; enim in his etiam desistendum ab Inquisitione, donec inveniatur Causa hujusmodi Declinationis. Veruntamen Causa illa non exurgit ad Formam aliquam proprie, sed tantum ad *latentem processum* ad Formam. Qui enim Vias Naturæ noverit, is *Deviationes* etiam facilius observabit. At rursus, qui *Deviationes* noverit, is accuratius Vias describit.

Atq; in illo differunt etiam ab *Instantiis Monodicis*, quod magis instruant Praxin & Operativam. Nam novas Species generare, arduum admodum foret: at Species notas variare, & inde Rara multa ac Inusitata producere, minus arduum. Facilis autem transitus est à Miraculis Naturæ ad Miracula Artis. Si enim deprehendatur semel Natura in variatione sua, ejusq; ratio manifesta fuerit, expeditum erit eo deducere Naturam per Artem, quo per Casum aberraverit. Neq; solum eò, sed & aliorsum; cum Errores una parte monstrent & aperiant viam ad Errores & Deflexiones undequaque. Hic vero Exemplis non est opus, propter eorundem copiam. Facienda enim est Congeries sive Historia Naturalis particularis, omnium Monstrorum, & partuum Naturæ prodigiosorum; omnis denique Novitatis, & Raritatis, & Inconsueti in Natura. Hoc vero faciendum est cum severissimo delectu, ut constet fides. Maxime autem habenda sunt pro suspectis, quæ pendent quomodocunque à Religione; ut Prodigia *Livij*. Nec minus, quæ inveniuntur in Scriptoribus Magiæ Naturalis, aut etiam Alchymiæ, & hujusmodi hominibus; qui tanquam proci sunt & amatores fabularum. Sed depromenda sunt illa ex gravi & fida Historia, & auditionibus certis.

XXX.

INter *Prærogativas Instantiarum*, ponemus loco nono *Instantias Limitaneas*; quas etiam *participia* vocare consuevimus. Eæ vero sunt, quæ exhibent species Corporum tales, quæ videntur esse compositæ ex speciebus duabus, vel *Rudimenta* inter speciem unam & alteram. Hæ vero Instantiæ inter *Instantias Monodicas* sive *Heteroclitas* recte numerari possunt: Sunt enim in universitate rerum Raræ & Extraordinariæ. Sed tamen ob dignitatem, seorsim tractandæ & ponendæ sunt. Optime enim indicant compositionem & fabricam rerum, & innuunt causas Numeri & Qualitatis Specierum Ordinariarum in Universo, & deducunt Intellectum ab eo quod est, ad id quod esse potest.

Harum Exempla sunt: Muscus inter Putredinem & Plantam; Cometæ nonnulli inter Stellas & Meteora ignita; Pisces volantes, inter Aves & Pisces; Vespertiliones, inter Aves & Quadrupedes; Etiam

Simia quàm similis turpissima bestia nobis.

& Partus Animalium biformes, & commisti ex speciebus diversis; & similia.

XXXI.

INter *Prærogativas Instantiarum* ponemus decimo loco *Instantias Potestatis*, sive *Fascium*, (sumpto vocabulo ab Insignibus Imperii;) quas etiam *Ingenia*, sive *Manus Hominis*, appellare consuevimus. Eæ sunt Opera maxime nobilia & perfecta, & tanquam ultima in unaquaque Arte. Cum enim hoc agatur præcipue ut Natura pareat rebus & commodis humanis; consentaneum est prorsus, ut opera, quæ jampridem in potestate Hominis fuerunt, (quasi Provinciæ antea occupatæ & subactæ) notentur & numerentur; præsertim ea, quæ sunt maxime enucleata & perfecta: propterea quod ab istis proclivior & magis in propinquo sit transitus ad nova & hactenus non inventa. Si quis enim ab horum contemplatione attenta propositũ acriter & strenue urgere velit; fiet certe, ut aut producat illa paulo longiùs, aut deflectat illa ad aliquid, quod

finitimum est; aut etiam applicet & transferat illa ad usum aliquem nobiliorem.

Neq; hic finis. Verum quemadmodum ab Operibus Naturæ raris & consuetis erigitur Intellectus & elevatur ad inquirendas & inveniendas Formas, quæ etiam illorum sunt capaces: Ita etiam in Operibus Artis egregiis & admirandis hoc usu venit. Idque multo magis; quia Modus efficiendi & operandi hujusmodi Miracula Artis, manifestus ut plurimum est; cum plerumq; in Miraculis Naturæ sit magis obscurus. Attamen in his ipsis cautio est adhibenda vel maxime; ne deprimant scilicet Intellectum, & eum quasi humo affigant.

Periculum enim est, ne per hujusmodi Opera Artis, quæ videntur velut Summitates quædam & Fastigia industriæ humanæ, reddatur Intellectus attonitus & ligatus, & quasi maleficiatus quoad illa; ita ut cum aliis consuescere non possit, sed cogitet, nihil ejus generis fieri posse, nisi eadem via qua illa effecta sunt, accedente tantummodo diligentia majore; & præparatione magis accurata.

Contra illud ponendum est pro certo: vias & modos efficiendi Res & Opera, quæ adhuc reperta sunt & notata, res esse plerumq; pauperculas, atq; omnē potentiā majorē pendere & ordine derivari à fontibus Formarū, quarū nulla adhuc inventa est.

Itaq; (ut alibi diximus) qui de Machinis & Arietibus, quales erat apud Veteres, cogitasset; licet hoc fecisset obnixe, atq; ætatem in eo consumpsisset; nunquam tamen incidisset in Inventum Tormentorum igneorum operantium per Pulverem pyriū. Neq; rursus, qui in Lanificiis & Serico vegetabili observationem suam & meditationem collocasset, unquam per ea reperisset naturam Vermis aut Serici Bombycini.

Quocirca omnia Inventa, quæ censeri possunt magis Nobilia, (si animum advertas) in lucem prodiere, nullo modo per pusillas enucleationes & Extensiones Artium, sed omnino per Casum. Nihil autem repræsentat aut anticipat Casum, (cujus mos est, ut tantum per longa sæcula operetur) præter Inventiones Formarum.

Exempla autem hujusmodi Instantiarum particularia nihil opus est adducere, propter copiam eorundem. Nam hoc omnino agendum, ut visitentur & penitus introspiciantur omnes Artes Mechanicæ, atq; Liberales etiam (quatenus ad Opera) atq; inde facienda est Congeries sive Historia Particularis, tanquam Magnalium, & Operum Magistraliū, & maxime perfectorum in unaquaq; ipsarum: una cum Modis effectionis sive operationis.

Neq; tamen astringimus Diligentiam, quæ adhibenda est in hujusmodi Collecta ad ea quæ censentur pro Magisteriis & Arcanis alicujus Artis tantum, atq; movent admirationem. Admiratio enim proles est Raritatis: Siquidem Rara, licet in genere sint ex Vulgatis Naturis, tamē Admirationē pariunt.

At contra, quæ revera Admirationi esse debent, propter discrepantiam quæ inest illis in specie, collatis ad alias species; tamen si in usu familiari præsto sint; leviter notantur. Debent autem notari *Monodica* Artis, non minus quam *Monodica* Naturæ; de quibus antea diximus. Atq; quemadmodum in *Monodicis* Naturæ posuimus Solem, Lunam, Magnetem, & similia, quæ Re vulgatissima sunt, sed Natura tamen fere singulari: itidem & de *Monodicis* Artis faciendum est.

Exempli gratia: Instantia *Monodica* Artis, est Papyrus; res admodum vulgata. At si diligenter animum advertas, Materiæ Artificiales aut plane Textiles sunt per fila directa & transversa; qualia sunt, Pannus Sericus, aut Laneus, & Linteus, & hujusmodi: aut coagmentantur ex succis concretis; qualia sunt Later, aut Argilla figularis, aut Vitrum, aut Esmalta, aut Porcellana, & similia: quæ si bene uniantur, splendent; sin minus, indurantur certe, sed non splendent. Attamen omnia talia, quæ fiunt ex succis concretis, sunt fragilia; nec ullo modo hærentia, & tenacia. At contra, Papyrus est corpus tenax, quod scindi & lacerari possit, ita ut imitetur & fere æmuletur Pellem sive Membranam alicujus Animalis, aut Folium alicujus Vegetabilis, & hujusmodi opificia Naturæ. Nam neque fragilis est, ut Vitrum; neque textilis, ut Pannus; sed habet fibras certe, non fila distincta, omnino ad modum Materiarum Naturalium: ut inter Artificiales Materias vix inveniatur simile aliquid, sed sit plane *Monodicum*. Atq; præferenda sane sunt in Artificialibus ea, quæ maxime accedunt ad imitationem Naturæ, aut è contrario eam potenter regunt & invertunt.

Rursus, inter *Ingenia & Manus Hominis*, non prorsus contemnenda sunt Præstigiæ & Jocularia. Nonnulla enim ex istis, licet sint usu levia & ludicra, tamen informatione valida esse possunt.

Postremo: neque omnino omittenda sunt Superstitiosa, & (prout Vocabulum sensu vulgari accipitur) Magica. Licet enim hujusmodi res sint in immensum obrutæ grandi mole Mendaciorum & fabularum; tamen inspiciendum paulisper, si forte subsit & lateat in aliquibus earum aliqua operatio Naturalis: ut in Fascino; & Fortificatione Imaginationis; & Consensu rerum ad distans: & Transmissione Impressionum à Spiritu ad Spiritum, non minus quam à Corpore ad Corpus; & similibus.

XXXII.

EX iis, quæ ante dicta sunt, patet: quòd quinq; illa Instantiarum genera, de quibus diximus, (vid. *Instantiarum Conformium*, *Instantiarum Monodicarum*, *Instantiarum Deviantium*, *Instantiarum Limitanearum*, *Instantiarum Potestatis*) non debeant reservari, donec inquiratur Natura aliqua certa: (quemadmodum Instantiæ reliquæ, quas primo loco proposuimus, nec non plurimæ ex iis, quæ sequentur, reservari debent:) sed statim jam ab initio facienda est earū Collectio, tanquam Historia quædam particularis: eo quod digerant ea quæ ingrediuntur Intellectum, & corrigant pravam complexionē Intellectus ipsius, quem omnino necesse est imbui, & infici, & demum perverti ac distorqueri ab incursibus quotidianis & consuetis.

Itaque adhibendæ sunt eæ Instantiæ tanquam Præparativum aliquod ad rectificandum & expurgandum Intellectum. Quicquid enim abducit Intellectum à consuetis, æquat & complanat aream ejus, ad recipiendum Lumen siccum & purum Notionum verarum.

Quin etiam hujusmodi Instantiæ sternunt & præstruunt viam ad Operativam; ut suo loco dicemus, quando de *Deductionibus ad Praxin* sermo erit.

XXXIII.

INter *Prærogativas Instantiarum* ponemus loco undecimo *Instantias Comitatus*, atque *Hostiles*;

Hostiles; quas etiam *Instantias propositionum fixarum* appellare consuevimus. Eæ sunt Instantiæ, quæ exhibent aliquod Corpus sive Concretum tale, in quo Natura Inquisita perpetuo sequatur tanquam Comes quidam individuus: aut contra, in quo Natura Inquisita perpetuo fugiat, atq; ex *Comitatu* excludatur, ut Hostis & inimicus. Nam ex hujusmodi Instantiis formantur Propositiones certæ & universales; aut *Affirmativæ*, aut *Negativæ*: in quibus Subjectum erit tale Corpus in Concreto, Prædicatum vero Natura ipsa Inquisita. Etenim Propositiones particulares omnino *Fixæ* non sunt, ubi scilicet Natura Inquisita reperitur in aliquo Concreto fluxa & mobilis, vid. Accedens, sive Acquisita; aut rursus Recedens, sive Deposita. Quocirca particulares Propositiones non habent *Prærogativam* aliquam majorem, nisi tantum in Casu *Migrationis*; de quo antea dictum est. Et nihilominus, etiam Particulares illæ Propositiones comparatæ & collatæ cum Universalibus, multum juvant; ut suo loco dicetur. Neq; tamen, etiam in Universalibus istis Propositionibus exactam aut absolutam Affirmationem vel Abnegationem requirimus. Sufficit enim ad id quod agitur, etiamsi Exceptionem nonnullam singularem aut raram patiantur.

Usus autem *Instantiarum Comitatus* est, ad angustandam *Affirmativam* Formæ. Quemadmodum enim in *Instantiis Migrantibus* angustatur *Affirmativa* Formæ; vid. ut necessario poni debeat Forma rei esse aliquid, quod per Actum illum *Migrationis* induit aut destruitur: Ita etiam in *Instantiis Comitatus* angustatur *Affirmativa* Formæ; ut necessario poni debeat Forma rei esse aliquid, quod talem Concretionem corporis subingrediatur, aut contra ab eadem abhorreat; ut qui bene norit Constitutionem aut Schematismum hujusmodi corporis, non longe abfuerit ab extrahenda in lucem forma Naturæ Inquisitæ.

Exempli gratia; sit Natura Inquisita, Calidum. *Instantia Comitatus*, est Flamma. Etenim in aqua, Aëre, Lapide, Metallo, & aliis quamplurimis, Calor est mobilis & accedere potest & recedere: At omnis Flamma est Calida, ita ut Calor in concretione Flammæ perpetuo sequatur. At *Instantia Hostilis* Calidi nulla reperitur apud nos. Nam de visceribus Terræ nihil constat ad sensum; sed eorum Corporum, quæ nobis notæ sunt, nulla prorsus est Concretio quæ non est susceptibilis Caloris.

At rursus, sit Natura Inquisita, Consistens: *Instantia Hostilis*, est Aër. Etenim Metallum potest fluere, potest consistere; similiter Vitrum; etiam Aqua potest consistere, cum conglaciatur: at impossibile est ut Aër unquam consistat, aut exuat fluorem.

Verum de *Instantiis* hujusmodi *Propositionum fixarum* supersunt duo Monita, quæ utilia sunt ad id quod agitur. Primum, ut si defuerit plane universalis *Affirmativa* aut *Negativa*, illud ipsum diligenter notetur tanquam Non-Ens: sicut fecimus de Calido, ubi Universalis Negativa (quatenus ad Entia quæ ad nostram notitiam pervenerint) in rerum natura deest. Similiter, si Natura Inquisita sit Æternum, aut Incorruptibile; deest Affirmativa Universalis hic apud nos. Neque enim prædicari potest *Æternum* aut *Incorruptibile* de aliquo corpore eorum, quæ infra Cœlestia sunt, aut supra interiora Terræ. Alterum Monitum est, ut Propositionibus Universalibus, tam Affirmativis quam Negativis de aliquo Concreto subjungantur simul ea Concreta, quæ proxime videntur accedere ad id quod est ex Non-Entibus: ut in Calore, Flammæ mollissimæ & minimum adurentes; in Incorruptibili, Aurum, quod proxime accedit. Omnia enim ista indicant terminos Naturæ inter Ens & Non-Ens; & faciunt ad Circumscriptiones Formarum, ne gliscant & vagentur extra conditiones Materiæ.

XXXIV.

INter *Prærogativas Instantiarum*, ponemus loco duodecimo ipsas illas *Instantias Subjunctivas*, de quibus in superiori Aphorismo diximus: quas etiam *Instantias Ultimitatis* sive *Termini* appellare consuevimus. Neque enim hujusmodi Instantiæ utiles sunt tantum, quatenus subjunguntur Propositionibus Fixis; verum etiam per se in proprietate sua. Indicant enim non obscure veras Sectiones Naturæ, & Mensuras rerum, & illud *Quousque* Natura quid faciat & ferat, & deinde Transitus Naturæ ad aliud. Talia sunt; Aurum, in Pondere; Ferrum, in Duritie; Cetæ, in Quantite Animalium; Canis, in Odore; Inflammatio Pulveris pyrii, in Expansione celeri; & alia id genus. Nec minus exhibenda sunt ea quæ sunt Ultima gradu infimo, quàm quæ supremo: ut Spiritus vini, in Pondere; Sericum, in Mollitie; Vermiculi cutis, in Quantitate Animalium; & cætera.

XXXV.

INter *Prærogativas Instantiarum*; ponemus loco decimo tertio *Instantias Fœderis* sive *Unionis*. Eæ sunt, quæ confundunt & adunant Naturas, quæ existimantur esse Heterogeneæ; & pro talibus notantur & signantur per divisiones receptas.

At *Instantiæ Fœderis* ostendunt, operationes & effectus, quæ deputantur alicui ex illis Heterogeneis ut propria, competere etiam aliis ex Heterogeneis; ut convineatur ista Heterogenia (quæ in opinione est) vera non esse, aut essentialis; sed nil aliud esse, quam Modificatio Naturæ comunis. Optimi itaq; sunt usus ad elevandum & evehendum Intellectum à Differentiis ad Genera, & ad tollendum larvas & simulachra rerum, prout occurrunt & prodeunt personatæ in substantiis Concretis.

Exempli gratia: sit Natura Inquisita, Calidum. omnino videtur esse divisio solennis & authentica, quod sint tria genera Caloris: videlicet Calor Cœlestium, Calor Animalium, & Calor Ignis: quodq; isti Calores (præsertim unus ex illis, comparatus ad reliquos duos) sint ipsa essentia & specie, sive natura specifica, differentes & plane heterogenei: Quandoquidem Calor Cœlestium & Animalium generet & foveat, at Calor Ignis contra corrumpat & destruat. Est itaq; *Instantia Fœderis*, Experimentum illud satis vulgatum, cum recipitur ramus aliquis vitis intra domum ubi sit focus assiduus, ex quo maturescunt uvæ, etiam mense integro citius quam foras: Ita ut maturatio fructus etiam pendentis super arborem fieri possit, scilicet ab Igne, cum hoc ipsum videatur esse opus proprium Solis. Itaq; ab hoc initio facile insurgit Intellectus, repudiata Heterogenia essentiali, ad inquirendum quæ sint Differentiæ illæ, quæ revera reperiuntur inter Calorem Solis & Ignis, ex quibus fit, ut eorum operationes sint tam dissimiles, utcunque illi ipsi participent ex Natura communi.

Quæ

Quæ Differentiæ reperientur quatuor : vid. Primo, quod Calor Solis respectu Caloris Ignis, sit gradu longe clementior & lenior : Secundò, quod sit (præsertim ut defertur ad nos per Aërem) qualitate multo humidior : Tertio, (quod Caput rei est) quod sit summe inæqualis, atque accedens & auctus, deinceps recedens & diminutus: id quod maxime confert ad Generationem corporum. Recte enim assecuit *Aristoteles*, causam principalem Generationum & Corruptionum quæ fiunt hic apud nos in superficie Terræ, esse viam obliquam Solis per Zodiacum: unde Calor Solis, partim per vicissitudines Diei & Noctis, partim per successiones Æstatis & Hyemis, evadit miris modis inæqualis. Neque tamen desinit ille Vir, id quod ab eo recte inventum fuit, statim corrumpere & depravare. Nam ut Arbiter scilicet Naturæ (quod illi in more est) valde magistraliter assignat causam Generationis, Accessui Solis; causam autem Corruptionis, Recessui: cum utraque res (Accessus videlicet Solis, & Recessus) non respective, sed quasi indifferenter præbeat causam tam Generationi quam Corruptioni: quandoquidem inæqualitas Caloris, Generationi & Corruptioni rerum; æqualitas, Conservationi tantum ministret. Est & Quarta Differentia inter Calorem Solis & Ignis, magni prorsus momenti: vid. quod Sol operationes suas insinuet per longa temporis spatia; ubi operationes Ignis (urgente hominum impatientia) per breviora intervalla ad exitum perducantur. Quod si quis id sedulo agat, ut Calorem Ignis attemperet & reducat ad gradum moderatiorem & leniorē; (quod multis modis facile fit) deinde etiam inspergat & admisceat nonnullam humiditatem; maxime autem si imitetur Calorem Solis in inæqualitate; postremo, si moram patienter toleret, (non certe eam quæ sit proportionata operibus Solis, sed largiorem, quam homines adhibere solent in operibus Ignis;) Is facile missam faciet Heterogeniam illam Caloris: & vel tentabit, vel exæquabit, vel in aliquibus vincet opera Solis, per Calorem Ignis. Similis *Instantia Fœderis* est, resuscitatio Papilionum, ex frigore stupentium & tanquam emortuorum, per exiguum teporem Ignis: ut facile cernas, non magis negatū esse Igni, vivificare Animantia, quam maturare Vegetabilia. Etiam Inventum illud celebre *Fracastori* de Sartagine acriter calefacta, qua circumdant Medici capita Apoplecticorum desperatorum, expandit manifeste spiritus animales, ab humoribus obstructionib. Cerebri compressos & quasi exstinctos; illosq; ad motū excitat, non aliter quam Ignis operatur in Aquam aut Aërem; & tamē per consequens vivificat. Etiam Ovā aliquando excluduntur per Calorem Ignis, id quod prorsus imitatur Calorem Animalem & complura ejusmodi, ut nemo dubitare possit, quin Calor Ignis in multis subjectis modificari possit ad imaginem Caloris Cœlestium & Animalium.

Similiter sunt Naturæ Inquisitæ, Motus & Quies. Videtur esse divisio solennis atq; ex intima Philosophia, quod corpora Naturalia vel rotent, vel ferantur recta, vel stent sive quiescant. Aut enim est Motus sine termino, aut Statio in termino, aut Latio ad terminum. At motus ille perennis Rotationis, videtur esse Cœlestium proprius: Statio sive Quies, videtur competere ipsi globo Terræ: At corpora cætera (Gravia quæ vocant, & Levia; extra loca scilicet connaturalitatis suæ sita) feruntur recta ad massas sive congregationes similium; Levia sursum, versus ambitum Cœli; Gravia deorsum, versus Terram. Atq; ista pulchra dictu sunt.

At *Instantia Fœderis*, est Cometa aliquis humilior; qui cum sit longe infra Cœlum, tamen rotat: Atque commentum *Aristotelis*, de alligatione sive sequacitate Cometæ ad Astrum aliquod, jampridem explosum est; non tantum quia ratio ejus non est probabilis, sed propter experientiam manifestam discursus & irregularis motus Cometarum per varia loca Cœli.

At rursus alia *Instantia Fœderis* circa hoc subjectum, est Motus Aëris; qui intra Tropicos (ubi Circuli Rotationis sunt majores) videtur & ipse rotare ab Oriente in Occidentem.

Et alia rursus *Instantia* foret Fluxus & Refluxus Maris, si modo aquæ ipsæ deprehendantur ferri motu Rotationis (licet tardo & evanido) ab Oriente in Occidentem; ita tamen, ut bis in die repercutiantur. Itaq; si hæc ita se habeant; manifestum est, Motum istum Rotationis non terminari in Cœlestibus, sed communicari Aëri & Aquæ.

Etiam ista proprietas Levium, nimirum ut ferantur sursum, vacillat nonnihil. Atq; in hoc, sumi potest pro *Instantia Fœderis*, Bulla aquæ. Si enim aër fuerit subter aquam, ascendit rapide versus superficiem aquæ, per Motum illum *Plagæ*, (quam vocat *Democritus*) per quam aqua descendens percutit & attollit aërem sursum; non autem per contentionem aut nixum aëris ipsius. Atqui ubi ad superficiem ipsam Aquæ ventum fuerit, tum cohibetur Aër ab ulteriore ascensu, per levem resistentiam quam reperit in Aqua, non statim tolerante se discontinuari: ita ut exilis admodum sit appetitus Aëris ad superiora.

Similiter sit Natura Inquisita, Pondus. Est plane divisio recepta; ut Densa & Solida ferantur versus centrum Terræ, Rara autem & Tenuia versus ambitum Cœli; tanquam ad *loca* sua propria. Atque loca quod attinet; (licet in Scholis hujusmodi res valeant) plane inepta & puerilis cogitatio est, Locum aliquid posse. Itaque nugantur Philosophi, cum dicunt, quod, si perforata esset Terra, corpora gravia se sisterent quando ventum esset ad Centrum. Esset enim certe virtuosum plane & efficax genus Nihili, aut Puncti Mathematici; quod aut alia efficeret, aut rursus quod alia appeterent: Corpus enim non nisi à corpore patitur. Verum iste appetitus Adscendendi & Descendendi, aut est in Schematismo corporis quod movetur, aut in Sympathia sive consensu cum alio corpore. Quod si inveniatur aliquod corpus Densum & Solidum, quod nihilominus non feratur ad Terram; confunditur hujusmodi divisio. At si recipiatur opinio *Gilberti*, quod Magnetica vis Terræ ad alliciendum gravia, non extendatur ultra orbem Virtutis suæ, (quæ operatur semper ad distantiam certam, & non ultra) hocq; per aliquam Instantiam verificetur; ea demum erit *Instantia Fœderis* circa hoc subjectum. Neq; tamen occurrit impræsentiarum aliqua Instantia super hoc certa & manifesta. Proxime videntur accedere Cataractæ Cœli, quæ in navigationibus per Oceanum Atlanticū versus Indias utrasq; sæpe conspiciuntur. Tanta enim videtur esse vis & moles aquarum, quæ per hujusmodi Cataractas subito effunditur; ut videatur Collectio Aquarum fuisse ante facta, atq; in his locis hæsisse & mansisse, & postea potius

per

per causam violentam dejecta & detrusa esse, quam naturali motu gravitatis cecidisse: adeo ut conjici possit, corpoream molem, densam atque compactam, in magna distantia à Terra, fore pensilem tanquam Terram ipsam; nec casuram, nisi dejiciatur. Verum de hoc nil certi affirmamus. Interim in hoc & in multis aliis facile apparebit, quam inopes simus Historiæ Naturalis, cum loco Instantiarum certarum, nonnunquam Suppositiones afferre pro Exemplis cogamur.

Similiter sit Natura Inquisita, Discursus Ingenii. Videtur omnino divisio vera, Rationis Humanæ, & Solertiæ Brutorum. Attamen sunt nonnullæ Instantiæ actionum, quæ eduntur à Brutis, per quas videntur etiam Bruta quasi syllogizare: ut memoriæ proditum est de Corvo; qui per magnas siccitates fere enectus siti, conspexit aquam in trunco cavo arboris; atque cum non daretur ei intrare propter angustias, non cessavit jacere multos lapillos, per quos surgeret & ascenderet aqua, ut bibere posset; quod postea cessit in Proverbium.

Similiter sit Natura Inquisita, Visibile. Videtur omnino esse divisio vera & certa; Lucis, quæ est Visibile originale, & primam copiam facit visui; & Coloris, qui est Visibile secundarium, & sine luce non cernitur, ita ut videatur nil aliud esse quam imago aut modificatio Lucis. Attamen ex utraque parte circa hoc videntur esse *Instantiæ Fœderis*, scilicet, Nix in magna quantitate, & Flamma sulphuris: in quarum altera videtur esse Color primulum lucens, in altera Lux vergens ad colorem.

XXXVI.

INter Prærogativas Instantiarum ponemus loco decimo quarto *Instantias Crucis*; translato vocabulo à *Crucibus*, quæ erectæ in Biviis, indicant & signant viarum separationes. Has etiam *Instantias Decisorias*, & *Judiciales*, & in Casibus nonnullis *Instantias Oraculi*, & *Mandati*, appellare consuevimus. Earum ratio talis est. Cum in Inquisitione Naturæ alicujus, Intellectus ponitur tanquam in Æquilibrio, ut incertus sit, utri Naturarum è duabus, vel quandoq; pluribus, Causa Naturæ Inquisitæ attribui aut assignari debeat, propter complurium Naturarum concursum frequentem & ordinarium; *Instantiæ Crucis* ostendunt consortium unius ex Naturis (quoad Naturam Inquisitam) fidum & indissolubile, alterius autem varium & separabile; unde terminatur quæstio, & recipitur Natura illa prior pro Causa, missa altera & repudiata. Itaq; hujusmodi Instantiæ sunt maximæ lucis, & quasi magnæ authoritatis; ita ut Curriculum Interpretationis quandoque in illas desinat, & per illas perficiatur. Interdum autem *Instantiæ Crucis* illæ occurrunt & inveniuntur inter jam pridem notatas, At ut plurimum Novæ sunt, & de Industria atque ex Composito quæsitæ & applicatæ, & diligentia sedula & acri tandem erutæ.

Exempli gratia; sit Natura Inquisita Fluxus & Refluxus Maris, ille bis repetitus in die, atque sexhorarius, in accessibus & recessibus singulis, cum differentia nonnulla quæ coincidit in Motum Lunæ. Bivium circa hanc Naturam tale est.

Necesse prorsus est, ut iste Motus efficiatur, vel ab Aquarum Progressu & Regressu, in modum Aquæ in pelvi agitatæ, quæ quando latus unum pelvis alluit, deserit alterum; vel à Sublatione & subsidentia Aquarum è profundo, in modum Aquæ ebullientis, & rursus subsidentis. Utri verò Causæ fluxus & Refluxus ille assignari debeat, oritur dubitatio. Quod si recipiatur prior Assertio, necesse est ut cum sit Fluxus in Mari ex una parte, fiat sub idem tempus alicubi in Mari Refluxus ex alia. Itaq; ad hoc reducitur Inquisitio. Atqui observavit *Acosta*, cùm aliis nonnullis (diligenti facta Inquisitione) quod ad littora Floridæ, & ad littora adversa Hispaniæ & Africæ, fiant Fluxus Maris ad eadem tempora, & refluxus indem ad eadem tempora; non contra, quod cum fluxus fit ad littora Floridæ, fiat refluxus ad littora Hispaniæ & Africæ. Attamen adhuc diligentius attendenti, non per hoc evincitur Motus Attollens, & abnegatur Motus in progressu. Fieri enim potest, quod sit Motus Aquarum in progressu, & nihilo minus inundet adversa littora ejusdem Alvei simul, Si Aquæ scilicet illæ contrudantur & compellantur aliunde quemadmodum fit in Fluviis, qui fluunt & refluunt ad utrunq; litus horis iisdem, cum tamen iste Motus liquido sit Motus in Progressu, nempe Aquarum ingredientium ostia Fluminum ex Mari. Itaq; simili modo fieri potest, ut Aquæ venientes magna mole ab Oceano Orientali Indico, compellantur & trudantur in Alveum Maris Atlantici, & propterea inundent utrumq; latus simul. Quærendum itaque est, an sit alius Alveus, per quem Aquæ possint iisdem temporibus minui & refluere. Atq; præsto est Mare Australe, Mari Atlantico neutiquam minus, sed potius magis latum & extensum, quod ad hoc sufficere possit.

Itaq; jam tandem perventum est ad *Instantiam Crucis* circa hoc subjectum. Ea talis est. Si pro certo inveniatur, quod cum sit Fluxus ad littora adversa tam Floridæ, quam Hispaniæ, in Mari Atlantico; fiat simul Fluxus ad littora Peruviæ, & juxta dorsum Chinæ in Mari Australi; Tum certe per hanc *Instantiam Decisoriam* ab judicanda est Assertio, quod Fluxus & Refluxus Maris de quo inquiritur, fiat per Motum Progressivum. Neque enim relinquitur aliud Mare, aut locus, ubi possit ad eadem tempora fieri Regressus, aut Refluxus. Commodissime autem hoc sciri possit, si inquiratur ab Incolis Panamæ & Limæ, (ubi uterq; Oceanus, Atlanticus & Australis, per parvum Isthmum separantur) utrum ad contrarias Isthmi partes fiat simul Fluxus & Refluxus Maris, an è contra. Verum hæc Decisio, sive Ab judicatio certa videtur, posito quod Terra stet immobilis. Quod si Terra rotet, fieri fortasse potest, ut ex inæquali rotatione (quatenus ad celeritatem sive incitationem) Terræ & Aquarum Maris, sequatur Compulsio violenta Aquarum in Cumulum sursum, quæ sit Fluxus, & Relaxatio earundē, (postquam amplius cumulari non sustinuerint) in deorsum, quæ sit Refluxus. Verum de hoc facienda est Inquisitio separatim. Attamen etiam hoc supposito, illud æque manet fixum, quod necesse sit fieri alicubi Refluxum Maris ad eadem tempora, quibus fiunt Fluxus in aliis partibus.

Similiter, sit Natura Inquisita, posterior ille Motus ex duobus quos supposuimus; videlicet Motus Maris se attollens, & rursus subsidens; si forte ita acciderit, ut (diligenti facto examine) rejiciatur Motus alter, de quo diximus, Progressivus. Tum vero erit Trivium circa hanc Naturā tale. Necesse est, ut Motus iste, per quem Aquæ in Fluxibus & Refluxibus se attollunt, & rursus relabuntur, absq; aliqua accessione Aquarum aliarum quæ advolvuntur,

vuntur, fiat per unum ex his tribus modis; vel quod ista aquarum copia emanet ex interioribus Terræ, & rursus in illa se recipiat; vel quod non sit aliqua ampliorm oles Aquarum, sed quod eædem Aquæ (non aucto Quanto suo) extendantur, sive rarefiant, ita ut majorem locum & dimensionem occupent, & rursus se contrahant; vel quod nec Copia accedat major, nec Extensio amplior, sed eædem Aquæ (prout sunt, tam Copia, quam Densitate aut Raritate) per vim aliquam Magneticam desuper eas attrahentem, & evocantem, & per Consensum, se remittant. Itaque reducatur (si placet) jam Inquisitio (missis duobus illis Motibus prioribus) ad hunc ultimum; & inquiratur si fiat aliqua talis Sublatio per Consensum, sive vim Magneticam. Atqui primo manifestum est, universas Aquas, prout ponuntur in Fossa, sive Cavo Maris, non posse simul attolli, quia deesset quod succederet in fundo; adeo ut si foret in Aquis aliquis hujusmodi appetitus se attollendi, ille ipse tamen à Nexu rerum, sive (ut vulgo loquuntur) ne detur Vacuum, fractus foret & cohibitus. Relinquitur, ut attollantur Aquæ ex aliqua parte, & per hoc minuantur & cedant ex alia. Enimvero rursus necessario sequetur, ut vis illa Magnetica, cum super Totum operari non possit, circa Medium operetur intensissime; ita ut Aquas in Medio attollat; illæ vero sublatæ, latera per successionem deserant & destituant.

Itaq; jam tandem perventum est ad *Instantiam Crucis* circa hoc subjectum. Ea talis est: Si inveniatur, quod in Refluxibus Maris, Aquarum superficies in Mari sit arcuata magis & rotunda, attollentibus se scilicet Aquis in medio Maris, & deficientibus circa latera, quæ sunt litora; & in Fluxibus eadem superficies sit magis plana & æqua, redeuntibus scilicet Aquis ad priorem suam positionem; tum certe per hanc *Instantiam Decisoriam* potest recipi Sublatio per vim Magneticam; aliter prorsus abjudicanda est. Hoc vero in Fretis per lineas nauticas non difficile est experiri; videlicet utrum in Refluxibus versus Medium Maris Mare non sit magis altum sive profundum, quam in Fluxibus. Notandum autem est, si hoc ita sit, fieri (contra ac creditur) ut attollant se Aquæ in Refluxibus, demittant se tantum in Fluxibus, ita ut littora vestiant & inundent.

Similiter, sit Natura Inquisita, Motus Rotationis spontaneus, & speciatim, utrum Motus Diurnus, per quem Sol & Stellæ ad conspectum nostrum oriuntur & occidunt, sit Motus Rotationis verus in Cœlestibus; aut motus apparens in Cœlestibus, verus in Terra. Poterit esse *Instantia Crucis* super hoc subjectum talis. Si inveniatur Motus aliquis in Oceano ab Oriente in Occidentem, licet admodum languidus & enervatus; Si idem Motus reperiatur paulo incitatior in Aëre, præsertim intra Tropicos, ubi propter majores Circulos est magis perceptibilis; Si idem Motus reperiatur in humilioribus Cometis, jam factus vivus & validus; Si idem Motus reperiatur in Planetis, ita tamen dispensatus & graduatus, ut quo propius absit à Terra, sit tardior; quo longius, celerior, atque in Cœlo demum stellato sit velocissimus; Tum certe recipi debet Motus diurnus pro vero in Cœlis, & abnegandus est Motus Terræ; quia Manifestum erit, Motum ab Oriente in Occidentem esse plane Cosmicum, & ex Consensu Universi, qui in Summitatibus Cœli maxime rapidus, gradatim labascat, & tandem desinat & extinguatur in Immobili, videlicet Terra.

Similiter, sit Natura Inquisita, Motus Rotationis ille alter apud Astronomos decantatus, renitens & contrarius Motui diurno, videlicet ab Occidente in Orientem, quem veteres Astronomi attribuunt Planetis, etiam Cœlo stellato, at *Copernicus*, & ejus Sectatores, Terræ quoque; & quæratur, utrum inveniatur in rerum Natura aliquis talis Motus, an potius res conficta sit & supposita, ad Compendia & Commoditates Calculationum, & ad pulchrum illud, scilicet de expediendis Motibus Cœlestibus per Circulos perfectos. Neutiquam enim evincitur iste Motus esse in Supernis verus & realis, nec per Defectum Restitutionis Planetæ in Motu diurno ad idem punctum Cœli stellati, nec per diversam Politatem Zodiaci, habito respectu ad Polos Mundi, quæ duo nobis hunc Motum pepererunt. Primum enim Phænomenon per Anteversionem & Derelictionem optime salvatur, Secundum per Lineas Spirales; adeo ut Inæqualitas Restitutionis & Declinatio ad Tropicos, possint esse potius Modificationes Motus unici illius diurni, quam Motus renitentes, aut circa diversos Polos. Et certissimum est, si paulisper pro Plebeiis nos geramus, (missis Astronomorum & Scholæ commentis, quibus illud in more est, ut Sensui in multis immerito vim faciant, & obscuriora malint) talem esse Motũ istum ad Sensum, qualem diximus: Cujus imaginem per fila ferrea (veluti in Machina) aliquando repræsentari fecimus.

Verum Instantia Crucis super hoc subjectum poterit esse talis. Si inveniatur in aliqua Historia fide digna, fuisse Cometam aliquem, vel sublimiorem, vel humiliorem, qui non rotaverit cum Consensu manifesto (licet admodum irregulariter) Motus diurni, sed potius rotaverit in contrariũ Cœli; tum certe hucusq; judicandum est, posse esse in Natura aliquem talem Motum. Sin nihil hujusmodi inveniatur, habendus est pro suspecto, & ad alias *Instantias Crucis* circa hoc confugiendum.

Similiter, sit Natura Inquisita, Pondus sive Grave, Bivium circa hanc Naturam tale est. Necesse est, ut Gravia & Ponderosa vel tendant ex Natura sua ad Centrum Terræ, per proprium Schematismũ; vel ut à Massa Corporea ipsius Terræ, tanquam à Congregatione Corporum Connaturalium, attrahantur & rapiantur, & ad eam per Consensum ferantur. Et posterius hoc si in causa sit, sequitur, ut quo propius gravia appropinquãt ad Terram, eo fortius & majore cum impetu ferantur ad eam; quo longius ab ea absint, debilius & tardius, (ut fit in Attractionibus Magneticis;) idque fieri intra spatium certum; adeo ut si elongata fuerint à Terra tali distantia, ut virtus Terræ in ea agere non possit, pensilia mansura sint, ut & ipsa Terra, nec omnino decasura.

Itaque talis circa hanc rem poterit esse *Instantia Crucis*. Sumatur Horologium ex iis quæ moventur per Pondera plumbea; & aliud ex iis quæ moventur per compressionem laminæ ferreæ; atque vere probentur, ne alterum altero velocius sit, aut tardius; Deinde ponatur Horologiũ illud movens per pondera, super fastigium alicujus Templi altissimi, altero illo infra detento; & notetur diligenter, si Horologium in alto situm tardius moveatur quam solebat, propter diminutam virtutem Ponderum. Idem fiat Experimentum in profundis

Minerarum,altè sub Terra depressarum; utrum Horologium huiusmodi non moveatur velocius quam solebat,propter auctam virtutem Ponderum.Quod inveniatur virtus Ponderum minui in sublimi, aggravari in subterraneis;recipiatur pro Causa Ponderis,Attractio à Massa Corporea Terræ.

Similiter, sit Natura Inquisita,Verticitas Acus ferreæ,tactæ Magnete. Circa hanc Naturam tale erit Bivium.Necesse est,ut Tactus Magnetis vel ex se indat ferro Verticitatem, ad Septentriones & Austrum; vel ut excitet ferrum tantummodo & habiliter:Motus autem ipse indatur ex præsentia Terræ,ut *Gilbertus* opinatur, & tanto conatu probare nititur. Itaque huc spectant ea quæ ille perspicaci industria conquisivit. Nimirum quod Clavus ferreus,qui diu duravit in situ versus Septentriones & Austrum, colligat mora diutina Verticitatem,absque Tactu Magnetis:Ac si Terra ipsa, quæ ob distantiam debiliter operatur, (nãque superficies aut extima incrustatio Terrę virtutis Magneticæ) ut ille vult (expers est) per moram tamen longam Magnetis Tactum suppleret,& ferrum exciret,deinde excitum conformaret, & verteret.Rursus quod Ferrum ignitum & candens,si in extinctione sua exporrigatur inter Septentriones & Austrum, colligat quoque Verticitatem absque Tactu Magnetis: Ac si partes Ferri in Motu positæ per Ignitionem, & postea se recipientes,in ipso articulo extinctionis suæ, magis essent susceptivæ,& quasi sensitiæ Virtutis manantis à Terra,quàm aliàs, & inde fierent tanquam excitæ.Verum hæc,licet bene observata,tamen non evincunt prorsus quod ille asserit.

Instantia Crucis autem circa hoc subiectum poterit esse talis.Capiatur Terrella ex Magnete, & notentur Poli eius; & ponantur Poli Terrellæ versus Orientem & Occasum; non versus Septentriones & Austrum, atque ita iaceant: deinde superponatur Acus ferrea intacta, & permittatur ita manere ad dies sex aut septem. Acus verò (nam de hoc non dubitatur) dum manet super Magnetem,relictis Polis mundi, se vertet ad Polos Magnetis.Itaque quamdiu ita manet,vertitur scilicet ad Orientem & Occidentem Mundi.Quod si inveniatur Acus illa remota à Magnete,& posita super Versorium, statim se applicare ad Septentriones & Austrum,vel etiam paulatim se eo recipere; tum recipienda est pro Causa, præsentia Terræ: Sin autem vertatur (ut prius) in Orientem & Occidentem,aut perdat Verticitatem,habenda est illa Causa pro suspecta,& ulterius inquirendum est.

Similiter,sit Natura inquisita, Corporea substantia Lunæ;an sit Tenuis,Flammea sive Aërea, ut plurimi ex priscis Philosophis opinati sunt; an solida & densa, ut *Gilbertus* & multi moderni, cum nonnullis ex antiquis,tenent. Rationes posterioris istius Opinionis fundantur in hoc maxime,quod Luna radios Solis reflectat;neque videtur fieri Reflexio Lucis nisi à Solidis.

Itaque *Instantiæ Crucis* circa hoc subjectum eæ esse poterunt (si modo aliquæ sint) quæ demonstrent Reflexionem à Corpore tenui, qualis est Flamma,modo sit crassitiei sufficientis. Certe Causa Crepusculi,inter alias, est Reflexio radiorum Solis à superiore parte Aëris. Etiam quandoque reflecti videmus radios Solos temporibus vespertinis serenis, à fimbriis nubium roscidarum,non minori splendore,sed potius illustriori, & magis glorioso, quam qui redditur à Corpore Lunæ, neque tamen constat, eas nubes coaluisse in Corpus densum Aquæ. Etiam videmus Aërem tenebrosum pone fenestras noctu reflectere lucem Candelæ,non minus quam Corpus densum. Tentandum etiam foret Experimentum immissionis radiorum Solis per foramen, super Flammam aliquam subfuscã & cæruleam. Sane radij aperti Solis incidentes in Flammas obscuriores,videntur eas quasi mortificare, ut conspiciantur magis instar Fumi albi,quam Flammæ.Atque hæc impræsentiarum occurrunt,quæ sint ex Natura *Instantiarum Crucis* circa hanc rem;& meliora fortasse reperiri possunt.Sed notandum semper est, Reflexionem à Flamma non esse expectandam, nisi à Flamma alicujus profunditatis: nam aliter vergit ad Diaphanum. Hoc autem pro certo ponendum,Lucem semper in Corpore æquali,aut excipi & transmitti, aut resilire.

Similiter,sit Natura Inquisita, Motus Missilium;veluti Spiculorum,Sagittarum, Globulorum, per Aërem. Hunc Motum Schola (more suo) valde negligenter expedit;satis habens, si eum nomine Motus violenti à Naturali (quem vocant) distinguat; & quod ad primam percussionem sive impulsionem attinet,per illud (*quod duo corpora non possint esse in uno loco,ne fiat penetratio Dimensionum*) & sibi satisfaciat;de Processu continuato istius Motus nihil curet. At circa hanc Naturam Bivium est tale: Aut iste Motus fit ab Aëre vehente,& pone Corpus emissum se colligente,instar fluvij erga Scapham, aut venti erga paleas; aut à partibus ipsius Corporis non sustinentibus impressionem, sed ad eandem laxandam per successionem se promoventibus. Atque priorem illum recipit *Fracastorius*, & fere omnes qui de hoc Motu paulo subtilius inquisiverunt:Neque dubium est, quin sint Aëris partes in hac re nonnullæ; sed alter Motus procul dubio verus est, ut ex infinitis constat Experimentis. Sed inter cæteras poterit esse circa hoc subjectum *Instantia Crucis* talis; Quod Lamina, aut filum Ferri paulo contumacius; vel etiam Calamus sive penna in medio divisa,adducta & curvata inter pollicem & digitum,exiliant. Manifestum enim est, hoc non posse imputari Aëri se pone Corpus colligenti, quia fons Motus est in medio Laminæ vel Calami,non in Extremis.

Similiter sit Natura Inquisita,Motus ille rapidus & potens Expansionis pulveris Pyrij in Flammam: unde tantæ moles subvertuntur, tanta pondera emittuntur, quanta in Cuniculis majoribus, & Bombardis videmus. Bivium circa hanc Naturam tale est. Aut excitatur iste Motus à mero Corporis Appetitu se dilatandi, postquam fuerit inflammatum;aut ab appetitu mixto Spiritus crudi,qui rapide fugit Ignem, & ex eo circumfuso,tanquam ex Carcere, violenter erumpit.Schola autem,& vulgaris Opinio tantum versatur circa priorem illum Appetitum. Putant enim homines,se pulchre philosophari,si asserant, Flammam ex Forma Elementi necessitate quadam donari,locum ampliorem occupandi quam

idem Corpus expleverat cum subiret Formam Pulveris, atque inde sequi Motum istum. Interim minime advertunt, licet hoc verum sit, posito quod Flamma generetur, tamen posse impediri Flammæ generationem à tanta Mole quæ illam comprimere & suffocare queat; ut non deducatur res ad istam Necessitatem, de qua loquuntur. Nam quod necesse sit fieri Expansionem, atque inde sequi Emissionem, aut remotionem Corporis, quod obstat, si generetur Flamma, recte putant. Sed ista Necessitas plane evitatur, si moles illa solida Flammam supprimat, antequam generetur. Atque videmus, Flammam, præsertim in prima generatione, mollem esse & lenem, & requirere Cavum, in quo experiri & ludere possit. Itaque tanta violentia huic rei per se assignari non potest. Sed illud verum; generationem hujusmodi Flammarum flatulentarum, & veluti ventorum igneorum, fieri ex conflictu duorum Corporum, eorumque Naturæ inter se planè cõtrariæ; Alterius admodum inflammabilis, quæ Natura viget in Sulphure; alterius Flammam exhorrentis, qualis est Spiritus Crudus, qui est in Nitro; adeo ut fiat Conflictus mirabilis, inflammante se Sulphure quantumpotest, (nam tertium Corpus, nimirum Carbo Salicis, nil aliud fere præstat, quam ut illa duo Corpora incorporet, & commode uniat) & erumpente Spiritu Nitri quantum potest, & una se dilatante, (nam hoc faciunt & Aer, & omnia Cruda, & Aqua, ut à Calore dilatentur) & per istam fugam & eruptionem interim Flammam Sulphuris, tanquam follibus occultis, undequaque exufflante.

Poterant autem esse *Instantiæ Crucis* circa hoc subjectum duorum generum. Alterum eorum Corporum quæ maxime sunt inflammabilia, qualia sunt Sulphur, Caphura, Naphtha, & hujusmodi, cum eorum misturis; quæ citius & facilius concipiunt flammam, quam Pulvis Pyrius si non impediantur: Ex quo liquet Appetitum inflammandi per se Effectum illum stupendum non operari. Alterum eorum quæ Flammam fugiunt & exhorrent, qualia sunt Sales omnes. Videmus enim, si jaciantur in Ignem, Spiritum Aqueum erumpere cum fragore, antequam Flamma concipiatur; quod etiam leniter fit in foliis paulo contumacioribus, parte aquea erumpente, antequam oleosa concipiat Flammam. Sed maxime cernitur hoc in Argento vivo, quod non male dicitur, Aqua mineralis. Hoc enim, absque inflammatione, per Eruptionem & Expansionem simplicem, vires Pulveris Pyrij fere adæquat; quod etiam admixtum Pulveri pyrio, ejus vires multiplicare dicitur.

Similiter, sit Natura Inquisita, Transitoria Natura Flammæ, & Extinctio ejus Momentanea. Non enim videtur Natura Flammea hic apud nos figi & consistere, sed singulis quasi momentis generari, & statim extingui. Manifestum enim est, in Flammis quæ hic continuantur & durant, istam durationem non esse ejusdem Flammæ in Individuo, sed fieri perfuccessionem novæ Flammæ seriatim generatæ, minime autem manere eamdem Flammam numero; Id quod facile perspicitur ex hoc, quod subtracto alimento sive fomite Flammæ, Flamma statim pereat. Bivium autem circa hanc naturam tale est. Momentanea ista Natura, aut fit remittente se Causa quæ eam primo genuit, ut in Lumine, Sonis, & Moribus (quos vocant) violentis; aut quod Flamma in Natura sua possit hic apud nos manere, sed à contrariis Naturis circumfusis vim patiatur & destruatur.

Itaque poterit esse circa hoc subjectum *Instantia Crucis* talis. Videmus, Flammas in Incendiis majoribus, quam alte in sursum ascendant. Quanto enim Basis Flammæ est latior, tanto Vertex sublimior: Itaque videtur Principium Extinctionis fieri circa Latera, ubi ab Aere Flamma comprimitur, & male habetur. At Meditullia Flammæ, quæ Aer non contingit, sed alia Flamma undique circundat, eadem numero manent; neque extinguuntur, donec paulatim angustentur ab Aere per Latera circumfuso. Itaque omnis Flamma Pyramidalis est Basi circa fomitem largior. Vertice autem (inimicante Aere, nec suppeditante fomite) acutior. At Fumus angustior circa Basim, ascendendo dilatatur, & fit tanquam Pyramis inversa; quia scilicet Aer Fumum recipit, Flammam (neque enim quispiam somniet, Aerem esse Flammam accensam, cum sint Corpora plane Heterogenea) comprimit.

Accuratior autem poterit esse *Instantia Crucis* ad hanc rem accommodata, si res forte manifestari possit per Flammas Bicolores. Capiatur igitur Situla parva ex metallo, & in ea figatur parva Candela cerea accensa; ponatur Situla in patera, & circumfundatur Spiritus Vini in modica quãtitate, quæ ad labra Situlæ non attingat; tum accende Spiritum Vini. At Spiritus ille Vini exhibebit Flammam magis scilicet cæruleam, Lychnus Candelæ autem magis flavam. Notetur itaque utrum Flamma Lychni (quam facile est per Colorem à Flamma Spiritus Vini distinguere; neque enim Flammæ, ut Liquores, statim commiscentur) maneat pyramidalis, an potius magis tendat ad formam globosam, cum nihil inveniatur quod eam destruat aut comprimat. At hoc posterius si fiat, manere Flammam eandem numero, quamdiu intra aliam Flammam concludatur, nec vim inimicam Aeris experiatur, pro certo ponendum est.

Atque de *Instantia Crucis* hæc dicta sint. Longiores autem in iis tractandis ad hunc finem fuimus, ut homines paulatim discant & assuefiant, de Natura judicare per *Instantias Crucis*, & Experimenta Lucifera, non per rationes probabiles.

XXXVII.

INter *Prærogativas Instantiarum* ponemus loco decimo quinto *Instantias Divortij*, quæ indicant Separationes Naturarum earum, quæ ut plurimum occurrunt. Differunt autem ab Instantiis quæ subjunguntur *Instantiis Comitatus*; quia illæ indicant Separationes Naturæ alicujus ab aliquo Concreto, cum quo illa familiariter consuevit: hæ vero Separationes Naturæ alicujus ab altera Natura. Differunt etiam ab *Instantiis Crucis*; quia nihil determinant, sed monent tantum de Separabilitate unius Naturæ ab altera. Vsus autem earum est ad prodendas falsas Formas, & dissipandas leves Contemplationes ex rebus obviis orientes; adeo ut veluti plumbum & pondera Intellectui addant.

Exempli gratia: Sint Naturæ Inquisitæ, quatuor

tuor Naturæ illæ: quas *Contubernales* vult esse *Telesius*, & tanquam ex eadem Camera: vid. Calidum, Lucidum, Tenue, Mobile sive promptum ad Motum. At plurimæ inveniuntur *Instantiæ Divortij* inter ipsas. Aër enim tenuis est & habilis ad Motum, non calidus aut lucidus: Luna lucida, absque Calore: Aqua fervens calida absque Lumine: Motus Acus ferreæ super Versorium, pernix & agilis, & tamen in Corpore frigido, denso, opaco: & complura id genus.

Similiter sint Naturæ Inquisitæ, Natura Corporea, & Actio Naturalis. Videtur enim non inveniri Actio Naturalis, nisi subsistens in aliquo Corpore. Attamen possit fortasse esse circa hanc rem *Instantia* nonnulla *Divortij*. Ea est Actio Magnetica, perquam Ferrum fertur ad Magnetem, Gravia ad globum Terræ. Addi etiam possint aliæ nonnullæ Operationes ad Distans. Actio siquidem hujusmodi & in Tempore fit, per Momenta, non in Puncto temporis: & in Loco, per gradus & spatia. Est itaque aliquod Momentum Temporis, & aliquod Intervallum Loci, in quibus ista Virtus sive Actio hæret in Medio inter duo illa Corpora quæ Motum cient. Reducitur itaque Contemplatio ad hoc; utrum illa Corpora, quæ sunt Termini Motus, disponant vel alterent Corpora media, ut per successionem & tactum verum labatur Virtus à Termino ad terminum; & interim subsistat in corpore medio: an horum nihil sit, præter Corpora, & Virtutem, & Spatia? Atque in radiis Opticis, & Sonis, & Calore, & aliis nonnullis operantibus ad Distans, probabile est, media Corpora disponi & alterari: eo magis, quod requiratur Medium qualificatum ad deferendam operationem talem. At Magnetica illa sive Coitiva Virtus admittit Media tanquam adiaphora, nec impeditur Virtus in omnigeno Medio. Quod si nil rei habeat Virtus illa aut Actio cum Corpore medio, sequitur, quod sit Virtus aut Actio Naturalis, ad Tempus nonnullum, & in Loco nonnullo, subsistens sine Corpore: cum neque subsistat in Corporibus terminantibus, nec in mediis. Quare Actio Magnetica poterit esse *Instantia Divortij*, circa Naturam Corpoream, & Actionem Naturalem. Cui hoc adjici potest tanquam Corollarium aut Lucrum non prætermittendum: vid. quod etiam secundum Sensum philosophandi sumi possit probatio, quod sint Entia & Substantiæ separatæ & incorporeæ: Si enim Virtus & Actio Naturalis, emanans à Corpore, subsistere possit aliquo Tempore, & aliquo Loco, omnino sine Corpore; prope est ut possit etiam emanare non origine sua à Substantia Incorporea. Videtur enim non minus requiri Natura Corporea ad Actionem Naturalem sustendandam & devehendam, quam ad excitandam aut generandam.

XXXVIII.

SEquuntur quinque Ordines *Instantiarum*, *quas* uno vocabulo generali *Instantias Lampadis*, sive *Informationis primæ*, appellare consuevimus. Eæ sunt, quæ auxiliantur Sensui. Cum enim omnis *Interpretatio Naturæ* incipiat à Sensu; atque à Sensuum perceptionibus, recta, constanti, & munita via, ducat ad perceptiones Intellectus, quæ sunt Notiones veræ & Axiomata: necesse est, ut quanto magis copiosæ & exactæ fuerint repræsentationes, sive præbitiones ipsius Sensus, tanto omnia cedant facilius & felicius.

Harum autem quinque *Instantiarum Lampadis*, Primæ roborant, ampliant, & rectificant actiones Sensus immediatas: Secundæ deducunt non-Sensibile ad Sensibile: Tertiæ indicant Progressus continuatos sive Series earum rerum & motuum, quæ (ut plurimum) non notantur nisi in exitu aut periodis: Quartæ aliquid substituunt Sensui in meris destitutionibus: Quintæ excitant attentionem Sensus & advertentiam, atque una limitant subtilitatem rerum. De his autem singulis jam dicendum est.

XXXIX.

INter *Prærogativas Instantiarum*, ponemus loco decimo sexto *Instantias Januæ* sive *Portæ*: Eo enim nomine eas appellamus, quæ juvant actiones Sensus immediatas primas tenere Visum, quoad informationem: quare huic Sensui præcipue auxilia conquirenda. Auxilia autem triplicia esse posse videntur: vel, ut præcipiat non visa; vel, ut majore intervallo; vel ut exactius & distinctius.

Primi generis sunt (missis Bis-oculis, & hujusmodi, quæ valent tantum ad corrigendam & levandam infirmitatem Visus non bene dispositi, atque ideo nihil amplius informant) ea, quæ nuper inventa sunt Perspicilla; quæ latentes & invisibiles Corporum minutias, & occultos schematismos & motus (aucta insigniter specierum magnitudine) demonstrant: quorum vi, in Pulice, Musca, Vermiculis, accurata corporis figura & lineamenta, nec non colores & motus prius non conspicui, non sine admiratione cernuntur. Quinetiam ajunt, lineam rectam calamo vel penicillo descriptam, per hujusmodi Perspicilla inæqualem admodum & tortuosam cerni: quia scilicet nec motus manus licet per regulam adjutæ, nec impressio atramenti aut coloris, revera æqualia existant; licet illæ inæqualitates tam minutæ sint, ut sine adjumento hujusmodi Perspicillorum conspici nequeant. Etiam superstitiosam quandam observationem in hac re (ut fit in rebus novis & miris) addiderunt homines: *vid.* quod hujusmodi Perspicilla opera Naturæ illustrent; Artis dehonestent. Illud vero nihil aliud est, quam quod texturæ Naturales multo subtiliores sint quam Artificiosæ. Perspicillum enim illud ad minuta tantum valet, quale Perspicillum si vidisset *Democritus*, exiluisset forte, & modum videndi Atomum (quam ille invisibilem omnino affirmavit) inventum fuisse putasset. Verum incompetentia hujusmodi Perspicillorũ, præterquam ad minutias tantum, (neque ad ipsas quoque, si fuerint in corpore majusculo) usum rei destruit. Si enim Inventum extẽdi posset ad corpora majora, aut corporum majorum minutias; adeo ut textura panni lintei conspici posset tanquam rete; atque hoc modo minutiæ latentes & inæqualitates Gemmarum, Liquorum, Vrinarum, Sanguinis, Vulnerum, & multarum aliarum rerum cerni possent; magnæ proculdubio ex eo Invento commoditates capi possent.

Secundi generis sunt illa altera Perspicilla, quæ memorabili conatu adinvenit *Galilæus*: quorum ope, tanquam per scaphas aut naviculas, aperiri

& exerceri possint propiora cum Cœlestibus commercia. Hinc enim constat, Galaxiam esse nodum sive coacervationem stellarum parvarum, plane numeratarum & distinctarum: de qua re apud Antiquos tantum suspicio fuit. Hinc demonstrari videtur, quod spatia Orbium (quos vocant) Planetarum non sint plane vacua aliis stellis: sed quod Cœlum incipiat stellascere, antequam ad Cœlum ipsum stellatum ventum sit: licet stellis minoribus, quam ut sine Perspicillis istis conspici possint. Hinc choreas illas stellarum parvarum circa Planetam *Iovis* (unde conjici possit, esse in moribus stellarum plura centra) intueri licet. Hinc inæqualitates luminosi & opaci in Luna distinctius cernuntur & locantur: adeo ut fieri possit quædam Seleno-graphia. Hinc maculæ in *Sole*: & id genus: Omnia certe Inventa nobilia, quatenus fides hujusmodi demonstrationibus tuto adhiberi possit. Quæ nobis ob hoc maxime suspectæ sunt, quod in istis paucis sistatur Experimentum, neque alia complura investigatu æque digna eadem ratione inventa sint.

Tertij generis sunt Bacilla illa ad terras mensurandas, Astrolabia, & similia: quæ sensum Videndi non ampliant, sed rectificant & dirigunt. Quod si sint aliæ Instantiæ, quæ reliquos Sensus juvent in ipsorum actionibus immediatis & individuis: tamen si ejusmodi sint quæ informationi ipsi nihil addant plus quam jam habetur: ad id, quod nunc agitur, non faciunt. Itaque earum mentionem non fecimus.

XL.

INter *Prærogativas Instantiarum* ponemus loco decimo-septimo *Instantias Citantes*: sumpto vocabulo à Foris Civilibus, quia citant ea ut compareant, quæ prius non comparuerunt: quas etiam *Instantias Evocantes* appellare consuevimus. Eæ deducunt Non-Sensibile ad Sensibile.

Sensum autem fugiunt res, vel propter distantiam Objecti locati: vel propter interceptionem Sensus per corpora Media: vel quia Objectum non est habile ad impressionem in Sensu faciendam: vel quia deficit Quantum in Objecto, pro feriendo Sensu: vel quia Tempus non est proportionatum ad actuandum Sensum: vel quia Objecti percussio non toleratur à Sensu: vel quia Objectum ante implevit & possedit Sensum, ut novo motui non sit locus. Atque hæc præcipue ad Visum pertinent, & deinde ad Tactum. Nam hi duo Sensus sunt informativi ad largum, atque de Communibus Objectis: ubi reliqui tres non informent fere, nisi immediate & de Propriis Objectis.

In Primo genere non fit Deductio ad Sensibile, nisi rei, quæ cerni non possit propter distantiam, adjiciatur aut substituatur alia res, quæ Sensum magis è longinquo provocare & ferire possit: veluti in significatione rerum per Ignes, Campanas & similia.

In Secundo genere fit Deductio, cum ea, quæ interius propter interpositionem corporum latent, nec commode aperiri possunt, per ea quæ sunt in superficie, aut ab interioribus effluunt, perducuntur ad Sensum: ut status humanorum corporum, per Pulsus, & Vrinas, & similia.

At Tertij & Quarti generis Deductiones ad plurima spectant, atque undique in rerum Inquisitione sunt conquirendæ. Hujus rei Exempla sunt. Patet quod Aer, & Spiritus, & hujusmodi res, quæ sunt toto corpore tenues & subtiles, nec cerni, nec tangi possint. Quare in Inquisitione circa hujusmodi corpora, Deductionibus omnino est opus.

Sit itaque Natura inquisita, Actio & Motus Spiritus qui includitur in corporibus Tangibilibus. Omne enim Tangibile apud nos continet Spiritum invisibilem & intactilem, eique obducitur, atque eum quasi vestit. Hinc fons triplex potens ille, & mirabilis *Processus* Spiritus in corpore Tangibili: Emissus corpora contrahit & desiccat: Detentus, corpora intenerat & colliquat: nec prorsus Emissus nec prorsus Detentus, informat, membrificat, assimilat, egerit, organizat, & similia. Atque hæc omnia deducuntur ad Sensibile per effectus conspicuos.

Etenim in omni Corpore Tangibili inanimato, Spiritus inclusus primo multiplicat se, & tanquam depascit partes Tangibiles eas quæ sunt maxime ad hoc faciles & præparatæ; easque digerit, & conficit, & vertit in spiritum, & deinde una evolant. Atque hæc confectio & Multiplicatio Spiritus deducitur ad Sensum per diminutionem Ponderis. In omni enim Deficcatione aliquid defluit de Quanto; neque id ipsum ex Spiritu tantum præinexistente, sed ex corpore quod prius fuit Tangibile, & noviter versum est: Spiritus enim non ponderat. Egressus autem sive Emissio Spiritus deducitur ad Sensibile in Rubigine Metallorum, & aliis Putrefactionibus ejus generis, quæ sistunt se antequam pervenerint ad rudimenta vitæ; Nam illæ ad tertium genus *Processus* pertinent. Etenim in corporibus magis cōpactis spiritus non invenit poros & meatus per quos evolet: Itaque cogitur partes ipsas Tangibiles protrudere & ante se agere, ita ut illæ simul exeant; atque inde fit Rubigo, & similia. At Contractio partium Tangibilium, postquam aliquid de Spiritu fuerit emissum, (unde sequitur illa Deficcatio) deducitur ad Sensibile, tum per ipsam duritiem rei auctam, tum multo magis per scissuras, angustationes, corrugationes, & complicationes corporum, quæ inde sequuntur. Etenim partes Ligni desiliunt & angustantur; Pelles corrugantur: neque id solum, sed (si subita fuerit emissio Spiritus per calorem ignis) in tantum properant ad Contractionem, ut se complicent & convolvant.

At contra, ubi Spiritus detinetur & tamen dilatatur & excitatur per calorem aut ejus analogā; (id quod fit in corporibus magis solidis aut tenacibus) tum vero Corpora emolliuntur, ut Ferrū candens; fluunt, ut Metalla; liquescunt, ut Gummi, Cera, & similia. Itaque contrariæ illæ operationes Caloris (ut ex eo alia durescant, alia liquescant) facile reconciliantur; quia in illis, Spiritus emittitur; in his, agitatur & detinetur: quorum posterius, est actio propria Caloris & Spiritus; prius actio partium Tangibilium tantum per occasionem Spiritus emissi.

Ast ubi Spiritus nec detinetur prorsus, nec prorsus emittitur; sed tantum inter claustra sua tentat & experitur, atque nactus est partes Tangibiles obedientes & sequaces in promptu; ita ut quò Spiritus agit, eæ simul sequātur: tum vero sequitur

tur efformatio in Corpus Organicum, & membrificatio, & reliquæ actiones vitales, tam in Vegetabilibus quam in Animalibus. Atque hæc maxime deducuntur ad Sensum, per notationes diligentes primorum inceptuum & rudimentorum sive tentamentorum vitæ in Animalculis ex putrefactione natis, ut in ovis Formicarum, Vermibus, Muscis, Ranis post imbrem, &c. Requiritur autem ad Vivificationem, & lenitas Caloris, & lentor Corporis; ut Spiritus nec per festinationem erumpat, nec per contumaciam partium coërceatur: quin potius ad ceræ modum illas plicare & effingere possit.

Rursus, Differentia illa Spiritus, maxime nobilis & ad plurima pertinens, (vid. Spiritus Abscissi; Ramosi simpliciter; Ramosi simul & Cellulati: ex quibus Prior est Spiritus omnium corporum Inanimatorum; secundus, Vegetabiliū; tertius, Animalium:) per plurimas Instantias Deductorias tanquam sub oculos ponitur.

Similiter patet, quod subtiliores texturæ & Schematismi rerum (licet toto corpore visibiliū, aut tangibilium) nec cernantur, nec tangantur. Quare in his quoque per Deductionem procedit Informatio. At differentia Schematismorum maxime radicalis & primaria sumitur ex copia vel paucitate Materiæ, quæ subit idem spatium sive dimensum. Reliqui enim Schematismi (qui referuntur ad dissimilaritates partium quæ in eodem corpore continentur, & collocationes ac posituras earundē) præ illo altero sunt secūdarij.

Sit itaque Natura Inquisita, Expansio sive Coitio materiæ in corporibus respective: vid. quantum Materiæ impleat quantum Dimensum in singulis. Etenim nil verius in Natura, quam propositio illa gemella; *Ex nihilo nihil fieri*: neq;, *Quicquam in nihilum redigi*: verum Quantum ipsum Materiæ sive Summam totalem constare, nec augeri aut minui. Nec illud minus verum; *Ex Quanto illo Materiæ sub iisdem spatiis sive dimensionibus, pro diversitate corporum, plus & minus contineri*: ut in Aqua plus, in Aere minus: Adeo ut si quis asserat, aliquod contentum Aquę in par contentum Aeris verti posse, idem sit, ac si dicat, Aliquid posse redigi in Nihilum: Contra si quis asserat, aliquod contentum Aeris in par contentum Aquæ verti posse; idem sit, ac si dicat, Aliquid posse fieri ex nihilo. Atque ex copia ista & Paucitate Materiæ, Notiones illæ *Densi* & *Rari*, quæ varie & promiscue accipiuntur, proprie abstrahuntur. Assumenda est & Assertio illa tertia, etiam satis certa: quod hoc, de quo loquimur, Plus & Minus Materiæ in corpore hoc vel illo, ad Calculos (facta collatione) & Proportiones exactas, aut exactis propinquas, reduci possit. Veluti si quis dicat, inesse in dato contento Auri talem coacervationem Materiæ, ut opus habeat Spiritus vini, ad tale Quantum Materiæ æquandum, spatio vicies & semel majore, quam implet Aurum; non erraverit.

Coacervatio autem Materiæ, & rationes ejus deducuntur ad Sensibile per Pondus. Pondus enim respondet Copiæ Materiæ, quoad partes rei Tangibilis: Spiritus autem, & ejus Quantum ex Materia, non venit in computationem per Pondus: levat enim Pondus potius, quam gravat. At nos hujus rei Tabulam fecimus satis accuratam: in qua Pondera & Spatia singulorum Metallorum, Lapidum præcipuorum, Lignorum, Liquorum, Oleorum, & plurimorum aliorum corporum tam Naturalium quam Artificialium, excepimus. Rem polychrestam tam ad lucem Informationis, quam ad normam Operationis: & quæ multas res revelet omnino præter expectatū. Neque illud pro minimo habendum est, quod demonstret, omnem varietatem, quæ in Corporibus Tangibilibus nobis notis versatur, (intelligimus autem Corpora bene unita, nec plane spongiosa, & cava, & magna ex parte Aere impleta) non ultra rationes partium 21. excedere: Tam finita scilicet est Natura, aut saltem illa pars ejus cujus usus ad nos maxime pertinet.

Etiam diligentiæ nostræ esse putavimus, experiri, si forte capi possint rationes Corporum Non-Tangibilium sive Pneumaticorum, respectu Corporum Tangibilium. Id quod tali molitione aggressi sumus. Phialam vitreā accepimus, quæ uneiam fortasse unam capere possit: parvitate Vasis usi, ut minori cum calore posset fieri Evaporatio sequens. Hanc Phialam Spiritu vini implevimus fere ad collum: eligentes Spiritum vini, quod per Tabulam priorem, eum esse ex Corporibus Tangibilibus (quæ bene unita, nec cava sunt) rarissimum, & minimum continens Materiæ sub suo Dimenso, observavimus. Deinde pondus Aquæ cum Phiala ipsa exacte notavimus. Postea Vesicam accepimus, quæ circa duas pintas contineret. Ex ea aerem omnem, quoad fieri potuit, expressimus, eo usque ut vesicæ ambo latera essent contigua: Etiam prius Vesicam oleo oblevimus cum fricatione leni, quo Vesica esset clausior: ejus, siqua erat, porositate oleo obtutata. Hanc Vesicam circa os Phialæ, ore Phialæ intra os Vesicæ recepto, fortiter ligavimus: filo parum cerato, ut melius adhæresceret & arctius ligaret. Tum demum Phialam supra carbones ardentes in foculo collocavimus. At paulo post Vapor sive Aura Spiritus vini per calorem dilatati & in Pneumaticum versi, Vesicam paulatim sufflavit, eamque universam veli instar undequaque extendit. Id postquam factum fuit, continuo Vitrum ab igne removimus, & super tapetem posuimus, ne frigore disrumperetur: Statim quoque in summitate Vesicæ foramen fecimus, ne vapor cessante calore in liquorem restitutus resideret, & rationes confunderet. Tū vero vesicam ipsam sustulimus, & rursus pondus excepimus Spiritus vini qui remanebat. Inde quantum consumptum fuisset in vaporem seu Pneumaticum, computavimus: & facta collatione, quantum locum sive spatium illud Corpus implesset, quando esset Spiritus vini in Phiala, & rursus quantum spatium impleverit, postquam factū fuisset Pneumaticum in Vesica, rationes subduximus: ex quibus manifeste liquebat, Corpus istud ita versum & mutatum, expansionem centuplo majorem, quā antea habuisset, acquisivisse.

Similiter sit Natura Inquisita, Calor aut Frigus: ejus nempe gradus, ut à sensu non percipiantur ob debilitatem. Hæc deducuntur ad Sensum per Vitrum Calendare, quale superius descripsimus. Calor enim & Frigus, ipsa non percipiuntur ad tactum: At Calor Aerem expandit, Frigus cōtrahit. Neque rursus illa Expansio & Contractio

Aëris percipitur ad Visum: At Aër ille Expansus, Aquam deprimit; Contractus, attollit; ac tum demum fit deductio ad Visum, non ante, aut alias.

Similiter fit Natura Inquisita, Mistura Corporum; vid. quid habeant ex Aqueo, quid ex Oleoso, quid ex Spiritu, quid ex Cinere & Salibus., & hujusmodi: Vel etiam (in particulari) quid habeat Lac Butyri, quid Coaguli, quid Seri, & hujusmodi. Hæc deducuntur ad Sensum per artificiosas & peritas Separationes, quatenus ad Tangibilia. At natura Spiritus in ipsis, licet immediate non percipiatur, tamen deprehenditur per varios motus & nixus Corporum Tangibilium, in ipso actu & processu Separationis suæ: atque etiam per acrimonias, corrosiones, & diversos colores, odores, & sapores eorundem Corporum post Separationem. Atque in hac parte, per Distillationes atque artificiosas Separationes, strenue sane ab hominibus elaboratum est; sed non multo felicius quam in cæteris Experimentis, quæ adhuc in usu sunt: Modis nimirum prorsus palpatoriis, & viis cœcis, & magis operose quam intelligenter; & (quod pessimum est) nulla cum imitatione aut æmulatione Naturæ, sed cum destructione (per Calores vehementes, aut virtutes nimis validas) omnis subtilioris Schematismi, in quo occultæ rerum Virtutes & consensus præcipue sitæ sunt. Neque illud etiam, quod alias monuimus, hominibus in mentem aut observationem venire solet in hujusmodi Separationibus: hoc est, plurimas qualitates in Corporum vexationibus, tam per ignem quam alios modos, indi ab ipso Igne iisce corporibus quæ ad Separationem adhibentur, quæ in Composito prius non fuerunt: unde miræ fallaciæ. Neque enim scilicet Vapor universus, qui ex aqua emittitur per Ignem, Vapor aut Aër antea fuit in corpore Aquæ; sed factus est maxima ex parte per dilatationem Aquæ ex calore Ignis.

Similiter in genere omnes exquisitæ Probationes corporum, sive Naturalium sive Artificialium per quas Vera dignoscuntur ab Adulterinis, Meliora à Vilioribus, huc referri debent: Deducunt enim Non-Sensibile ad Sensibile. Sunt itaque diligenti cura undique conquirendæ.

Quintum vero genus Latitantiæ quod attinet: manifestum est actionem Sensus transigi in Motu, Motum in Tempore. Si igitur Motus alicujus corporis sit vel tam tardus, vel tam velox, ut non sit proportionatus ad Momenta, in quibus transigitur actio Sensus, Objectum omnino non percipitur: ut in motu Indicis Horologij, & rursus in motu Pilæ Sclopeti. Atque Motus, qui ob tarditatem non percipitur, facile & ordinario deducitur ad Sensum per Summas Motus: qui vero ob velocitatem adhuc non bene mensurari consuevit, sed tamen postulat Inquisitio Naturæ, ut hoc fiat in aliquibus.

Sextum autem genus, ubi impeditur Sensus propter nobilitatem Objecti, recipit Deductionem: vel per Elongationem Objecti à Sensu: vel per Hebetationem Objecti per Interpositionem Medij talis, quod Objectum debilitet, non annihiler: vel per Admissionem & Exceptionem Objecti Reflexi, ubi percussio Directa sit nimis fortis: ut Solis in pelvi aquæ.

Septimum autem genus Latitantiæ, ubi Sensus ita oneratur Objecto, ut novæ admissioni non sit locus, non habet fere locum nisi in Olfactu & Odoribus; nec ad id, quod agitur, multum pertinet. Quare de Deductionibus Non-Sensibilis ad Sensibile hæc dicta sint.

Quandoque tamen Deductio fit non ad Sensum hominis, sed ad Sensum alicujus alterius Animalis, cujus Sensus in aliquibus humanum excellit: ut nonnullorum Odorum, ad sensum Canis; Lucis, quæ in aëre non extrinsecus illuminato latenter existit, ad sensum Felis, Noctuæ, & hujusmodi Animalium quæ cernunt noctu. Recte enim notavit *Telesius*, etiam in Aëre ipso inesse Lucem quandam originalem, licet exilem & tenuem, & maxima ex parte oculis hominum aut plurimorum animalium non inservientem: quia illa Animalia, ad quorum Sensum hujusmodi lux est proportionata, cernant noctu; id quod vel sine luce fieri, vel per lucem internam, minus credibile est.

Atque illud utique notandum est; de Destitutionibus Sensuum, eorumque remediis, hic nos tractare. Nam Fallaciæ Sensuum ad proprias Inquisitiones de Sensu & Sensibili remittendæ sunt: excepta illa magna Fallacia Sensuum, nimirum quod constituant lineas rerum ex analogia Hominis, & non ex analogia Vniversi: quæ non corrigitur, nisi per Rationem & Philosophiam universalem.

XLI.

INter *Prærogativas Instantiarum* ponemus loco decimo octavo *Instantias Viæ*: quas etiam *Instantias Itinerantes*, & *Instantias Articulatas* appellare consuevimus. Eæ sunt, quæ indicant Naturæ Motus gradatim continuatos. Hoc autem genus Instantiarum potius fugit Observationem, quam Sensum. Mira enim est hominum circa hanc rem indiligentia. Contemplantur siquidem Naturam tantummodo desultorie & per periodos, & postquam corpora fuerint absoluta ac completa, & non in operatione sua. Quod si Artificis alicujus Ingenia & industriam explorare & contemplari quis cuperet; is non tantum materias rudes Artis, atque deinde opera perfecta conspicere desiderat; sed potius præsens esse, cum Artifex operatur & opus suum promovet. Atque simile quiddam circa Naturam faciendum est. Exempli gratia; si quis de vegetatione Plantarum inquirat, ei inspiciendum est ab ipsa satione seminis alicujus, (id quod per extractionem, quasi singulis diebus, seminum, quæ per biduum, triduum, quatriduum, & sic deinceps in terra manserunt, eorumque diligentem intuitū, facile fieri potest) quomodo & quando semen intumescere & turgere incipiat, & veluti spiritu impleri; deinde quomodo corticulam rumpere, & emittere fibras, cum latione nonnulla sui interim sursum, nisi terra fuerit admodum contumax; quomodo etiam emittat fibras, partim radicales deorsum, partim cauliculares sursum, aliquando serpēdo per latera, si ex ea parte inveniat terram apertam & magis facilem, & complura id genus. Similiter facere oportet circa exclusionē Ovorum; ubi facile conspici dabitur Processus vivificandi & organizandi, & quid & quæ partes fiant ex vitello, quid ex albumine Ovi, & alia. Similis est ratio circa Animalia ex putrefactione.

Nam

Nam circa Animalia perfecta & terrestria, per exectiones fœtuum ex utero, minus humanum esset ista inquirere; nisi forte per occasiones abortuũ, & venationum, & similium. Omnino igitur vigilia quædam servanda est circa Naturam, ut quæ melius se conspiciendam præbeat noctu, quam interdiu. Istæ enim Contemplationes tanquam Nocturnæ censeri possint, ob lucernæ parvitatem & perpetuationem.

Quin & in Inanimatis idem tentandum est. Id quod nos fecimus in inquirendis Aperturis Liquorum per ignem. Alius enim est modus Aperturæ in Aqua, alius in Vino, alius in Aceto, alius in Omphacio; longe alius in Lacte, & Oleo, & cæteris. Id quod facile cernere erat per ebullitionẽ super ignem lenem, & in vase vitreo, ubi omnia cerni perspicue possint. Verum hæc brevius perstringimus; fusius & exactius de iis sermones habituri, cum ad inventionem *Latentis* rerum *processus* ventum erit. Semper enim memoria tenendum est, nos hoc loco non Res ipsas tractare, sed Exempla tantum adducere.

XLII.

INter *Prærogativas Instantiarum*, ponemus loco decimo nono *Instantias supplementi*, sive *Substitutionis*; quas etiam *Instantias perfugy* appellare consuevimus. Eæ sunt, quę supplent Informationem, ubi Sensus plane destituitur: atque idcirco ad eas confugimus; cum Instantiæ propriæ haberi non possint. Dupliciter autem fit Substitutio: aut per Graduationem, aut per Analoga. Exempli gratia: Non invenitur Medium quod inhibeat prorsus operationem Magnetis in movendo ferrum: non Aurum interpositum, non Argentum, non Lapis, non Vitrum, Lignum, Aqua, Oleum, Pannus aut Corpora fibrosa, Aër, Flamma, & cætera. Attamen per probationem exactam fortasse inveniri possit aliquod Mediũ, quod haberet virtutem ipsius plus quam aliquod aliud, comparative & in aliquo gradu: veluti quod non trahat Magnes Ferrum per tantã crassitiem Auri, quam per par spatium Aëris; aut per tantum Argentum ignitum, quam per frigidum; & sic de similibus. Nam de his nos Experimentum non fecimus: sed sufficit tamen, ut proponantur loco Exempli. Similiter non invenitur hic apud nos Corpus quod non suscipiat Calidum igni approximatum. Attamen longe citius suscipit calorem Aër, quam Lapis. Atque talis est Substitutio, quæ fit per Gradus.

Substitutio autem per Analoga, utilis sane, sed minus certa est; atque idcirco cum judicio quodam adhibenda. Ea fit, cum deducitur Non-sensibile ad Sensum; non per operationes Sensibiles ipsius corporis Insensibilis, sed per contemplationem Corporis alicujus cognati Sensibilis. Exempli gratia: si inquiratur de Mistura Spirituum, qui sunt corpora non-visibilia; videtur esse cognatio quædam inter Corpora, & Fomites sive Alimenta sua. Fomes autem Flãmæ, videtur esse Oleum & Pinguia; Aëris, Aqua & Aquea: Flammæ enim multiplicant se super halitus Olei, Aër super vapores Aquæ. Videndum itaque de Mistura Aquæ & Olei, quæ se manifestat ad Sensum; quandoquidem Mistura Aëris & Flammei generis fugiat Sensum. At Oleum & Aqua inter se per compositionem aut agitationem imperfecte admodum miscentur, eadem in Herbis, & Sanguine, & Partibus Animalium, accurate & delicate miscentur. Itaque simile quiddam fieri possit circa Misturam Flammei & Aerei generis in Spiritalibus: quæ per Confessionem simplicem non bene sustinent Misturam: eadem tamen in Spiritibus Plantarum & Animalium misceri videntur: præsertim cum omnis Spiritus Animatus depascat Humida utraque, Aquea & Pinguia, tanquam fomites suos.

Similiter, si non de Perfectioribus Misturis Spiritalium, sed de Compositione tantum inquiratur; nempe utrum facile inter se incorporentur; an potius (exempli gratia) sint aliqui Venti & Exhalationes, aut alia Corpora Spiritalia, quæ non miscentur cum aere communi, sed tantum hærent & natant in eo, in globulis & guttis, & potius franguntur ac comminuuntur ab aere, quam in ipsum recipiuntur & incorporantur: Hoc in aere Communi & aliis Spiritalibus, ob subtilitatem corporum, percipi ad Sensum non potest; attamen imago quædam hujus rei, quatenus fiat, concipi possit in Liquoribus Argenti vivi, Olei, Aquæ; atque etiam in aere, & fractione ejus quãdo dissipatur & ascendit parvis portiunculis per Aquam; atque etiam in Fumis crassioribus, denique in Pulvere excitato & hærente in aere; in quibus omnibus non fit Incorporatio. Atque Repræsentatio prædicta in hoc Subjecto non mala est, si illud primo diligenter inquisitum fuerit, utrum possit esse talis Heterogenia inter Spiritalia, qualis invenitur inter Liquida: Nam tum demum hæc Simulacra per Analogiam non incommode substituentur.

Atque de *Instantiis* istis *Supplementi*, quod diximus, Informationem ab iis hauriendam esse, quando desint Instantiæ propriæ, loco *Perfugy*, nihilominus intelligi volumus, quod illæ etiam magni sint usus, etiam cum propriæ Instantiæ adsunt; ad roborandam scilicet Informationem una cum Propriis. Verum de his exactius dicemus, quando ad *Adminicula Inductionis* tractanda sermo ordine dilabetur.

XLIII.

INter *Prærogativas Instantiarum*, ponemus loco vicesimo *Instantias Persecantes*; quas etiam *Instantias Vellicantes* appellare consuevimus, sed diversa ratione. *Vellicantes* enim eas appellamus, quia vellicant Intellectum; *Persecantes*, quia persecant Naturam: unde etiam illas quandoque *Instantias Democriti* nominamus. Eæ sunt, quæ de admirabili & exquisita Subtilitate Naturæ Intellectum submonent, ut excitetur & expergiscatur ad attentionem, & observationem, & inquisitionem debitam. Exempli gratia: Quod parum guttulæ Atramenti ad tot literas vel lineas extendatur; Quod Argentum exterius tantũ inauratum, ad tantam longitudinem fili inaurati continuetur: Quod pusillus Vermiculus, qualis in cute invenitur, habeat in se spiritum simul & figuram dissimularem partium: Quod parum Croci etiam dolium Aquæ colore infieiat: Quod parum Zibethi aut Aromatis, longe majus contentum Aëris, odore: Quod exiguo suffitu tanta excitetur nubes fumi: Quod Sonorũ tam accuratæ differentiæ, quales sint voces articulatæ, per Aerẽ undequaque vehantur, atque per foramina

& poros etiam Ligni & Aquæ (licet admodum extenuatæ) penetrent, quin etiam repercutiantur, idque tam distincte & velociter; Quod Lux & Color etiam tanto ambitu & tam perniciter, per corpora solida Vitri, Aquæ, & cum tanta & tam exquisita varietate imaginum permeent, etiam refringantur & reflectantur; Quod Magnes per corpora omnigena, etiam maxime compacta, operetur: Sed (quod magis mirum est) quod in his omnibus, in Medio adiaphoro (quale est Aër) unius actio aliam non magnopere impediat; Nempe, quod eodem tempore per spatia Aëris devehantur & Visibilium tot imagines; & Vocis articulatæ tot percussiones; & tot odores specificati, ut Violæ, Rosæ; etiam Calor & Frigus; & virtutes Magneticæ; Omnia (inquam) simul, uno alterum non impediente; ac si singula haberent vias & meatus suos proprios separatos, neque unum in alterum impingeret aut incurreret.

Solemus tamen utiliter hujusmodi *Instantiis Persecantibus* subjungere Instantias, quas *Metas perfectionis* appellare consuevimus: veluti, quod in iis, quæ diximus, una actio in diverso genere aliam non perturbet aut impediat; cum tamen in eodem genere una aliam domet & extinguat. veluti, lux Solis, lucem Cicindelæ; sonitus Bombardæ, vocem; fortior Odor, delicatiorem; intensior Calor, remissiorem; lamina Ferri interposita inter Magnetem & aliud Ferrum, operationem Magnetis. Verum de his quoque, inter *Adminicula Inductionis*, erit proprius dicendi locus.

XLIV.

ATque de Instantiis, quæ juvant Sensum, jam dictum est: quæ præcipui usus sunt ad partem Informativam. Informatio enim incipit à Sensu. At universum negotium desinit in Opera: Atque quemadmodum illud principium, ita hoc finis rei est. Sequentur itaque Instantiæ præcipui usus ad *partem Operativam*. Eæ genere duæ sunt, numero septem: Quas universas, generali nomine, *Instantias Practicas* appellare consuevimus. *Operativæ* autem *Partis* Vitia duo, totidemque Dignitates Instantiarum in genere. Aut enim fallit Operatio, aut onerat nimis. Fallit Operatio maxime (præsertim post diligentem Naturarum Inquisitionem) propter male determinatas & mensuratas Corporum vires & actiones. Vires autem & Actiones corporum circumscribuntur & mensurantur, aut per spatia Loci, aut per momenta Téporis, aut per unionem Quanti, aut per prædominantiam Virtutis: quæ quatuor nisi fuerint probe & diligenter pensitata, erunt fortasse Scientiæ speculatione quidem pulchræ, sed opere inactivæ. Instantias vero quatuor itidem, quæ huc referuntur, uno nomine *Instantias Mathematicas* vocamus, & *Instantias Mensuræ*.

Onerosa autem fit Praxis, vel propter Misturam rerum inutilium; vel propter Multiplicationem instrumentorum; vel propter Molem materiæ, & Corporum quæ ad aliquod opus requiri contigerint. Itaque eæ Instantiæ in pretio esse debent, quæ aut dirigunt Operativam ad ea quæ maxime hominum interfunt; aut quæ parcunt Instrumentis; aut quæ parcunt Materiæ sive Supellectili. Eas autem tres Instantias, quæ huc pertinent, uno nomine *Instantias Propitias* sive *Benevolas* vocamus. Itaque de his septem Instantiis jam sigillatim dicemus: atque cum iis partem illam de Prærogativis sive Dignitatibus Instantiarum claudemus.

XLV.

INter Prærogativas instantiarum ponemus loco vicesimo primo *Instantias Virgæ*, sive *Radij*: quas etiam *Instantias Perlationis*, vel de *Non ultra* appellare consuevimus. Virtutes enim rerum & Motus operantur & expediuntur per spatia, non indefinita aut fortuita, sed finita & certa; quæ ut in singulis Naturis Inquisitis teneantur & notentur, plurimum interest Practicæ; non solum ad hoc ut non fallat, sed etiam ut magis sit aucta & potens. Etenim interdum datur Virtutes producere, & Distantias tanquam retrahere in propius; ut in Perspicillis.

Atque plurimæ Virtutes operantur & afficiunt tantum per Tactum manifestum: ut fit in percussione Corporum, ubi alterum non summovet alterum, nisi impellens impulsum tangat. Etiã Medicinæ, quæ exterius applicantur, ut Vnguenta, Emplastra, non exercent vires suas, nisi per Tactũ Corporis. Denique Objecta Sensuum, Tactus & Gustus, non feriunt nisi contigua Organis.

Sunt & aliæ Virtutes quæ operantur ad Distantiam, verum valde exiguam, quarum paucæ adhuc notatæ sunt, cum tamen plures sint quam homines suspicentur: ut (capiendo exempla ex Vulgatis) cum Succinum aut Gagates trahunt paleas: Bullæ approximatæ solvunt bullas: Medicinæ nonnullæ Purgativæ eliciunt humores ex alto, & hujusmodi. At Virtus illa Magnetica, per quam Ferrum & Magnes, vel Magnetes, invicem coëunt, operatur intra orbem Virtutis certum, sed parvum: Vbi cõtra, si sit aliqua Virtus Magnetica emanans ab ipsa Terra (paulo nimirum interiore) super Acum ferream, quatenus ad verticitatem, operatio fiat ad Distantiam magnam.

Rursus, si sit aliqua Vis Magnetica, quæ operetur per Consensum inter globum Terræ & Ponderosa, aut inter globum Lunæ & Aquas Maris, (quæ maxime credibilis videtur in Fluxibus & Refluxibus Semi-menstruis) aut inter Cœlum Stellatum & Planetas, per quam evocentur & attollantur ad sua Apogæa: hæc omnia operantur ad Distantias admodum longinquas. Inveniuntur & quædam Inflammationes sive Conceptiones Flammæ, quæ fiunt ad Distantias bene magnas, in aliquibus Materiis: ut referunt de Naphtha Babylonica. Calores etiam insinuant se per Distantias amplas: quod etiam faciunt Frigora: adeo ut Habitantibus circa Canadam, Moles sive Massæ glaciales, quæ abrumpuntur & natant per Oceanum Septentrionalem, & deferuntur per Atlanticum versus illas oras, percipiantur & incutiant frigora è longinquo. Odores quoque (licet in his videatur semper esse quædam Emissio corporea) operantur ad Distantias notabiles: ut evenire solet navigantibus juxta littora Floridæ, aut etiam nonnulla Hispaniæ, ubi sunt Sylvæ totæ ex arboribus limonum, arantiarum, & hujusmodi Plantarum odoratarum, aut frutices Rorismarini, Majoranæ, & similium. Postremo Radiationes Lucis & Impressiones Sonorum operantur scilicet ad Distantias spatiosas.

Verum

Verum hæc omnia utcunque operentur ad Distantias parvas sive magnas, operantur certe ad finitas & Naturæ notas, ut sit quiddam *Non ultra*; idque pro rationibus; aut Moris seu Quanti Corporum; aut Vigoris & Debilitatis Virtutum; aut Favoribus & Impedimentis Mediorum; quæ omnia in Computationem venire & notari debent. Quin etiam Mensuræ Motuũ Violentorum, (quos vocant) ut Missilium, Tormentorum, Rotarum, & similium, cũ hæ quoq; manifesto suos habeant limites certos, notandæ sunt.

Inveniuntur etiam quidam Motus & Virtutes contrariæ illis quæ operantur per Tactum & non ad Distans: quæ operantur scilicet ad Distans, & non ad Tactum. & rursus, quæ operantur remissius ad Distantiam minorem, & fortius ad distantiam majorem. Etenim Visio non bene transigitur ad Tactum, sed indiget Medio & Distantia. Licet meminerim, me audisse ex relatione cujusdam fide digni, quod ipse in curandis oculorum suorum Cataractis (erat autem Cura talis, ut immitteretur Festuca quædam parva argentea intra primam oculi tunicam, quæ pelliculam illam Cataractæ removeret & truderet in angulum oculi) clarissime vidisset Festucam illam supra ipsam pupillam moventem. Quod utcunque verum esse possit, manifestum est, majora corpora non bene aut distincte cerni, nisi in cuspide Coni, coëuntibus radiis Objecti ad nonnullam Distantiam. Quin etiam in Senibus Oculus melius cernit remoto objecto paulo longius quam propius. In Missilibus autem certum est, percussionem non fieri tam fortem ad Distantiam nimis parvam, quam paulo post. Hæc itaque & similia in Mensuris Motuum quoad Distantias notanda sunt.

Est & aliud genus Mensuræ Localis Motuum, quod non prætermittendum est. Illud vero pertinet ad Motus non Progressivos, sed Sphæricos: hoc est, ad Expansionem Corporum in majorem Sphæram, aut Contractionem in Minorem. Inquirendum enim est inter Mensuras istas motuum, quantam Compressionem aut Extensionem Corpora (pro Natura ipsorum) facile & libenter patiantur, & ad quem Terminum reluctari incipiant, adeo ut ad extremum *Non ultra* ferant, ut cum Vesica inflata comprimitur, sustinet illa Compressionem nonnullam Aëris: sed si major fuerit, non patitur Aër, sed rumpitur Vesica.

At Nos hoc ipsum subtiliore Experimento magis exacte probavimus. Accepimus enim Campanulam ex Metallo, leviorem scilicet & tenuiorem, quali ad excipiendum Salem utimur: eamque in pelvim Aquæ immisimus, ita ut deportaret secum Aërem, qui continebatur in Concavo usque ad fundum pelvis. Locaveramus autem prius Globulum in fundo pelvis, super quem Campanula imponenda esset. Quare illud eveniebat, ut si Globulus ille esset minusculus (pro ratione Concavi) reciperet se Aër in locum minorem, & contruderetur. Quod si grandioris esset magnitudinis, quam ut Aër libenter cederet, tum Aër majoris Pressuræ impatiens, Campanulam ex aliqua parte elevabat, & in bullis ascendebat.

Etiam ad probandum qualem Extensionem (non minus quam Compressionem) pateretur Aër, tale quippiam practicavimus. Ovum vitreum accepimus, cum parvo foramine in uno extremo Ovi. Aërem per foramen exuctione forti attraximus, & statim digito foramen illud obturavimus; & Ovum in Aquam immersimus, & dein digitum removimus. Aër vero Tensura illa per exuctionem facta tortus & magis quam pro Natura sua dilatatus, ideoque se recipere & contrahere nitens (ita ut si Ovum illud in Aquam non fuisset immersum, Aërem ipsum traxisset cum Sibilo) Aquam traxit ad tale Quantum, quale sufficere posset ad hoc, ut Aër antiquam recuperaret Sphæram sive Dimensionem.

Atque certum est, Corpora tenuiora (quale est Aer) pati Contractionem nonnullam notabilem, ut dictum est: At Corpora tangibilia (quale est Aqua) multo ægrius, & ad minus spatium patiuntur Compressionem. Qualem autem patiatur, tali Experimento inquisivimus.

Fieri fecimus Globum ex plumbo Cavum, qui duas circiter pintas vinarias contineret; eumque satis per latera crassum, ut majorem vim sustineret. In illum Aquam immisimus, per foramen alicubi factum; atque foramen illud, postquam Globus Aqua impletus fuisset, plumbo liquefacto obturavimus, ut Globus deveniret plane consolidatus. Dein Globum forti Malleo ad duo latera adversa complanavimus; Ex quo necesse fuit Aquam in minus contrahi, cum Sphæra Figuratum sit capacissima. Deinde, cum Malleatio non amplius sufficeret, ægrius se recipiente Aqua, Molendino seu Torculari usi sumus; ut tandem Aqua impatiens Pressuræ ulterioris, per solida plumbi (instar Roris delicati) exstillaret. Postea, quantum spatij per eam Compressionem imminutum foret, computavimus: Atque tãtam Compressionem passam esse Aquam (sed violentia magna subactam) intelleximus.

At Solidiora, Sicca, aut magis Compacta, qualia sunt Lapides & Ligna, nec non Metalla, multo adhuc minorem Compressionem aut Extensionem, & fere imperceptibilem ferunt; sed vel Fractione, vel Progressione, vel aliis Pertentationibus se liberant, ut in Curvationibus Ligni aut Metalli, Horologiis moventibus per Complicationem laminæ, Missilibus, Malleationibus, & innumeris aliis Motibus apparet. Atque hæc omnia cum Mensuris suis in Indagatione Naturæ notanda & exploranda sunt; aut in Certitudine sua, aut per Æstimativas, aut per Comparativas, prout dabitur Copia.

XLVI.

INter *Prærogativas Instantiarum* ponemus loco vicesimo secundo *Instantias Curriculi*, quas etiam *Instantias ad Aquam* appellare consuevimus; sumpto vocabulo à Clepsydris apud Antiquos, in quas infundebatur Aqua loco Arenæ. Eæ mensurant Naturam per Momenta Temporis, quemadmodum *Instantiæ Virgæ* per Gradus Spatij. Omnis enim Motus sive Actio Naturalis trãsigitur in Tempore; alius velocius, alius tardius, sed utcunque Momentis certis, & Naturæ notis. Etiam ille Actiones, quæ subito videntur operari, & in ictu oculi, (ut loquimur) deprehenduntur recipere majus & minus quoad Tempus.

Primo itaque videmus, Restitutiones Corporum

porum Cœlestium fieri per Tempora numerata; etiam Fluxus & Refluxus Maris. Latio autem Gravium versus Terram, & Levium versus ambitum Cœli, fit per certa Momenta, pro ratione Corporis quod fertur, & Medij. At Velificationes Navium, Motus Animalium, Perlationes Missilium, omnes fiunt itidem per Tempora (quantum ad Summas) numerabilia. Calorem vero quod attinet, videmus, Pueros per hyemem manus in flamma lavare; nec tamen uri; & Loculatores vasa plena Vino vel Aqua, per motus agiles & æquales vertere deorsum, & sursum recuperare, non effuso liquore; & multa hujusmodi. Nec minus ipsæ Compressiones, & Dilatationes, & Eruptiones Corporum fiunt, aliæ velocius, aliæ tardius, pro Natura Corporis & Motus, sed per Momenta certa. Quinetiam in explosione plurium Bombardarum simul, quæ exaudiuntur quandoque ad Distantiam triginta milliarium, percipitur Sonus prius ab iis qui prope absunt à loco ubi fit Sonitus, quam ab iis qui longe. At in Visu (cujus Actio est pernicissima) liquet etiam requiri ad eum actuandum Momenta certa Temporis; idque probatur ex iis, quæ propter Motus velocitatem non cernuntur; ut ex latione pilæ ex Sclopeto. Velocior enim est prætervolatio pilæ, quam impressio Speciei ejus quæ deferri poterat ad Visum.

Atque hoc, cum similibus, nobis quandoque dubitationem peperit plane monstrosam; videlicet, utrum Cœli Sereni & Stellati Facies ad idem Tempus cernatur quando verè existit, an potius aliquanto post; & utrum non sit (quatenus ad Visum Cœlestium) non minus Tempus verum, & Tempus visum, quam Locus verus, & Locus visus, qui notatur ab Astronomis in Parallaxibus. Adeo incredibile nobis videbatur, Species sive Radios Corporum Cœlestium, per tam immensa spatia milliarium subito deferri posse ad Visum; sed potius debere eas in tempore aliquo notabili delabi. Verum illa Dubitatio (quoad majus aliquod intervallum Temporis inter Tempus Verum & Visum) postea plane evanuit; reputantibus nobis jacturam illam infinitam; & diminutionem Quanti, quatenus ad apparentiam inter Corpus Stellæ Verum, & Speciem Visam, quæ causatur à distantia; Atque simul notantibus ad quantam Distantiam (sexaginta scilicet ad minimum milliariorum) Corpora, eaque tantum Albicantia, subito hic apud nos cernantur; cum dubium non sit, Lucem Cœlestium, non tantum Albedinis vividum colorem, verum etiam omnis Flammæ (quæ apud nos nota est) Lucem, quoad vigorem radiationis, multis partibus excedere; Etiam immensa illa Velocitas in ipso Corpore, quæ cernitur in Motu Diurno, (quæ etiam viros graves ita obstupefecit, ut mallent credere Motum Terræ) facit Motum illum, Ejaculationis Radiorum ab ipsis (licet celeritate, ut diximus, mirabilem) magis credibilem. Maxime vero omniũ nos movit, quod si interponeretur intervallum Temporis aliquod notabile inter Veritatem & Visum, foret ut Species, per nubes interim orientes, & similes Medij perturbationes, interciperentur sæpenumero, & confunderentur. Atque de Mensuris Temporum Simplicibus hæc dicta sint.

Verum non solum quærenda est Mensura Motuum & Actionum Simpliciter, sed multo magis Comparative: Id enim eximij est usus, & ad plurima spectat. Atque videmus, Flammam alicujus Tormenti ignei citius cerni, quam Sonitus audiatur; licet necesse sit, pilam prius Aërem percutere, quam Flamma quæ pone erat, exire potuerit; fieri hoc autem propter velociorem transactionem Motus Lucis, quam Soni. Videmus etiã, Species Visibiles à Visu citius excipi, quam dimitti; unde fit, quod Nervi Fidium digito impulsi, duplicentur, aut triplicentur, quoad Speciem, quia Species nova recipitur, antequam Prior dimittatur; Ex quo etiam fit, ut Annuli rotati videantur globosi, & Fax ardens noctu velociter portata, conspiciatur Caudata. Etiam ex hoc fundamento Inæqualitatis Motuum quoad Velocitatem, excogitavit *Galilæus* Causam Fluxus & Refluxus Maris, rotante Terra velocius, Aquis tardius; ideoque accumulantibus se Aquis in sursum, & deinde per vices se remittentibus in deorsum; ut demonstratur in vase Aquæ incitatius movente. Sed hoc commentus est concesso non concessibili, (quod Terra nempe moveatur;) ac etiam non bene informatus de Oceani Motu sexhoratio.

At Exemplum hujus rei de qua agitur, videlicet de Comparativis Mensuris Motuum, neque solum rei ipsius, sed & Usus insignis ejus, (de quo paulo ante loquuti sumus) eminet in Cuniculis subterraneis, in quibus collocatur Pulvis pyrius: ubi immensæ Moles Terræ, Ædificiorum, & similium, subvertuntur, & in altum jaciuntur, à pusilla quantitate Pulveris pyrij. Cujus causa pro certo illa est, quod Motus Dilatationis Pulveris qui impellit, multis partibus sit pernicior, quam Motus Gravitatis per quem fieri possit aliqua resistentia: adeo ut primus Motus perfunctus sit, antequam Motus adversus incepérit: ut in principiis nullitas quædam sit resistentiæ. Hinc etiam fit, quod in omni Missili, Ictus non tam robustus, quam acutus & celer, ad Perlationem potissimum valeat. Neque etiam fieri potuisset, ut parva quantitas Spiritus Animalis in Animalibus, præsertim in tam vastis Corporibus, qualia sunt Balænę aut Elephanti, tantam molem corpoream flecteret & regeret: nisi propter Velocitatem Motus Spiritus, & hebetudinem corporeæ molis, quatenus ad expediendam suam resistentiam.

Denique, hoc unum ex præcipuis fundamentis est Experimentorum Magicorum, de quibus mox dicemus: ubi scilicet parva Moles Materiæ longe majorem superat, & in ordinem redigit: Hoc inquam: Si fieri possit Anteversio Motuum per velocitatem unius, antequam alter se expediat.

Postremo, Hoc ipsum *Prius & Posterius* in omni Actione Naturali notari debet: veluti quod in Infusione Rhabarbari eliciatur Purgativa vis prius, Astrictiva post: Simile quiddam etiam in Infusione Violarum in Acetum experti sumus: ubi primo excipitur suavis & delicatus Floris odor: post, pars Floris magis terrea, quæ odorem confundit. Itaque si infundantur Violæ per diem integrum, Odor multo languidius excipitur, quod si infundantur per partem quartam horæ tantum, & extrahantur: & (quia paucus est Spiritus odoratus qui subsistit in Viola) infundantur post singulas quartas horæ

horæ Violæ novæ & recentes ad sexies; tum demum nobilitatur Infusio, ita ut licet non manserint Violæ, utcunque renovatæ, plus quam ad sesquihoram; tamen permanserit Odor gratissimus, & Viola ipsa non inferior, ad annum integrum. Notandum tamen est, quod non se colligat Odor ad vires suas plenas, nisi post mensem ab Infusione. In Distillationibus vero Aromatum maceratorum in spiritu vini patet, quod surgat primo phlegma aqueum & inutile, deinde Aqua plus habens ex spiritu vini, deinde post aqua plus habens ex Aromate. Atque hujus generis quamplurima inveniuntur in Distillationibus notatu digna. Verum hæc sufficiant ad Exempla.

XLVII.

INter *Prærogativas Instaurationum* ponemus loco vicesimo tertio *Instantias Quanti*, quas etiam *Doses Naturæ* (sumpto vocabulo à Medicinis) vocare consuevimus. Eæ sunt quę mensurant Virtutes per *Quanta* Corporum, & indicant quid *Quantum Corporis* faciat ad *Modum Virtutis*. Ac primo sunt quædam virtutes quæ non subsistunt nisi in *Quanto Cosmico*, hoc est, tali *Quanto* quod habeat consensum cum Configuratione & Fabrica Vniversi. Terra enim stat; partes ejus cadunt. Aquæ in Maribus fluunt & refluunt; in Fluviis minime, nisi per ingressum Maris. Deinde etiam omnes fere Virtutes particulares secundum *Multum* aut *Parum* Corporis operantur. Aquæ largæ non facile corrumpuntur; exiguæ cito. Mustum & Cervisia maturescunt longe citius, & fiunt potabilia in utribus parvis, quam in doliis magnis. Si Herba ponatur in majore portione Liquoris, fit Infusio, magis quam Imbibitio: Si in minore, fit Imbibitio, magis quam Infusio. Aliud igitur erga Corpus Humanum est Balneum, aliud levis Irroratio. Etiam parvi Rores in Aere nunquam cadunt, sed dissipantur, & cum Aere incorporantur. Et videre est in anhelitu super Gemmas, parum illud humoris, quasi nubeculam vento dissipatam, continuo solvi. Etiam Frustum ejusdem Magnetis non trahit tantum Ferri, quantum Magnes integer. Sunt etiam Virtutes in quibus Parvitas *Quanti* magis potest; ut in penetrationibus, stylus acutus citius penetrat, quam obtusus; Adamas punctuatus sculpit in vitro, & similia.

Verum non hic morandum est in Indefinitis, sed etiam de *Rationibus Quanti* Corporis erga Modum Virtutis inquirendum. Proclive enim foret credere, quod rationes Quanti Rationes Virtutis adæquarent; ut si Pila Plumbea unius unciæ caderet in tali tempore, pila unciarum duarum deberet cadere duplo celerius, quod falsissimum est; Nec eædem rationes in omni genere Virtutum valent, sed longe diversæ. Itaque hæ Mensuræ ex rebus ipsis petendæ sunt, & non ex verisimilitudine, aut Conjecturis.

Denique in omni Inquisitione Naturæ *Quantum* Corporis requiri ad aliquod Effectum, tanquam Dosis, notandum; & Cautiones de *Nimis* & *Parum* aspergendæ.

XLVIII.

INter *Prærogativas Instantiarum*, ponemus loco vicesimo quarto *Instantias Luctæ*; quas etiam *Instantias Prædominantiæ* appellare consuevimus. Eæ indicant Prædominantiam & Cessionem Virtutum ad invicem; & quæ ex illis sit fortior & vincat, quæ infirmior & succumbat. Sunt enim Motus & Nixus Corporum compositi, decompositi, & complicati, non minus quam Corpora ipsa. Proponemus igitur primum Species præcipuas Motuum sive Virtutum Activarum; ut magis perspicua sit ipsarum Comparatio in Robore, & exinde Demonstratio atque Designatio *Instantiarum Luctæ & Prædominantiæ*.

Motus primus sit Motus *Antitypiæ* Materiæ, quæ inest in singulis portionibus ejus; per quem plane annihilari non vult; ita ut nullum incendium, nullum pondus, aut depressio, nulla violentia, denique ætas aut diuturnitas temporis possit redigere aliquam vel minimam portionem Materiæ in Nihilum, quin illa & sit Aliquid, & Loci aliquid occupet, & se, (in qualicunque necessitate ponatur) vel Formam mutando vel Locum, liberet; vel, (si non detur copia) ut est, subsistat; neque unquam res eo deveniat, ut aut Nihil sit, aut Nullibi. Quem Motum Schola (quæ semper fere & denominat & definit Res, potius per Effectus & Incommoda, quam per Causas Interiores) vel denotat per illud Axioma, quod *Duo corpora non possint esse in uno loco*; vel vocat Motum, *Ne fiat penetratio dimensionum*, Neque hujus Motus exempla proponi consentaneum est: Inest enim omni Corpori.

Sit Motus secundus, Motus (quem appellamus) *Nexus*, per quem Corpora non patiuntur se ulla ex parte sui dirimi à contactu alterius Corporis, ut quæ mutuo nexu & contactu gaudeant. Quem Motum Schola vocat Motum, *Ne detur vacuum*: Veluti cum aqua attrahitur sursum exuctione, aut per fistulas, caro per ventosas, aut cum aqua sistitur, nec effluit in hydriis perforatis, nisi os hydriæ ad immittendum aërem aperiatur, & innumera id genus.

Sit Motus tertius, Motus (quem appellamus) *Libertatis*, per quem Corpora se liberare nituntur à Pressura aut Tensura Præternaturali, & restituere se in Dimensum corpori suo conveniens. Cujus Motus etiam innumera sunt exempla: Veluti (quatenus ad Liberationem à Pressura) aquæ in natando, aeris in volando, aquæ in Remigando, aeris in undulationibus ventorum, laminæ in horologiis. Nec in eleganter se ostendit Motus Aeris compressi in Sclopetis ludicris puerorum, cum Alnum aut simile quiddam excavant, & infarciunt frusto alicujus Radicis succulentæ, vel similium, ad utrosque fines, deinde per Embolum trudunt radicem vel hujusmodi farcimentum in foramen alterum: Vnde emittitur & ejicitur Radix cum sonitu ad foramen alterum, idque antequam tangatur à Radice aut Embolo. Quatenus vero ad Liberationem à Tẽsura, ostendit se hic Motus in Aere post exuctionẽ in Ovis vitreis remanẽte, in Chordis, in Corio, & Panno, resilientibus post Tensuras suas, nisi Tẽsuræ illæ per moram invaluerint, &c. Atque hunc Motum Schola sub nomine Motus ex *Forma Elementi* innuit: satis quidem inscite, cum hic Motus non tantũ ad Aerem, Aquam, aut Flammam pertineat, sed ad omnem diversitatem Consistentiæ: ut Ligni, Ferri, Plumbi, Panni, Membranæ, &c. in quibus, singula Corpora suæ habent

Dimen-

Dimensionis modulum ; & ab eo ægre ad spatium aliquod notabile abripiuntur. Verum quia Motus iste Libertatis omnium est maxime obvius, & ad infinita spectans, consultum fuerit eum bene & perspicue distinguere. Quidam enim valde negligenter confundunt hunc Motum cum gemino illo Motu *Antitypiæ* & *Nexus*; Liberationem scilicet à Pressura, cum Motu *Antitypiæ*; à Tensura, cum Motu *Nexus*: ac si ideo cederent aut se dilatarent corpora compressa, ne sequeretur *Penetratio dimensionum*; ideo resilirent & contraherent se Corpora tensa, ne sequeretur *Vacuum*. Atqui si Aër compressus se vellet recipere in densitatem aquæ, aut Lignum in densitatem Lapidis, nil opus foret *penetratione dimensionum*: & nihilominus longe major posset esse Compressio illorum, quam illa ullo modo patiuntur. Eodem modo si Aqua se dilatare vellet in raritatem Aëris; aut Lapis in raritatem Ligni; non opus foret *vacuo*: & tamen longe major posset fieri Extensio eorum, quam illa movendo patiuntur. Itaque non reducitur res ad *Penetrationem dimensionum, & vacuum*, nisi in ultimitatibus Condensationis & Rarefactionis: cum tamen isti Motus longe citra eas sistant & versentur; neque aliud sint, quam Desideria Corporum conservandi se in Consistentiis suis, (sive, si malint, in Formis suis) nec ab iis recedendi subito, nisi per modos suaves, ac per consensum alterentur. At longe magis necessarium est (quia multa secum trahit) ut intimetur hominibus, Motum Violentum (quem nos *Mechanicum*; *Democritus*, qui in Motibus suis primis expediendis etiam infra mediocres Philosophos ponendus est, Motum *Plagæ* vocavit) nil aliud esse quam Motum Libertatis, scilicet à compressione ad Relaxationem. Etenim in omni sive simplici Protrusione, sive Volatu per aërem, non fit summotio aut latio localis, antequam partes Corporis Præternaturaliter patiantur & comprimantur ab Impellente. Tum vero Partibus aliis alias per successionem trudentibus, fertur Totum; nec solum Progrediendo, sed etiam Rotando simul; ut etiam hoc modo Partes se liberare, aut magis ex æquo tolerare possint. Atque de hoc Motu hactenus.

Sit Motus quartus, Motus cui nomen habetur Motus *Hyles*: Qui Motus antistrophus est quodammodo Motui, de quo diximus, Libertatis. Etenim in Motu Libertatis Corpora novum Dimensum, sive novam Sphæram, sive novam Dilatationem aut Contractionem, (hæc enim Verborum varietas idem innuit) exhorrent, respuunt, fugiunt, & resilire ac veterem Consistentiam recuperare totis viribus contendunt. At contra in hoc Motu *Hyles*, Corpora novam Sphæram sive Dimensum appetunt; atque ad illud libenter & propere, & quandoque valentissimo nixu (ut in Pulvere Pyrio) aspirant. Instrumenta autem hujus Motus, non sola certe, sed potentissima, aut saltem frequentissima, sunt Calor & Frigus. Exempli gratia: Aër si per Tensuram (velut per exuctionem in Ovis vitreis) dilatetur, magno laborat desyderio se ipsum restituendi. At admoto Calore, è contra appetit dilatari, & concupiscit novam sphæram, & transit & migrat in illam libenter, tanquam in novam Formam (ut loquuntur.) Nec post dilatationem nonnullam de reditu curat, nisi per admotionem Frigidi ad eam invitetur; quæ non Reditus est, sed Trāsmutatio repetita. Eodem modo & Aqua, si per compressionem arctetur, recalcitrat; & vult fieri qualis fuit, scilicet latior. At si interveniat Frigus intensum & continuatum, mutat se sponte sua & libenter in condensationem Glaciei: atque si plane continuetur Frigus, nec à teporibus interrumpatur, (ut fit in Speluncis & Cavernis paulo profundioribus) vertitur in Crystallum, aut materiam similem, nec unquam restituitur.

Sit Motus quintus, Motus *Continuationis*. Intelligimus autem non Continuationis simplicis & primariæ, cum corpore aliquo altero; (nam ille est Motus *Nexus*) sed Continuationis sui, in Corpore certo. Certissimum enim est, quod Corpora omnia solutionem Continuitatis exhorreant, alia magis, alia minus, sed omnia aliquatenus. Nam ut in Corporibus Duris (veluti Chalybis, Vitri) Reluctatio contra Discontinuationem est maxime robusta & valida; ita etiam in Liquoribus, ubi cessare aut languere saltem videtur Motus ejusmodi, tamen non prorsus reperitur Privatio ejus: sed plane inest ipsis in gradu tanquam infimo, & prodit se in Experimentis plurimis; sicut in Bullis, in rotunditate Guttarum, in filis tenuioribus Stillicidiorum, & in sequacitate Corporum Glutinosorum, & ejusmodi. Sed maxime omnium se ostendit Appetitus iste, si Discontinuatio tentetur usque ad fractiones minores. Nam in Morrariis, post contusionem ad certum gradum, non amplius operatur Pistillum: Aqua non subintrat rimas minores: Quin & ipse Aër, non obstante subtilitate corporis ipsius, Poros Vasorum paulo solidiorum non pertransit subito, nec nisi per diuturnam insinuationem.

Sit Motus sextus, Motus quem nominamus Motum *ad Lucrum*, sive Motum *Indigentiæ*. Is est, per quem Corpora, quando versantur inter plane Heterogenea & quasi inimica, si forte nanciscantur copiam aut commoditatem evitandi illa Heterogenea, & se applicandi ad magis cognata, (licet illa ipsa cognata talia fuerint, quæ non habeant arctum consensum cum ipsis) tamen statim ea amplectuntur, & tanquam potiora malunt; & Lucri loco (unde vocabulum sumpsimus) hoc ponere videntur, tanquam talium corporum indiga. Exempli gratia: Aurum, aut aliud Metallum foliatum, non delectatur aëre circumfuso. Itaque si corpus aliquod tangibile & crassum nanciscatur, (ut digitum, papyrum, quidvis aliud) adhæret statim, nec facile divellitur. Etiam papyrus, aut pannus, & hujusmodi, non bene se habent cum aëre qui inseritur & commistus est in ipsorum poris. Itaque Aquam aut Liquorem libenter imbibunt, & Aerem exterminant. Etiam Saccharum, aut Spongia infusa in Aquam aut Vinum, licet pars ipsorum emineat & longe attollatur supra Vinum aut Aquam, tamen Aquam aut Vinum paulatim & per gradus attrahunt in sursum.

Vnde optimus Canon sumitur Aperturæ & Solutionum Corporum. Missis enim Corrosivis & Aquis fortibus, quæ viam sibi aperiunt; si possit inveniri Corpus proportionatum & magis consentiens

ſentiens & amicum Corpori alicui ſolido, quam illud cum quo tanquam per neceſſitatem commiſcetur; ſtatim ſe aperit & relaxat Corpus, & illud alterum intro recipit, priore excluſo aut ſummoto. Neque operatur, aut poteſt, iſte *Motus ad Lucrum*, ſolummodo ad Tactum. Nam Electrica Operatio (de qua *Gilbertus* & alii poſt eum tantas excitarunt fabulas) non alia eſt quam Corporis per fricationem levem excitati Appetitus, qui Aërem non bene tolerat, ſed aliud tangibile mavult, ſi reperiatur in propinquo.

Sit Motus ſeptimus (quem appellamus) *Congregationis majoris*; per quem Corpora feruntur ad Maſſas Connaturalium ſuorum: Gravia ad globum Terræ; Levia ad Ambitum Cœli. Hunc Schola nomine *Motus Naturalis* inſignivit, levi contemplatione: quia ſcilicet nil ſpectabile erat ab extra, quod eum Motum cieret: (itaque Rebus ipſis innatum atque inſitum putavit:) aut forte quia non ceſſat. Nec mirum: Semper enim præſto ſunt Cœlum & Terra; cum è contra cauſæ & origines plurimorum ex reliquis Motibus interdum abſint, interdum adſint. Itaque hunc, quia non intermittit, ſed cæteris intermittentibus ſtatim occurrit, Perpetuum & Proprium; reliquos, Aſcititios poſuit. Eſt autem iſte Motus revera ſatis infirmus & hebes, tanquam is qui (niſi ſit Moles Corporis major) cæteris Motibus, quandiu operantur, cedat & ſuccumbat. Atque cum hic Motus hominum cogitationes ita impleverit, ut fere reliquos Motus occultaverit; tamen parum eſt quod homines de eo ſciunt, ſed in multis circa illum erroribus verſantur.

Sit Motus octavus, Motus *Congregationis Minoris*; per quem Partes Homogeneæ in Corpore aliquo ſeparant ſe ab Heterogeneis, & coëunt inter ſeſe; per quem etiam Corpora integra ex ſimilitudine ſubſtantiæ ſe amplectuntur & fovent, & quandoque ad diſtantiam aliquam congregantur, attrahuntur, & conveniunt: Veluti cum in Lacte Flos lactis poſt moram aliquam ſupernatat; in Vino Fæces & Tartarum ſubſidunt. Neque enim hæc fiunt per motum Gravitatis & Levitatis tantum, ut aliæ partes ſummitatem petant, aliæ ad imum vergant, ſed multo magis per Deſiderium Homogeneorum inter ſe coëundi, & ſe uniendi. Differt autem iſte motus à motu *Indigentiæ*, in duobus. Uno, quod in motu *Indigentiæ* ſit ſtimulus major Naturæ malignæ & contrariæ: At in hoc motu (ſi modo impedimenta & vincula abſint) juniuntur partes per Amicitiam, licet abſit Natura aliena quæ litem moveat. Altero, quod arctior ſit unio, & tanquam majore cum delectu. In illo enim, modo evitetur Corpus inimicum, Corpora etiam non admodum cognata concurrunt: At in hoc coëunt Subſtantiæ, germana plane ſimilitudine devinctæ, & conflantur tanquam in unum. Atque hic Motus omnibus Corporibus Compoſitis ineſt; & ſe facile conſpiciendum in ſingulis daret, niſi ligaretur & frænaretur per alios Corporum Appetitus & Neceſſitates, quæ iſtam Coitionem diſturbant.

Ligatur autem Motus iſte plerumque tribus modis: Torpore Corporum; Fræno Corporis Dominantis; & Motu externo. Ad Torporem Corporum quod attinet; certum eſt, ineſſe Corporibus tangibilibus Pigritiam quandam ſecundum magis & minus, & Exhorrentiam Motus Localis: ut niſi excitentur, malint ſtatu ſuo (prout ſunt) eſſe contenta, quam in melius ſe expedire. Diſcutitur autem iſte Torpor triplici Auxilio: aut per Calorem, aut per Virtutem alicujus Cognati corporis eminentem, aut per Motum vividum & potentem: Atque primo quoad auxilium Caloris; hinc fit, quod Calor pronuntietur eſſe illud quod *ſeparet Heterogenea, congreget Homogenea*. Quam definitionem Peripateticorum merito deriſit *Gilbertus*; dicens, eam eſſe perinde ac ſi quis diceret ac definiret Hominem illud eſſe, quod ferat Triticum, & plantet Vineas: eſſe enim Definitionem tantum per Effectus, eoſque particulares. Sed adhuc magis culpanda eſt illa Definitio; quia etiam Effectus illi (quales quales ſunt) non ſunt ex proprietate Caloris, ſed tantum per accidens, (idem enim facit Frigus, ut poſtea dicemus) nempe ex deſiderio partium Homogenearum coëundi, adjuvante tantum Calore ad diſcutiëdum Torporem, qui Torpor deſiderium illud antea ligaverat. Quoad vero Auxilium Virtutis inditæ à Corpore Cognato; illud mirabiliter eluceſcit in Magnete armato, qui excitat in Ferro virtutem detinendi Ferrum per ſimilitudinem ſubſtantiæ, diſcuſſo Torpore Ferri per Virtutē Magnetis. Quoad vero Auxilium Motus, conſpicitur illud in ſagittis ligneis, cuſpide etiam lignea; quæ altius penetrant in alia ligna, quam ſi fuiſſent armatæ ferro, per ſimilitudinem ſubſtantiæ, diſcuſſo Torpore Ligni per motum celerem: de quibus duobus Experimentis etiam in Aphoriſmo de *Iaſtantiis Clandeſtinis* diximus.

Ligatio vero motus *Congregationis minoris*, quæ fit per Frænum Corporis Dominantis, conſpicitur in ſolutione Sanguinis & Urinarum per Frigus. Quamdiu enim repleta fuerint Corpora illa ſpiritu agili, qui ſingulas eorum partes cujuſcunque generis, ipſe ut Dominus Totius, ordinat & cohibet; tamdiu non coëunt Heterogenea propter Frænum: ſed poſtquam ille Spiritus evaporaverit, aut ſuffocatus fuerit per Frigus, tum ſolutæ Partes à Fræno, coëunt ſecundum deſiderium ſuum naturale. Atque ideo fit, ut omnia Corpora, quæ continent Spiritum acrem, (ut Sales, & hujuſmodi) durent & non ſolvantur, ob Frænum permanens & durabile Spiritus dominantis & imperioſi.

Ligatio vero motus *Congregationis minoris*, quæ fit per motum externum, maxime conſpicitur in Agitationibus Corporum, per quas arcetur putrefactio. Omnis enim Putrefactio fundatur in Congregatione Homogeneorum; unde paulatim fit Corruptio prioris (quam vocant) Formæ, & Generatio novæ. Nam Putrefactionem, quæ ſternit viam ad Generationem novæ Formæ, præcedit Solutio veteris; quæ eſt ipſa Coitio ad Homogeniam. Ea vero ſi non impedita fuerit, fit Solutio ſimplex; ſin occurrant varia quæ obſtant, ſequuntur Putrefactiones, quæ ſunt rudimenta generationis novæ. Quod ſi (id quod nunc agitur) fiat agitatio frequens per motum externum; tum verò motus iſte Coitionis (qui eſt delicatus & mollis, & indiget quiete ab externis) diſturbatur & ceſſat; ut fieri videmus in innumeris; Veluti, cum quotidiana agitatio aut profluentia Aquæ arceat Putrefactionem; Venti arceant peſtilentiam

Aëris; Grana in granariis versa & agitata maneant pura; Omnia deniq; agitata extetius non facile putrefiant interius.

Superest ut non omittatur Coitio illa Partium Corporum, unde fit præcipue Induratio & Desiccatio. Postquam enim Spiritus, aut Humidum in Spiritum versum, evolavérit in aliquo Corpore porosiore, (ut in ligno, osse, membrana, & hujusmodi (tum Partes crassiores majore nixu contrahuntur & coeunt, unde sequitur Induratio aut Desiccatio: quod existimamus fieri, non tam ob motum *Nexus*, ne detur Vacuum, quam per motum istum Amicitiæ & Unionis.

Ad Coitionem vero ad distans quod attinet, ea infrequens est & rara: & tamen in plurimis inest, quam quibus observatur. Hujus simulacra sunt, cum bulla solvit bullam; medicamenta ex similitudine substantiæ trahunt humores; chorda in diversis fidibus ad unisonum moveat Chordam; & hujusmodi. Etiam in Spiritibus Animalium hunc motum vigere existimamus, sed plane incognitum. At eminet certe in magnete, & ferro excito. Cum autem de motibus magnetis loquimur, distinguendi plane sunt. Quatuor enim Virtutes sive Operationes sunt in magnete, quæ non confundi, sed separari debent, licet admiratio hominum & stupor eas commiscuerit. Una, Coitionis magnetis ad magnetem, vel Ferri ad magnetem, vel ferri exciti ad ferrum. Secunda, Verticitatis ejus ad Septentriones & Austrum, atque simul declinationis ejus. Tertia, Penetrationis ejus per Aurum, Vitrum, Lapidem, omnia. Quarta, communicationis Virtutis ejus de Lapide in Ferrum, & de Ferro in Ferrum, absque communicatione substantiæ. Verum hoc loco de prima Virtute ejus tantum loquimur, videlicet coitionis. Insignis etiam est motus coitionis argenti vivi & auri, adeo ut Aurum alliciat Argentum Vivum licet confectum in unguenta, atque Operarii inter vapores argenti vivi soleant tenere in ore frustum auri ad colligendas emissiones argenti vivi, alias crania & ossa eorum invasuras; unde etiam frustum illud paulo post albescit. Atque de Motu *congregationis minoris* hæc dicta sint.

Sit Motus nonus, *Motus Magneticus*, qui licet sit ex genere motus *Congregationis minoris*, tamen si operetur ad distantias magnas, & super massas rerum magnas, Inquisitionem meretur separatam; præsertim si nec incipiat à Tactu, quemadmodum plurimi, nec perducat actionem ad Tactum, quemadmodum omnes motus Congregativi; sed Corpora tantum elevet, aut ea intumescere faciat, nec quicquam ultra. Nam si Luna attollat aquas, aut turgescere aut intumescere faciat humida; aut Cœlum Stellatum attrahat planetas versus sua Apogæa; aut Sol alliget astra Veneris & Mercurii, ne longius absint à Corpore ejus, quam ad distantiam certam; videntur hi motus nec sub *Congregatione majore*, nec sub *Congregatione minore* bene collocari, sed esse tanquam Congregativa media & imperfecta, ideoque Speciem debere constituere propriam.

Sit Motus decimus, *motus Fugæ*; motus scilicet motui *Congregationis minoris* contrarius; per quem Corpora ex antipathia fugiunt & fugant inimica, seque ab illis separant, aut cum illis miscere se recusant. Quamvis enim videri possit in aliquibus hic motus esse motus tantum per accidens, aut per consequens, respectu motus *Congregationis minoris*, quia nequeunt coire Homogenea, nisi Heterogeneis exclusis & remotis: tamen ponendus est motus iste per se, & in Speciem constituendus, quia in multis appetitus *Fugæ* cernitur magis principalis, quam appetitus Coitionis.

Eminet autem hic motus insigniter in Excretionibus animalium; nec minus etiam in Sensuum nonnullorum odiosis Objectis, præcipue in Olfactu & Gustu. Odor enim fœtidus ita rejicitur ab Olfactu, ut etiam inducat in Os stomachi motum Expulsionis per consensum; Sapor, amarus & horridus ita rejicitur à Palato aut Gutture, ut inducat per consensum capitis conquassationem & horrorem. Veruntamen etiam in aliis locum habet iste motus. Conspicitur enim in Antiperistasibus nonnullis; ut in Aëris media Regione, cujus Frigora videntur esse Rejectiones Naturæ frigidæ ex confiniis cœlestium; quemadmodum etiam videntur magni illi fervores & inflammationes quæ inveniuntur in locis subterraneis, esse Rejectiones Naturæ calidæ ab interioribus Terræ. Calor enim & Frigus, si fuerint in Quanto minore, se invicem perimunt; sin fuerint in Massis majoribus, & tãquam justis exercitibus, tum vero per conflictum se locis invicem summovent, & ejiciunt. Etiam tradunt, Cinamomum & Odorifera, sita juxta latrinas & loca fœtida, diutius odorem retinere, quia recusant exire & commisceri cum fœtidis. Certe Argentum vivum, quod alias se reuniret in corpus integrum, prohibetur per salivam hominis, aut Axungiam porci, aut Terebinthinam, & hujusmodi, ne partes ejus coëant; propter malum consensum quem habent cum hujusmodi Corporibus; à quibus undique circumfusis se retrahunt; adeo ut fortior sit earum *Fuga* ab istis interjacentibus, quam desiderium unendi se cum partibus sui similibus; id quod vocant *Mortificationem* Argenti vivi. Etiam quod Oleum cum Aqua non misceatur, non tantum in causa est differentia Levitatis; sed malus ipsorum consensus: ut videre est in Spiritu vini, qui cum levior sit Oleo, tamen se bene miscet cum Aqua. Et maxime omnium insignis est motus *Fugæ* in Nitro, & hujusmodi corporibus crudis, quæ Flammam exhorrent; ut in pulvere Pyrio, Argento vivo, nec non in Auro. *Fuga* vero ferri ab altero polo Magnetis, à *Gilberto* bene notatur non esse *Fuga* propria, sed Conformitas, & Coitio ad situm magis accommodatum.

Sit Motus undecimus, *Motus Assimilationis*, sive *Multiplicationis* sui, sive etiam *Generationis simplicis*. *Generationem* autem *simplicem* dicimus non Corporum integralium, ut in Plantis, aut animalibus; sed Corporum similarium. Nempe per hunc motum Corpora similaria vertunt Corpora alia affinia, aut saltem bene disposita & præparata, in Substantiam & Naturam suam: ut flamma, quæ super halitus & oleosa multiplicat se, & generat novam Flammam; aër, qui super aquam & aquea multiplicat se, & generat novum aërem: spiritus vegetabilis & animalis, qui super tenuiores partes tam aquei quam oleosi in alimentis suis multiplicat se, & generat novum spiri-

ſpiritum ; partes ſolidæ plantarum & animalium, veluti folium, flos, caro, os, & ſic de cæteris, quæ ſingulæ ex Succis alimentorum aſſimilant & generant ſubſtantiam ſucceſſivam, & epiuſiam. Neque enim quenquam cum *Paracelſo* delirare juvet, qui (diſtillationibus ſuis ſcilicet occæcatus) Nutritionem per ſeparationem tantum fieri voluit; quodque in pane vel cibo lateat oculus, naſus, Cerebrum, Jecur; in ſucco terræ radix, folium, flos. Etenim ſicut faber ex rudi maſſa lapidis vel ligni, per Separationem & Rejectionem ſuperflui educit folium, florem, oculum, naſum, manum, pedem, & ſimilia; ita *Archæum* illum Fabrum internum ex alimento per Separationem & Rejectionem educere ſingula membra & partes aſſerit ille. Verum miſſis nugis, certiſſimum eſt partes ſingulas tam ſimilares, quam organicas, in vegetabilibus & animalibus, ſuccos alimentorum ſuorum fere communes, aut nō multum diverſos, primo attrahere cum nonnullo delectu, deinde aſſimilare, & vertere in Naturam ſuam. Neque *Aſſimilatio* iſta, aut *Generatio ſimplex* fit ſolum in corporibus Animatis; verum & Inanimata ex hac re participant; veluti de Flamma & Aëre dictum eſt. Quinetiam Spiritus emortuus, qui in omni Tangibili Animato continetur, id perpetuo agit, ut partes craſſiores digerat & vertat in Spiritum qui deinde exeat; unde fit diminutio ponderis & exſiccatio, ut alibi diximus. Neque etiam reſpuenda eſt in *Aſſimilatione*, aceretio illa, quam vulgo ab alimentatione diſtinguunt; veluti cum lutum inter lapillos concreſcit, & vertitur in materiam lapideam; ſquammæ circa dentes, vertuntur in ſubſtantiam non minus duram, quam ſunt dentes ipſi, &c. Sumus enim in ea opinione, inеſſe Corporibus omnibus deſiderium aſſimilandi, non minus quam coeundi ad Homogenea: verum ligatur iſta virtus, ſicut & illa; licet non iiſdem modis. Sed modos illos, nec non ſolutionem ab iiſdem, omni diligentia inquirere oportet; quia pertinent ad Senectutis refocillationem. Poſtremo videtur notatu dignum, quod in novem illis Motibus, de quibus diximus; Corpora tantum Naturæ ſuæ Conſervationem appetere videntur; in hoc decimo autem Propagationem.

Sit Motus duodecimus, *Motus Excitationis*; qui Motus videtur eſſe ex genere *Aſſimilationis*, atque eo nomine quandoque à nobis promiſcue vocatur. Eſt enim Motus diffuſivus, & communicativus, & tranſitivus, & multiplicativus, ſicut & ille; atque Effectu (ut plurimum) conſentiunt, licet efficiendi modo & ſubjecto differant. Motus enim *Aſſimilationis* procedit tanquam cum imperio, & poteſtate; Jubet enim & cogit aſſimilatum in aſſimilantem verti & mutari. At motus *Excitationis* procedit tanquam arte & inſinuatione, & furtim; & invitat tantum, & diſponit excitatum ad naturam excitantis. Etiam motus *Aſſimilationis* multiplicat & transformat corpora & ſubſtantias; veluti, plus fit flammæ, plus aeris, plus ſpiritus, plus carnis. At in motu *Excitationis*, multiplicantur & tranſeunt virtutes tantum; & plus fit calidi, plus magnetici, plus putridi. Eminet autem iſte motus præcipue in calido & frigido. Neque enim calor diffundit ſe in calefaciendo per communicationem primi caloris; ſed tantum per *Excitationes* corporis ad motum illum, qui eſt forma calidi; de quo in *Vindemiatione prima de Natura Calidi* diximus. Itaque longe tardius & difficilius excitatur calor in lapide aut metallo, quam in aere; ob inhabilitatem & impromptitudinem Corporum illorum ad motum illum; Ita ut veriſimile ſit, poſſe eſſe interius verſus viſcera Terræ materias, quæ calefieri prorſus reſpuant; quia ob condenſationem majorem ſpiritu illo deſtituuntur, à quo motus iſte *Excitationis* plerunque incipit. Similiter magnes induit Ferrum nova partium diſpoſitione, & motu conformi; iple autem nihil ex Virtute perdit. Similiter fermentum panis, & flos cerviſiæ, & coagulum lactis, & nonnulla ex venenis, excitant & invitant motum in maſſa farinaria, aut cerviſia, aut caſeo, aut corpore humano ſucceſſivum & continuatum; non tam ex vi Excitantis, quam prædiſpoſitione & facili Ceſſione Excitati.

Sit Motus decimus tertius, *Motus Impreſſionis*; qui Motus eſt etiam ex genere Motus *Aſſimilationis*, eſtque ex diffuſivis Motibus ſubtiliſſimus. Nobis autem viſum eſt eum in Speciem propriam conſtituere, propter differentiam inſignem quam habet, erga priores duos. Motus enim *Aſſimilationis* ſimplex Corpora ipſa transformat; ita ut ſi tollas primum Movens, nihil interſit ad ea quæ ſequuntur. Neque enim prima accenſio in Flammam, aut prima verſio in Aërem, aliquid facit ad Flammam, aut Aërem, in Generatione ſuccedentem. Similiter, Motus *Excitationis* omnino manet, remoto primo movente, ad tempora bene diuturna; ut in Corpore calefacto, remoto primo Calore; in Ferro excito, remoto Magnete; in Maſſa farinaria, remoto Fermento. At Motus *Impreſſionis*, licet ſit Diffuſivus & Tranſitivus, tamen perpetuo pendere videtur ex primo movente; adeo ut ſublato, aut ceſſante illo, ſtatim deficiat & pereat; Itaque etiam momento, aut ſaltem exiguo tempore tranſigitur. Quare motus ille *Aſſimilationis & Excitationis*, *motus Generationis Jovis*, quia generatio manet; Hunc autem motum, *motum Generationis Saturni*, quia natus ſtatim devoratur & abſorbetur, appellare conſuevimus. Manifeſtat ſe vero hic Motus in tribus; in Lucis radiis, Sonorum percuſſionibus, & Magneticis; quatenus ad Communicationem. Etenim amota Luce, ſtatim pereunt Colores, & reliquæ Imagines ejus; amota percuſſione primas, & quaſſatione Corporis inde facta, paulo poſt perit ſonus. Licet enim Soni etiam in Medio per ventos tanquam per Undas agitentur: tamen diligentius notandum eſt, quod Sonus non tam diu durat, quam fit Reſonatio. Etenim impulſa Campana, Sonus ad bene magnum tempus continuati videtur; unde quis facile in errorem labatur, ſi exiſtimet toto illo tempore Sonum tanquam natare & hærere in Aere; quod falſiſſimum eſt. Etenim illa Reſonatio non eſt idem Sonus Numero, ſed renovatur. Hoc autem manifeſtatur ex Sedatione ſive Cohibitione Corporis percuſſi. Si enim ſiſtatur & detineatur Campana fortiter, & fiat immobilis, ſtatim perit Sonus, nec reſonat amplius: ut in chordis; ſi poſt primam percuſſionem tangatur chorda, vel digito, ut in Lyra; vel calamo, ut in Eſpinetis; ſtatim deſinit Reſonatio. Magnete autem remoto, ſtatim Ferrum decidit. Luna autem à Mari non poteſt removeri;

nec Terra à Ponderoso dum cadit. Itaque de illis nullum fieri potest Experimentum; sed ratio eadem est.

Sit Motus decimus quartus, *Motus Configurationis*, aut *Situs*; per quem Corpora appetere videntur nō Coitionem aut Separationem aliquam; sed *Situm*, & Collocationem, & *Configurationem* cum aliis. Est autem iste motus valde abstrusus, nec bene inquisitus. Atque in quibusdam videtur quasi incausabilis; licet revera (ut existimamus) non ita sit. Etenim si quæratur, cur potius Cœlum volvatur ab Oriente in Occidentem, quam ab Occidente in Orientem: aut cur vertatur circa Polos positos juxta Ursas, potius quam circa Orionem, aut ex alia aliqua parte Cœli: videtur ista Quæstio tanquam quædam Ecstasis; cum ista potius ab Experientia, & ut Positiva, recipi debeant. At in Natura profecto sunt quædam ultima & incausabilia; verum hoc ex illis non esse videtur. Etenim hoc fieri existimamus ex quadam Harmonia & Consensu Mundi, qui adhuc non venit in observationem. Quod si recipiatur Motus Terræ ab Occidente in Orientem; eædem manent Quæstiones: Nam & ipsa super aliquos Polos movetur. Atq;, cur tandē debeant isti Poli collocari magis ubi sunt, quam alibi. Item Verticitas, & Directio, & Declinatiō Magnetis ad hunc Motum referuntur. Etiam inveniuntur in Corporibus tam Naturalibus quam Artificialibus, præsertim Consistentibus, & non Fluidis, Collocatio quædam & Positura partium, & tanquam Villi & Fibræ, quæ diligenter investigandæ sunt; utpote sine quarum inventione Corpora illa commode tractari aut regi non possunt. At Circulationes illas in Liquidis, per quas illa, dum pressa sint, antequam se liberare possunt, se invicem relevant, ut Compressionem illam ex æquo tolerent, Motui *Libertatis* verius assignavimus.

Sit Motus decimus quintus, *Motus Pertransitionis*, sive *Motus secundum Meatus*; per quem Virtutes Corporum magis aut minus impediuntur, aut provehuntur à mediis ipsorum, pro Natura Corporum & Virtutum Operantium, atque etiam Medii. Aliud enim Medium Luci convenit, aliud Sono, aliud Calori & Frigori, aliud Virtutibus Magneticis, nec non aliis nonnullis respective.

Sit Motus decimus sextus, *Motus Regius* (ita enim eum appellamus) sive *Politicus*; per quem Partes in Corpore aliquo Prædominantes & Imperantes, reliquas partes frænant, domant, subigunt, ordinant, & cogunt eas adunari, separari, consistere, moveri, collocari, non ex desideriis suis, sed prout in Ordine sit, & conducat ad bene esse Partis illius Imperantis; adeo ut sit quasi *Regimen* & *Politia* quædam, quam exercet Pars Regens in partes Subditas. Eminet autem hic Motus præcipue in Spiritibus Animalium, qui Motus omnes partium reliquarum, quamdiu ipse in vigore est, contemperat. Invenitur autem in aliis Corporibus in gradu inferiore; quemadmodum dictum est de Sanguine & Urinis, quæ non solvuntur, donec Spiritus qui partes earum commiscebat & cohibebat, emissus fuerit aut suffocatus. Neque iste Motus omnino Spiritibus proprius est, licet in plerisque Corporibus Spiritus dominentur ob Motum celerem, & penetrationem. Veruntamen in Corporibus magis condensatis, nec Spiritu vivido & vigente (qualis inest Argento vivo & Vitriolo) repletis, dominantur potius Partes crassiores, adeo ut nisi frenum & jugum hoc arte aliqua excutiatur, de nova aliqua hujusmodi Corporum transformatione minime sperandum sit. Neque vero quispiam nos oblitos esse existimet ejus quod nunc agitur, quia, cum ista Series & Distributio Motuum ad nil aliud spectet, quam ut illorum *Prædominantia* per *Instantiae Luctæ* melius inquiratur, jam inter Motus ipsos *Prædominantiæ* mentionem facimus. Non enim in Descriptione *Motus* istius *Regij*, de *Prædominantia* Motuum aut Virtutum tractamus, sed de *Prædominantia* Partium in Corporibus. Hæc enim ea est *Prædominantia*, quæ Speciem istam Motus peculiarem constituit.

Sit Motus decimus septimus, *Motus Rotionis spontaneus*; per quem Corpora Motu gaudentia, & bene collocata, Natura sua fruuntur, atque se ipsa sequuntur, non aliud; & tanquam proprios petunt amplexus. Etenim videntur Corpora aut movere sine Termino; aut plane quiescere; aut ferri ad Terminum, ubi pro natura sua aut rotent, aut quiescant. Atque quæ bene collocata sunt, si Motu gaudeant, movent per Circulum: Motu scilicet æterno, & infinito. Quæ bene collocata sunt, & motum exhorrent, prorsus quiescunt. Quæ non bene collocata sunt, movent in linea recta (tanquam tramite brevissimo) ad consortia suorū Connaturalium. Recipit autem Motus iste *Rotionis* Differentias novem. Primam, Centri sui, circa quod Corpora movent. Secundam, Polorum suorum, supra quos movent: Tertiam, Circumferentiæ sive Ambitus sui, prout distant à Centro: Quartam, Incitationis suæ, prout celerius aut tardius rotant: Quintam, Consequutionis Motus sui, veluti ab Oriente in Occidentem, aut ab Occidente in Orientem: Sextam, Declinationis à Circulo perfecto per Spiras longius aut propius distantes à Centro suo: Septimam, Declinationis à circulo perfecto per Spiras longius aut propius distantes à Polis suis: Octavam, Distantiæ propioris aut logioris Spirarum suarum ad invicem: Nonam & ultimam, Variationis ipsorum Polorum, si sint mobiles: quæ ipsa ad Rotationem non pertinet, nisi fiat circulariter. Atque iste Motus communi & inveterata opinione habetur pro proprio Cœlestium. Attamen gravis de illo Motu Lis est inter nonnullos tam ex Antiquis quam Modernis, qui *Rotationem* Terræ attribuerunt. At multo fortasse justior movetur Controversia, (si modo res non sit omnino extra Controversiam) an Motus videlicet iste (concesso quod Terra stet) Cœli finibus contineatur, an potius descendat, & communicetur Aëri, & Aquis. Motum autem *Rotationis* in Missilibus, ut in Spiculis, Sagittis, Pilis Sclopetorum, & similibus, omnino ad Motum *Libertatis* rejicimus.

Sit Motus decimus octavus, *Motus Trepidationis*, cui (ut ab Astronomis intelligitur) non multum fidei adhibemus. Nobis autem, Corporum Naturalium Appetitus ubique serio perscrutantibus, occurrit iste Motus; & cōstitui debere videtur in speciem. Est autem hic Motus veluti æternæ cujusdam Captivitatis. Videlicet ubi Corpora non omnino pro Natura sua bene locata, & tamen non

prorsus

prorsus male se habentia, perpetuo trepidant, & irrequiete se agunt, nec statu suo contenta, nec ulterius ausa progredi. Talis invenitur Motus in Corde & pulsibus Animalium; & necesse est ut sit in omnibus Corporibus, quæ statu ancipiti ita degunt inter Commoda & Incommoda, ut distracta liberare se tentent, & denuo repulsam patiantur.

Sit Motus decimus nonus & postremus, Motus ille cui vix nomen Motus competit, & tamen est plane Motus. Quem Motum, *Motum Decubitus*, sive *Motum Exhorrentiæ Motus*, vocare licet. Per hunc Motum Terra stat mole sua, moventibus se Extremis suis in Medium; non ad Centrum Imaginativum, sed ad Unionem. Per hunc etiam Appetitum omnia majorem in modum condensata motum exhorrent; atque illis pro omni Appetitu est non moveri; & licet infinitis modis vellicentur & provocentur ad Motum, tamen Naturam suam (quoad possunt) tuentur. Quod si ad Motum compellantur, tamen hoc agere semper videntur, ut quietem & statum suum recuperent, neque amplius moveant. Atque circa hoc certe se agilia præbent, & satis perniciter & rapide (ut pertæsa & impatientia omnis Moræ) contendunt. Hujus autem Imago ex parte tantum cerni potest; quia hic apud nos, ex Subactione & Concoctione Cœlestium, omne Tangibile non tantum non Condensatum est ad Ultimitatem, sed etiam cum Spiritu nonnullo miscetur.

Proposuimus itaque jam Species, sive Elementa simplicia Motuum, Appetituum, & virtutum Activarum, quæ sunt in Natura maxime Catholica. Neque parum Scientiæ Naturalis sub illis adumbratum est. Non negamus tamen, & alias Species fortasse addi posse; atque istas ipsas Divisiones secundum veriores rerum venas transferri; denique in minorem numerum posse redigi. Neque tamen hoc de Divisionibus aliquibus abstractis intelligimus: Veluti si quis dicat; Corpora appetere vel Conservationem, vel Exaltationem, vel Propagationem, vel Fruitionem Naturæ suæ: aut si quis dicat, motus rerum tendere ad Conservationem & Bonum, vel universi, ut *Antitypiam & Nexum*; vel universitatum magnarum, ut motus *Congregationis Majoris*, *Rotationis*, & *Exhorrentiæ Motus*; vel Formarum specialium, ut reliquos. Licet enim hæc vera sint, tamen nisi terminentur in Materia & Fabrica secundum veras lineas, speculativa sunt, & minus utilia. Interim sufficient, & boni erunt, ad pensitandas *Prædominantias* Virtutum, & exquirendas *Instantias Luctæ*; id quod nunc agitur.

Etenim ex his quos proposuimus Motibus, alii prorsus sunt Invincibiles; alii aliis sunt fortiores, & illos ligant, frænant, disponunt; alii aliis longius jaculantur; alii alios tempore & celeritate præ vertunt; alii alios fovent, roborant, ampliant, accelerant.

Motus *Antitypiæ* omnino est Adamantinus & Invincibilis. Utrum vero *Motus Nexus* sit Invincibilis, adhuc hæremus. Neque enim pro certo affirmaverimus, utrum detur Vacuum, sive Coacervatum, sive Permistum. At de illo nobis cóstat; Rationem illam, propter quam introductum est Vacuum à *Leucippo*, & *Democrito*, (videlicet quod absque eo non possent eadem Corpora complecti & implere majora & minora spatia) falsam esse. Est enim plane *Plica Materiæ*, complicantis & replicantis se per spatia inter certos fines absq; interpositione Vacui: Neque est in Aëre, ex Vacuo, bis millies (tantum enim esse oportet) plus quam in Auro. Id quod ex potentissimis Corporum Pneumaticorum Virtutibus, (quæ aliter tanquam pulveres minuti natarent in Vacuo) & multis aliis Demonstrationibus, nobis satis liquet. Reliqui vero Motus regunt & reguntur invicem, pro rationibus Vigoris, Quanti, Incitationis, Ejaculationis, nec non tum Auxiliorum, tum Impedimentorum quæ occurrunt.

Exempli gratia; Magnes armatus nonnullus detinet & suspendit Ferrum ad Sexagecuplum pondus ipsius; Eo usque dominatur Motus *Congregationis Minoris*, super Motum *Congregationis Majoris*; Quod si majus fuerit Pondus, succumbit. Vectis tanti roboris sublevabit tantum pondus; Eo usque dominatur Motus *Libertatis* super Motum *Congregationis majoris*; Sin majus fuerit Pondus, succumbit. Corium tensum ad Tensuram talem non rumpitur; Eo usque dominatur Motus *Continuationis* super Motu Tensuræ; Quod si ulterior fuerit Tensura, rumpitur Corium, & succumbit Motus *Continuationis*. Aqua per Rimam perforationis talis effluit; Eo usque dominatur Motus *Congregationis majoris* super Motum *Continuationis*; Quod si minor fuerit Rima, succumbit; & vincit Motus *Continuationis*. In Pulvere Sulphuris solius immissi in Sclopetum cum Pila, & admoto igne, non emittitur Pila; In eo Motus *Congregationis Majoris* vincit Motum *Hyles*. At in Pulvere pyrio immisso vincit Motus *Hyles* in Sulphure; adjutus Motibus *Hyles* & *Fugæ* in Nitro. Et sic de cæteris. Etenim *Instantiæ Luctæ* (quæ indicant *Prædominantiam* Virtutum, & secundum quas rationes & calculos prædominentur & succumbant) acri & sedula diligentia undique sunt conquirendæ.

Etiam Modi & Rationes ipsius Succumbentiæ Motuum, diligenter sunt introspiciendæ. Nempe, an omnino cessent, vel potius usque nitantur, sed ligentur. Etenim in Corporibus hic apud nos nulla vera est Quies, nec in Integris, nec in Partibus; sed tantum secundum apparentiam. Quies autem ista apparens, causatur aut per *Æquilibrium*; aut per absolutam *Prædominantiam* Motuum. Per *Æquilibrium*, ut in Bilancibus, qua stant si æqua sint pondera. Per *Prædominantiam*, ut in Hydriis perforatis, ubi quiescit Aqua, & detinetur à decasu per *Prædominantiam* Motus *Nexus*. Notandum tamen est (ut diximus) quatenus nitantur Motus illi Succumbentes. Etenim si quis per luctam detineatur extensus in terra, brachiis & tibiis vinctis, aut aliter detentis; atque ille tamen totis viribus resurgere nitatur; non est minor Nixus, licet non proficiat. Hujus autem rei conditio (scilicet utrum per *Prædominantiam* Motus Succumbens quasi annihiletur; an potius continuetur Nixus, licet nõ conspiciatur) quæ latet in Conflictibus, apparebit fortasse in Concurrentiis. Exempli gratia; Fiat Experimentum in Sclopetis, utrum Sclopetus, pro tanto spatio quo emittat Pilam in linea directa, sive (ut vulgo loquuntur) in Puncto blanco, debiliorem edat percussionem e jaculando in supra, ubi Motus Ictus

est simplex, quam desuper, ubi Motus Gravitatis concurrit cum Ictu.

Etiam Canones *Prædominantiarum* qui occurrunt, colligendi sunt. Veluti, quod quo Communius est Bonum quod appetitur, eo Motus est fortior: ut Motus *Nexus* qui respicit Communionem Universi, fortior est Motu Gravitatis, qui respicit Communionem Densorum. Etiam, quod Appetitus qui sunt Boni Privati, non prævalent plerunq; contra Appetitus Boni magis Publici; nisi in parvis Quantis. Quæ utinam obtinerent in Civilibus.

XLIX.

INter Prærogativas Instantiarum ponemus loco vicesimo-quinto *Instantias Innuentes*; eas scilicet, quæ Commoda hominum innuunt aut designant. Etenim ipsum *Posse* & ipsum *Scire*, Naturam humanam amplificant, non beant. Itaque decerpendæ sunt ex Universitate rerum eà quæ ad usus vitæ maxime faciunt. Verum de iis erit magis proprius dicendi locus, cum *Deductiones ad praxim* tractabimus. Quinetiam in ipso Opere *Interpretationis* circa singula subjecta, locum semper *Chartæ humanæ*, sive *Chartæ Optativæ* assignamus. Etenim & Quærere & Optare non inepte, pars Scientiæ est.

L.

INter *Prærogativas Instantiarum* ponemus loco Vicesimo-sexto *Instantias Polychrestas*. Eæ sunt, quæ pertinent ad varia, & sæpius occurrunt; ideoque operæ & novis probationibus haud parum parcunt. Atque de Instrumentis ipsis atque Ingeniationibus proprius erit dicendi locus, cum Deductiones ad praxim & Experimentandi Modos tractabimus. Quin etiam quæ adhuc cognita sunt & in usum venerunt, in Historiis Particularibus singularum Artium describentur. In præsenti autem subjungemus quædam Catholica circa ea pro Exemplis tantum *Polychresti*.

Operatur igitur Homo super Corpora Naturalia (præter ipsam admotionem & amotionem Corporum simplicem) septem præcipue modis: nempe, vel per Exclusionem eorum quæ impediunt & disturbant: vel per Compressiones, Extensiones, Agitationes, & hujusmodi: vel per Calorem & Frigus: vel per moram in loco convenienti; vel per Frænum & Regimen motus: vel per Consensus speciales: vel per Alternationem tempestivam & debitam: atque Seriem & Successionem horum omnium, aut saltem nonnullorum ex illis.

Ad Primum igitur quod attinet; Aër communis qui undique præsto est & se ingerit, atque Radii Cœlestium, multum turbant. Quæ itaque ad illorum Exclusionem faciunt, merito haberi possint pro *Polychrestis*. Huc igitur pertinent Materies & Crassities Vasorum, in quibus Corpora ad Operationes præparata reponuntur. Similiter Modi accurati Obturationis Vasorum, per Consolidationem & *Lutum sapientiæ*, ut loquuntur Chymici. Etiam Clausura per Liquores in Extimis, utilissima res est: ut cum infundunt oleum super vinum aut succos herbarum; quod expandendo se in summitate instar operculi, optime ea conservat illæsa ab Aëre. Neque Pulveres res malæ sunt; qui licet contineant Aërem permistum, tamen vim Aëris coacervati & circumfusi arcent; ut fit in conservatione uvarum & fructuum intra arenam, & farinam. Etiam Cera, Mel, Pix, & hujusmodi tenacia, recte obducuntur ad Clausuram perfectiorem, & ad summovendum Aërem & Cœlestia. Etiam nos Experimentum quandoque fecimus, ponendo Vas nec non aliqua alia Corpora intra Argentũ Vivum, quod omnium longe densissimum est ex iis quæ circumfundi possunt. Quinetiam specus & Cavernæ subterraneæ magni usus sunt ad prohibendum Insolationem & Aërem istum apertũ prędatorium; qualibus utuntur *Germani* Septentrionales pro Granariis. Nec non Repositio Corporum in fundo Aquarum ad hoc spectat: ut memini me quippiam audisse de Utribus vini demissis in profundum puteum, ad infrigidationem scilicet; sed casu & per neglectum ac oblivionem ibidem remanentibus per multos annos, & deinde extractis; unde Vinum factum est non solum non vapidum aut emortuum, sed multo magis nobile ad gustum; per commixtionem partium suarum (ut videtur) magis exquisitam. Quod si postulet res, ut Corpora demittantur ad fundum Aquarum, veluti intra Fluvios aut Mare, neque tamen Aquas tangant, nec in Vasibus obturatis concludantur, sed Aëre tantum circundentur; bonus est usus Vasis illius, quod adhibitum est nonnunquam ad operandum subter Aquis super Navigia demersa, ut Urinatores diutius manere possint sub Aquis, & per vices ad tempus respirare. Illud hujusmodi erat. Conficiebatur Dolium ex Metallo concavum, quod demittebatur æquabiliter ad superficiem Aquæ, atque sic deportabat totum aërem qui cõtinebatur in Dolio secum in fundum Maris. Stabat autem super pedes tres, (instar Tripodis) qui Longitudinis erant aliquanto minoris statura hominis; ita ut Urinator posset, cum anhelitus deficeret, immittere caput in cavum Dolii, & respirare, & deinde opus continuare. Atque audivimus, inventam esse jam Machinam aliquam Naviculę aut Scaphæ, quæ homines subter Aquis vehere possit ad spatia nonnulla. Verum sub tali Vase, quale modo diximus, Corpora quævis facile suspendi possint; cujus causa hoc Experimentum adduximus.

Est & alius usus diligentis & perfectæ Clausuræ Corporum: nempe, non solum ut prohibeatur aditus Aëris per exterius (de quo jam dictum est) verum etiam ut cohibeatur exitus Spiritus Corporis, super quod fit operatio per interio. Necesse est enim ut operanti circa Corpora Naturalia constet de Summis suis: vid. quod nihil expirarit aut effluxerit. Fiunt enim profundæ alterationes in Corporibus, quando Natura prohibente Annihilationem, Ars prohibeat etiam Deperditionem aut Evolationem alicujus partis. Atque hac de re invaluit opinio falsa; (quæ si vera esset, de ista conservatione Summæ certæ absque diminutione esset fere desperandum:) vid. Spiritus Corporum, & Aërem majori gradu caloris attenuatum, nullis Vasorum claustris posse cõtineri, quin per poros Vasorum subtiliores evolent. Atque in hanc opinionem adducti sunt homines per vulgata illa Experimenta, Poculi inversi super Aquam cum Candela aut Charta inflammata; ex quo fit ut Aqua sursum attrahatur: atque similiter Ventosatum, quæ super flammam calefactæ trahunt carnes. Existimant enim, in utroque Experimento Aërem attenuatum emitti, & inde *Quantum* ipsius minus;

ideoque

ideoque Aquam aut Carnes per *Nexum* succedere. Quod falsissimum est. Aër enim non *Quanto* diminuitur, sed spatio contrahitur; neque incipit Motus iste Successionis Aquæ, antequam fiat exstinctio Flammæ aut refrigeratio Aëris: Adeo ut Medici, quo fortius attrahant Ventosæ, ponant spongias frigidas aqua madefactas super Vẽtosas. Itaque non est cur homines multum sibi metuant de facili exitu Aëris, aut Spirituum. Licet enim verũ sit, etiã solidissima Corpora habere suos poros, tamen ægre patitur Aër aut Spiritus comminutionem sui ad tantam subtilitatem; quemadmodum & Aqua exire recusat per rimam minusculam.

De secundo vero Modo ex septem prædictis illud inprimis notandum est, valere certe Compressiones & hujusmodi Violentias, ad Motum localem, atque alia id genus, potentissime; ut in Machinis & Missilibus: etiam ad destructionem Corporis Organici, atq; earum Virtutum quæ consistunt plane in Motu. Omnis enim vita, immo etiam omnis Flamma & Ignitio, destruitur per Compressiones; ut & omnis Machina corrumpitur & confunditur per easdem. Etiam ad destructionem Virtutum quę consistunt in Posituris, & dissimilaritate partium paulo crassiore; ut in Colorib⁹: (neque enim idem color Floris integri & contusi, neq; Succini integri & pulverizati.) Etiam in Saporibus: (neque enim idem sapor Piri immaturi, & ejusdem compressi ac subacti; nam manifesto dulcedinem majorem concipit.) Verum ad transformationes & alterationes nobiliores Corporum Similarium non multum valent istæ Violentiæ; quia Corpora per eas non acquirunt consistentiam aliquam novam constantem & quiescentem, sed trãsitoriam & nitentem semper ad restitutionem & liberationem sui. Attamen non abs re foret, hujus rei facere Experimenta aliqua diligentiora; ad hoc scilicet, utrum Condensatio Corporis bene similaris (qualia sunt Aër, Aqua, Oleum, & hujusmodi) aut Rarefactio, similiter per violentiam indita, possint fieri constantes & fixæ, & quasi mutatæ in Naturam. Id quod primo experiendum per Motum simplicem; deinde per Auxilia & Consensus. Atque illud nobis in promptu fuisset, (si modo in mentem venisset) cum Aquam (de qua alibi) per malleationes & pressoria condensavimus, antequam erumperet. Debueramus enim Sphæram complanatam per aliquot dies sibi permisisse, & tum demum Aquam extraxisse; ut fieret Experimentum, utrum statim impletura fuisset talem dimensionem, qualem habebat ante condensationem. Quod si non fecisset aut statim, aut certe paulo post; constans videlicet facta videri potuisset ista condensatio: Sin minus; apparuisset factam fuisse Restitutionem, & Compressionem fuisse transitoriam. Etiam simile quiddam faciendum erat circa Extensionem Aëris in Ovis vitreis. Etenim debuerat fieri, post exuctionem fortem, subita & firma Obturatio; deinde debuerant Ova illa manere ita obturata per nonnullos dies; & tum demum experiendum fuisset, utrum aperto foramine attractus fuisset Aer cum sibilo, aut etiam attracta fuisset tanta quãtitas Aquæ post immersionem, quanta fuisset ab initio, si nulla adhibita fuisset mora. Probabile enim aut saltem dignũ probatione est, hæc fieri potuisse & posse; propterea quod in Corporibus paulo magis dissimilaribus similia efficiat Mora Temporis. Etenim Baculum per Compressionem curvatum post aliquod tempus non resilit: neq; id imputandum est alicui deperditioni ex Quanto Ligni per Moram; nam idem fiet in lamina Ferri, (si augeatur mora) quæ non est expirabilis. Quod si non succedat Experimentum per Moram simplicem; tamen non deserendum est negotium, sed Auxilia alia adhibenda. Non enim parum lucri fit, si per Violentias indi possint Corporibus Naturæ fixę & constantes. Hac enim ratione Aer possit vetti in Aquam per Condensationes: & complura alia id genus. Dominus enim est Homo Motuum Violentorum, magis quam cæterorum.

At tertius ex septem Modis, refertur ad magnũ illud Organum, tam Naturæ, quam Artis, quoad operandum; videlicet Calidum & Frigidum. Atq; in hac parte claudicat plane Potentia humana, tanquam ex uno pede. Habem⁹ enim Calorem Ignis, qui Caloribus Solis (prout ad nos deferuntur) & Caloribus Animalium, quasi infinitis partibus potentior est & intensior. At deest Frigus, nisi quale per tempestates hyemales, aut per Cavernas, aut per Circundationes Nivis & Glaciei, haberi potest: quod in Comparatione æquari potest cum Calore, fortasse Solis Meridiani in Regione aliqua ex Torridis aucto insuper per reverberationes Montium & Parietum: Nam hujusmodi utique, tam Calores, quam Frigora, ab Animalibus ad Tempus exiguum tolerari possunt. Nihili autem sunt fere præ Calore Fornacis ardentis, aut alicuj⁹ Frigoris quod huic gradui respondeat. Itaque omnia hic apud nos vergunt ad Rarefactionem, & Deficcationem, & Consumptionem: nihil fere ad Condensationem & Intenerationem, nisi per Misturas & Modos quasi spurios. Quare Instantiæ Frigoris omni diligentia sunt conquirendæ: quales videntur inveniri in Expositione Corporum super Turres quando gelat acriter: in Cavernis subterraneis; circundationibus Nivis & Glaciei, in locis profundioribus, & ad hoc excavatis: Demissione Corporum in puteos: Sepulturis Corporum in Argento vivo & Metallis; immersione Corporum in Aquis, quæ vertunt Ligna in Lapides: defossione Corporum in Terra; (qualis fertur apud Chinenses esse Confectio Porcellanæ, ubi Massæ ad hoc factæ dicũtur manere intra terram per quadraginta aut quinquaginta Annos, & transmitti ad hæredes, tanquam Mineræ quædam artificiales) & hujusmodi. Quinetiam quæ interveniunt in Natura Condensationes, factæ per Frigora, similiter sunt investigandæ; ut Causis eorum cognitis, transferri possint in Artes. Quales cernuntur in exudatione Marmoris & Lapidum: in Rorationibus super Vitra per interius Fenestrarum, sub Auroram, post gelu Noctis: in Originibus & Collectionibus Vaporum in Aquas sub Terra, unde sæpe scaturiunt Fontes: & quæcunque sunt hujus generis.

Inveniuntur autem præter illa quæ sunt Frigida ad Tactum, quædam alia potestate Frigida, quæ etiam condensant; veruntamen operari videntur super Corpora Animalium tantum, & vix ultra. Hujus generis se ostendunt multa in Medicinis & Emplastris. Alia autem condensant Carnes & Partes tangibiles; qualia sunt Medicamenta Astringentia, atque etiam Inspissantia. Alia con-

densant *Spiritus*, id quod maxime cernitur in *Soporiferis*. Duplex autem est Modus Condensationis *Spirituum* per Medicamenta *Soporifera*, sive provocantia *Somnum*: Alter per *Sedationem* Motus; Alter per Fugam *Spirituum*. Etenim Viola, Rosa sicca, Lactuca, & hujusmodi benedicta sive benigna per vapores suos amicos & moderate refrigerantes, invitant *Spiritus* ut se uniant, & ipsorum acrem & inquietum Motum compescunt. Etiam Aqua Rosacea apposita ad Nares in deliquiis animæ, *Spiritus* resolutos & nimium relaxatos se recipere facit, & tanquam alit. At Opiata, & eorum Affinia, *Spiritus* plane fugant, ex qualitate sua maligna & inimica. Itaque si applicentur parti exteriori, statim aufugiunt *Spiritus* ab illa parte, nec amplius libenter influunt: *Si* sumantur interius, vapores eorum ascendentes ad Caput, spiritus in Ventriculis Cerebri contentos undequaque fugant: cumque se retrahant *Spiritus*, neque in aliam partem effugere possint, per Consequens coeunt, & condensantur; & quandoque plane extinguuntur & suffocantur. Licet rursus eadem Opiata moderate sumpta, per accidens secundarium, (videlicet Condensationem illam quæ à Coitione succedit) confortent *Spiritus*, eosque reddant magis robustos, & retundant eorum inutiles & incensivos Motus: ex quo ad Curas Morborum & vitæ Prolongationem haud parum conferant.

Etiam Præparationes Corporum ad excipiendum Frigus non sunt omittendæ; veluti quod Aqua parum tepida facilius conglacietur, quam omnino frigida & hujusmodi.

Præterea, quia Natura Frigus tam parce suppeditat, faciendum est quemadmodum Pharmacopolæ solent; qui quando simplex aliquod haberi non possit, capiunt *Succedaneum* ejus, & *Quid* pro *Quo*, ut vocant: Veluti Lignum Aloës pro Xylobalsamo, Cassiam pro Cinamomo. *Simili* modo diligēter circumspiciendum est, si quæ sint *Succedanea* Frigoris; videlicet quibus Modis fieri possint Cōdensationes in Corporibus aliter quam per Frigus, quod illas efficit, ut Opus suum proprium. Illæ autem Condensationes videntur intra quaternum numerum (quantum adhuc liquet) contineri. Quarum prima videtur fieri per Contrusionem simplicem: quæ parum potest ad densitatem constantem, (resiliunt enim Corpora) sed nihilominus forte res auxiliaris esse queat. *Secunda* fit per Contractionem partium crassiorum in Corpore aliquo post evolationem aut exitum partium tenuiorum, ut fit in Indurationibus per Ignem, & repetitis Extinctionibus Metallorum, & similibus. Tertia fit per Coitionem partium homogenearum, quæ sunt maxime solidæ in Corpore aliquo, atque antea fuerant distractæ, & cum minus solidis commistæ: Veluti in Restitutione Mercurii *Sublimati*, qui in pulvere longe majus occupat spatium, quam Mercurius simplex; & similiter in omni Repurgatione Metallorum à *Scoriis* suis. Quarta fit per Consensus, admovendo quæ ex vi Corporum occulta condensant, qui Consensus adhuc raro se ostendunt, quod mirum minime est, quoniam antequam Inventio succedat Formarum & *Schematismorum*, de Inquisitione Consensuum non multum sperandum est. Certe quoad Corpora Animalium, dubium non est, quin sint complures Medicinæ tam interius quam exterius sumptæ, quæ condensant: tanquam per Consensum, ut paulo ante diximus. Sed in inanimatis rara est hujusmodi Operatio. Percrebuit fame, tam scriptis quam fama, Narratio de Arbore in una ex Insulis sive Terceris sive Canariis, (neque enim bene memini,) quæ perpetuo stillat; adeo ut Inhabitantibus nonnullam commoditatem Aquæ præbeat. *Paracelsus* autem ait, Herbam vocatam *Rorem Solis* meridie & fervente Sole Rore impleri, cum aliæ Herbæ undique sint siccæ. At nos utramque narrationem fabulosam esse existimamus. Omnino autem illæ Instantiæ nobilissimi forent usus, & introspectione dignissimæ, si essent veræ. Etiam Rores illos Mellitos, & instar Mannæ, qui super foliis Quercus inveniuntur Mense Majo, non existimamus fieri & densari à Consensu aliquo, sive à Proprietate Folii Quercus; sed cum super aliis Foliis pariter cadant, contineri scilicet & durare in Foliis Quercus, quia sunt bene unita, nec spongiosa, ut plurima ex aliis.

Calorem vero quod attinet; Copia & Potestas nimirum homini abunde adest; Observatio autem & Inquisitio deficit in nonnullis, iisque maxime necessariis; utcunque Spagirici se venditent. Etenim Caloris Intensioris Opificia exquiruntur & conspiciuntur; Remissioris vero, quæ maxime in vias Naturæ incidunt, non tentantur, adeoque latent. Itaque videmus, per Vulcanos istos qui in pretio sunt, Spiritus Corporum magnopere exaltari, ut in Aquis fortibus; & nonnullis aliis Oleis Chymicis, partes tāgibiles indurari, & emisso Volatili, aliquando figi; partes homogeneas separari; etiam Corpora heterogenea grosso modo incorporari & commisceri; maxime autem Compages Corporum Compositorum, & subtiliores Schematismos destrui & confundi. Debuerant autem Opificia Caloris lenioris tentari & exquiri; unde subtiliores Misturæ & Schematismi ordinati gigni possint, & educi, ad Exemplum Naturæ, & Imitationem Operum Solis; quemadmodum in Aphorismo de Instantiis *Fœderis* quædam adumbravimus. Opificia enim Naturæ transiguntur per longe minores portiones, & posituras magis exquisitas & varias, quam Opificia Ignis, prout nunc adhibetur. Tum vero videatur Homo revera auctus Potestate, si per Calores & Potentias artificiales Opera Naturę possint Specie repręsentari, Virtute perfici, copia variari. Quibus addere oportet Accelerationem Temporis. Nam Rubigo Ferri longo tempore procedit, at Versio in Crocum martis subito: Et similiter de Ærugine & Cerussa. Crystallum longo tempore conficitur, Vitrum subito conflatur. Lapides longo tempore concrescunt. Lateres subito coquūtur, &c. Interim (quod nunc agitur) omnes diversitates Caloris cum Effectibus suis respective diligenter & industrie undique sunt colligendæ & exquirendæ: Cœlestium, per radios suos directos, reflexos, refractos & unitos in speculis Comburentibus: Fulguris, Flammæ, Ignis Carbonū; Ignis ex diversis Materiis; Ignis aperti, conclusi, angustati & inundātis, denique per diversas fabricas Fornacium qualificati; Ignis flatu exciti, quieti & non exciti; Ignis ad majorem aut minorem Distantiam remoti; Ignis per varia Media permeantis; Calorum humidorum

midorum, ut Balnei Matiæ, Fimi, Caloris Animalium per exterius, Caloris Animalium per interius, Fœni conclusi; Calorum Aridorum, Cineris, Calcis, Arenæ tepidæ, deniq; Calorum cujusvis generis cum gradibus eorum.

Præcipue vero tentanda est Inquisitio & Inventio Effectuum & Opificiorum Caloris Accedentis & Recedẽtis, graduatim, & ordinatim, & periodice, & per debita spatia, & moras. Ista enim inæqualitas ordinata revera Filia Cœli est, & Generationis Mater: Neque à Calore aut vehementi, aut præcipiti, aut subsultorio, aliquid magni expectandum est. Etenim & in vegetabilibus hoc manifestissimum est. Atque etiam in Uteris Animalium magna est Caloris Inæqualitas, ex Motu, Somno, Alimentationibus & Passionib⁹ Fœmellarum quæ uterum gestant. Denique in ipsis Matricibus Terræ, iis nimirum in quibus Metalla & Fossilia efformantur, locum habet & viget ista Inæqualitas. Quo magis notanda est Inscitia aliquorum Alchymistarum ex Reformatis, qui per Calores æquabiles Lampadum, & hujusmodi, perpetuo uno tenore ardentium, se voti compotes fore existimarunt. Atque de Opificiis & Effectibus Caloris hæc dicta sint. Neque vero tempestivum est illa penitus scrutari, antequam Rerum Formę & Corporum Schematismi ulterius investigati fuerint, & in lucem prodierint. Tum enim quærenda & adoperanda & aptanda sunt Instrumenta quando de Exemplaribus constiterit.

Quartus Modus operandi est per Moram, quæ certe & Promus & Condus Naturæ est, & quædam Dispensatrix. Moram appellamus, cum Corpus aliquod sibi permittitur ad tempus notabile, munitum interim & defensum ab aliqua vi externa. Tum enim Motus intestini se produnt & perficiunt, cum Motus extranei & adventitii cessant. Opera autem ætatis sunt longe subtiliora quam Ignis. Neque enim possit fieri talis Clarificatio vini per Ignem, qualis fit per Moram; neque etiam Incinerationes per Ignem, tam sunt exquisitæ quam Resolutiones & Consumptiones per sæcula. Incorporationes etiam & Mistiones subitæ & præcipitatæ per Ignem, longe inferiores sunt illis, quæ fiunt per Moram. At dissimilares & varii Schematismi, quos Corpora per Moras tentant, (quales sunt putredines) per Ignem aut Calorem vehementiorem destruuntur. Illud interim non abs re fuerit notare; Motus Corporum penitus Conclusorum habere nonnihil ex violento. Incarceratio enim illa impedit Motus spontaneos Corporis. Itaque Mora in vase aperto plus facit ad Separationes; in Vase penitus clauso ad Commistiones; in Vase nonnihil clauso, sed subintrante Aëre, ad Putrefactiones; utcunq; de Opificiis & Effectibus Moræ undique sunt diligenter conquirendæ Instantiæ.

At Regimen Motus (quod est quintus ex Modis Operandi) non parum valet. Regimen autem Motus vocamus, cum Corpus spontaneum aliud occurrens, corporis alterius Motum impedit, repellit, admittit, dirigit. Hoc vero plerunque in Figuris & Situ Vasorum consistit. Etenim Conus erectus juvat ad Condensationem Vaporum in Alembicis; At Conus inversus juvat ad Defæcationem Sacchari in Vasis resupinatis. Aliquando autem Sinuatio requiritur, & Angustatio, & Dilatatio per vices, & hujusmodi. Etiam omnis Percolatio huc spectat, scilicet cum Corpus occurrens, uni parti Corporis alterius viam aperit, alteri obstruit. Neque semper Percolatio aut aliud Regimen motus fit per extra: sed etiam per Corpus in Corpore: ut cum Lapilli immittuntur in Aquas ad colligendam Limositatem ipsarum; Syrupi clarificantur cum Albuminibus Ovorum, ut crassiores partes adhærescant, & postea separari possint. Etiam huic Regimini Motus satis leviter & inscite attribuit Telesius Figuras Animalium, ob rivulos scilicet & loculos Matricis. Debuerat autem notare similem efformationem in Testis Ovorum, ubi non sunt rugæ aut inæqualitas. At verum est Regimen Motus, Efformationes perficere in Modulis & Proplasticis.

Operationes vero per Consensus aut Fugas (qui sextus Modus est) latent sæpenumero in profundo. Istæ enim (quas vocant) Proprietates occultæ, & specificæ, & sympathiæ & antipathiæ, sunt magna ex parte corruptelæ Philosophiæ. Neque de Consensibus rerum inveniendis multum sperandum est ante Inventionem Formarum, & Schematismorum simplicium. Consensus enim nil aliud est quam Symmetria Formarum & Schematismorum ad invicem.

Atqui majores & magis catholici rerum Consensus non prorsus obscuri sunt. Itaque ab iis ordiendum. Eorum prima & summa diversitas ea est; ut quædam Corpora Copia & Raritate Materiæ admodum discrepent, Schematismis consentiant; alia contra, Copia & Raritate Materiæ consentiãt, Schematismis discrepent. Nam non male notatum est à Chymicis in principiorum suorum Triade Sulphur & Mercurium quasi per Universitatem rerum permeare. (Nam de Sale inepta ratio est, sed introducta, ut possit comprehendere Corpora terrea, sicca & fixa.) At certe in illis duobus videtur Consensus quidam Naturæ ex maxime Catholicis conspici. Etenim consentiunt Sulphur; Oleum, & Exhalatio pinguis; Flamma; & fortasse, Corpus Stellæ Ex altera parte consentiunt Mercurius; Aqua & Vapores Aquei; Aër; & fortasse Æther purus & interstellaris. Attamen isti Quaterniones gemini, sive Magnæ rerum Tribus, (utraque intra Ordines suos) Copia Materiæ atque Densitate immensum differunt, sed Schematismo valde conveniunt: ut in plurimis se produnt. At Contra Metalla diversa Copia & Densitate multum conveniunt, (præsertim respectu vegetabilium, &c.) sed Schematismo multifariam differũt; & similiter Vegetabilia & Animalia diversa, Schematismis quasi infinitis variantur, sed intra Copiam Materiæ, sive Densitatem paucorum graduum continentur.

Sequitur Consensus maxime post priorem Catholicus, videlicet Corporum principalium & Fomitum suorum; videlicet Menstruorum, & Alimẽtorum. Itaque exquirendum, sub quibus Climatibus, & in qua Tellure, & ad quam profunditatem Metalla singula generentur; Et similiter de Gemmis, sive ex Rupibus, sive inter Mineras natis: In qua gleba terræ, Arbores singulæ, & Frutices, & Herbæ potissimum proveniant, & tanquam gaudeant: Et insimul quæ Impinguationes, sive per Stercorationes cujuscunque generis, sive per Cretam, Arenam Maris, Cineres, &c. maxime juvent;

& quæ

& quæ sint ex his pro varietate glebarum magis aptæ & auxiliares. Etiam Insitio & Inoculatio Arborum & Plantarum, earumq; ratio; quæ scilicet Plãtæ super quas felicius inserantur, &c. multum pendet de Consensu. In qua parte non injucundum foret Experimentum quod noviter audivimus esse tentatum, de Insitione Arborum Sylvestrium, (quæ hucusq; in Arboribus hortensibus fieri consuevit) unde Folia & Glandes majorem in modum amplificantur, & Arbores fiunt magis umbrosæ. Similiter Alimenta Animalium respective notanda sunt in genere & cum Negativis. Neque enim Carnivora sustinent herbis nutriri; unde etiam Ordo Solitanorum (licet Voluntas humana plus possit quam Animantium cæterorum super Corpus suum) post experientiam factã, (ut ajunt) tanquam ab humana Natura non tolerabilis, fere evanuit. Etiam Materiæ diversæ Putrefactionum, unde Animalcula generantur, notandæ sunt.

Atque Consensus corporum Principalium erga Subordinata sua (tales enim ii possint censeri quos notavimus) satis in aperto sunt. Quibus addi possunt Sensuum consensus erga Objecta sua. Qui Consensus cum manifestissimi sint; bene notati, & acriter excussi, etiam aliis Consensibus qui latent, magnam præbere possunt lucem.

At Interiores corporum Consensus & Fugæ, sive amicitiæ & Lites, (tædet enim nos fere vocabulorũ Sympathiæ & Antipathiæ, propter Superstitiones & inania) aut falso adscriptæ, aut fabulis conspersæ, aut per neglectum, raræ admodum sunt. Etenim si quis asserat, inter Vineam & Brassicam esse dissidium, quia juxtà sata minus læte proveniunt; præsto ratio est, quod utraque Planta succulenta sit & deprædatrix, unde altera alteram defraudat. Si quis asserat, esse Consensum & Amicitiam inter Segetes, & Cyaneum, aut Papaver Sylvestre, quia Herbæ illæ fere non proveniunt in arvis cultis: debuit is potius asserere, dissidium esse inter ea, quia Papaver, & Cyaneus emittuntur & creantur ex tali Succo terræ, qualem Segetes reliquerint & repudiaverint; adeo ut Satio Segetum terram præparet ad eorum proventum. Atque hujusmodi falsarum adscriptionum magnus est numerus. Quoad fabulas vero, illæ omnino sunt exterminandæ. Restat tenuis certe copia eorum Consensuum, qui certo probati sunt Experimẽto; quales sunt magnetis & Ferri, atque Auri & Argenti vivi, & similium. At in Experimentis Chymicis circa Metalla inveniuntur & alii nõnulli observatione digni. Maxima vero frequentia eorum (ut in tanta paucitate) invenitur in Medicinis nõnullis, quæ ex proprietatibus suis occultis (quas vocant) & specificis respiciunt aut Membra, aut Humores, aut Morbos, aut quandoq; Naturas Individuas. Neque omittendi sunt Consensus inter Motus & Affectus Lunæ, & Passiones Corporum Inferiorum, prout ex Experimentis Agriculturæ, Nauticæ, & Medicinæ, aut alias cum delectu severo & sincero colligi & recipi possint. Verum Instantiæ universæ Consensuum secretiorum quo magis sunt infrequentes, eo majore cum diligentia sunt inquirendæ, per traditiones, & narrationes fidas & probas: modo hoc fiat absque ulla levitate, aut credulitate, sed fide anxia & quasi dubitabunda. Restat Consensus, Corporum Modo operandi, tanquam Inartificialis, sed usu Polychrestus. Qui nullo modo omittendus est, sed sedula observatione investigandus. Is est Coitio sive Unio Corporum proclivis, aut difficilis, per Cõpositionem sive Appositionem simplicem. Etenim Corpora nonnulla facile & libenter commiscẽtur & incorporantur: alia autem ægre & perverse. Veluti pulveres melius incorporãtur cum aquis; Calces & Cineres cum Oleis; & sic de similibus. Neq; tantum sunt colligendæ Instantiæ *Propensionis*, aut *Aversionis* Corporum erga Misturam, sed etiam Collocationis partium, & distributionis, postquam commista sint; Denique & Prædominantiæ post Misturam transactam.

Superest ultimo loco ex Modis septem Operandi septimus & postremus; Operatio scilicet per alternationem, & vicissitudines priorum sex: de quo antequam in singulos illos paulo altius fuerit inquisitum, tempestivum non foret exempla proponere. Series autem sive Catena hujusmodi Alternationis, prout ad singula Effecta accommodari possit, res est & cognitu maxime difficilis, & ad Opera maxime valida. Summe autem detinet & occupat homines Impatientia hujusmodi tam Inquisitionis, quam Praxeos; cum tamen sit instar filii Labyrinthi, quoad Opera Majora. Aq; hæc sufficiant ad Exemplum Polychresti.

LI.

INter Prærogativas Instantiarum ponemus loco vicesimo septimo atque ultimo *Instantias Magicas*. Hoc nomine illas appellamus, in quibus Materia, aut Efficiens, tenuis aut parva est, pro magnitudine Operis & Effectus qui sequitur; adeo ut etiãsi fuerint vulgares, tamen sint instar Miraculi, aliæ primo intuitu, aliæ etiam attentius contemplanti. Has vero Natura ex sese subministrat parce; Quid vero factura sit Sinu excusso, & post Inventionem Formarum, & Processuum, & Schematismorum, futuris temporibus apparebit. At ista Effecta Magica (quantum adhuc conjicimus) fiunt tribus modis: Aut per Multiplicationem sui, ut in Igne, & Venenis, quæ vocant Specifica; necnon in Motibus, qui transeunt & fortificantur de Rota in Rotam: Aut per Excitationem sive Invitationem in altero, ut in Magnete, qui excit Acus innumeras, virtute nullatenus deperdita aut diminuta; aut in fermento, & hujusmodi: Aut per Anteversionem Motus, ut dictum est, de Pulvere pyrio, & Bombardis, & Cuniculis: quarum priores duo Modi Indagationem Consensuum requirunt; tertius, Mensuræ Motuum. Utrum vero sit aliquis Modus mutandi corpora per minima (ut vocant) & transponendi subtiliores Materiæ Schematismos (id quod ad omnimodas Corporum Transformationes pertinet; ut Ars brevi tempore illud facere possit, quod Natura per multas ambages molitur) de eo nulla hactenus nobis constant Indicia. Quẽadmodum autem in Solidis & Veris aspiramus ad ultima & summa; ita Vana & Tumida perpetuo odimus, & quantum in nobis est profligamus.

LII.

ATque de Dignitatibus sive *Prærogativis Instantiarum* hæc dicta sint. Illud vero monendum, nos in hoc nostro *Organo* tractare Logicam, non Philosophiam. Sed cum Logica nostra doceat Intellectum & erudiat ad hoc, ut non tenuibus Mentis quasi Claviculis, rerũ Abstracta captet & prenset, (ut Logica vulgaris;) sed Naturam revera

revera persecet, & Corporum virtutes & Actus, eorumq; Leges in Materia determinatas inveniat; ita ut non solum ex Natura Mentis sed ex Natura Rerum quoque hæc Scientia emanet: mirum non est, si ubique Naturalibus Contemplationibus & Experimentis, ad Exempla Artis nostræ, conspersa fuerit & illustrata. Sunt autem (ut ex iis quæ dicta sunt, patet) *Prærogativæ Instantiarum* Numero 27. Nominibus: *Instantiæ Solitariæ: Instantiæ Migrantes: Inst. Ostensivæ: Inst. Clandestinæ: Inst. Constitutivæ: Inst. Conformes: Inst. Monodicæ: Inst. Deviantes: Inst. Limitaneæ: Inst. Potestatis: Instantiæ Comitatus & Hostiles: Inst. Subjunctivæ: Inst. Fœderis: Inst. Crucis: Inst. Divortij: Inst. Januæ: Inst. Citantes: Inst. Viæ: Inst. Supplementi: Inst. Persecantes: Inst. Virgæ: Instantiæ Curriculi: Doses Naturæ: Inst. Luctæ: Inst. Innuentes: Inst. Polychrestæ: Inst. Magicæ.* Usus autem harum *Instantiarum*, in quo Instantias vulgares excellunt, versatur in genere aut circa partem Informativam, aut circa Operativam, aut circa Utramque. Atque quoad Informativam, juvant illæ aut Sensum, aut Intellectum. Sensum, ut quinque *Instantiæ Lampadis*: Intellectum: aut accelerando Exclusivam Formæ, ut *Solitariæ*; aut angustiando & propius indicando Affirmativam Formæ, ut *Migrantes, Ostensivæ, Comitatus*, cum *Subjunctivis*: aut erigendo Intellectum, & ducendo ad Genera & Naturas communes: idq; aut immediate, ut *Clandestinæ, Monodicæ, Fœderis*: aut Gradu proximo, ut *Constitutivæ*: aut Gradu infimo, ut *Conformes*: aut rectificando Intellectum à consuetis, ut *Deviantes*: aut ducendo ad Formam Magnam, sive Fabricam Universi, ut *Limitaneæ*: aut cavendo de Formis & Causis falsis, ut *Crucis* & *Divortij*. Quod vero ad Operativam attinet; illæ Practicam aut designant, aut mensurant, aut sublevant. Designant aut ostendendo à quibus incipiendum, ne actum agamus, ut *Instantiæ Potestatis*: aut ad quid adspirandum, si detur facultas, ut *Innuentes*. Mensurant quatuor illæ *Mathematicæ*. Sublevant *Polychrestæ* & *Magicæ*.

Rursus ex istis *Instantiis* 27. nonnullarum (ut superius diximus de aliquibus) facienda est Collectio jam ab initio, nec Expectanda particularis Inquisitio Naturarum. Cujus generis sunt *Instantiæ Conformes, Monodicæ, Deviantes, Limitaneæ, Potestatis, Januæ, Innuentes, Polychrestæ, Magicæ*. Hæ enim aut auxiliantur & medentur Intellectui & Sensui; aut instruunt Praxin in genere. Reliquæ tum demum conquirendæ sunt, cum conficiemus *Tabulas comparetiæ* ad opus Interpretis circa aliquam Naturam particularem. Sunt enim *Instantiæ Prærogativis istis* insignitæ & donatæ Animæ instar inter vulgares Instantias Comparentiæ: Et ut ab initio diximus, paucæ illarum sunt vice multarum. Quocirca cum *Tabulas* conficimus, illæ omni studio sunt investigandæ, & in *Tabulas* referendæ. Erit etiam earum mentio necessaria in iis quæ sequuntur. Præponendus itaque erat earum Tractatus. Nunc vero ad Adminicula & Rectificationes *Inductionis*, & deinceps ad Concreta, & *Latentes Processus, & Latentes Schematismos*, & reliqua quæ *Aphorismo* 21. ordine proposuimus, pergendum; ut tandem (tanquam Curatores Probi & fideles) tradamus hominibus fortunas suas, emancipato Intellectu, & facto tanquam majore; Unde necesse est sequi emendationem Status hominis, & Ampliationem potestatis ejus super Naturam. Homo enim per lapsum & de Statu Innocentiæ decidit, & de Regno in Creaturas. Utraque autem res etiam in hac vita nonnulla ex parte reparari potest; prior per Religionem & Fidem, posterior per Artes & Scientias. Neque enim per Maledictionem facta est Creatura prorsus & ad extremum rebellis. Sed in virtute illius Diplomatis, *In sudore vultus comedes panem tuum*, per labores varios, (non per Disputationes certe, aut per otiosas Ceremonias magicas) tandem & aliqua ex parte ad panem homini præbendum, id est, ad usus vitæ humanæ subigitur.

Finis Libri Secundi Novi Organi.

PARA-

PARASCEVE
AD
HISTORIAM NATURALEM,
ET
EXPERIMENTALEM.

DESCRIPTIO
HISTORIÆ NATURALIS,
&
EXPERIMENTALIS,
Qualis sufficiat, & sit in ordine ad Basin, & Fundamenta Philosophiæ veræ.

QUod *Instaurationem* nostram per partes edamus, id eo spectat, ut aliquid extra periculum ponatur. Non absimilis nos movet ratio, ut aliam quandam Operis particulam jam in præsenti sub jungamus, & eum iis quæ supra absolvimus, una edamus. Ea est Descriptio & Delineatio Historiæ Naturalis & Experimentalis, ejus generis, quæ sit in ordine ad condendam Philosophiam, & complectatur Materiem probam, copiosam, & apte digestam ad opus Interpretis quod succedit. Huic autem rei locus proprius foret quum ad *Parascevas* Inquisitionis ordine deventum fuerit. Hoc vero prævertere, nec locum proprium expectare, consultius nobis videtur; quod hujusmodi Historia, qualem animo metimur, & mox describemus, res perquam magnæ sit Molis, nec sine magnis laboribus & sumptibus confici possit; ut quæ multorum opera indigeat, & (ut alibi diximus) opus sit quasi Regium. Itaque occurrit illud, non abs re fore experiri, si forte hæc aliquibus aliis curæ esse possint; ita ut, dum nos destinata ordine perficiamus, hæc pars, quæ tam multiplex est & onerosa, etiam vivis nobis (si ita Divinæ placuerit Majestati) instrui & parari possit, aliis una nobiscum in id sedulo incumbentibus, præsertim quum vires nostræ (si in hoc soli fuerimus) vix tantæ provinciæ sufficere videantur. Etenim quæ ad Opus ipsum Intellectus pertinent, nos, Marte nostro fortasse vincemus. At Intellectus Material: atam late patent, ut ea (tanquam per Procuratores & Mercatores) undique conquiri & importari debeant. Accedit etiam illud, quod Cœptis nostris vix dignum esse æstimemus, ut in re tali, quæ ferè omnium Industriæ pateat, nos ipsi tempus teramus. Quod autem Caput rei est, Ipsi nunc præstabimus; ut ejusmodi Historiæ Modum & Descriptionem, qualis Intentioni nostræ satisfaciat, diligenter & exacte proponamus; ne homines non admoniti aliud agant, & ad Exemplum Naturalium Historiarum, quæ jam in usu sunt, se regant, atque ab Instituto nostro multum aberrent. Illud interim quod sæpe diximus etiam hoc loco præcipue repetendum est: Non, si omnia omnium Ætatum ingenia coivissent, aut posthac coierint; non, si universum genus humanum Philosophiæ dedisset operam, aut dederit; & totius Terrarum Orbis nihil aliud fuisset, quam Academiæ, & Collegia, & Scholæ virorum doctorum; tamen absque tali, qualem nunc præcipiemus, Historia Naturali & Experimentali, ullos, qui genere humano digni sint, progressus in Philosophia & Scientiis, fieri potuisse: contra vero, comparata & bene instructa hujusmodi Historia, additis Experimentis Auxiliaribus & Luciferis, quæ in ipso Interpretationis Curriculo occurrent aut eruenda erunt; paucorum Annorum opus futuram esse Inquisitionem Naturæ & Scientiarum omnium. Itaque aut hoc agendum est, aut Negotium deserendum. Hoc enim solo & unico modo Fundamenta Philosophiæ veræ & Activæ stabiliri possunt; Et simul perspicient homines, tanquam ex profundo somno excitati, quid inter Ingenii Placita & Commenta, ac Veram & Activam Philosophiam intersit; & quid demum sit, de Natura Naturam ipsam consulere.

Primo igitur de hujusmodi Historia conficienda præcepta dabimus in genere. Deinde particularem ejus Figuram hominibus sub oculos ponemus: Inserentes interdum non minus *Ad quid* Inquisitio aptanda & referenda sit, quam *Quid* quæri debeat. Scilicet, ut Scopus rei bene intellectus & prævisus, etiam alia hominibus in mentem redigat, quæ à Nobis fortasse prætermissa erunt. Historiam autem istam *Historiam primam*, sive *Historiam Matrem* appellare consuevimus.

APHORISMI
de
CONFICIENDA HISTORIA
Prima.

APHORISMUS
I.

NAtura in triplici Statu ponitur, & tanquam Regimen subit trinum. Aut enim libera est, & cursu suo ordinario se explicat; aut à pravitatibus & insolentiis Materiæ, atque ab Impedimentorum violentia, de statu suo detruditur, aut ab arte & ministerio humano constringitur & fingitur. Atque Primus ille Status ad *Species* rerum refertur; Secundus ad *Monstra*; Tertius ad *Artificialia*. Etenim in Artificialibus Natura jugum recipit ab Imperio Hominis; nunquam enim illa facta fuissent absque Homine. At per operam & ministerium Hominis conspicitur prorsus nova Corporum Facies, & veluti Rerum Universitas altera, sive Theatrum alterum. Triplex itaque est Historia Naturalis. Tractat enim aut Naturæ *Libertatem*, aut *Errores*, aut *Vincula*; ut non male eam partiri possimus, in *Historiam Generationum*, *Prætergenerationum*, & *Artium*; quarum postremam etiam *Mecha-*

Mechanicam & Experimentalem appellare consuevimus. Neque tamen id præcipimus, ut hæc tria separatim tractentur. Quidni enim possint Historiæ Monstrorum in singulis Speciebus cum Historia ipsarum Specierum conjungi? Etiam Artificialia quandoque cum Speciebus recte conjunguntur, quandoque melius separantur. Quamobrem è re nata de his consilium capere optimum est. Methodus enim iterationes & prolixitatem gignit, æque ubi nimia est, ac ubi nulla.

II.

HIstoria Naturalis, ut Subjecto (quemadmodum diximus) triplex, ita Usu duplex est. Adhibetur enim aut propter rerum ipsarum cognitionem, quæ Historiæ mandantur; aut tanquam Materia prima Philosophiæ, atque veræ Inductionis Supellex sive Sylva. Atque Posterius hoc nunc agitur; Nunc, inquam; neque unquam antehac. Neque enim *Aristoteles*, aut *Theophrastus*, aut *Dioscorides*, aut *Cajus Plinius*, multo minus *moderni*, hunc finem (de quo loquimur) Historiæ Naturalis unquam sibi proposuerunt. Atque in hoc plurimum est, ut qui partes scribendi Historiam Naturalem sibi posthac sumpserint, hoc perpetuo cogitent, atque animo agitent, se non Lectoris delectationi, non utilitati ipsi, quæ ex Narrationibus in præsens capi possit, debere inservire, sed conquirere & comparare Rerum Copiam & varietatem, quæ veris Axiomatibus conficiendis sufficiat. Hoc enim si cogitent, Modum hujusmodi Historiæ ipsi sibi præscribent. Finis enim regit Modum.

III.

QUo autem majoris est hæc res operæ & laboris; eo illam minus onerari superfluis consentaneum est. Tria itaque sunt, de quibus Homines sunt plane admonendi, ut in illis parce admodum operam suam collocent; tanquam iis quæ massam Operis in immensum augeant, virtutem parum aut nihil promoveant.

Primo igitur facessant Antiquitates, & Citationes, aut Suffragia Authorum; etiam Lites, & Controversiæ, & Opiniones discrepantes; omnia denique Philologica. Neque enim citetur Author, nisi in re dubiæ fidei; neque interponatur Controversia, nisi in re magni momenti. Quæ vero ad Ornamenta Orationis, & Similitudines, & Eloquentiæ Thesaurum, & hujusmodi inania spectant, omnino abjiciantur. Etiam quæ recipiuntur omnia, & ipsa proponantur breviter & strictim, ut nihil minus sint quam verba. Nemo enim qui Materialia ad Ædificia vel naves vel hujusmodi aliquas Structuras colligit & repopit, ea (Officinarum more) belle collocat & ostentat ut placeant; sed in hoc tantum sedulus est, ut proba & bona sint, & ut in Repositorio spatium minimum occupent. Atque ita prorsus faciendum est.

Secundo, non multum ad rem facit Luxuria illa Historiarum Naturalium in Descriptionibus & Picturis Specierum numerosis, atque earundem Varietate curiosa. Hujusmodi enim pusillæ Varietates nihil aliud sunt, quam Lusus quidam Naturæ, & Lascivia, & prope ad Individuorum Naturam accedunt: Atque habent Peragrationem quandam in Rebus ipsis amœnam & jucundam; Informationem vero ad Scientiam tenuem, & fere supervacuam.

Tertio, missæ plane faciendæ sunt omnes Narrationes superstitiosæ (non dico prodigiosæ, ubi Memoria earum reperietur fida & probabilis, sed superstitiosæ) & Experimenta Magiæ Ceremonialis. Nolumus enim Philosophiæ Infantiam, cui Historia Naturalis primam præbet mammam, fabulis anilibus assuescere. Erit fortasse Tempus (postquam in Inquisitionem Naturæ paulo altius penetratum erit) hujusmodi res leviter percurrendi; ut si quid in illis fæcibus hæreat virtutis Naturalis, ea extrahi & in usum condi possit. Interim seponendæ sunt. Etiam Magiæ Naturalis Experimenta diligenter & cum severitate ventilanda sunt, antequam recipiantur; præsertim illa, quæ ex vulgaribus Sympathiis & Antipathiis magna cum socordia & facilitate credendi simul & fingendi, derivari solent.

Neque nil aut parum actum est in exoneranda Historia Naturali tribus his (quas diximus) rebus superfluis, quæ alias Volumina impleturæ fuissent. Neque tamen hic finis. Æque enim requiritur in Opere magno, ut tam ea quæ recipiuntur, succincte scribantur; quam ut superflua abscindantur: Licet nemini dubium esse possit, quin hujusmodi Castitas & Brevitas delectationem multo minorem tum Legenti tum Scribenti præbitura sit. Verum illud semper inculcandum est; hoc quod paratur, Horreum esse tantummodo & Promptuarium Rerum; in quo non manendum, aut habitandum sit cum voluptate, sed eo descendendum, pro ut res postulat, cum aliquid ad usum sumendum sit, circa Opus *Interpretis* quod succedit.

IV.

IN Historia quam requirimus & animo destinamus, ante omnia videndum est, ut late pateat, & facta sit ad Mensuram Universi. Neque enim arctandus est Mundus ad angustias Intellectus (quod adhuc factum est) sed expandendus Intellectus & laxandus, ad Mundi Imaginem recipiendam, qualis invenitur. Istud enim, *Respicere pauca, & pronuntiare secundum pauca*, omnia perdidit. Resumentes igitur Partitionem, quam paulo ante fecimus Historiæ Naturalis (quod sit *Generationum*, *Prætergenerationum*, *& Artium*) *Historiæ Generationum* constituimus Partes quinque. Sit prima, Ætheris & Cœlestium. Secunda, Meteororum, & Regionum (quas vocant) Aëris; Tractuum videlicet à Luna usque ad Superficiem Terræ; Cui etiam parti Cometas cujuscunque generis, tum sublimiores, tum humiliores (utcunque se habeat rei veritas) Ordinis causa assignamus. Tertia, Terræ & Maris. Quarta, Elementorum (quæ vocant) Flammæ, sive Ignis, Aëris, Aquæ, & Terræ. Elementa autem eo sensu accipi volumus, ut intelligantur non pro Primordiis Rerum, sed pro Corporum Naturalium Massis Majoribus. Ita enim Natura Rerum distribuitur, ut sit quorundam Corporum Quantitas, sive Massa in Universo perquam magna; quia scilicet ad Schematismum eorum requiritur Textura Materiæ facilis & obvia; qualia sunt ea quatuor (quæ diximus) corpora: At quorundam aliorum Corporum sit Quantitas in Universo parva, & parce suppeditata, propter Texturam Materiæ valde dissimilarem, & subtilem, & in plurimis determinatam, & organicam; qualia sunt Species Rerum Naturalium, Metalla, Plantæ, Animalia. Quare prius Genus Corporum, *Collegia*

majora; posterius, *Collegia minora* appellare consuevimus. At *Collegiorum istorum Majorum* est Pars Historiæ quarta, sub nomine Elementorum, ut diximus. Neque vero confunditur Pars quarta cum secunda aut tertia, in hoc quod in singulis mentionem Aëris, Aquæ, & Terræ fecimus. In Secunda enim & Tertia recipitur Historia eorum, tanquam Mundi Partium integralium, & quatenus pertinent ad Fabricam & Configurationem Universi; At in quarta continetur Historia Substantiæ & Naturæ ipsorum, quæ in singulis eorum partibus similaribus viget, nec ad totum refertur. Quinta denique pars Historiæ *Collegia minora*, sive *Species* continet; circa quas Historia Naturalis hactenus præcipue occupata est. *Historiam* vero *Prætergenerationum* quod attinet; jamdudum à nobis dictum est, quod illa cum Historia Generationum commodissime conjungi possit; ea scilicet, quæ sit prodigiosa tantum, & naturalis. Nam superstitiosam Miraculorum Historiam (cujuscunque sit generis) omnino relegamus in Tractatum proprium; neque ipsum jam inde à principio suscipiendum, sed paulo post, quando altius in Naturæ Inquisitionem penetratum fuerit.

Physica

At *Historiam Artium*, & Naturæ ab Homine versæ & immutatæ, sive Historiam Experimentalem, triplicem constituimus. Aut enim deprompta est ex Artibus Mechanicis; Aut ex Operativa parte Scientiarum Liberalium; Aut ex Practicis compluribus & Experimentis, quæ in Artem propriam non coaluerunt; immo quæ quandoque ex vulgatissima Experientia occurrunt, nec Artem omnino desiderant. Quamobrem si ex his omnibus quæ diximus, *Generationibus*, *Prætergenerationibus*, *Artibus*, & *Experimentis* confecta fuerit Historia; nihil prætermissum videtur, per quod sensus ad informandum Intellectum Instrui possit. Neque igitur amplius intra Circulos parvos (veluti incantati) subsaltabimus, sed Mundi Pomœria circuitione æquabimus.

V.

INter Partes eas quas diximus Historiæ, maximi usus est *Historia Artium*, propterea quod ostendat Res in Motu, & magis recta ducat ad Praxin. Quinetiam tollit larvam & velum à Rebus Naturalibus, quæ plerunque sub varietate Figurarum & Apparentiæ externæ occultantur, aut obscurantur. Denique Vexationes Artis sunt certe tanquam Vincula & Manicæ *Protei*, quæ ultimos Materiæ Nixus & Conatus produnt. Corpora enim perdi aut annihilari nolunt; sed potius in varias Formas se mutant. Itaque circa hanc Historiam, licet Mechanicam (ut videri potest) & minus Liberalem, (missa arrogantia & fastu) summa est adhibenda diligentia.

Rursus, inter Artes præferuntur eæ, quæ Corpora Naturalia & Rerum Materialia exhibent, alterant, & præparant; ut Agricultura, Coquinaria; Chymica; Tinctoria; Opificia Vitri, Esmaltæ, Sacchari, Pulveris Pyrii, Ignium Artificialium, Papyri, & hujusmodi. Jejunioris autem sunt usus, quæ præcipue consistunt in Motu subtili Manuum, & Instrumentorum; quales sunt Textoria; Fabrilis; Architectura; Opificia Molendinorum, Horologiorum, cum similibus; Licet & istæ nullo modo negligendæ sint, tum quia in illis occurrunt multa, quæ ad Corporum Naturalium Alterationes spectant; tum quia accurate informant de Motu Lationis; quæ res est magni prorsus ad plurima momenti.

Verum in Congerie universa istius *Artium Historiæ*, illud omnino monendum est, & penitus memoriæ mandandum; recipienda esse Experimenta Artium, non solum ea quæ ducunt ad finem Artis, sed etiam quæ ullo modo interveniunt. Exempli gratia, quod Locustæ, aut Cancri cocti, cum prius Colorem luti referrent, rubescant, nihil ad mensam: sed hæc ipsa Instantia tamen non mala est ad inquirendam naturam Rubedinis; cum idem eveniat etiam in Lateribus coctis. Similiter, quod Carnes minori mora saliantur hyeme quam æstate, non eo tantum spectat, ut Coquus cibos bene & quantum sufficit condiat, sed etiam Instantia bona est ad indicandam naturam & impressionem Frigoris. Quamobrem toto (quod ajunt) cœlo erraverit, qui Intentioni nostræ satisfieri existimaverit, si Artium Experimenta colligantur hujus rei solum gratia, ut hoc modo Artes singulæ melius perficiantur. Licet enim & hoc non prorsus contemnamus in multis; tamen ea plane est mens nostra, ut omnium Experimentorum Mechanicorum rivuli in Philosophiæ pelagus undequaque fluant. Delectus autem Instantiarum in unoquoque genere eminentiorum (quas maxime & diligentissime conquirere oportet, & quasi venari) ex Prærogativis Instantiarum petendus est.

VI.

REsumendum etiam est hoc loco, quod in *Aphorismis* 99. 119. 120. *Libri primi* fusius tractavimus: hic vero, Præcepti more, breviter imperare sufficiat: Hoc est, ut recipiantur in hanc Historiam; Primo res Vulgatissimæ, quales quis supervacuum putaret scripto inserere, quia tam familiariter notæ sunt; Dein, res Viles, Illiberales, Turpes; (*Omnia enim munda mundis*; & si Lucrum ex Lotio boni odoris sit, multo magis Lumen & Informatio ex re qualibet:) Etiam res Leves & Pueriles; (nec mirum; repuerascendum enim plane est:) Postremo, res quæ nimiæ cujusdam Subtilitatis esse videntur, quod in se nullius sint usus. Neque enim (ut jam dictum est) quæ hac Historia proponentur, propter se congesta sunt: Itaque neque dignitatem eorum ex se metiri par est, sed quatenus ad alia transferri possint, & influant in Philosophiam.

VII.

ILlud insuper præcipimus, ut omnia in Naturalibus tam Corporibus quam Virtutibus (quantum fieri potest) numerata, appensa, dimensa, determinata proponantur. Opera enim meditamur, non Speculationes. Physica autem & Mathematica, bene commistæ, generant Practicam. Quamobrem exactæ Restitutiones & Distantiæ Planetarum, in Historia Cœlestium: Terræ Ambitus, & Quantum occupet in superficie respectu Aquarum, in Historia Terræ & Maris: Quantam compressionem Aër patiatur absque forti Antitypia, in Historia Aëris: Quantum in Metallis alterum alteri præponderet, in Historia Metallorum; Et innumera id genus perquirenda, & perscribenda sunt. Cum vero exactæ Proportiones haberi non possunt, tum certe ad Æstimativas aut Comparativas indefinitas confugiendum est. Veluti (si forte calculis Astronomorum de Distantiis diffidimus)

quod

quod Luna sit infra umbram Terræ; quod Mercurius sit supra Lunam; & hujusmodi. Etiam cum mediæ Proportiones haberi non possint, proponantur extremæ: veluti, quod languidior Magnes attollat Ferrum ad tale pondus, respectu ponderis ipsius Lapidis; & quod maxime virtuosus, etiam ad rationem sexagecuplam; quod nos in armato Magnete admodum parvo fieri vidimus. Atque satis scimus, istas Instantias determinatas non facile aut sæpe occurrere; sed in ipso Interpretationis curriculo, tanquam Auxiliares, (quando res maxime postulat) debere exquiri. Veruntamen si forte occurrant, modo non progressum conficiendæ Naturalis Historiæ nimis remorentur, etiam in ipsam eas inserere oportet.

VIII.

FIdem vero eorum, quæ in Historia sunt recipienda, quod attinet; necesse est ut illa sint aut fidei Certæ, aut fidei Dubiæ, aut fidei Damnatæ. Atque prius genus simpliciter est proponendum, Secundum, cum nota; vid. per verbum *Traditur*, aut *Referunt*, aut *Audivi ex fide-digno*, & hujusmodi. Nam argumenta Fidei in alterutram partem, nimis operosum foret ascribere: & proculdubio scribentem nimis remorabitur. Neque multum etiam refert ad id quod agitur: quoniam (ut in *Aphorismo* 118. *Lib.* 1. diximus) falsitatem Experimentorum, nisi ea ubique scateant, veritas Axiomatum paulo post convincet. Attamen si Instantia fuerit nobilior, aut usu ipso, aut quia alia multa ex illa pendere possint; tum certè nominandus est Author: neque id nude tantum, sed cum mentione aliqua; utrum ille ex Relatione, aut Exscriptione, (qualia sunt fere, quæ scribit *C. Plinius*) aut potius ex Scientia propria illa affirmaverit; atque etiam utrum fuerit res sui temporis, an vetustior; insuper, utrum sit tale quippiam, cujus necesse foret ut multi essent testes, si verum foret; denique, utrum Author ille fuerit vaniloquus & levis, an sobrius & severus; & similia, quæ faciunt ad pondus Fidei. Postremo res Damnatæ fidei, & tamen jactatas & celebratas, quales, partim neglectu, partim propter usum Similitudinum, per multa jam sæcula invaluerunt, (veluti, quod Adamas liget Magnetem, Alium enervet; Electrum omnia trahat præter Ocymum; & alia multa hujusmodi) oportebit non silentio rejicere, sed verbis expressis proscribere, ne illa amplius Scientiis molesta sint.

Præterea non abs re fuerit, si forte Origo Vanitatis aut Credulitatis alicujus occurrat, illam notare: veluti, quod herbæ Satyrio attributa sit vis ad excitandam Venerem, quia Radix scilicet in figuram testiculorum efformata sit: Cum revera hoc fiat, quia adnascitur annis singulis nova radix bulbosa; adhærente radice anni prioris; unde Didymi illi. Manifestum autem hoc est, quod nova Radix semper inveniatur solida & succulenta, vetus emarcida & spongiosa. Quare nil mirum, si altera mergatur in aqua, altera natet: Quod tamen pro re mira habetur, & reliquis ejus Herbæ virtutibus authoritatem addidit.

IX.

SUpersunt Additamenta quædam Historiæ Naturalis utilia, quæque eam magis commode inflectere & aptare possint ad opus *Interpretis*, quod succedit. Illa quinque sunt.

Primum, Quæstiones (non Causarum dico, sed Facti) adjiciendæ sunt, ut inquisitionem ulteriorem provocent & sollicitent: ut, in Historia Terræ & Maris, Utrum Mare Caspium fluat & refluat, & quali horarum spatio; Utrum sit aliqua Continens Australis, an potius Insula; & similia.

Secundo, in Experimento aliquo novo & subtiliore, addendus est modus ipse Experimenti, qui adhibitus est: ut liberum sit hominum judicium, utrum Informatio per Experimentum illud sit fidum aut fallax, atque etiam excitetur hominum Industria, ad exquirendos Modos (si fieri possit) magis accuratos.

Tertio, si quid subsit in aliqua Narratione dubii vel scrupuli, id supprimi aut reticeri omnino nolumus; sed plane & perspicue adscribi, Notæ aut Moniti loco. Cupimus enim. Historiam primam, veluti facto Sacramento de veritate ejus in singulis, religiosissime conscribi; cum sit Volumen Operum Dei & (quantum inter Majestatem Divinorum, & Humilitatem Terrenorum collationem facere liceat) tanquam Scriptura altera.

Quarto, non abs re fuerit Observationes quandoque aspergere; (id quod *C. Plinius* fecit:) veluti in Historia Terræ & Maris; Quod Terrarum figura (quatenus adhuc cognita est, respectu Marium, sit ad Austrum angusta & veluti acuminata, ad Septentriones lata & ampla; Marium, contra: Et quod Oceani Magni intersecent Terras alveis exporrectis inter Austrum & Septentriones, non inter Orientem & Occidentem, nisi forte in extremis Regionibus Polaribus. Etiam Canones (qui nil aliud sunt quam Observationes generales & Catholicæ) optime ascribuntur: veluti in Historia Cœlestium; Quod Venus nunquam distet à Sole plus partibus 46. Mercurius, 23. Et quod Planetæ, qui supra Solem locantur, tardissime moveant; cum longissime à Terra absint: Planetæ infra Solem, celerrime. Aliud insuper Observationis genus adhibendum; quod nondum in usum venit, licet sit haud exigui momenti. Illud tale est: nempe, ut subjungantur iis quæ sunt, ea quæ non sunt. Veluti, in Historia Cœlestium, Quod non inveniatur stella oblonga vel triangularis; sed quod omnis stella sit globosa: vel globosa simpliciter, ut Luna; vel ad aspectum Angulata, sed in medio globosa, ut reliquæ Stellæ; vel ad aspectum, comata, & in medio globosa, ut Sol: Aut quod Stellæ nullo prorsus spargantur ordine; ut non inveniatur vel Quincunx, vel Quadrangulum, nec alia Figura perfecta; (utcunque imponantur nomina Deltæ, Coronæ, Crucis, Quadrigarum, &c.) vix etiam linea recta, nisi forte in Cingulo & Pugione Orionis.

Quinto, juvabit fortasse nonnihil quærentem, quod credentem prorsus pervertat & perdat: vid. ut Opiniones, quæ nunc receptæ sunt, cum earum Varietate & sectis, brevi verborum complexu, & tanquam in transitu recenseantur; ut Intellectum vellicent, & nihil amplius.

X.

ATque hæc sufficient quatenus ad Præcepta generalia: quæ si diligenter observentur, & finem recta petet hoc Opus Historiæ, nec excrescet supra modum. Quod si etiam, prout circumscribitur & limitatur: vastum Opus alicui pusillanimo videri possit; is in Bibliothecas oculos convertat; &, inter alia, Corpora Juris Civilis aut Juris Cano-

nici ex una parte spectet, & Commentarios Doctorum & Jurisconsultorum ex altera; & videat quid interfit quoad Molem & Volumina. Nobis enim (qui, tanquam Scribæ fideles, leges ipsas Naturæ, & nil aliud excipimus & conscribimus) brevitas competit, & fere ab ipsis Rebus imponitur. Opinionum autem, & Placitorum, & Speculationum, non est numerus neque finis.

Quod vero in Distributione Operis nostri mentionem fecimus *Cardinalium Virtutum* in Natura; & quod etiam horum Historia, antequam ad Opus *Interpretationis* ventum fuerit, perscribenda esset; hujus rei minime obliti sumus, sed eam nobis ipsis reservavimus: cum de aliorum Industria in hac re, priusquam homines cum Natura paulo arctius consuescere inceperint, prolixe spondere non audeamus. Nunc itaque ad Delineationem *Historiarum Particularium* veniendum.

Verum, prout nunc negotiis distringimur, non ulterius suppetit otium, quàm ut *Catalogum* tantum *Historiarum* secundum Capita subjungamus. Enimvero cum primum huic rei vacare possumus, consilium est in singulis, veluti interrogando, docere, qualia sint circa unamquamque Historiarum illarum potissimum inquirenda & conscribenda, tanquam ea quæ ad finem nostrum faciunt, instar *Topicorum* quorundam particularium: vel potius, ut (sumpto exemplo à Causis Civilibus) in hac *Vindicatione magna* sive *Processu*, à favore & providentia divina concesso & instituto, (per quem genus humanum Jus suum in Naturam recuperare contendit) Naturam ipsam & Artes super Articulos examinemus.

CATALOGUS

HISTORIARUM particularium

Secundum Capita.

1 *Historia Cœlestium; sive Astronomica.*

2 *Historia configurationis Cœli & partium ejus, versus Terram & partes ejus; sive Cosmographica.*

3 *Historia Cometarum.*

4 *Historia Meteororum ignitorum.*

5 *Historia Fulgurum, Fulminum, Tonitruum, & Coruscationum.*

6 *Historia Ventorum, & Flatuum repentinorum, & undulationem Aeris.*

7 *Historia Iridum.*

8 *Historia Nubium, prout superne conspiciuntur.*

9 *Historia Expansionis Cœruleæ, Crepusculi, plurium Solium, plurium Lunarum, Halonum, Colorum variorum Solis & Lunæ; atque omnis varietatis Cœlestium ad aspectum, quæ fit ratione Medii.*

10 *Historia Pluviarum ordinariarum, procellosarum, & prodigiosarum; etiam Cataractarum (quas vocant) Cœli, & similium.*

11 *Historia Grandinis, Nivis, Gelu, Pruinæ, Nebulæ, Roris, & similium.*

12 *Historia omnium aliorum cadentium sive descendentium ex alto, & superne generatorum.*

13 *Historia Sonituum in alto (si modo sint aliqui) præter Tonitrua.*

14 *Historia Aeris, in Toto, sive in Configuratione Mundi.*

15 *Historia Tempestatum, sive Temperamentorum Anni, tam secundum variationes Regionum, quam secundum accidentia Temporum, & periodos Annorum, Diluviorum, Fervorum, Siccitatum, & similium.*

16 *Historia Terræ & Maris; Figuræ & Ambitus ipsorum, & Configurationis ipsorum inter se, atque Exporrectionis ipsorum in latum aut angustum; Insularum Terræ in Mari, Sinuum Maris, & Lacuum salsorum in Terra, Isthmorum, Promontoriorum.*

17 *Historia Motuum (si qui sint) globi Terræ & Maris; & ex quibus Experimentis illi colligi possint.*

18 *Historia Motuum majorum & Perturbationum in Terra & Mari; nempe Terræ Motuum & Tremorum & Hiatuum, Insularum de novo enascentium, Insularum fluctuantium, Abruptionum Terrarum per ingressum Maris; Invasionum & Illuvionum, & contra Desertionum Maris; Eruptionum Ignium è Terra, Eruptionum subitaneorum Aquarum è Terra, & similium.*

19. *Historia Geographica Naturalis, Montium, Vallium, Sylvarum, Planitierum, Arenarum, Paludum, Lacuum, Fluviorum, Torrentium, Fontium, & omnis diversitatis scaturiginum ipsorum, & similium: missis Gentibus, Provinciis, Vrbibus, & hujusmodi Civilibus.*

20 *Historia Fluxuum & Refluxuum Maris, Euriporum, Vndulationum & Motuum Maris, aliorum.*

21 *Historia caterorum Accidentium Maris; Salsuginis ejus, Colorum diversorum, Profunditatis: & Rupium, Montium, & Vallium submarinorum, & similium.*

Sequuntur Historiæ Massarum majorum.

22 *Historia Flammæ, & Ignitorum.*

23 *Historia Aeris, in Substantia, non in Configuratione.*

24 *Historia Aquæ, in Substantia, non in Configuratione.*

25 *Historia Terræ & diversitatis ejus, in Substantia, non in Configuratione.*

Sequuntur Historiæ Specierum.

26 *Historia Metallorum perfectorum, Auri, Argenti: & Minerarum, Venarum, Marcasitarum eorundem: Operaria quoque in Mineris ipsorum.*

27 *Historia Argenti Vivi.*

28 *Historia Fossilium; veluti Vitrioli, & Sulphuris, &c.*

29 *Historia Gemmarum; veluti Adamantis, Rubini, &c.*

30 *Historia Lapidum; ut Marmoris, Lapidis Lydii, Silicis, &c.*

31 *Historia Magnetis.*

32 *Historia Corporum Miscellaneorum, quæ nec sunt Fossilia prorsus, nec Vegetabilia; ut Salium, Succini, Ambræ-griseæ, &c.*

33 *Historia Chymica circa Metalla & Mineralia.*

34 *Historia Plantarum, Arborum, Fruticum, Herbarum: & Partium eorum, Radicum, Caulium, Ligni, Foliorum, Florum: Fructuum, Seminum, Lachrymarum, &c.*

35 *Historia Chymica circa Vegetabilia.*

36. Hi-

36 *Historia Piscium, & partium ac Generationis ipsorum.*
37 *Historia Volatilium, & Partium ac Generationis ipsorum.*
38 *Historia Quadrupedum, & Partium ac Generationis ipsorum.*
39 *Historia Serpentum, Vermium, Muscarum, & caterorum Insectorum; & partium ac generationis ipsorum.*
40 *Historia Chymica circa ea quæ sumuntur ab Animalibus.*

Sequuntur Historiæ Hominis.

41 *Historia Figuræ & Membrorum externorum Hominis, Staturæ, Compagis, Vultus & Lineamentorum, eorumque varietatis secundum Gentes & Climata, aut alias minores Differentias.*
42 *Historia Physiognomica super ipsa.*
43 *Historia Anatomica, sive Membrorum internorum Hominis; & varietatis ipsorum, quatenus invenitur in ipsa naturali Compage & Structura, & non tantum quoad Morbos & Accidentia præternaturalia.*
44 *Historia partium similarium Hominis; ut Carnis, Ossium, Membranarum, &c.*
45 *Historia Humorum in Homine; Sanguinis, Bilis, Spermatis, &c.*
46 *Historia Excrementorum, Sputi, Vrinarum, Sudorum, Sedimentorum, Capillorum, Pilorum, Rediviarum, Unguium, & similium.*
47 *Historia Facultatum, Attractionis, Digestionis, Retentionis, Expulsionis, Sanguificationis, Assimilationis alimentorum in membra, Versionis Sanguinis & Floris ejus in Spiritum, &c.*
48 *Historia Motuum Naturalium & Involuntariorum, ut Motus Cordis, Motus Pulsuum, Sternutationis, Motus Pulmonum, Motus Erectionis Virgæ, &c.*
49 *Historia Motuum mixtorum ex Naturalibus & Voluntariis; veluti Respirationis, Tussis, Vrinationis, Sedis, &c.*
50 *Historia Motuum Voluntariorum; ut Instrumentorum ad voces articulatas; ut Motuum Oculorum, Linguæ, Faucium, Manuum, Digitorum; Deglutitionis, &c.*
51 *Historia Somni & Insomniorum.*
52 *Historia diversorum Habituum Corporis; pinguis, macilenti; Complexionum, (quas vocant,) &c.*
53 *Historia Generationis Hominum.*
54 *Historia Conceptionis, Vivificationis, Gestationis in Vtero, Partus, &c.*
55 *Historia Alimentationis Hominis, atque omnis Edulii & Potabilis, atque omnis Diæta; & Varietatis ipsorum secundum Gentes aut minores differentias.*
56 *Historia Augmentationis & Incrementi Corporis in Toto & Partibus ipsius.*
57 *Historia decursus Ætatis; Infantiæ, Pueritiæ, Juventutis, Senectutis, Longævitatis, Brevitatis vitæ, & similium, secundum Gentes & minores differentias.*
58 *Historia Vitæ & Mortis.*
59 *Historia Medicinalis Morborum, & Symptomatum & Signorum eorundem.*
60 *Historia Medicinalis, Curæ, & Remediorum, & Liberationum à Morbis.*
61 *Historia Medicinalis eorum, quæ conservant Corpus & Sanitatem.*
62 *Historia Medicinalis eorum quæ pertinent ad Formam & Decus Corporis, &c.*
63 *Historia Medicinalis eorum, quæ corpus alterant, & pertinent ad Regimen alterativum.*
64 *Historia Pharmacopolaris.*
65 *Historia Chirurgica.*
66 *Historia Chymica circa Medicinas.*
67 *Historia Visus & Visibilium, sive Optica.*
68 *Historia Picturæ, Sculptoria, Plastica, &c.*
69 *Historia Auditus & Sonorum.*
70 *Historia Musica.*
71 *Historia Olfactus, & Odorum.*
72 *Historia Gustus, & Saporum.*
73 *Historia Tactus, & ejus Objectorum.*
74 *Historia Veneris, ut speciei Tactus.*
75 *Historia Dolorum corporeorum, ut speciei Tactus.*
76 *Historia Voluptatis & Doloris in genere.*
77 *Historia Affectuum; ut Iræ, Amoris, Verecundiæ, &c.*
78 *Historia Facultatum Intellectualium; Cogitativæ, Phantasiæ, Discursus, Memoriæ, &c.*
79 *Historia Divinationum Naturalium.*
80 *Historia Dignotionum, sive Diacrisium occultarum Naturalium.*
81 *Historia Coquinaria; & Artium subservientium, veluti Macellaria, Aviaria, &c.*
82 *Historia Pistoria, & Panificiorum; & Artium subservientium, ut Molendinaria, &c.*
83 *Historia Vinaria.*
84 *Historia Cellaria, & diversorum generum Potus.*
85 *Historia Bellariorum & Confecturarum.*
86 *Historia Mellis.*
87 *Historia Sacchari.*
88 *Historia Lacticiniorum.*
89 *Historia Balneatoria, & unguentaria.*
90 *Historia Miscellanea circa curam corporis; Tonsorum, Odoriarorum, &c.*
91 *Historia Aurifabrilis, & Artium subservientium.*
92 *Historia Lanificiorum, & Artium subservientium.*
93 *Historia Opificiorum è Serico & Bombyce, & Artium subservientium.*
94 *Historia Opificiorum ex Lino, Cannabio, Gossipio, Setis, & aliis Filaceis, & Artium subservientium.*
95 *Historia Plumificiorum.*
96 *Historia Textoria, & Artium subservientium.*
97 *Historia Tinctoria.*
98 *Historia Coriaria, Alutaria; & Artium subservientium.*
99 *Historia Culcitraria & Plumaria.*
100 *Historia Ferrifabrilis.*
101 *Historia Latomiæ sive Lapicidarum.*
102 *Historia Lateraria, & Tegularia.*
103 *Historia Figularis.*
104 *Historia Cæmentaria, & Crustaria.*
105 *Historia Lignifabrilis.*
106 *Historia Plumbaria.*
107 *Historia Vitri & omnium Vitreorum, & Vitriaria.*
108 *Historia Architecturæ in genere.*
109 *Historia, Plaustraria, Rhedaria, Lectricaria, &c.*

110 Historia *Typographica, Libraria, Scriptoria, Sigillatoria; Atramenti, Calami, Papyri, Membranæ, &c.*
111 Historia *Ceræ.*
112 Historia *Viminaria.*
113 Historia *Storearia, & Opificiorum ex Stramine, Scirpis, & similibus.*
114 Historia *Lotricaria, Scoparia, &c.*
115 Historia *Agriculturæ, Pascuariæ, Cultus Sylvarum, &c.*
116 Historia Hortulana.
117 Historia *Piscatoria.*
118 Historia *Venationis & Aucupii.*
119 Historia *Rei Bellicæ, & Artium subservientium; ut Armamentaria, Arcuaria, Sagittaria, Sclopetaria, Tormentaria, Balistaria, Machinaria, &c.*
120 Historia *Rei Nauticæ, & Practicarum, & Artium subservientium.*
121 Historia *Athletica; & omnis generis Exercitationum hominis.*
122 Historia *Rei Equestris.*
123 Historia *Ludorum omnis generis.*
124 Historia *Præstigiatorum & Circulatorum.*
125 Historia *Miscellanea diversarum Materiarum Artificialium; ut Esmaltæ, Porcellanæ, complurium Cæmentorum, &c.*
126 Historia *Salium.*
127 Historia *Miscellanea diversarum Machinarum & Motuum.*
128. Historia *Miscellanea Experimentorum Vulgarium, quæ non coaluerunt in Artem.*

Etiam Mathematicarum purarum Historiæ conscribendæ sunt, licet sint potius Observationes quam Experimenta.

129 Historia *naturarum & potestatum Numerorum.*
130 Historia *Naturarum & potestatum Figurarum.*

NOn abs re fuerit admonere; quod, cum necesse sit multa ex Experimentis sub duobus Titulis vel pluribus cadere, (veluti *Historia Plantarum*, & *Historia Artis* Hortulanæ, multa habebunt fere communia) commodior sit Inquisitio per Artes, Dispositio vero per Corpora. Parum enim nobis curæ est de Artibus ipsis Mechanicis, sed tantum de iis quæ afferunt ad instruendam Philosophiam. Verum hæc è re nata melius regentur.

Sequitur nunc ipsa Historia naturalis.

FRAN-

FRANCISCI

BACONI,

BARONIS

DE

VERULAMIO,

VICE-COMITIS SANCTI ALBANI,

AC SUMMI ANGLIÆ CANCELLARII,

PHÆNOMENA UNIVERSI;

SIVE

Historia Naturalis & Experimentalis

DE

VENTIS.

Impensis JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI,

ANNO cIↃ IↃc LXIV.

T 4

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illustrissimo, & Excellentissimo Principi,

CAROLO,

Serenissimi Regis

JACOBI

Filio, & Hæredi.

Illustrissimè, & Excellentissime Princeps,

PRIMITIAS *Historiæ* nostræ *Naturalis* Celsitudini tuæ humillime offero. Rem mole perpusillam, veluti *Granum Sinapis*: Sed tamen pignus eorum, quæ Deo volente sequentur. Obstrinximus enim nosipsos tanquam voto, singulis nos mensibus, ad quos Dei bonitas (cujus agitur Gloria tanquam in Cantico novo) vitam nostram produxerit, unam, aut plures ejus partes, prout fuerint magis aut minus arduæ, aut copiosæ, confecturos, & edituros. Moti etiam fortasse erunt alii, nostro exemplo, ad similem industriam: præsertim postquam penitus perspexerint, quid agatur. Nam in *Historia Naturali* bona, & bene instituta, claves sunt & Scientiarum, & Operum. Deus Celsitudinem tuam diu servet incolumem.

Celsitudinis tuæ Servus

humilis & devotus

FR. ST. ALBAN.

TITULI

Historiarum & Inquisitionum in primos sex menses destinatarum.

Historia Ventorum.
Historia Densi & Rari, nec-non Coitionis, & Expansionis Materiæ per spatia.
Historia Gravis & Levis.
Historia Sympathiæ, & Antipathiæ Rerum.
Historia Sulphuris, Mercurij, & Salis.
Historia Vitæ & Mortis.

HISTORIA NATURALIS ET EXPERIMENTALIS,

Ad condendam

PHILOSOPHIAM:

sive

Phænomena Universi : *quæ* est Instaurationis Magnæ

Pars tertia.

MOnendi utiq; sunt Homines, & per Fortunas suas rogandi, atq; obsecrandi, ut animos submittant, & scientias in Mundo Maiore quærant: quinetiam de Philosophia vel cogitationem abjiciant, vel modicos saltem, & tenue fructus ex illa sperent, usq; dum Historia Naturalis, & Experimentalis, diligens & probata, comparata sit, & confecta. Quid enim sibi volunt ista Cerebella Hominum, & potentes Nugæ? Fuerunt apud antiquos, placita Philosophorum valde numerosa; Pythagoræ, Philolai, Xenophanis, Heracliti, Empedoclis, Parmenidis, Anaxagoræ, Leucippi, Democriti, Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Zenonis, aliorum. Hi omnes Mundorum argumenta, tanquam Fabularum, pro arbitrio confinxerunt, easq; Fabulas suas recitarunt, publicarunt: alias magis concinnas certe, & probabiles, alias duriores. At nostris sæculis, propter instituta Scholarum, & Collegiorum, cohibentur ingenia magis. Neq; propterea omnino cessatum est; Patricius, Telesius, Brunus, Severinus Danus, Gilbertus Anglus, Campanella, scenam tentarunt, & novas Fabulas egerunt, nec plausu celebres, nec argumento elegantes. Num hæc miramur? Quasi vero non possint infinita oriri hujusmodi placita, & Sectæ, omnibus sæculis? Neq; enim est, aut erit, hujusce rei finis aliquis, aut modus. Alius aliud arripit, aliis alia placent; nihil est luminis sicci, & aperti; quinq; ex Phantasiæ suæ cellulis, tanquam ex specu Platonis philosophatur; Ingenia sublimiora, acutius, falicius; tardiora, minore successu, sed æqua pertinacia. Quin non ita pridem, ex quorundam Virorum doctorum, & prout nunc sunt, res excellentium disciplina, scientiæ (credo propter Varietatis, & Licentiæ tædia) intra certos, & descriptos Authores coërcentur, atq; ita cohibitæ, senioribus imponuntur, adolescentibus instillantur; ut jam (quod cavillatus est Cicero in Cæsaris annum) Stella Lyræ ex edicto oriatur; & Authoritas pro Veritate, non Veritas pro Authoritate sit. Quod genus Institutionis, & Disciplinæ, ad usum præsentem egregie valet; sed idem meliorum indicit exilium. Nimirum primorum Parentum Peccatum, & luimus, & imitamur. Illi Dei similes esse voluerunt, Posteri eorum adhuc magis. Etenim Mundos creamus, Naturæ præimus, & dominamur; omnia ita se habere volumus, prout nostræ Fatuitati consentaneum fore videtur, non prout Divinæ Sapientiæ, nec qualia inveniuntur in rebus ipsis; nec scio an Res, aut Ingenia magis torqueamus; sed plane Sigilla Imaginis nostræ, Creaturis, & Operibus Dei imprimimus, non Creatoris Sigilla eum cura inspicimus, & agnoscimus. Itaq; non immeritò iterum de Imperio in Creaturas decidimus; &, cum post lapsum Hominis, vihilominus dominatio nonnulla in Creaturas reluctantes relicta fuerit, ut per veras, & solidas artes, subigi & flectì possint, id ipsum ex insolentia nostra, & quia Dei similes esse volumus, & propriæ Rationis dictamina sequi, maxima ex parte amittimus. Quamobrem, si qua est erga Creatorem Humilitas, si qua Operum ejus Reverentia & Magnificatio si qua Charitas in Homines, & erga necessitates, & ærumnas humanas relevandas Studium, si quis Amor Veritatis in Naturalibus, & Odium Tenebrarum, & Intellectus purificandi Desiderium, orandi sunt Homines iterum atq; iterum, ut missis paulisper, aut saltem sepositis Philosophiis istis volaticis, & præposteris, quæ Theses Hypothesibus antepoluerunt, & Experientiam captivam duxerunt, atq; de Operibus Dei triumpharunt; summisse, & cum veneratione quadam, ad Volumen Creaturarum evolvendum accedant; atq; in eo moram faciant, meditentur, & ab opinionibus abluti, & mundi, caste, & integre versentur. Hic est ille Sermo, & Lingua, qui exivit in omnes fines terræ; nec confusionem Babylonicam passus est; Hunc perdiscant Homines, & repuerascentes atq; iterum Infantes facti, Abecedaria ejusdem in manibus habere dignentur. In Interpretatione autem ejus eruenda, atq; enucleanda, nulli operæ parcant, sed strenue procedant, persistant, immoriantur. Cum igitur in Instauratione nostra Historiam Naturalem, qualis sit in ordine ad finem nostrum, in tertia Operis parte collocaverimus; hanc rem prævertere & statim aggredi visum est. Etsi enim haud pauca, eaq; ex præcipuis, supersint in Organo nostro absolvenda, tamen consilium est universum Opus Instaurationis, potius promovere in multis, quam perficere in paucis, hoc perpetuò, maximo cum ardore, (qualem Deus Mentibus, ut plane confidimus, addere solet) appetentes, ut quod adhuc nunquam tentatum sit, id ne jam frustra tentetur. Simul subijt animum illa cogitatio: Spargi proculdubio per Europam, complura Ingenia, capacia, libera, excelsa, subtilia, solida, constantia. Quid si quis tali Ingenio præditus, rationem, & usum Organi nostri capiat, probet? Tamen non habet, quid agat, nec quomodo se ad Philosophiam comparet, aut accingat. Si esset res, quæ lectione Librorum Philosophicorum, aut disputatione, aut meditatione perfici posset, sufficeret fortasse ille, quisquis sit, & abunde illud præstaret. Quod si ad Historiam Naturalem, & Experimenta Artium, illum remittimus, (id quod facimus) hæret, non est Instituti ejus, non Otij, non Impensæ. Atqui non est postulandum nobis, ut quis vetera dimittat, antequam in possessionem Meliorum inducatur. Postquam autem Naturæ, & Artium Historia, fidelis & copiosa, collecta, & digesta fuerit, atq; veluti ante oculos Hominum posita, & explicata; non tenuis est spes. Ingenia, de quibus diximus, grandia (qualia & in antiquis Philosophis viguerunt, & adhuc non raro reperiuntur) cum tanta antehac fuerint efficacia, ut veluti ex Scalmo aut Concha, (rara scilicet Experientia, & frivola) Naviculas quasdam Philosophiæ, admirabili structura, quoad opificium, ædificaverint; multo magis postquam Sylvam, & Materiem nacta sint, solidiores structuras excitatura; idq; licet via veteri pergere malint, nec via nostri Organi (qua ut nobis videtur, aut unica est, aut optima) uti. Itaq; huc res redit, ut Organum nostrum, etiamsi fuerit absolutum, absq; Historia Naturali, non multum; Historia Naturalis absque Organo, non parum, Instaurationem Scientiarum sit provectura. Quare omnino, & ante omnia, in hoc incumbere, satius, & consultius visum est. Deus Universi Conditor, Conservator, Instaurator, hoc Opus, & in ascensione ad Gloriam suam, & in descensione ad Bonum humanum, pro sua erga Homines Benevolentia, & Misericordia, protegat & regat, per Filium suum unicum, Nobiscum Deum.

NORMA HISTORIÆ PRÆSENTIS.

QUamvis sub finem ejus partis Organi *nostri*, *quæ edita est*, *præcepta de* Historia Naturali & Experimentali *conscripserimus*; *visum est tamen*, *hujus*, *quam nunc aggredimur*, Historiæ Normam, & *Figuram*, & *accuratius describere*, & *succinctius*. Titulis *in* Catalogo *comprehensis*, *qui pertinent ad* Concreta, Titulos, *de* Naturis Abstractis, (*quarũ ibidẽ*, *ut* Historiæ Reservatæ, *mentionẽ fecimus*,) *superaddimus*.

Hi sunt,

Hi sunt, Materiæ Schematismi *diversi, sive* Formæ primæ Classis, Motus simplices, Summæ Motuum, Mensuræ Motuum, *alia quædam. De his* Abecedarium Novum *confecimus, & sub finem hujus voluminis collocavimus.*

Titulos (*cum ad omnes nullo modo sufficiamus*) *non ex ordine, sed ex delectu sumpsimus: quorum scilicet Inquisitio, aut propter usum erat gravissima, aut propter copiam Experimentorum maxime commoda, aut propter obscuritatem rei, maxime difficilis, & nobilis, aut propter discrepantiam* Titulorum *inter se, latissime patens ad Exempla.*

In Titulis *singulis, post* Aditum *quendam, aut præfationem, statim* Topica particularia, *sive Articulos Inquisitionis proponimus, tum ad Lumen Inquisitionis præsentis, tum ad Provocationem futuræ. Domini enim Quæstionum sumus, Rerum non item. Neq; tamen Quæstionum Ordinem, in* Historia *ipsa præcise observamus, ne impedimento sit, quod pro auxilio adhibetur.*

Historia & Experimenta *omnino primas partes tenent. Ea si Enumerationem, & seriem Rerum particularium exhibeant, in* Tabulas *conficiuntur; aliter seorsum excipiuntur.*

Cum Historia & Experimenta *sæpissime nos deserant, præsertim* Lucifera *illa*, & Instantiæ Crucis, *per quas, de veris Rerum causis, Intellectui constare possit*; Mandata *damus de Experimentis novis, quantum prospicere animo possumus, aptis ad id, quod quæritur. Hæc* Mandata *tanquam* Historia designata *sunt. Quidenim aliud nobis, primo viam ingredientibus, relinquitur?*

Experimenti *alicujus subtilioris* Modum, *quo usi sumus, explicamus, ne Error subsit; utq; alios ad meliores, & magis exactos modos excogitandos, excitemus.*

Monita, & *Cautiones, de Rerum Fallacijs, & qui in inquirendo, & inveniendo possint occurrere, Erroribus, & scrupulis, aspergimus; ut Phantasmata omnia, quantum fieri potest, tanquam Exorcismo fugemus.*

Observationes *nostras, super* Historiam & Experimenta, *subteximus, ut Interpretatio Naturæ, magis sit in procinctu.*

Commentationes, & *tanquam Rudimenta quædam* Interpretationis *de* Causis, *parce, & magis suggerendo, quid esse possit, quam definiendo, quid sit, interponimus.*

Canones, *sed tamen* Mobiles, *sive Axiomata inchoata, quæ nobis inquirentibus, non pronunciantibus se offerunt, præscribimus, & constituimus. Utiles enim sunt, si non prorsus veri.*

Utilitati humanæ nunquam obliti (licet Lux ipsa dignior sit iis, quæ à Luce monstrantur) Vellicationes de Practica, *attentioni & memoriæ Hominum subjicimus; cum nobis constet, talem, & tam infœlicem esse Hominum Stuporem, ut quandoq;, res ante pedes positas, nisi moniti, non videant, sed prætereant.*

Opera, & Res impossibiles, *aut saltem adhuc non inventas, quæ sub singulis* Titulis *cadunt, proponimus; atq; una ea, quæ jam inventa sunt, & in Hominum potestate, atq;* Impossibilibus *illis, & non Inventis, sunt* proxima, *& maxime cognata, subjungimus; ut simul & Industria humana excitetur, atque animi addantur.*

Patet ex antedictis, Historiam *præsentem, non tantum* Tertiæ Partis Instaurationis *vices supplere, sed præparationem esse non contemnendam ad* Quartam, *propter* Titulos ex Abecedario, & Topica; & *ad* Sextam, *propter* Observationes Majores, Commentationes, & Canones

---

HISTORIA VENTORUM.

Aditus, sive

PRÆFATIO.

VENTI *humanæ Genti alas addiderunt. Eorum enim dono feruntur Homines, & volant; non per Aërem certè, sed per Maria; atque ingens patet janua Commercij, & fit Mundus pervius. Terræ autem (quæ Gentis Humanæ Sedes est, & Domicilium) Scopæ sunt: Eamque, atque simul Aërem ipsum, everrunt & mundant. Attamen & Mare infamant, aliquo tranquillum, & innoxium; neque alias sine maleficio sunt. Motum, abiq; opera humana, cient magnum, & vehementem; unde & ad Navigandum, & ad Molendum, veluti Operarij conducti sunt; & ad multo plura adhiberi possunt, si Humana non cesset Diligentia. Natura ipsorum inter secreta, & abdita reponi solet; Nec mirum, cum nec Aëris Natura, & Potestas, cognita quoquo modo sit; cui famulantur, & parasitantur Venti, ut (apud Poëtas) Æolus Junoni. Primariæ Creaturæ non sunt, nec ex Operibus sex Dierum; quemadmodum nec reliqua Meteora quoad Actum; sed Post-nati, ex Ordine Creationis.*

TOPICA PARTICULARIA;

SIVE

Articuli Inquisitionis de Ventis.

NOMINA VENTORUM.

1. DEscribito Ventos, ex diligentia Nautica, & imponito nomina ipsis sive vetera, sive nova, modo constantia.

Venti vel Generales sunt, vel Stati, vel Asseclæ, vel Liberi. Generales voco, qui semper flant; Statos, qui certis temporibus; Asseclas, qui frequentius; Liberos, qui indifferenter.

VENTI GENERALES.

2. An sint *Venti* aliqui *Generales*, atque ipsissimi Motus Aëris; &, si sint, in qua consecutione Motus, & in quibus locis spirent?

VENTI STATI.

3. Qui *Venti Anniversarij* sint, aut redeuntes per vices; & in quibus Regionibus? An inveniatur *Ventus* aliquis ita præcisè *Status*, ut redeat regulariter ad dies certos, & horas, instar Æstûs Maris?

VENTI ASSECLÆ.

4. Qui *Venti* sint *Asseclæ*, & familiares *Regionum*; qui *Temporum*, in iisdem *Regionibus*; qui *Verni*; qui *Æstivales*, qui *Autumnales*; qui *Brumales*; qui *Æquinoctiales*; qui *Solstitiales*; qui *Matutini*, *Meridiani*, *Vespertini*, *Nocturni*?

5. Quales

5. Quales sint *Venti Marini*, quales qui spirant à *Continente*? Differentias autem *Marinorum*, & *Terrestrium* diligenter excipito, tam eorum qui in Terrâ, & Mari; quam eorum, qui à Terra, & Mari.

VENTI LIBERI.

6. An non spirent *Venti* ex omni *Plagâ Cœli*?

Venti non multò plus Plagis Cœli, quam Qualitatibus variant. Alij Vehementes, alij Lenes; alij Constantes, alij Mutabiles; alij Calidi, alij Frigidi; alij humectant magis, & solvunt, alij deficcant, & constipant; alij congregant nubes, & sunt pluviosi, vel etiam procellosi, alij dissipant, & sunt sereni.

QUALITATES VENTORUM DIVERSÆ.

7. Inquirito & narrato, qui sint *Venti* uniuscujusque speciei ex prædictis, & quomodo varient, secundum Regiones, & Loca?

Origines locales Ventorum triplices: Aut dejiciuntur ex alto; aut emanant à terrâ; aut conflantur in ipso Corpore Aeris.

ORIGINES LOCALES VENTORUM.

8. Secundùm has tres *Origines*, de *Ventis* inquirito. Qui scilicet ex ipsis dejiciantur de *Media* (quam vocant) *Regione Aeris*; Qui vero expirent è *Cavis Terræ*; sive illi erumpant confertim, sive effluent insensibiliter; & sparsim; postea glomerent, ut rivuli in fluvium; Qui deniq; generentur passim extumoribus, sive expansionibus *Aeris* proximi?

Neq; generationes Ventorum Originales tantum: Sunt & Accidentales, ex compressionibus Aeris scilicet, & percussionibus, & repercussionibus ejus.

GENERATIONES ACCIDENTALES VENTORUM.

9. De hujusmodi *Ventorum Generationibus Accidentalibus* inquirito *Generationes Ventorum* proprie non sunt; etenim augent, & fortificant Ventos potius, quam producunt & excitant.

De communitate Ventorum hactenus. Reperiuntur autem Venti Rari, & Prodigiosi, quales sunt Præster, Turbo, Ecnephias: Hi super Terram: At sunt & & subterranei. quorum alij sunt Vaporosi, & Mercuriales, ij percipiuntur in Mineris; Alij Sulphurei; illi emittuntur, nacti exitum in Terræ Motibus, aut etiam effervescunt ex Montibus ardentibus.

VENTI EXTRAORDINARII ET FLATUS REPENTINI.

10. De hujusmodi *Ventis*, *Raris & Prodigiosis*, atque adeo de omnibus *Ventorum Miraculis*, inquirito.

A speciebus Ventorum transeat Inquisitio ad Confacientia ad Ventos, (ita enim loqui volumus, quia vocabulum Efficientis plus significat, Vocabulum Concomitantis minus quam intelligimus) atque ad ea, quæ Ventos putantur excitare, aut sedare.

CONFACIENTIA AD VENTOS, & EXCITANTIA, & SEDANTIA IPSOS.

11. Circa *Astrologica* de *Ventis* inquirito parcè, nec de accuratis *Schematibus Cœli* curato; tantummodo observationes manifestiores, de Ventis ingruentibus circa exortus aliquorum Astrorum; aut circa Eclipses Luminarium: aut Conjunctiones Planetarum, ne negligito; necminus, quatenus pendent ex viis Solis, aut Lunæ.

12. Quid confaciant *Meteora* diversorum generum ad *Ventos*? quid *Terræ Motus*, quid *Imbres*, quid *Concursus Ventorum* ad invicem? Concatenata enim sunt ista, & alterum alterum trahit.

13. Quid confaciat ad *Ventos*, *Vaporum* & *Exhalationum* diversitas? & quæ ex ipsis sint magis generativa *Ventorum*; & quatenus Natura *Ventorum* sequatur hujusmodi *Materias* suas?

14. Quid confaciant ea quæ hic in *Terra* sunt, aut fiunt, ad *Ventos*; Quid Montes, & solutiones Nivium in ipsis; Quid Moles glaciales, quæ in Mari innatant, & deferuntur alicubi; Quid differentiæ Soli, aut Terræ, (modo hoc fuerit per Tractus Majores) veluti Paludes, Arenæ, Sylvæ, Campestria; Quid ea, quæ hic apud Homines aguntur, veluti Incensiones Ericæ, & similium, ad culturam agrorum; Incensiones Segetum, aut villarum in Bellis; Deficcationes Paludum; Displosiones continuæ Bombardarum; Sonitus Campanarum simul in magnis Urbibus & similia? Festucæ certè sunt res nostræ, sed tamen aliquid possunt.

15. De omnimodis *Excitationibus*, aut *Sedationibus Ventorum* inquirito, sed parcè de Fabulosis, aut superstitiosis.

A Confacientibus ad Ventos, transeat Inquisitio, ad inquirendos Limites Ventorum: de Altitudine; Extensione; Duratione eorum.

LIMITES VENTORUM.

16. Inquirito diligenter de *Altitudine*, sive *Elevatione Ventorum*; atque si sint Fastigia Montium, ad quæ Venti non aspirent; aut si conspiciantur Nubes quandoque stare, & non movere, flantibus eodem tempore Ventis fortiter hic in Terra.

17. Inquirito diligenter de *spatiis*, quæ *Venti* deprehensi sunt simul occupare, & ad quos terminos? Exempli gratia, si *Auster* flaverit tali loco, an constet, quod eodem tempore, *Aquilo* flaverit ab illinc milliaribus decem? Contra, in quantas angustias *Venti* redigi possint, ita ut fluant *Venti* (id quod fieri videtur in *Turbinibus* nonnullis) tanquam per canales.

18. Inquirito, ad quod tempus, vel maximum, vel maximum, vel medium, vel minimum, continuari soleant *Venti*, & deinde flaccescere, & tanquam expirare: qualis etiam esse soleat Ortus, & inceptio *Ventorum*, qualis languor & cessatio; subito gradatim, quoquo modo?

A limitibus Ventorum transeat Inquisitio ad successiones Ventorum, vel inter se, vel respectu Pluviæ, & Imbrium. Cum enim choreas ducant, ordinem Saltationis nosse jucundum fuerit.

SUCCESSIONES VENTORUM.

19. An sit aliqua Regula, aut observatio paulo certior, de *successionibus Ventorum* ad invicem, sive ea sit in ordine ad Motum Solis, sive alias; & si sit, qualis sit illa?

20. Circa *Successionem & Alterationem Ventorum*, & *Pluviæ* inquirito; cum illud familiare, & frequens sit, ut *Pluvia* sedet *Ventos*, *Venti* compescant & dissipent *Pluviam*.

21. An post certam *Periodum* Annorum, redintegretur *Successio Ventorum*, & si ita sit, quæ sit ea *Periodus*?

A Successionibus Ventorum, transeat Inquisitio ad Motus ipsorum. Motus Ventorum, septem Inquisitionibus absolvuntur: Quorum tres superioribus Articulis continentur, quatuor adhuc manent intacta.

Nam

Nam de Motu Ventorum dispertito per Plagas Cœli, inquisitum est. Etiam de Motu trium Linearum sursum, deorsum, lateraliter. Etiam de Accidentali Motu Compressionum. Restant Motus quartus Progressivus; quintus Vndulationis; Sextus Conflictus; Septimus in Organis, & Machinis humanis.

MOTUS DIVERSI VENTORUM.

22. Cum *Progressus* sit semper à termino de loco primi Ortus, & tanquam Fontibus alicujus *Venti*, quantum fieri potest, diligenter inquirito. Siquidem videntur *Venti Famæ* similes. Nam licet tumultuentur, & percurrant, tamen *caput inter nubilia condunt.* Item de *Progressu* ipso. Exempli gratiâ, Si *Boreas* vehemens, qui flaverit *Eboraci* ad talem diem, aut horam, flaverit *Londini* biduo post?

23. De *Vndulatione Ventorum* Inquisitionem ne omittito. *Vndulationem* vocamus eum motum, quo *Ventus* ad parva intervalla intenditur, & remittitur, tanquam undæ Aquarum: quarum vices optimè percipiuntur ex auditu in ædibus. Eò autem magis notato diligenter differentias *Vndulationis*, sive *Suscationis* inter Aërem & Aquam; quia in *Aëre* & *Ventis* deest Motus gravitatis, qui pars magna est *Vndulationis* in Aquis.

24. De *Conflictu*, & Concursu Ventorum, flantium ad idem tempus, diligenter inquirito. Primo utrum flent simul plures *Venti Originales*, non dicimus Reverberantes? Et, si hoc ita sit, quales *Euripos* in Motu, quales rursus *Condensationes*, & *Alterationes* in Corpore Aëris, gignant?

25. An *Venti* alii eodem tempore flent superius, alii hic apud nos in imo? quandoquidem observatum est à nonnullis, interdum nubes ferri in contrarium versionis Pinaculi: Etiam nubes ferri forti Aura, cum hic apud nos fuerit summa Tranquillitas.

26. Fiat descriptio diligens admodum, & particularis *Motus Ventorum*, in impulsu *Navium* per vela.

27. Fiat Descriptio *Motus Ventorum* in velis *Molendinorum*, ad *Ventum*; in volatu Accipitrum & Avium, etiam in vulgaribus, & ludicris, veluti Signorum explicatorum, Draconum volantium, Duellorum ad ventum, &c.

A Motibus Ventorum transeat Inquisitio ad vim, & Potestates ipsorum.

POTESTATES VENTORUM.

28. Quid possint, & agant *Venti*, circa *Currentes*, & Æstus Aquarum, & circa Detentiones, Immissiones & Inundationes ipsarum?

29. Quid circa *Plantas*, & *Insecta*, inducendo Locustas, Erucas, malos Rores?

30. Quid circa *Purgationem*, & *Infectionem* Aëris, & circa *Pestilentias*, morbos, & affectus Animalium?

31. Quid circa *delationem specierum* (quas vocant) *spiritualium*, ut *Sonorum*, *Radiorum*, & similium?

A Potestatibus Ventorum, transeat Inquisitio ad Prognostica Ventorum, non solum propter usum Prædictionum, sed quia manu ducunt ad Causas: Prognostica enim, aut præparationes rerum monstrant, antequam perducantur ad Actum; aut Inchoationes, antequam perducantur ad sensum.

PROGNOSTICÆ VENTORUM.

32. Colligantur, cum diligentia bona, *Prognostica* Ventorum omnigena (præter Astrologica, de quibus superius diximus, quatenus sint inquirenda) sive petantur ex *Meteoricis*, sive ex *Aquis*, sive ex *Instinctu Animalium*, aut quovis alio modo.

Postremò Inquisitionem claudito, inquirendo de Imitamentis Ventorum, sive Naturalibus, sive in Artificialibus.

IMITAMENTA VENTORUM

33. Inquirito de *Imitamentis Ventorum*, in *Naturalibus*: qualia sunt *Flatus in Corporibus Animalium*, *Flatus in receptaculis Distillationum.*

Inquirito de Auris factis, & *Ventis Artificialibus*, ut Follibus, Refrigeratoriis in cœnaculis, &c.

Articuli tales sint. Neq; nobis dubium est, quin ad nonnullos horum responderi non possit, secundum copiam Experientiæ, quam habemus. Verum quemadmodum in Causis Civilibus; quid causa postulet, ut interrogetur, noverit Jureconsultus bonus; quid Testes respondere possint, non norit: Idem nobis circa *Historiam Naturæ* accidit. Posteri cætera viderint.

HISTORIA.

Nomina

VENTORUM.

Ad Artic. 1.

NOmina *Ventis*, potius ex ordine, & gradibus, numerata, quam ex Antiquitate propria, imponimus: hoc perspicuitatis, & memoriæ gratia. Sed Vocabula antiqua adjicimus quoq;, propter suffragia Authorum veterum, ex quibus cum haud pauca (licet anxio quodam judicio) excepimus, non agnoscentur ferè illa, nisi sub nominibus, quibus illi usi sunt. Partitio autem generalis ea esto: ut sint Venti *Cardinales*, qui spirant à Cardinibus Mundi; *Semicardinales* qui in dimidiis; *Mediani* qui in intermediis: Etiam ex Intermediis *Mediani Majores* vocentur, qui in quadris, *Minores* reliqui. Particularis autem divisio ea est, quæ sequitur.

Cardin. *Boreas.*
Bor. 1. ad Eurum.
Med. Maj. *Bor. 2. ad Eur. sive Aquilo.*
Bor. 3. ad Eur. sive Meses.
Semicar. *Euroboreas.*
Eurus 1. à Boreâ.
Med. Maj. *Eurus 2. à Boreâ sive Cæcias.*
Eur. 3. à Boreâ.

Cardin. *Eurus, sive Subsolanus.*
Eur. 1. ad Austrum.
Med. Maj. *Eur. 2. ad Aust. sive Vulturnus.*
Eur. 3. ad Aust.
Semicar. *Euro-Auster.*
Auster 1. ab Euro.
Med. Maj. *Aust. 2. ab Euro, sive Phœnicias.*
Aust. 3. ab Euro.
Cardin. *Auster, sive Notus.*
Aust. 1. ad Zephyrum.
Med. Maj. *Aust. 2. ad Zeph. sive Lybonotus.*
Aust. 3. ad Zephyrum.
Semicar. *Zephyro-aust. sive Lybs.*
Zephyr. 1. ab Austro.
Med. Maj. *Zeph. 2. ab Aust. sive Africus.*
Zeph. 3. ab Austro.

Cardin. *Zephyrus, sive Favonius.*
Zeph. 1. ad Boream.

Med.

Med.Maj. *Zeph. 2. ad Bor. sive Corus.*
Zeph. 3. ad Boream.
Semicar. *Zephyro-boreas.*
Boreas.1.à Zephyro; sive Thrascias.
Med.Maj. *Bor. 2. à Zeph. sive Circias.*
Boreas 3. à Zephyro.

Sunt & alia *Ventorum* nomina, *Apeliotes*, *Argestes*, *Olympias*, *Scyron*, *Hellespontius*, *Iapyx*. Ea nil moramur. Satis sit Nomina *Ventorum* ex ordine, & distributione plagarum cœli, fixa imposuisse. In Interpretatione Authorum non multum ponimus, cum in ipsis Authoribus parum sit.

VENTI LIBERI.

Ad Artic.6.

1. NOn est plaga cœli, unde *Ventus* non spiret: Quin si plagas cœli, in tot partes dividas, quot sunt gradus in *Horizonte*, invenias *Ventos* aliquando alicubi à singulis flantes.

2. Sunt Regiones totæ, in quibus non pluit, aut raro admodum: At non sunt Regiones, ubi non flent *Venti*, & sæpius.

VENTI GENERALES.

Ad Artic. 2.

DE *Ventis Generalibus* Phænomena rara. Nil mirum, cum intra *Tropicos* præcipue perspiciantur loca damnata, apud Antiquos.

Constat navigantibus inter *Tropicos*, libero æquore, flare *Ventum* Constantem, & jugem (*Brizam* vocant Nautæ) ab Oriente in Occidentem. Is non ita segnis est, quin partim flatu proprio, partim regendo Currentem Maris, id efficiat, ut nequeant Navigantes versus *Peruviam*, eadem redire, qua proficiscuntur, via.

2. In nostris Maribus *Europæ* percipitur cœlo sereno, & sudo, & cessantibus *Ventis* particularibus, Aura quædam lenis ab Oriente, solisequa.

3. Recipit observatio vulgaris, nubes sublimiores ferri plerunq; ab Oriente in Occidentem, idq; cum iisdem temporibus circa terram aut tranquillitas sit, aut *Ventus* diversus. Id si non semper faciant, poterit in causa esse, quod *Venti* particulares quandoq; flant in sublimi, qui *Ventum* istum Generalem obruunt.

MONITUM. *Si quis sit talis* Ventus Generalis, *ex ordine Motus cœli, is non adeo firmus est, quin* Ventis Particularibus *cedat. Manifestior autem est intra* Tropicos, *propter Circulos, quos conficit, majores; Etiam in sublimi, propter eandem causam, & propter cursum liberum. Quamobrem, si hic extra* Tropicos, *& juxta terram, (ubi mollis admodum, & segnis est) eum deprehendere voles. Fiat* Experimentum *in Aëre libero, & in summâ tranquillitate, & in locis altis; & in corpore valdè mobili, & tempore pomeridiano, quia per id Tempus*, Ventus *Orientalis particularis, parcius flat.*

MANDATUM. *Fiat diligens observatio, circa Pinnacula, & ejusmodi flabella, in fastigiis turrium & templorum, An non in maximis tranquillitatibus, flent perpetuò versus Occidentem.*

PHAENOMENON OBLIQUUM.

4. *Constat* Eurum, *in* Europâ *nostrâ, esse* Ventum *deficcantem & acrem*, Zephyrum *contra humectantem & almum. Annon hoc sit, quia (posito quod Aër moveat ab Oriente in Occidentem) necesse est, ut* Eurus *qui moveat in eâdem Consecutione, Aërem dissipet, & attenuet, unde fit Aër mordax, & siccus*, Zephyrus *autem, qui in contrariâ, Aërem in se vertat, & condenset, unde fit obtusior, & demum humidus?*

PHAENOMENON OBLIQUUM.

5. *Consulito Inquisitionem de Motu, & fluxu Aquarum, utrum illæ moveant ab Oriente ad Occidentem. Nam si extrema hoc motu gaudeant, Cœlum & Aqua; parùm abest, quin Aër, qui intermedius est, ex eodem participet.*

MONITUM Phænomena *duo, proximè posita*, Obliqua *appellamus, quia rem designatam non rectà monstrant, sed per consequens; id quod (cum deest copia* Phænomenorum rectorum) *etiâ avidè recipimus.*

MANDATUM. *Quod* Briza *illa, inter* Tropicos *luculenter spiret, res certa, Causa ambigua. Possit ea esse, quia Aër, more cœli movetur; Sed extra* Tropicos, *quasi imperceptibiliter, propter circulos minores; intra manifesto, propter Circulos majores, quos conficit. Possit alia esse, quia calor omnem Aërem dilatat, nec se priore loco contineri patitur. Ex dilatatione autem Aëris necessario fit impulsio Aëris contigui, quæ* Brizam *istam pariat prout progreditur Sol. Sed illa intra* Tropicos, *ubi Sol est ardentior, insignior est; extra, ferè latet. Videtur esse* Instantia Crucis, *ad ambiguitatem istam tollendam, si inquiratur, utrum* Briza *noctu flet annon? Rotatio enim Aëris etiam noctu manet, at calor* Solis *non item.*

6. At certum est illam noctu non flare, sed manè, aut etiam aurorâ adulta. Nihilominus non determinat illa *Instantia* quæstionem. Nam condensatio Aëris nocturna, præsertim in illis Regionibus, ubi nox & dies non magis pares sunt spatiis, quam differentes calore & frigore, possit Motum illum naturalem Aëris (qui lenis est) hebetare, & confundere.

7. Si Aër participet ex Motu cœli, sequitur non tantum, quod *Eurus* cum motu Aëris concurrat, *Zephyrus* concertet; verum etiam, quod *Boreas* tanquam ab alto spiret, *Auster* tanquam ab imo, in hemisphærio nostro, ubi *Polus Antarcticus* sub terra est, *Arcticus* elevatur; idq; etiam ab antiquis notatum est, sed titubanter & obscure; optime autem convenit cum experientia moderna, quia *Briza* (quæ possit esse Motus Aëris) non est *Eurus* integer, sed *Euro-Aquilo.*

VENTI STATI.

Ad Artic.3.

CONNEXIO.

UT *in Inquisitione, de* Ventis Generalibus, *homines* Scototomiam *passi sunt; Ita in illâ, de* Ventis Statis, vertiginem. *De illa silent, de hac sursùm, & deorsum, sermones faciunt inconditos. Ignoscendum hoc magis, quod varia res est; quia* Stati Venti *cum locis permutantur, ut non iidem in* Ægypto, Græciâ, Italiâ, *spirent.*

1. Esse alicubi *Statos Ventos*, etiam Nomen impositum declarat; ut & Nomen alterum *Etesiarum*, quod *Anniversarios* sonat.

2. Apud Antiquos, inter causas Inundationis *Nili*, ascripta est; quòd eo Anni tempore, *Venti Etesia* (*Aquilones* scilicet) flarent, qui cursum fluvii in Mare inhibebant, & retrorsum volvebant.

3. Inveniuntur in Mari Currentes, qui nec naturali motui Oceani, nec decursui ex locis magis elevatis, nec Angustiis ex litoribus adversis, aut Promontoriis excurrentibus attribui possint; sed planè reguntur *à Ventis Statis.*

4. *Columbum* qui nolunt à relatione *Naucleri Hispani*, & levius putant, ab obscuris Antiquitatis vestigiis, & auris, tam certam, & fixam, de *Indiis Occidentalibus*, opinionem concepisse, huc se convertunt, quòd à *Statis Ventis*, ad litora *Lusitaniæ*, conjecerit, *Continentem* esse à parte Occidentis: Res dubia, nec admodum probabilis, cùm *Ventorum* Itineratium, ad tam longos tractus vix attingat: Magnus interim honos huic Inquisitioni, si uni Axiomati, aut Observationi, ex iis quas multas complectitur, Inventio Novi orbis debetur.

5. Ubicunq; siti sunt Montes alti & nivales, ab ea parte flant *Venti Stati*, ad tempus, quo nives solvuntur.

6. Arbitror & à paludibus magnis, quæ aquis cooperiuntur hyeme, spirare *Ventos Statos*, sub tempora, quibus à calore Solis siccari cœperint; sed de hoc mihi compertum non est.

7. Ubicunque generationes vaporum fiunt in abundantia, idq; certis temporibus; ibi scias *Ventos Statos* iisdem temporibus orituros.

8. Si *Venti Stati* flent alicubi, nec causa eorum reperiatur in propinquo; scias *Ventos* hujusmodi *statos* peregrinos esse, & à longe venire.

9. Notatum est, *Ventos Statos* noctu non flare, sed tertia, ab ortu Solis, hora, insurgere: sunt certe hujusmodi *Venti*, veluti ex longo itinere defessi, ut condensationem aëris nocturnam vix perfringant, at post exortum Solis excitati, paulisper procedant.

10. Omnes *Stati Venti* (præterquam ex locis propinquis) imbecilli sunt, & *Ventis* subitis se submittunt.

11. Sunt complures *Venti Stati*, quos nos non percipimus, aut observamus, propter infirmitatem ipsorum, unde à ventis liberis obruuntur; Ideo vix notantur hyeme, cum *Venti* liberi vagantur magis; sed potius versus æstatem, cum *Venti* illi Erratici magis deficiunt.

12. In partibus *Europæ*, ex *Ventis Statis*, hi potissimi sunt. *Aquilones* à Solstitio: sunt q; exortus *Caniculæ*, tum prodromi, tum sequaces: *Zephyri*, ab Æquinoctio Autumnali, *Euri* à verno: Nam de Brumali Solstitio minus curandum, propter hyemis varietates.

13. *Venti Ornithij*, sive *Aviarij*, qui nomen traxerunt, quod Aves à regionibus gelidis transmarinis, regionibus apricis immittant, nihil pertinent ad *Ventos Statos*; quia illi tempore sæpius fallunt: Aves autem eorum Commoditatem, sive citius, sive tardius flent, expectant; etiam non raro postquam flare paululum incœperint, & se subinde verterint, destituuntur Aves, & merguntur in pelago, aliquando in naves decidunt.

14. Præcisus reditus *Ventorum* ad diem & horam, instar Æstus Maris, non invenitur. Designant quandoq; Authores nonnulli diem; sed potius ex conjectura, quam ex observatione constante.

VENTI ASSECLÆ.

Ad Artic. 4. & 5.

CONNEXIO.

VEntorum Asseclarum *vocabulum nostrum est, quod imponere visum est, ne aut pereat observatio circa ipsos, aut confundatur. Sensus talis est. Divide, si placet, annum in tres, quatuor, quinq; partes, in aliqua Regione. Quod si* Ventus *aliquis ibi flet, duas, tres, quatuor portiones ex ipsis*; Ventus *contrarius, unam; illum* Ventum, *qui frequentius flat, ejus regionis* Asseclam *nominamus. Sic de temporibus.*

1. *Auster* & *Boreas Asseclæ* Mundi sunt; Frequentius enim per universum spirant illi, cum suis Sectionibus, quam *Eurus*, & *Zephyrus* cum suis.

2. Omnes *Venti Liberi* (non *Stati*) magis Asseclæ hyemis sunt, quam Æstatis, maxime autem Autumni & Veris.

3. Omnes *Venti* Liberi, potius Asseclæ sunt regionum extra Tropicos, atq; etiam Circulos polares, quam intra; In regionibus enim torridis, & conglaciatis, plerunque parcius spirant, in mediis frequentius.

4. Etiam omnes *Venti* Liberi, præsertim fortiores ex ipsis, flant sæpius, & intensius, Mane & Vesperi, quam Meridie & Noctu.

5. *Venti* Liberi in regionibus fistulosis & cavernosis, frequentius spirant, quam in firmis, & solidis.

MANDATUM. *Cessavit ferè humana diligentia in observatione* Ventorum Asseclarum, *in regionibus particularibus, quod tamen fieri debuit, & ad multa utilis foret. Memini me à Mercatore quodam, prudenti viro, qui ad* Terram Piscationis, *coloniam duxerat, ibiq; hyemarat, causam quæsivisse, cur regio illa tam impense frigida haberetur, cùm clima satis benigum esset. Respondit, rem esse fama aliquanto minorem, causam autem duplicem. Unam, quod moles glaciales, a Currenti maris Scythici, juxta ea litora deveherentur. Alteram (quam longe potiorem duxit) quod longè pluribus Anni partibus spiraret apud eos* Zephyrus, *quam* Eurus; *quod etiam facit apud nos (inquit,) sed apud illos à Continenti, & gelidus; apud nos à Mari, & tepidus. Quod si (addidit) tam frequenter & diu spiraret in* Angliâ Eurus, *quam apud eos* Zephyris, *longè forent intensiora frigora apud nos, & paria illis, quæ ibi fiunt.*

6. *Zephyri* sunt *Asseclæ* horarum pomeridianarum: Declinante enim Sole frequentiùs spirant *Venti* ab Occidente, ab Oriente rarius.

7. *Auster* noctis Assecla est; nam noctu & sæpiùs oritur, & flat vehementius. *Boreas* autem interdiu.

8. *Asseclarum* verò Maris, & Continentis, multæ & magnæ sunt differentiæ. Ea præcipuè, quæ *Columbo* ansam præbuit inveniendi Novi Orbis: Quod *Venti* marini *Stati* non sunt, terrestres autem maximè. Cum enim abundet vaporibus mare, qui ubiq; ferè indifferenter adsunt, ubiq; etiam generantur Venti, & magnâ inconstantia huc illuc feruntur, cùm certas origines, & fontes non habeant. At terra ad Materiam *Ventorum* valdè inæqualiter se habet; cum alia loca ad *Ventos* pariendos, & augendos magis efficacia sint; alia magis destituta. Itaque flant ferè à parte fomitum suorum, & inde directionem sortiuntur.

9. Non satis constat sibi *Acosta*. Ait ad *Peruviam*, & maritima *Maris Australis*, ferè per totum Annum, spirare *Austros*. Idem alibi ait, ad eas oras, spirare potissimum *Ventos* Marinos. At *Auster* illis terrestris est, ut & *Boreas*, & *Eurus*, tantumque *Zephyrus* est illis marinus. Sumendum quod certius ponit, hoc est, *Austrum* esse *Ventum Asseclam*, & familiarem earum regionum; nisi fortè ex nomine *Maris Australis*, vel phantasiam, vel modum loquendi corrupit, intelligens *Zephyrum* per *Austrum*, quod à Mari Australi spiret. At Mare, quod vocant, *Australe*, propriè *Australe* non est, sed tanquam

tanquam Oceanus secundus Occidentalis; quando simili, cum *Atlantico*, situ exporrigatur.

10. Marini *Venti* sunt proculdubio terrestribus humidiores, sed tamen puriores, quiq; faciliùs, & æqualiùs, cum Aëre puro incorporentur. Terrestres enim malè coagmentati, & fumei. Neque opponat quispiam, eos debere esse, propter salsuginem Maris, crassiores. Natura enim terrestris salis, non surgit in vaporibus.

11. Tepidi, vel gelidi sunt *Venti* marini, pro ratione qualitatum duarum prædictarum, humiditatis, & puritatis. Humiditate enim frigora mitigant, (siccitas siquidem utrumque, & calorem, & frigus, intendit:) at puritate refrigerant. Itaq; extra Tropicos, tepidi; intra, gelidi.

12. Arbitror ubiq; *Ventos* marinos, Asseclas esse regionum (præsertim maritimarum) singularum; frequentius scilicet spirare *ventos*, à parte, ubi collocatur mare; propter copiam longè uberiorem Materiæ, ad *ventos* in mari, quam in Terrâ: nisi forte sit aliquis *ventus* status, spirans à terra, ex causa peculiari. Nemo autem confundat *ventos* statos, cum *ventis* Asseclis, cum Asseclæ semper frequentiores sint; stati, sæpiùs rariores. Id tamen utrisq; commune est, quod *venti* spirent à parte fomitum suorum.

13. Vehementiores plerumq; sunt *venti* marini, quàm terrestres, ita tamen, ut cum cessent, major sit Malacia in medio Mari, quam ad littora; adeo ut Nautæ quandoq; ament, potius littorum obliquitates premere, quàm urgere altum; ad evitandas Malacias.

14. Spirant à Mari ad littora *Venti Tropici*, sive versarii, qui scilicet, postquam paulisper progressi sunt, subitò vertuntur. Omnino est quædam refractio inter Auras maris, & Auras terræ, & inæqualitas. Omnis autem inæqualitas Aëris, est inchoatio quædam *Venti*. Maximè autem fiunt *Tropici*, & *Euripi Ventorum*, ubi mare sinuat.

15. Spirant quædam Auræ plerumq; circa omnes Aquas majores; potissimùm autem sentiuntur manè; at magis circa fluvios, quàm in mari, propter differentiam auræ Terræ, & auræ Aquæ.

16. In locis proximis juxta mare, flectunt ferè se arbores, & incurvant, quasi aversantes auras maris. Neque tamen malicia est; sed *Venti* maritimi, ob humiditatem, & densitatem, sunt tanquam ponderosiores.

Qualitates & Potestates Ventorum.

Ad Artic. 7. 28. 29. 30. 31.

CONNEXIO.

Circa Qualitates & Potestates Ventorum, *observatum est ab hominibus, non diligenter, & variè: Nos certiora excerpimus; reliqua, ut levia, ipsis* Ventis *permittemus.*

1. *Auster* Pluviosus, *Boreas* Serenus apud nos sunt: Alter nubes congregat, & fovet; Alter dissipat, & discutit. Itaque *Poëtæ*, cùm narrant de *Diluvio*, fingunt, eo tempore, *Boream* in carcere conclusum; *Austrum* cum Amplissimis mandatis emissum.

2. *Zephyrus* apud nos pro *Aureæ Ætatis Vento* habitus est, qui comes esset perpetui veris, & mulceret flores.

3. *Paracelsi* Schola, cùm tribus suis principiis, etiam in *Templo Junonis* (Aëre scilicet) locum quæreret, tres collocarunt; *Euro* locum non repererunt.

Tincturis liquidum qui Mercurialibus *Austrum,*
Divitis & Zephyri rorantes Sulphure *venas,*
Et Boream tristi rigidum sale.

4. At nobis, in *Britannia*, *Eurus* pro Maleficio habetur, ut in proverbio sit, *Eurum*, neque homini, neq; bestiæ, propitium esse.

5. *Auster* à præsentia Solis; *Boreas* ab absentia spirat, in hemisphærio nostro: *Eurus* in Consecutione Motûs Aëris, *Zephyrus* à Mari, *Eurus* à Continente: plerumque in *Europa*, & *Asia* Occidentali. Hæ sunt differentiæ *Ventorum*, maximè radicales, unde plurimæ ex qualitatibus, & potestatibus *Ventorum*, revera pendent.

6. *Auster* minùs Anniversarius est, & status, quàm *Boreas*, sed magis vagus, & liber; & quando est status, tam lenis est, ut vix percipiatur.

7. *Auster* magis humilis est, & lateralis, *Boreas* celsior, & spirans ex alto; neq; hoc de Elevatione, & depressione polari dicimus, de qua supra, sed quod origines suas habeat plerumq; magis in vicino *Auster*, magis in sublimi *Boreas*.

8. *Auster* nobis pluviosus (ut jam dictum est) *Africæ* vero serenus, sed magnos immittens fervores, non frigidus, ut alii dixerunt. Est tamen *Africæ* satis salubris; At nobis, si flaverit paulò diutiùs in sudo, absque pluvia *Auster*, valdè pestilens est.

9. *Auster* & *Zephyrus* non generant vapores, sed spirant à partibus, ubi maxima est copia ipsorum, propter auctum calorem Solis, qui vapores elicit, ideoque sunt pluviosi. Quod si spiraverint à locis siccioribus, & jejunis à vaporibus, sunt sereni; sed tamen aliquando puri, aliquando æstuosi.

10. Videntur hic apud nos *Auster* & *Zephyrus* fœderati, suntque tepidi & humidi: at ex altera parte Affines sunt *Boreas* & *Eurus*, suntq; frigidi, & sicci.

11. *Auster* & *Boreas* (quod & anteà attigimus) frequentiùs spirant, quàm *Eurus*, & *Zephyrus*; quia magna est inæqualitas vaporum, ex illis partibus, propter absentiam, & præsentiam Solis; At Orienti, & Occidenti, Sol tanquam adiaphorus est.

12. *Auster* saluberrimus marinus, à continente magis morbidus; contra *Boreas* à mari suspectus, à terra sanus; Etiam frugibus & stirpibus *Auster* marinus valdè benignus, fugans rubigines, & alias pernicies.

13. *Auster* lenior non admodùm cogit nubes, sed sæpè serenus est, præsertim si sit brevior; Sed flans commotiùs, aut diutiùs, facit cœlum nubilum, & inducit pluviam: sed potius cùm desinat, aut flaccessere incipiat, quam à principio, aut in ipso vigore.

14. Cum *Auster* aut oritur, aut desistit, fiunt ferè Mutationes tempestatum, à sereno ad nubilum, aut à calido ad frigidum, & è contrà; *Boreas* sæpe, & oritur, & desinit, priore tempestate manente, & continuata.

15. Post pruinas, atque etiam Nives paulò diuturniores, non alius ferè *Ventus*, quàm *Auster* spirat, tanquam facta concoctione frigorum, quæ tum demum solvuntur, neque propterea semper

sequitur pluvia, sed fit hoc etiam in regelationibus serenis.

16. *Auster*, & frequentius oritur, & fortius spirat, noctu, quam interdiu, præsertim noctibus hybernis. At *Boreas*, si noctu oriatur (quod contra suam consuetudinem est) non ultra triduum fere durat.

17. *Austro* flante, majores volvuntur fluctus, quam *Borea*, etiam quando pari, aut minore impetu, spirat.

18. Spirante *Austro*, fit Mare cœruleum, & magis lucidum, *Borea* contra atrius, & obscurius.

19. Cum Aër subitò fit tepidior, denotat interdum pluviam: rursus alias, cùm Aura subito fit gelidior, pluviam præmonstrat. Sequitur vero hoc naturam *Ventorum*: nam si flante *Austro* & *Euro* intepescit Aër, pluvia in propinquo est, itidemque cum flante *Septentrione*, aut *Zephyro*, refrigescit.

20. *Auster* flat plerumq; integer & solitarius. At *Boreà*, & præcipue *Cæciâ*, & *Coro* flantibus, sæpe contrarii, & alii diversi *Venti*, simul spirant; unde refringuntur, & turbantur.

21. *Boreas* sementi faciendæ, *Auster* Insitionibus, & Inoculationibus, cavendus.

22. A parte *Austri*, folia ex arboribus, citius decidunt. At palmites vitium, ab ea parte erumpunt, & eò fere spectant.

23. In latis pascuis, videndum est pastoribus (ut ait *Plinius*) ut greges ovium, ad *Septentrionale* latus adducant, ut contra *Austrum* pascant. Nam si contra *Boream*, claudicant, & lippiunt, & alvo moventur: Quin etiam *Boreas* coitum illis debilitat, adeò ut si in hunc *Ventum* spectantes coëant oves, fœmellæ ut plurimum gignantur: Sed in hoc *Plinius* (ut pote transcriptor) sibi non constat.

24. *Venti* tribus temporibus, frumento & segetibus nocent: in flore aperiente, & defloresente, & sub maturitatem: tum enim exinaniunt aristas dejectis granis, at prioribus duobus temporibus, florem, aut in calamo constringunt, aut decutiunt.

25. Flante *Austro* anhelitus hominum magis fœtet, Appetitus animalium dejicitur magis, morbi pestilentes grassantur, gravedines incumbunt, homines magis pigri sunt, & hebetes: At flante *Borea*, magis alacres, sani, avidiores cibi. Phthisicis tamen nocet *Boreas*, & tussiculosis, & podagricis, & omni fluxui acuto.

26. *Eurus* siccus, mordax, mortificans; *Zephyrus* humidus, clemens, almus.

27. *Eurus* spirans vere adulto, calamitas fructuum, inducendo erucas & vermes, ut vix foliis parcatur; nec æquus admodum segetibus: *Zephyrus* contra, herbis, floribus, & omni vegetabili, maxime propitius, & amicus. At *Eurus* quoq; circa æquinoctium autumnale, satis gratiosus.

28. *Venti* ab Occidente spirantes, sunt vehementiores, quam illi ab Oriente, & magis curvant, & contorquent arbores.

29. Tempestas pluviosa quæ incipit spirante *Euro*, longius durat, quam quæ spirante *Zephyro*, & fere ad diem integrum extenditur.

30. *Eurus* ipse, & *Boreas*, postquam inceperint flare, constantius flant: Auster, & Zephyrus, magis mutabiles.

31. Flante *Euro* visibilia omnia majora apparent. At flante *Zephyro* Audibilia. Etiam longius deferuntur Soni.

32. *Cœciam nubes ad se trahere*, apud *Græcos* in proverbium transiit, comparando ei Fœneratores, qui pecunias erogando, sorbent: vehemens est *Ventus*, & latus, ut non possit summovere nubes tam cito, quam illæ renitantur, & se vertant; quod fit etiam in majoribus incendiis, quæ contra *Ventum* invalescunt.

33. *Venti Cardinales*, aut etiam *Semicardinales*, non sunt tam procellosi, quàm *Mediani*.

34. *Mediani*, à *Borea* ad *Euro-boream*, magis sereni: ab *Euro-borea* ad *Eurum*, magis procellosi. Similiter ab *Euro* ad *Euro-austrum* magis sereni, ab *Euro-austro* ad *Austrum*, magis procellosi. Similiter, ab *Austro*, ad *Zephyro-austrum*, magis sereni, à *Zephyro-austro* ad *Zephyrum*, magis procellosi. Similiter, à *Zephyro* ad *Zephyro-boream*, magis sereni, à *Zephyro-borea* ad *Boream*, magis procellosi: Ita ut progrediendo secundum ordinem cœli, semper *Mediani* prioris Semicardinis, disponantur ad Serenitatem; posteriotis, ad Tempestates.

35. Tonitrua, & fulgura, & Ecnephiæ fiunt, spirantibus *Ventis* frigidis, quique participant ex *Borea*, quales sunt *Corus*, *Thrascias*, *Circias*, *Meses*, *Cœcias*: Ideoque fulgura sæpius comitatur grando.

36. Etiam Nivales *Venti* à *Septentrione* veniunt, sed ab iis *Medianis*, qui non sunt procellosi, veluti *Corus*, & *Meses*.

37. Omnino *Venti* quinque modis naturas suas & proprietates nanciscuntur. Vel ab absentia aut præsentia Solis: vel à consensu & dissensu cum naturali motu Aëris: vel à diversitate Materiæ tumitum suorum à quibus generantur; Maris, Nivis, Paludum, &c. vel à tinctura regionum per quas pertranseunt: vel ab originibus localibus suis, in alto, sub terra, in medio: quæ omnia sequentes articuli melius explanabunt.

38. *Venti* omnes habent potestatem desiccandi, etiam magis quam ipse Sol, quia sol vapores elicit; sed nisi admodum fervens fuerit, non dissipat; at *Ventus* eos & elicit, & abducit: Attamen *Auster* minime omnium hoc facit; quin etiam saxa, & trabes sudant, magis flante nonnihil *Austro*, quam in tranquillo.

39. Martii magis longe desiccant, quàm æstivi: adeo ut Artifices Instrumentorum Musicorum Martios expectent, ad Materiam Instrumentorum suorum desiccandam, eamque reddendam porosam, & sonoram.

40. *Venti* omnis generis purgant Aërem, eumq; à putredine vindicant, ut Anni in quibus *venti* frequentius spirent, sint maxime salubres.

41. Sol Principum fortunam subit; quibuscum ita sæpè agitur, ut præsides in Provinciis remotis, magis obnoxios habeant subditos, & quibus obsequia præstentur magis, quam principi ipsi. Certe *Venti* qui potestatem, & originem habent à Sole, æque, aut plus gubernant temperaturas regionum, & affectus Aëris, quàm ipse Sol, in tantum, ut *Peruvia* (quæ propter propinquitatem Oceani, vastitatem Amnium, & altissimos, & maximos montes nivales, maximã habet copiam *Ventorum*, & aura-

& aurarum spirantium) cum *Europâ*, & de temperamento, & clementia Aëris certet.

42. Nil mirum si *Ventorum* tantus sit impetus, quantus invenitur, quandoquidem *Venti* vehementes, sint tanquam Inundationes, atq; Torrentes, & Fluctus magni Aëris. Neque tamen, si attentiùs advertas, magnum quiddam est eorum potententia. Possunt dejicere arbores, quæ cacuminum onere, tanquam velis expansis iisdem commoditatem præbent, & se ipsæ onerant; possunt etiam Ædificia infirmiora; sed structuras solidiores, nisi fiant cum terræ motibus, non subvertunt. Nives quandoque tanquam integras dejiciunt ex Montibus, ut planitiem subjacentem fere sepeliant, quod accidit *Solymanno* in campis *Sultaniæ*: Etiam magnas quandoque immittunt Inundationes aquarum.

43. Amnes quandoq; tanquam in sicco ponunt *Venti*, & fundos ipsorum discooperiunt: Si enim post magnam siccitatem, *Ventus* robustus in consecutione fili aquæ, pluribus diebus spirarit, ita ut aquas amnis, tanquam everrendo, devexerit in mare, Aquas marinas prohibuerit, fit Siccatio Amnis in multis locis insolitis.

MONITUM. *Verte* Polos, *& verte simul Observationes, quatenus ad* Austrum *&* Boream. *Cum enim Absentia, & Præsentia Solis in causa sit, variat pro ratione polorum. At illud, constans res esse possit, quod plus sit Maris versus* Austrum, *plus sit Terræ versus* Boream, *quod etiam ad* Ventos *non parum facit.*

MONITUM. *Mille modis fiunt* Venti, *ut ex Inquisitione sequenti patebit: Itaq; in re tam varia, figere observationes, haud facile est. Attamen quæ a nobis posita sunt, pro certo plerumq; obtinent.*

Origines locales Ventorum.

Ad Artic. 8.

CONNEXIO.

VEntorum Origines locales *nosse, ardua est Inquisitionis, cum illud* Unde, *&* Quo *Ventorum, ut res abdita, etiam in* Scripturis *notata sit. Neq; loquimur jam de Fontibus* Ventorum *particularium, (de quibus postea) sed de Matricibus* Ventorum *in genere. Alij ex alto eas petunt, Alij in profundo rimantur; in medio autem, ubi ut plurimum generantur, vix eas quærunt; ut est mos hominum, quæ ante pedes posita sunt, præterire, & obscuriora malle. Illud liquet,* Ventos *aut Indigenas, aut Advenas esse; sunt enim* Venti *tanquam* Mercatores Vaporum, *eosque in nubes collectos, & important in regiones, & exportant, unde iterum* Venti, *tanquam per permutationem. Sed inquiramus jam de Nativis. Qui enim aliunde Advenæ, alibi Nativi. Tres igitur* Origines locales: *Aut expirant & scaturiunt è terra; aut dejiciuntur ex sublimi; aut conflantur hic in Corpore Aëris. Qui autem dejiciuntur ex alto, duplicis generationis: Aut enim dejiciuntur, antequam formentur in nubes, aut postea ex nubibus rarefactis, & dissipatis. Videamus quæ sit harum rerum* historia.

1. Finxerunt *Poëtæ*, *Regnum Æoli*, in Antris & Cavernis, sub terram fuisse collocatum, ubi *Carcer* esset *Ventorum*, qui subinde emittebantur.

2. Etiam *Theologos* quosdam, eosdemq; *Philosophos*, movent *Scripturæ* verba: *Qui producit Ventos de thesauris suis*; tanquam *Venti* prodirent ex locis thesaurariis, subterraneis scilicet, ubi sunt Mineræ: sed hoc nihil est. Nam loquitur etiam *Scriptura*, de Thesauris Nivis, & grandinis, quas in sublimi generari, nemo dubitat.

3. In subterraneis proculdubio magna existit Aëris Copia, eamque & expirare sensim verisimile, & emitti confertim aliquando, urgentibus causis, necesse est.

PHAENOMENON OBLIQUUM. *In magnis siccitatibus, & media æstate, cum magis rimosa sit terra, solet erumpere in locis aridis, & arenosis, magna vis aquarũ. Quod si faciant Aquæ (Corpus crassum) raro; Aërem (Corpus tenue, & subtile) hoc frequenter facere, probabile est.*

4. Si expirat Aër è terra, sensim & sparsim; parum percipitur primo; sed postquam Aëris illius emanationes multæ minutæ confluxerint, tum fit *Ventus*; ut ex scaturiginibus Aquarum Rivus: Hoc vero ita fieri videtur; quoniam notatum est ab Antiquis. *Ventos* complures in ortu suo, & in locis à quibus oriuntur, primo spirare exiguos, deinde in progressu invalescere prorsus, more Fluviorum.

5. Inveniuntur quædam loca in Mari, ac etiam lacus, qui nullis flantibus ventis, majorem in modum tumescunt, ut hoc à subterraneo flatu fieri appareat.

6. Magna vis requiritur spiritus subterranei, ut Terra concutiatur, aut scindatur: levior, ut Aqua sublevetur. Itaque tremores terræ rari; rumores & sublevationes Aquarum, frequentiores.

7. Etiam ubiq; notatum est, nonnihil attolli, & tumescere Aquas, ante tempestates.

8. Spiritus subterraneus exilis, qui sparsim efflatur, non percipitur super terram, donec coiërit in *Ventum*, ob porositatem terræ; sed exiens subter aquas, ob continuitatem aquæ, statim percipitur ex tumore nonnullo.

9. *Asseclas* esse *Ventos*, terrarum cavernosarum, antea posuimus; ut prorsus videantur Venti illi habere *origines* suas *locales* è terra.

10. In montibus magnis & saxeis, inveniuntur *Venti*, & citius spirare, (antequam scilicet percipiantur in vallibus,) & frequentius, (cum scilicet valles sint in tranquillo:) At omnes Montes, & Rupes cavernosi sunt.

11. In Comitatu *Denbigh* in *Britannia*, montosa regione & lapidosa, ex cavernis quibusdam, tam vehementes (ait *Gilbertus*) sunt *Ventorum* eruptiones, ut injecta vestimenta, pannique, rursus magna vi efflentur, & altius in Aërem efferantur.

12. In *Aber Barry* juxta *Sabrinam* in *VVallia*, in quodam clivo saxoso, in quo sunt foramina, si quis aurem opposuerit, Sonitus varios, & murmur flatuum sub terra exaudiet.

PHÆNOMENON OBLIQUUM. *Notavit* Acosta, *oppida* Platæ *&* Potosæ, *in* Peruvia, *non longè esse distantia, & utrumq; situm esse, in terra elevata, aut montana, ut in hoc non differant; & nihilominus habere* Potosam *temperaturam aëris frigidam, & hyemalem*; Platam *clementem, & vernam*; *id quod videtur Argenti fodinis, juxta* Potosam, *attribui posse; quod demonstrat esse spiracula terræ, quatenus ad calidum, & frigidum.*

13. Si terra sit primum frigidum, ut voluit *Parmenides*, (non contemnenda usus sententia, cum

frigus, & densitas, arcto copulentur vinculo) non minus probabile est, ejici halitus calidiores, à frigore centrali terræ, quam dejici à frigore Aëris sublimioris.

14. Sunt quidam putei in *Dalmatia*, & Regione *Cerequaica*, ut quidam ex Antiquis memorant, in quibus, si dejiciatur lapis, excitantur paulo post tempestates, ac si lapis perfringeret operculum aliquod, in loco, ubi vis *Ventorum* erat incarcerata.

PHÆNOMENON OBLIQUUM. *Flammas evomunt Ætna, & complures Montes; similiter & Aërem erumpere posse consentaneum est, præsertim calore in subterraneis dilatatum, & in motu positum.*

15. In terræ motibus, *Ventos* quosdam noxios, & peregrinos, & ante eruptionem, & postea flare, observatum est: ut fumi quidam minores solent emitti, ante, & post Incendia magna.

MONITUM. *Aër in terrâ conclusus, erumpere ob varias causas compellitur: Quandoque Massa terræ male coagmentata in Cavum terræ decidit: quandoque Aquæ se ingurgitant: quandoque expanditur Aër per ignes subterraneos, ut ampliorem locum quærat: quandoque Terra, quæ antea solida erat, & concamerata, per ignes, in cineres versa, se amplius sustinere non potest, sed decidit: & complura id genus.*

Atque de prima *Origine locali Ventorum*, videlicet è subterraneis, hæc inquisita sunt; Sequitur origo secunda, ex sublimi, nempe media, quam appellant, regione Aëris.

MONITUM. *At nemo tam male, quæ dicta sunt, intelligat, quasi negemus, & reliquos* Ventos, *è terra, & mari, per vapores educi; Sed hoc prius genus erat,* Ventorum *qui exeunt è terra jam* Venti *formati.*

16. Increbrescere murmur silvarum, antequam manifesto percipiantur *Venti*, notatum est; ex quo conjicitur *Ventum* à superiore loco descendere; quod etiam observatur in Montibus (ut dictum est) sed causa magis ambigua, propter cava montium.

17. Stellas sagittantes, (ut loquimur,) & vibratas, sequitur *Ventus*; atque etiam ex ea parte, ex qua fit jaculatio; ex quo patet, aërem in alto commotum esse, antequam ille motus perveniat ad nos.

18. Apertio cœli, & disgregatio nubium, præmonstrat *Ventos*, antequam flent in terra; quod itidem ostendit *Ventos* inchoari in alto.

19. Stellæ exiguæ, antequam oriatur *Ventus*, non cernuntur, licet nocte serena; cum scilicet (ut videtur) densetur, & sit minus diaphanus Aër, propter materiam, quæ postea solvitur in *Ventos*.

20. Circuli apparent circa corpus Lunæ; Sol quandoque Occidens conspicitur sanguineus; Luna rubicundior est in ortu quarto; & compluplura alia inveniuntur prognostica Ventorum in sublimi: (de quibus suo loco dicemus) quæ indicant materiam *Ventorum* ibi inchoari, & præparari.

21. In istis Phænomenis, notabis illam, de qua diximus, differentiam, de duplici generatione *Ventorum*, in sublimi; nimirum ante congregationem vaporum in Nubem, & post. Nam prognostica Halonum, & colorum Solis, & Lunæ, habent aliquid ex nube; at Jaculatio illa, & Occultatio stellarum exiguarum, fiunt in sereno.

22. Cum *Ventus* prodit à nube formata, aut totaliter dissipatur nubes, & vertitur in *Ventum*; aut scinditur, & erumpit *Ventus*, ut in procella.

23. Plurima sunt *Phænomena obliqua*, ubique in natura rerum, de repercussione per frigidum; Itaq; cum constet esse in media regione Aëris, frigora valde intensa, planum fit, vapores maxima ex parte, ea loca perfringere non posse, quin aut coagulentur, aut vibrentur; secundum opinionem veterum, in hac parte sanam.

Tertia *Origo localis ventorum* est eorum, qui hîc in inferiore Aëre generantur, quos etiam tumores sive Super-onerationes Aëris appellamus. Res maxime familiaris; & tamen silentio transmissa.

COMMENTATIO. *Horum* Ventorum, *qui conflantur in aëre infimo, Generatio, abstrusior aliqua res non est; quam hæc ipsa. Quod scilicet Aër noviter factus ex aqua, & vaporibus attenuatis, & resolutis, conjunctus cum aëre priore, non potest contineri iisdem, quibus antea, spatiis: sed exerescit, & volvitur, & ulteriora loca occupat. Hujus tamen rei duo sunt Assumpta. Unum, quod gutta Aquæ in aërem versa (quicquid de* decimâ proportione Elementorum *fabulentur) centuplo ad minus plus spatij desiderat, quam prius; Alterum, quod parum Aëris novi, & moti, super additũ Aëri veteri, totũ concutit, & in Motu ponit; ut videre est ex pusillo Vento, qui ex follibus, aut rima fenestræ efflat, qui tamen totum Aërem in cubiculo in motu ponere possit; ut ex flammis lucernarum facile apparet.*

24. Quemadmodum rores, & nebulæ, hic in aëre infimo generantur, nunquam factæ nubes, nec ad mediam regionem penetrantes; eodem modo, & complures *Venti*.

25. Aura continua spirat circa maria, & aquas, quæ est *Ventus* pusillus, noviter factus.

26. Iris, quæ est ex Meteoris quasi humillima, & generatur in proximo; quando non conspicitur integra, sed curtata, & quasi frusta ejus tantum in cornibus, solvitur in *Ventos*; æque ac in pluviam, & magis.

27. Notatum est, esse quosdam *Ventos* in regionibus, quæ disterminantur, & separantur per Montes intermedios; qui ex altera parte Montium spirant familiares, ad alteram non perveniunt; ex quo manifestum, eos generari infra altitudinem ipsorum Montium.

28. Infiniti sunt *Venti*, qui spirant diebus serenis, atq; etiam in Regionibus, ubi nunquam pluit; qui generantur ubi flant, nec unquam erant nubes, aut in mediam regionem ascenderunt.

PHÆNOMENA OBLIQUA. *Quicunque norit, quam facile vapor solvatur in Aërem; & quam ingens sit copia vaporum; & quantum spatium occupet gutta Aquæ versa in Aërem, præ eo quod antea occupabat (ut dictum est) & quam modicum sustineat se comprimi Aër; non dubitabit quin necesse sit, etiam à superficie terræ, usque ad sublimia aëris, ubiq; generari* Ventos. *Neque enim fieri potest, ut magna copia vaporum, cum cœperint expandi, ad mediam Aëris regionem attollantur, absq; Superoneratione Aëris, & tumultu in via.*

Acci-

Accidentales generationes Ventorum.

Ad Artic. 9.

CONNEXIO.

ACcidentales Generationes Ventorum *eas vocamus, quæ non efficiunt, aut gignunt Motum impulsivum* Ventorum, *sed eum compressione acuunt, repercussione vertunt, sinuatione agitant, & volvunt: quod fit per causas extrinsecas, & posituram Corporum adjunctorum.*

1. In locis, ubi sunt colles minus elevati, & circa hos subsidunt valles, & ultra ipsos, rursus colles altiores, major est agitatio Aëris, & sensus *Ventorum*, quam aut in montanis, aut in planis.

2. In urbibus, si sit aliquis locus paulo latior, & exitus angustiores, aut Angiportus, & Plateæ se invicem secantes; percipiuntur ibi Flatus, & Auræ.

3. In Ædibus refrigeratoria per *Ventos* fiunt, aut occurrunt; ubi Aër est perflatilis, & ex una parte introit Aër, ex adverso exit; Sed multo magis, si Aër intrat ex diversis partibus, & facit concursum auræ ad Angulos, & habet exitum illi Angulo communem: Etiam Concameratio cœnaculorum, & rotunditas plurimum facit ad Auras; quia repercutitur Aer commotus ad omnes lineas; Etiam Sinuatio porticuum magis juvat, quam si exporrigantur in recto; Flatus enim in recto, licet non concludatur, sed liberum habeat exitum, tamen non reddit Aerem, tam inæqualem, & voluminosum, & undantem, quam confluxus ad Angulos, & anfractus, & glomerationes in rotundo & hujusmodi.

4. Post magnas tempestates in Mari, continuatur *Ventus Accidentalis* ad tempus, postquam *Originalis* resederit; factus ex collisione, & percussione Aeris, per undulationem fluctuum.

5. Reperitur vulgo in hortis, repercussio *Venti*, à parietibus, & aggeribus; ita ut putaret quis, *Ventum* in contrariam partem spirare ejus, à qua revera spirat.

6. Si Montes regionem, aliqua ex parte, cingant, & *Ventus*, paulo diutius, ex plano contra montem spiraverit, fit, ut ipsa repercussione montis, aut contrahatur *Ventus* in pluviam, si fuerit humidior; aut vertatur in *Ventum* contrarium, sed qui brevi tempore duret.

7. In flexionibus Promontoriorum experiuntur Naturæ sæpius mutationes *Ventorum*.

Venti extraordinarii & Flatus repentini.

Ad Artic. 10.

CONNEXIO.

DE Ventis extraordinariis *sermocinantur quidam, & causantur*; Ecnephia *sive* procella, Vortice, Typhone, Prestere: *Sed rem non narrant, quæ certe ex chronicis, & historia sparsa, peti debet.*

1. *Repentini flatus* nunquam cœlo sereno fiunt, sed semper nubilo, & cum imbre; ut eruptionem quandam fieri, & flatum excuti, aquas concuti, recte putetur.

2. *Procellæ*, quæ fiunt cum nebula, aut caligine, quas Belluas vocant, quæque se sustinent, instar Columnæ, vehementes admodum sunt, & ditæ navigantibus.

3. *Typhones* majores, qui per latitudinem aliquam notabilem corripiunt, & correpta sorbent in sursum, raro fiunt; at *Vortices*, sive *Turbines* exigui, & quasi ludicri, frequenter.

4. Omnes *Procellæ*, & *Typhones*, & *Turbines* majores, habent manifestum motum præcipitii, aut vibrationis deorsum, magis quam alii Venti; ut torrentum modo ruere videantur, & quasi per canales defluere, & postea à terra reverberari.

5. Fit in pratis, ut cumuli fœni, quandoque in altum ferantur, & tum instar Conopei spargantur; etiam in agris, ut caules pisarum involutæ, & aristæ segetum demessæ, quin etiam lintea ad exsiccandum exposita, attollantur à *Turbinibus*, usque ad altitudinem Arborum, aut supra, fastigia Ædium; hæ eque fiunt, absque aliquo majore *Venti* impetu, aut vehementia.

6. At quandoque fiunt *Turbines* leves, & admodum angusti, etiam in sereno; ita ut Equitans, videat pulveres, vel paleas corripi, & verti prope se, neque tamen ipse magnopere *Ventum* sentiat; quæ proculdubio fiunt hic prope, ex auris contrariis se mutuo repellentibus, & circulationem aeris ex concussione facientibus.

7. Certum est, esse quosdam qui manifesta vestigia relinquunt Adustionis, & Torrefactionis in plantis. At *Presterem*, qui est tanquam fulgur cœcum, atque Aer fervens, sed sine flamma, ad Inquisitionem de Fulgure rejicimus.

Confacientia ad Ventos; Originales scilicet; nam de Accidentalibus, supra inquisitum est.

Ad Artic. 11. 12. 13. 14. 15.

CONNEXIO.

Quæ à veteribus, de Ventis *eorumque causis, dicta sunt, confusa plane sunt, & incerta, nec, maxima ex parte, vera. Neque mirum si non cernant clare, qui non spectant prope. Loquuntur, ac si* Ventus *aliud quippiam esset, separatum ab Aere Moto; atque ac si Exhalationes generarent, & conficerent corpus integrum* Ventorum; *atque ac si Materia* Ventorum *esset Exhalatio tantum calida, & sicca; Atque ac si origo Motus* Ventorum, *esset tantummodo dejectio, & percussio à frigore mediæ regionis; omnia phantastica, & pro Arbitrio. Attamen ex hujusmodi filis, magnas conficiunt telas:* Operas *scilicet* Aranearum. *At omnis Impulsio Aeris, est* Ventus; *Et Exhalationes permistæ Aeri, plus conferunt ad Motum, quam ad Materiam; Et vapores humidi, ex calore proportionato, etiam facilius solvuntur in* Ventum, *quam exhalationes siccæ; & complures* Venti *generantur in Regione infima Aeris, & ex terra expirant, præter illos, qui dejiciuntur, & repercutiuntur. Videamus qualis sit sermo rerum ipsarum.*

1. Rotatio naturalis Aeris (ut dictum est in *Articulo* de *ventis Generalibus*) absque causa alia externa, gignit *ventum* perceptibilem intra tropicos, ubi Aeris conversio fit per Circulos majores.

2. Post Motum Aeris naturalem, antequam

inquiramus de Sole, qui est Genitor *ventorum* præcipuus, videndum, num quid sit tribuendum Lunæ, & aliis Astris, ex experientia clara.

3. Excitantur *venti* magni, & fortes, nonnullis, ante *Eclipsin Lunæ*, horis; ita ut si *Luna* deficiat medio noctis, flent *venti* vesperi præcedente; si *Luna* deficiat mane, flent *venti* medio noctis præcedente.

4. In *Peruvia*, quæ regio est admodum flatilis, notat *Acosta*, maxime flare *ventos* in *Pleniluniis*.

MANDATUM. *Dignum certe esset observatione, quid possint super* Ventos, *Motus & tempora* Lunæ, *cum aliquid possint super Aquas, Veluti, utrum* Venti *non sint paulo commotiores, in* Pleniluniis, *&* Noviluniis, *quam in dimidiis, quemadmodum fit in Æstibus Aquarum: licet enim quidam commode fingant,* Imperium Lunæ *esse super* Aquas; Solis *vero, &* Astrorum, *super* Aërem; *tamen certum est, Aquam & Aërem esse corpora valde homogenea;* & Lunam, *post* Solem, *plurimum hic apud nos posse, in omnibus.*

5. Circa *Conjunctiones Planetarum*, non fugit hominum observationem flare *Ventos* majores.

6. Exortu *Orionis*, surgunt plerumque *venti*, & tempestates variæ: sed videndum, an non hoc fiat, quia exortus ejus sit, eo tempore Anni, quod ad generationem *ventorum* est maxime efficax; ut sit potius Concomitans quiddam, quam Causa; quod etiam de ortu *Hyadum*, & *Pleiadum*, quoad imbres, & *Arcturi*, quoad tempestates, similiter merito dubitari possit. De *Luna*, & *Stellis*, hactenus.

7. *Sol* proculdubio est Efficiens primarius *ventorum* plurimorum, operans per calorem, in Materiam duplicem: Corpus scilicet Aëris, & Vapores, sive Exhalationes.

8. *Sol* cum est potentior, Aërem, licet purum, & absque immistione ulla, dilatat fortasse ad tertiam partem, quæ res haud parva est. Itaque per simplicem dilatationem, necesse est ut oriatur Aura aliqua, in viis *Solis*; præsertim in magnis fervoribus; idque potius duas aut tres horas, post exortum ejus, quam ipso mane.

9. In *Europa*, noctes sunt Æstuosiores; in *Peruvia*, tres horæ Matutinæ; ob unam eandemque causam; videlicet cessationem Aurarum, & *ventorum*, illis horis.

10. In *vitro calendari*, Aër dilatatus deprimit aquam, tanquam flatu. At in *vitro pileato* Aëre tantummodo impleto, Aër dilatatus inflat vesicam, ut *ventus* manifestus.

11. *Experimentum* fecimus in turri rotunda, undique clausa, hujus generis *venti*. Nam foculum in medio ejus locavimus, cum prunis penitus ignitis, ut minus esset fumi; At à latere foculi in distantia nonnulla, filum suspendimus, cum cruce ex plumis, ut facile moveretur. Itaque post parvam moram, aucto calore, & dilatato Aëre, agitabatur crux plumea cum filo suo hinc inde, motu vario; Quin etiam facto foramine, in fenestra turris, exibat flatus calidus, neque ille continuus, sed per vices, & undulans.

12. Etiam receptio Aëris per frigus, à dilatatione, creat ejusmodi *ventum*, sed debiliorem, ob minores vires frigoris; adeo ut in *Peruvia*, sub quavis parva umbra, non solum majus percipiatur refrigerium quam apud nos, (per *Antiperistasin*) sed manifesta Aura ex receptione Aëris, quando subit umbram.

Atque de *Vento*, per meram dilatationem, aut receptionem Aeris facto, hactenus.

13. *Venti* ex meris motibus Aeris, absque immistione Vaporum, lenes, & molles sunt. Videndum de *Ventis Vaporariis*, (eos dicimus qui generantur à vaporibus) qui tanto illis alteris possunt esse vehementiores, quanto dilatatio guttæ aquæ, versæ in Aerem, excedit aliquam dilatationem Aeris, jam facti: quod multis partibus facit, ut superius monstravimus.

14. *Ventorum vaporariorum* (qui sunt illi qui communiter flant) Efficiens est *Sol*, & calor ejus proportionatus: Materia; Vapores, & Exhalationes, qui vertuntur, & resolvuntur, in Aerem; Aerem inquam (non aliud quippiam ab Aere) sed tamen ab initio minus syncerum.

15. *Solis* calor exiguus non excitat vapores, itaque nec *ventum*.

16. *Solis* calor medius excitat vapores, nec tamen eos continuo dissipat. Itaque si magna fuerit ipsorum copia, coëunt in pluviam, aut simplicem, aut cum *vento* conjunctam; si minor, vertuntur in *ventum* simplicem.

17. *Solis* calor in incremento, inclinat magis ad generationem *ventorum*; in decremento, *Pluviarum*.

18. *Solis* calor intensus, & continuatus, attenuat, & dissipat vapores, eosque sublimat, atque interim Aeri æqualiter immiscet, & incorporat; unde Aer quietus fit, & serenus.

19. Calor *Solis* magis æqualis, & continuus, minus aptus ad generationem *Ventorum*: magis inæqualis & alternans, magis aptus. Itaque in navigatione ad *Russiam*, minus afflictantur *Ventis*, quam in *Mari Britannico*, propter longos dies: at in *Peruvia* sub Æquinoctio, crebri *Venti*; ob magnam inæqualitatem caloris, alternantem noctu, & interdiu.

20. In Vaporibus, & Copia spectatur, & Qualitas: Copia parva gignit auras lenes; media *Ventos* fortiores; magna aggravat Aerem, & gignit pluvias, vel tranquillas, vel cum *Ventis*.

21. Vapores ex mari, & Amnibus, & paludibus inundatis, longe majorem copiam gignunt *Ventorum*, quam Halitus terrestres. Attamen, qui à terra, & locis minus humidis, gignuntur *Venti*, sunt magis obstinati, & diutius durant, & sunt illi fere, qui dejiciuntur ex alto; ut opinio Veterum, in hac parte, non fuerit omnino inutilis; nisi quod placuit illis, tanquam divisa hæreditate, assignare Vaporibus pluvias, & *Ventis* solumodo Exhalationes; & hujusmodi pulchra dictu, re inania.

22. *Venti* ex resolutionibus nivium jacentium super montes, sunt medii inter *Ventos* Aquaticos, & Terrestres, sed magis inclinant ad Aquaticos; sed tamen sunt acriores, & mobiliores.

23. Solutio nivium in montibus Nivalibus (ut prius notavimus) semper inducit *Ventos Statos*, ex ea parte.

24. Etiam *Anniversarii Aquilones*, circa exortum Caniculæ, existimantur venire à Mari glaciali; & partibus circa circulum Arcticum, ubi seræ sunt solutiones glaciei, & nivium, æstate tum valde adulta.

25. Mo-

25. Moles, sive Montes glaciales, quæ devehuntur versus *Canadam*; & *terram Piscationis*, magis gignunt Auras quasdam frigidas, quam *Ventos* mobiles.

26. *Venti*, qui ex terris sabulosis, aut cretaceis proveniunt, sunt pauci, & sicci; iidem in regionibus calidioribus, æstuosi, & fumei, & torridi.

27. *Venti* ex vaporibus marinis, facilius abeunt retro in pluviam, aqua jus suum repetente, & vindicante; aut si hoc non conceditur, miscentur protinus Aëri, & quietem agunt. At Halitus terrei, & fumei, & unctuosi, & solvuntur ægrius, & ascendunt altius, & magis irritati sunt in suo motu, & sæpe penetrant mediam regionem Aëris, & sunt aliqua materia meteororum ignitorum.

28. Traditur apud nos in *Anglia*, temporibus, cum *Gasconiæ* esset hujus ditionis, exhibitum fuisse *Regi* libellum supplicem, per subditos suos *Burdegalia*, & confinium; petendo ut prohiberetur Incensio Ericæ in Agris *Sussexiæ*, & *Hamptoniæ*, quia gigneret *Ventum* circa finem *Aprilis*, vineis suis exitiabilem.

29. Concursus *Ventorum*, ad invicem, si fuerint fortes, gignunt *Ventos* vehementes, & vorticosos; si lenes, & humidi, gignunt pluviam, & sedant *Ventos*.

30. Sedantur & coërcentur *Venti*, quinque modis: Cum aut Aër, vaporibus oneratus, & tumultuans, liberatur, vaporibus se contrahentibus in pluviam: Aut cum vapores dissipantur, & fiunt subtiliores, unde permiscentur Aëri, & belle cum ipso conveniunt, & quiete degunt: Aut cum Vapores, sive halitus exaltantur, & sublimantur in altum, adeo ut requies sit ab ipsis, donec à media regione Aeris dejiciantur, aut eam penetrent: Aut cum vapores, coacti in nubes, ab aliis *Ventis* in alto spirantibus, transvehuntur in alias regiones, ut pax sit ab ipsis, in regionibus, quas prætervolant: Aut denique, cum *Venti* à fomitibus suis spirantes, longo itinere, nec succedente nova materia, languescunt, & impetu suo destituuntur, & quasi expirant.

31. Imbres plerunque *Ventos* sedant, præsertim procellosos, ut & *Venti* contra sæpius detinent Imbrem.

32. Contrahunt se *Venti* in pluviam (qui est primus ex quinque sedandi modis, isque præcipuus) aut ipso onere gravati, cum vapores sunt copiosi; aut propter contrarios motus *Ventorum*, modo sint placidi: aut propter obices Montium, & Promontoriorum, quæ sistunt impetum *Ventorum*, eosque paulatim in se vertunt; aut per frigora intensiora, unde condensantur.

33. Solent plerunque *Venti*, minores & leviores, mane oriri, & cum Sole decumbere, sufficiente Condensatione Aëris nocturna, ad receptionem eorum. Aër enim nonnullam compressionem patitur, absque tumultu.

34. Sonitus Campanarum existimatur Tonitrua, & Fulgura dissipare; De *Ventis* non venit in observationem.

MONITUM. *Consule locum de* Prognosticis Ventorum; *est enim nonnulla Connexio Causarum, & Signorum.*

35. Narrat *Plinius Turbinis* vehementiam, aspersione Aceti in occursum ejus, compesci.

Limites Ventorum.

Ad Artic.16.17.18.

1. TRaditur de Monte *Atho*, & similiter de *Olympo*, consuevisse sacrificantes, in Aris, super fastigia ipsorum extructis, literas exarare in Cineribus sacrificiorum, & postea redeuntes, elapso anno (nam Anniversaria erant sacrificia) easdem literas reperisse neutiquam turbatas, aut confusas, etiamsi Aræ illæ non starent in Templo aliquo, sed sub dio; unde manifestum erat, in tanta altitudine, neque cecidisse *Imbrem*, neque spirasse *ventum*.

2. Referunt in fastigio *Pici* de *Tenariph*, atque etiam in *Andibus*, inter *Peruviam* & *Chilem* nives subjacere per clivos, & latera Montium; at in ipsis cacuminibus, nil aliud esse quam Aerem quietum, vix spirabilem propter tenuitatem, qui etiam acrimonia quadam, & os stomachi, & oculos pungat, inducendo illi nauseam, his suffusionem, & ruborem.

3. *Venti Vaporarii*, non videntur in aliqua majore altitudine flare; cum tamen probabile sit, aliquos ipsorum altius ascendere, quam pleræque Nubes. De *Altitudine* hactenus; de *Latitudine* videndum.

4. Certum est, spatia, quæ occupant *Venti*, admodum varia esse, interdum amplissima, interdum pusilla, & angusta Deprehensi sunt *Venti* occupasse spatium centenorum milliarium, cum paucarum horarum differentia.

5. Spatiosi *Venti* (si sint ex Liberis) plerunque vehementes sunt, non lenes: Sunt etiam diuturniores, & fere 24. horas durant. Sunt itidem minus pluviosi. Angusti contra, aut lenes sunt, aut procellosi; aut semper breves.

6. *Stati Venti* sunt itinerarii, & longissima spatia occupant.

7. *Venti procellosi* non extenduntur per larga spatia, licet semper evagentur ultra spatia ipsius procellæ.

8. Marini *Venti*, intra spatia angustiora multo quàm Terrestres, spirant; in tantum, ut in Mari aliquando conspicere detur, Auram satis alacrem, aliquam partem Aquarum occupare, (id quod ex crispatione Aquæ facile cernitur,) cum undique sit malacia, & Aqua instar speculi plana.

9. Pusilli (ut dictum est) *Turbines* ludunt quandoque coram Equitantibus, instar vere ventorum ex follibus.

De *latitudine* hactenus; de *Duratione* videndum.

10. Durationes *ventorum*, valde vehementium, in Mari longiores sunt, sufficiente copia vaporum; in Terra, vix ultra diem, & dimidiam, extenduntur.

11. *Venti* valde lenes, nec in Mari, nec in Terra, ultra triduum, constanter flant.

12. Non solum *Eurus Zephyro* magis est durabilis, (quod alibi posuimus) sed etiam, quicunque ille *ventus* sit, qui mane spirare incipit, magis durabilis solet esse illo, qui surgit vesperi.

13. Cer-

13. Certum est, *ventos* insurgere, & augeri gradatim, (nisi fuerint meræ *Procellæ*;) at decumbere celerius, interdum quasi subito.

Successiones Ventorum.

Ad Artic. 19.20.21.

1. SI *Ventus* se mutet, conformiter ad Motum Solis, id est, ab *Euro* ad *Austrum*; ab *Austro* ad *Zephyrum*, à *Zephyro* ad *Boream*; à *Borea* ad *Eurum*; non revertitur plerunque; aut si hoc facit, fit ad breve tempus. Si vero in contrarium Motus Solis, scilicet ab *Euro* ad *Boream*, à *Borea* ad *Zephyrum*, à *Zephyro* ad *Austrum*, ab *Austro* ad Eurum; plerunque restituitur ad plagam priorem, saltem antequam confecerit Circulum integrum.

2. Si pluvia primum inceperit, & postea cœperit flare *ventus*; *ventus* ille pluviæ superstes erit. Quod si primo flaverit *ventus*, postea à pluvia occiderit, non reoritur plerunque *ventus*, & si facit, sequitur pluvia nova.

3. Si *venti* paucis horis varient, & tanquam experiantur, & deinde cœperint constanter flare, *ventus* ille durabit in dies plures.

4. Si *Auster* cœperit flare dies duos, vel tres, *Boreas* quandoque post eum subito spirabit: Quod si *Boreas* spiraverit totidem dies, non spirabit *Auster*, donec *ventus* paulisper ab *Euro* flarit.

5. Cum annus inclinarit, & post Autumnum Hyems inceperit, si incipiente hyeme spiraverit *Auster*, & postea *Boreas*, erit Hyems glacialis; sin sub initiis hyemis spiraverit *Boreas*, postea *Auster*, erit Hyems clemens, & tepidus.

6. *Plinius* citat *Eudoxum*, quod series *ventorum* redeat post quadriennium, quod verum minime videtur; neque enim tam celeres sunt revolutiones. Illud ex aliquorum diligentia notatum est, tempestates grandiores, & insigniores, (Fervorum, Nivium, Congelationum, Hyemum tepidarum, Æstatum gelidarum) redire plerunque ad Circuitum Annorum 35.

Motus Ventorum.

Ad Artic. 22.23.24.25.26.27.

CONNEXIO.

LOquuntur homines, ac si Ventus *esset corpus aliquod per se, atque impetu suo, Aërem ante se ageret, & impelleret; Etiam cum* Ventus *locum mutet, loquuntur ac si idem* Ventus, *se in alium locum transferret. Hæc vero cum loquuntur plebeji, tamen Philosophi ipsi, remedium hujusmodi opinionibus non præbent; sed & illi quoque balbutiunt, neque erroribus istis occurrunt.*

1. Inquirendum igitur, & de Excitatione Motus in *ventis*, & de Directione ejus, cum de *Originibus localibus* jam inquisitum sit. Atque de iis *ventis*, qui habent principium motus, in sua prima Impulsione, ut in iis, qui dejiciuntur ex alto, aut efflant è terra, Excitatio motus est manifesta: alteri sub initiis suis descendunt, alteri ascendunt, & postea ex resistentia Aëris, fiunt voluminosi, maxime secundum angulos violentiæ suæ. At de illis, quæ conflantur ubique in Aëre inferiore (qui sunt omnium *ventorum* frequentissimi) obscurior videtur inquisitio, cum tamen res sit vulgaris, ut in Commentatione, sub Articulo octavo declaravimus.

2. Etiam hujus rei Imaginem, reperimus in illa turri occlusa, de qua paulo ante. Tribus enim modis, illud *Experimentum* variavimus. Primus erat is, de quo supra diximus, Foculus ex prunis ante ignitis, & claris. Secundus erat Lebes Aquæ ferventis, remoto illo Foculo; Atque tum erat Motus Crucis plumeæ, magis hebes, & piger, quam ex Foculo prunarum, hærente in Aëre, rore vaporis aquei, nec dissipato in materiam *venti*, propter imbecillitatem caloris. At tertius erat ex utrisque simul, Foculo, & Lebete; Tum vero longe maxima erat Crucis plumeæ agitatio, adeo ut quandoque illam in sursum verteret, instar pusilli Turbinis; Aqua scilicet præbente copiam vaporis, & Foculo, qui astabat, eum dissipante.

3. Itaque *Excitationis* Motus in *ventis*, causa est præcipua, superoneratio Aëris, ex nova accessione Aëris, facti ex vaporibus. Jam de *Directione Motus* videndum, & de *Verticitate*, quæ est *Directionis* Mutatio.

4. *Directionem* Motus progressivi *ventorum*, regunt fomites sui, qui sunt similes fontibus Amnium; loca scilicet, ubi magna reperitur copia vaporum; ibi enim est *Patria venti*. Postquam autem invenerint currentem, ubi Aër minime resistit, (sicut Aqua invenit declivitatem,) tum quicquid inveniunt similis materiæ in via, in consortium recipiunt, & suo currenti miscent; quemadmodum faciunt & Amnes; Itaque *venti* spirant semper à parte Fomitum suorum.

5. Ubi non sunt Fomites insignes, in aliquo loco certo, vagantur admodum *venti*, & facile currentem suum mutant; ut in medio Mari, & Campestribus terræ latis.

6. Ubi magni sunt Fomites *ventorum*, in uno loco, sed in locis progressus sui parvæ accessiones, ibi *venti* fortiter flant sub initiis, & paulatim flacescunt; ubi contra, Fomites magis continui, leniores sunt sub initiis, & postea augentur.

7. Sunt Fomites mobiles *ventorum*, scilicet in nubibus; qui sæpe à *ventis*, in alto spirantibus, transportantur in loca procul distantia à Fomitibus vaporum, ex quibus generatæ sunt illæ Nubes; Tum vero incipit esse Fomes *venti*, ex parte, ubi Nubes incipiunt solvi in *ventum*.

8. At *Verticitas Ventorum*, non fit eo, quod *Ventus* prius flans, se transferat; sed quod ille, aut occiderit, aut ab altero *vento* in ordinem redactus sit; Atque totum hoc negotium pendet ex variis collocationibus Fomitum *Ventorum*, & varietate temporum, quando vapores ex hujusmodi Fomitibus manantes solvuntur.

9. Si fuerint Fomites *Ventorum*, à partibus contrariis, veluti alter, Fomes ab *Austro*, alter à *Borea*, prævalebit scilicet *Ventus* fortior, neque erunt *Venti* contrarii, sed *Ventus* fortior continuo spirabit; ita tamen ut à *Vento* imbecilliore nonnihil hebetetur, & dometur; ut fit in Amnibus, accedente fluxu Maris; Nam Motus Maris prævalet, & est unicus, sed à Motu fluvii nonnihil frænatur. Quod si ita acciderit, ut alter ex illis *Ventis* contrariis, qui primum fortior fuerat, succumbat, tum subito spirabit *ventus* à parte contraria, unde

unde & ante spirabat, sed latitabat, sub potestate majoris.

10. Si Fomes (Exempli gratia) fuerit ad *Euroboream*, spirabit scilicet *Euro-boreas*. Quod si fuerint duo Fomites *Ventorum*, alter ad *Boream*, ii *Venti* ad aliquem tractum spirabunt separatim; At post Angulum confluentiæ, spirabunt ad *Euroboream*, aut cum inclinatione, prout alter Fomes fuerit fortior.

11. Si sit Fomes *Venti* ex parte Boreali, qui distet ab aliqua regione 20. Milliaribus, & sit fortior, alter ex parte *Orientali*, qui distet 10. Milliaribus, & sit debilior; spirabit tamen ad aliquas horas Eurus; paulo post (nimirum post emensum iter) *Boreas*.

12. Si spiret *Boreas*, atque occurrat ab Occidente Mons aliquis; Spirabit paulo post *Euroboreas*, compositus scilicet ex *Vento* originali, & repercusso.

13. Si sit Fomes *Ventorum* in terra, à parte *Boreæ*, halitus autem ejus feratur recta sursum, & inveniat nubem gelidam ab Occidente, quæ eam in adversum detrudat, spirabit *Euro-boreas*.

MONITUM, *Fomites* Ventorum, *in Terra & Mari, sunt stabiles, ita ut fons & origo ipsorum, melius percipiatur: at Fomites* Ventorum in *Nubibus, sunt mobiles; adeo ut alibi suppeditetur Materia* Ventorum, *alibi vero ipsi formentur; id quod efficit Directionem Motus in* Ventis *magis confusam, & incertam.*

Hæc Exempli gratia adduximus; similia simili modo se habent: Atque de *Directione Motus Ventorum*, hactenus. At de *Longitudine*, & tanquam Itinerario *Ventorum*, videndum; licet de hoc ipso, paulo ante, sub nomine latitudinis *Ventorum*, inquisitum videri possit. Nam & Latitudo, pro Longitudine, ab imperitis haberi possit, si majora spatia *Venti* ex latere occupent, quam in longitudine progrediantur.

14. Si verum sit, *Columbum* ex oris *Lusitaniæ*, per *Ventos Statos* ab Occidente, de *Continente* in *America*, judicium fecisse, longo certe itinere possint commeare *Venti*.

15. Si verum sit, Solutionem Nivium, circa *Mare glaciale*, & *Scandiam*, excitare *Aquilones*, in *Italia* & *Gracia*, &c. diebus Canicularibus, longa certe sunt spatia.

16. Quando citius in Consecutione, in qua *ventus* movet, (Exempli gratia, si sit *Eurus*) veniat tempestas, ad locum aliquem ab Oriente, quanto vero tardius ab Occidente, non-dum venit in observationem. De *Motu ventorum in progressu* hactenus; videndum jam de *undulatione ventorum*.

17. *Undulatio ventorum* ad parva momenta fit: adeo ut centies in hora, ad minus, *ventus* (licet fortis) se suscitet, & alternatim remittat; ex quo liquet inæqualem esse impetum *ventorum*; Nam nec Flumina, licet rapida, nec Currentes in mari, licet robusti, undulant nisi accedente flatu *ventorum*; Neque ipsa illa *undulatio ventorum* aliquid æqualitatis habet in se; Nam instar pulsus manus, aliquando intercurrit, aliquando intermittit.

18. *Undulatio* Aëris, in eo differt ab *undulatione* Aquarum; quod in Aquis, postquam fluctus sublati fuerint in altum, sponte rursus decidant ad planum: ex quo fit, ut (quicquid dicant *Poëtæ* exaggerando tempestates, quod *undæ attollantur in Cœlum, & descendant in Tartarum*) tamen descensus undarum, non multum præcipitetur, ultra planum, & superficiem Aquarum. At in *undulatione* Aëris, ubi deest motus gravitatis, deprimitur, & attollitur Aër, fere ex æquo. De *undulatione* hactenus: jam de *Motu Conflictus* inquirendum est.

19. De *Conflictu ventorum*, & compositis Currentibus, jam partim inquisitum est. Plane constat, *Vbiquetarios* esse *ventos*, præsertim leniores: id quod manifestum etiam ex hoc, quod pauci sunt dies, aut horæ, in quibus non spirent Auræ aliquæ lenes, in locis liberis, idque satis inconstanter, & varie. Nam venti, qui non proveniunt ex Fomitibus majoribus, vagabundi sunt, & volubiles, altero cum altero quasi ludente, modo impellente, modo fugiente.

20. Visum est nonnunquam in Mari, advenisse duos ventos simul ex contrariis partibus, id quod ex perturbatione superficiei Aquæ ab utraque parte, atque tranquillitate Aquæ in medio inter eos, facile erat conspicere: postquam autem concurrissent illi *venti* contrarii, aliàs secutam esse tranquillitatem, in Aqua undique, cum scilicet *venti* se ex æquo fregissent, aliàs continuatam esse perturbationem Aquæ, cum scilicet fortior *ventus* prævaluisset.

21. Certum est, in Montibus *Peruvianis*, sæpe accidere, ut *venti*, eodem tempore, super Montes ex una parte spirent, in vallibus in contrarium.

22. Itidem certum apud nos, Nubes in unam partem ferri, cum *ventus* à contraria parte flet, hic in proximo.

23. Quin & illud certum, aliquando cerni Nubes altiores, supervolare Nubes humiliores; atque ita, ut in diversas, aut etiam in contrarias partes abeant, tanquam Currentibus adversis.

24. Itidem certum, quandoque in superiore Aëre, *ventos* nec distrahi, nec promoveri; cum hic infra ad Semi-milliare; insano ferantur impetu.

25. Certum etiam è contra, esse aliquando tranquillitatem infra, cum superne Nubes ferantur satis alacriter; sed id rarius est.

PHÆNOMENON OBLIQUUM. *Etiam in fluctibus, quandoque supernatans Aqua, quandoque demersa, incitatior est; quin etiam fiunt (sed raro) varii Currentes Aquæ, quæ volvitur supra, & quæ labitur in imo.*

26. Neque prorsus contemnenda illa testimonia *Virgilij*, cum Naturalis Philosophiæ non fuerit ipse omnino imperitus.

Vna Eurus Notusque *ruunt, creberque procellis*
Africus. ——

Et rursus:

Omnia ventorum *concurrere prœlia vidi.*

De *Motibus Ventorum*, in Natura rerum, inquisitum est; Videndum de *Motibus* eorum in *Machinis humanis*; Ante omnia in *velis Navium*.

Motus Ventorum in velis navium.

1. IN *Navibus* majoribus *Britannicis* (eas enim ad exemplum delegimus,) quatuor sunt *Mali*, ali-

aliquando quinque; omnes in linea recta per medium Navis ducta; alteri post alteros, erecti. Eos sic nominabimus.

2. *Malum principem*, qui in medio Navis est: *Malum Proræ*: *Malum Puppis* (qui aliquando est geminus:) & *Malum Rostri*.

3. Habent singuli *Mali* plures portiones; quæ sustolli, & per certos *Nodos*, aut articulos figi, & similiter auferri possunt; alii tres, alii duas tantum.

4. *Malus Rostri* stat ab inferiori *Nodo*, inclinatus versus mare, à superiori, rectus, reliqui omnes *Mali* stant recti.

5. His *Malis* superimpendent *Vela* decem, & quando *Malus Puppis* geminatur, duodecim. *Malus Princeps*, & *Malus Proræ* tres habent *Ordines velorum*. Eos sic nominabimus. *Velum ab infra*, *velum à supra*, & *velum à summo*. Reliqui habent duos tantum, carentes *velo à summo*.

6. *Vela* extenduntur in transversum, juxta verticem cujusque *Nodi Mali*, per ligna quæ *Antennas*, vel virgas dicimus, quibus suprema *velorum* assuuntur, ima ligantur funibus ad angulos tantum; *vela* scilicet *ab infra*, ad latera Navis, *vela à supra*, *aut à summo*, ad *antennas* contiguas. Trahuntur etiam aut vertuntur iisdem funibus, in alterutrum latus, ad placitum.

7. *Antenna* sive virga cujusque *Mali* in transversum porrigitur. Sed in *Malis puppis*, ex obliquo, altero fine ejus elevato, altero depresso; in cæteris in recto, ad similitudinem literæ *Tau*.

8. *Vela ab infra*, quatenus ad *vela Principis Proræ*, & *Rostri*, sunt figuræ Quadrangularis, Parallelogrammæ: *vela à supra*, & *à summo*, nonnihil acuminata, sive surgentia in arctum; at ex *velis puppis*, quod à *supra*, acuminatum, quod *ab infra*, triangulare.

9. In *Navi*, quæ erat mille & centum amphorarum, atque habebat in long tudine, in carina, pedes 112; in latitudine, in alveo, 40; *velum ab infra Mali Principis*, continebat in altitudine, pedes 42; in latitudine, pedes 87.

10. *Velum à supra* ejusdem *Mali*, habebat in altitudine pedes 50. in latitudine pedes 84. ad basim; pedes 42, ad fastigium.

11. *Velum à summo*, in altitudine pedes 27: in latitudine, pedes 42, ad basim; 21, ad fastigium.

12. In *Malo Proræ*, *velum ab infra*, habebat in altitudine, pedes 40, cum dimidio; in latitudine pedes, 72.

13. *Velum à supra* in altitudine pedes 46, cum dimidio; in latitudine pedes 69, ad basim; 36, ad fastigium.

14. *Velum à summo*, in altitudine pedes 24; in in latitudine, pedes 36, ad basim; 18, ad fastigium.

15. In *Malo Puppis*, *velum ab infra*, habebat in altitudine, à parte *antennæ* elevata, pedes 51. in latitudine, quâ jungitur *antenna*, pedes 72, reliquo desinente in acutum.

16. *Velum à supra*, in altitudine pedes 30; in latitudine, pedes 57, ad basim; 30, ad cacumen.

17. Si geminetur *Malus puppis*, in posteriore, vela minuuntur ab anteriore, ad partem circiter quintam.

18. In *Mali Rostri*, *velum ab infra*, habebat in altitudine, pedes 28, cum dimidio; in latitudine, pedes 60.

19. *Velum à supra*, in altitudine, pedes 25, cum dimidio; in latitudine, pedes 60, ad basim; 30, ad fastigium.

20. Variant proportiones *Malorum* & *velorum*, non tantum, pro magnitudine *Navium*, verum etiam pro variis earum usibus, ad quos ædificantur; ad pugnam, ad mercaturam; ad velocitatem, & cætera. Verum nullo modo convenit proportio dimensionis *velorum* ad numerum amphorarum, cum *Navis* quingentarum Amphorarum, aut circiter, portet *velum ab infra principis Mali*, paucos pedes minus undique, quam illa altera, quæ erat duplicis magnitudinis. Unde fit, ut minores *Naves* longe præstent celeritate majoribus, non tantum propter levitatem, sed etiam propter amplitudinem *velorum*, habito respectu ad corpus *Navis*: nam proportionem illam continuare in *Navibus* majoribus, nimis vasta res esset, & inhabilis.

21. Cum singula *vela* per summa extendantur, per ima ligentur tantum ad angulos; *ventus* necessario facit *vela* intumescere, præsertim versus ima, ubi sunt laxiora.

22. Longe autem major est tumor *veli*, in *velis* ab infra, quam in cæteris; quia non solum parallelogramma sunt, cætera acuminata; verum etiam, quia latitudo *antennæ* tanto excedit latitudinem laterum *navis*, ad quæ alligantur: unde necesse est, propter laxitatem, magnum dari receptum *ventu*: adeo ut, in illa magna, quam exempli loco sumpsimus, *navi*, tumor in *Vento recto* possit esse ad 9. aut 10. pedes introrsum.

23. Fit etiam, ob eandem causam, quod *vela* omnia à *Vento* tumefacta, ad imum colligant se in arcus, adeo ut multum *Venti*, præterlabi, necesse sit: in tantum, ut in illa, quam diximus, *navi*, arcus ille ad staturam hominis accedat.

24. At in *Velo puppis* illo triangulari, necesse est ut minor sit tumor, quam in quadrangulari; tum propter figuram minus capacem, tum quia in quadrangulari tria latera laxa sunt, in triangulari duo tantum: unde sequitur quod *Ventus* excipiatur magis rigide.

25. Motus *Ventorum* in *velis*, quo magis accedat ad *Rostrum navis*, est fortior, & promovet magis, tum quia fit in loco, ubi undæ, propter acumen *proræ*, facillime secantur; tum maxime, quia Motus à *prora*, trahit navem; Motus à *puppi*, trudit.

26. Motus *Ventorum* in *velis superiorum ordinum*, promovet magis, quam in *velis ordinis inferioris*, quia Motus violentus maxime efficax est, ubi plurimum removetur à resistentia, ut in vectibus & *velis molendinorum*. Sed periculum est demersionis, aut eversionis *navis*; itaque & acuminata sunt illa, ne *Ventos* nimios excipiant, & in usu præcipue, cum spirant *Venti* leniores.

27. Cum *vela* collocentur in recta linea, altera post altera, necesse est, ut quæ posterius constituantur, suffurentur *Ventum* à prioribus, cum *Ventus* flet recta: itaque si omnia simul fuerint erecta, tamen vis *Venti* fere tantum locum habet in *velis Mali principis*, cum parvo auxilio, *veli ab infra*, in *Malo Rostri*.

28. Fœ-

28. Fœliciſſima & commodiſſima diſpoſitio *velorum*, in *Vento recto*, ea eſt, ut vela duo inferiora *mali proræ* erigantur; ibi enim, (ut dictum eſt) Motus eſt maxime efficax: erigatur etiam *velum à ſupra Mali principis*: relinquitur enim ſpatium tantum ſubter, ut *Ventus* ſufficere poſſit *velis* prædictis *Proræ*, abſque ſuffuratione notabili.

29. Propter illam, quam diximus, ſuffurationem *Ventorum*, celerior eſt navigatio, cum *Vento laterali*, quam cum *recto*. *Laterali* enim flante, omnia *vela* in opere poni poſſunt; quia latera ſibi invicem obvertunt, nec altera altera impediunt, neque fit furtum.

30. Etiam flante *vento laterali*, *vela* rigidius in adverſum *Venti* extenduntur, quod *Ventum* comprimit nonnihil, & immittit in eam partem, ubi flare debet: unde nonnihil fortitudinis acquirit. *Ventus* autem maxime propitius eſt, qui flat in quadra, inter rectum & lateralem.

31. *Velum ab infra*, *Mali Roſtri* vix unquam poſſet eſſe inutile, neque enim patitur furtum, quando colligat *ventum* qui flat undequaque, circa latera navis, & ſubter *vela* cætera.

32. Spectatur in *Motu Ventorum* in *navibus* tum Impulſio, tum Directio. At Directio illa quæ fit per *clavum*, non multum pertinet ad Inquiſitionem præſentem, niſi quatenus habeat connexionem cum *Motu Ventorum* in *velis*.

Connexio. *Ut Motus* Impulſionis *in vigore eſt in* Prora, *ita motus* Directionis *in* puppi; *itaque ad eum*, velum ab infra Mali puppis, *eſt maximi momenti*; *& quaſi copiam præbet auxiliarem* clavo.

33. Cum Pyxis nautica in plagas 32. diſtribuatur, adeo ut ſemicirculi ejus ſint plagæ ſedecim, poteſt fieri Navigatio progreſſiva (non angulata, quæ fieri ſolet in *ventis* plane contrariis,) etiamſi ex illis ſedecim partibus, decem fuerint adverſæ, & ſex tantum favorabiles; at ea Navigatio, multum pendet ex *velo ab infra mali puppis*: Cum enim *venti* partes contrariæ itineri, quia ſunt præpotentes, & *Clavo* ſolo regi non poſſunt, alia vela obverſuræ forent, una cum *Navi* ipſa, in partem contrariam itineris, illud *velum* rigide extenſum, ex oppoſito favens *Clavo*, & ejus motum fortificans, vertit & quaſi circumfert *Proram* in viam itineris.

34. Omnis *ventus* in *velis* nonnihil aggravat, & deprimit *Navem*; tantoque magis, quo flaverit magis deſuper. Itaque tempeſtatibus majoribus, primo devolvunt Antennas, & auferunt *vela* ſuperiora, deinde, ſi opus fuerit, omnia; Etiam *Malos* ipſos incidunt; quin & projiciunt onera mercium, tormentorum &c. ut allevent *Navem*, ad ſupernatandum, & præſtandum obſequia undis.

35. Poteſt fieri per motum iſtum *ventorum* in *velis navium* (ſi ventus fuerit alacris, & ſecundus,) progreſſus in itinere, 120. Milliarium *Italicorum* intra ſpatium 24. horarum; idque in *Navi mercatoria*; ſunt enim *Naves* quædam *Nuncia*, quæ ad Officium celeritatis appoſite extructæ ſunt, (quas *Caruvellas* vocant) quæ etiam majora ſpatia vincere poſſunt. At cum *venti* plane contrarii ſint, remedio ad iter promovendum utuntur hoc ultimo, ut puſillo; ut procedant lateraliter, prout ventus permittit extra viam itineris, deinde flectant ſe verſus iter, atque angulares iſtos progreſſus repetant; Ex quo genere progreſſus (quod eſt minus quam ipſum ſerpere, nam ſerpentes ſinuant, at illi angulos faciunt) poterunt fortaſſe intra 24. horas, vincere milliaria 15.

Obſervationes majores.

1. Motus *iſte* Ventorum, *in* Velis navium, *habet Impulſionis ſuæ tria præcipua Capita, & Fontes, unde fluit; unde etiam præcepta ſumi poſſint, ad eum augendum, & fortificandum.*

2. *Primus Fons eſt ex* Quanto venti, *qui excipitur. Nam nemini dubium eſſe poſſit, quin plus* Venti *magis conferat, quam min⁹. Itaq;* Quantum *ipſum* Venti *procurandũ diligẽter. Id fiet, ſi inſtar patrumfamilias prudentiorum, & frugi ſimus, & a furto caveamus. Quare quantum fieri poteſt, nil* Venti *diſperdatur, aut effundatur; nil etiam ſurripiatur.*

3. Ventus *aut ſupra latera* Navium *flat, aut infra, uſque ad Aream Maris. Atque ut homines providi, ſolent etiam circa minima quæque magis curare, (quia majora nemo non curare poteſt) ita de iſtis inferioribus* ventis *(qui proculdubio non tantum poſſunt, quantum ſuperiores) primo videndum.*

4. *Ad* ventos, *qui circum latera* Navium, *& ſubter* vela *ipſarum potiſſimum flant; plane eſt officium* veli ab infra Mali roſtri, *quæ inclinata eſt, & depreſſa, ut excipiantur; ne fiat diſpendium, & jactura* venti. *Idque & per ſe prodeſt, &* ventis, *qui reliquis velis miniſtrant, nil obeſt: Circa hoc, non video quid ulterius per diligentiam humanam fieri poſſit, niſi forte etiam ex medio Navis, ſimilia* vela *humilia adhibeantur, inſtar Pinnarum, aut Alarum, ex utroque latere gemina, cum* ventus *eſt* rectus.

5. *At quod ad cavendum de furto attinet, quod fit, cum* vela *poſteriora* ventum *ab anterioribus ſurripiant, in* vento *Recto; (nam in* Laterali *omnia* vela *cooperantur;) non video quid addi poſſit diligentiæ humanæ; niſi forte, ut flante* vento recto, *fiat ſcala quædam* velorum, *ut poſteriora* vela *à* Malo puppis *ſint humillima, media à* Malo principis *mediocria, anteriora à* Malo proræ *celſiſſima; ut alterum* velum *alterum non impediat, ſed potius adjuvet, &* ventum *tradat, & tranſmittat. Atque de primo Fonte Impulſionis, hæc obſervata ſint.*

6. *Secundus fons Impulſionis, eſt ex Modo* percuſſionis veli, *per* ventum; *quæ ſi propter* ventum *contractum ſit acuta, & rapida, movebit magis; ſi obtuſa, & languida, minus.*

7. *Quod ad hoc attinet, plurimum intereſt ut* vela *mediocrem extenſionem, & tumorem recipiant: nam ſi extendantur rigide, inſtar Parietis* ventum *repercutiunt; ſi laxe, debilis fit Impulſio.*

8. *Circa hoc, bene ſe expedivit in aliquibus Induſtria humana, licet magis ex caſu, quam ex judicio. Nam in* Vento Laterali, *contrahunt partem* veli, *quæ* Vento *opponitur, quantum poſſunt; atque hoc modo* Ventum *immittunt in eam partem, qua flare debet. Atque hoc agunt, & volunt. Sed interim hoc ſequitur (quod fortaſſe non vident) ut* Ventus *ſit contractior, & reddat* percuſſionem *magis acutam.*

9. *Quid addi poſſit induſtriæ humanæ, in hac*

parte, non video; nisi mutetur Figura in velis, *& fiant aliqua* vela *non tumentia in rotundo, sed instar Calcaris, aut Trianguli cum* Malo, *aut ligno, in illo angulo verticis, ut &* Ventum *magis contrahant in acutum, & secent Aerem externum potentius. Ille autem Angulus (ut arbitramur) non debet esse omnino acutus, sed tanquam Triangulus curtatus, ut habeat latitudinem. Neque etiam novimus, quid profuturum foret, si fiat tanquam* velum *in* velo, *hoc est, si in medio* veli *alicujus majoris, sit bursa quædam, non omnino laxa ex carbaso, sed cum costis, ex lignis, quæ* Ventum *in medio* veli *excipiat, & cogat in acutum.*

10. *Tertius fons Impulsionis, est ex loco, ubi fit percussio; isque duplex. Nam ex anteriore parte* Navis *facilior, & fortior est Impulsio, quam ex posteriore; & ex superiore parte* Mali *&* veli, *quam ab inferiore.*

11. *Neque hoc ignorasse visa est industria humana, cum & flante* vento *recto, plurimam in velis* Mali Proræ *spem ponant; & in malaciis, & tranquillitatibus, vela à summo erigere non negligant. Neque nobis in præsentia occurrit, quid humanæ, ex hac parte, industriæ addi possit, nisi forte quoad primum, ut constituantur duo, aut tres* Mali *in* Prora *(medius rectus, reliqui inclinati) quorum* vela *propendeant: & quoad secundum, ut amplientur* vela proræ *in summo, & sint minus, quam solent esse, acuminata. Sed in utroque cavendum incommodo periculi, ex nimia depressione* Navis.

Motus Ventorum in aliis Machinis humanis.

1. MOtus *Molendinorum* ad *Ventum*, nihil habet subtilitatis, & nihilominus non bene demonstrari, & explicari solet. *Vela* constituuntur, rectà in oppositum *Venti* flantis. Prostat autem in *Ventum* unum latus veli, alterum latus paulatim flectit se, & subducit à *Vento*. Conversio autem, sive consecutio Motus, fit semper à latere inferiore, hoc est eo, quod remotius est à *Vento*. At *Ventus* superfundens se, in adversum Machinæ, à quatuor *velis* arctatur, & in quatuor intervallis, viam suam inire cogitur. Eam Compressionem non bene tolerat *ventus*; Itaque necesse est, ut tanquam cubito percutiat latera *velorum*, & proinde vertat, quemadmodum ludicra vertibula digito impelli, & verti solent.

2. Quod si *vela* ex æquo expansa essent, dubia res esset, ex qua parte foret Inclinatio, ut in casu baculi: Cum autem proximum latus, quod occurrit *vento*, impetum ejus dejiciat in latus inferius, atque illinc in spatia, cumque latus inferius *ventum* excipiat, tanquam palma manus, aut instar *veli* Scaphæ, fit protinus conversio ab ea parte. Notandum autem est, Originem motus esse non à prima Impulsione, quæ fit in fronte; sed à laterali Impulsione, post compressionem.

3. Probationes quasdam, & experimenta circa hoc, pro augendo hoc motu fecimus, tum ad pignus causæ recte inventæ, tum ad usum: Imitamenta hujus Motus effingentes in *velis* ex chartis, & *vento* ex follibus. Igitur addidimus lateri *veli* inferiori, plicam inversam à *vento*, ut haberet *ventus*, lateralis jam factus, amplius quiddam, quod percuteret; nec profuit: plica illa, non tam percussionem *venti* adjuvante, quam Sectionem Aëris in consequentia impediente. Locavimus post *vela*, ad nonnullam distantiam, obstacula, in latitudinem diametri omnium *velorum*, ut *ventus* magis compressus, fortius percuteret, at hoc obfuit potius, repercussione motum primarium hebetante. At *vela* fecimus latiora in duplum, ut *ventus* arctaretur magis, & fieret percussio lateralis fortior: Hoc tandem magnopere successit; ut & longe mitiore flatu fieret Conversio, & longe magis perniciter volveretur.

MANDATUM. *Fortasse hoc augmentum motus commodius fiet per octo* vela, *quam per* vela *quatuor, latitudine duplicata, nisi forte nimia moles aggravaverit Motum. De hoc fiat Experimentum.*

MANDATUM. *Etiam longitudo* velorum *facit ad Motum. Nam in rotationibus, levis violentia versus circumferentiam, æquiparatur longe majori versus centrum. Sed tamen hoc conjungitur incommodum; quod quo longiora sunt* vela, *eo plus distant in summo, & minus arctatur* ventus. *Res non male fortasse se habeat, si* vela *sint paulo longiora, sed crescentia in Latum circa summitatem, ut palma Remi: sed de hoc nobis comperium non est.*

MONITUM. *In his Experimentis, si ponantur in usu ad* Molendina, *robori totius Machinæ, præcipue Fundamentis ejus, subveniendum. Nam quanto magis arctatur* Ventus, *tanto magis (licet motum* velorum *incutet) tamen Machinam ipsam concutit.*

4. Traditur alicubi esse *Rhedas* moventes ad *Ventum*; de hoc diligentius inquiratur.

MANDATUM. Rhedæ *moventes ad* Ventum *non poterunt esse operæ pretium, nisi in locis apertis, & planiciebus. Præterea, quid fiet, si decubuerit* Ventus? *Magis sobria esset cogitatio, de facilitando Motu curruum, & plaustrorum, per* vela *mobilia, ut Equi, vel Boves minoribus viribus ea traherent, quam de creando Motu, per* Ventum *solum.*

Prognostica Ventorum.

Ad Artic. 32.

CONNEXIO.

DIvinatio *quo magis pollui solet vanitate, & superstitione, eo purior pars ejus magis recipienda, & colenda. Naturalis vero* Divinatio *aliquando certior est, aliquando magis in lubrico, prout subjectum se habet, circa quod versatur: Quod si fuerit Naturæ constantis, & regularis, certam efficit Prædictionem; si variæ, & compositæ, tanquam ex natura, & casu, fallacem. Attamen etiam in subjecto vario, si diligenter canonizetur, tenebit Prædictio ut plurimum; temporis forte momenta non assequetur, à re non multum errabit. Quin etiam quoad tempora eventus, & complementi, nonnulla Prædictiones satis certo collimabunt, ea videlicet, quæ sumuntur non à causis, verum ab ipsa re jam inchoata, sed citius se prodente in Materia proclivi, & aptius disposita quam in alia; ut in* Topicis *circa hunc* 32. Articulum *superius diximus.* Prognostica *igitur* ventorum *jam proponemus; miscentes nonnihil necessario de* prognosticis pluviarum, *&* serenitatis, *quæ bene distrahi non poterant; sed*

sed justam de illis inquisitionem propriis titulis remittentes.

1. *Sol* si oriens cernatur concavus, dabit eo ipso die *Ventos*, aut *imbres*: Si appareat tanquam leviter excavatus. *Ventos*; si cavus in profundo, *Imbres*.

2. Si *Sol* oriatur pallidus, & (ut nos loquimur) aqueus, denotat *pluviam*; si occidat pallidus, *Ventum*.

3. Si corpus ipsum *Solis*, in occasu cernatur, tanquam sanguineum, præmonstrat magnos *Ventos*, in plures dies.

4. Si in exortu *Solis*, Radii ejus spectantur rutili, non flavi, denotat *pluvias* potius quam *Ventos*; idemque, si tales appareant in occasu.

5. Si in ortu, aut occasu *Solis*, spectantur radii ejus tanquam contracti, aut curtati, neque eminent illustres, licet nubes absint, significat *Imbres*, potius quam *Ventos*.

6. Si ante Ortum *Solis*, ostendent se Radii præcursores, & *Ventum* denotat, & *Imbres*.

7. Si in Exortu *Solis*, porrigat *Sol* Radios è nubibus, medio *Solis* manente cooperto nubibus, significabit *pluviam*; maxime si erumpant Radii illi deorsum, ut *Sol* cernatur tanquam barbatus: Quod si Radii erumpant è medio, aut sparsim, orbe exteriore cooperto nubibus, magnas dabit tempestates, & *Ventorum* & *Imbrium*.

8. Si *Sol* oriens cingitur circulo, à qua parte is circulus se aperuerit, expectetur *ventus*: Sin totus circulus æqualiter defluxerit, dabit *Serenitatem*.

9. Si sub Occasum *Solis*, appareat circa eum circulus candidus, levem denotat *tempestatem*, eadem nocte; Si ater, aut subfuscus, *ventum* magnum in diem sequentem.

10. Si Nubes rubescant exoriente *Sole*, prædicunt *ventum*; Si occidente, *Serenum* in posterum.

11. Si sub Exortum *Solis*, globabunt se Nubes prope *Solem*, denunciant eodem die *tempestatem* asperam; quod si ab Ortu repellantur, & ad Occasum abibunt, *serenitatem*.

12. *Si* in Exortu *Solis*, dispergantur Nubes à lateribus *Solis*, aliæ petentes *Austrum*, aliæ *Septentrionem*; licet sit cœlum Serenum circa ipsum *Solem*, præmonstrat *ventos*.

13. Si *Sol* sub Nube condatur occidens, *pluviam* denotat in posterum diem; quod si plane pluet occidente *Sole*, *ventos* potius. Sin Nubes videantur quasi trahi versus Solem, & *ventos*, & *tempestatem*.

14. Si *Nubes*, exoriente *Sole*, videantur non ambire Solem, sed incumbere ei desuper, tanquam Eclipsim facturæ, portendunt *ventos*, ex ea parte orituros, qua illæ *nubes* inclinaverint. Quod si hoc faciant meridie, & *venti* fient, & *imbres*.

15. Si *Nubes* Solem circuncluserint, quanto minus luminis relinquetur, & magis pusillus apparebit Orbis Solis, tanto turbidior erit *tempestas*: Si vero duplex, aut triplex Orbis erit, ut appareant tanquam duo, aut tres Soles, tanto erit tempestas atrocior, per plures dies.

16. *Novilunia* dispositionum Aeris significativa sunt; sed magis adhuc Ortus quartus, tanquam *Novilunium confirmatum*. *Plenilunia* autem ipsa præsagiunt magis, quam dies aliqui ab ipsis.

17. Diuturna observatione, *Quinta Lunæ* suspecta est Nautis, ob tempestates.

18. Si *Luna* à Novilunio, ante diem quartum non apparuerit, turbidum aerem per totum Mensem prædicit.

19. Si *Luna* nascens, aut intra primos dies, cornu habuerit inferius, magis obscurum, aut fuscum, aut quovis modo non purum; dies turbidos, & tempestates dabit, ante *plenilunium*: si circa medium fuerit decolor, circa ipsum *plenilunium* sequentur *tempestates*: si cornu superius hoc patiatur, circa *Lunam decrescentem*.

20. Si Ortu in quarto, pura ibit *Luna* per cœlum, nec cornibus obtusis, neque prorsus jacens, neque prorsus recta, sed mediocris; *Serenitatem* promittit majore ex parte, usque ad *Novilunium*.

21. Si in Ortu illo rubicunda fuerit, *ventos* portendit; si rubiginosa, aut obatra, *Pluvias*; sed nil horum significat ultra *plenilunium*.

22. Recta *Luna* semper fere minax est, & infesta, potissimum autem denunciat *ventos*; At si appareat cornibus obtusis, & curtatis, *Imbres* potius.

23. Si alterum Cornu *Lunæ* magis acuminatum fuerit, & rigidum, altero magis obtuso, *ventos* potius significat; si utrunque, *pluviam*.

24. Si circulus, aut *Halo* circa *lunam* appareat, *pluviam* potius significat, quam *ventos*; nisi stet recta *Luna* intra eum Circulum, tum vero utrumque.

25. Circuli circa *lunam*, *ventos* semper denotant, ex parte qua ruperint; Etiam splendor illustris circuli in aliqua parte, *ventos* ex ea parte, qua splendet.

26. Circuli circa *Lunam*, si fuerint duplices, aut triplices, præmonstrant horridas, & asperas tempestates; at multo magis, si illi Circuli non fuerint integri, sed maculosi, & interstincti.

27. *Plenilunia*, quoad colores, & Halones, eadem forte denotant, quæ Ortus quartus: sed magis præsentia, nec tam procrastinata.

28. *Plenilunia* solent esse magis serena, quam cæteræ ætates *Lunæ*, sed eadem, hyeme, quandoque intensiora dant frigora.

29. *Luna* sub occasum solis ampliata, & tamen luminosa, nec subfusca, *serenitatem* portat in plures dies.

30. *Eclipses Lunæ*, quasi semper comitantur *venti*, Solis, *Serenitas*; *pluviæ* raro alterutrum.

31. A *Conjunctionibus* reliquis *planetarum*, præter Solem, expectabis *ventos*; & ante, & post, à Conjunctionibus cum *Sole*, *serenitatem*.

32. In Exortu *Pleiadum*, & *Hyadum*, sequuntur *Imbres*, & Pluviæ, sed tranquillæ; In exortu *Orionis*, & *Arcturi*, Tempestates.

33. *Stellæ* (ut loquimur) discurrentes, & sagittantes, protinus *ventos* indicant, ex ea parte, unde vibrantur. Quod si ex variis, aut etiam contrariis partibus volitent, magnas tempestates, & *Ventorum* & *Imbrium*.

34. Cum non conspiciantur *Stellæ* minusculæ, quales sunt, quas vocant *Asellos*, idque fit ubique

per totum cœlum, magnas præmonstrat *Tempestates*, & *Imbres* intra aliquot dies: quod si alicubi *Stellæ* minutæ obscurentur, alicubi sint claræ, *ventos* tantum, sed citius.

35. Cœlum æqualiter splendens, in Noviluniis, aut Ortu quarto, *Serenitatem* dabit per plures dies; æqualiter obscurum, *Imbres*; inæqualiter, *ventos*, ab ea parte, qua cernitur Obscuratio. Quod si subito fiat obscuratio, sine nube, aut caligine, quæ fulgorem Stellarum perstringat, graves & asperæ instant Tempestates.

36. Si Planetarum, aut Stellarum majorum aliquam, inclusérit Circulus integer, *imbres* prædicit; si fractus, *ventos* ad eas partes, ubi circulus deficit.

37. Cum tonat vehementius, quam fulgurat, *ventos* dabit magnos; sin crebro inter tonandum fulserit, *Imbres* confertos, & grandibus gutis.

38. Tonitrua *Matutina ventos* significant; Meridiana *Imbres*.

39. Tonitrua mugientia, & veluti transeuntia, *ventos* significant; at quæ inæquales habent fragores, & acutos, procellas, tam *ventorum*, quam *Imbrium*.

40. Cum cœlo sereno fulguraverit, non longe absunt *venti*, & *Imbres* ab ea parte, qua fulgurat, quod si ex diversis partibus cœli fulguraverit, sequentur atroces, & horridæ Tempestates.

41. Si fulguraverit à plagis cœli gelidioribus, *Septentrione* & *Aquilone*, sequentur grandines; si à tepidioribus, *Austro* & *Zephyro*, *Imbres*, cum cœlo æstuoso.

42. Magni fervores, post solstitium Æstivale, desinunt plerunque in tonitru, & fulgura; quæ si non sequantur, desinunt in *ventos*, & *pluvias* per plures dies.

43. Globus flammæ, quem *Castorem* vocabant Antiqui, qui cernitur navigantibus in mari, si fuerit unicus, atrocem Tempestatem prænunciat (*Castor* scilicet est Frater intermortuus;) at multo magis, si non hæserit *Malo*, sed volvatur, aut saltet; Quod si fuerint gemini, (præsente scilicet *Pollluce* Fratre vivo) idque tempestate adulta, salutare signum habetur: Sin fuerint tres, (superveniente scilicet *Helena*, peste rerum) magis dira incumbet *Tempestas*: videtur sane unicus, et udam significare materiam tempestatis; duplex, quasi coctam, & maturam; triplex, vel multiplex, copiam ægre dissipalem.

44. Si conspiciantur Nubes ferri incitatius, cœlo sereno, expectentur *venti*, ab ea parte, à qua feruntur Nubes. Quod si globabuntur, & glomerabunt simul, cum Sol appropinquaverit ad eam partem, in qua globantur, incipient discuti; quod si discutientur magis versus *Boream*, significat *ventum*, si versus *Austrum*, *pluvias*.

45. Si occidente Sole, Nubes orientur atræ, aut fuscæ, *Imbrem* significant: Si adversus Solem, in Oriente scilicet, eadem nocte, si juxta Solem ab Occidente, in posterum diem, cum *ventis*.

46. Liquidatio, sive differenatio cœli nubili, incipiens in contrarium *venti*, qui flat, *Serenitatem* significat; sed à parte *venti*, nihil indicat, sed incerta res est.

47. Conspiciuntur quandoque plures, veluti Cameræ, aut contignationes Nubium, alteræ super alteras (ut aliquando quinque simul se vidisse, & notasse affirmet *Gilbertus*) & semper atriores sunt infimæ, licet quandoque secus appareat, quia candidiores visum magis lacessunt. Duplex contignatio, si sit spissior, *pluvias* denotat instantes (præsertim si nubes inferior cernatur quasi gravida:) plures contignationes perendinant *pluvias*.

48. *Nubes*, si ut vellera lanæ spargentur, hinc inde, *tempestates* denotant; Quod si instar squammarum, aut testarum, altera alteri incumbat, siccitatem, & *serenitatem*.

49. *Nubes* plumatæ, & similes ramis palmæ, aut floribus Iridis, *Imbres* protinus, non ita multo post, denunciant.

50. Cum *Montes*, & *Colles* conspiciuntur veluti pileati, incumbentibus in illis Nubibus, eosque circum amplectentibus, *Tempestates* præmonstrat imminentes.

51. *Nubes* electrinæ, & aureæ, ante Occasum Solis, & tanquam cum fimbriis deauratis, postquam Sol magis condi cœperit, *serenitates* præmonstrant.

52. *Nubes* luteæ, & tanquam cœnosæ, significant *Imbrem* cum *vento* instare.

53. *Nubecula* aliqua, non ante visa, subito se monstrans, cœlo circum sereno, præsertim ab Occidente, aut circa Meridiem, *Tempestatem* indicat ingruentem.

54. *Nebulæ*, & caligines ascendentes, & sursum se recipientes, *pluvias*, & si subito hoc fiat, ut tanquam sorbeantur, *ventos* prædicunt; at cadentes, & in vallibus residentes, *Serenitatem*.

55. *Nube* gravida candicante; quam vocant Antiqui *Tempestatem albam*, sequitur æstate, Grando minutus, instar confituræ; hyeme, Nix.

56. Autumnus serenus ventosam Hyemem præmonstrat: ventosa Hyems, Ver pluviosum: Ver pluviosum, Æstatem serenam? serena Æstas, Autumnum ventosum. Ita ut Annus (ut proverbio dicitur) sibi debitor raro sit; neque eadem series tempestatum redeat, per duos Annos simul.

57. *Ignes* in focis, pallidiores solito, atque intra se murmurantes, *Tempestates* nunciant. Quod si Flamma flexuose volitet, & sinuet, *Ventum* præcipue: at Fungi, sive Tuberes in lucernis *pluvias* potius.

58. *Carbones* clarius perlucentes, *ventum* significant; etiam cum favillas ex se citius discutiunt, & deponunt.

59. *Mare* cum conspicitur in portu tranquillum in superficie, & nihilominus intra se murmuraverit, licet non intumuerit, *ventum* prædicit.

60. *Littora* in tranquillo resonantia, Marisque ipsius sonitus cum plangore, aut quadam echo, clarius, & longius solito auditus, *ventos* prænunciant.

61. Si in tranquillo, & plana superficie *Maris*, conspiciantur Spumæ hinc inde, aut coronæ albæ, aut Aquarum bullæ, *ventos* prædicunt: Et si hæc signa fuerint insigniora, asperas tempestates.

62. In Mari fluctibus agitato, si appareant spumæ coruscantes, (quas *Pulmones Marinos* vocant) prænunciat duraturam Tempestatem, in plures dies.

63. Si

63. Si *Mare* silentio intumescat, & intra portum altius solito insurgat, aut Æstus ad littora celerius solitu accedat, *ventos* prænunciat.

64. Sonitus à *Montibus*, nemorumque murmur increbrescens, atque fragor etiam nonnullus in campestribus, *ventos* portendit. Cœli quoque murmur prodigiosum, absque tonitru, ad *ventos* maxime spectat.

65. *Folia* & paleæ ludentes, sine aura, quæ sentiatur, & Lanugines plantarum volitantes, plumæque in Aquis innatantes, colludentes, *ventos* adesse nunciant.

66. *Aves aquaticæ* concursantes, & gregatim volantes, *Mergique* præcipue, & *Fulicæ*, à Mari, aut stagnis fugientes, & ad littora, aut ripas properantes, præsertim cum clangore, & ludentes in sicco, *ventos* prænunciant, maxime si hoc faciant mane.

67. At *terrestres volucres* contra, aquam petentes, eamque alis percutientes, & clangores dantes, & se perfundentes; ac præcipue *Cornix*, tempestates portendunt.

68. *Mergi*, *Anatesque*, ante *ventum* pennas rostro purgant; at *Anseres*, clangore suo importuno, *pluviam* invocant.

69. *Ardea* petens excelsa, adeo ut nubem quandoque humilem, supervolare conspiciatur, *ventum* significat. At *Milvi* contra, in sublimi volantes, *serenitatem*.

70. *Corvi* singultu quodam latrantes, si continuabunt, *ventos* denotant, si vero carptim vocem resorbebunt, aut per intervalla longiora crocitabunt, *Imbres*.

71. *Noctua* garrula, putabatur ab antiquis, mutationem Tempestatis præmonstrare: si in sereno, *Imbres*, si in nubilo, *Serenitatem*: at apud nos, *Noctua* clare, & libenter ululans, *Serenitatem* plerunque indicat, præcipue Hyeme.

72. *Aves* in arboribus habitantes, si in nidos suos, sedulo fugitent, & à pabulo citius recedant, *Tempestates* præmonstrant; *Ardea* vero in arenâ stans tristis, aut *Corvus* spatians, *Imbres* tantum.

73. *Delphini* tranquillo Mari lascivientes, Flatum existimantur prædicere, ex qua veniunt parte; at turbato ludentes, & aquam spargentes, contra, *Serenitatem*. At plærique Piscium, in summo natantes, aut quandoque exilientes; *pluviam* significant.

74. Ingruente *vento*, Sues ita terrentur, & turbantur, & incomposite agunt, ut Rustici dicant illud solum Animal videre *Ventum*, specie scilicet horrendum.

75. Paulo ante *Ventum Araneæ* sedulo laborant, & nent, ac si provide præoccuparent, quia *Vento* flante nere nequeunt.

76. Ante pluviam, *Campanarum* sonitus auditur magis ex longinquo; At ante *Ventum*, auditur magis æqualiter accedens, & recedens, quemadmodum fit *vento* manifesto flante.

77. *Trifolium* inhorrescere, & folia contra tempestatem subrigere pro certo ponit *Plinius*.

78. Idem ait, *vasa*, in quibus esculenta reponuntur, quandoque sudorem in repositoriis relinquere, idque diras tempestates prænunciare.

MONITUM. *Cum* Pluvia, *&* Venti, *habeant materiam fere communem*; *cumque* Ventum *semper præcedat nonnulla Condensatio Aëris, ex Aëre noviter facto, intra veterem recepto, ut ex plangoribus littorum, & excelso volatu* Ardeæ, *& aliis patet*; *cumque* pluviam *similiter præcedat Aëris Condensatio*; (*sed Aer in* Pluvia *postea contrahitur magis, in* Ventis *contra excrescit*) *Necesse est, ut* Pluviæ *habeant complura* Prognostica, *cum* Ventis *communia. De iis consule* Prognostica Pluviarum, *sub titulo suo.*

Imitamenta Ventorum.

Ad Artic. 33.

CONNEXIO.

SI animum homines induere possent, ut Contemplationes suas, in subjecto sibi proposito, non nimium figerent, & cætera tanquam parerga *rejicerent; nec circa ipsum subjectum in infinitum, & plerunque inutiliter subtilizarent; haudquaquam talis, qualis solet, occuparet ipsos stupor, sed transferendo cogitationes suas, & discurrendo, plurima invenirent in longinquo, quæ prope latent. Itaque ut in* Jure Civili, *ita in* Jure Naturæ, *procedendum animo sagaci, ad Similia, & Conformia.*

1. *Folles* apud homines *Æoli utres* sunt: unde *ventum* quis promere possit, pro modulo nostro. Etiam Interstitia, & Fauces Montium, & Ædificiorum Anfractus, non alia sunt, quam Folles majores. In usu autem sunt Folles præcipue, aut ad excitationem Flammarum, aut ad Organa Musica. *Follium* autem ratio est, ut fugant Aerem propter rationem *Vacui*, (ut loquuntur) & emittant per Compressionem.

2. Etiam *Flabellis* utimur manualibus, ad faciendum Ventum, & refrigeria, impellendo solummodo Aërem leniter.

3. De cœnaculorum æstivorum refrigeriis, quædam posuimus in *Responso* ad *Artic.* 9. Possunt inveniri alii modi magis accurati, præsertim si Follium modo alicubi attrahatur Aer, alicubi emittatur. Sed ea, quæ jam in usu sunt, ad simplicem compressionem, tantum referuntur.

4. *Flatus* in *Microcosmo*, & Animalibus, cum *ventis* in Mundo majore, optime conveniunt. Nam & ex humore gignuntur, & cum humore alternant, ut faciunt *venti* & *pluviæ*; & à calore fortiore dissipantur, & perspirant. Ab illis autem, transferenda est certe ea Observatio ad *ventos*; quod scilicet gignantur *Flatus*, ex materia, quæ dat vaporem tenacem, nec facile resolubilem, ut Fabæ, & Legumina, & Fructus; quod etiam, eodem modo se habet in *ventis* majoribus.

5. In destillatione vitrioli, & aliorum Fossilium, quæ sunt magis flatuosa, opus est receptaculis valde capacibus, & amplis, alioqui effringentur.

6. *Ventus* factus ex *Nitro*, commisto in *Pulvere pyrio*, erumpens, & inflans flammam, *ventos* in Universo (exceptis fulminosis) non tantum imitatur, sed exuperat.

7. Hujus autem vires premuntur, in Machinis humanis, ut in Bombardis, & Cuniculis, & domibus pulverariis incensis; utrum autem, si in Aëre aperto magna *pulveris pyrii* moles incensa esset, *ventum* ex Aëris commotione, etiam ad plures horas, excitatura esset, nondum venit in Experimentum.

8. Latet spiritus flatuosus, & expansivus, in *Argento vivo*, adeo ut pulverem pyrium, (ut quidam volunt,) imitetur, & parum ex eo, pulveri pyrio admistum, eum reddat fortiorem. Etiam de *Auro* loquuntur *Chymistæ*, quod periculose, & fere tonitrui modo, in quibusdam præparationibus erumpat; sed de his mihi non compertum est.

Observatio major.

MOtus Ventorum *tanquam in speculo spectatur, in* Motibus Aquarum *quoad plurima.*

Venti magni *sunt Inundationes Aeris, quales conspiciuntur Inundationes Aquarum; utræque ex aucto* Quanto. *Quemadmodum Aquæ aut descendunt ex Alto, aut emanant è Terra; ita &* ventorum *nonnulli sunt dejecti, nonnulli exurgunt. Quemadmodum nonnunquam intra Amnes sunt contrary Motus; unus fluxus Maris, alter Cursus Amnis; & nihilominus unicus efficitur Motus, prævalente fluxu Maris: ita & flantibus* ventis *contrariis, Major in ordinem redigit minorem. Quemadmodum in Currentibus Maris, & quorundam Amnium, aliquando evenit, ut Gurges in summitate Aquæ in contrarium vergat Gurgiti in profundo: ita & in Aere, flantibus simul contrariis* ventis, *alter alterum supervolat. Quemadmodum sunt* Cataractæ Pluviarum, *in spatio angusto; similiter &* Turbines ventorum. *Quemadmodum Aquæ, utcunque progrediantur, tamen si perturbatæ fuerint, interim undulant, modo ascendentes, & cumulatæ, modo descendentes, & sulcatæ; similiter faciunt &* venti, *nisi quod absit* Motus Gravitatis. *Sunt & aliæ similitudines, quæ ex iis, quæ inquisita sunt, notari possunt.*

Canones mobiles de Ventis.

CONNEXIO.

CAnones *aut* Particulares *sunt, aut* Generales; *utrique* Mobiles *apud nos. Nil enim adhuc pronunciamus. At* Particulares *ex singulis fere* Articulis, *possunt decerpi, aut expromi;* Generales, *eosque paucos, ipsi jam excerpemus, & subjungemus.*

1. Ventus *non est aliud quippiam ab Aere moto, sed ipse* Aër Motus; *aut per* Impulsionem simplicem, *aut per* Immistionem Vaporum.

2. Venti *per* Impulsionem *Aeris simplicem, fiunt quatuor modis, aut per Motum Aeris naturalem; aut per Expansionem Aeris in viis solis; aut per Receptionem Aeris ex frigore subitaneo; aut per Compressionem Aeris per Corpora externa.*

Possit esse & quintus Modus, per Agitationem, & Concussionem Aeris ab Astris: *sed sileant paulisper hujus modi res, aut audiantur parca fide.*

3. Ventorum, *qui fiunt per* Immistionem vaporum, *præcipua causa est Superoneratio Aeris, per Aerem noviter factum ex vaporibus; unde moles Aeris excrescit, & nova spatia quærit.*

4. Quantum *non magnum Aeris superadditi, magnum ciet tumorem in Aere circumquaque; ita ut Aer ille novus, ex resolutione Vaporum, plus conferat ad Motum, quam ad Materiam; Corpus autem magnum* venti *consistit ex Aere priore, neque Aer novus Aerem veterem ante se agit, ac si Corpora separata essent; sed utraque commista ampliorem locum desiderant.*

5. *Quando aliud concurrit Principium Motus, præter ipsam Superoneration em Aeris, Accessorium quippiam est illud, & Principale fortificat, & auget; unde fit, ut* venti *magni, & impetuosi, raro oriantur ex Superoneratione Aeris simplici.*

6. *Quatuor sunt Accessoria ad Superoneration em Aeris: Expiratio è subterraneis; Dejectio ex media regione Aeris (quam vocant;) Dissipatio ex Nube facta; & Mobilitas, atque Acrimonia Exhalationis ipsius.*

7. *Motus* venti *quasi semper lateralis est: verum is qui fit per Superoneration em simplicem, usque a principio: is qui fit per Expiration em è terra, aut Repercussionem ab alto, non multo post: nisi Eruptio, aut Præcipitium, aut Reverberatio, fuerint admodum violenta.*

8. *Aer nonnullam compressionem tolerat, antequam Superoneration em percipiat, & Aerem contiguum impellat; ex quo fit, ut omnes* venti *sint paulo densiores, quam Aer quietus.*

9. *Sedantur* venti *quinque modis; aut Coëuntibus vaporibus; aut Incorporatis; aut Sublimatis; aut Transvectis; aut Destitutis.*

10. *Coëunt vapores, atque adeo ipse Aer in pluviam, quatuor modis: aut per Copiam aggravantem, aut per Frigora condensantia, aut per* Ventos *contrarios compellentes; aut per Obices repercutientes.*

11. *Tam Vapores, quam Exhalationes, Materia* ventorum *sunt. Etenim ex Exhalationibus nunquam* Pluvia, *ex vaporibus sæpissime* Venti. *At illud interest, quod facti* venti *ex Vaporibus, facilius se incorporant Aeri puro, & citius sedantur, nec sint tam obstinati, quam illi ex Halitibus.*

12. *Modus, & diversæ conditiones* Caloris, *non minus possunt in Generatione* ventorum, *quam Copia aut Conditiones* Materiæ.

13. *Solis calor, in Generatione* ventorum, *ita proportionatus esse debet, ut eos excitet, sed non tanta copia, ut coëant in* pluviam; *nec tanta paucitate, ut prorsus discutiantur, & dissipentur.*

14. Venti *spirant ex parte Fomitum suorum: cumque Fomites varie disponantur, diversi* venti, *ut plurimum, simul spirant; sed fortior debiliorem, aut obruit, aut flectit in Currentem suum.*

15. *Vbique generantur* venti, *ab ipsa terra superficie, usque ad frigidam Regionem Aeris: sed frequentiores in proximo, fortiores in sublimi.*

16. Regiones, *quæ habent* ventos Asseclas *ex tepidis, sunt calidiores, quam pro ratione* Climatis *sui; quæ ex gelidis, frigidiores.*

Charta humana, sive optativa cum proximis, circa ventos.

OPTATIVA.

1. VEla Navium, *ita componere & disponere, ut minore flatu, majorem conficiant viam. Rei insigniter utilis, ad compendia itinerum per Mare, & parcendum impensis.*

PROXIM. Proximum *non occurrit adhuc inventum, præcise in practica. Sed Consule de eo* Observationes Majores, *super* Art. 26.

2. OPTATIV. Molendina *ad* ventum & vela *ipso-*

ipsorum ita fabricari, ut minore flatu, plus molant. Res utilis ad lucrum.

PROXIM. *Consule de hoc,* Experimenta *nostra, in* Responso *ad* Artic. 72. *ubi videtur res quasi peracta.*

3. OPTATIV. Ventos *orituros, & occasuros, & tempora ipsorum prænoscere. Res utilis ad Navigationes, & Agriculturam; maxime autem ad electiones temporum, ad prælia Navalia.*

PROXIM. *Huc multa pertinent eorum, quæ in Inquisitione, præsertim in* Responso *ad* Articulum 32. *notata sunt: At Observatio in posterum diligentior (si quibus ea cordi erit) patescente jam causa* Ventorum, *longe exactiora* prognostica præstabit.

4. OPTATIV. *Judicium, &* Prognostica *facere per* ventos, *de aliis rebus: veluti primo, si sint* Continentes, *aut* Insulæ *in* Mari, *in aliquo loco, vel potius mare liberum. Res utilis ad* Navigationes *novas, & incognitas.*

PROXIM. Proximum *est, Observatio circa* Ventos statos: *id quo usus videtur* Columbus.

5. OPTATIV. *Itidem de ubertate, aut Caritate, fructuum, & segetum, annis singulis. Res utilis ad lucrum, & venditiones anticipantes, & coëmptiones, ut proditum est de* Thalete, *circa* Monopolium Olivarum.

PROXIM. *Huc pertinent nonnulla, in* Inquisitione *posita, de* Ventis, *aut malignis, aut decussivis, & temporibus, quando nocent, ad* Artic. 29.

6. OPTATIV. *Itidem, de Morbis, & Pestilentiis, annis singulis. Res utilis ad existimationem* Medicorum, *si illa prædicere possint; etiam ad Causas, & Curas morborum; & nonnulla alia Civilia.*

PROXIM. *Huc pertinent etiam nonnulla in* Inquisitione *posita, ad* Art. 30.

MONITUM. *De* Prædictionibus *ex* Ventis, *circa segetes, fructus, & morbos; Consule* Historias Agriculturæ, *&* Medicinæ.

7. OPTATIV. *Ventos excitare, & sedare.*

PROXIM. *De his habentur quædam superstitiosa, &* Magica: *quæ videntur digna, quæ in* Historiam Naturalem *seriam, & severam recipiantur. Neque occurrit nobis, aliquid* Proximum, *in hoc genere. Designatio ea esse poterit, ut Natura Aëris penitus introspiciatur, & inquiratur; si possit inveniri aliquid, quod in quantitate non magna, in Aërem immissum, possit excitare & multiplicare Motum, ad Dilatationem, aut Contractionem, in Corpore Aëris: Ex hoc etenim (si fieri possit) sequentur Excitationes & sedationes* Ventorum; *quale est illud Experimentũ* Plinii *de* Aceto *injecto in occursum* Turbinis, *si verum foret. Altera designatio possit esse, per Emissionem* Ventorum *ex subterraneis, si congregentur alicubi, in magna copia, quale est illud receptum de* Puteo *in* Dalmatia; *verum & loca hujusmodi Carcerum nosse difficile.*

8. OPTATIV. *Complura Ludicra, & mira, per motum* Ventorum *efficere.*

PROXIM. *De his cogitationem suscipere, nobis non est otium.* Proximum *est illud vulgatum* Duellorum *ad* Ventum: *Procul dubio, multa ejusmodi jucunda reperiri possunt; & ad* Motus, *& ad* Sonos.

Aditus ad Titulos in proximos quinque Menses destinatos.

Historia Densi & Rari.

ADITUS.

Nil mirum, si Natura Philosophiæ, & Scientiis Debitrix sit, cum ad reddendas rationes, nunquam adhuc sit interpellata. Neq; enim de Quanto *Materiæ, &* Quomodo *illud per corpora sit distributũ (in aliis copiose, in aliis parce) instituta est Inquisitio diligens, & dispensatoria, secundum veros, aut proximos veris calculos. Illud recte receptum est; Nil deperdi, aut addi Summæ universali: Etiam tractatus est à nonnullis ille locus; Quomodo corpora laxari possint, & contrahi absq; Vacuo intermisto, secundum plus & minus.* Densi *autem &* Rari *Naturas, alius ad Copiam, & paucitatem Materiæ retulit; alius hoc ipsum elusit; pleriq;, Authorem suum secuti, rem totam per frigidam illam distinctionem Actus & Potentiæ discutiunt, & componunt. Etiam qui illa Materiæ rationibus attribuunt, (quæ vera est sententia) neque Materiam primam Quanto plane spoliant, licet ad alias formas æquam volunt, tamen in hoc ipso inquisitionẽ terminant, ulterius nihil quærũt, neq; quid inde sequatur, perspiciunt; remq; quæ ad infinita spectat, & Naturalis Philosophiæ veluti Basis est, aut non attingunt, aut non urgent.*

Primo igitur, quod bene positum est, non movendum: Non scilicet fieri in aliqua transmutatione corporum, Transactionem, aut à nihilo, aut ad nihilum; Sed Opera esse ejusdem Omnipotentiæ, creare ex nihilo, & redigere in nihilum; Ex cursu Naturæ vero hoc nunquam fieri. Itaq; Summa Materiæ totalis semper constat; nil additur, nil minuitur. At istam Summam inter corpora per portiones dividi, nemini dubium esse possit. Neq; enim quisquam subtilitatibus abstractis tam dementatus esse queat, ut existimet tantum Materiæ inesse dolio Aquæ, quantum decem doliis Aquæ; neq; similiter dolio Aëris, quantum decem doliis Aëris. At in corpore eodem non dubitatur, quin Copia Materiæ multiplicetur pro mensura corporis; In corporibus diversis, ambigitur. Quod si demonstretur, unum dolium Aquæ in Aërem versum, decem dare dolia Aëris, (istam enim computationem propter Opinionem receptam sumimus, licet centupla verior sit) bene habet: Etenim jam non ampliùs sunt diversa corpora, Aqua & Aer, sed idem corpus Aëris, in decem doliis. At unum dolium Aëris (ut modo concessum est) decima tantum pars est decem doliorum. Itaq; resisti jam non potest, quin in uno dolio Aquæ, decuplo plus sit materiæ, quam in uno dolio Aëris. Itaq; si quis asserat dolium Aquæ totum, in dolium Aëris unicum verti posse, idem prorsus est, ac si asserat aliquid posse redigi ad nihilum. Etenim una Decima Aquæ ad hoc sufficiet, reliquæ novem partes necesse est ut annihilentur. Contra, si quis asserat, dolium Aëris, in dolium Aquæ verti posse, idem est ac si asserat aliquid posse creari ex nihilo. Etenim Dolium Aëris, nisi ad decimam partem Dolij Aquæ attinget; Reliquæ novem partes necesse est ut fiant ex nihilo. Illud interim plane confitemur, de rationibus, & calculis, & quota parte Quanti Materiæ, quæ diversis corporibus subest, & quæ industria, & sagacitate de illis Informatio vera capi possit, arduam Inquisitionem esse; quam tamen ingens, & latissime fusa utilitas compenset. Nam & Densitates, *&* Raritates *Corporum nosse, & multo magis* Condensationes, *&* Rarefactiones *procurare, & efficere, maxime interest & Contemplativæ, & Practicæ. Cum igitur sit res (si qua alia) plane fundamentalis, & Catholica; Accincti debemus ad*

eam accedere, quandoquidem omnis Philosophia absq; ea, plane discincta, & dissoluta sit.

Historia Gravis & Levis.

ADITUS.

MOtum Gravitatis & Levitatis, *Veteres Motus Naturalis nomine insigniverunt. Scilicet nullum conspiciebant Efficiens externum; nullam etiam Resistentiam apparentem. Quinimo citatior videbatur Motus iste in progressu suo. Huic Contemplationi, vel Sermoni potius, Phantasiam illam* Mathematicam *de Hæsione Gravium ad Centrum Terræ (etiam si perforata foret ipsa Terra,) nec non Commentum illud* Scholasticum, *de Motu Corporum ad loca sua, veluti* salem *asperserunt. His positis, perfunctos se credentes, nil amplius quærebant, nisi quod de* Centro Gravitatis, *in diversis figuris, & de iis, quæ per Aquam vehuntur, paulo diligentius quisqiam ex illis quæsivit. Neq; ex Recentioribus quisquam operæ pretium circa hoc fecit, addendo solummodo pauca* Mechanica, *eaq; per* Demonstrationes *suas detorta. Verum missis verbulis, certissimum est, Corpus non nisi à Corpore pati; nec ullum fieri Motum Localem, qui non sollicitetur, aut à partibus, vel in contiguo, vel in proximo, vel saltem intra Orbem Activitatis suæ. Itaq; vires* Magneticas *non inscite introduxit* Gilbertus, *sed & ipse factus* Magnes; *nimio scilicet plura, quam oportet, ad illas trahens, & Navem ædificans ex* Scalmo.

Historia Sympathiæ & Antipathiæ rerum.

ADITUS.

LIs & Amicitia *in Natura, stimuli sunt Motuum, & Claves Operum. Hinc Corporum Unio & Fuga, hinc Partium Mistio & Separatio, hinc altæ atque intimæ Impressiones Virtutum, & quod vocant, Conjungere activa cum passivis; deniq; Magnalia Naturæ. Sed impura est admodum hæc pars Philosophiæ, de* Sympathia & Antipathia *Rerum, quam etiam* Naturalem Magiam *appellant, atq; (quod semper fere fit) ubi diligentia defuit. Operatio autem ejus in hominibus, prorsus similis est soporiferis nonullis Medicamentis, quæ somnum conciliant, atq; insuper læta, & placentia somnia immittunt. Primo enim Intellectum humanum in saporem conjicit, decantando Proprietates specificas, & Virtutes occultas, unde homines ad veras causas eruendas non amplius excitantur, nec evigilant; sed in hujusmodi otiis acquiescunt: deinde innumera Commenta, Somniorum instar, insinuat, & spargit. Sperant etiam Homines vani,* Naturam *ex fronte & persona cognoscere, & per Similitudines extrinsecas, Proprietates internas detegere. Practica quoq; Inquisitioni simillima. Præcepta enim* Magiæ Naturalis *talia sunt, ac si considerent homines terram subigere, & Panem suum comedere absque* sudore vultus; *& per otiosas, & faciles Corporum Applicationes rerum potentes fieri; semper autē in ore habent, & tanquam sponsores appellant* Magnetem, *consensum* Auri *cum* Argento vivo; *& pauca hujus generis, ad fidem aliarum Rerum, quæ neutiquam simili contractu obligantur. Verum optima quæq; laboribus, tum Inquirendi, tum Operandi, proposuit Deus. Nos in jure Naturæ enucleando, & rerum fœderibus interpretandis, paulo diligentiores erimus; nec Miraculis faventes, nec tam Inquisitionem instituentes humilem, aut angustam.*

Historia Sulphuris, Mercurii, & Salis.

ADITUS.

PRincipiorum Trias *istud à* Chimistis *introductum est; atq; quoad Speculativa, est ex iis, quæ illi afferunt. Inventum optimum. Subtiliores ex iis, quiq; philosophantur maxime* Elementa *volunt esse* Terram; Aquam; Æërem; Æthera; *Illa autem non* Materiam *rerum esse ponunt, sed* Matrices; *in quibus specifica Semina rerum generant, pro naturâ* Matricis. *Pro* Materia *autem* prima *(quam spoliatam, & adiaphoram ponunt* Scholastici) *substituunt illa tria,* Sulphurem, Mercurium, *&* Salem; *ex quibus omnia Corpora sint coagmentata, & mista: Nos vocabula ipsorum accipimus; Dogmata parum sana sunt. Illud tamen non male cum illorum Opinione convenit, quod duo ex illis,* Sulphurem *scilicet, &* Mercurium *(sensu nostro acceptæ) censemus esse Naturas admodum primordiales, & penitissimos* Materiæ Schematismos; *& inter* Formas primæ classis *fere præcipuas. Variare autem possumus Vocabula* Sulphuris *&* Mercurii, *ut ea aliter nominemus;* Oleosum, Aqueum; Pingue, Crudum; Inflammabile, Non inflammabile: *hujusmodi. Videntur enim esse hæ duæ Rerum Tribus magnæ prorsus, & quæ Universum occupant, & penetrant: Siquidem in Subterraneis, sunt* Sulphur, & Mercurius, *ut appellantur: in Vegetabili & Animali genere, sunt* Oleum, & Aqua: *in Pneumaticis inferioribus, sunt* Aër, & Flamma: *in Cœlestibus,* Corpus stellæ, & Æther purum, *verum de ultima hac Dualitate nil adhuc pronunciamus, licet probabilis videatur esse Symbolizatio. Quod vero ad* Salem *attinet; alia res est. Si enim* Salem *intelligunt pro parte Corporis fixa, quæ neq; abit in Flammam, neq; in Fumum; pertinet hoc ad* Inquisitionem Fluidi, & Determinati; *de quibus nunc non est sermo. Sin* Salē *accipi volunt secundū literā, absq; parabola; non est* Sal *aliquid tertium à* Sulphure, & Mercurio, *sed mistum ex utrisq; per spiritum acrem devinctis. Etenim* Sal *omnis habet partes inflammabiles; habet alias, flammam non solum non concipientes, sed eam exhorrentes, & strenue fugientes. Nihilominus cum* Inquisitio *de* Sale, *sit quiddam Affine* Inquisitioni *de duobus reliquis, atq; insuper sit eximij usus, utpote vinculum utriusq; Naturæ,* Sulphureæ & Salis, *& Vitæ ipsius rudimentum; illum etiam in hanc* Historiam, & Inquisitionem *recipere visum est. At illud interim monemus, de* Pneumaticis *illis,* Aëre, Aqua; Stellis, Æthere; *nos illa (prout certe merentur)* Inquisitionibus *proprijs reservare; & de* Sulphure, & Mercurio *(tangibili nimirum vel Minerali, vel Vegetabili, & Animali) hic tantū* Historiam *instituere.*

ADITUS ad historiam Vitæ & Mortis invenitur in historia ipsa jam proxime sequente.

Materiam de forma Calidi, de motu & ratione inveniendi causas fluxus & refluxus maris, invenies in novo Organo.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FRANCISCI BACONI, BARONIS DE VERULAMIO, VICE-COMITIS SANCTI ALBANI, AC SUMMI ANGLIÆ CANCELLARII, HISTORIA VITÆ ET MORTIS.

Impensis JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.

ANNO cIↃ IↃc LXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIVENTIBUS ET POSTERIS SALUTEM.

CUM Historiam Vitæ & Mortis, *inter* Sex Designationes Menstruas, *ultimo loco posuerimus; omnino hoc prævertere visum est, & secundam edere, propter eximiam rei utilitatem; In qua, vel minima temporis jactura, pro pretiosa haberi debet. Speramus enim, & cupimus futurum, ut id plurimorum bono fiat; atq, ut* Medici Nobiliores *animos non nihil erigant; neq, toti sint in* Curatum sordibus; *neq, solum propter* Necessitatem honorentur, *sed fiant demum Omnipotentiæ, & Clementiæ divinæ administri, in* vita Hominum *proroganda & instauranda; præsertim cum hoc agatur per viatutas, & commodas, & civiles, licet intentatas. Etsi enim nos* Christiani *ad* Terram Promissionis *perpetuo aspiremus, & anhelemus; tamen interim itinerantibus nobis, in hac* Mundi Eremo, *etiam* Calceos *istos, & tegmina (Corporu scilicet nostri fragilis) quam minimum atteri, erit signum* Favoris Divini.

HISTORIA VITÆ & MORTIS.

Aditus.

DE *Vita Brevi*, & *Arte longa*, vetus est Cantilena, & querela. Videtur igitur esse tanquam ex congruo, ut nos, qui pro viribus incumbimus ad *Artes perficiendas*, etiam de *Vita* Hominum *producenda*, cogitationem suscipiamus, faveente & *Veritatis*, & *Vitæ Authore*. Etsi enim *Vita* Mortalium, non aliud sit, quam Cumulus, & accessio Peccatorum, & Ærumnarum; quique ad Æternitatem aspirant, iis leve sit lucrum *vitæ*; tamen non despicienda est, etiam nobis *Christianis*, Operum Charitatis Continuatio. Quinetiam *Discipulus Amatus* cæteris superstes fuit; & complures ex *Patribus*, præsertim *Monachis* sanctis, & *Eremitis*, longævi fuerunt; ut isti Benedictioni (toties in *Lege veteri* repetitæ) minus detractum videatur post ævum *Servatoris*, quam reliquis Benedictionibus terrenis. Verum ut hoc pro maximo Bono habeatur, proclive est. De Modis assequendi, ardua Inquisitio; eoque magis, quod sit & Opinionibus falsis, & Præconiis vanis depravata. Nam & quæ à turba *Medicorum*, de *Humore Radicali*, & *Calore Naturali* dici solent, sunt seductoria: & laudes immodicæ *Medicinarum Chymicarum*, primò inflant Hominum spes, deinde destituunt.

Atque de *Morte*, quæ sequitur ex *Suffocatione, Putrefactione*, & variis *Morbis*, non instituitur præsens *Inquisitio*; pertinet enim ad *Historiam Medicinalem*: sed de ea tantum *Morte*, quæ fit per *Resolutionem*, ac *Atrophiam* senilem. Attamen de ultimo passu *Mortis*, atque de ipsa *Extinctione vitæ*, quæ tot modis, & exterius, & interius fieri potest, (qui tamen habent quasi *Atriolum* commune, antequam ad *Articulum Mortis* ventum sit) inquirere; affine quiddam præsenti *Inquisitioni* esse censemus: sed illud postremo loco ponemus.

Quod reparari potest sensim, atque primo *Integro* non destructo, id potentiâ æternum est, tanquam *Ignis Vestalis*. Cum igitur viderent *Medici*, & *Philosophi*, ali prorsus Animalia, eorumque Corpora reparari, & refici neque tamen id diu fieri, sed paulo post senescere ea, & ad Interitum propere deduci; *Mortem* quæ si veruent in aliquo, quod proprie reparari non possit; existimantes *Humorem* aliquem *Radicalem*, & *Primigenium* non reparari in solidum, sed fieri jam usq, ab Infantia Appositionem quandam degenerem, non Reparationem justam; quæ sensim cum Ætate depraveretur, & demum *Pravum* deducat ad *Nullum*. Hæc cogitarunt imperite satis, & leviter. Omnia enim in Animali, sub Adolescentia & Juventute, reparantur integre; quinetiam ad tempus, Quantitate augentur, Qualitate meliorantur; ut Materia Reparationis quasi æterna esse posset, si Modus Reparationis non intercideret. Sed revera hoc fit. Vergente ætate, inæqualis admodum fit Reparatio; aliæ partes reparantur satis fæliciter, aliæ ægre, & in pejus: ut ab eo tempore Corpora humana subire incipiant tormentum illud *Mezentij, Vt viva in amplexu mortuorum immoriantur*, atque facile reparabilia, propter ægre reparabilia copulata, deficiant. Nam etiam post Declinationem, & decursum ætatis, *Spiritus*, *Sanguis*, *Caro*, *Adeps*, facile reparantur; at quæ sicciores, aut porosiores sunt partes, *Membranæ*, & *Tunicæ* omnes, *Nervi*, *Arteriæ*, *Venæ*, *Ossa*, *Cartilagines*, etiam *Viscera* pleraque, deniq: *Organica* fere omnia, difficilius reparantur, & cum jactura. Illæ autem ipsæ partes, cum ad illas alteras Reparabiles partes, actu reparandas, omnino officium suum præstare debeant; activitate sua, ac viribus imminutæ, functiones suas amplius exequi non possunt. Ex quo fit, ut paulo post, omnia ruere incipiant, & ipsæ illæ partes, quæ in natura sua sunt valde reparabiles, tamen deficientibus Organis Reparationis, nec ipsæ similiter amplius commode reparentur, sed minuantur, & tandem deficiant. Causa autem *Periodi* ea est; quod Spiritus, instar Flammæ lenis, perpetuo prædatorius, & cum hoc conspirans Aër externus, qui etiam corpora fugit, & arefacit, tandem officinam Corporis, & Machinas, & Organa perdat, & inhabilia reddat ad Munus Reparationis. Hæ sunt veræ viæ *Mortis naturalis* bene & diligenter animo volvendæ. Etenim qui Naturæ vias non noverit, quomodo is illi occurrere possit, eamq; vertere?

Itaque duplex debet esse *Inquisitio*, altera de *Consumptione*, aut *Deprædatione* corporis humani; altera de ejusdem *Reparatione*, aut *Refectione*: eo intuitu, ut altera, quantum fieri possit, inhibeatur, altera confortetur. Atq; prior istarum pertinet præcipue ad Spiritus, & Aërem externum, per quos fit Deprædatio; Secunda ad universum processum Alimentationis, per quem fit Restitutio. Atque quoad primam *Inquisitionis* partem, quæ est de *Consumptione*, omnino illa cum Corporibus Inanimatis, magna ex parte, communis est. Etenim quæ Spiritus innatus (qui omnibus Tangibilibus, sive vivis, sive mortuis inest) & Aër ambiens, operatur super Inanimata, eadem & tentat super Animata; licet superadditus Spiritus vitalis, illas operationes partim infringat, & compescat, partim potenter admodum intendat, & augeat. Nam manifestissimum est, Inanimata complura, absq; Reparatione, ad tempus bene longum durare posse: At Animata absq; Alimento, & Reparatione, subito concidunt, & extinguuntur, ut & Ignis. Itaque *Inquisitio* duplex esse debet: primo contemplando Corpus humanum, tanquam Inanimatum, & Inalimentatum; deinde tanquam Animatum, & Alimentatum. Verum hæc præfati, ad *Topica Inquisitionis* jam pergamus.

Topica

Topica particularia,
Sive
ARTICULI INQUISITIONIS
de *Vita* & *Morte*.

1.

DE *Natura* Durabilis, & minus Durabilis, *in Corporibus* Inanimatis, *atque simul in* Vegetabilibus, *inquisitionem habeto; non copiosam, aut legitimam, sed strictim, & per Capita, & tanquam in transitu.*

2. *De* Desiccatione, Arefactione, & Consumptione *Corporum* Inanimatorum, & Vegetabilium; *& de* Modis, & Processu *per quos fiunt; atque insuper de* Desiccationis, Arefactionis, & Consumptionis Prohibitione & Retardatione, *Corporumque in suo statu* Conservatione; *atq; rursus de Corporum, postquam semel arefieri cœperint,* Intenerationes, & Emollitione, & Revirescentia, *diligentius inquirito.*

Neq; tamen de his ipsis, perfecta, aut accurata facienda est Inquisitio, cum ex proprio Titulo *Durabilis* hæc deproni debeant, cumq; non sint in Inquisitione præsenti principalia, sed lumen tantummodo præbeant ad Prolongationem, & *Instaurationem* vitæ, in *Animalibus.* In quibus ipsis, (ut jam dictum est) eadem fere usu veniunt, sed suo modo. Ab Inquisitione autem circa *Inanimata, & Vegetabilia,* transeat Inquisitio ad *Animalia* præter *Hominem.*

3. *De* Animalium Longævitate & Brevitate vitæ, *cum circumstantiis debitis, quæ ad hujusmodi Ævitates videantur facere, inquirito.*

4. *Quoniam vero duplex est Duratio Corporum, altera in Identitate simplici, altera per Reparationem; quarum prima in Inanimatis tantum obtinet, secunda in Vegetalibus, & Animalibus, & perficitur per* Alimentationem; *ideo de* Alimentatione, *ejusque vitis, & processu inquirito: neq; id ipsum exacte (pertinet enim ad* Titulos Assimilationis, & Alimentationis) *sed ut reliqua in transitu.*

Ab Inquisitione circa *Animalia* atq; *Alimentata,* transeat illa ad *Hominem*: cum vero jam deventum sit ad Subjectum Inquisitionis principale, debet esse in omnibus Inquisitio magis exacta, & numeris suis absoluta.

5. *De* Longævitate, & Brevitate vitæ *in* Hominibus, *secundum* Ætates Mundi, Regiones, & Climata, & Loca Nativitatis, & Habitationis, *inquirito.*

6. *De* Longævitate, & Brevitate vitæ *in* Hominibus *secundum* Propagines, & Stirpes *suas (tanquam esset hæreditaria;) atq; etiam secundum* Complexiones, Constitutiones, & Habitus *Corporis,* Staturas, *nec-non* modos, & spatia grandescendi, *atque secundum* Membrorum Facturas, & Compages *inquirito.*

7. *De* Longævitate, & Brevitate vitæ *in* Hominibus, *secundum* Tempora Nativitatis, *ita inquirito, ut* Astrologica & Schemata cœli *in præsentia omittas; recipito tantum Observationes (si quæ sint) plebejas, & manifestas, de* partubus septimo, octavo, nono, & decimo Mense; *etiam* Noctu, Interdiu, & *quo* Mense Anni?

8. *De* Longævitate, & Brevitate vitæ *in* Hominibus, *secundum* Victum, Diætas, Regimen vitæ, Exercitia, & *similia, inquirito*; *Nam quatenus ad* Aërem, *in quo vivunt, & morantur* Homines, *de eo, in* Articulo *superiore de* Locis Habitationis, *inquiri debere intelligimus.*

9. *De* Longævitate, & Brevitate vitæ Hominibus *secundum* Studia, & Genera Vitæ, & Affectus Animæ, & *varia* Accidentia, *inquirito.*

10. *De* Medicinis, *quæ putantur vitam prolongare, seorsum inquirito.*

11. *De* Signis & Prognosticis *vitæ longæ, & brevis, non illis quæ* Mortem *denotant in propinquo, (id enim* ad Historiam Medicinalem *pertinet) sed de iis quæ etiam in* Sanitate *apparent, & observantur, inquirito, sive sint* Physiognomica, *sive alia.*

Hactenus instituta est Inquisitio de *Longævitate, & Brevitate vitæ,* tanquam *Inartificialis* & in confuso; huic adjicere visum est *Inquisitionem Artificialem,* atque innuentem ad Praxim, per *Intentiones.* Eæ genere sunt tres. Distributiones autem magis Particulares *Intentionum* earum proponemus, cum ad ipsam *Inquisitionem* ventum erit. Tres illæ *Intentiones* generales sunt: *Prohibitio Consumptionis; Perfectio Reparationis; Renovatio Veterationis.*

12. *De iis quæ* Corpus *in* Homine, *ab* Arefactione, & Consumptione *conservant, & eximunt; aut saltem* Inclinationem *ad eas, remorantur, & differunt, inquirito.*

13. *De iis quæ pertinent ad universum* Processum Alimentationis, (*unde fit* Reparatio *in Corpore* Hominis) *ut sit proba, & minima cum jactura, inquirito.*

14. *De iis quæ* purgant inveterata, & reponunt nova, *quæq; etiam ea, quæ jam arefacta & indurata sunt, rursus intenerant, & humectant, inquirito.*

Quoniam vero difficile est, vias ad *Mortem* nosse, nisi ipsius *Mortis Sedem, & Domicilium,* (vel *Antrum* potius) perscrutatus sis, & inveneris; de hoc facienda est *Inquisitio*; neq; tamen de omni genere *Mortis,* sed tantum de iis *Mortibus,* quæ inferuntur per *Privationem,* & *Indigentiam,* non per *Violentiam*; Illæ enim sunt tantum, quæ ad *Atrophiam Senilem* spectant.

15. *De* Articulo Mortis, & *de* Atriolis Mortis, *quæ ad illum ducant, ab omni parte, (si modo id fiat per* Indigentiam, & *non per* violentiam,) *inquirito.*

Postremo, quoniam expedit nosse *Characterem* & formam *Senectutis,* quod fiet optime, si differentias omnes, in *Statu Corporis, & Functionibus,* inter *Juventutem* & *Senectutem* diligenter collegeris; ut ex iis perspicere possis, quid sit illud tandem, quod in tot effectus frondescat; etiam hanc *Inquisitionem* ne omittito.

De

De differentiis Status Corporis, *&* Facultatum *in* Juventute, *atq; in* Senectute; *& si quid sit ejusmodi, quod in Senectute maneat, neq; minuatur, diligenter inquiritio.*

Natura Durabilis.

Historia.

Ad Artic. 1.

1. METalla *in tantum ævum durant, ut tempus* Durationis *ipsorum, Hominum observationem fugiat. Etiam quando solvuntur, per ætatem in Rubiginem solvuntur, non per Perspirationem;* Aurum *autem per neutrum.*

2. Argentum vivum, *licet humidum sit, & fluidum, atque per Ignem facile fiat volatile; tamen (quod novimus) absq; Igne per ætatem solam, nec consumitur, nec contrahit Rubiginem.*

3. Lapides, *præsertim duriores, & complura alia ex* Fossilibus, *longi sunt ævi; idque licet exponantur in Aerem, multo magis dum conduntur sub Terra: Attamen Nitrum quoddam colligunt* Lapides, *quod illis est instar Rubiginis:* Gemmæ *autem, &* Crystalla, Metalla *ipsa ævo superant; Attamen clarore suo nonnihil, a longa ætate, mulctantur.*

4. *Observatum est,* Lapides *ex parte* Boreæ, *citius temporis edacitate consumi, quam* Austro *expositos; idq; & in Pyramidibus, & in Templis, & aliis Ædificiis manifestum esse:* Ferrum *contra, ad* Austrum *expositum citius Rubiginem contrahere, ad* Septentrionem *tardius, ut in Bacillis illis ferreis, aut Cratibus, quæ ad Fenestras apponuntur, liquet. Nec mirum, cum in omni* Putrefactione *(qualis est Rubigo) Humiditas acceleret* Dissolutionem, *in* Arefactione *simplici, Siccitas.*

5. *In* Vegetabilibus *(loquimur de avulsis nec vegetantibus)* Stemmata Arborum *duriorum, sive trunci, atque ligna, & Materies ex ipsis, per sæcula nonnulla durant. Partes autem* Stemmatis *varie se habent; Sunt enim quædam* Arbores *fistulosæ, ut* Sambucus, *in quibus Pulpa in medio mollior sit, exterius durius; at in* Arboribus *solidis, qualis est* Quercus, *interius (quod* Cor Arboris *vocant) durat magis.*

6. Folia Plantarum, *&* Flores, *etiam* Caules, *exiguæ sunt* Durationis, *sed solvuntur in pulverem, seseq; incinerant nisi putrefiant:* Radices *autem sunt magis durabiles.*

7. Ossa Animalium *diu durant, ut videre est in* Ossuariis, *scilicet Pepositorij,* Ossium *Defunctorum:* Cornua *etiam valde durant; nec non* Dentes, *sicut in* Ebore, *&* Dentibus Equi Marini.

8. Pelles *etiam, &* Corium *valde durant, ut cernere est in* Pergamenis *antiquorum Librorum: quinetiam* Papyrus, *complura sæcula tolerat, licet* Pergamenæ *duratione cedat.*

9. Ignem passa *diu durant, ut* Vitrum, Lateres; *etiam* Carnes, *&* Fructus Ignem passi, *diutius durant, quam crudi: neq; ob id tantum, quod hujusmodi Coctio arceat Putredinem; sed etiam quod emisso* Humore aqueo, Humor oleosus *diutius se sustineat.*

10. Aqua *omnium Liquorum citissime sorbetur ab Aere. Oleum contra tardius evaporat; ut cernere est, non solum in Liquoribus ipsis, verum etiam in Mistis: Etenim Papyrus* Aqua *madefacta, atque inde nonnihil Diaphaneitatis nacta, paulò post albescit, & Diaphaneitatem suam deponit, exhalante scilicet* Vapore Aquæ; *At contra, Papyrus* Oleo *tincta, diu Diaphaneitatem servat, minime exhalante* Oleo: *unde qui Chirographa adulterant,* Papyrum Oleatam *Autographo imponunt, atq; hac industria lineas trahere tentant.*

11. Gummi *omnia valde diu durant; Etiam* Cera, *&* Mel.

12. *At* Æqualitas, *&* Inæqualitas *eorum, quæ Corporibus accidunt, non minus quam res ipsæ, ad* Durationem, *aut Dissolutionem valent. Nam* Ligna, Lapides, *alia, vel in Aqua, vel in Aere perpetuo manentia, plus durant, quam si quandoque alluantur, quandoq; afflentur. Atque* Lapides *eruti, & in Ædificiis positi, diutius durant, si eodem situ, & ad easdem Cœli plagas ponantur, quibus jacebant in Mineris: id quod* plantis *etiam è loco motis, & alio transplantatis, accidit.*

Observationes majores.

1. LOco *Assumpti* ponatur, quod certissimum est; Inesse omni Tangibili *Spiritum,* sive *Corpus pneumaticum,* Partibus tangibilibus obtectum, & inclusum; Atque ex illo *Spiritu* initium capi omnis *Dissolutionis* & *Consumptionis*; Itaq; earundem Antidotum est, *Detentio Spiritus.*

2. *Spiritus* detinetur duplici modo; Aut per *Compressionem* arctam, tanquam in Carcere; aut per *Detentionem* tanquam spontaneam: Atque ea *Mansio* etiam duplici ratione invitatur; videlicet, si *Spiritus* ipse non sit mobilis admodum, aut acer; atque si insuper ab *Aere* ambiente minus sollicitetur ad exeundum. Itaque duo sunt *Durabila; Durum,* & *Oleosum. Durum* constringit *Spiritum: Oleosum* partim demulcet *Spiritum,* partim hujusmodi est, ut ab *Aere* minus sollicitetur; *Aer* enim *Aquæ* consubstantialis, *Flamma* autem *Oleo.* Atque de *Natura Durabilis,* & minus *Durabilis* in *Inanimatis,* hæc inquisita sint.

Historia.

13. Herbæ, *quæ habentur ex Frigidioribus, annuæ sunt, & quotannis moriuntur, tam Radice, quam Caule: ut* Lactuca, Portulaca, *etiam* Triticum, *&* Frumenti *omne genus: Sunt tamen etiam ex frigidis, quæ per tres, aut quatuor Annos durant, ut* Viola, Fragaria, Pimpinella, Primula veris, Acetosa; *At* Borago, *&* Buglossa, *cum videantur vivacitatis similes, Morte differunt;* Borago *enim annua,* Buglossa *Anno superstes.*

14. *At* Herbæ *calidæ plurimæ ætatem, & annos ferunt;* Hyssopus, Thymus, Satureja, Majorana altera, Melissa, Absynthium, Chamædrys, Salvia, *&c. At* Feniculum *Caule moritur, Radice repullulat:* Ocymum *vero, &* Majorana *(quam vocant)* suavis, *non tam Ætatis, quam Hyemis sunt impatientes; satæ enim in loco valde munito, & tepido, superstites sunt: Certe notum est,* Schema *(qualibus in Hortis utuntur ad ornamentum) ex* Hyssopo, *quotannis bis tonsum, usq; ad quadraginta Annos durasse.*

15. Frutices *&* Arbores *humiliores, ad sexagesimum Annum, aliæ etiam duplo magis, vivunt.* Vitis *sexagenaria esse potest, & ferax est etiam in Senectute.* Rosmarinus, *fœliciter collocatus, etiam*

etiam Sexagesimum Annum complet: At Acanthus, *&* Hedera *ultra centesimum durant. Sed* Rubi *Ætas non percipitur, quia flectendo caput in terram novas nanciscitur Radices, ut veterem à nova distinguere haud facile sit.*

16. *Ex* Arboribus *grandioribus annosissimæ sunt* Quercus, Ilex, Ornus, Vlmus, Fagus, Castanea, Platanus, Ficus Ruminalis, Lotos, Oleaster, Olea, Palma, Morus: *ex his nonnullæ usque ad octingentesimum Annum; etiam earum minus vivaces usque ad ducentesimum perveniunt.*

17. *At* Arbores Odoratæ, *&* Resinosæ, *materia sua sive Ligno, etiam illis, quas diximus, magis durabiles; Ætate paulo minus vivaces,* Cupressus, Abies, Pinus, Buxus, Iuniperus; *At* Cedrus *Corporis magnitudine adjutus, etiam superiores fere æquat.*

18. Fraxinus *proventu alacris & velox, Ætatem ad centesimum annum, aut nonnihil ultra producit; quod etiam quandoque facit* Ferula, *&* Acer, *&* Sorbus: *At* Populus, *&* Tilia, *&* Salix, *&* (quam appellant) Sycomorus, *&* Iuglans, *non adeo vivaces sunt.*

19. Malus, Pyrus, Prunus, Malus Punica, Malus Medica, *&* Cytria, Mespilus, Cornus, Cerasus, *ad Quinquagesimum, aut Sexagesimum Annum pervenire possunt, præsertim si à Musco, nonnullas ipsarum vestiente, aliquando purgentur.*

20. *Generaliter Magnitudo Corporis in* Arboribus, *cum Diuturnitate vitæ, (cæteris paribus) nonnihil habet commune; & similiter durities Materiæ: quin &* Arbores *Glandiferæ, & Nuciferæ, Fructiferis & Bacciferis sunt plerunque vivaciores: atque etiam Præcocibus, vel Fructu, vel Foliis, serotinæ & tardius frondescentes, atque tardius etiam Folia deponentes, Ætate diuturniores sunt: quin & sylvestres cultis, & in eadem specie, quæ acidum Fructum ferunt, illis quæ dulcem.*

Observatio major.

3. BEne admodum notavit *Aristoteles*, discrimen inter *Plantas*, & *Animalia*, quoad Alimentationem, & Renovationem, quod scilicet *Corpus Animalium* suis Claustris circumseptum manet; atque insuper postquam ad justam Magnitudinem pervenerit, Alimento continuatur, & conservatur, sed nihil novum excrescit, præter Capillos, & Vngues, quæ pro Excrementis habentur; adeo ut necesse sit Succos *Animalium* citius veterascere: At in *Arboribus*, quæ novos subinde Ramos, nova Vimina, novas Frondes, novos Fructus immittunt, evenit ut & ipsæ, quas diximus, partes novæ sint, nec Ætatem passæ; cum vero, quicquid viride sit, & adolescens, fortius & alacrius Alimentum ad se trahat, quam quod inceperit desiccari; evenit una & simul, ut *Truncus* ipse, per quem hujusmodi Alimentum transit ad *Ramos*, uberiore & lætiore Alimento in transitu irrigetur, perfundatur, & recreetur: Id quod etiam insigniter patet ex hoc (licet illud non annotaverit *Aristoteles*, qui nec ea ipsa, quæ jam diximus, tam perspicuè explicavit) quod in *Sepibus, Sylvis cæduis; Arboribus tonsis*, Amputatio Ramorum, aut Surculorum, Caulem ipsum, aut Truncum confortat, illumque efficit longe diuturniorem.

Desiccatio; Desiccationis prohibitio; & Desiccati Inteneratio.

Historia.

Ad Artic. 2.

1. IGnis, *&* Calor *intensus alia desiccat, alia colliquat;*

Limus ut hic durescit, & hæc ut *Cera* liquescit;
Vno eodemque *Igne.*—

Desiccat Terram, *&* Lapides, *&* Lignum, *&* Pannos, *&* Pelles, *& quæcunque non fluunt: Colliquat* Metalla, *&* Gummi, *&* Butyrum, *&* Sevum, *& hujusmodi.*

2. *At tamen in illis ipsis quæ colliquat* Ignis, *si vehementior fuerit, ea in fine desiccat; nam &* Metalla, *ex* Igne *fortiore, emisso* Volatili, *minuuntur pondere (præter* Aurum*) & deveniunt magis fragilia; atque* Oleosa *illa &* pinguia, *ab* Igne *fortiore deveniunt frixa, & tosta, & magis sicca, & crustata.*

3. Aër, *præcipue apertus, manifesto desiccat, nunquam colliquat, veluti cum viæ, & superficies Terræ, Imbribus madefactæ desiccantur; Linteaota, quæ ad* Aërem *exponuntur, siccantur: Herbæ, &* Folia, *&* Flores, *in umbra siccantur. At multo magis hoc facit* Aër, *si aut* Solis *radiis illustretur, (modo non inducat Putredinem) aut moveatur: ut flantibus Ventis, & in Areis perflatilibus.*

4. Ætas *maximè, sed tamen lentissimè, desiccat, ut sit in omnibus Corporibus, quæ Vetustate (modò non intercipiantur à Putredine) aresiunt:* Ætas *autem nihil est per se, (cum sit Mensura tantum Temporis) sed Effectus producitur à* Spiritu *Corporum innato, qui Corporis Humorem exugit, & una cum ipso evolat: & ab* Aëre *circumfuso, qui multiplicat se super* Spiritus *innatos, &* Succos *Corporis, eosque deprædatur.*

5. Frigus *omnium maximè proprie exiccat: siquidem* Desiccatio *non fit nisi per* Contractionem: *quod est opus proprium* Frigoris. *Quoniam vero nos* Homines Calidum *potentissimum habemus in* Igne: Frigidum *autem infirmum admodum: nihil aliud scilicet quam* Hyemis, *aut fortasse* Glaciei, *aut* Nivis, *aut* Nitri: *ideo* Desiccationes Frigoris *sunt imbecillæ, & facile dissolubiles: videmus tamen desiccari* Faciem Terræ *ex* Gelu, *atque ex* Ventis Martiis *plus, quam ex* Sole: *cum idem* Ventus, *qui* Humorem *lambit, etiam* Frigus *incutiat.*

6. Fumus Foci *desiccat, ut in* Lividis: *&* Linguis Boûm, *quæ in Caminis suspenduntur: quin etiam Suffitus ex Olybano, aut Ligno Aloes, & similibus, desiccat* Cerebrum, *&* Catarrhis *medetur.*

7. Sal, *mora paulo longiore, desiccat, non tantum in extimis, sed etiam in profundo: ut sit in* Carnibus, *aut Piscibus salitis, quæ per diuturnam* Salitionem, *manifesto etiam intrinsecus indurantur.*

8. Gummi *calidiora applicata ad Cutem eam desiccant, & corrugant: quod faciunt etiam* Aquæ *nonnullæ constringentes.*

9. *Spiritus Vini fortis, in tantum desiccat instar* Ignis, *ut & Albumen Ovi immissum candefaciat, & Panem torreat.*

10. Pulveres *desiccant instar Spongiarum,*

sugendo Humidum; ut sit in Pulvere, *Atramento injecto post Scriptionem* : *Etiam* Lævor, *&* Vnio *Corporis (qui non permittit Vaporem* Humidi *ingredi per poros) per Accidens desiccat, quia ipsum* Aëri *exponit; ut sit in Gemmis, & Speculis, & Laminis Ensium; in quæ si spires, cernuntur illa primo vapore obducta, sed paulo post evanescit ille vapor, ut Nubecula. Atque de* Desiccatione *hæc inquisita sint.*

11. Granaria *in usu sunt hodie, ad partes* Germaniæ Orientales, *in Cellis subterraneis, in quibus* Triticum, *& alia Grana conservantur, substrato, & circumposito undique stramine, ad nonnullam altitudinem, quod Humiditatem Cavernæ arceat, & sorbeat: Qua industria servantur Grana etiam ad vicesimum, aut tricesimum Annum; neque servantur tantum à Putredine, sed (quod ad præsentem* Inquisitionem *pertinet) in tali Viriditate, ut Panibus conficiendis optime sufficiant; idemque fuisse in usu in* Cappadocia, *&* Thracia, *& nonnullis locis* Hispaniæ, *perhibetur.*

12. Granaria, *in Fastigiis Ædium, cum Fenestris ad* Orientem *&* Septentrionem *commode collocantur; quin etiam constituunt quidam duo Solaria, superius, & inferius; Superius autem foraminatum est, ut Granum per Foramen (tanquam Arena in Clepsydra) continue descendat, & subinde palis, post aliquot dies, reponatur; ut Granum sit in continuo Motu. Notandum autem est, etiam hujusmodi res, non tantum Putredinem cohibere, verum etiam Viriditatem conservare, & Desiccationem retardare; Cujus causa est ea; quam etiam superius notavimus; quod Evolatio Humoris Aquei, quæ Motu, & Vento acceleratur, Humorem Oleosum in suo esse conservat: qui alias in consortio Humoris Aquei fuisset una evolaturus. Etiam in quibusdam* Montibus *ubi Aer est purus,* Cadavera *ad plures dies manent, non multum defloresscentia.*

13. Fructus, *veluti* Granata, Cytria, Mala, Pira, *& hujusmodi: etiam &* Flores, *ut* Rosa, Lilium, *in Vasis Fictilibus bene obturatis diutius servantur: neque tamen non officit* Aër *ambiens ab extimis, qui etiam per Vas inæqualitates suas defert, & insinuat: ut in Calore, & Frigore manifestum est: itaque si & Vasa diligenter obturentur, atque obturata sub Terram insuper condantur, optimum erit: neque minus utile est, si non sub Terrâ, sed sub Aquis condantur, modo sint umbrosæ, ut Putei, & Cisternæ in Domibus: sed quæ sub Aquis conduntur, melius reponuntur in Vasis Vitreis, quam in* Fictilibus.

14. *Generaliter quæ sub* Terra, *& in* Cellis *subterraneis, aut in profundo Aquarum reponuntur, virorem suum diutius tuentur, quam quæ supra Terram.*

15. *Tradunt in* Conservatoriis Nivium *(sive sint in montibus, in Foveis naturalibus, sive per Artem in Puteis ad hoc factis) observatum fuisse, quod aliquando* Malum, *aut* Castanea, *aut* Nux, *aut simile quippiam inciderit, quæ post plures Menses liquefacta nive, aut etiam intra Nivem ipsam, inventa sunt recentia, & pulchra, ac si pridie essent accepta.*

16. Vvæ *apud Rusticos servantur in* Racemis *coopertis intra* Farinam; *quod licet gustu eas reddat minus gratas, tamen Humorem & Viriditatem conservat; etiam omnes* Fructus *duriores, non tantum in* Farina, *sed in* Scobe Lignorum, *etiam inter Acervos* Granorum *integrorum, diu servantur.*

17. *Invaluit Opinio,* Corpora *intra* Liquores *suæ speciei, tanquam* Menstrua *sua, conservari recentia; ut* Vvas *in* Vino, Olivas *in* Oleo, *&c.*

18. *Servantur* Mala Granata, *&* Cotonea *tincta paulisper in* Aquam Marinam, aut salsam, *& paulo post extracta, & in* Aëre *aperto (modo fuerit in umbra) siccata.*

19. *In* Vino, Oleo, *aut* Amurca *suspensa diu servantur; multo magis in* Melle, *&* Spiritu vini; *atque etiam omnium maxime (ut quidam tradunt) in* Argento Vivo.

20. Incrustatio *etiam* Fructuum Cera, Pice, Gypso, Pasta, *aut aliis oblinimentis, aut capsulis, diutius eos virides conservat.*

21. *Manifestum est* Muscas *&* Araneas, *&* Formicas, *& hujusmodi, casu in* Electro, *aut etiam* Arborum Gummis *immersas, & sepultas, nunquam postea marcescere; licet sint Corpora mollia, & tenera.*

22. Vvæ *servantur pensiles; & sic de aliis* Fructibus; *duplex est enim ejus rei commoditas; una, quod absque ulla contusione, aut compressione fiat, qualis contra fit cum super dura collocantur: altera, quod* Aër *undequaque ipsas æqualiter ambit.*

23. *Notatum est, tam* Putrefactionem, *quam* Desiccationem *in* Vegetabilibus, *non similiter, ex omni parte, incipere: sed maxime ex ea parte, per quam solebant, cum essent viva, attrahere* Alimentum; *itaque jubent aliqui* Pediculos Malorum, *aut* Fructuum, Cera, *aut* Pice *liquefacta, obducere.*

24. Fila Candelarum *aut Lampadum majora citius absumunt Sevum, aut Oleum, quam minora: Etiam* Flamma *ex* Gossipio *citius quam ex Scirpo, aut Stramine, aut Vimine ligneo: atque in* Baculis Cereorum, *citius ex* Iunipero, *aut* Abiete, *quam ex* Fraxino: *Etiam omnis* Flamma *mota, & vento agitata, citius absumit, quam tranquilla: itaque intra Cornu minus cito, quam in aperto: Tradunt quoque,* Lychna *in* Sepulchris *admodum diu durare.*

25. Alimenti *etiam* Natura, *& præparatio non minus facit ad diuturnitatem* Lychnorum, *quam* Natura Flammæ: *Nam* Cera, Sevo *diuturnior est, &* Sevum *paulo madidum,* Sevo *sicciore: &* Cera *dura* Cera *molliore.*

26. Arbores, *si quotannis circa* Radices *earum Terram moveris, brevius durant: si per Lustra aut Decennia, diutius: Etiam* Germina, *&* Surculos *decerpere, facit ad Longævitatem; Item* Stercoratio *aut* Substratio cretæ *& similium, aut multa* Irrigatio. Feracitati *confert, Ætatem minuit. Atque de* Prohibitione Desiccationis, *&* Consumptionis, *hæc Inquisita sunt*

Inteneratio Deficcati *(quæ res est præcipua)* Experimenta *præbet pauca, ideoque nonnulla quæ in* Animalibus *fiunt, atque etiam in* Homine, *conjungemus.*

27. Vi-

27. Vimina Salicis *quibus ad ligandas Arbores utuntur, in Aqua infusa, fiunt magis flexibilia; Similiter* virgarum Ferulæ *extremitates in urceis cum Aqua imponuntur, ne ficcescant; quin & Globuli lusorij, licet per Siccitatem rimas collegerint, positi in Aqua rursus implentur, & consolidantur.*

28. Ocreæ *ex* Corio *vetustate duræ, & obstinatæ, per illinitionem Sevi ad Ignem, molliuntur; etiam Igni simplici admotæ, nonnihil:* Vesicæ, & Membranæ, *postquam fuerunt induratæ, ab Aqua calefacta admixto Sevo, aut aliquo Pingui, intenerantur; melius autem, si etiam paululum confricentur.*

29. Arbores *veteres admodum, quæ diu steterunt immotæ, fodiendo, & aperiendo terram, circa* Radices *ipsarum, manifesto tanquam juvenescunt, novis & teneris Frondibus emissis.*

30. Boves Aratores *veteres, & laboribus penitus exhausti, in læta Pascua inducti,* Carnibus *vestiuntur novis, & teneris, & juvenilibus ut etiam ad Gustum* Carnem Iuvencorum *referant.*

31. Diæta *stricta consumens, & emacians, ex* Guajaco, Pane bis cocto, *& similibus (quali ad curandum* Morbum Gallicum, *& inveteratos* Catarrhos *&* Leucophlegmatiam *utimur)* Homines *ad summam* Macilentiam *deducit, consumptis* Succis *corporis, qui postquam cœperint instaurari, & refici, manifesto cernuntur magis Iuveniles & Virides; quinetiam existimamus* Morbos emaciantes, *postea bene curatos, compluribus Vitam prolongasse.*

Observationes majores.

1. Mlris modis Homines, more *Noctuarum*, in Tenebris *Notionum* suarum acute vident, ad Experientiam, tanquam lucem diurnam, nictant, & cœcutiunt. Loquuntur de *Elementari Qualitate Siccitatis*; & de Desiccantibus; & de naturalibus Periodis Corporum, per quas corrumpuntur, & consumuntur; sed interim, nec de Initiis, nec de Mediis, nec de Extremis *Desiccationis*, & *Consumptionis*, aliquid, quod valeat, observant,

2. *Desiccatio* & *Consumptio*, in Processu suo, tribus Actionibus perficitur; atque originem ducunt Actiones illæ à *Spiritu* innato Corporum, ut dictum est.

3. Prima Actio est, *Attenuatio* Humidi in *Spiritum*; secunda est, *Exitus*, aut Evolatio *Spiritus*: tertia est, *Contractio* partium Corporis crassiorum, statim post *Spiritum* emissum: Atque hoc ultimum est illa *Desiccatio*, & *Induratio* de qua præcipue agimus: priora duo consumunt tantum.

4. De *Attenuatione*, res manifesta est; *Spiritus* enim, qui in omni Corpore Tangibili includitur, sui non obliviscitur; sed quicquid nanciscitur in corpore (in quo obsidetur) quod digerere possit, & conficere, & in se vertere, illud plane alterat, & subigit, & ex eo se multiplicat, & novum Spiritum generat. Hoc ex probatione ea, instar omnium, evincitur; quod quæ plurimum siccantur, Pondere minuuntur, & deveniunt Cava Porosa, & ab intus Sonannantia: certissimum autem est, *Spiritum* rei præinexistentem, ad Pondus nihil conferre, sed illud levare potius; ergo necesse est, ut *Spiritus* præinexistens, Humidum, & Succum Corporis, quæ antea ponderaverant, in se verterit; quo facto pondus minuitur; atque hæc est prima Actio, scilicet *Attenuationis* Humoris, & Conversionis ejus in *Spiritum*.

5. Secunda Actio, quæ est *Exitus*, sive *Evolatio spiritus*, res etiam manifestissima est. Etenim illa *Evolatio*, cum fit confertim, etian sensui patet; in vaporibus Aspectui: in Odoribus Olfactui; verum si sensim fiat *Evolatio*, ut fit per Ætatem, tum demum peragitur sine sensu; sed eadem res est: Quinetiam, ubi Corporis Compages, aut ita arcta est, aut ita tenax, ut *Spiritus* Poros, & Meatus non inveniat, per quos exeat, tum vero etiam partes ipsas crassiores Corporis, in nixu suo exeundi, ante se agit, easque ultra Corporis superficiem extrudit; ut fit in Rubigine *Metallorum*, & in Carie omnium *Pinguium*. Atque hæc est secunda Actio; scilicet *Exitus* & *Evolationis Spiritus*.

6. Tertia Actio paulo magis obscura, sed æque certa est; Ea est Contractio Partium crassiorum post *Spiritum* emissum; atque primo videre est Corpora post *Spiritum* emissum manifesto arctari, & minorem locum complere; ut fit in *Nucleis Nucum*, qui siccati non implent testam; & in Trabibus, & Palis Ligni, quæ primo contiguæ sunt ad invicem, ex *Desiccatione* autem hiant; atque ex Globulis lusoriis, & similibus, qui per siccitatem rimosi evadunt: cum Partes se contrahant, & contractæ necessario spatia inter se relinquant: Secundo patet ex Rugis Corporum siccatorum: Nixus enim se contrahendi, tantum valet, ut Partes contrahendo interim adducat, & sublevet: Quæ enim in extremitatibus contrahuntur, in Mediis sublevantur: atque hæc cernere est in Papyris, & Membranis vetustis: atque in Cute Animalium: atque in Extimis Casei mollioris, quæ omnia vetustate corrugantur: Atque tertio se ostendit amplius hæc *Contractio* in illis, quæ à Calore non tantum corrugantur, verum etiam complicantur, & in se vertuntur, & quasi rotulantur: ut cernere est in Membranis, & Papyris, & Foliis ad ignem admotis. Etenim *Contractio* per Ætatem, cum tardior sit, Rugas fere parit: at *Contractio* per Ignem, quæ festina est, etiam Complicationes. At in plurimis, ubi non datur *corrugatio*, aut *Complicatio*, fit simplex *Contractio*, & *Angustiatio*, & *Induratio*, & *Desiccatio*, ut primo positum est: Quod si eousque invalescat *Evolatio Spiritus*, & *Absumptio Humidi*, ui non relinquatur satis Corporis, ad se uniendum, & contrahendum, tum vero cessat *Contractio* ex necessitate, & Corpus redditur putre, & nihil aliud, quam Pulvisculus cohærens, qui levi tactu dissipatur, & abit in Aërem: ut fit in Corporibus cunctis valde absumptis: & Papyro, & linteo, ad ultimum combustis: & Cadaveribus imbalsamatis post plura sæcula. Atque hæc est tertia illa Actio: scilicet *Contractionis* Partium crassiorum, post *Spiritum* emissum.

7. Notandum est Ignem, & Calorem, per Accidens tantum deficcare; proprium enim eorum Opus est, ut *Spiritum* & Humida attenuent, & dilatent; sequitur autem ex Accidente, ut partes reliquæ se contrahant: sive ob Fugam Vacui tantum, sive ob alium Motum simul: de quo nunc non est Sermo.

8. Certum est etiam *Putrefactionem*, non minus quam *Arefactionem*, à *Spiritu* innato originem ducere, sed longe aliavia incedere, nam in *Putrefactione*, *Spiritus* non emittitur simpliciter, sed ex parte detentus, mira comminiscitur: atque etiam partes crassiores, non tam localiter contrahuntur, quam coëunt singulæ ad *Homogeniam*.

Longævitas, & Brevitas Vitæ in Animalibus.

Historia.

Ad Artic. 3. Connexio.

DE *Diuturnitate, & Brevitate Vitæ in Animalibus*, tenuis est Informatio quæ haberi potest: Observatio negligens: Traditio fabulosa: In *Cicuribus* Vita degener corrumpitur: in Sylvestribus Injuria Cœli intercipit.

Neque quæ Concomitantia videri possint, huic *Informationi* multum auxiliantur (*Moles Corporis*; *Tempus Gestationis in utero*; *Numerus Fœtus*; *Tempus grandescendi*; alia:) propterea quod complicata sunt ista, atque alias concurrunt, alias disjunguntur.

1. Hominis *Ævum cæterorum* Animalium *omnium superat* (*quantum* Narratione *aliqua certa constare potest*) præter *admodum paucorum. Atque Concomitantia in eo, satis æqualiter se habent*; Statura & Magnitudo *grandis*; Gestatio *in* Vtero *novimestris*: Fœtus *ut plurimum unicus*; Pubes *ad Annum decimum quartum*: Grandescentia *ad vigesimum*.

2. Elephas, *fide haud dubia, curriculum Humanæ Vitæ ordinarium transcendit*: Gestatio *autem in utero decennalis, fabulosa*; *Biennalis, aut saltem supra annuam, certa*: *At* Moles *ingens*, & Tempus grandescendi *usque ad Annum tricesimum*: Dentes *Robore firmissimo*: *Neque etiam Observationem* Hominum *fugit, quod* Sanguis Elephanti *omnium sit frigidissimus*: Ætas *autem ducentesimum Annum nonnunquam complevit*.

3. Leones *vivaces habiti sunt, quod complures ex iis reperti sint edentult*; *Signo nonnihil fallaci*; *cum illud fieri possit ex* Gravitate Anhelitus.

4. Vrsus *magnus Dormitor est*; Animal *pigrum, & iners, neque tamen Vivacitatis notatum*: *Illud autem signum brevis Ævi*; *quod* Gestatio *ejus in* utero *sit festina admodum, vix ad quadraginta dies*.

5. Vulpi *multa se bene habere videntur ad* Longævitatem: *optime tecta est, Carnivora, & degit in Antris, neque tamen* Vivacitatis *notata*: *Certe est Generis* Canini, *quod Genus brevioris est vitæ*.

6. Camelus *longævus est*; Animal *macilentum, & nervosum*; *ita ut quinquaginta Annos ordinario, centum quandoque compleat*.

7. Equi *vita mediocris, vix quadragesimum Annum attingit*, *Ordinarium autem curriculum, viginti Annorum est*: *Sed hanc* Brevitatem vitæ *fortasse* Homini *debet*: *Desunt enim jam nobis* Equi Solis, *qui in Pascuis liberi, & læti degebant. Attamen crescit* Equus *usque ad sextum Annum, & generat in Senectute. Gestat etiam in utero* Equa *diutius, quam* Fœmina, *& in* Gemellis *rarior est*. Asinus *similis fere ævi ut* Equus: Mulus *utroque vivacior*.

8. Cervorum *vita celebratur vulgo ob Longitudinem*; *neque tamen* Narratione *aliqua certa*: *Nescio quid de* Cervo Torquato, *cooperta Torque ipsa pinguedine carnis, circumferunt. Eo minus credibilis est Longævitas in* Cervo, *quod quinto Anno perficitur*; *atque non multo post, Cornua* (*quæ annuatim decidunt, & renovantur*) *succedunt magis conjuncta fronte, & minus ramosa*.

9. Canis *brevis est ævi, non extenditur Ætas ultra Annum vicesimum*; *neque sæpe attingit ad decimum quartum*: Animal *ex calidissimis*; *atque inæqualiter vivens*; *cum, ut plurimum, aut vehementius moveat, aut dormiat. Etiam Multiparum est, & novem Septimanas gestat in utero*.

10. Bos *quoque, pro Magnitudine & Robore, admodum brevis est ævi, quasi sexdecim Annorum*; *Maresque Fœminis nonnihil vivaciores*: *Attamen unicum plerumque edit Partum, & gestat in utero circa sex Menses*. Animal *pigrum, & carnosum, & facile pingescens*, & Herbis *solis pastum*.

11. *At Decennalis ætas in* Ovibus *etiam rara est*: *licet sit* Animal *mediocris Magnitudinis, & optime tectum*: *atque quod mirum, cum minimum in illis reperiatur Bilis*: *Capillitium habent omnium crispissimum*: *neque enim* Pilus *alicujus Animalis tam tortus est, quam* Lana. Arietes *ante tertium Annum non generant, atque habiles sunt ad generandum, usque ad octavum*: Fœmellæ *pariunt quamdiu vivunt. Morbosum* Ovis Animal, *nec* Ætatis *suæ curriculum fere implet*.

12. Caper *etiam similis est Ævi cum* Ove, *nec dispar multum in cæteris*: *licet sit* Animal *magis agile, & carne paulo firmiore, eoque debuerit esse vivacius*: *attamen salacius est multo, eoque brevioris Ævi*.

13. Sues *ad quindecim Annos quandoque vivunt, etiam ad viginti, cumque sint Carne, inter* Animalia *omnia humidissima, tamen nihil videtur hoc proficere ad Longitudinem vitæ*: *De* Apro *aut* Sue Silvestri, *nil certi habetur*.

14. Felis *Ætas est inter sextum Annum, & decimum*: *Agile* Animal, & *Spiritu acri, cujus Semen* (*ut refert* Ælianus) Fœmellam *adurit*: *unde increbuit opinio*: *Quod* Felis *concipit in Dolore, & parit cum Facilitate*: *vorax est in* Cibis, *quos potius deglutit, quam mandit*.

15. Lepores, & Cuniculi *vix ad septem Annos perveniunt*: Animalia *Generativa, etiam Superfœtantia*: *In hoc disparia*: *quod* Cuniculus *sub terra vivit*, Lepus *in aperto*: *quodque* Leporis *carnes atriores sint*.

16. Aves *mole Corporis*, Quadrupedibus *longe sunt minores*: *Pusilla enim res est* Aquila *aut* Cignus,

Cignus, *præ* Bove, *aut* Equo; *item* Struthio *præ* Elephanto.

17. Aves *optime tectæ sunt: Pluma enim tepore, & incubitu presso ad Corpus, & Lanam, & Capillitia excedit.*

18. Aves, *cum plures pariant, eos simul in Alvo non gestant, sed Ova excludunt per vices: unde liberalius sufficit Alimentum Fœtui.*

19. Aves *parum, aut nihil Alimenta mandunt, ut integrum sæpe reperiatur in gulis ipsarum. Attamen frangunt Fructuum Nuces, & Nucleum excerpunt. Existimantur autem esse Concoctionis fortis, & calidæ.*

20. *Motus* Avium, *dum volant; mixtus est, inter Motum Artuum, & Gestationem; Saluberrimum Exercitationis genus.*

21. *De* Avium *Generatione* Aristoteles *bene notavit, (sed male ad alia* Animalia *traduxit) minus scilicet conferre Semen* Maris *ad Generationem; sed Activitatem potius indere, quam Materiam; unde etiam Ova fœcunda, & sterilia; in plurimis non dignoscuntur.*

22. Aves *quasi omnes, ad Magnitudinem suam justam perveniunt, primo Anno, aut paulo post: verum est, quoad Plumas in nonnullis; quoad Rostrum in aliis, Annos numerari; ad Magnitudinem autem Corporis, minime.*

23. Aquila *pro* longæva *habetur; Anni non numerantur: Etiam in Signum trahitur* Longævitatis, *quod Rostra removet, unde juvenescat: ex quo illud,* Aquilæ Senectus. *Attamen res fortasse ita se habet: ut Instauratio* Aquilæ *non mutet Rostrum, sed contra, Mutatio Rostri instauret* Aquilam: *Postquam enim Rostrum, adunctitate sua nimium increverit, pascit* Aquila *cum difficultate.*

24. Vultures *etiam* longævi *perhibentur; adeo ut vitam fere ad centesimum Annum producant:* Milvi *quoque, atque adeo omnes* Volucres Carnivoræ *&* Rapaces, *diuturnioris sunt ævi. De* Accipitre *autem, quia vitam degit degenerem, & servilem, ex usu humano, minus certum fieri possit judicium, circa periodum ejus Vitæ naturalem: Attamen ex Domesticis, deprehensus est* Accipiter, *aliquando ad Annos triginta vixisse; ex Sylvestribus, ad quadraginta.*

25. Corvus *traditur esse similiter* longævus, *aliquando centenarius: Carnivora* Avis, *neque admodum frequens in Volatu: sed magis Sedentaria, & Carnibus admodum atris. At* Cornix, *cætera (præterquam Magnitudine, & Voce) similis; paulo minus diu vivit, sed tamen habetur ex Vivacibus.*

26. Cygnus, *pro certo, admodum* longævus *invenitur, & centesimum Annum haud raro superat:* Avis *optime plumata,* Ichthyophaga, *& perpetuo in Gestatione, idque in* Aquis Currentibus.

27. Anser *quoque ex* longævis: *licet* Herba, *& id genus Pabulo nutriatur; Maxime autem* Sylvestris: *adeo ut in* Proverbium *apud* Germanos *sit,* Magis senex quam Anser Nivalis.

28. Ciconiæ longævæ *admodum esse deberent, si verum esset, quod antiquitus notatum fuit: Eas* Thebas *nunquam accessisse, quia urbs illa sæpius capta esset: Id si cavissent, aut plusquam unius sæculi memoriam habebant, aut Parentes pullos suos* Historiam *edocebant: verum omnia* Fabellis *plena.*

29. *Nam de* Phænice *tantum accrevit* Fabulæ, *ut obruatur, si qua in ea re fuit veritas. Illud autem, quod Admirationi erat, cum, magno aliarum* Avium *Comitatu, volantem semper visum, minus mirum, Cum hoc etiam in* Vlula *interdiu volante, aut* Psittaco *è Cavea emisso, ubique cernere detur.*

30. Psittacus, *pro certo, usque ad Sexaginta annos, cognitus est vivere apud nos, quotquot supra habuisset, cum huc esset transvectus.* Avis *Cibi quasi omnigeni, atque etiam mandens Cibos, atque mutans subinde Rostrum; Aspera, & ferocula, Carnibus atris.*

31. Pavo *ad Viginti annos vivit; Oculos autem* Argus *non recipit ante Trimatum: Tardigrada* Avis, *Carnibus vero caudidis.*

32. Gallus gallinaceus, *salax, pugnax, & brevis Ævi: Alacris admodum* Ales *& Carnibus etiam albis.*

33. Gallus Indicus, *aut* Turcicus (*quem vocant*) gallinacei *Ævum parum superat: Iracundus* Ales, *& Carnibus valde albis.*

34. Palumbes *sunt ex vivacioribus, ut quinquagesimum Annum aliquando compleant: Aerius* Ales, *& in alto & nidificans. & sedens.* Columbæ *vero, ac* Turtures, *vita breves, usque ad Annum octavum.*

35. *At* Phasiani, *&* Perdices *etiam decimum sextum Annum implere possunt.* Aves *numerosi Fœtus, Carnibus autem paulo obscurioribus, quam* Pullorum *genus.*

36. *Fertur de* Merula, *quod sit ex* Avibus *minoribus, maxime* longæva; *Procax certe* Avis, *& vocalis.*

37. *Passer notatur esse Ævi brevissimi: Id quod ad Salacitatem refertur in* Maribus: *At* Carduelis *corpore haud major, deprehensus est vivere ad Annos viginti.*

38. *De* Struthionibus *nihil certi habemus; qui domi nutriuntur, adeo infœlices fuerunt, ut non deprehensi sint diu vivere; De* Ave Ibi *constat tantum quod sit* longæva: *Anni non numerantur.*

39. Piscium *vita magis incerta est quam* Terrestrium, *quum sub* Aquis *degentes minus observentur: Non respirant ex ipsis plurimi: unde* Spiritus *Vitalis magis conclusus est: Itaque licet refrigerium excipiant per Branchias, haud tamen ita continua sit Refrigeratio, quam per* Anhelitum.

40. *In* Aquis *cum degant, à* Deficcatione *illa, &* Deprædatione, *quæ fit per Aerem ambientem, immunes sunt; Neque tamen dubium est, quin* Aqua *ambiens, atque intra poros Corporis penetrans, & recepta, plus noceat ad Vitam quam* Aer.

41. Sanguinis *perhibentur esse minus tepidi; Suntque nonnulli ipsorum voracissimi, etiam Speciei propria:* Caro *autem ipsorum mollior est, quam* Terrestrium, *& minus tenax.* Attamen *pinguescunt majorem in modum, ut ex* Balænis *infinita extrahatur Quantitas Olei.*

42 Delphini *traduntur vivere Annos circa triginta, capto Experimento in aliquibus à Cauda præcisa; Grandescunt autem ad Annos decem.*

43. *Mirum est, quod referunt de* Piscibus, *quod Ætate, post annos nonnullos, plurimum attenuantur Corpore, manente Cauda, & Capite, in Magnitudine priore.*

44. *Deprehensæ sunt aliquando, in* Piscinis Cæsarianis, Muræna *vixisse ad Annum sexagesimum. Certe redditæ sunt longo usu tam familiares, ut* Crassus Orator *unam ex illis deflevérit.*

45. Lucius, *ex* Piscibus *Aquæ dulcis, longissime vivere reperitur; ad Annum quandoque quadragesimum:* Piscis *vorax, & Carnibus siccioribus, & firmioribus.*

46. *At* Carpio, Abramus, Tinca, Anguilla, *& hujusmodi, non putantur vivere ultra Annos decem.*

47. Salmones *cito grandescunt, brevi vivunt; Quod etiam faciunt* Trutæ; *At* Perca *tarde crescit, & vivit diutius.*

48. *Vasta illa moles* Balænarum, *& Orcarum, quamdiu Spiritu regatur, nil certi habemus; Neque etiam de* Phocis, *aut* Porcis Marinis, *& aliis* Piscibus *innumeris.*

49. Crocodili *perhibentur esse admodum vivaces, atque grandescendi Periodum itidem habere insignem; adeo ut hos solos ex* Animalibus *perpetuo, dum vivunt, grandescere Opinio sit.* Animal *est Oviparum, vorax, & sævum; & optime tectum contra Aquas. At de reliquo* Testaceo *genere nihil certi, quod ad Vitam ipsorum attinet.*

Observationes majores.

NOmam aliquam *longævitatis*, & *Brevitatis vitæ* in *Animalibus*, invenire difficile est, propter Observationum negligentiam, & Causarum Complicationem: Pauca notabimus.

1. Inveniunturplures ex *Avibus Longævæ*, quam ex *Quadrupedibus*; (sicut *Aquila, Vultur, Milvus; Pelicanus, Corvus, Cornix, Cygnus, Anser, Ciconia, Grus, Ibis, Psittacus, Palumbis*, &c.) licet intra Annum perficiantur, & minoris sint Molis. Tegumentum certe ipsarum *Avium*, contra Intemperies Cœli, optimum est: cumque in *Aere libero* plerumque degant, similes sunt *Habitatoribus Montium* puriorum, qui *longævi* sunt. Etiam Motus ipsarum: qui (ut alibi dictum est) mixtus est ex *Gestatione*, atque *Motu Artuum*, minus fatigat, aut concutit, & magis salubris est: Neque in *utero Matrum*, Compressionem, aut Penuriam Alimenti patiuntur Initia *Volatilium*; quia Ova per vices excluduntur: Maxime vero omnium illud in causa esse arbitramur: Quod fiant *Aves*, magis ex Substantia *Matris*, quam *Patris*; unde *Spiritum* nanciscuntur minus acrem, & incensum.

2. Poni possit, *Animalia*, quæ creantur magis ex Substantia *Matris*, quam *Patris*, esse *longæviora*, quemadmodum *Aves*, ut dictum est: Etiam, quæ longiore tempore gestantur in Alvo, plus habere ex Substantia *Matris*, minus è Semine *Patris*; ac proinde diuturnioris Ævi esse. adeo ut existimemus etiam inter *Homines*, (quod in aliquibus notavimus) eos qui similiores sunt *Matribus*, diutius vivere; *Nec non* Liberos Senum, *qui ex uxoribus Adolescentulis* progignuntur, modo fuerint *Patres* sani, & non morbidi.

3. *Initia Rerum*, & injuriæ, & auxilio maxime subjiciuntur: Itaque minorem *Compressionem*, & liberaliorem *Alimentationem Fœtus in Utero*, ad *Longævitatem* multum conferre par est: Id fit, aut cum exeunt *Fœtus* per vices, ut in *Avibus*; aut cum pariuntur unici, ut in *Animalibus uniparis.*

4. At Tempus longius *Gestationis in utero*, tripliciter facit ad *Longitudinem vitæ*. Primo, quod plus habet *Fœtus* ex Substantia *Matris*, ut dictum est: Deinde, quod prodit confirmatior: Postremo, quod *Aeris* vim prædatoriam tardius experitur. Quinetiam denotat, Periodos ipsius Naturæ per majores fieri Circulos Atque licet, & *Boves*, & *Oves*, qui in *Utero* manent circiter sex Menses brevioris sint Ævi, tamen id ex aliis causis ortum habet.

5. *Comestores Graminis* & *Herbæ* simplicis brevis sunt Ævi; longioris autem *Animalia carnivora*, aut etiam *Seminum*, & *Fructuum*, *Comestores*, sicut *Aves*: Nam etiam *Cervi*, qui longævi sunt, quasi dimidium Pabuli (ut vulgo loquuntur) *supra caput petunt*; *Anser* autem, præter *Gramen*, etiam aliquid invenit ex *Aquis*, quod juvet.

6. *Integumentum Corporis* ad *Longævitatem* multum conferre arbitramur: *Aeris* enim Inæqualitates (quæ mitis modis corpus labefactant, & subruunt) propulsat, & longius arcet; Id quod in *Avibus* præcipuè viget; At quod *Oves*, licet bene tectæ sint, parum vivant; id Morbis, (qui illud *Animal* obsident) atque simplici Esui *Graminis*, imputandum est.

7. *Spirituum Sedes* principalis proculdubio est in *Capite*; atque licet ad *Animales Spiritus* tantum, hoc vulgo referatur, tamen illud ipsum ad omnia pertinet: Neque illud dubium, quod *Spiritus* maximè Corpus lambunt, & consumunt, adeo ut aut major Copia ipsorum, aut major Incensio & Acrimonia, plurimum Vitam abbreviet: Itaque existimamus magnam causam *Longævitatis* in *Avibus* esse, quod pro Mole *Corporis Capita* habeant tam minuta, adeo ut etiam *Homines* qui valde magnum habent Cranium, minus diu vivere existimemus.

8. *Gestationem* (in prius notavimus) omne aliud genus Motus, ad Longitudinem vitæ superare arbitramur: Gestantur autem *Aves Aquatiles*, ut *Cygnus*: atque *Aves* omnes in Volatu, sed cum Artuum Motu subinde contentiore: & *Pisces*: de quorum vitæ Longitudine parum certi sumus.

9. Quæ longiore tempore perficiuntur (non loquendo de *Grandescentia* sola, sed de aliis *Gradibus* ad *Maturitatem*: sicut *Homo* primo emittit *Dentes*, deinde *Pubem*, deinde *Barbam*. &c.) longæviora sunt: Indicat enim Periodos confici per majores Circulos.

10. *Animalia mitiora* longæva non sunt, ut *Ovis, Columba*: *Bilis* enim complurium Functionum in Corpore veluti *Cos* est, & *Stimulus*.

11. *Ani-*

11. *Animalia*, quorum Carnes sunt paulo atriores, longioris sunt vitæ, quam quæ Carnibus sunt candidis; Indicat enim Succum Corporis, magis firmum, & minus dissipabilem.

12. *In omni Corruptibili, Quantitas* ipsa multum facit ad *Conservationem Integri*: Etenim *Ignis* magnus longiore tempore extinguitur; *Aquæ* Portio parva citius evaporat, *Truncus* non tam cito arescit, quam *Vimen*: Itaque generaliter (in *Speciebus* dico, non in *Individuis*) quæ Mole grandiora sunt *Animalia*, pusillis sunt *longæviora*: nisi aliqua alia Causa potens Rem impediat.

ALIMENTATIO

& *Via Alimentandi.*

Historia.

Ad Artic. 4.

1. ALimentum *erga* Alimentatum *debet esse Naturæ inferioris, & simplicioris substantiæ*: Plantæ *ex Terra & Aqua nutriuntur*; Animalia *ex Plantis*; Homines *ex Animalibus*: *Sunt &* Animalia Carnivora, *atque* Homo *ipse Plantas sumit in partem* Alimenti: Homo *vero, &* Carnivora Animalia, *ex Plantis solis ægre nutriuntur; possunt fortasse ex Fructibus, & seminibus Igne coctis, multo usu nutriri, sed Foliis Plantarum, aut Herbarum, minime; ut* Ordo Foliatanorum *Experimento comprobavit.*

2. At *nimia* Proximitas, *aut Consubstantialitas* Alimenti *erga* Alimentatum, *non succedit: Etenim* Animalia, *quæ Herbis vescuntur, Carnes non tangunt: Etiam ex* Carnivoris Animalibus, *pauca Carnes propriæ Speciei sapiunt*: Homines *vero, qui* Anthropophagi *fuerunt, ordinario tamen Humanis Carnibus non vescebantur; sedant ex Vltione in Inimicos, aut pravis Consuetudinibus in illud desiderium lapsi sunt*: At Arvum, *Grano ex ipso proveniente, fœliciter non seritur: neque in Insitione, Surculus aut Virgultum, in proprium Truncum immitti solet.*

3. *Quo* Alimentum *melius est præparatum, & paulo propius accedit ad Substantiam* Alimentati, *eo* Plantæ *feraciores sunt, &* Animalia *Habitu sunt pinguiora: Neque enim Virgultum aut Surculus, in Terram immissus, tam bene pascitur, quam si idem immittatur in Truncum, cum natura sua bene consentientem, ubi invenit* Alimentum *digestum, & præparatum: Neque etiam (ut tradunt)* Semen Cepæ, *aut similium, in Terram immissum, tam magnam producit Plantam, quam si Semen in aliam* Cepam *indatur, Insitione quadam in Radicem, & Subterranea: Quinetiam nuper inventum est, Virgulta* Arborum Sylvestrium *veluti* Vlmi, Quercus, Fraxini, *& similium, in Truncos insita, longe majora proferre* Folia, *quam quæ sine Insitione proveniunt: Etiam* Homines *Carnibus crudis, non tam bene pascuntur, quam Ignem passis.*

4. Animalia *per Os nutriuntur*: Plantæ *per Radices*: Fœtus Animalium Vtero *per Vmbilicum*: Aves, *ad parum temporis, ex Vitelis Ovorum suorum: quorum nonnulla pars, etiam postquam exclusæ sunt, in gulis earum invenitur.*

5. *Omne* Alimentum *movet maxime à Centro ad Circumferentiam, sive ab Intra ad Extra; Attamen notandum est*, Arbores *& Plantas potius per Cortices, & Extima, quam per Medullas, & Intima, nutriri: Etenim si circumcirca decorticatæ fuerint, licet ad Spacium parvum, non vivunt amplius: Atque* Sanguis *in Venis* Animalium, *non minus Carnes sub illis sitas nutrit, quam supra illas.*

6. *In omni* Alimentatione *duplex est Actio*, Extrusio, & Attractio; *Quarum prima à Punctione interiore, altera ab exteriore procedit.*

7. Vegetabilia *assimilant Alimenta sua simpliciter, absque Excretione: Etenim* Gummi, *&* Lachrymæ *potius Exuberantiæ, quam Excretiones sunt*: Tuberes *autem Morbi potius*: *At* Animalium *Substantia magis sui similis est perceptiva; Itaque cum Fastidio conjuncta est, & inutilia rejicit, Vtilia assimilat.*

8. *Mirum est de* Pediculis Fructuum: *quod omne* Alimentum, *quod tantos quandoque producit Fructus, per tam angusta* Collula *transire cogitur*: Fructus *enim nunquam Trunco inhæret absque Pediculo aliquo.*

9. *Notandum* Semina Animalium *Nutritionem non excipere, nisi recentia*: *At* Semina Plantarum *manent alimentabilia ad longum Tempus*: *Attamen* Virgulta *non germinant, nisi indantur recentia*: *neque* Radices *ipsæ longius vegetant, nisi sint Terra cooperta.*

10. *In* Animalibus *Gradus sunt Nutrimenti pro Ætate*: Fœtui *in* utero *sufficit Succus maternus*: A Nativitate *Lac: postea Cibi, & Potus: Atque sub* Senectute *crassiores ferè Cibi, & sapidiores placent.*

[*Mandatum.*] Præcipue omnium ad *Inquisitionem* præsentem facit, diligenter, & attente indagare: utrum non possit fieri *Nutritio* ab extra; aut saltem non per Os? Certè *Balnea* ex Lacte exhibentur in Marasmis, & Emaciationibus: neque desunt ex *Medicis*, qui existimant *Alimentationem* nonnullam fieri posse per *Clysteria*: omnino huic rei incumbendum: si enim *Nutritio* fieri possit, aut per Extra, aut alias quam per Stomachum, tum verò Debilitas Concoctionis, quæ ingruit in Senibus, illis auxiliis compensari possit, & tanquam in Integrum restitui.

LONGÆVITAS

& Brevitas vitæ in Homine.

Historia.

Ad Artic. 5. 6. 7. 8. 9. & 11.

1. ANte Diluvium, *plura Centenaria Annorum vixisse* Homines, *refert sacra* Scriptura: *Nemo tamen* Patrum *millesimum Annum complevit. Neque hæc Vita Diuturnitas*, Gratiæ *aut* Lineæ Sanctæ, *attribui possit: cum recenseantur, ante* Diluvium, Patrum Generationes *undecim: at* Filiorum Adami *per* Cain *tantum* Genera-

tiones *octo: ut* Progenies Cain *etiam longævior videri possit. Ista vero* Longævitas, *immediate post* Diluvium, *dimidio corruit; sed in* Post-natis: *Nam* Noah *qui ante natus erat, Majorum Ætatem æquavit; & Sem ad sexcentesimum Annum pervenit. Deinde post tres* Generationes *à* Diluvio, Vita Hominum, *ad quartam quasi partem Ætatis primitivæ reducta est; videlicet, ad annos circiter ducentos.*

2. Abraham *Annos Centum Septuaginta Quinque vixit; Vir Magnanimus, & cui cuncta cedebant prospere.* Isaac *autem ad annum Centesimum, & Octogesimum pervenit; Vir Castus, & Vitæ quietioris. At* Iacob, *post multas Ærumnas, & numerosam Sobolem, ad annum centesimum quadragesimum septimum duravit; Vir patiens, & lenis, & astutus.* Ishmaël *autem, Vir militaris, Annos centum triginta septem vixit. At* Sarah, *(cujus unica ex Fœminis Anni recensentur,) mortua est Anno Ætatis suæ centesimo vicesimo Septimo; Mulier decora, & magnanima, optima* Mater *&* Vxor, *neque tamen minus libertate, quam Obsequio erga Maritum, clara.* Ioseph *etiam, Vir prudens, & politicus, in Adolescentia afflictus, postea in magna fœlicitate Ætatem transigens, ad Annos centum & decem vixit.* Levi *autem Frater ejus, natu major, centesimum tricesimum septimum Annum complevit: Vir contumeliæ impatiens & Vindicativus. Eandemque fere ætatem attigit* Filius Levi: *itemque* Nepos *ejus, Pater* Aaronis, *&* Mosis.

3. Moses *centum viginti Annos vixit, Vir animosus & tamen* mitissimus, *lingua autem impeditus. Ipse vero* Moses, *in* Psalmo *suo, Vitam* Hominis *pronunciavit annorum tantum Septuaginta, & si quis Robustior fuerit, Octoginta esse: quæ certe Mensura Vitæ, usque ad hodiernum diem, maxima ex parte, durat.* Aaron *autem Tribus Annis Senior, eodem, cum Fratre, Anno mortuus est: Vir Lingua promptior, Moribus facilior; & minus constans. At* Phineas Aaronis Nepos, *(ex Gratia fortasse extraordinaria,) ad Trecentesimum Annum vixisse colligitur, si modo* Bellum Israelitarum *contra* Tribum Benjamin *(in qua Expeditione* Phineas *consultus est) eadem serie Temporum gestum sit, quæ res in Historia narratur: Vir erat omnium maxime* Zelotes. Ioshua *autem, Vir Militaris, & Dux egregius, & perpetuo florens, ad Annum Centesimum & Decimum vixit. Cui* Caleb *fuit* contemporaneus, *& videtur fuisse Æquævus:* Ehud *autem* Iudex, *etiam Centenarius ad minimum fuisse videtur, cum post devictos* Moabitas, *Octoginta Annos, sub ejus Regimine* Terra Sancta *quievisset: Vir Acer, & Intrepidus, quique pro Populo se quodammodo devovisset.*

4. Iob *post Instaurationem Fœlicitatis suæ, Annos Centum & Quadraginta vixit, cum ante Afflictiones suas, eorum Annorum fuisset, qui Filios habuerit Ætatis Virilis: Vir Politicus, & Eloquens, & Evergetes, &* Exemplum Patientiæ. Eli Sacerdos *vixit Annos nonaginta octo: Vir Corpore obesus, Animo placidus, & indulgens in Suos.* Elizæus *autem* Propheta, *videtur mortuus esse Centenario major; cum reperiatur vixisse post* Assumptionem Eliæ *Annos sexaginta; Tempore vero* Assumptionis, *talis fuerit, ut Pueri eum tanquam* Vetulum calvum *subsannaverint. Vir vehemens, & severus, & austeræ vitæ, & Contemptor Divitiarum.* Isaias *etiam* Propheta *videtur esse centenarius: nam Prophetiæ Munus exercuisse septuaginta annos reperitur: Annis tum, quo cœpisset prophetizare, tum, quo mortuus esset, incertis. Vir admirabilis Eloquentiæ, &* Propheta evangelizans, *Promissis Dei Testamenti Novi (tanquam Vter Musto) plenus.*

5. Tobias senior; *Annos centum quinquaginta octo;* junior *centum viginti septem vixerunt. Viri misericordes, & eleemosynarij. Videntur etiam Tempore* Captivitatis, *complures ex* Iudæis, *qui è* Babylone *reversi sunt, longævi fuisse: cum utriusque Templi, (interjecto Annorum septuaginta spatio,) dicantur meminisse, & Disparitatem ipsorum deplorasse. Postea defluxis Sæculis compluribus, Tempore* Servatoris, Simeon *invenitur nonagenarius: Vir Religiosus, & Spei, & Expectationis plenus. Et eodem tempore* Anna Prophetissa, *ultra centenarium vixisse manifesto deprehenditur: cum* septem Annis nupta *fuisset,* Vidua *autem per* Annos octoginta quatuor, *quibus addendi sunt Anni Virginitatis, & qui Prophetiam ejus de* Servatore *insecuti sunt. Mulier Sancta, & Vitam degens in Orationibus, & Iejuniis.*

6. Longævitates Hominum *qui apud* Ethnicos Auctores *inveniuntur, parum certæ memoriæ sunt: tum propter Fabulas, in quas hujusmodi Narrationes proclives admodum sunt: tum propter Fallaciam in Calculationibus Annorum. Certe de* Ægyptiis, *nil magni refertur, in his quæ extant, quoad* Longævitatem: *cum Reges ipsorum, qui longissime regnarunt, quinquagesimum, aut quinquagesimum quintum annum, non excesserint: quod pro nihilo est, cum etiam Temporibus modernis, hujusmodi Spatia nonnunquam compleantur. At* Arcadum Regibus, *Vitæ longissimæ fabulose tribuuntur:* Regio *certe illa Montana, & Pastoralis, & Victus incorrupti: Attamen cum sub* Pane, *tanquam* Deo Tutelari, *fuerit, videntur etiam omnia, quæ ad Eam pertinent, fuisse tanquam* Panica, *& Vana, & ad Fabulas idonea.*

7. Numa Romanorum Rex *Octogenarius fuit: Vir Pacificus, & Speculativus, & Religioni addictus.* M. Valerius Corvinus *centum annos implevit, interjectis, inter primum & sextum* Consulatum, *Annis quadraginta sex: Vir Bello, & Animis fortissimus, Ingenio civilis, & Popularis, & Fortuna perpetuo florens.*

8. Solon Athenienſis, Legislator, *& Vnus ex Septem, supra Annos Octoginta vixit: Vir Magnanimus, sed Popularis, & amans Patriæ: item eruditus, nec non alienus à Voluptatibus, & Vita teneriore.* Epimenides Cretensis *Centum Quinquaginta Septem Annos vixisse traditur: mixta Res cum Portento, quia quinquaginta septem ipsorum, sub Antro eum delituisse ferunt. At dimidio Sæculi post,* Xenophanes Colophonius, *Annos centum & duos, aut etiam diutius vixit: utpote qui viginti quinque annos natus, Patriam reli-*

reliquit, septuaginta septem totos annos est peregrinatus, ac postea rediit: sed quamdiu à reditu vixerit, non constat: Vir non magis Itineribus, quam Mente oberrans, utpote cujus Nomen propter Opiniones à Xenophane, *in* Xenomanem *traductum est; Vasti proculdubio Conceptus, & nihil spirans nisi Infinitum.*

9. Anacreon Poëta *major Octogenario fuit; Homo lascivus, & voluptuarius, & bibax.* Pindarus Thebanus *Octogesimum Annum complevit; Poeta sublimis, cum quadam novitate Ingenij, & multus in Cultus Deorum.* Sophocles Atheniensis *similem Ætatem complevit; Poeta grandiloquus, totus in scribendo, & Familiæ negligens.*

10. Artaxerxes Persarum Rex, *Annos nonaginta quatuor vixit; Vir hebetioris Ingenij, neque Curarum magnarum patiens, amans Gloriæ, sed Otij magis. Eodem tempore* Agesilaus Rex Spartanus *Octoginta quatuor annos implevit; Vir moderatus, ut inter* Reges Philosophus: *sed nihilominus Ambitiosus, & Bellator, & tam Militia, quam Rebus gerendis strenuus.*

11. Gorgias Leontinus *Annos Centum & Octo vixit; Vir Rhetor, & prudentiæ suæ ostentator, & qui Adolescentes Mercede accepta ut institueret, multum Peregrinator fuit, & paulo ante Mortem,* nihil se habere quod Senectutem incusaret, *dixit.* Protagoras Abderites *Nonaginta annos vixit: Iste similiter Rhetor fuit, sed non tam Cyclopædia usus, quam Civiles Res, & instructionem, ad Remp. tractandam, docere professus: attamen Circumcursator Civitatum, æque ac* Gorgias. *At* Isocrates Atheniensis. *Nonagesimum Octavum Annum complevit, Rhetor item, sed Vir valde modestus, & Lucem Forensem fugiens, atque domi tantum Scholam aperiens.* Democritus Abderites, *ad Annos Centum & Novem Ætatem produxit, Magnus* Philosophus, *& si quis alius ex* Græcis, *vere* Physicus: *Regionum complurium, & multo magis Naturæ ipsius Perambulator; Sedulus quoque Experimentator, & (quod* Aristoteles *ei objicit)* Similitudinum *potius* Sectator, *quam* Disputationum Leges servans. Diogenes Synopeus, *ad Nonaginta Annos vixit; Vir erga alios Liber, in se imperiosus; Victu sordido, & Patientia gaudens.* Zeno Cittiens, *Centenarius, duobus tantum demptis Annis, fuit; Vir Animo excelso, & Opinionum Contemptor, magni itidem Acuminis, neque tamen molesti, sed quod animos magis caperet, quam constringeret; quale etiam postea fuit in* Seneca. Plato Atheniensis *Annum Octogesimum primum implevit, Vir Magnanimus, sed tamen Quietis amantior, Contemplatione sublimis, & Imaginativus, Moribus urbanus, & elegans: attamen magis Placidus, quam Hilaris: & Majestatem quandam præ se ferens.* Theophrastus Eresius *Annum Octogesimum quintum complevit: Vir dulcis Eloquio, dulcis etiam Rerum varietate: quique ex Philosophia Suavia tantum decerpserit, Molesta & Amara non attigerit.* Carneades Cyrenæus *multis postea Annis, ad octogesimum quintum Ætatis Annum similiter pervenit: Vir Eloquentiæ profluentis, quique grata, & amœna Cognitionis varietate, & seipsum, & alios delectaret. At* Ciceronis *Tempore* Orbilius, *non* Philosophus, *aut* Rhetor, *sed* Grammaticus, *ad Centesimum fere annum vixit: primo Miles, deinde Ludimagister: Vir natura acerbus, & Lingua & Calamo, & versus Discipulos etiam Plagosus.*

12. Q. Fabius Maximus, *sexaginta tribus annis* Augur *fuit: unde constat eum Octogenario majorem occubuisse: licet verum sit, in* Auguratu, Nobilitatem *magis spectari solitam, quam* Ætatem: *Vir prudens & Cunctator, & in omnibus Vitæ partibus Moderatus, & cum Comitate severus.* Masinissa Rex Numidarum *Nonagesimum Annum superavit, & filium genuit, post octogesimum quintum: Vir acer, & Fortunæ fidens, & Juventute multas rerum vicissitudines expertus, decursu Ætatis constanter fœlix. At* M. Porcius Cato, *ultra Annum Nonagesimum vixit: Vir ferrei prope Corporis, & Animi: Linguæ acerbæ, & Simultates amans: Idem Agriculturæ deditus, Sibique & Familiæ suæ Medicus.*

13. Terentia Ciceronis Vxor, *ad Annum centesimum tertium vixit: Mulier multis ærumnis conflictata, primo Exilio Mariti, deinde Dissidio, & rursus Calamitate ejus extrema: etiam Podagra sæpius vexata.* Luceja *Annum Centenarium haud parum superavit: cum dicatur, Centum Annis totis, in Scena Mimam agens pronunciasse: Puellæ fortasse primo partes suscipiens, postremo Anus decrepitæ. At* Galeria Copiola, *Mima etiam & Saltria, pro Tirocinio suo producta est in Scenam, quoto Anno Ætatis incertum est: verum post Annos Nonaginta Novem ab ea productione, rursus reducta est in Scenam, non jam pro* Mima, *sed pro* Miraculo *in* Dedicatione Theatri *à* Pompejo Magno, *Neque hic finis, cum etiam in* Ludis Votivis *pro* Salute Divi Augusti, *iterum monstrata sit in Scena.*

14. *Fuit & ætate* Mima, *Ætate paulo inferior, Dignitate sublimior, quæ ad Nonagesimum Annum Ætatem fere produxit:* Livia Iulia Augusta, Cæsaris Augusti *uxor,* Tiberij *Mater. Etenim si* Fabula *fuit* Vita Augusti *(Id quod ipse voluit, cum decumbens Amicis præcepisset, ut postquam expirarit, sibi* Plaudite *exhiberent) certe &* Livia *optima* Mima *fuit: quæ cum Marito Obsequio, cum Filio Potestate quadam, & Prædominantia tam bene congrueret. Mulier Comis, & tamen Matronalis, Negotiosa, & Potestatis tenax. At* Iunia C. Cassii *Vxor,* M. Bruti *Soror, etiam Nonagenaria fuit: cum post* Aciem Philippensem *sexaginta quatuor Annos vixisset, Mulier Magnanima, Opibus fœlix, Calamitate Mariti & Proximorum, & longa Viduitate mœsta, sed tamen Honorata.*

15. *Memorabilis est* Annus Domini *Septuagesimus Sextus, Tempore* Imperatoris Vespasiani, *quo reperiuntur* Longævitatis *tanquam* Fasti: *Eo enim Anno peractus est* Census, (Census *autem de Ætatibus Auctoritatem, & Informationem habet fidissimam) atque in ea parte* Italiæ, *quæ jacet inter* Apenninum *&* Padum, *inventi sunt Homines, qui Annum Centesimum æquarunt, & superarunt Centum & Viginti quatuor: videlicet Annorum Centum, Homines quinquaginta quatuor: Annorum centum & decem, Homines quinquaginta septem: Annorum centum & viginti, quinque, Homines duo: Annorum centum & triginta, Homines quatuor: Annorum centum & tri-*

triginta quinque, aut triginta septem, Homines item quatuor; Annorum centum & quadraginta, Homines tres. Præter hos, speciatim Parma *edidit Quinque, quorum Tres centum viginti Annos, Duo centum triginta compleverunt*; Bruxella *Vnum, Annorum centum viginti quinque*; Placentia *Vnum Annorum centum triginta unius*; Faventia *Vnam Mulierem, Annorum centum triginta duorum: Oppidum quoddam (tunc dictum* Vellejacium*) in Collibus circa* Placentiam, *decem dedit; quorum Sex Annum Ætatis centesimum decimum, Quatuor centesimum vicesimum compleverunt*; Ariminum *denique Vnum, centum & quinquaginta Annorum, nomine* M. Aponium.

[*Monitum.*] Ne res in longum procederet, visum est, tam in illis, quos jam recensuimus, quã in his, quos mox recensebimus, Nullum adducere Octogenario Minorem: Apposuimus autem singulis (*characterem*, sive *Elogium*, verum & perbreve: at ejusmodi, quod judicio nostro, nonnullam habeat ad *Longævitatem* (quæ Moribus, & Fortuna non parum regitur) relationem: Sed duplici modo: Aut quod tales Longævi esse plerunque soleant, aut quod tales, licet minus apte dispositi, tamen Longævi esse aliquando possint.

16. *Inter* Imperatores Romanos, & Græcos, *item* Francos, & Germanos, *usque ad nostram Ætatem, qui numerum prope ducentorum Principum complerunt, quatuor tantum inventi sunt octogenarij; quibus addere liceat* Imperatores *duos primos*, Augustum, & Tiberium, *quorum hic septuagesimum octavum, ille septuagesimum sextum Annum implevit, & ad octogesimum forte pervenire Uterque potuisset, si placuisset* Liviæ, & Cajo. Augustus (*ut dictum est*) *Annos vixit septuaginta sex; Vir moderatus Ingenio: Idem ad res perficiendas Vehemens, cætera Placidus & Serenus, Cibo & potu Sobrius, Venere intemperantior, per omnia Fœlix; Quique Anno Ætatis tricesimo, gravem & periculosum passus est Morbum, adeo ut Salus ejus pro desperata esset: quem* Antonius Musa Medicus, *cum cæteri* Medici *Calida Medicamenta, tanquam Morbo convenientia adhibuissent, contraria ratione* Frigidis *curavit: Quod fortasse ei ad Diuturnitatem Vitæ profuit.* Tiberius *duos amplius Annos vixit*: Vir lentis maxillis (*ut Augustus ajebat*) *Sermone scilicet tardus, sed validus: Sanguinarius, Bibax, quique Libidinem etiam in Diætam transtulit: Attamen Valetudinis suæ Curator probus, ut qui solitus esset dicere, Stultum esse, qui post Triginta Annorum Vitam, Medicum consuleret, aut advocaret.* Gordianus Senior, *octoginta Annos vixit, & tamen violenta Morte periit, postquam vix degustasset Imperium: Vir Magnanimus, & Splendidus, Eruditus, & Poeta, & constanti vitæ tenore (ante ipsum obitum) Fœlix.* Valerianus Imperator, *Septuaginta sex Annos vixit, antequam à* Sapore Rege Persarum *captus esset; post Captivitatem autem septem Annos vixit, inter contumelias, etiam violenta Morte præreptus: Vir mediocris Animi, nec strenuus: Existimatione tamen paulo eminentior, & evectus, Experimento minor.* Anastasius *cognomine* Dicorus; *Octoginta Octo Annos vixit: Homo animi sedati, sed Humilior, & Superstitiosus, & Timidus.* Anicius Iustinianus, *Annos octoginta tres vixit: Vir Gloriæ appetens, Persona propria socors, Ducum suorum virtute fœlix, & celebris: Vxorius, neque suus, sed aliorum ductu circumactus.* Helena Britanna Constantini Magni Mater, *octogenaria fuit: Mulier civilibus Rebus minus se immiscens, nec Mariti, nec Filij Imperio, sed tota Religioni dedita: Magnanima, & semper florens.* Theodora Imperatrix (*quæ* Zoës *soror erat*, Monomachi *uxoris, ipsa autem post obitum ejus sola regnavit*) *Annos supra octoginta vixit; Mulier negotiosa, & Imperio delectata, Fœlix admodum, & ex Fœlicitate Credula.*

17. *Iam à* Sæcularibus, *ad* Principes Viros in Ecclesia *Narrationem convertemus.* S. Ioannes Apostolus Servatoris, & Discipulus Amatus, *nonaginta tres Annos vixit: Vere* Aquilæ Emblemate *notatus, nihil spirans nisi Divinum, & tanquam* Seraph *inter* Apostolos, *propter Fervorem Charitatis.* S. Lucas Evangelista *octoginta quatuor Annos complevit: Vir eloquens, & Peregrinator,* S. Pauli *Comes individuus, & Medicus.* Symeon Cleophæ, Frater Domini *dictus*, Episcopus Hierosolymitanus, *Annos centum & viginti vixit, licet* Martyrio *præreptus fuerit: Vir Animosus, & Constans, & bonorum Operum Plenus.* Polycarpus Apostolorum Discipulus, Smyrnensis Episcopus, *videtur ad Centum annos & amplius ætatem produxisse*: Martyrio *interceptus: Vir excelsi Animi, & Heroicæ patientiæ, & Laboribus indefessus.* Dionysius Areopagita, Paulo Apostolo *Contemporaneus, ad nonaginta Annos vixisse videtur:* Volucris cœli *appellatus, ob Theologiam sublimem: neque minus Factis, quam Meditationibus insignis.* Aquila & Priscilla Pauli Apostoli *primo Hospites, deinde Coadjutores, conjugio fœlici & celebri, ad Centum ad minimum Annos vixerunt: cum sub* Xisto primo *superstites fuerint: Nobile Par, & in omnem Charitatem effusum: quibus inter maximas consolationes (quales proculdubio primos illos Ecclesiæ Fundatores sequebantur,) etiam illud Conjugalis Consortij tanquam magnus cumulus accesserat.* S. Paulus Eremita, *Annos centum & tredecim vixit: vixit autem in Spelunca, Victu tam simplici, & duro, ut eo Vitam tolerare supra Humanas Vires videri possit: in meditationibus & soliloquiis tantummodo Ævum transigens: qui tamen non illiteratus, aut Idiota, sed eruditus fuit.* S. Antonius Cœnobitarum primus Institutor, *aut (ut alij volunt)* Restitutor, *ad centesimum quintum Annum pervenit: Vir devotus, & contemplativus, & tamen Civilibus Rebus utilis: Vitæ genere austero, & aspero: attamen in gloriosa quadam Solitudine degens, nec sine Imperio: cum &* Monachos *suos sub se habuisset, atque insuper à compluribus, &* Christianis, & Philosophis, *veluti Vivum aliquod Simulachrum, non sine Adoratione quadam, visitatus esset.* S. Athanasius *mortuus est Octogenario Major: Vir Invincibilis Constantiæ, Famæ semper imperans, nec Fortunæ succumbens: Idem erga Potentiores liber, erga Populum gratiosus, & acceptus: exercitatus Contentionibus, in iisque & Animosus, & Solers.* S. Hieronymus, *plurimorum consensu, Annum nonagesimum superavit: Vir Calamo potens, & virilis Eloquentiæ: varie eruditus, & Linguis, & Scientiis: Peregrinator item, atque Vitæ versus*

senium

ſenium auſterioris; ſed in Vita privata Spiritus gerens altos & late fulgens ex obſcuro.

18. *At* Papæ Romani *numerantur Ducenti Quadraginta Unus; Ex tanto Numero Quinque ſolummodo Octogenarij, aut ſupra reperiuntur; Primitivis autem compluribus, juſta Ætas* Martyrij Prærogativa *anticipata eſt.* Ioannes viceſimus tertius, Papa Romanus, *nonageſimum Ætatis Annum complevit; Vir Ingenij inquieti, & Novis Rebus ſtudens, & multa transferens, nonnulla in Melius, haud Pauca in Aliud: Magnus autem Opum, & Theſauri Accumulator.* Gregorius *dictus* Duodecimus, *creatus* Papa *in* Schiſmate, *& quaſi* Interrex, *Nonagenarius obiit: De eo, propter brevitatem* Papatus, *nihil invenimus, quod annotemus.* Paulus Tertius, *ad octoginta & unum, Annos vixit, Vir ſedati Animi, & profundi Conſilij, idem Doctus, & Aſtrologus, & Valetudinem impenſe regens: more autem veteris* Sacerdotis Eli, *Indulgens in ſuos.* Paulus Quartus *octoginta tres Annos vixit: Vir Natura aſper & ſeverus, altos gerens Spiritus, & Imperioſus, Ingenio commotior, Sermone eloquens & expeditus.* Gregorius Decimus tertius, *ſimilem Ætatem octoginta trium Annorum implevit: Vir plane Bonus, Animo & corpore ſanus, Politicus, Temperatus, Evergetes & Eleemoſynarius.*

19. *Quæ ſequentur, Ordine promiſcuo, Fidei magis dubia, Obſervatione magis jejuna, erunt.* Rex Arganthonius, *qui regnavit* Gadibus *in* Hiſpania, *centum & triginta, aut (ut alij volunt) quadraginta Annos vixit: ex quibus octoginta regnavit: De Moribus ejus, & Vitæ genere, & Tempore quo vixit, ſiletur.* Cyniras Cypriorum Rex, *in* Inſula *illa tunc habita Beata, &* Voluptaria, *centum quinquaginta, aut ſexaginta Annos vixiſſe perhibetur.* Reges *duo* Latini *in* Italia, *Pater & Filius, alter octingentos, alter ſexcentos Annos vixiſſe traduntur: verum hoc narratur à* Philologis *quibuſdam, quibus & ipſis (cætera ſatis credulis) Fides rei ſuſpecta eſt, imo damnata.* Arcadum Reges *nonnullos Trecentos Annos vixiſſe alij tradunt: Re tione certè ad Vitam longam ſatis idonea: Re fortaſſe Fabulis aucta. Narrant* Dandonem *quondam in* Illyrico, *abſque incommodis Senectutis, Quingentos Annos vixiſſe. Apud* Epios, Ætoliæ *videlicet Partem, narrant univerſam Gentem admodum longævam fuiſſe: ut multi ex his Ducenum Annorum inventi ſint: Inter eos Præcipuum quendam, nomine* Litorium, *virum* Giganteæ Staturæ, *qui Trecentos Annos cumulaverat. In* Tmoli Montis Faſtigio (Tempſi *antiquitus vocato*) *Homines complures, centum quinquaginta Annos vixiſſe traditur.* Sectam Eſſæorum *apud* Iudæos, *ultra Centum Annos communiter vixiſſe tradunt: Secta autem illa ſimplici admodum Diæta utebatur, ad Regulam* Pythagoræ. Apollonius Tyaneus *Centum Annos exceſſit, aſpectu (ut in tanta Ætate) pulcher, Vir certe Mirificus, apud* Ethnicos Divinus *habitus, apud* Chriſtianos Magus: *Victu* Pythagoricus, *magnus peregrinator, magna etiam Gloria florens, & tanquam pro Numine cultus: Attamen ſub finem Ætatis, Accuſationes & Contumelias paſſus, unde nihilominus incolumis quoquo modo evaſit. Attamen ne* Longævitas *ſua* Diæta Pythagoricæ *ſolum tribuatur, ſed etiam è Genere ſuo aliquid traxiſſe videatur:* Avus *ejus etiam Centum Triginta Annos vixit.* Q. Metellum *ultra centum Annos vixiſſe certatur eſt: Atque, poſt* Conſularia Imperia *feliciter adminiſtrata,* Pontificem Maximum, *jam Senem creatum eſſe, & ſacra per viginti duos Annos tractaſſe: neque Ore in Votis nuncupandis hæſitante, neque in Sacrificiis faciendis tremula Manu utentem.* Appium Cœcum, *Annoſiſſimum fuiſſe conſtat: Annos non numerant, quorum partem majorem, poſtquam Luminibus orbatus eſſet, tranſegit: Neque propterea mollitus, Familiam numeroſam, Clientelas quam plurimas, quinetiam Rem p. fortiſſime rexit: Extrema vero Ætate Lectica in Senatum delatus, Pacem cum Pyrrho vehementiſſime diſſuaſit: cujus Principium Orationis admodum memorabile, & invincibile quoddam Robur, & impetum Animi, ſpirans:* Magna *inquit,* patientia, Patres conſcripti, Cœcitatem meam per plures jam Annos tuli; at nunc etiam me Surdum quoque optaverim, cum vos tam deformia Conſilia agitare audiam. M. Perpenna *vixit Annos nonaginta octo: omnibus, quos* Conſul *ſententiam in* Senatu *rogaverat, (voc eſt, omnibus* Senatoribus *ſui Anni,) ſuperſtes fuit: etiam omnibus, quos paulo poſt* Cenſor *in Senatum legerat, ſeptem tantum exceptis.* Hiero Rex Siciliæ, *Temporibus* Belli Punici ſecundi, *ad centeſimum fere annum vixit: Vir & Regimine, & Moribus moderatus: Numinum Cultor, & Amicitiæ Conſervator religioſus: Beneficus, & conſtanter Fortunatus.* Statilia *ex nobili Familia,* Claudij *tempore, vixit Annos nonaginta novem.* Clodia Oſilij Filia *Centum & quindecim.* Xenophilus, *antiquus Philoſophus è Secta* Pythagoræ, *centum & ſex Annos vixit, ſana & vivida Senectute, & magna apud Vulgum Doctrinæ fama.* Inſulani Corcyræi *habebantur olim Vivaces, ſed hodie communi aliorum Sorte vivunt.* Hippocrates Cous *Medicus inſignis, centum & quatuor Annos vixit: Artemque ſuam tam longa Vita comprobavit, & honeſtavit: Vir cum Prudentia quadam doctus: in Experientia, & Obſervatione multus: non Verba, aut Methodos captans, ſed Nervos tantum Scientiæ ſeparans, & proponens.* Demonax *Philoſophus, (non ſolum Profeſſione, ſed Moribus) Tempore* Adriani, *ad Centenarium fere Annum vixit: Vir magni Animi, Atque Animi victor, idque vere ſine affectatione, & in maximo humanarum rerum Contemptu, Civilis, & Urbanus. Iſ cum Amici de Sepultura ipſius, verba injicerent,* Definite, *inquit,* de Sepultura curare: cadaver enim Fœtor ſepeliet: *atque illi:* Placet ergo Avibus, aut Canibus exponi? *Ille rurſus,* Cum, *inquit,* vivus Hominibus prodeſſe pro viribus contenderim, quæ invidia eſt, ſi mortuus etiam Animalibus aliquid præbeam? Populus Iudiæ, Pandoræ *appellati, admodum Longævi: etiam uſque ad Annum Ducenteſimum. Addunt rem magis miram: Scilicet cum Pueri fere candido Capillo fuerint, Senectute ante Canitiem eos nigreſcere ſolitos: Id tamen ubique vulgare eſt, ut Pueris Capillitio candidiore, virili Ætate, Pili mutentur in obſcurius. Etiam* Seres Indorum *Populus, cum Vino ſuo ex Palmis, Longævi habiti ſunt, uſ-*

que

que ad Annum Centesimum Tricesimum. Euphranor Grammaticus *consenuit in Schola, & docebat Literas, ultra Annum centesimum.* Ovidius Senior, Poëtæ Pater, *Nonaginta Annos vixit; Diversus à Moribus Filij, utpote qui Musas contempsit, & Poeticen Filio dissuasit.* Asinius Pollio, Augusti *Familiaris, Centum annos superavit; Vir ingentis Luxus, Eloquens, Literarum cultor, attamen Vehemens, Superbus, Crudelis, & tanquam sibi Natus. Invaluit Opinio,* de Seneca, *quod admodum Annosus fuerit, usque ad Annum centesimum decimum quartum, Quod verum esse non potest, cum tantum absit, ut Senex decrepitus ad* Neronis *tirocinium admotus sit, ut contra Rebus gerendis strenuè suffecerit, quinetiam paulo ante, medio tempore* Claudii, *exularit, ob adulteria aliquarum Principum Fœminarum, quod in talem Ætatem non competit.* Iohannes de Temporibus, *ex omnibus posterioribus Sæculis, Traditione quadam & Opinione vulgari, usque ad Miraculum, vel potius usque ad Fabulam, Longævus perhibetur, Annorum supra Trecentos, Natione fuit* Francus, *militavit autem sub* Carolo Magno. Gattius Aretinus Petrarchæ *Proavus, ad centum & quatuor Annos pervenit, prospera semper usus Valetudine, atque in Extremis Vires labantes sentiens potius quam Morbum, quæ vera est Resolutio per Senium. Ex* Venetis *reperiuntur haud pauci Longævi, etiam Gradu eminentiori,* Franciscus Donatus Dux, Thomas Contarenus Procurator S. Marci, Franciscus Molinus *item* Procurator S. Marci, *Alij. At maxime memorabile est illud de* Cornaro Veneto, *qui Corpore, sub initio, valetudinario, cœpit primum metiri Cibum & Potum, ad certum Pondus, in curam Sanitatis: Ea cura transiit usu in Diætam, & ex Diæta in magnam Longævitatem, usque ad Annum Centesimum, & ultra, integris Sensibus, & constanti Valetudine.* Guilielmus Postellus, *nostra ætate,* Gallus, *ad Centesimum & prope Vicesimum Annum vixit, etiam summitatibus Barbæ in labro superiore nonnihil nigrescentibus, neque prorsus canis, Vir Capite motus, & non integræ omnino Phantasiæ, magnus Peregrinator, & Mathematicus, & Hæretica Pravitate nonnihil aspersus.*

20. *Apud nos in* Anglia *arbitror non existere Villulam, paulo populosiorem, in qua non reperiatur aliquis Vir aut Mulier ex Octogenariis; Etiam ante paucos Annos in Agro* Herefordiensi, *inter* Ludos Florales, *instituta erat* Chorea *&* Saltatio *ex Viris octo, quorum Ætas simul computata, Octingentos Annos complebat, cum quod Alteris eorum ad Centenarium deesset, Alteris aliquibus superesset.*

21. *In* Hospitali Bethleem, *ad* Suburbia Londini, *quod in Sustentationem, & Custodiam Phreneticorum institutum est, inveniuntur, de tempore in tempus, multi ex Mente captis fuisse longævi.*

22. *Ætates, de quibus fabulantur,* Nymphatum, *&* Dæmonum Aereorum, *qui Corpore mortales essent, sed admodum longævi, (id quod & Antiqua, & inter quosdam Recenti superstitione, & Credulitate, receptum est,) pro Fabulis, & Somniis habemus, præsertim cum sit Res, nec cum philosophia, nec cum Religione bene consentiens. Atque de* Historia Longævitatis *in* Homine, *per Individua, aut Individuis proxima, hæc inquisita sint. Iam ad Observationes per Capita transibimus.*

23. Decursus Sæculorum, *&* Successio Propaginis, *nihil videntur omnino demere de Diuturnitate Vitæ, quippe Curriculum Humanæ Ætatis videmus, usque à Tempore* Mosis *ad nostra, circa octogesimum Annum stetisse, neque sensim & paulatim (ut quis crederet) declinasse. Sunt certe Tempora, in singulis Regionibus, quibus Homines diutius, aut brevius degunt. Diutius plerunque, cum Tempora fuerint Barbara, & simplicioris Victus, & Exercitationi Corporis magis dedita: Brevius, cum magis Civilia, & plus Luxuriæ & Otij: Verum ista transeunt per Vices, Propago ipsa nihil facit. Neque dubium est, quin idem fiat in Animalibus cæteris, siquidem nec* Boves, *nec* Equi, *aut* Oves, *& Similia, Ævo, ultimis his Sæculis, minuuntur, Itaque* Præcipitatio Ætatis *facta est per* Diluvium, *& fieri fortasse potest, per Similes Majores Casus, (ut loquuntur) veluti Inundationes particulares, Combustiones per longas Siccitates, Terræ motus, & similia. Quinetiam videtur, similis esse ratio in* Magnitudine Corporum, *sive* Statura, *quæ nec ipsa per Successionem propaginis defluit: licet* Virgilius *(communem opinionem secutus) divinasset Posteros futuros Præsentibus minores: unde ait de* Campis Emathiis, *&* Æmonensibus subarandis:

Grandiaque effossis mirabitur Ossa sepulchris.

Etenim cum constet, fuisse quondam Homines Staturis Giganteis, *(quales & in* Sicilia, *& alibi, in vetustis Sepulchris, & Cavernis, pro certo reperti sunt,) tamen jam per tria fere Millenaria Annorum, ad quæ producitur Memoria satis certa, in iisdem Locis, nil tale continuatur, licet etiam hæc res, per Mores, & Consuetudines civiles, vices quasdam patiatur, quemadmodum & illa altera. Atque hæc magis notanda, quia insedit Animis Hominum penitus Opinio, quod sit perpetuus Defluxus per Ætatem, tum quoad* Diuturnitatem Vitæ, *tum quoad* Magnitudinem *&* Robur Corporis, *Omniaque labi & ruere in Deterius.*

24. Regionibus Frigidioribus *&* Hyperboreis, *diutius Homines vivunt plerumque, quam* Calidioribus; *Quod necesse est fieri, cum & Cutis sit magis astricta, & Succi Corporis minus dissipabiles, & Spiritus ipsi minus acres ad consumendum, & magis fabriles ad reparandum, & Aer (utpote modicè calefactus, à Radiis Solis) minus Prædatorius, At sub* Linea Æquinoctali, *ubi Sol transit, & duplex sit Hyems, & Æstas, sitque etiam major Æqualitas inter Spatia Dierum, & Noctium, (si cætera non impediant,) etiam bene diu vivunt, ut in* Peruvia, *&* Taprobana.

25. Insulani mediterraneis *ut plurimum sunt Longæviores, Neque enim tamdiu vivunt in* Russia, *quam in* Orcadibus, *neque tam diu in* Africa *ejusdem Paralleli, quam in* Canariis, *&* Terceris, Iaponenses *etiam* Chinensibus *(licet hi Longævitatis appetentes sint usque ad Insaniam) sunt vivaciores, nec mirum, cum Aura Maris, & in Regionibus Frigidioribus foveat, & in Calidioribus refrigeret.*

26. Lo-

26. Loca Excelsa *potius edunt Longævos*, *quam* Depressa; *præsertim si non sint* Juga Montium, *sed* Terræ Altæ, *quatenus ad Situm eorum generalem: qualis fuit* Arcadia *in* Græcia; *&* Ætoliæ *Pars, ubi Longævi admodum fuerunt: At de* Montibus *ipsis eadem foret ratio, propter Aërem videlicet puriorem, & limpidiorem, nisi hoc labefactaretur per accidens; interventu scilicet Vaporum ex Vallibus eo ascendentium, & ibi acquiescentium. Itaque in* Montibus Nivalibus, *non reperitur aliqua insignis Vitæ Longitudo: non in* Alpibus, *non in* Pyrenæis, *non in* Apennino, *sed* Medii Colles, *aut etiam* Valles *dant Homines Longæviores; At in* Montium Jugis protensis *versus* Æthiopiam, *&* Abyssinos, *ubi, propter Arenas subjectas, parum aut nihil incumbit in* Montes *Vaporis, diutissime vivunt, etiam ad hodiernum Diem; Annum non raro Centesimum & Quinquagesimum implentes.*

27. Paludes *&* Tractus *earum, præsertim exporrecti in Plano, Nativis propitij, Advenis maligni, quoad Vitæ prorogationem, aut decurtationem; Quodque mirum videri possit*, Paludes *Aqua Salsa per vices inundata, minus salubres, quam quæ Aqua Dulci.*

28. Regiones Particulares, *quæ notatæ sunt Longævos produxisse, sunt* Arcadia, Ætolia, India *cis* Gangem, Bresilia, Taprobana, Britannia, Hybernia, *cum* Insulis Orcadibus, *&* Hebridibus; *nam de* Æthiopia, *quod ab Aliquo ex Antiquis refertur, quod Longævi fuerint, Res vana est.*

29. *Occultæ estres, Salubritas, præsertim perfectior*, Aëris; *& potius Experimento, quam Discursu, & Conjectura, elicitur. Capi possit* Experimentum *ex* Vellere Lanæ, *per expositionem in Aërem cum mora aliqua Dierum, minus aucto Pondere: Aliud ex* Frusto Carnis, *diutius manente non putrefacto; Aliud ex* Vitro Calendari *minori spatio reciprocante: De his, & Similibus, amplius inquiratur.*

30. Aëris *non tantum* Bonitas, *aut* Puritas, *verum etiam* Æqualitas *quoad Longævitatem spectatur:* Collium *&* Vallium Varietas *Aspectui & Sensui grata, Longævitati suspecta; At* Planities *modice sicca, nec tamen nimis sterilis, aut Arenosa, nec prorsus sine Arboribus & Vmbra, Diuturnitati Vitæ magis commoda.*

31. Inæqualitas Aëris, *(ut jam dictum est) in* loco Mansionis, *mala; verum* Mutatio Aëris *in* Peregrinatione, *postquam quis assueverit, bona: unde & magni* Peregrinatores *Longævi fuere: similiter etiam Longævi, qui in* Tuguriolis suis, *eodem loco, perpetuo Vitam degerunt:* Aër *enim Assuetus, minus consumit, at Mutatus magis alit, & reparat.*

32. *Vi* Series, *&* Numerus Successionum, *ad Diuturnitatem, aut Brevitatem vitæ, nihil est (ut jam diximus;) ita* Conditio *immediata* Parentum, *tam ex parte* Patris, *quam* Matris, *proculdubio multum potest. Alij siquidem generantur ex* Senibus; *Alij ex* Adolescentulis; *Alij ex* Viris *Ætate justiore; Item alij à* Patribus, *cum* Sani *fuerint, & bene dispositi; Alij à* Morbidis, *&* Languidis; *Item Alij à* Repletis, *&* Ebriis; *Alij post* Somnum *&* Horis matutinis; *Item alij post longam* Intermissionem Veneris; *Alij post* Venerem repetitam; *Item alij flagrante Amore Patrum, (ut fit plerunque in* Spuriis) *Alij defervescente, ut in* Conjugiis diuturnis. *Eadem etiam ex parte* Matris *spectantur: Quibus addi debent,* Conditio Matris, *dum gestat Vterum, quali sanitate, quali diæta? Et* Tempus Gestationis, *ad decimum Mensem, aut celerius? Hæc ad normam reducere, quatenus ad Longævitatem difficile est; Atque eo difficilius, quod fortasse quæ optima quis putaret, in contrarium cedent: Etenim* Alacritas *illa in* Generatione, *quæ liberos Corpore robustos, & agiles producit, ad Longævitatem minus utilis erit, propter* Acrimoniam *&* Incensionem Spirituum. *Diximus antea,* Plus habere ex materno *Sanguine, conferre ad Longævitatem; Etiam* Mediocria *simili ratione optima esse putamus,* Amorem *potius* Conjugalem, *quam* Meretricium; Horas Generationis matutinas; *Statum Corporis non nimis* Alacrem, *aut* Turgidum, *& Similia. Illud etiam bene observari debet, quod* Habitus Parentum robustior, *ipsis magis est propitius, quam Fœtui, præcipue in Matre: Itaque satis imperite* Plato *existimavit Claudicare virtutem Generationum, quod Mulieres similibus cum Viris Exercitiis tam Animi, quam Corporis, non utantur; Illud contra se habet: Distantia enim Vertutis inter Marem, & Fœminam, maxime utilis est Fœtui; Atque Fœminæ teneriores magis Præbitoriæ sunt ad alendum fœtum, quod etiam in Nutricibus tenet. Neque enim* Spartanæ Mulieres, *quæ ante annum vicesimum secundum, aut (ut alij dicunt) quintum, nubere non solebant (ideoque* Andromanæ *vocabantur) generosiorem, aut longæviorem Sobolem ediderunt, quam* Romanæ, *aut* Athenienses, *aut* Thebanæ, *apud quas, Anni Duodecim, aut Quatuordecim Nubiles erant. Atque si in* Spartanis *aliquid fuerit Egregium, id magis Victus Parsimoniæ debebatur, quam Nuptiis Mulierum serotinis. Illud vero Experientia docet, Esse quasdam* Stirpes *ad tempus longævas, ut Longævitas sit, quemadmodum Morbi,* Res Hæreditaria, *in aliquibus periodis.*

33. Candidiores Genis, *Cute, &* Capillis, *minus vivaces;* Subnigri, *aut Rufi, aut* Lentiginosi *magis. Etiam* Rubor *nimius in* Juventute, *Longævitatem minus promittit, quam* Pallor. Cutis durior *Longævitatis signum, potius quam* mollior; *neque tamen hoc intelligitur de* Cute Spissiori *(quam vocant* Anserinam) *quæ est tanquam Spongiosa; sed de Dura simul, & Compacta; Quin &* Frons *majoribus Rugis sulcatus, melius signum quam Nitidus, & Explicatus.*

34. Pili *in* Capite *Asperiores, & magis setosi ostendunt vitam longiorem quam Molles, & delicati; Crispi vero eandem prænunciant, si sint simul Asperi; contra si sint Molles, & splendentes. Item si sit Crispatio potius Densa, quam per largiores Cincinnos.*

35. *Citius aut serius* Calvescere, *Res est quasi indifferens; cum Calvastri plurimi longævi fuerint; Etiam cito* Canescere, *(utcunque videatur* Canicies *præcursor ingruentis Senectutis) Res fallax est; cum haud pauci præpropere* Canescentes, *diu postea vixerint; Quinetiam præmatura* Canities, *absq; ulla* Calvitie, *signum est Longævitatis; Contra, si concomitetur Calvities.*

36. Pilositas *Partium Superiorum signum Vitæ minus longæ, atq; Pectore hirsuti, & quasi subati, minus Vivaces: at Inferiorum* Pilositas, *ut* Femorum, Tibiarum, *signum longæ Vitæ.*

37. Proceritas Staturæ (*nisi fuerit enormis*) *Compage commoda, & sine Gracilitate, præsertim si concomitetur* Corporis Agilitas, *signum longæ Vitæ; At contra, Homines brevioris Staturæ magis vivaces, si fuerint minus Agiles, & Motu tardiores.*

38. *In* Corporis Analogia; *Qui Corpore aliquanto breviores sunt; Tibiis longioribus, longæviores sunt, quam qui corpore magis demisso, Tibiis autem brevioribus: Item, qui* Inferioribus Partibus *largiores sunt, &* Superioribus *contractiores, (Structura Corporis, quasi surgente in Acutum) longæviores, quam qui Humeros lati, deorsum sunt tanquam attenuati.*

39. Macies *cum* Affectibus Sedatis, *tranquillis, & facilibus*; Pinguior *autem Habitus cum* Cholera, *vehementia, & pertinacia, Diuturnitatem Vitæ significant:* Obesitas *autem in* Juventute, *breviorem Vitam præmonstrat; in* Senectute, *Res est magis indifferens.*

40. *Diu & sensim* Grandescere, *signum Vitæ longæ; si ad* Staturam magnam, *magnum signum: si ad* minorem, *signum tamen; At contra velociter* Grandescere *ad* Staturam magnam, *signum malum est; sin ad* Staturam brevem, *minus malum.*

41. Carnes Firmiores, *& Corpus Musculosum, & Nervosum & Nates minus tumentes, (quantum Sedendo tantum sufficiant) & Venæ paulo eminentiores, Longævitatem denotant; contraria Brevitatem Vitæ.*

42. Caput, *pro Analogia Corporis, minutius;* Collum *mediocre, non oblongum, aut gracile, aut tumidum, aut tanquam Humeris impactum:* Nares *patulæ, quacunque forma Nasi:* Os *largius:* Auris *cartilaginea, non Carnosa;* Dentes *robusti, & contigui, non exiles, aut rari, Longævitatem prænunciant; Et multo magis, si* Dentes *aliqui novi, provectiore Ætate proveniant.*

43. Pectus *latius, sed non elevatum, quin potius adductius:* Humerique *aliquantulum gibbi, & (ut loquuntur)* Fornicati: Venter *planus, nec prominens:* Manus *largior, &* Palma *minus Lineis exarata:* Pes *brevior, & rotundior,* Femora *minus carnosa;* Suræ *non cadentes, sed se altius sustentantes, Signa Longævitatis.*

44. Oculi *paulo grandiores, atq;* Iris *ipsorum cum quodam Virore;* Sensus *omnes non nimis acuti:* Pulsus *Juventute tardior, sub Ætatem vergentem paulo incitatior;* Detentio Anhelitus *facilior, & in plura Momenta;* Alvus *Juventute siccior, Vergente Ætate humidior, signa etiam Longævitatis.*

45. *De* Temporibus Nativitatis, *nihil observatum est, quoad Longævitatem, memoratu dignum, præter* Astrologica, *quæ in* Topicis *relegavimus.* Partus Octimestris, *non solum pro non Vivace, verum etiam pro non Vitali habetur. Etiam* Partus Hyemales *habentur pro Longævioribus.*

46. Victus *sive* Diæta Pythagorica, *aut* Monastica, *secundum Regulas strictiores, aut ad Amussim æqualis, (qualis fuit illa* Cornari*) videtur potenter facere ad Vitæ Longitudinem. At contra ex iis, qui libere, & communi more vivunt, Longæviores reperti sunt sæpenumero* Edaces *&* Epulones, *denique qui liberaliore Mensa usi sunt.* Media Diæta, *quæ habetur pro Temperata, laudatur, & ad* Sanitatem *confert, ad* vitam Longævam *parum potest: Etenim, Diæta illa* Strictior, Spiritus *progignit paucos, & lentos, unde minus consumit; at illa* Plenior, *Alimentum præbet copiosum, unde magis reparat;* Media *neutrum præstat; Vbi enim Extrema nociva sunt, Medium optimum; verum ubi Extrema juvativa, Medium nihili fere est.* Diætæ *autem illi* Strictiori, *convenit etiam* Vigilia, *ne Spiritus pauci, multo Somno opprimantur;* Exercitatio *item modica, ne exolvantur;* Veneris Abstinentia, *ne exhauriantur: At* Diætæ *Vbertori cōvenit contra* Somnus *largior,* Exercitatio *frequentior,* Usus Veneris *tempestivus.* Balnea, *&* Unguenta *(qualia fuerunt in usu) Deliciis potius, quam Vitæ producendæ, accommodata fuerunt; Verum de his omnibus, cum ad* Inquisitionem *secundum* Intentiones *ventum erit, accuratius dicemus. Illud interim* Celsi Medici, *non solum Docti, verum etiam Prudentis, non contemnendum est; Qui* Varietatem *&* Alternationem Diætæ *jubet, sed cum inclinatione in* Partem Benigniorem; *Scilicet, ut quis* Vigiliis *quandoque se assuescat, alias* Somno *indulgeat, sed* Somno *sæpius; Itidem, interdum* jejunet, *interdum* epuletur, *sed* epuletur *sæpius; Interdum* Animi Contentionibus *strenue incumbat, interdum* Remissionibus *utatur, sed* Remissionibus *sæpius. Illud certe minime dubium est, quin* Diæta *bene instituta, partes, ad prolongandam Vitam, potiores teneat; neque conveniunquam aliquem valde Longævum; qui interrogatus de* Victu *suo, non observasset aliquid Peculiare; Alij alia. Equidem memini quendam* Senem *Centenario Majorem, qui productus est Testis, de antiqua quadam Præscriptione; Is cum, finito Testimonio, a* Judice *familiariter interrogaretur, quid agens tam diu vixisset; respondit (præter expectatum, & cum Risu Audientium)* Edendo, antequam esurirem, & Potando, antequam sitirem. *Sed de his, (ut dictum est) postea.*

47. Vita Religiosa, *& in sacris, videtur ad Longævitatem facere; Sunt in hoc Genere Vitæ, Otium, Admiratio & Contemplatio rerum divinarum; Gaudia non Sensualia; Spes nobiles; Metus salubres; Mœrores dulces; denique Renovationes continuæ per Observantias, Pœnitentias, & Expiationes; quæ omnia ad Diuturnitatem Vitæ potenter faciunt. Quibus si accedat* Diæta *illa Austera, quæ Massam Corporis induret, Spiritus humiliet, nil mirum si sequatur Longævitas insignis; qualis fuit* Pauli Eremitæ, Simeonis Stilitæ, Anachoretæ Columnaris, *& complurium aliorum* Monachorum *ex Eremo, &* Anachoretarum.

48. *Huic proxima est* Vita in Literis, Philosophorum, Rhetorum, *&* Grammaticorum; *Degitur hic quoque in Otio, & in iis Cogitationibus, quæ cum ad Negotia Vitæ nihil pertineant, non mordent, sed Varietate, & impertinentia, delectant; Vivunt etiam ad arbitrium suum, in quibus maxime placeat, Horas & Tempus terentes; Atque in consortio plerunque Adolescentium, quod paulo lætius est. In* Philosophis *autem magna est Discrepantia, quoad Longævitatem, inter* Sectas. *Etenim* Philosophiæ, *quæ non nihil habent ex Superstitione, & Contemplationibus sublimibus, optimæ, ut* Pythagorica, Platonica: *Etiam quæ Mundi Perambulationem, & Rerum Naturalium varietatem complectebantur, & Cogitationes habebant discinctas, & alias, & magnanimas, (de* Infinito, *& de* Astris, *& de* Virtutibus Heroicis, *& hujusmodi) ad Longævitatem bonæ; quales fuerunt* Democriti, Philolai, Xenophanis, Astrologorum *&* Stoicorum: *Etiam*

quæ

quæ nihil habebant Speculationis Profundioris, sed ex Sensu Communi, & Opinionibus vulgatis, absque Inquisitione acriori, in omnem partem placidè disputabant, similiter bonæ; quales fuerunt Carneadis, & Academicorum; *item* Rhetorum, & Grammaticorum: *At contra,* Philosophiæ *in Subtilitatum Molestiis versantes, &* Pronunciativæ, *& singula ad Principiorum Trutinam examinantes, & torquentes, denique Spinosiores, & Angustiores, malæ; quales fuerunt, plerunque* Peripateticorum, & Scholasticorum.

49. Vita Rusticana *item ad Longævitatem idonea; Frequens est sub Dio, & Aere libero; non Socors, sed in Motu; Dapibus plerunq; Recentibus, & inemtis, sine Curis & Invidia.*

50. *De* Vita Militari, *in Iuventute, etiam bonam habemus Opinionem; Certe complures* Bellatores *egregij longævi fuerunt;* Corvinus, Camillus, Xenophon, Agesilaus, *& Alij tam Prisci, quam Moderni: Prodest certe Longævitati, si a Iuventute, ad Ætatem Provectam, omnia crescant in* Benignius, *ut Iuventus laboriosa, Dulcedinem quandam Senectuti largiatur: Existimamus etiam* Affectus Militares, *ad Contentionis studium, & spem Victoriæ, erectos, talem infundere Calorem* Spiritibus, *qui Longævitati prosit.*

MEDICINÆ AD Longævitatem.

Ad Artic. 10. Connexio.

MEdicina quæ habetur, intuetur fere tantum *Conservationem Sanitatis & Curationem Morborum;* de iis autem, quæ proprie spectant ad *Longævitatem*, parva est Mentio, & tanquam obiter. Proponemus tamen ea *Medicamenta*, quæ in hoc genere notantur, *Cordialia* scilicet quæ vocantur. Etenim quæ sumpta in *Curationibus, Cor* & (quod verius est) *Spiritus* muniunt, & roborant, contra *Venena & Morbos*, translata cum Judicio & Delectu in *Diætam*, etiam ad Vitam producendam, aliqua ex parte, prodesse posse, consentaneum est. Id faciemus non promiscue ea cumulantes, (ut moris est) sed excerpentes Optima.

1. Aurum *triplici Forma exhibetur; Aut in* Auro *(quod appellant)* Potabili; *aut in* Vino Extinctionis Auri; *aut in* Auro in Substantia; *qualia sunt,* Aurum Foliatum, & Limatura Auri. *Quod ad* Aurum Potabile *attinet, cœpit dari in Morbis desperatis, aut gravioribus, pro egregio Cordiali, atque successu non contemnendo. Verum existimamus* Spiritus Salis, *per quos fit Dissolutio, Virtutem illam, quæ reperitur, largiri potius, quam ipsum* Aurum; *Quod tamen sedulo celatur: Quod si aperiri possit* Aurum *absque Aquis Corrosivis, aut per Corrosivas, (modo absit Qualitas Venenata) bene postea ablutas, Rem non inutilem fore arbitramur.*

2. Margaritæ *sumuntur aut in* Pulvere lævigato, *aut in* Malagmate *quodam sive Dissolutione, per* Succum Limonum *impense acerborum, & recentium; atq; dantur aliquando in* Confectionibus Aromaticis, *aliquando in* Liquore. Margarita *procul dubio affinitatem habe: cum* Concha, *cui adhæret; & possit esse similis fere Qualitatis cum* Testis Cancrorum Fluviatilium.

3. *Inter* Gemmas Crystallinas *habentur pro Cordialibus præcipue duæ;* Smaragdus *&* Hyacinthus; *quæ dantur sub iisdem Formis, quibus* Margaritæ, *excepto quod Dissolutiones earum (quod scimus) non sint in usu. Verum nobis magis suspectæ sunt* Gemmæ *illæ* Vitreæ, *ob Asperitatem.*

[*Monitum.*] De his, quæ memoravimus, quatenus & quomodo Juvamentum præbeant, postea dicetur.

4. Lapis Bezoar *probatæ est Virtutis; quod Spiritus recreet, & lenem Sudorem provocet.* Cornu *autem* Monocerotis, *de Existimatione sua decidit; ita tamen ut gradum servet, cum* Cornu Cervi, *&* Osse *de* corde Cervi, *&* Ebore *& similibus.*

5. Ambra Grisia *ex optimis est, ad Spiritus demulcendos, & confortandos. Sequuntur* Nomina *tantum* Simplicium, *cum Virtutes ipsarum satis sint cognitæ.*

Calida.

Crocus.
Folium Indum.
Lignum Aloës.
Cortex Citri.
Melissa.
Ocymum.
Caryophyllata.
Flores Arantiorum.
Rosmarinus.
Menta.
Betonica.
Carduus Benedictus.

Frigida.

Nitrum.
Rosa.
Viola.
Fragaria.
Fraga.
Succus Limonum dulcium.
Succus Arantiorum dulcium.
Succus Pomorum Fragrantium.
Borago.
Buglossa.
Pimpinella.
Santalum.
Camphora.

[*Monitum.*] Cum de iis jam Sermo sit, quæ in *Diætam* transferri possint; *Aquæ* illæ *Ardentiores*, atque *Olea Chymica*, (quæ, ut ait Quidam ex *Nugatoribus*, sunt sub *Planeta Martis*, & habent Vim furiosam, & destructivam) quinetiam *Aromata* ipsa Acria & Mordacia, rejicienda sunt; & videndum, quomodo componi possint *Aquæ*, & *Liquores ex* Præcedentibus, non *Phlegmaticæ* illæ *Stillaticia*; neque rursus Ardentes ex *Spiritu vini*, sed magis Temperatæ, & nihilominus vivæ, & Vaporem benignum spirantes.

6. *Hæsitamus de* Frequenti Sanguinis Missione; *utrum ad Longævitatem conferat, & potius in ea sumus Opinione, quod hoc fasiat, si in Habitum versa fuerit, & cætera sint accommodata; Etenim Succum Corporis Veterem emittit, & Novum inducit.*

7. *Arbitramur etiam* Morbos *quosdam* Emaciantes, *bene curatos, ad Longævitatem prodesse; Succos enim Novos præbent Veteribus consumptis; atque (ut ait ille)* Convalescere est Juvenescere; *Itaque inducendi sunt tanquam* Morbi *quidam* Artificiales, *id quod fit per* Diætas strictas, *&* Emaciantes, *de quibus postea dicemus.*

INTENTIONES.

Ad Artic 12.13.&14.

Connexio.

POstquam autem *Inquisitionem* absolverimus secundum subjecta, videlicet *Corporum Inanimatorum, Vegetabilium, Animalium, Hominis*; propius accedemus, & *Inquisitionem* per *Intentiones* ordinabimus veras & proprias, (ut omnino arbitramur) quæq; sint tanquam Semitæ vitæ Mortalis. Neque enim in hac Parte quicquam, quod valeat, hactenus inquisitum est: sed plane fuerunt Hominum Contemplationes, quasi simplices, & non proficientes. Nam cum audiamus ex una parte Homines, de confortando *Calore Naturali*, atq; *Humore Radicali*; atque de *Cibis*, qui generant Sanguinem laudabilem, quique sit nec Torridus, nec Phlegmaticus; atq; de *Refocillatione*, & *Recreatione Spirituum*, verba facientes; existimamus sane, Homines non malos esse, qui hæc loquuntur: Sed nihil horum potêter facit ad Finem. Cum vero ex altera parte, audiamus Sermones inferri de *Medicinis ex Auro*, (quia scilicet *Aurum* Corruptioni est minime obnoxium) & de *Gemmis*, ad recreandos Spiritus, propter Proprietates occultas, & Claroré suum; Quodq;, si possint detineri, & excipi in Vasibus *Balsama*, & *Quintæ Essentiæ Animalium*, Superbam faceret Spem *Immortalitatis*; Quodque *Carnes Serpentum & Cervorum*, consensu quodam valeant ad Renovationem Vitæ, quia Alter mutat *Spolia*, alter *Cornua*; (debuerant autem *Carnes Aquilarum* adjungere, quia *Aquila* mutat *Rostrum*;) Quodque quidam, cum *Vnguentum* sub terra defossum reperisset, eoque se à Capite ad Pedes usque unxisset, (exceptis *Plantis Pedum*) ex hujusmodi Unctione trecentos Annos vixisset absq; morbo, (præter Tumores *Plantarum Pedum*;) Atque de *Artefio*, qui cum *Spiritum* suum labascere sensisset, *Spiritum Adolescentis* cujusdam Robusti ad se traxisset, eumque inde exanimasset; sed ipse complures Annos ex Alieno illo *Spiritu* vixisset; Et de *Horis Fortunatis*, secundum *Schemata Cœli*, in quibus *Medicinæ* ad Vitam producendam, colligi, & componi debent; Atque de *Sigillis Planetarum*, per quæ *Virtutes* cœlestis ad prolongationem vitæ haurire, & deducere possimus; & hujusmodi *Fabulosis*, & *Superstitiosis*; prorsus miramur Homines ita Mente captos, ut iis hujusmodi Res imponi possint. Denique, subit Humani generis Miseratio, quod tam duro Fato obsideatur, inter Res inutiles, & ineptas Nostras autem *Intentiones*, & Rem ipsam premere, & procul esse à Commentis vanis, & credulis, confidimus; & tales, ut Rebus, quæ illis *Intentionibus* satisfaciant, à Posteris quam plurima, Intentionibus autem ipsis non multum, addi posse existimemus.

Sunt tamen Pauca, sed magni prorsus Momenti, quorum Homines præmunitos esse volumus.

Primo, nos in hac Sententia sumus, ut existimemus *Officia Vitæ*, esse *Vita ipsa* potiora. Itaque si quid sit ejusmodi, quod *Intentionibus* nostris, magis exacte respondere possit, ita tamen ut *Officia*, & *Munia Vitæ*, omnino impediat; quicquid hujus generis sit, rejicimus: Levem fortasse aliquam Mentionem hujusmodi Rerum facimus, sed minime illis insistimus. Neq; enim de vita aliqua, in *Speluncis*, ubi Radii & Tempestates cœli non penetrent, instar *Antri Epimenidis*; Aut de perpetuis *Balneis*, ex Liquoribus preparatis; Aut de *Superpellicis*, & Ceratis ita applicãdis, ut Corpus perpetuo sit tanquam in Capsula; Aut de *Pigmentis Spissis*, more *Barbarorum* nonnullorum; Aut de *Ordinatione Victus* & *Diætæ* accurata, quæ solum hoc videatur agere, & nihil aliud curare, quã ut quis vivat; (qualis fuit *Herodici* apud Antiquos, & *Cornari Veneti* nostro Sæculo, sed majore cum Moderatione;) Aut de hujusmodi Portentis, Fastidiis, & Incõmodis, sermonem aliquem serium, & diligentem instituimus; Sed & afferimus Remedia, & Præcepta, ex quibus *Officia vitæ* non deserantur, aut nimias excipiant Moras, & Molestias.

Secundo, ex altera parte, Hominibus denunciamus, ut nugari desinant; nec existiment tantum Opus, quantum est *Naturæ potentem Cursum remorari*, & retrovertere, posse Haustu aliquo Matutino, aut usu alicujus pretiosę *Medicinæ*, ad Exitum perduci; sed ut pro certo habeant, necesse esse ut hujusmodi opus sit plane Res operosa, & quæ ex cõpluribus Remediis, atque eorum inter se Connexione idonea, constet; Neque enim quisquam ita stupidus esse debet, ut credat id quod nunquam est factum, fieri posse, nisi per Modos etiam nunquam tentatos.

Tertio diserte profitemur, nonnulla ex iis, quæ proponemus, Experimento nobis non esse probata, (neque enim hoc patitur nostrum Genus Vitæ) sed tantum summa (ut arbitramur) Ratione, ex Principiis nostris, & Præsuppositis, (quorum alia inferimus, alia Mente servamus) esse derivata; & tãquam ex *Rupe*, aut *Minera* ipsius *Naturæ*, excisa & effossa. Neq; tamen Curam omisimus, eamque providentem & sedulam, quin (quandoquidem de Corpore Humano agatur, quod, ut ait *Scriptura*, *est supra Vestimentũ*) ea proponamus Remedia, quę sint tuta saltem, si forte non fuerint fructuosa.

Quarto, illud Homines rite, & animadvertere, & distinguere volumus; Non eadem semper, quæ ad *Vitam Sanam*, ad *Vitam Longam* conferre. Sunt enim nonnulla, quæ ad *Spirituum Alacritatem*, & *Functionum Robur*, & Vigorem, prosunt, quæ tamen de *Summa Vitæ* detrahunt & alia, quæ ad *Prolongationem Vitæ* plurimum juvant, sed tamen non sunt absque Periculo *valetudinis*; nisi per Accommodata quædam huic Rei occurratur; de quibus tamen (prout Res postulat) Cautiones, & Monita exhibere non prætermittemus.

Postremo, visum est nobis varia Remedia, secundum singulas *Intentiones* proponere; Delectum vero Remediorum, atq; Ordinem ipsorum, in medio relinquere. Etenim ex ipsis, quæ *Constitutionibus Corporum* diversis, quæ *Generibus Vitæ* variis, quæ *Ætatibus* singulis, maxime conveniant, quæque alia post alia sumenda sint, & quomodo *Praxis* universa harum rerum sit instruenda, & regenda, exacte perscribere, & nimis longum foret, neq; idoneum est quod publicetur.

Intentiones in *Topicis* proposuimus tres: *Prohibitionem Consumptionis*; *Perfectionem Reparationis*; & *Renovationem Veterationis*. Verum, cum quæ dicentur, nihil minus sint, quam *Verba*, *Intentiones* illas tres ad decem *Operationes* deducemus.

1. Prima est Operatio super *Spiritus*, ut revirescãt.
2. Secunda Operatio est, super *Exclusionem Aeris*.

3. Tertia

3. Tertia Operatio est, super *Sanguinem*, & *Calorem Sanguificantem*.

4. Quarta Operatio est, super *Succos Corporis*.

5. Quinta Operatio est, super *Viscera*, ad *Extrusionem Alimenti*.

6. Sexta Operatio est, super *Partes Exteriores*, ad *Attractionem Alimenti*.

7. Septima Operatio est, super *Alimentum* ipsum, ad *Insinuationem* ejusdem.

8. Octava Operatio est, super *Actum ultimum Assimilationis*.

9. Nona Operatio est, super *Intenerationem Partium*, postquam cœperint deficcari.

10. Decima Operatio est, super *Expurgationem Succi veteris*, & *Substitutionem Succi novi*.

Harum *Operationum* Primæ quatuor pertinent ad *Intentionem* primam; Quatuor Proximæ, ad *Intentionem* secundam; Duæ ultimæ, ad *Intentionem* Tertiam.

Cum vero hæc Pars de *Intentionibus*, ad *Praxin* innuat, sub *Historiæ* Nomine, non solum *Experimenta*, & *Observationes*, sed etiam *Consilia*, *Remedia*, *Causarum Explicationes*, *Assumpta*, & quæcunque huc spectant, immiscebimus.

OPERATIO

super Spiritus, ut maneant juveniles, & revirescant.

I.

HISTORIA.

1. SPiritus *omnium*, *quæ in Corpore fiunt*, Fabri *sunt atq;* Opifices. *Id & Consensu, & ex infinitis* Instantiis *patet*.

2. *Si quis posset efficere, ut in corpore Senili rursus indantur* Spiritus, *quales sunt in Iuvene*; Rotam *hanc Magnam*, Rotas *reliquas Minores circumagere*, & Naturæ Cursum *retrogradum fieri posse, consentaneum est*.

In omni Consumptione, *sive per Ignem*, *sive per Ætatem*, *quo plus* Spiritus *Rei*, *sive Calor deprædatur Humorem, eo brevior est Duratio Rei. Id ubique occurrit, & patet*.

4. Spiritus *in tali Temperamento, & Gradu Activitatis ponendi sunt, ut Succos Corporis* (*ut ait ille*) non bibant, & sorbeant, sed pitissent.

5. *Duo sunt Genera* Flammarum; *una* Acris & Impotens, *quæ Tenuiora evolare facit*; *in Duriora parum potest; ut* Flamma *ex* Stramine, *vel* Ramentis Ligni: *Altera* Fortis & Constans, *quæ etiam insurgit in Dura, & Obstinata*, *qualis est* Lignorum grandiorum *& similium*.

6. Flammæ Acriores *& tamen minus* Robustæ, *Corpora deficcant, & reddunt effœta, & exucta*; *at* Fortiores *Corpora intenerant, & liquant*.

7. *Etiam ex* Medicinis dissipantibus, *nonnullæ in Tumoribus, tenuia tantum emittunt, ideoq; indurant; nonnullæ potenter discutiunt, ideoq; emolliunt*.

8. *Etiam in* Purgantibus, *& Abstergentibus, quædam magis Fluida raptim asportant*; *quædam magis Contumacia, & Viscosa trahunt*.

9. Spiritus *tali* Calore *indui, & armari debent, ut potius ament* Dura, *& obstinata convellere, & subruere; quam* Tenuia, *& Præparata emittere, & asportare: Eo enim modo fit Corpus Viride, & Solidum*.

10. *Spiritus* ita subigendi, & componendi sunt, *ut* fiant *Substantia densi*, non *rari*; *Calore pertinaces*; non *acres*, *Copia*, quanta sufficit ad Munia Vitę, non *redundantes*, aut *turgidi*; *Motu sedati*, non *subsultorij*, & inæquales.

11. *Super* Spiritus *plurimum operari*, *& posse* Vapores, *ex Somno, & Ebrietate, & Passionibus Melancholicis, & Lætificantibus, & Recreatione* Spirituum *per Odores in Deliquiis, & Languoribus, patet*.

12. Spiritus *quatuor modis condensantur. Aut* Fugando; *Aut* Refrigerando; *Aut* Demulcendo; *Aut* Sedando: *Atq; primum de* Condensatione *per* Fugam *videndum*.

13. *Quidquid* fugat *undequaque, cogit Corpus in Centrum suum, atq; ideo* condensat.

14. *Ad* Condensationem Spirituum *per* Fugam, *longe potentissimum, & efficacissimum, est* Opium; *& deinde* Opiata, *atq; generaliter* Soporifera.

15. *Efficacia* Opii *ad* Condensationem Spirituum *admodum insignis est*; *cum tria fortasse Grana ejus*, Spiritus *paulo post ita coagulent, ut non redeant; sed extinguantur, & reddantur immobiles*.

16. Opium, *& Similia non* fugant Spiritus *propter* Frigus *suum*; (*Habent enim partes manifesto calidas*:) *Sed è converso* refrigerant, *propter* Fugam Spirituum.

17. Fuga Spirituum *ex* Opio, *&* Opiatis, *optime cernitur, in illis exterius Applicatis*; *quia subinde* Spiritus *statim se subducunt*, *nec amplius accedere volunt, sed mortificatur Pars*, *& vergit ad* Gangrænam.

18. Opiata *in magnis* Doloribus, *veluti* Calculi, *aut in* Abscissione Membrorum, *Dolores mitigant; maxime per* Fugam Spirituum.

19. Opiata *sortiuntur bonum Effectum ex mala Causa*: Fuga *enim* Spirituum, *mala*; Condensatio *autem eorum à* Fuga, *bona*.

20. Græci *multum posuerunt, & ad Sanitatem, & ad Prolongationem Vitæ*, *in* Opiatis: Arabes *vero adhuc magis, in tantum ut* Medicinæ *suæ* Grandiores, (*quas* Deorum manus *vocant*) *pro Basi sua, & Ingrediente principali habeant* Opium; *reliquis admistis ad ejus noxias Qualitates retundendas, & corrigendas; quales sunt* Theriaca, Mithridatium, *& cætera*.

21. *Quicquid in* Cura Morborum Pestilentialium, *& Malignorum fœliciter exhibetur, ut* Spiritus *sistantur*; *& frenentur, ne turbent, & tumultuentur*; *id optime transfertur ad Prolongationem Vitæ*; *cum idem faciat ad utrumque*; Condensatio *videlicet* Spirituum. *Id autem præstant ante omnia* Opiata.

22. Turcæ Opium *experiuntur*, *etiam in bona Quantitate, innoxium, & confortativum; adeo ut etiam ante Prælia, ad Fortitudinem illud sumant*; *Nobis vero nisi in parva Quantitate, & cum bonis Correctivis, lethale est*.

23. Opium, *&* Opiata, *manifesto deprehenduntur excitare Venerem*; *& quod testatur vim ipsorum ad roborandos* Spiritus.

24. Aqua Stillatitia *ex Sylvestri* Papavere, *ad* Crapulam Febres, *& varios Morbos fœliciter adhibetur; quæ proculdubio est temperatum Genus* Opiati: *Neq; de Varietate Vjus ejus miretur quispiam*; *Idenim* Opiatis *familiare est*; *quia* Spiritus *roboratus & densatus, insurgit in quemcunq; Morbum*.

25. Turcæ *habent etiam in usu* Herbæ *Genus, quam vocant* Daphe, *quam deficcatum pulverizant, & in Aqua calida propinant; quam dicunt haud par-*

vum præstare illis Vigorem, & in Animis, & in Ingeniis: Quæ tamen largius sumpta, Mentem movet, & turbat, unde manifestum est eam esse similis Naturæ cum Opiatis.

26. *Celebratur in universo* Oriente Radix *quædam vocata* Betel, *quam* Indi, *& reliqui in ore habere, & mandere consueverunt; atque ex ea Mansione mire recreantur, & ad Labores tolerandos, & ad Languores discutiendos, & ad Coitum fortificandum; videtur autem esse ex* Narcoticis, *quia magnopere denigrat Dentes.*

27. *Incepit nostro sæculo in immensum crescere usus* Tobacco; *atque afficit Homines occulta quadam delectatione, ut qui illi semel assueti sint, difficile postea abstineant; Et facit proculdubio ad Corpus allevandum, & tollendas Lassitudines: Atque vulgo virtus ejus refertur, eo quod aperiat Meatus, & eliciat Humores: Attamen, rectius referri potest ad* Condensationem *Spirituum; cum sit* Hyoscyami *quoddam genus, & Caput manifesto turbet, quemadmodum* Opiata.

28. *Sunt aliquando* Humores *generati in Corpore, qui & ipsi sunt tanquam* Opiati; *ut fit in aliquibus Melancholiis, quibus si quis corripiatur, admodum fit longævus.*

29. Opiata (*quæ etiam* Narcotica *vocantur, &* Stupefactiva) Simplicia *sunt*, Opium *ipsum, quod est* Succus Papaveris Papaver *utrunq; & in Herba, & in Semine*; Hyoscyamus; Mandragora; Cicura; Tobacco; Solanum.

30. Opiata Composita *sunt*, Theriaca, Mithridatium, Triferæ, Ladanum Paracelsi, Diacodium, Diascordium, Philonium, Pillulæ *de* Cynoglossa.

31. *Ex his, quæ dicta sunt, possent deduci quædam* Designationes, *sive Consilia ad prolongationem vitæ, secundum hanc* Intentionem, *scilicet* Condensationis Spirituum *per* Opiata.

32. *Sit itaque quotannis à Juventute Adulta*, Diæta *quædam* Opiata: *usurpetur sub Fine* Maji; *quia* Spiritus *Æstate maxime solvuntur & attenuantur, & minor instat metus ab Humoribus frigidis: Sit vero* Opiatum *aliquod* Magistrale, *debilius quam ea, quæ in usu sunt, & quoad minorem Quantitatem Opij, & quoad parciorem Mixturam impense Calidorum: Sumatur Mane inter Somnos; Victus sit simplicior, & parcior, absq; Vino aut Aromatibus, aut Vaporosis: Sumatur autem* Medicina *alternis tantum diebus, & cõtinuetur* Diæta, *ad Quatuordecim Dies. Hæc* Designatio *Judicio nostro* Intentioni *haud perperam satisfacit.*

33. *Possit etiam esse Acceptio* Opiatorum, *non tantum per* Os, *sed etiam per* Fumos; *Sed talis esse debet, ut non moveat nimis Facultatem Expulsivam, aut eliciat Humores; sed tantum brevi mora operetur super* Spiritus *intra cerebrum; Itaq;* Suffumigatio matutina, *per Os, & Nares excepta, cum* Tobacco, *admista* ligno Aloës, *& Foliis Siccis* Rorismarini, *& parum* Myrrhæ, *utilis foret.*

34. *In* Opiatis magnis, *qualia sunt* Theriaca, Mithridatium, *& cætera* (*præsertim in Juventute*) *non malum foret, potius* Aquas *ipsorum* Stillatitias *sumere, quam* Corpora *ipsorum: Etenim* Vapor *in distillando surgit*; Calor Medicamenti *fere subsidet:* Aquæ *autem* Stillatitiæ, *plerunque in Virtutibus, quæ per Vapores fiunt, bonæ*; *in cæteris, enerves.*

35. *Sunt* Medicamenta, *quæ Gradum habent quendam debilem, & occultum, & propter ea tutum, ad Virtutem* Opiatam; *Ea immittunt Vaporem lentum & copiosum, sed non malignum, quemadmodum* Opiata *faciunt: Itaq;* Spiritus *non fugant, sed congregant tamen, & nonnihil inspissant.*

36. Medicamenta *in ordine ad* Opiata *sunt ante omnia* Crocus, *atque ejus* Flores; *deinde* Folium Indum; Ambra-grisia; Coriandri Semen *præparatum*; Amomum, *&* Pseudamomum; Lignum Rhodium; Aqua Florum Arantiorum, *& multo magis Infusio* Florum *eorundem recentium in* Oleo Amygdalino; Nux Muscata *foraminata, & in* Aqua Rosacea *macerata.*

37. *Vi* Opiata *parce admodum, & certis Temporibus (ut dictum est) ita hæc* Secundaria, *familiariter, & in Victu quotidiano, sumi possunt; & multum conferent ad Prolongationem vitæ. Certe* Pharmacopœus *quidam* Calecutiæ, *ex Usu* Ambræ, *ad centum sexaginta Annos vixisse perhibetur; atque* Nobiles *in* Barbaria, *ex ejusdem Usu, longævi reperiuntur, cum Plebs brevioris sit Ævi; Et apud Majores nostros, qui nobis fuerunt Vivaciores,* Crocus *magno in Usu fuit, in* Placentis, Jusculis, *&c. Atque de primo Modo* Condensationis Spirituum, *per* Opiata, *&* Subordinata, *hæc inquisita sint.*

38. *Iam vero de secundo Modo* Condensationis Spirituum *per* Frigus, *inquiremus; Proprium enim Opus Frigoris est* Densatio; *atque perficitur absque Malignitate aliqua, aut Qualitate inimica: ideoque tutior est Operatio, quam per* Opiata; *licet paulo minus potens, si per vices tantum, quemadmodum* Opiata, *usurparetur: At rursus, quia familiariter, & in Victu quotidiano moderate adhiberi potest, etiam longe potentior ad prolongationem vitæ est, quam per* Opiata.

39. Refrigeratio Spirituum, *fit tribus modis; Aut per* Respirationem; *Aut per* Vapores; *Aut per* Alimenta: *Prima optima est, sed fere extra nostram potestatem; Secunda etiam potens, & tamen præsto est; Tertia debilis & per Circuitus.*

40. Aër Limpidus *& purus, & nihil habens Fuliginis, antequam recipiatur in Pulmones, & minus obnoxius Radiis solis,* Spiritus *optime densat. Talis invenitur aut in jugis Montium Siccis, aut in Campestribus perflatilibus, & tamen umbrosis.*

41. *Quoad* Refrigerationem *&* Densationem Spirituum *per* Vapores, Radicem *hujus* Operationis *ponimus in* Nitro, *veluti* Creatura *ad hoc* propria, *&* electa; *his usi & persuasi indiciis.*

42. Nitrum *est tanquam* Aroma *Frigidum; Idque indicat Sensus ipse. Mordet enim, & tentat Linguam, & Palatum Frigore, ut* Aromata *Calore; Atq; inter ea quæ novimus, unicum est, & solum, quod hoc præstet.*

43. Frigida *fere omnia (quæ sunt proprie Frigida, non per Accidens, ut* Opium, *) habent* Spiritum *exilem, & paucum; Contra* spirituosa *sunt omnia fere Calida. Solum invenitur* Nitrum *in Natura Vegetabili quod* Spiritu *abundet, & tamen sit* Frigidum. *Nam* Caphura *quæ est Spirituosa, & tamen edit Actiones Frigida, refrigerat per Accidens tantum; nempe Tenuitate sua, absq; Acrimonia, juvando perspirationem in Inflammationibus.*

44. *In* Congelatione *&* Conglaciatione Liquorum *quæ nuper cœpit esse in Usu, per* Nivem *&* Glaciem

Gleciem *ad Exteriora Vasis apposita, immiscetur illis* Nitrum, *atque proculdubio excitat, & roborat* Congelationem; *Verum est, etiam usurpari ad hoc Salem Nigrum communem, qui potius Activitatem indit* Frigori Nivali, *quam per se infrigidat; Sed, ut accepi, in Regionibus calidioribus, ubi Nix non cadit, fit Congelatio à* Nitro *solo; Sed hoc mihi compertum non est.*

45. Pulvis Pyrius, *qui præcipue constat ex* Nitro, *perhibetur epotus conducere ad Fortitudinem, & usurpari à Nautis sæpenumero, & Militibus ante prælia, quemadmodum à* Turcis Opium.

46. *Datur fœliciter* Nitrum *in* Causonibus, *& Febribus Pestilentialibus, ad leniendos, & frenandos Ardores earum perniciosos.*

47. *Manifestissimum est* Nitrum in Pulvere Pyrio *magnopere exhorrere Flammam; unde fit admirabilis illa ventositas, & Exufflatio.*

48. Nitrum *deprehenditur esse veluti* Spiritus Terræ: *Etenim certissimum est, quamcunq; Terram licet puram, neq; Nitrosis admixtã, ita accumulatã, & tectam, ut immunis sit à Radiis Solis, neq; emittat aliquod Vegetabile, colligere etiam satis copiose* Nitrum: *unde liquet* Spiritum Nitri, *non tantum* Spiritui Animalium, *verum etiam* Spiritui Vegetabilium *esse inferiorem.*

49. Animalia *quæ potant ex* Aqua Nitrosa *manifesto pinguescunt, quod signum est Frigidi in* Nitro.

50. Impinguatio Soli *maxime fit à* Nitrosis: *omnis enim Stercoratio est* nitrosa; *Atque hoc signum est* Spiritus *in* Nitro.

51. *Ex his patet* Spiritus humanos *per* Spiritum Nitri *posse infrigidari & densari; & fieri magis Crudos, & minus Acres; Quemadmodum igitur* Vina fortia, *&* Aromata, *& Similia,* Spiritus *incendunt, & Vitam abbreviant; ita &* Nitrum *è converso illos componit, & comprimit, & facit ad Longævitatem.*

52. Usus *autem* Nitri *potest esse in Cibo inter Salem, ad decimam partem salis; in Iusculis matutinis, ad Grana à tribus ad decem; etiam in Potu; sed qualitercunq; usurpatum cum modo, ad Longævitatem summè prodest.*

53. *Quemadmodum* Opium *præcipuas Partes tenet in* Condensatione Spirituum *per* Fugam; *atq; habet simul sua* Subordinata, *minus potentia, sed magis tuta, quæ & majori Quantitate, & frequentiori usu sumi possunt, de quibus superius diximus: ita similiter &* Nitrum, *quod condensat Spiritus per Frigus, & quandam (ut Moderni loquuntur)* Frescuram; *habet quoque & ipsum sua* subordinata.

54. Subordinata *ad* Nitrum *sunt, omnia quæ exhibent* Odorem *nonnihil* Terreum; *qualis est Odor* Terræ puræ, *& bonæ, recenter effossæ & versatæ: In his præcipua sunt* Borago, Buglossa, Hippo-buglossa, Pimpinella, Fragaria, *&* Fraga *ipsa,* Frambesia, Fructus Cucumeris crudus, Poma cruda fragrantia, Folia *&* Gemmæ Vitis, *etiam* Viola.

55. Proxima *sunt, ea quæ habent quendam* Virorem Odoris, *sed paulo magis vergentem ad* Calidum, *neque omnino expertem virtutis illius* Refrigerii; *Qualia sunt* Melissa, Citrum viride, Arantium viride, Aqua Rosacea stillaticia, Pira *assa fragrantia; etiam* Rosa Pallida, Rubea, & Muscatella.

56. *Illud notandum est,* Subordinata *ad* Nitrum *plerunq; plus ad* Intentionem *conferre* Cruda, *quam* Ignem passa; *quia* Spiritus *ille* Refrigerii, *ab* Igne *dissipatur; Itaque bene sumuntur infusa in* Potu, *aut* Cruda.

57. *Quemadmodum* Condensatio Spiritus *per* Subordinata *ad* Opium, *fit aliquatenus per* Odores; *similiter & illa, quæ fit per* subordinata *ad* Nitrum; *Itaque* Odor Terræ Recentis, *& puræ,* Spiritus *optime compescit, sive Aratrum sequendo, sive fodiendo, sive herbas inutiles evellendo: etiam* Folia *in Sylvis, & Sepibus, vergente Autumno, decidentia, bonum* Refrigerium *præstant* Spiritibus; *Et maxime omnium,* Fragaria moriens. *Etiam* Odor Violæ, *aut* Florum Parietariæ, *aut* Fabarum, *aut* Rubi suavis, & Madre-selve, *excepius dum crescunt, similis est Naturæ.*

58. *Quin & novimus* Virum Nobilem *longævum, qui statim à Somno,* Glebam Terræ Recentis, *sub Nares apponi quotidie fecit, ut ejus* Odorem *exciperet.*

59. *Dubium non est, quin* Refrigeratio, *&* Attemperatio Sanguinis, *per* Frigida, *qualia sunt* Endivia, Cichorea, Hepatica, Portulaca, *&c. per Consequens infrigidet quoque* Spiritus, *sed hoc fit per Circuitum; At* Vapores *operantur immediate.*

Atque de Condensatione Spirituum *per* Frigus *jam inquisitum est; Tertiam diximus esse* Condensationem, *per id quod vocamus,* Demulcere Spiritus; *Quartam, per* Sedationem Alacritatis, *& Motus nimij ipsorum.*

60. Demulcent Spiritus, *quæcunq; illis sunt* grata, *atque* amica; *neque tamen provocant eos nimium ad* Exterius; *sed contra faciunt, ut* Spiritus *quasi seipsis contenti, se fruantur, & recipiant se in* Centrum *suum.*

61. *De his, si repetas ea, quæ superius posita sunt, tanquam* subordinata, *& ad* Opium, *& ad* Nitrum; *nihil est opus alia Inquisitione.*

62. *Quod vero ad* Sedationem Impetus Spirituum *attinet, de ea mox dicemus, cum de* Motu *ipsorum inquiremus: Nunc igitur postquam de* Densatione Spirituum *dixerimus, (quæ pertinent ad* Substantiam *ipsorum,) veniendum ad* Modum Caloris *in ipsis.*

63. Calor Spirituum, *ut diximus, ejus generis esse debet, ut sit* Robustus, *non* Acris: *& amet Obstinata subruere, potius quam Attenuata asportare.*

64. *Cavendum ab* Aromatibus, Vino, *&* Potu forti; *ut usus ipsorum sit valde temperatus, & abstinentia interpolatus: Etiam à* Satureja, Origano, Pulegio, *& omnibus, quæ ad Palatum* Acria *sunt, & Incensiva. Illa enim præstant* Spiritibus *Calorem non* Fabrilem, *sed* Prædatorium.

65. Robustum *præbent* Calorem *præcipue* Enula, Allium, Carduus benedictus, Nasturtium adolescens, Chamedrys, Angelica, Zedoaria, Verbena, Valeriana, Myrrha, Costum, Sambuci Flores, Myrrhis. *Horum usus cum Delectu, & Iudicio, alias in* Condimentis, *alius in* Medicamentis, *huic rationi satisfaciet.*

66. *Bene etiam cedit, quod* Opiata *Magna huic quoque Operationi egregie serviunt; eo videlicet quod exhibent* Calorem *talem per* Compositionem, *qualis in* Simplicibus *optatur, sed vix habetur: Etenim recipiendo Calida illa intensissima (qualia*

sunt Euphorbium, Pyrethrum, Staphys-agria, Dracontium, Anacardi, Castoreum, Aristolochium, Opoponax, Ammoniacum, Galbanum, *& similia; quæ intus per se sumi non possunt) ad retundendam vim* Narcoticam Opii, *constituunt demum talem Complexionem Medicamenti, qualem jam requirimus; Quod optime perspicitur in hoc, quod* Theriaca, *&* Mithridatium, *& Reliqua, non sunt Acria, nec mordent Linguam; sed tantum sunt paululum Amara, & Odoris potentis, & produnt demum Caliditatem suam in Stomacho, & Operationibus sequentibus.*

67. *Etiam ad* Calorem Robustum Spirituum, *facit* Venus *sæpe* excitata, *raro* peracta: *atque nonnulli ex* Affectibus, *de quibus postea dicetur. Atq; de* Calore Spirituum *Analogo ad Prolongationem vitæ, jam inquisitum est.*

68. *De* Copia *spirituum, ut non sint exuberantes, & ebullientes, sed potius parci; & intra Modum, cum* Flamma *parva non tantum prædetur, quam magna,) brevis* Inquisitio *est.*

69. *Videtur ab Experientia comprobari, quod* Diæta tenuis, *& ferè* Pythagorica, *vel ex Regulis Severioribus vitæ* Monasticæ, *vel ex Institutis* Eremitarum, *quæ Necessitatem & Inopiam habebant pro Regula, vitam reddat Longævam.*

70. *Huc pertinent* Potus Aquæ, Stratum durum, Aër frigidus, Victus tenuis, (*scilicet ex* Oleribus, Fructibus, *atque* Carnibus *&* Piscibus, *Conditis & Salitis, potius quam Recentibus & Calidis*) Indusium Cilicii, crebra Jejunia, crebræ Vigiliæ, raræ Voluptates sensuales, *& hujusmodi: Omnia enim ista minuunt* Spiritus, *eosq; redigunt ad* Quantitatem *eam, quæ tantummodo vitæ Muniis sufficiat; unde minor fit Deprædatio.*

71. *Quod si* Diæta *fuerit hujusmodi Rigoribus, & Mortificationibus paulo benignior, sed tamen semper æqualis, & sibi constans, eandem opem præstat; Etenim etiam in Flammis videmus, Flammam nonnihil majorem, (modo fuerit constans & tranquilla) minus absumere ex Fomite suo, quam Flamma minor agitata, & per vices intensior, & remissior, id quod plane demonstravit Regimen, & Diæta* Cornari Veneti, *qui bibit & edit tot Annos ad justum Pondus; unde centesimum Annum Viribus & Sensibus validus superavit.*

72. *Etiam videndum est, ne Corpus, quod plenius nutritur, neq; per hujusmodi (quales diximus) Diætas emaciatur.* Veneris usum Tempestivum *omittat; ne* Spiritus *nimis turgeant, & Corpus emolliant, & destruant. Itaque de* Copia Spiritus *moderata, & quasi frugali, jam inquisitum est.*

73. *Sequitur Inquisitio de* Frænatione Motus Spiritus; Motus *enim manifesto eum attenuat & incendit; Illa* Frænatio *fit tribus modis: Per* Somnum; *per* Evitationem *Laboris vehementis, aut Exercitij nimij, denique omnis lassitudinis; & per* Cohibitionem Affectuum molestorum. *Ac primo de* Somno.

74. Fabula *habet,* Epimenidem *in* Antro *plures Annos dormivisse, neq; Alimento equisse; cum* Spiritus *inter dormiendum minus depascat.*

75. *Experientia docet,* Animalia *quædam, (qualia sunt* Sorices, *&* Vespertiliones) *in quibusdam Locis occlusis, per integram Hyemem dormire; adeo* Somnus *Deprædationem vitalem compescit; Quod etiam facere putantur* Apes, *&* Fuci, licet *quandoque à Melle destituti: Itidem* Papiliones, *&* Muscæ.

76. Somnus *post Prandium, ascendentibus in Caput Vaporibus non ingratis, (utpote primis Roribus (iorum)* Spiritibus *prodest, sed ad alia omnia, quæ ad Sanitatem pertinent, gravis est & noxius; Attamen in extrema Senectute eadem est Ratio Cibi, &* Somni; *quia frequens esse debet, & Refectio, & Dormitio, sed brevis & pusilla: quinetiam ad ultimam Metam Senectutis, mera Quies, & perpetuus quasi Decubitus prodest, præsertim Temporibus Hyemalibus.*

77. *Verum ut* Somnus moderatus *ad Prolongationem vitæ facit, ita multo magis, si sit* Placidus, *& non turbidus.*

78. Somnum placidum *conciliant* Viola, Lactuca, (*præsertim cocta*) Syrupus *è* Rosis siccis, Crocus, Melissa, Poma *in introitu Lecti,* Offa panis *ex* vino Malvatico, *præsertim infusa prius* Rosa Muscatella: *Itaque utile foret, conficere aliquam Pillulam, vel aliquem Haustum parvum, ex hujusmodi Rebus, eoq; uti familiariter. Etiam ea quæ Os Ventriculi bene claudunt, ut* Semen Coriandri *præparatum,* Cotonea, *&* Pyra *Fragrantia assata,* Somnum *inducunt placidum; Ante omnia,* Juvenili Ætate, *& maxime iis, qui habent* Ventriculum *satis* fortem, *prodest* Haustus *bonus* Aquæ puræ, *crudæ, in introitu Lecti.*

[*Mandatum.*] De *Ecstasi voluntaria,* sive *procurata,* atque de *Cogitationibus Defixis,* & Profundis, (modo sint absque Modestia) nihil habeo compertí; Faciunt proculdubio ad *Intentionem,* & densant *Spiritus,* etiam potentius quam *Somnus:* cum Sensus, æque, aut magis sopiant, & suspendant: De illis inquiratur ulterius. Atque de *Somno* hactenus.

79. *Quatenus ad* Motum *&* Exercitia; Lassitudo *nocet, atq; Motus & Exercitatio, quæ est nimis* celeris *&* velox, *quales sunt* Cursus, Pila, Gladiatoria, *& similia: Et rursus cum Impetus extenditur ad* ultimas Vires, *&* Nixus, *quales sunt,* Saltus, Lucta, *& similia. Certum enim est,* Spiritus *in Angustiis positos, vel per* Pernicitates Motus, *vel per* ultimos Nixus, *fieri postea magis* Acres, *&* Prædatorios. *Ex altera Parte,* Exercitia, *quæ satis* fortem *cient Motum, sed non nimis* celerem, *aut ad* ultimas Vires (*quales sunt* Saltatio, Sagittatio, Equitatio, Lusus Globorum, *& similia*) *nihil efficiunt, sed prosunt potius.*

Veniendum jam ad Affectus, *&* Passiones Animi, *& videndum, qui ex ipsis, ad Longævitatem sint Noxij, qui Viles.*

80. Gaudia magna *attenuant, & diffundunt* Spiritus, *& vitam abbreviant:* Lætitia familiaris, *roborat* Spiritus, *evocando eos, nec tamen exolvendo.*

81. Impressiones Gaudiorum sensuales, *malæ;* Ruminationes Gaudiorum *in* Memoria, *aut* Prehensiones *eorum ex* Spe, *vel* Phantasia, *bonæ.*

82. *Magis confortat Spiritus* Gaudium pressum, *& parce communicatum, quam* Gaudium effusum, *& publicatum.*

83. Mœror *&* Tristitia, *si* Metu *vacet, & non nimium* angat, *vitam potius prolongat:* Spiritus *enim contrahit, & est* Condensationis Genus.

84. Metus graviores *vitam abbreviant: licet enim &* Mœror, *&* Metus, Spiritum *uterque angustiet,*

stiet; *tamen in* Mœrore *est simplex* Contractio; *at in* Metu, *propter* Curas *de Remedio*, & Spes *intermistas*, *fit* Æstus, & Vexatio Spirituum.

85. Ira compressa *est etiam* Vexationis *genus*; & Spiritum *Corporis* Succos *carpere facit*; *At si bi* permissa, & foras prodiens, *juvat*; *tanquam* Medicamenta *illa*, *quæ* robustum *inducunt* Calorem.

86. Invidia *pessima est*, & *carpit* Spiritus, *atq; illi rursus* Corpus; *eo magis*, *quod fere perpetua est*, *nec* agit (*ut dicitur*) Festos Dies

87. Misericordia *ex* Malo alieno, *quod in nos ipsos cadere non posse videtur*, *bona*; *quæ vero* Similitudine quadam *potest reflecti in* Miserantem, *mala*, *quia excitat* Metum.

88. Pudor levis *minime officit*, *cum* Spiritus *paululum contrahat*, & *subinde effundat*; *adeo ut* Verecundi *diu* (*ut plurimum*) *vivant*: *At* pudor *ex* Ignominia magna, & *diu affligens*, Spiritus *contrahit*, *usque ad* Suffocationem, & *est perniciosus*.

89. Amor, *si non fuerit* infelix, & *nimis* saucians, *ex genere* Gaudii *est*; & *easdem subit* Leges, *quas de* Gaudio *posuimus*.

90. Spes *omnium* Affectuum *utilissima est*, & *ad prolongationem vitæ plurimum facit*; *si non nimium sæpe intercidat*, *sed Phantasiam* Boni intuitu *pascat*; *Itaque qui* Finem *aliquem*, *tanquam Metam vitæ figunt*, & *proponunt*; & *perpetuo*, & *sensim*, *in* Voto *suo proficiunt*; *vivaces ut plurimum sunt*, *Adeo ut*, *cũ ad* Cultum Spei *suæ venerint*, *nec habeant quod amplius sperent*, *fere Animis concidant*, *nec diu superstites sint*; *ut* Spes *videatur tanquam* Gaudium Foliatũ, *quod in immensum extenditur*, *sicut* Aurum.

91. Admiratio, & Levis Contemplatio, *ad vitam prolongandam maxime faciunt*; *Detinent enim* Spiritus, *in Rebus quæ placent*, *nec eos turbate*, *aut inquiete*, & *morose agere sinunt*: *Vnde omnes* Contemplatores Rerum Naturalium, *qui tot* & *tanta habebant*, *quæ mirarentur*, (*ut* Democritus, Plato, Parmenides, Apollonius) *longævi fuerunt*: *Etiam* Rethores, *qui Res degustabant tantum*, & *potius* Orationis Lumen, *quam* Rerum Obscuritatem *sectabantur*, *fuerunt itidem Longævi*; *Vt* Gorgias, Protagoras, Isocrates, Seneca: *Atq; certe quemadmodum* Senes *plerunq;* Garruli, & *Loquaces sunt*; *ita* & Loquaces *sæpissime* senescunt: *Indicat enim* levem Contemplationem, & *quæ* Spiritum *non magnopere stringat*, *aut vexet*: *At* Inquisitio Subtilis, & Acuta, & Acris, *vitam abbreviat*; Spiritum *enim lassat*, & *carpit*.

Atque de Motu Spirituum *per* Animi affectus *hæc inquisita sint*; *subjungemus autem quasdam alias* Observationes *Generales circa* Spiritus, *præter Superiores*, *quæ non cadunt in Distributionem præcedentem*.

92. *Præcipua Curæ esse debet*, *ut* Spiritus *non exolvantur sæpius*; Solutionem *enim præcedit* Extenuatio; *neq;* Spiritus *semel extenuatus*, *ita facile se recipit*, & *densatur*: Exolutio *autem fit per nimios* Labores, *nimis vehementes* Affectus Animi; *nimios* Sudores; *nimias* Evacuationes; Balnea tepida: & intemperatum, *aut* intempestivum usum Veneris; *Etiam nimias* Curas, & Sollicitudines, & Exspectationes *anxias*; *Denique per* Morbos malignos, & Dolores, & *Cruciatus Corporis graves*: *quæ omnia*, *quantum fieri potest*, (*ut etiam* Medici *vulgares monent*) *evitanda sunt*.

93. Spiritus & Consuetis *delectantur*, & Novis. *Mirum autem in modum facit ad cõservandum* Vigorem Spirituum, *ut nec* Consuetis *utamur ad* Satietatem, *nec* Novis, *ante* Appetitum vividum, & *strenuum*. *Itaque* & Consuetudines *abrumpendæ sunt Iudicio quodam* & *Cura*, *antequam proveniant ad* Fastidium, & Appetitus *ad* Nova, *ad tempus cohibendus*, *donec fiat* Fortior & Alacrior. *Atque insuper*, Vita, *quoad fieri potest*, *ita instituenda*, *ut Multas*, & *Varias habeat* Redintegrationes, *neque perpetuo in iisdem versando* Spiritus *torpeant*: *Licet enim non male dictum sit a* Seneca, Stultus semper incipit vivere, *tamen illa* Stultitia, *ut* & *aliæ quamplurimæ*, *Longævitati prodest*.

94. *Circa* Spiritus *observandum est*, (*etsi contrarium fieri consueverit*) *ut*, *quando percipiant Homines* Spiritus *suos esse in* Statu Bono & *Placido*, & *Sano*, (*id quod ex* Tranquillitate Animi, & Lætitia *datur perspici*) *eos foveant*, *nec mutent*; *Sin in* Statu Inquieto, & *maligno*, (*id quod ex* Tristitia, Pigritia, *atque alia* Indispositione animi *apparebit*) *eos subinde obruant*, & *alterent*. *Continentur autem* Spiritus *in eodem* Statu *per* Cohibitionem Affectuum, Temperamentum Diætæ, Abstinentiam à Venere, Moderationem à labore, Otium mediocre: *Alterant autem*, & *obruunt* Spiritus, *Contraria istis*; *scilicet*, Affectus vehementes, Epulæ profusæ, Venus immoderata, Labores arduì, studia intensa, & Negotia. *Atque consueverunt Homines*, *cum lati sunt* & *sibi maxime placent*, *tum* Epulas Venerem, Labores, Contentiones, Negotia, *maxime sequi*, & *affectare*. *Quod si quis Longitudini Vitæ consulere velit*, *contrario modo* (*quod mirum dictu*) *se gerere debet*: Spiritus *enim* Bonos *fovere*, & *continuare*; male Dispositos *exhaurire*, & *mutare*, *oportet*.

95. *Non inepte ait* Ficinus, Senes debere *ad* Conservationem *Spirituum suorum*, Acta Pueritiæ *suæ* & Adolescentiæ *sæpe recordari*, & *ruminare*. *Certè Recreatio est* Senibus *singulis*, *tanquam peculiaris*, Recordatio *talis*. *Itaque dulce est Hominibus* Societatem *habere eorum*, *qui olim unà educati fuerant*, & Loca *ipsa* Educationis *suæ invisere*. Vespasianus *autem huic Rei tantum tribuebat*, *ut cum esset* Imperator, *nullo modo Animum inducere potuisset*, *ut* Ædes Paternas, *licet humiles*, *mutaret*; *ne aliquid deperiret* Consuetudini Oculorum, & Memoriæ Pueritiæ *suæ*: *Quinetiam in* Scypho *quodam* Aviæ *suæ* ligneo, *cum Labro argenteo*, *Diebus Festis potabat*.

96. *Illud ante omnia* Spiritibus *gratum est*; *ut fiat* Progressus *continuo* in Benignius. *Itaque eo modo est instituenda Iuventus*, & *Ætas virilis*, *ut Senectuti* Nova solatia *relinquantur*; *quorum præcipuum sit* Otium moderatum. *Itaque sibi ipsi Manus inferunt* Senes Honorati, *qui in* Otium *non secedunt*: *Cujus Rei insigne reperitur Exemplũ in* Cassiodoro; *qui tanta apud* Reges Italiæ Gothos *Auctoritate pollebat*, *ut instar Animæ esset erga eorum Negotia*; *postea autem fere Octogenarius in* Monasterium *se recepit*, *ubi non ante Centesimum demum Annum vitam clausit*. *At huic rei duæ* Cautiones *adhibendæ sunt*: *Vna ut non expectent*, *donec* Corpus *omnino* confectum *sit*, & morbidum: *etenim in hujusmodi Corporibus omnis* Mutatio, *licet in* Benignius, *Mortem accelerat*: *Altera*, *ut* Otio *plane* inerti *se minime dedant*,

dedant, sed habeant Aliquid *quod Cogitationes, & Animum ipsorum placide detinere possit; In quo genere, præcipua Oblectamenta sunt* Literæ, *deinde Studia* Ædificandi, & Plantandi.

97. *Postremo eadem* Actio, Contentio, Labor *libenter susceptus, & cum* bona Voluntate Spiritus *recreat, Cum* Aversatione *autem, &* Ingratiis, Spiritus *carpit, & sternit: Itaque ad Longævitatem confert, si quis* Arte *talem vitam instituat, quæ libera sit, & ad* Arbitrium suum *traducatur; Aut tale* Obsequium *Animo suo conciliaverit, ut quicquid à Fortuna imponatur, eum potius* Ducat, *quam* Trahat.

98. *Neque illud omittendum ad* Regimen Affectuum; *ut præcipua Cura adhibeatur* Oris ventriculi; *Maxime ne sit relaxatum nimis, quia plus dominatur illa* Pars *super* Affectus, *præsertim* quotidianos, *quam aut* Cor, *aut* Cerebrum; *Exceptis tantummodo iis, quæ fiunt per potentes* Vapores, *ut in* Ebrietate, & Melancholia.

99. *De* Operatione *super* Spiritus, *ut* Juveniles *maneant, &* revirescant, *hæc inquisita sunt: Quod eo diligentius præstitimus, quod de his* Operationibus, *potiori ex parte, magnum est, apud* Medicos, *& alios Auctores, Silentium: Maxime autem, quia* Operatio *super* Spiritus, *eorumque Recrudescentiam, ad Prolongationem Vitæ, est* Via *maxime* Proclivis, & Compendiaria, *propter duplex scilicet* Compendium; *Alterum, quod* Spiritus *Compendio operetur super Corpus; Alterum, quod* Vapores, & Affectus *compendio operentur super* Spiritus: *Adeo ut hæc* Finem, *petant, quasi in* Linea recta; *cætera magis per* Circuitum.

OPERATIO
super Exclusionem Aëris.
II.
HISTORIA.

1. EXclusio Aëris ambientis, *ad Diuturnitatem Vitæ dupliciter innuit. Primo, quod maxime omnium post* Spiritum Innatum, Aër Extrinsecus *(utcunque* Spiritum Humanum *quasi animet, & ad* Sanitatem *plurimum conferat)* Succos *Corporis deprædatur, &* Desiccationem *Corporis accelerat; Itaque* Exclusio Aëris, *ad Longitudinem vitæ confert.*

2. *Alter* Effectus, *qui sequitur* Exclusionem Aëris, *subtilior multo est, & profundior, Scilicet quod* Corpus occlusum, *& non* perspirans, Spiritum *inclusum detinet, & in* Duriora *Corporis vertit; unde* Spiritus *ea emollit, & intenerat.*

3. *Hujus rei explicata est Ratio in* Desiccatione Inanimatorum; *Atque est* Axioma *quasi infallibile, Quod* Spiritus Emissus *Corpora desiccat;* Detentus *colliquat, & intenerat: Atque illud insuper simul* assumendum, *Quod* Calor *omnis* proprie *attenuat, & humectat, & per* Accidens *tantum contrahit, & desiccat.*

4. Vita *in* Antris *&* Speluncis, *ubi* Aër *non recipit* Radios Solis, *posset facere ad Longævitatem;* Aër *enim per se ad* Prædationem *Corporis non multum potest, nisi* Calore *excitatus. Certe si quis Memoriam Rerum recolat; ex pluribus* Reliquiis, *& Monumentis constare videtur, fuisse Hominum* Magnitudines, *&* Staturas, *longe iis, quæ postea fuerunt, grandiores; ut in* Sicilia, *& aliis nonnullis Locis. Istiusmodi autem Homines, in* Speluncis, *plerunq; Ætatem degebant: Atqui* Diuturnitas Ætatis, *&* Amplitudo Membrorum, *habent nonnihil commune. Etiam* Antrum Epimenidis *inter* Fabulas *ambulat. Suspicor etiam,* vitam Anachoretarum Columnarium, *simile quippiam fuisse* vitæ in Antris; *quippe ubi* Radii solis *parum penetrabant, neque* Aer *magnas* Mutationes, *aut* Inæqualitates *recipere poterat. Illud certum, utrunq;* Simeonem Stylitam, *&* Danielem, *&* Sabam, *atque alios* Anachoretas Columnares, *admodum Longævos fuisse. Etiam* Anachoretæ *Moderni, intra* Muros *aut Columnas septi, & clausi, Longævi sæpius reperiuntur.*

5. *Proxima* Vitæ in Antris, *est* Vita in Montibus. *Quemadmodum enim in* Antra Calores Solis *non penetrant, ita in* Fastigiis Montium, *reflexione destituti, parum possunt. Accipiendum autem hoc est de* Montibus, *ubi* Aer Limpidus *est, & purus; Scilicet ubi propter* Ariditates Vallium, Nebulæ *&* Vapores *non ascendunt; Quod fit in* Montibus, *qui* Barbariam *cingunt; Vbi etiam hodie vivunt, sæpenumero ad Annos centum & quinquaginta, ut jam antea notatum est.*

6. *Atque hujusmodi* Aer, Antrorum, *aut* Montium, *ex sua Natura propria, parum aut nihil deprædatur: At* Aer, *qualis est noster, cum sit propter* Calores Solis Prædatorius, *quantum fieri potest, à Corpore est excludendus.*

7. Aer *vero prohibetur, & excluditur, duobus Modis: Primo, si* Claudantur *Meatus; secundo, si* Oppleantur.

8. *Ad* Clausuram Meatuum *faciunt ipsius* Aeris Frigiditas; Nuditas Cutis, *ex qua illa induratur;* Lavatio *in* Frigida; Astringentia *Cuti applicata, qualia sunt* Mastyx, Myrrha, Myrtus.

9. *Multo magis huic* Operationi *satisfiet per* Balnea, *sed raro usurpata, (præsertim Temporibus Æstivis) quæ constent ex* Aquis Mineralibus Astringentibus, *quæ tuto exhiberi possunt; quales sunt* Chalybeatæ, *&* Vitriolatæ; *Hæ enim* Cutem *potenter contrahunt.*

10. *Quod ad* Oppletionem *attinet;* Pigmenta, *& hujusmodi* Spissamenta Unctuosa, *atque (quod commodissime in usu potest esse)* Oleum, *&* Pinguia, *non minus* Corporis Substantiam *conservant, quam* Pigmenta *in* Oleo, *&* Vernix Ligna.

11. Britones Antiqui, *Corpus* Glasto *pingebant, & fuerunt admodum longævi; Quemadmodum &* Picti, *qui inde etiam* Nomen *traxisse à nonnulli putantur.*

12. *Hodie se pingunt* Brasilienses, *&* Virginenses *qui sunt (præsertim illi priores) admodum longævi; adeo ut quinque abhinc Annis,* Patres Galli *nonnullos convenerint, qui* Ædificationem Fernambugi, *Annis abhinc centum & viginti, ipsi tunc* Virilis Ætatis, *meminissent.*

13. Joannes *de* Temporibus, *qui dicitur ad Trecentesimum Annum Ætatem produxisse, interrogatus quomodo se conservasset; respondisse fertur, Extrà,* Oleo, *intus* Melle.

14. Hyberni, *præsertim* Sylvestres, *etiam adhuc sunt valde vivaces; Certè ajunt paucis abhinc Annis,* Comitissam Desmondiæ *vixisse ad Annum Centesimum Quadragesimum, & ter per vices* dentisse. Hybernis *autem Mos est, se nudos ante Focum* Butyro Salso, *& Veteri, fricare, & quasi condire.*

15. *Iidem* Hyberni *in usu habuerunt* Lintea, *&* Indusia croceata; *Quod licet ad* arcendam Putrefactionem

ctionem *introductum fuerat, tamen (utcunque) ad* vitæ Longitudinem *utile fuisse existimamus: Nam* Crocus, *ex omnibus quæ novimus, ad* Cutem *&* Confortationem Carnis, *est Res optima; cum & notabiliter* Astringat, *& habeat insuper* Oleositatem, *&* Calorem Subtilem *sine ulla* Acrimonia. *Equidem memini quendam* Anglum, *ut* Vectigalia *supprimeret,* Croci Saccum, *cum transfretaret, circa* Stomachum *portasse, ut lateret. Eumq; cum antea ex Mari gravissime* ægrotare *solitus esset, optime tunc* valuisse, *nec* Nauseam *ullam sensisse.*

16. Hippocrates *jubet* vestes *ad* Cutem Hyeme *puras portare.* Æstate *sordidas &* Oleo *imbutas; Hujus Ratio videtur, quod per* Æstatem, Spiritus *exhalant maxime; Itaque* Pori cutis *opplendi sunt.*

17. *Ante omnia igitur usum* Olei, *vel* Olivarum, *vel* Amygdali dulcis, *ad Cutem ab Extra ungendam, ad Longævitatem conducere existimamus, Eaque* unctio *debet fieri singulis Auroris, cum exitur è Lecto cum* Oleo, *in quo admisceatur parum* Salis Nigri, *&* Croci: Unctio *autem levis debet esse, ex* Lana, *aut* Spongia *molliori, neque quæ stillet super Corpus, sed Cutem tantum intingat, & inficiat.*

18. *Certum est* Liquores *in* Majori Quantitate *etiam* Oleosos, *haurire nonnihil ex Corpore, sed contra,* Parva Quantitate *imbibi à Corpore: Itaque* levis Asperfio *facienda est, ut diximus; Aut planè* Indusium *ipsum* Oleo *liniendum est.*

19. *Objici vero forte possit, Istam* Unctionem *ex* Oleo, *quam laudamus, (licet apud Nos in usu nunquam fuerit, atque apud* Italos *in Desuetudinem abierit) olim quidem apud* Græcos, *&* Romanos *familiarem fuisse, & Diætæ partem; neque tamen iis Sæculis Homines magis fuisse longævos. Sed respondetur rectissime;* Oleum *in Usu fuisse tantum post* Balnea, *nisi forte inter* Athletas; Balnea *autem ex Calido, Operationi nostræ tanto contraria sunt; quanto* Unctiones *congruæ, cum alterum* Meatus *aperiat, Alterum obstruat. Itaque* Balneum *absque* Unctione *sequenti, pessimum;* Unctio *absque* Balneo *optima. Etiam ad* Delicias *potius adhibeatur ista* Unctio, *atque (si in optimam Partem accipias) ad* Sanitatem: *sed nullo Modo in Ordine ad* Vitam longævam; *Itaque simul adhibeantur* Unguenta pretiosa, *quæ ad* Delicias *grata, ad nostram* Intentionem *noxia sunt, ob* Calorem; *Vi bene dixisse videatur* Virgilius:

Nec Casia liquidi corrumpitur usus Olivi.

20. Inunctio *ex* Oleo, *&* Hyeme *confert ad* Sanitatem, *per Exclusionem Frigoris, &* Æstate, *ad detinendos* Spiritus, *& prohibendam Exolutionem eorum, & arcendam vim* Aëris, *quæ tunc maxime est Prædatoria.*

21. *Cum* Inunctio *ex* Oleo Operatio *sit ad vitam longam fere potentissima; visum est addere* Cautiones, *ne periclitetur Valetudo; Ea quatuor sunt, secundum quatuor Incommoda, quæ exinde sequi possint.*

22. *Primum* Incommodum *est, quod* reprimendo Sudores, *Morbos inducere possit, ex Humoribus illis Excrementitiis: Huic* Remedium *adhibendum est ex* Purgationibus, *&* Clysteriis, *ut Evacuationi debite consulatur; Certum enim est;* Evacuationem *per* Sudores, *Sanitati plerunq; conferre; Longitudini vitæ officere.* Purgativa *autem moderata in Humores agunt, non in* Spiritus, *quod facit* Sudor.

23. *Secundum* Incommodum *est, quod* Corpus calefacere *possit, & subinde* inflammare; Spiritus *enim* Occlusus, *nec* Perspirans, *ferventior est: Huic* Incommodo *occurritur, si* Dieta; *ut plurimum, vergat ad* Frigidum, *& sumantur Propria quædam ad* Refrigerandum *per vices; de quibus mox in* Operatione *super* Sanguinem *inquiremus.*

24. *Tertium est, quod* Caput gravare *possit; Omnis enim* Oppletio *extrinsecus repercutit Vapores, & eos mittit versus* Caput: *Huic* Incommodo *omnino occurrit per* Cathartica, *præsertim* Clysteria; *Et claudendo* Os Ventriculi *fortiter cum* Stipticis; *Et* pectendo, *&* fricando caput, *etiam cum Lixiviis idoneis, ut aliquid exhaleat; Et non omittendo* Exercitationem bonam, *& qualem convenit, ut etiam per* Cutem *nonnihil perspiret.*

25. *Quartum* Incommodum *subtilius est Malum; videlicet, quod* Spiritus Detentus *per Clausuram Pororum, videatur posse seipsum nimis multiplicare; quia cum parum evolet, & continuo* Spiritus *novus generetur, nimium increscit* Spiritus, *& sic Corpus etiam plus prædari possit. Verum hoc non prorsus ita se habet; Nam* Spiritus *omnis conclusus hebes fit, (quandoquidem ventiletur Motu* Spiritus, *ut &* Flamma;) *ideoque minus activus est, & minus sui generans; Calore certe auctus, (ut &* Flamma;) *sed Motu piger: Sed & huic* Incommodo *Remedium adhiberi possit, à Frigidis,* Oleo *quandoque admistis; qualia sunt,* Rosa, *&* Myrtus; *nam Calidis omnino abstinendum, ut dictum est de* Casia.

26. *Neque inutilis est Applicatio, ad Corpus,* Vestium, *quæ & ipsæ in se habent aliquid* Unctuosi, *sive* Oleosi, *non* Aquosi: *Illæ enim exhaurient Corpus minus; quales sunt ex* Lana, *potius quam ex* Lino: *Certe manifestum est in* Spiritibus Odorum, *quod si ponas* Pulveres Odoratos *inter* Lintea, *multo citius Virtutem perdunt, quam inter* Lanea. *Itaq;* Lintea *Tactu, & Munditie jucunda; sed ad nostram* Operationem *suspecta.*

27. Hyberni Sylvestres, *dum incipiunt ægrotare, nihil prius faciunt, quam ut* Lintea *è Stratis tollant, & in* Laneis *Pannis se convolvant.*

28. *Referunt nonnulli, se magno Sanitatis suæ commodo,* Laneis Carmosinis *proximè ad Cutem, sub Indusiis suis, usos fuisse, tam ad Bracas, quam ad Corporalia.*

29. *Est & illud observandum,* Aërem *Corpori* Assuetum, *minus illud deprædari, quam* Novum, *& subinde mutatum: Itaque* Pauperes, *qui in* Tugurii*s suis, intra proprios* Lares *perpetuo vivunt, nec Sedes mutant, sunt plerunque Longæviores; Veruntamen quoad alias* Operationes, Mutationem Aëris, *(præsertim* Spiritibus *non omnino inertibus) utilem esse judicamus: Mediocritas autem adhibenda foret, quæ utrinque satisfaciat; Illud fiet, si* Quatuor Temporibus *Anni, fiet per stata tempora* Mutatio Loci *ad sedes idoneas, neq; sint Corpora, aut in* Peregrinatione *nimiâ, aut in* Statione. *Atque de* Operatione *per* Exclusionem Aëris, *& de evitanda* Vi *ejus* Prædatoria, *hæc dicta sint.*

OPERATIO
Super Sanguinem & Calorem sanguificantem.
III.
HISTORIA.

1. OPerationes *duæ Sequentes sunt* Operationibus

nibus *duabus Præcedentibus tanquam* Antistropha; *atque iis respondent, quemadmodum* Passiva Activis; *Præcedentes enim duæ, id agunt, ut* Spiritus & Aër *Actionibus suis sint minus deprædantes; Hæ vero, ut* Sanguis & Succus Corporis, *sint minus deprædabiles. Quoniam vero* Sanguis *est* Irrigatio Succorum, & Membrorum, & Præparatio *ad ea*; Operationem *super* Sanguinem *primo loco collocamus. Circa hanc* Operationem *proponemus* Consilia *Numero pauca, sed Vi valde efficacia. Ea tria sunt.*

2. *Primo dubium non est, quin si* Sanguis *sit aliquantò frigidior, minus futurus sit Dissipabilis: Quoniam vero, quæ per Os sumuntur Frigida, cum reliquis Intentionibus haud paucis, male conveniunt; ideo optimum foret alia invenire, quæ non sunt cum istiusmodi incommodis complicata. Ea duo sunt.*

3. *Alterum hujusmodi est: Adducantur in Vsum, idque maxime in* Juventute Clysteria *nihil omnino* Purgantia, *aut* Abstergentia; *sed solummodo* Refrigerantia, & *nonnihil* Aperientia; *Probata sunt quæ fiunt ex Succis* Lactucæ, Portulacæ, Hepaticæ, *etiam* Sedi majoris, & Mucilaginis Seminis Psillii, *cum* Decoctione *aliqua temperata Aperiente, admisto aliquanto* Camphoræ: *Verum* vergente Ætate, *omittatur* Sedum majus, & Portulaca, & *substituantur* Succi Boraginis, & Endiviæ, *aut similium; Atque retineantur* Clysteria *hujusmodi, quantum fieri potest, ad Horam scilicet, aut amplius.*

4. *Alterum est ejusmodi; In usu sint, præsertim* Æstate, Balnea Aquæ dulcis, & *modice admodum tepidæ, prorsus absque Emollientibus,* Malva, Mercuriali, Lacte, & *similibus; Adhibeatur potius* Serum Lactis *Recens in nonnulla Quantitate,* & Rosa.

5. *Verum, quod* Caput *rei est, & Novum, illud præcipimus; Vt ante* Balneationem, *inungatur Corpus cum* Oleo, *cum spissamentis, ut* Qualitas Refrigerii *excipiatur,* Aqua *magis arceatur: Neq; tamen* Meatus Corporis *nimium occludantur; Etenim cum* Frigus Exterius *Corpus fortiter occludit, tantum abest, ut promoveat* Infrigidationem; *ut etiam eam prohibeat, & irritet* Calorem.

6. *Similis est usus* Vesicarum, *cum* Decoctionibus, & Succis Refrigerantibus, *applicatis circa inferiorem Regionem Corporis, videlicet sub Costas, usq; ad Pubem; Nam & hoc est Genus* Balneationis, *ubi* Corpus Liquoris, *ut plurimum, excluditur;* Refrigerium *tantum excipitur.*

7. *Restat tertium* Consilium, *quod non ad* Sanguinis Qualitatem, *sed ad* Substantiam *ejus pertinet, ut reddatur magis Firma, & minus Dissipabilis; & in quam Calor* Spiritus *minus agere possit.*

8. *Atque de usu* Limaturæ Auri, *aut* Auri Foliati, *aut* Pulveris Margaritarum, Gemmarum, & Coralli, & *similium, hodie nihil credimus, nisi quatenus præsenti* Operationi *satisfaciant; Certe, cum* Arabes, & Græci, & Moderni, *iis Rebus tantas Virtutes tribuerint, non omnino nihil videatur esse in istis, quæ tot Homines Experti observarunt. Itaque missis Phantasticis circa illas Opinionibus, plane arbitramur, si universæ* Substantiæ Sanguinis *aliquid insinuari possit per* Minima, *in quod* Spiritus, & Calor *parum, aut nihil agere possint, omnino id non tantum* Putrefactioni, *sed etiam* Atefactioni *obstiturum;* & *ad vitam prolongandam fore efficacissimum; In hoc tamen plures adhibendæ sunt* Cautiones: *Primo, ut fiat admodum* exacta Comminutio: *Secundo, ut hujusmodi* Dura & Solida, *sint omnis* Malignæ Qualitatis *expertia, ne cum in Venis dispergantur & lateant, aliquid Nocumenti inferant: Tertio, ut nunquam* sumantur cum Cibis, *nec ita excipiantur, ut diu hæreant, ne generent periculosas Obstructiones circa Mesenterium: Quarto, ut* Rarus *sit eorum* usus, *ne coeant, & cumulentur in Venis.*

9. *Itaque* Modus *excipiendi sit,* Stomacho jejuno, *in* Vino Albo, *cui admistum sit parum* Olei Amygdalini, & *fiat* Corporis Exercitatio *super* Haustum *eorum.*

10. Simplicia *autem, quæ Operationi huic satisfaciant, possint esse loco omnium,* Aurum, Margaritæ, & Corallus; Metalla *enim omnia, præter* Aurum, *non sunt absque* Maligna Qualitate, *in* Volatili *ipsorum; Neque etiam tam exquisite comminuuntur, quam* Aurum Foliatum; Gemmæ *autem* Translucidæ, & *tanquam* Vitreæ, *minus nobis placent (ut & antea diximus) propter suspicionem* Corrosionis.

11. *At nostro judicio, & tutior, & efficacior foret usus* Lignorum, *in* Infusionibus, & Decoctionibus; *Satis enim in iis possit esse ad Firmitudinem* Sanguinis; *Neque tamen simile Periculum est ab* Obstructione; *præcipue autem, quia possunt sumi in* Cibo & Potu; *unde facilius Ingressum reperient in* Venas, *nec deponentur in* Fæcibus.

12. Ligna *ad hoc idonea sunt,* Santalum; Quercus; & Vitis: Ligna *enim* Calidiora, *aut aliqua ex Parte* Resinosa, *rejicimus: Possint tamen adjici Caules siccæ, & lignosæ* Rorismarini; *cum* Frutex *sit* Rosmarinus, & *Ætatem multarum* Arborum *æquet; Etiam* Hederæ *caules Siccæ, & Lignosæ, sed ea Quantitate, ut Saporem non reddant ingratum.*

13. *Sumantur vero* Ligna *aut in* Jusculis *decocta, aut infusa in* Mustum, *aut* Cervisiam *antequam fedeat: In* Jusculis *autem (ut fit in* Guajaco, & *similibus) semper infundantur diu, antequam decoquantur, ut firmior Pars* Ligni, & *non tantum ea, quæ leviter hæret, eliciatur:* Fraxinus *autem, licet ad Pocula adhibeatur, nobis suspecta est. Atque de* Operatione *super* Sanguinem *hæc inquisita sint.*

OPERATIO
super Succos Corporis.
IV.
HISTORIA.

1. *Duo sunt* Corporum *Genera, (ut in* Inquisitione *de* Inanimatis *jam dictum est) quæ difficilius consumuntur:* Dura & Pinguia; *ut cernitur in* Metallis, & Lapidibus; *atque in* Oleo, & Cera.

2. *Operandum itaque est, ut* Succus Corporis *sit* Subdurus, *atque etiam ut sit* Subpinguis, *aut* Subroscidus.

3. *Quatenus ad* Duritiem, *ea efficitur tribus Modis.* Natura Alimenti firma; Frigore condensante Cutem & Carnes; & Exercitatione Succos fermentante, & *compingente, ne sint molles, & spumosi.*

4. *Quatenus ad* Naturam Alimenti, *talis esse debet, ut sit minus* Dissipabilis; *qualia sunt* Caro Bovina, Caro Sulla, Caro Cervina, *etiam* Caro Caprearu, Hædu-

Hœdorum, Cygnorum, & Anserum, & Palumbium Sylvestrium, (*præsertim si hujusmodi Carnes fuerint modice salitæ*) Pisces *itidem Saliti, & sicci; Etiam* Caseus *subvetus, & hujusmodi.*

5. *Quoad* Panem *autem*, Avenatus, *aut etiam paululum* Pisatus, *aut* Secalicius, *aut* Hordeaceus, *solidior est, quam ex* Frumento: *Atq; etiam in* Pane Frumentaceo, *solidior qui paulo plus habet ex* Furfure, *quam qui purioris est* Pollinis.

6. Orcades, *qui* Piscibus *vescuntur* Salitis, *atque generaliter* Ichthyophagi, *Longævi sunt.*

7. Monachi, & Eremitæ, *qui parce, & Sicco* Alimento *pascebantur, fuerunt ut plurimum Longævi.*

8. *Etiam* Aqua pura *in potu frequenter usurpata, reddit* Succos *Corporis minus* Spumosos; *Cui, si propter* Spiritus Hebetudinem, (*qui proculdubio in* Aqua *est parum* Penetrativus) *admisceatur aliquid* Nitri; *utile esse existimamus. Atq; de* Firmitudine Alimenti *hactenus.*

9. *Quatenus ad* Condensationem Cutis & Carnium *per* Frigus; *Vivaciores fere sunt, qui sub* Dio *vivunt, quam qui sub* Tecto; *Atq; qui in* Regionibus Frigidis, *quam qui in* Calidis.

10. Vestes nimiæ, *sive in Lectis, sive Portata, corpus solvunt.*

11. Lavatio Corporis *in* Frigida, *bona ad Longitudinem vitæ; in su* Balneorum tepidorum, *malus: De* Balneis *autem ex* Aquis Astringentibus Mineralibus, *superius dictum est.*

12. *Quatenus ad* Exercitationem; Vita Ociosa *manifesto reddit Carnes Molles, & Dissipabiles:* Exercitatio autem Robusta, (*modo absint nimi* Sudores, *aut* Lassitudines) *duras & compactas; Etiam* Exercitatio *intra* Aquas Frigidas, *qualis est* Natatio, *valde bona: Atq; generaliter* Exercitatio *sub* Dio, *melior quam sub* Tecto.

13. *De* Fricationibus (*quod est* Exercitationis *genus*) *tamen, quia Alimenta magis evocant, quam indurant, postea suo loco inquiremus.*

14. *Jam vero, cum de* Duritie Succorum *dictum sit, veniendum ad* Oleositatem *sive Roscidationem ipsorū; quæ perfectior, & potentior est* Intentio, *quam* Induratio; *quia non habet* Incommodum, *neq; Malum complicatum: Omnia enim, quæ ad* Duritiem Succorum *pertinent, ejusmodi sunt, ut cum* Alimenti Absumptionem *prohibeant, etiam ejusdem* Reparationem *impediant; unde fit ut Diuturnitati vitæ, eadem & prosint, & obsint; At quæ ad* Roscidationem Succorū *pertinent, ex utraq; parte juvant; cum reddunt* Alimentum *& minus* Dissipabile, *& magis* Reparabile.

15. *Cum vero dicimus, quod* Succus Corporis *debeat fieri* Roscidus, & Pinguis; *Notandum est, hoc nos non intelligere de* Pinguedine, *aut* Adipe *manifesto, sed de* Rore perfuso, & (*si placet*) Radicali, *in ipsa Corporis substantia.*

16. *Neque rursus existimet quispiam,* Oleum, *aut* Pinguia Ciborum, *aut* Medullas *similia sibi generare, atque* Intentioni *nostræ satisfacere; Neque enim quæ perfecta semel sunt, retro aguntur; sed talia debent esse* Alimenta, *quæ post* Digestionem & Maturationem, *tum demum* Oleositatem *in Succis ingenerent.*

17. *Neque rursus existimet quispiam,* Oleum, & Pingue Coacervatum, & Simplex, *difficilis esse Dissipationis;* in Mistione *autem non eandem retinere naturam; Etenim quemadmodū* Oleum *per se multo serius consumitur, quam* Aqua; *ita etiam in* Papyro, *aut* Sudario, *diutius hæret, & tardius desiccatur; ut prius notavimus.*

18. *Ad* Irrotationem *Corporis melius faciunt* Cibi Assati, *aut* Furno Cocti, *quam* Elixi: *Atque omnis* Præparatio Ciborum, *cum* Aqua, *incommoda est; Quinetiam &* Oleum *copiosius elici videmus ex* Corporibus Siccis, *quam ex* Humidis.

19. *Generaliter ad* Irrorationem *Corporis, prodest multus Usus Dulcium,* Sacchari, Mellis; Amygdalarum dulcium, Pinearum, Pistaciorum, Dactylorum, Uvarum Passarum, Uvarum Corinthi, Ficuum, & *hujusmodi: Contra, omnia* Acida, & *nimium* Salsa, & *nimium* Acria, *sunt Generationi* Succi Roscidi *opposita.*

20. *Neq;* Manichæis, *eorumq; Diætæ favere existimabimur, si* Semina *quæq;,* & Nucleos, & Radices, *in Cibis, aut eorum Condimentis frequentia esse debere dicamus; quandoquidem omnis* Panis (Panis *autem Ciborum Firmamentum est*) *aut ex* Seminibus *est, aut ex* Radicibus.

21 *Ante omnia vero ad* Irrorationem Corporis *maxime facit* Natura Potus, *qui Ciborum Vehiculum est: Itaq; in usu sint* Potus *illi, qui absque omni* Acrimonia, *aut* Acedine, *subtiles tamen sint, quales sunt* Vina, (*ut ait* Anus *apud* Plautum) Vetustate edentula, & Cerevisia *ejusdem generis.*

22. Hydromel (*ut arbitramur*) *non foret malum, si fuerit Forte, & Vetus: Attamen quoniam omne* Mel *habet aliquid Acutum,* (*ut patet ex acerrima illa* Aqua, *quam* Chymici *ex eo extrahunt, quæ etiam* Metalla *solvit*) *melius foret, si fieret similis Potio ex* Saccharo, *non infuso leviter, sed ita incorporato, quemadmodum* Mel *solet esse in* Hydromelite, & *quæ habeat Vetustatem Anni, aut sex Mensium; unde* Aqua *Cruditatem deponat,* & Saccharum *Subtilitatem acquirat.*

23. *Atque* Vetustas Vini, *aut* Potus, *hoc habet; quod Subtilitatem generat in Partibus* Liquoris, *Acrimoniam in* Spiritibus; *quorum primum utile, secundum noxium; Itaq; ad hanc Complicationem enodandam, mittatur in Dolium, prius quam resederit nonnihil Vinum à Musto,* Caro suilla, *aut* Cervina, *bene cocta, ut habeant* Spiritus vini, *quod ruminent, & mandant, atq; inde mordacitatem suam deponant.*

24. *Similiter, si recipiat* Cervisia, *non solum Grana* Tritici, Hordei, Avenarum, Pisarum, &c, *sed etiam Partem (puta tertiam) ex* Radicibus *aut* Pulpis *pinguibus,* (*qualia sunt* Radices Potado, Medullæ Arnplicis, Radices Bardanæ, *aut aliæ* Radices *Dulces, & Esculentæ*) *utiliorem fore* Potum *ad Longævitatem existimamus, quam* Cervisiam *ex* Granis *tantum.*

25. *Etiam quæ in Partibus suis valde tenuia sunt, & nihilominus nulla prorsus sunt* Acrimonia, *aut* Mordacitate, *utilia sunt in* condimentis Ciborum: *Qualem Virtutem inesse deprehendimus in paucis quibusdam ex* Floribus; Floribus *scilicet* Hederæ, *qui in Aceto infusi etiam gustui placent,* Floribus Calendulæ, *qui in usu sunt in* Brodiis, & Floribus Betonicæ. *Atque de* Operatione *super* Succos Corporis *hæc inquisita sunt.*

OPERATIO
super Viscera ad Extrusionem Alimenti.
V.
HISTORIA.

1. QVæ Viscera *illa* Principalia (*quæ* Concoctionis Fontes *sunt*) Stomachum, Hepar, Cor, Cerebrũ, *ad Functiones suas probè exercendas confortant*, (*unde alimẽta in partes distribuuntur*; *Spiritus sparguntur, atq; inde Reparatio Corporis totius transitur*) *à* Medicis, *atque eorum* Descriptis, & Consiliis, *petenda sunt.*

2. *De* Splene, Felle, Renibus, Mesenterio, Iliis & Pulmonibus, *non loquimur*; *Sunt enim* Membra *ministrantia Principalibus*; *Atq; cum de* Sanitate *tractatur, in Considerationem vel præcipuam quandoq; veniunt quia patiuntur singula suos Morbos, qui nisi curentur, etiam in* Viscera Principalia *incurrunt*: *Quatenus vero ad* Prolongationem Vitæ, *& Reparationem per Alimenta, & Retardationem Atrophiæ Senilis, si* Concoctiones & Principalia *illa* Viscera *bene se habeant, cætera maxima ex parte ad Votum sequuntur.*

3. *Atque ex* Medicorum *Libris, qui de Quatuor* Membrorum Principalium Confortatione, & Cõmodis, *sermones faciunt, decerpenda sunt ea unicuique, quæ pro ratione* Status Corporis proprii, *in* Diætam & Regimen Vitæ *transferri poterunt*: *Etenim* Sanitas Medicinis temporalibus *plerunque indiget*; *at* Diuturnitas Vitæ ex Victus ratione, *& constanti* Medicinarum *juvantium serie, sperandaest*: *Nos vero Pauca, eaq; Selecta, & Optima proponemus.*

4. Stomachum (*qui, ut ajunt, est* Paterfamilias, *& cujus Robur ad reliquas* Concoctiones *est Fundamentale*) *ita munire decet, & confirmare, ut sit absq;* Intemperie Calidus; *deinde* Astrictus, *non* Laxus *etiam* Mundus, *non* Humorum Fastidiis Oppressus; *Et nihilominus* (*cum ex seipso, potius quam ex Venis nutriatur*) *minimè prorsus* Inanis, *aut* Jejunus; *postremo in* Appetitu *servandus est*; *quia* Appetitus Digestionem *acuit.*

5. *Miramur quomodo illud*, Calidum Bibere, *quod apud Antiquos in usu fuit*) *in Desuetudinem abierit*; *Novimus certe* Medicum *admodũ celebrem, qui in Prandio, & Cœna*, Jusculum *etiam* præcalidũ *avide ingerere solebat, & paulo post optare ut regestum esset*; *Neque enim mihi* Jusculo *opus est*, (*inquit*) *sed* Calido *tantum.*

6. *Omnino utile arbitramur, primam* Potionem, *sive* Vini, *sive* Cervisiæ, *sive* Potus *alterius*, (*cui quis insuevit*) *in Cœna semper calidam exhiberi.*

7. Vinum Extinctionis Auri, *utile arbitramur semel in Mensa, Non quod* Aurum *aliquid Virtutis ad hoc largiri credamus, sed quia* Extinctionem *omnem* Metallicam, *in aliquo Liquore, Astrictionem potenter indere novimus*: Aurum *autem deligimus, quia præter illam, quam optamus*) Astrictionẽ, *nil aliud* Metallicæ Impressionis *post se relinquit.*

8. Offas Panis *in* Vino, *media Mensa, utiliores, quam ipsum* Vinum *esse judicamus*; *præsertim si* Vino, *cui* Offa *intingatur*, Rosmarinus, & Cortex Citri, *fuerint infusi*; *idq; cum* Saccharo, *ut tardius labatur.*

9. *Usum* Cotoneorum, *ad* Stomachi *Robur, utilem esse certum est*; *Melius tamen adhiberi judicamus in Succis depuratis, cum* Saccharo (*quos* Myvæ *vocant*) *quam in* Carnibus *ipsorum*; *quia* Stomachum *nimis gravant*: *Illæ vero* Myvæ *post Mensam*, simplices; *at ante Mensam, cum* Aceto, *utilissime sumuntur.*

10. *Utilia* Stomacho *sunt præ cæteris Simplicibus* Rosmarinus, Enula, Mastiche, Absynthium, Salvia, Mentha.

11. Pillulas *ex* Aloë, & Mastiche; & Croco; *præsertim Temporibus Hyemalibus, ante Prandium sumptas, probamus*; *ita tamen, ut* Aloë *non tantum Succo* Rosarum *multis vicibus abluta sit, sed etiam in Aceto*, (*in quo dissolutum fuerit* Tragacanthum) *& postea in* Oleo Amygdalino *Dulci & Recenti, ad aliquot horas macerata sit, antequam formetur in* Pillulas.

12. Vinum aut Cervisia Infusionis Absynthii, *tum modico* Enulæ, & Santali Cytrini, *recte per vices adhibetur, atq; hoc Hyeme potius.*

13. *At Æstate, Haustus ex* Vino Albo, *cum Aqua* Fragariæ *diluto, in quo* Vino, *Pulveres ex quisitis* Perlarum, & Testarum Cancrorum Fluviatilium, *& (quod mirum fortasse videatur) parum* Cretæ *fuerint infusa*, Stomachum *optime recreat, & roborat.*

14. *At generaliter, omnis* Haustus Matutines (*quales frequenter in usu sunt*) Refrigerantium, (Succorum, Decoctionum, Seri Lactis, Hordeatorum, *& similium*) *fugiendus est*; *nihilq; prorsus immittendum* Stomacho jejuno, *quod sit* Frigidum purum: *Melius exhibebuntur Res hujusmodi*, (*si necessitas postulet*) *vel* Hora quinta *post* Prandium, *vel* Hora una *post leve* Jentaculum.

15. Jejunia *frequentia mala sunt ad Longævitatem*; *quinetiam* Sitis *quæcunq; evitanda, & servandus* Stomachus *satis* Mundus, *sed perpetuo quasi* Humidus.

16. Oleum Olivarum *Recens, & Bonum, in quo* Mithridatii *nonnihil dissolutum fuerit, inunctum* Spinæ Dorsi, *ex adverso* Oris Stomachi, Stomachum *mirum in modum confortat.*

17. *Sacculus ex Floccis Carmosinis, infusis in* Vinũ Austerum; *in quod infusa fuerint* Myrtus, *&* Cortex Citri, *& parum* Croci, *super* Stomachum *perpetuo gestari potest. Atq; de* Stomachum Confortantibus *hactenus*; *cum etiam haud pauca ex his, quæ aliis Operationibus inservium, ad hocetiã juvit.*

18. Jecori, *si a* Torrefactione, *sive* Desiccatione, *atq; ab* Obstructione, *immune servetur, nil ultra opus est*: *Etenim* Exolutio *illa, quæ* Aquositates *generat*, Morbus *prorsus est*; *At reliqua duo etiam* Senectus *obrepens inducit.*

19. *Huc pertinent, vel maxime ea, quæ in Operatione super* Sanguinem, *descripta sunt*; *Iis adjiciemus pauca admodum, sed electa.*

20. *Præcipue in usu sit*, Vinum Granatorum *Dulcium*; *aut si illud haberi non possit* Succus ipsorum *recens expressus*; mane *sumẽdus, cum aliquanto* Saccharo, *& immisso in Vitrum* (*in quod sit Expressio*) *modico* Corticis Citri *recentis, &* caryophyllis *tribus, aut quatuor integris*: *Hocq; usurpetur a* Februario ad Finem Aprilis.

21. *In usum adducatur, ante alias omnes* Herbas, Nasturtium, *sed tamen* Pubescens, *non* Vetus *usurpetur sive* Crudum, *sive in* Jusculis, *sive in* Potu; *Et post hanc* Cochlearia.

22. Aloë

22. Aloë, *quocunq; modo abluta, aut correcta*, Hepati *noxia; itaq; nunquam familiariter sumenda est.* Rhabarbarum *contra vitale* Hepati, *modo tres adhibeantur* Cautiones: *Primo, ut sumatur* ante Cibum, *ne desiccet nimis, aut Vestigium* Stypticitatis *relinquat: Secundo, ut* maceretur *ad Horam unam, aut duas, in* Oleo Amygdalino *recenti, cum* Aqua Rosacea, *antequam aliàs infundatur, aut detur in Substantia: Tertio, ut vicibus alternis sumatur, aliàs* simplex, *aliàs cum* Tartaro, *aut parum* Salis nigri, *ne leviora tantum asportet, & reddat Massam Humorum magis obstinatam.*

23. Vinum, *aut* Decoctum *aliquod* chalybeatum, *ter aut quater in Anno sumi probo, ad* Obstructiones *potentiores solvendas; ita tamen ut semper præcedat* Haustus *duorum, aut trium Cochlearium* Olei Amygdalini, *dulcis & recentis, & sequatur* Motus Corporis, *præsertim* Brachiorum & Hypochondriorum.

24. Liquores dulcorati, *idque cum Pinguedine quadam, ad arcendam* Arefactionem, & Sallsedinē, & Torrefactionem, & *deniq;* Senilitatem Jecoris, *præcipue & plurimum possunt; præsertim si per Vetustatem bene incorporentur. Tales fiant ex* Fructibus, & Radicibus *dulcibus; Scilicet* Vina & Potus *ex* Uvis passis *recentibus*, Jujubis, Carycis, Dactylis, Pastinacis, Bulbis *sive* Potadis, & *hujusmodi, cum admistione* Lycoritiæ *quandoq; Etiā* Potus, *ex granis* Indicis (*quæ* Mayz *vocant*) *cum* Mixtura Dulcium, *plurimum confert. Notandum est autem, Intentionem* Præservationis Jecoris *in Mollicie quadam; & Pinguedine, longe potentiorem esse illa altera, quæ pertinet ad* Apertionem Jecoris, *quæ potius tnnuit ad* Sanitatem, *quam ad* Diuturnitatem vitæ; *nisi quod* Obstructio *ea, quæ inducit* Torrefactionem; *æque malitiosa est, ac aliæ* Arefactiones.

25. Radices Cichoreæ, Spinachiæ, Betæ, *à Medullis purgatas, atq; ad Teneritudinem coctas in Aqua, cum tertia parte* Vini Albi, *pro* Condimentis *Familiaribus cum* Oleo, & Accto, *laudo: Etiam Gemmas, sive Caules* Asparagi, Pulpas Atriplicis, & Radices Bardanæ, *debitè modis elixas, & conditas; & Juscula (tempore* Veris) *ex Foliis pubescentibus* Vitium, *& herba viridi* Tritici. *Atque de* Jecore *muniendo hactenus.*

26. Cor *Juvamentum suscipit maxime, atq; Nocumentum ex* Aëre, *quem spiramus; ex* vaporibus; *atq; ex* Affectibus: *Atq; complura ex iis, quæ de* Spiritibus *supra dicta sunt, huc transferri possunt; Indigesta autem* Moles Cordialium *apud* Medicos, *ad Intentionem nostram parum valet: Attamen, quæ* Venenorū Malignitati *occurrere deprehenduntur, ea demum ad muniendas* Cordis *vires, sano cum Iudicio adhiberi possunt, præsertim si sint ex eo genere; quod non tam propriam* Veneni Naturam *frangat, quam* Cor & Spiritus *in* Venenum *insurgere faciat. Atque de* Cordialibus *consule* Tabulam *superius positam.*

27. Aëris Bonitas *in* Locis, Experientia *potiùs dignoscitur, quam* Signis. *Optimum judicamus* Aërem *spirare in* Locis Æquis, *& Planis, atq; ex omni parte* Perflatilibus; *Si fuerit* Terra Sicca, *neq; tamē prorsus* Arida, *aut* Arenosa; *Quæq; emittat* Serpillum, & Amaraci *genus, & hinc inde* caules Mentæ Campestris; *Quæq; sit non prorsus* Rasa, *sed* Arboribus *nonnullis* (*ad* umbram) *sparsim consita; Atq; ubi* Rosa Rubi *spiret aliquid* Muscatellum, & Aromaticum: Flumina *si adsint, nocere potius arbitramur nisi fuerint* Exigua *admodum*, & limpida, & glareosa.

28. Aërem Matutinum *certum est* Vespertino *esse magis Vitalem, licet ad Delicias alter magis ametur.*

29. Aërem *à* Vento *agitatum paulo leniore*, Aëre Cœli Sereni *fœliciorem esse arbitramur: Optimus autem est* Zephyrus Matutinus, & Boreas Postmeridianus.

30. Odores *ad* Confortationem Cordis *præcipue utiles sunt; Neque tamen ac si* Odor bonus, *esset* Aeris boni *Prærogativa. Certum enim est, quemadmodum inveniuntur* Aeres *prorsus* Pestilentes, *qui non tantum* fœtent, *quantum alii* minus noxii; *similiter inveniri è contra* Aëres saluberrimos, & Spiritibus amicissimos, *qui aut prorsus sint* inodori, *aut ad sensum minus* Grati & Fragrantes. *Atq; omnino, ubi degitur in* Aere bono, Odores *per vices tantum repeti debent:* Odor *enim* Continuus (*licet optimus*) Spiritus *nonnihil onerat.*

31. *Laudamus ante omnes alios, (ut etiam superius innuimus)* Odor *ex* Plantis Vegetantibus, & *non* Avulsis, *in* Aere aperto *exceptis; quales sunt ex* Violis, Floribus Caryophilli (*tam* Majoris *quam* Minoris) Floribus Fabarum, Floribus Tiliæ, Floribus *sive* Pluviculo Vitium, Floribus Madreselve, Floribus Parietatæ luteæ; Rosa Muscatella (*nam cæteræ* Rosæ germinantes *parce emittunt* Odores (*præcipue ineunte* Vere,) Mentha Campestri, Lavendula Florente *atq; in Regionibus Calidioribus*, Malo Arantio, Cytrio; Myrto, Lauro: *Itaque* Ambulatio, *aut* Sessio *inter hujusmodi* Auras, *in Usu esse debet:*

32. *Ad* Cordis *juvamentum*, Odores Refrigerantes Calidioribus *anteponimus*; Suffitus *itaquē* Matutinus, *aut sub* Calores Meridiei *optimus fuerit, ex æquis Portionibus* Aceti, Aquæ Rosaceæ, & Vini Generosi, *super* Laminam Ferri *quasi candentem fusorum.*

33. *Neq; vero* Matri Telluri *libare nos quis existimet, si præcipiamus inter* Fodiendum, *aut* Terrā vertendam, vinum Generosum *super-infundi.*

34. Aquam *è* Floribus Arantiorum *bonam, cum modica Parte* Aquæ Rosaceæ, & Vini Fragrantis, *etiam per* Nares *attrahi, aut per* Syringam Errhini *more immitti, (sed rarius) bonum est.*

35. *At* Masticatio (*quamvis non habeamus* Betel) & Detentio *in* Ore *eorū quæ* Spiritus *fovent; (licet assidua) utilis admodum est. Fiant itaque* Grana, *aut pusilli* Pastilli *ex* Ambra & Musco, & Ligno Aloes, & Ligno Rhodio, & Radice Iridis, & Rosa, *atque formentur illa* Grana *aut* Pastilli *per* Aquam Rosaceam, *quæ per paululum* Balsami Indi *transierit.*

36. Vapores *vero, qui ex* Rebus intro sumptis, Cor *muniunt, & fovent, hæc tria habere debent; ut sint* Amici, Clari, & Refrigerantes. Caliditas *enim* Vaporum, *mala; Atque ipsum* Vinum, *quod putatur habere* vaporem *solummodo* calafacientem, *non expers prorsus* Qualitatis Opiatæ. Claros *autem* Vapores *vocamus eos, qui plus habent ex* Vapore, *quam ex* Exhalatione, *neque sunt omnino* Fumei, *aut* Fuliginosi, *aut* Unctuosi, *sed* Humidi, & Æquales.

37. *Inter turbam inutilem* Cordialium, *pauca ad* Diætam *in usu esse debent; Loco omnium* Ambragrisia, *&* Crocus, *&* Granum Kermes, *ex* Calidioribus; *Atque* Radices Buglossi, *&* Boraginis, *atque* Mala Cytria, *&* Limones dulces, *&* Poma Fragrantia, *ex* Frigidioribus. *Etiam (quod diximus) modo, &* Aurum, *&* Margaritæ, *non tantum intra* Venas, *sed etiam in* Transitu, *& circa* Præcordia *aliquid possunt, per* Refrigerium *scilicet absque aliqua* noxia Qualitate.

38. *De* Lapide Bezoar, *ob multas Probationes, Virtuti ejus fidem non prorsus derogamus; Sed omnino* Modus *ejus sumptionis talis esse debet, ut facillime* Virtus *ejus communicetur* Spiritibus. *Itaque nec in* Jusculis, *nec in* Syrupis, *nec in* Aqua Rosacea, *aut hujusmodi, Usum ejus probamus; sed tantum in* Vino *aut* Aqua Cynamomi, *aut hujusmodi* Distillato, *sed* Tenui, *aut* Calido *aut* Forti.

39. *De* Affectibus *jam superius inquisitum est; Illud tantum adjicimus, omne* Desiderium magnũ, *&* constans, *& (ut loquuntur)* Heroicum, Cordis *hactenus.*

40. *Ad* Cerebrum *quod attinet (ubi* Cathedra, *&* Universitas spirituum Animalium *residet) quæ superius inquisita sunt de* Opio *&* Nitro, *&* Subordinatis *ad ipsa, & de* Conciliatione Somni placidi, *etiam huc aliquatenus spectant. Illud quoque certum,* Cerebrum *tanquam in* Tutela Stomachi *esse; ideoq; quæ* Stomachum *confortant, & muniunt,* Cerebrum *per* Consensum *juvant, atque huc similiter transferri debent. Adjiciemus pauca, tria* Externa, Internum *unum.*

41. Balneationem Pedum *omnino in usu esse volumus, ad minus, semel in* Septimana Balneumque *fieri ex* Lixivio, *cum* Sale nigro, *&* Salvia Camomilla, Fœniculo, Sampuscho, *&* Costo, *cum Foliis* Anglicæ Viridis.

42. Suffitum *laudamus etiam* Quotidianum, Mane, *ex* Roremarino *arido Ramulis* Lauri *siccis, &* Ligno Aloës; *nam* Gummi suavia Caput *gravat.*

43. *Cavendum prorsus, ne* Capiti *per* Exterius *admoveantur* Calida; *qualia sunt* Aromata, *non excepta* Nuce Muscata; *Etenim* Calida *illa ad* Plantas pedum *præcipitamus, ibique solum applicari volumus* Unctionem *vero* Capitis *levem ex* Oleo, *cum* Rosa, *&* Myrto, *& pauco* Salis, *&* Croci, *laudamus.*

44. *Memores eorum, quæ de* Opiatis, *&* Nitro, *& Similibus, ante proposuerimus, quæ* Spiritus *tantopere densant, non existimamus ab re fore, si semel* Diebus *quatuor decim accipiantur, in* Brodio Matutino, Grana *tria, vel quatuor* Castorii, *cum modico* Seminis Angelicæ, *&* Calami Aromatici; *quæ & ipsa* Cerebrum *roborant, & in* Densitate Substantiæ Spirituum, *(quæ ad vitæ Longævitatem tam necessaria est)* Motus vivacitatem, *&* vigorem *excitant.*

45. *In* Confortativis *quatuor* Viscerum Principalium *ea proposuimus, quæ & Propria sunt atq;* Electa, *atq; in* Diætam, *&* Regimen vitæ *transferri, suto & commode possunt:* Varietas *enim* Medicamentorum ignorantiæ Filia *est; neque* Multa Fercula *(quod ajunt)* tam multos Morbos *fecere, quam* multa Medicamenta paucas Curas. *Atque de* Operatione *super* Viscera principalia, *ad* Extrusionem Alimenti, hæc *inquisita sunt.*

OPERATIO

Super partes exteriores ad Attractionem Alimenti.

VI.

HISTORIA.

Licet Concoctio *bona, per* Partes Interiores *facta, primas Partes ad probam* Alimentationem *teneat; tamen concurrere etiam debent Actiones* Partium Exteriorum; *ut sicut* Facultas interior Alimentum *emittit, & extrudit; ita* Facultas Partium Exteriorum *idem arripiat, & attrahat; Quoque imbecillior fuerit* Facultas Concoctionis, *eo magis opus est Auxilio concurrente* Facultatis Attractivæ.

2. Attractio valida Partium Exteriorum, *excitatur præcipue per* Motum Corporis, *per quam* Partes calefactæ, *&* confortatæ, Alimentum *ad se alacriu vocant & attrahant.*

3. *Illud vero maxime cavendum, & prohibendũ; Ne idem* Motus, *&* Calor, *qui ad* Membra Novũ Succum *evocat,* Membrum *simul eo* Succo, *quo antea per fusum erat, nimium exolvat.*

4. Fricationes *huic Intentioni optime subserviũt, factæ præcipue* Mane; *sed hoc perpetuo comitetur, ut post* Fricationem, *fiat levis* Inunctio *cum* Oleo, *ut* Attritio Partium Exteriorum, *eas per* Perspirationem *reddat effœtas.*

5. *Proxima est* Exercitatio, *per quam* Partes *ipsæ se* confricant, *&* concutiunt, *modo sit* Moderata, *& quæ (ut superius notatum est) nec sit* Celeris, *nec ad* Ultimas Vires, *nec ad* Lassitudinem; *Verum in his ipsa, atque* Fricatione, *eadem est ratio, &* Cautio; *Ne corpus nimium perspiret; Itaq;* Exercitatio *melior est sub* Dio, *quam sub* Tecto, *&* Hyeme *quam* Æstate; *Atq; insuper* Exercitatio Inunctione *non tantum* claudi *debet, ut* Fricatio; *sed etiam in* Exercitationibus *vehementioribus, adhibẽda est* Unctio *& in* Principio, *& sub* finem, *more* Athletarum.

6. *Ad* Exercitationem, *ut quam minimum aut* Spiritus, *aut* Succos *exolvat, utile est, ut usurpetur* Stomacho *non prorsus* jejuno. *Itaque ut* Exercitatio, *nec* Stomacho repleto *(quod plurimum inter est* Sanitatis*) nec* Jejuno *(quod non minus inter est* Longitudinis vitæ*) usurpetur; in usum adduci debet* Jentaculum *Mane, non ex* Medicamentis, *aut* Haustibus Matutinis, *aut* Uvis passis, *aut* Ficubus, *aut hujusmodi; sed plane ex* Cibo, & Potu, *at* Levi *admodum, &* Modica Quantitate.

Exercitationes *ad* Irrigationem Membrorum, *debent esse* Membris *omnibus quasi æquales; non ut (quemadmodum ait* Socrates*)* Tibiæ moveant, Brachia quiescant, *nec è contra; sed ut* Partes universæ *ex Motu participent; atque omnino ad vitam prodest, ut* Corpus *nunquam diu in eadem* Positura *permaneat: sed singulis Semi-horis, ad minus,* Posituram *mutet, præterquam in* Somno.

8. *Quæ ad* Mortificationem *usurpãtur, ad* Vivificationem *traduci possunt; Nam &* Indusia setosa, *&* Flagellationes, *& omnis* Exteriorum Vexatio, Vim *eorum* Attractivam *roborat.*

9. Urticationem *commendat* Cardanus, *etiam ad* Melancholiam; *verum de hac parum nobis cõpertum est; Et suspecta nobis est illa, ne propter* Venenatam *nonnullã* Qualitatẽ Urticæ, Serpigines *usu frequenti*

quenti inducat, & Mala Cutis. Atque de Operatione *super* Partes Exteriores, *ad* Attractionem Alimenti, *hæc inquisita sunt.*

OPERATIO
Super Alimentum ipsum ad Insinuationem ejusdem.
VII.
HISTORIA.

1. R*Eprehensio vulgaris de* multis Ferculis, Censorem *potius decet, quam* Medicum; *aut, utcunque constantia* Sanitatis *utilis esse potest, ad* Longitudinem vitæ *noxia est; Propterea quod* Mistura Alimentorum varia, *& aliquantum* Heterogenea, *Exitum reperit in* Venis, *&* Succos, *melius & alacrius, quam* Simplex, *&* Homogenea; *Cum insuper ad* Appetitum excitandum, (*qui* Acies *est* Digestionis) *plurimum possit. Itaq; &* Mensam variam, *&* Mutationes *subinde* Ciborum, *pro* Temporibus Anni, *aut alias probamus.*

2. *Etiam illud de* Simplicitate Ciborum *absque* Condimentis, Simplicitas Judicii *est; cum* Condimenta *bona, & bene electa, sint* Præparationes Ciborum *saluberrimæ, atq; tum ad* Sanitatem, *tum ad* Vitam *conferant.*

3. *Videndum est, ut cum* Cibis Durioribus, *conjungantur* Potus Fortiores, *&* Condimenta *quæ* penetrent, *&* incidant: *Cum* Cibis *contra* Facilioribus, Potus Tenues, *&* Condimenta Pinguia.

4. *Cum paulo ante monuerimus, ut prima* Potio *in cœna excipiatur* Calida; *nunc addimus, quod ad* Præparationem Stomachi, *etiam* Semihora *ante* Cibum, *bonus* Haustus Potus (*cui quisq; maxime insuevit*) calidus *usurpetur; sed parum* Aromatizatus *ad gratiam* Saporis.

5. Præparatio *Ciborum, &* Panis *&* Potuum, *si bene, & in ordine ad* Intentionem *instituatur, magni est prorsus Momenti; licet sit* Res Mechanica, *& sapiat* Culinam, *&* Cellam; *cum tamen longe præstet* Fabellis *de* Auro, *&* Gemmis, *& hujusmodi.*

6. Humectatio Succorum Corporis *per* Præparationem Alimentorum Humidam, *puerilis Res est; Ad* Fervores Morborum *nonnihil facit; ad* Alimentationem *vero* roscidam, *omnino contraria est; itaque* Elixatio Ciborum *longe inferior est, ad Intentionem nostram,* Assatione, *&* Coctione *in* Furno, *& similibus.*

7. Assatio *debet fieri* Igne vivido, *& celerius perfici, non* Igne lento, *& nimia Mora.*

8. Carnes *omnes* Solidiores *in usu esse debent non prorsus* Recentes, *sed nonnihil* Salis Expertæ; *ex* Sale *ipso autem in* Mensa, *eo minus sumi debet, aut nihil omnino.* Sal *enim* Alimento Incorporatus *magis valet ad* Distributionem, *quam per se sumptus.*

9. *Debent in usum adduci* Macerationes, *&* Infusiones Carnium *variæ, & bonæ, in* Liquoribus idoneis, *ante* Assationes; *quemadmodum quandoque in usu sunt similia, ante* Coctiones *in* Furno, *& in* Muriis *aliquorum* Piscium.

10. *At* Pulsationes, *& tanquam* Verberationes Carnium, *antequam coquantur, haud parvam rem præstant: Certe in confesso est, &* Perdices, *&* Phasianos, *in* Aucupio; *&* Damas, *&* Cervos *in* Venatione *occisos (nisi fuerit ea Fuga longior) graviores esse etiam ad Gustum.* Pisces *autem nonnulli* Flagellati *&* Verberati, *evadunt meliores. Etiam* Pira Duriora, *&* Austera, *atq; alij nonnulli* Fructus, Compressione *dulcescunt. Bonum esset in Vsum adduci,* Carnium durioruin *nonnullam* Pulsationem, *&* Contusionem, *antequam Ignem patiantur; Idque ex optimis* Præparationibus *erit.*

11. Panis *modice* Fermentatus, *& valde parum* Salitus, *optimus est, quique etiam in* Furno Ferventi *satis, nec admodum* Elanguido, *coctus est.*

12. Potus Præparatio *ad vitam longam simplici fere Præcepto constat: Atque de* Aquæpotoribus *nihil attinet dicere; Potest hujusmodi* Diæta (*ut alibi diximus*) *vitam* aliquandiu remorari, *sed nunquam* majorem *in* Modum prolongare: *At in aliis* Potibus Spirituosis, *qualia sunt* Vinum, Cervisia, Hydromel, *& Hujusmodi; id tanquam Summa Summarum affectari, & observari debet; Vt* Partes Liquoris *sint subtilissimæ, &* Spiritus *lenissimus: Hoc* Vetustate simplici *difficile erit efficere, quæ gignit* Partes *paulo* Subtiliores, Spiritus *vero multo* Acriores; *Itaque de* Infusione *in* Doliis Substantiæ *alicujus* Pinguis, *quæ* Spirituum Acrimoniam *compescat, jam antea præceptum est: Est & alius modus absq;* Infusione, *aut* Mixtura; *Is est, ut* Liquor Potus *continuo agitetur, sive per* Vecturam *in* Mari, *sive per* Vecturam *in* Carris, *sive suspendendo* utres *ex* Funibus, *eosque quotidie agitando, aut aliis hujusmodi Modis: Certum enim est,* Motum *illum* localem; Partes subtilizare, *ac* Spiritus *in partibus interim ita* fermentare, *ut* Acedini (*quod* Putrefactionis *genus est*) *non vacent.*

13. Vergente *autem* Senectute, *etiam talis* Præparatio Ciborum *instituenda est, quæ sit tanquam in media Via ad* Chylum. *Atque de* Distillationibus Ciborum; *meræ Nugæ sunt; Etenim* Portio Nutritiva, *vel optima, non ascendit in* Vaporem.

14. Incorporatio Cibi *&* Potus, *antequam concurrant in* Stomacho, *gradus est ad* Chylum; *Itaque sumantur vel* Pulli *vel* Perdices, *&* Phasiani, *& similia; Et coquantur in* Aqua, *cum pauco* Salis; *deinde mundentur, & siccentur; postea sive in* Musto, *sive in* Cervisia ferveicente *infundantur; cum pauco* Sacchari.

15. *Etiam* Expressiones Ciborum, *&* Concisiones minutæ, *bene conditæ,* Sembus *utiles sunt; eo magis quod* Officio Dentium *in* Manducatione (*quod* Præparationis *præcipuum Genus est,*) *fere destituantur.*

16. *Atque de* Juvamentis *ejus* Defectus, (Dentium *scilicet* Roboris, *ad* Cibum molendum) *tria sunt quæ conferre possint. Primum, ut alij* Dentes *renascantur; Id quod difficile omnino esse videtur, nec posse perfici absque* Instauratione Corporis Intima, *&* Potenti. *Secundum est ut* Mandibula *per* Astringentia debita, *ita firmentur, ut* Officio Dentium, *aliqua ex parte, sufficere possint; quod non malo cedere posse videtur. Tertium, ut* Cibus *sit ita* præparatus, *ut ista* Mastícatione *non egeat; quod promptum est, & expeditum.*

17. *Subit etiam cogitatio de* Quantitate Cibi, *&* Potus; *Eam in* Excessu *nonnullo, quandoque ad* Irrigationem *Corporis, utilem esse: Itaque &* Epulæ Profusæ, *&* Perpotationes, *non omnino inhibendæ sunt. Atque de* Operatione *super* Alimenta, *& eorumdem* Præparationem, *hæc inquisita sunt.*

OPERATIO
Super Actum ultimum Assimilationis.
VIII.
CONNEXIO.

DE *Actu Vltimo Assimilationis*, (quem *Operationes* tres proxime præcedentes intuentur) brevis, & simplex erit *præceptio*; Resque magis *Explicatione* indiget, quam *præceptione* aliqua varia.

COMMENTATIO.

1. CErtum est Corpora omnia *Assimilandi*, quæ in Contiguo sunt, *Desiderio* nonnullo indui: Id faciunt generose, & alacriter *Tenuia*, & *Pneumatica*; veluti *Flamma*, *Spiritus*, *Aër*: At contra, quæ *Molem* habent *Crassam* & *Tangibilem*, debiliter admodum; eo quod *Desiderium* illud *Assimilandi*, à fortiori *Desiderio Quietis*, & se non *Movendi*, ligetur.

2. Certum est itidem, *Desiderium* illud *Assimilandi*, in Mole corporea, ligatum ut diximus, & inutile redditum, à *Calore* aut *Spiritu* in Proximo, liberari nonnihil, & excitari, ut tum demum actuetur; Quæ unica est Caussa. cur *Inanimata* non assimilent *Animata* assimilent.

3. Certum & hoc quoque est; quo durior sit *Corporis Consistentia*, eo illud indigere *Majore Calore* ad *Stimulum Assimilationis*; Quod in *Senibus*, male omnino cedit; quia *Partes* sunt *obstinatiores*, *Calor imbecillior*. Itaque aut *Obstinatio Partium* mollienda; aut *Calor* intendendus; Atque de *Malacissatione Membrorum* postea dicemus, cum jam ante etiam plura, quæ ad *Duritiem* hujusmodi prohibendam, & præveniendam pertinent, proposuerimus. De *Calore* autem *intendendo*, jam simplici *Præcepto* utemur, si prius etiam alterum *Axioma* assumpserimus.

4. *Actus Assimilationis* (qui à *Calore*, ut diximus, *circumfuso* excitatur,) est *Motus* admodum *Accuratus*, & *Subtilis*, & in *Minimis*. Omnes autem hujusmodi *Motus*, tum demum sunt in *Vigore*, cum omnis *Localis Motus* cessat, qui eum obturbet. Etenim *Motus Separationis* in *Homogenea*, qui in *Lacte* est, ut *Flos* supernatet, *Serum* subsidat, nunquam fiet, si *Lac* leniter agitetur: Neque *Putrefactio* ulla in *Aqua*, aut *Mistis* procedet, si illa continuo *localiter moveantur*. Ex his itaque, quæ *assumpta* sunt, hoc jam ad *Inquisitionem præsentem* concludemus.

5. *Actus* ipse *Assimilationis* perficitur præcipue in *Somno* & *Quiete*, præsertim versus *Auroram*, facta jam *Distributione*: Non habemus igitur aliquid, quod ad præcipiendum occurrit, nisi ut Homines dormiant in *Calido*; Atque insuper, ut versus *Auroram* sumatur aliqua *Inunctio*, vel *Indusium* intinctum, excitans moderate *Calorem*, atque post illud sumptum redintegretur *Somnus*. Atq; de *Actu ultimo Assimilationis*, hæc inquisita sunt.

OPERATIO
Super Intenerationem ejus quod arefieri cœpit, sive Malacissatio Corporis.
IX.
CONNEXIO.

DE *Inteneratione* per *Interius*, quæ per multas *Ambages* & *Circuitus* fit, tam *Alimentationis*, quam *Detentionis Spiritus*, (ideoque sensim perficitur) superius inquisitum est; De ea autem, quæ fit per *Exterius*, & quasi subito, sive de *Corpore Malacissando*, jam videndum est.

HISTORIA.

1. IN Fabula *de* Restitutione Peliæ *in* Juventutem, Medea *cum id se moliri fingeret, eam proposuit Rationem Rei conficiendæ, ut* Corpus Senis *in* Frusta *concideretur*; *deinde in* Lebete *cum* Medicamentis *quibusdam* decoqueretur. Coctio *fortasse aliqua ad hoc requiretur*; Concisione in Frusta *scilicet non est Opus*.

2. *Attamen etiam* Concisio in Frusta *adhibenda aliquatenus videtur*, *non* Ferro, *sed* Judicio; *Cum enim* Viscerum, *&* Partium *sit* Consistentia *multum diversa*, *necesse est ut* Inteneratio *ipsorum, non iisdem Modis absolvatur*; *sed ut instituatur* Cura singulorum, *præter ea quæ pertinent ad* Intenerationem *totius* Massæ Corporis; *de qua tamen primum*.

3. *Huic Operationi*, *per* Balnea, Unctiones, *& similia (si modo sit ejus Rei aliqua Potestas) satisfieri verisimile est*; *Circa quæ observanda sunt ea, quæ sequuntur*.

4. *Non nimis indulgendum est spei*, *quod hac Res confici posset*, *propter ea quæ fieri cernimus in* Imbibitionibus *&* Macerationibus Inanimatorum, *per quas illa intenerantur*; *Cujus aliqua Exempla superius adduximus*; *Facilior enim est Operatio hujusmodi super* Inanimata, *quia* attrahunt, *&* fugunt Liquores; *At in* Corpore Animali *difficilior*, *quia* Motus *in iis fertur potius ad* Circumferentiam.

5. *Ideo* Balnea, *quæ in usu sunt*, emollientia, *parum prosunt, sed obsunt potius*; *quia* extrahunt *magis, quam* imprimunt; *&* solvunt *Compagem Corporis, potius quam* consolidant.

6. Balnea, *&* Unctiones, *quæ Operationi præsenti* (Corporis *scilicet bene & solide* malacissandi) *inservire possint*, *tres debent habere* Proprietates.

7. *Prima & præcipua est*, *ut constent ex iis*, *quæ tota* Substantia similia *sunt* Corpori *&* Carni Humanis, *quæque sint tanquam* Alma, *&* Nutricantia *per* exterius.

8. *Secunda est*, *ut habeant* admista ea, *quæ* subtilitate *nonnulla* imprimant, *ut* Vim nutritivam *eorum*, *quibus admiscentur*, *insinuent*, *& inculcent*.

9. *Tertia*, *ut recipiant nonnullam* Mixturam, (*licet reliquis longe minorem*) *eorum*, *quæ sunt* Astringentia; *Non* Austera, *aut* Acerba, *sed* Unctuosa, *&* Confortantia: *Vt dum reliqua duo operentur*, *interim prohibeatur* (*quantum fieri potest*) Exhalatio è Corpore, *quæ* Virtutem Malacissantium *perdat*; *sed potius ut per* Astrictionem Cutis, *&* Clausuram meatuum, Motus *ad* Intra *promoveatur*, *& juvetur*.

10. Consubstantiale *maxime* Corpori Humano, *est* Sanguis tepidus, *vel ex* Homine, *vel ex aliis Animalibus*: *At* Ficini *illud* Commentum, *ad Instaurationem Virium in Senibus*, *de* Exuctione Sanguinis Humani, *ex* Brachio Adolescentis sani, *leve admodum est*: *Etenim*, *quod per* Interius *nutrit*, *nullo modo debet esse* Æquale, *aut plane* Homogeneum Corpori, *quod nutritur*; *sed aliquatenus* Inferius, *&* Subordinatum, *ut subigi possit*; *At in* exterius Applicatis,

plicatis, *quanto* Substantia *est* similior, *tanto* Consensus melior.

11. *Ab Antiquo receptum est*, Balneum *ex* Sanguine Infantium *sanare* Lepram, *&* Carnes *jam* corruptas *restituere; Adeo ut hoc ipsum fuerit* Regibus *quibusdam Invidiæ apud* Plebem.

12. *Proditum est* Heraclitum Hydrope laborantem, *se in* Ventre calido Bovis, *nuper occisi, immersisse.*

13. *In usu est* Sanguis *tepidus* Catulorum Felis, *ad* Erysipelata, *& instaurandas* Carnes *&* Cutem.

14. Brachium, *aut* Membrum *aliquod* abscissum, *aut ex quo Sanguis alias nimium profluit, utiliter inseritur in* ventrem *alicujus* Animalis *nuper dissectum; nam potenter operatur ad* sistendum Sanguinem; Sanguine Membri abscissi, Sanguinem recentem Animalis, *per* Consensum *sorbente, & ad se vehementer trahente; Unde & ipse sistitur, & refluit.*

15. *Multum in usu est, in* Morbis extremis, *& quasi* desperatis, *ut* Columbæ scissæ, *aliæ post alias mutatæ, ad* Plantas Pedum ægroti *apponantur; unde sequitur interdum Auxilium mirabile; Id vulgo imputatur, quasi* Malignæ Morbi traherent; *Sed utcunque, Caput petit ista* Medicatio, *&* Spiritus Animales *confortat.*

16. *Verum* Balnea *ista, &* Unctiones sanguinolentæ, *nobis videntur sordidæ, & odiosæ; videndum de aliis, quæ minus fortasse habent* Fastidii, *neque tamen minus* Juvamenti.

17. *Post* Sanguinem *igitur* recentem, similia *Substantiæ* Corporis Humani, *sunt* Alimentosa; Carnes *pinguiores*, Bovinæ, Suillæ, Cervinæ, Ostrea *inter* Pisces; Lac, Butyrum; Vitella Ovorum; Pollen Tritici; Vinum Dulce, *aut* Saccharatum *aut* Mulsum.

18. *Quæ admisceri debent ad* Impressionem, *sunt, loco omnium,* Sales, *præsertim* Niger; *Etiam* Vinum (*cum* Spiritu *turgeat*) imprimit, *& utile est* Vehiculum.

19. Astringentia *ejus generis quæ descripsimus,* Unctuosa *scilicet, &* Confortantia *sunt*, Crocus, Mastiche; *&* Myrrha, *&* Baccæ Myrti.

20. *Ex his, pro nostro Iudicio, optime fiet* Balneum, *quale desideramus.* Medici & Posteri *Meliora reperient.*

21. *Longe autem potentior fiet operatio, si* Balneum *quale proposuimus,* (*quod Caput Rei esse arbitramur*) *comitetur quadruplex* Operationis Series, *sive* Ordo.

22. *Primo, ut* Balneum *præcedat* Fricatio Corporis, *&* Inunctio *ex* Oleo, *cum aliquo* Spissamento; *ut Virtus, & Calor humectans* Balnei *potius subintret* Corpus, *quam* Aquea pars Liquoris. *Deinde, sequatur* Balneum *ipsum, ad horas forte duas. A* Balneo *autem* Emplastretur Corpus *ex* Mastiche, Myrrha, Tragacantho, Diapalma, Croco, *ut cohibeatur* (*quantum fieri potest*) Perspiratio, *donec* Malacum *paulatim vertatur in* Solidum; *idque per viginti quatuor Horas, vel amplius. Postremo, amota* Emplastratione, *fiat* Unctio *cum* Oleo, *addito* Sale, *&* Croco; *Et renovetur* Balneum *post Quatriduum, cum* Emplastratione, *&* Unctione (*ut prius*) *& continuetur hujusmodi* Malacissatio *per mensem unum.*

23. *Etiam durante tempore* Malacissationis, *utile judicamus, & proprium, & secundum Intentionem nostram, ut* Corpus *bene nutriatur, & ab* Aëre frigido *abstineatur, & nil nisi* Calidum *bibatur.*

24. *Hoc vero,* (*ut Initio in Genere monuimus*) *est ex iis, quæ nobis* Experimento *probata non sunt, sed descripta tantummodo ex* Collimatione *ad* Finem. *Etenim* Meta *posita, aliis* Lampada *tradimus.*

25. *Neque negligenda sunt* Fomenta *ex* Corporibus Vivis. Ficinus *ait* (*neque id per Iocum*) Davidem contubernio Puellæ, alias salubriter, sed nimis sero usum fuisse; *debuerat autem addere quod* Puellam *illam, more* Virginum Persiæ, *oportuisset inungi* Myrrha, *& similibus, non ad* Delicias, *sed ad* augendam Virtutem Fomenti, *ex* Corpore vivo.

26. Barbarossa Ætate extrema, *ex Consilio* Medici Judæi, Puerulos *continue* Stomacho, *&* Iliis *applicabat ad* Fomenta: *Etiam* Senes *nonnulli,* Caniculas (*Animalia scilicet inter calidissima*) Stomacho *noctu applicare consueverunt.*

27. *De* Hominibus *quibusdam* Nasonibus, (*qui Irrisionis pertæsi,* Nasorum Tuberes, *& quasi* Surculos *amputarunt, atque in* Brachiorum Ulnas, *Incisione nonnulla adapertas, ad tempus insuerunt, atq; inde* Nasos *magis decentes efformarunt*) *increbuit Relatio quasi certa; idq; in multis Nominibus: Ea si vera sit,* Consensum Carnis *ad* Carnem, *præsertim* Vivarum, *plane testatur.*

28. *De* Incarnatione *particulari* Viscerum Principalium, Stomachi, Pulmonum, Jecoris, Cordis, Cerebri, Spinalis Medullæ, Renum, Fellis, Iliorum, Venarum, Arteriarum, Nervorum, Cartilaginum, Ossium, *nimis longa foret Inquisitio, & Præscriptio; Cum jam non* Praxim *instruamus, sed* Indicationes *ad* Praxim.

OPERATIO
Super Expurgationem Succi veteris, & Restitutionem Succi novi, sive renovationem per Vices.
X.
HISTORIA.

Licet, quæ hic ponemus, superius fere præoccupata sint, tamen quia ista Operatio *est ex* Principalibus, *retractabimus ea paulo fusius.*

1. *Certum est*, Boves Aratores, *atque* Laboribus exhaustos, *in* Pascua nova, *&* Læta *admissos,* Carnes *recipere* teneras, *&* juveniles: *Idque* Esu, *& Palato comprobari; ut manifestum sit* Carnium Intenerationem *non esse difficilem: verum &* Carnis Intenerationem *sæpius* repetitam, *etiam ad* Ossa, *&* Membranas, *& similia, per venire posse, verisimile est.*

2. *Certum est*, Diætas, *quæ in usu sunt, ex* Guajaco *præcipue, atque ex* Sassa-perilla, *&* China, *&* Sassafras, *præsertim longius continuatas, & secundum Regulas rigidiores*, universum Corporis Succum, *primo* attenuare, *deinde* consumere, *atque* sorbere; *Quod manifestissimum est, quia* Morbum Gallicum *usque ad* Gummositates *provectum, quique intimos* Corporis Succos *occupaverit, & depravaverit, ex illis* Diætis *posse curari probatum est: Atque insuper quia æque manifestum est, per*

hujusmodi Diætas, *Homines factos* Macilentos, Pallidos, *& quasi* Cadaverosos, *paulo post* Impinguari, Colorari, *& manifesto* Renovari. *Quamobrem hujusmodi* Diætas, *vergente Ætate, semel Biennio ad Intentionem nostram utiles esse, omnino existimamus, tanquam* Exuvias, *& Spolia* Serpentum.

3. *Fidenter dicimus*, (*neque vero quis, rogo, nos inter* Hæreticos Catharticos *reponat*) Purgationes repetitas, *atque factas* familiares, *longe magis ad Diuturnitatem vitæ facere, quam* Exercitia *&* Sudores. *Id autem fieri necesse est, si teneatur, quod positum est*, Unctiones Corporis, *&* Meatuum *ab* Extra Oppletiones, *&* Aëris Exclusiones, *& Spiritus in Massa Corporis* Detentiones, *plurimum conducere ad vitam longævam. Etenim certissimum est, per* Sudores, *&* Perspirationes Exteriores, *non solum* Humores, *&* Vapores Excrementitios, *exhalari, & absumi; sed una etiam* Succos, *& Spiritus* bonos, *qui non tam facile reparantur: In* Purgationibus *autem* (*nisi fuerint admodum immoderatæ*) *non item, cum super* Humores *præcipue operentur.* Purgationes *autem, ad hanc* Intentionem, *optimæ sunt, quæ paulo ante* Cibum *sumuntur, quia* deficcant minus; *Ideoque debent esse ex iis* Catharticis, *quæ* Ventriculum *minime turbant.*

INtentiones Operationum quas proposuimus, (ut arbitramur) verissimæ sunt; *Remedia Intentionibus* fida. Neque credibile est dictu (licet haud pauca ex ipsis velut *Plebeia* videri possint) quanta cum Cura & Delectu, ea à nobis examinata fuerint; ut sint (salva semper *Intentione*) & Tuta, & Efficacia. Rem ipsam, Experimentum & comprobabit, & promovebit. Talia autem in omnibus Rebus sunt Opera Consilii cujusque Prudentioris; quæ sunt Effectu admiranda, Ordine quoque egregia, Modis faciendi tanquam vulgaria.

ATRIOLA MORTIS.

Ad Artic. 15. Connexio.

DE *Atriolis Mortis* jam inquirendum; id est de iis, quæ accidant *Morientibus* in *Articulo Mortis*, & paulo ante, & post: Ut cum multis viis perveniatur ad *Mortem*, intelligi possit in quæ *Communia* illa desinant; Præcipue in *Mortibus*, quæ inferuntur per *Indigentiam Naturæ*, potius quam per *Violentiam*; tametsi etiam aliquid ex his propter Rerum Connexionem, inspergendum sit.

HISTORIA.

1. Spiritus Vivus *videtur tribus indigere, ut subsistat:* Motu commodo; Refrigerio temperato; *&* Alimento idoneo. Flamma *vero duobus ex his tantum indigere videtur;* Motu *nimirum, &* Alimento, *propterea quod* Flamma *simplex sit substantia.* Spiritus *composita; ita ut si transeat paulo propius in* Naturam Flammeam, *se perdat.*

2. *Etiam* Flamma, *majore* Flamma *& potentiore resolvitur, & necatur, ut bene notavit* Aristoteles; *multo magis* Spiritus.

3. Flamma, *si comprimatur nimium, extinguitur; ut cernere est in* Candela, *superimposito* Vitro: *Etenim* Aër *per Calorem dilatatus contrudit* Flammam, *eamque minuit, & extinguit: Neque in* Caminis *concipitur* Flamma, *si Materia, absque Spatio aliquo interjecto, compingatur.*

4. *Etiam* Ignita Compressione *extinguuntur, veluti si* Carbonem *ignitum* Ferro, *aut* Pede, *fortiter comprimas, extinguitur statim* Ignis.

5. *Aut ut ad* Spiritum *veniamus; Si* Sanguis *aut* Phlegma *irruat in* ventriculos Cerebri, *fit Mors subito: cum* Spiritus *non habeat ubi se moveat.*

6. Contusio *etiam* Capitis *vehemens inducit subitam Mortem*, Spiritibus *in* ventriculis Cerebri *angustiatis.*

7. Opium, *& alia* Narcotica *fortiora, coagulant* Spiritum, *eumq; privant Motu.*

8. Vapor venenatus Spiritui, *totaliter odiosus, infert Mortem subitam, ut in* venenis Mortiferis, *quæ operantur per* Malignitatem (*ut loquuntur*) Specificam: *Incutit enim Fastidium* Spiritui, *ut amplius movere, aut Rei tam inimicæ occurrere nolit.*

9. *Etiam* Extrema Ebrietas, *aut* Crapula, *quandoque inferunt Mortem subitam; cum* Spiritus *non tam* Densitate, *aut* Malignitate Vaporis, (*ut in* Opio, *&* Venenis malignis) *quam ipsa* Copia, *obruatur.*

10. Extremus Mœror, *&* Metus, *præsertim* subitus; (*ut fit in* Nuncio *malo, & improviso*) *quandoque dant subitam Mortem.*

11. *At non solum nimia* Compressio, *sed etiam nimia* Dilatatio Spiritus, *mortifera.*

12. Gaudia ingentia *&* repentina *complures exanimarunt.*

13. *In magnis* Evacuationibus, *quales fiunt in secandis* Hydropicis, *exeuntibus confertim Aquis; multo magis in* Ingentibus, *&* Repentinis Profluviis Sanguinis, *sequitur sæpius Mors subita; Idque per meram* Fugam Vacui *in Corpore, omnibus affatim moventibus ad Spatia implenda, quæ exinaniuntur; atque inter alia* Spiritu *ipso: Nam quoad* Profluvia Sanguinis *tardiora, res spectat ad* Indigentiam Alimenti, *non ad* Refusionem Spiritus: *Atque de* Motu Spiritus, *in tantum vel* Compresso, *vel* Effuso, *ut Mortem inferat, hæc inquisita sunt.*

14. *Veniendum ad* Indigentiam Refrigerii. Cohibitio Respirationis *Mortem infert subitam, ut in omni* Suffocatione *aut* Strangulatione. *Neque tamen videtur Res referri debere, tam ad* Impedimentum Motus, *quam ad* Impedimentum Refrigerii; *quia* Aër *nimis* Calidus, *licet libere attractus, non minus suffocat, quam si inhibeatur* Respiratio. *Vt fit in iis, qui suffocati aliquando sunt ex* Carbonibus *incensis, aut* Lithanthracibus, *aut* Parietibus recenter dealbatis, *in Cubiculis clausis, Igne etiam accenso: Quod genus mortis traditur fuisse* Imperatoris Joviniani. *Aut etiam ex* Balneis *siccis* supercalefactis, *quod usurpatum fuit in* Nece Faustæ, Constantini Magni *uxoris.*

15. *Valde pusillum est* Tempus, *quo Natura* Anhelitum *repetit, atque expellit* Fuliginem Aëris *in* pulmones *attracti, & recentem introrecipi desiderat; vix certe ad tertiam partem Minutæ.*

16. *Rursus,* Pulsus Arteriarum, *&* Motus Cordis, *Systoles & Diastoles, triplo velocior quam* Respiratio; *adeo ut si fieri posset, ut ille* Motus *in* Corde, *absque inhibita* Respiratione *sisti posset,*

set, sequeretur Mors etiam celerius, quam ex Strangulatione.

17. Usus *tamen &* Consuetudo, *in hac Naturali Actione* Respirationis *nonnihil valet; ut in* Urinatoribus Deliis *&* Piscatoribus Perlarum, *qui perpetuo Usu, Decuplum Temporis ad minimum, retinere* Anhelitum *possunt, plusquam pro Ratione aliorum Hominum.*

18. *Sunt ex* Animalibus, *etiam ex iis, quæ* Pulmones *habent, alia quæ ad longius Tempus, alia quæ ad brevius,* Anhelitum *cohibere possunt; prout majore scilicet, aut minore indigent* Refrigerio.

19. Pisces *minore indigent* Refrigerio, *quam* Animalia Terrestria; *Indigent tamen, atq; refrigerantur per* Branchias: *Atq; quemadmodum* Terrestria *Aerem nimis fervidum, aut occlusum non ferunt; ita &* Pisces, *in Aqua Glacie totaliter, & diutius cooperta, suffocantur.*

20. *Si* Spiritus *insultum patiatur ab alio* Calore, *proprio longe vehementiore, dissipatur, & perditur. Si enim* Proprium Calorem *non sustineat absque* Refrigerio, *multo minus* Alienum intensiorem *tolerare potest; Id cernitur in* Febribus Ardentibus, *ubi* Calor Humorum putrefactorum, Calorem Nativum *superat, usq; ad* Extinctionem, *sive* Dissipationem.

21. *Somni quoque indigentia, & Usus, refertur &* Refrigerium. Motus *enim,* Spiritum *attenuat & rarefacit, &* Calorem *ejus acuit, & intendit.* Somnus *contra* Motum, *&* Discursum *ejus sedat, & compescit. Etsi enim* Somnus *Actiones* Partium, *&* Spirituum Motualium, *& omnem Motum ad Circumferentiam Corporis, roboret, & promoveat; tamen Motum proprium* Spiritus vivi, *magna ex parte consopit, & tranquillat. At* Somnus *regulariter, semel intra* 24. *Horas, Naturæ humanæ debetur, idq; ad* 6. *aut* 5. *Horas ad minimum; Licet sint etiam in hac parte quandoque Naturæ Miracula, ut refertur de* Mecœnate, *quod longo tempore ante Obitum non dormisset. Atque de* Indigentia Refrigerii, *ad* Spiritum conservandum, *hæc inquisita sint.*

22. *Quod vero ad Tertiam* Indigentiam *attinet* (Alimenti *scilicet*) *videtur illa ad* Partes *potius, quam ad* Spiritum Vivum *pertinere. Facile enim quis credat,* Spiritum Vivum *subsistere in* Identitate, *non per* Successionem, *aut* Renovationem. *Atque quoad* Animam Rationalem *in Homine, certo certius est, eam nec ex* Traduce *esse, nec* reparari, *nec* interire: *Loquuntur de* Spiritu Naturali *Animalium, atq; etiam Vegetabilium, qui ab illa altera essentialiter, & formaliter differt: Ex horum enim Confusione,* Metempsychosis *illa, & innumeratam* Ethnicorum, *quam* Hæreticorum *Commenta emanarunt.*

23. Renovatio *per* Alimentum, *in Corpore Humano, regulariter singulis Diebus requiritur.* Triduanum *autem* Jejunium Sanis *vix toleratur: Usus tamen & Consuetudo, etiam in hac Parte, haud parum valet: At* Morbo languentibus Inedia *minus gravis est. Etiam* Somnus Alimentationi *nonnihil parat, quemadmodum contra* Exercitatio *eam efflagitat magis. Inventi etiam sunt* (*sed raro*) *aliqui, qui quodam Naturæ Miraculo, sine* Cibo *&* Potu, *ad Tempus non mediocre vixerunt.*

24. Corpora Mortua, *si non intercipiantur Putredine, diutius sine notabili Absumptione subsistunt: At* Corpora viva *non multum ultra* Triduum (*ut dictum est*) *nisi reparentur per* Alimentationem; *Id quod indicat, etiam illam Assumptionem esse Opus* Spiritus vivi, *qui aut se reparat, aut Partes ponit in Necessitate se raparandi, aut utrunque: Quam Rem etiam illud astruit,* (*quod paulo ante notatum est*) *nempe, quod possint* Animalia *sine* Alimento *paulo diutius durare, si* dormiant. *At* Somnus *omnino nil aliud est, quam* Receptio Spiritus vivi *in se.*

25. *Copiosa nimis & continua* Effluxio Sanguinis, *qualis aliquando fit ab* Hæmorrhoidibus; *interdum à* Vomitu Sanguineo, *Venis interioribus reseratis aut fractis; interdum ex* Vulneribus, *Mortem infert festinam: cum* Sanguis Venarum, Sanguini Arteriarum *ministret;* Sanguis Arteriarum, Spiritui.

26. *Haud parvum est* Quantum Cibi & Potus, *quod Homo bis in die pastus, intra Corpus recipit; Longe plus, quam aut per Sellam, aut per Urinam, aut per Sudores egerit. Nil mirum* (*inquis*) *cum reliquum in Succos, & substantiam Corporis mutetur. Recte: Sed cogita paulisper, quod ea Accessio fit bis in Die, neque tamen Corpus exundat; Similiter, licet* Spiritus *reparetur, tamen* Quanto *suo non enormiter excrescit.*

27. *Nil attinet adesse* Alimentum *in* Gradu remoto, *sed ejus Generis, & ita præparatum, & ministratum, ut* Spiritus *in illud agere possit. Neque enim Baculus Cerei sufficiet ad Flammam continuandam, nisi adsit Cera; Neque Homines Herbis solis pasci possunt: Atq; inde fit* Atrophia Senilis, *quod licet absit Caro & Sanguis, tamen Spiritus est factus tam paucus & rarus, & Succi & Sanguis tam effœti, & obstinati, ut non teneat Proportio ad Alimentandum.*

28. *Subducamus* Calculos Indigentiæ *secundum Cursum Naturæ Ordinarium, & Consuetum.* Explicatione Motus sui, *in ventriculis Cerebri, & Nervis, indiget* Spiritus *perpetuo;* Motu Cordis, *tertia Parte Momenti; Respiratione, singulis Momentis;* Somno & Alimento, *intra Triduum:* Potentia *ad* Alimentandum *quasi post Octoginta Annos. Atque si alicui ex his Indigentiis non succurratur, sequitur Mors. Atq; tria plane esse videntur* Atriola Mortis; *Destitutio Spiritus, in* Motu *suo; in* Refrigerio, *in* Alimento.

[*Monita.*] 1. Erraverit, qui existimet *Spiritum Vivum,* Exemplo *Flammæ* perpetuo generari, & extingui, nec ad Tempus aliquod Notabile durare. Neque enim hoc facit *Flamma* ipsa ex natura sua, sed quia inter Inimica versatur: Nam *Flamma* intra *Flammam* durat. At *Spiritus vivus* inter Amica degit, & Obsequia plurima. Itaque cum *Flamma* sit substantia Momentanea, *Aer* autem substantia Fixa; *Spiritus vivi* media est Ratio.

2. De *Interitu Spiritus,* per *Destructionem Organorum,* (qualis fit per *Morbos, & Violentiam*) non est Inquisitio præsens, (ut ab initio diximus) tametsi & ille in eadem tria *Atriola* desinat. Atque de ipsa *Forma Mortis* hæc inquisita sint.

29. *Duo sunt magni* Præcursores Mortis; *Alter à* Capite, *alter à* Corde *missus:* Convulsio, *&* extremus Labor Pulsus; *nam etiam* Singultus *ille*

lethalis

lethalis *est* Convulsionis *genus*, Labor *autem* Pulsus lethalis, *habet velocitatem insignem, quandoquidem* Cor *sub ipsa Morte ita trepidet, ut* Systole, *&* Diastole *fere confundantur; Habet etiam conjunctam* Debilitatem, *&* Humilitatem, *& sæpius* Intermissionem *magnam, labascente motu Cordis, nec fortiter, aut constanter insurgere valente.*

30. *Præcedunt etiam* Mortem *in propinquo summa* Inquietudo, *&* Jactatio; Motus Manuum *tanquam Floccos colligendo*; Nixus Prehensionis, *&* Tentionis *fortis* Dentes *etiam* fortiter comprimere; Glutire vocem; Tremor Labii inferioris; Pallor oris. Memoria confusa; Sermonis Privatio; Sudores frigidi; Corporis Elongatio; Sublatio Albuginis Oculorum; Faciei totius Alteratio, *(Naso acuto, Oculis concavis, Genis labantibus*; Linguæ Contractio *&* Convolutio; Frigus Extremitatum; *In aliquibus* Emissio Sanguinis, *aut* Spermatis; Clamor acutus; Anhelitus Creber; Inferioris Maxillæ Lapsus, *& similia.*

31. Mortem *sequuntur*, Sensus *omnis*, *&* Motus, *tam Cordis & Arteriarum, quam Nervorum & Artuum*, Privatio; Impotentia Corporis se sustentandi erectum; Rigor Nervorum & Partium; Depositio *omnis* Caloris; *paulo post* Putrefactio *&* Fœtor.

32. Anguillæ, Serpentes, *&* Insecta *diu moventur singulis Partibus post* Concisionem, *ut etiam* Rustici *putent, Partes singulas ad se rursus uniendum expedire. Etiam* Aves *Capitibus avulsis ad Tempus subsultant: quin &* Corda Animalium *avulsa diu palpitant. Equidem meminimus ipsi vidisse* Hominis Cor, *qui eviscceratus erat, Supplicij Genere apud nos versus* Proditores *recepto,)quod in ignem de more injectum, saltabat in altum, primo ad Sesquipedem, & deinde gradatim ad minus, durante spatio (ut meminimus) septem, aut octo Minutarum. Etiam vetus, & Fide digna Traditio est, de* Bove *sub* Evisceratione *mugiente. At magis certa de* Homine, *qui eo Supplicij genere (quod diximus) eviscceratus, postquam* Cor *avulsum penitus esset, & in* Carnificis *Manu, tria aut quatuor Verba Precum, auditus est proferre; Quod idcirco magis credibile esse diximus, quam illud de* Sacrificio, *quia solent Amici hujusmodi* Reorum, *Mercedem dare* Carnifici, *ut Officium suum pernicissime expediat, quo illi celerius a Doloribus liberentur. In* Sacrificiis *vero non videmus caussam, cur similis præstetur a* Sacerdote *diligentia.*

33. *Ad* resuscitandum *eos, qui* Deliquia Animi, *aut* Catalepses *subitas patiuntur, (quorum haud pauci, absque Ope, etiam expiraturi fuissent,) hæc sunt in Usu.* Exhibitio Aquarũ *ex* Vino distillatarum, *(quas* Aquas *vocamus* Calidas, *&* Cordiales:) Inflexio Corporis in Pronum; Obturatio *fortis* Oris *&* Narium, Flexio Digitorum cum Tortura quadam, Evulsio Pilorum Barbæ, *aut* Capitis, Frictio Partium *præsertim* Faciei, *&* Extremorum, Subita Insperſio Aquæ Frigidę in Faciem, Strepitus Acuti, & subiti, Appositio ad Nares Aquæ rosaceæ, *cum* Aceto, *in languoribus*, Incensio Plumarum, Pannorum, *in* Suffocatione Uteri, *At maxime* Sartago *fervefacta utilis est* Apoplecticis, *Etiam* Forus arctus Corporum vivorum, *aliquibus profuit.*

34. *Complura fuerunt Exempla Hominum tanquam Mortuorum, Aut* Expositorum è Lecto, *Aut* Delatorum ad Funus, *quinetiam* nonnullorum in Terra Conditorum, *qui nihilominus revixerunt, Id quod in iis, qui Conditi sunt, repertum est, (terra aliquanto post aperta,) per Obtusionem & Vulnerationem Capitis, ex jactione & Nixu Cadaveris intra Feretrum, Cujus Exemplum recentissimum, & maxime memorabile fuit*, Joannis Scoti, Subtilis *illius &* Scholastici, *qui a Servo, cum sepultus esset, absente, (quique, ut videtur, hujusmodi* Catalepsium *ejus* Symptomata *noverat) aliquanto post effossus, in tali Statu repertus est. Et simile quiddam accidit nostra Ætate, in persona* Histrionis, sepulti Cantabrigiæ. *Meminime accepisse de* Generoso *quodam, qui ludibundus, ex Curiositate, desiderabat scire, qualia paterentur in* Patibulo *Suspensi, seseq; suspendit super Scabellum se allevans, & deinde se dimittens, putans etiam penes se futurũ, ut Scabellum, pro arbitrio suo, recuperaret, Id quod facere non potuit, sed tamen ab Amico præsente adjutus est, Ille interrogatus, quid passus esset? retulit se* Dolorem *non sensisse, sed primo observatam sibi fuisse circa oculos* Speciem Ignis, *&* Incendii, *deinde* extremæ Nigredinis, *sive* Tenebrarum, *postremo* Coloris *cujusdam* cærulei pallidioris, *sive* thalassini, *qualis etiam conspicitur sæpe* Animo Linquentibus. *Audivi etiam de* Medico *adhuc vivente, qui Hominem, qui se suspenderat, atque per Horam dimidiam suspensus manserat, in vitam,* Fricationibus *&* Balneis calidis, *reduxerat, Quiq; etiam profiteri soleat, se non dubitare, quin Suspensum quemcunque ad tempus prædictum, revocare posset, modo Cervices ei, per Impetum primæ Demissionis, non fuerint effractæ.*

Discrimina Juventutis & Senectutis.

Ad Artic. 16.

1. SCala Humani Corporis *talis est*: Concipi, Vivificari in Utero, Nasci, Mamilla, Depulsio à Mamilla, Usus Cibi *&* Potus, *ab initio qualis* Infantibus *convenit*, Dentire *primo circa annum secundum*, Incipere Gradiri, Incipere Loqui, Dentire *secundo circa Annum septimum*, Pubescere *circa Annum duodecimum, aut decimum quartum*, Potentem esse *ad* Generandum, *&* Fluxus Menstruorum, Pili *circa* Tibias, *&* Axillas, Barbescere, *atque hucusque, & quandoq; ulterius*, Grandescere; *Deinde* Roboris Artuum Status *&* ultimitas, *etiam* Agilitatis, Canescere, *&* Calvescere, Cessatio Mestrui *&* Potentiæ Generationis; Vergere *ad* Decrepitum, *&* Animal Tripes, Mori. *Interim* Animus *quoque suas habet Periodos, sed per Annos non possunt describi: Ut* Memoriam labilem, *& Similia, de quibus postea.*

2. Discrimina Juventutis, *&* Senectutis *hæ sunt.* Cutis *Juveni* Lævis, *&* Explicata, Seni Arida, *&* Rugosa, *præsertim circa* Frontem, & Oculos: Carnes *Iuveni* Teneræ, *&* Molles, *Seni* Duriores: Robur *Iuveni, &* Agilitas, *Seni* Diminutio Virium, *&* Motuum Tarditas: *Iuveni* Coctionum Validitas, *Seni* Debilitas: *Iuveni* Viscera Mollia, *&* Succulenta, *Seni* Salsa, *&* Retorrida: *Iuveni* Corpus Erectius, *Seni* Inclinatio in Curvum: *Iuveni* Constantia Artuum, *Seni* Debilitas,

bilitas, & Tremor: *Juveni* Humores Biliosi, & Sanguis Fervidior; Seni Humores Phlegmatici, & Melancholici, & Sanguis Frigidior: Juveni Venus in promptu; Seni tardior: Juveni Succi Corporis magis Roscidi; Seni magis Crudi, & Aqueci: Juveni Spiritus Multus, & Turgescens; Seni Paucus, & Jejunus: Juveni Spiritus Densus & Viridis; Seni Acris, & Rarus: Juveni Sensus Vivaces, & Integri; Seni Hebetiores, & Deficientes: Juveni Dentes Robusti, & Integri; Seni Debiles, Attriti, & Decidui: Juveni Pili colorati; *Seni cujuscunque fuerint Coloris*, Cani: Juveni Coma; Seni Calvities: Juveni Pulsus Grandior, & Incitatior; Seni Obscurior, & Tardior: Juveni Morbi magis Acuti, & Curabiles; Seni magis Chronici & Curatu Difficiles: Juveni Vulnera citius coalescentia; *Seni* tardius: Juveni Genæ florentes Colore; Seni aut Pallidæ, aut Rubicundæ, atque Sanguine Spisso: Juveni minor Molestia ex Catarrhis; Seni major: *Neque scimus in quæ proficiant Senes, (quoad corpus) nisi quandoque in* Obesitatem: *Cujus Caussa præsto est; quia Corpora Senum, nec bene perspirant, nec bene assimilant*; Pinguedo *autem nihil aliud est, quam* Exuberantia Alimenti, *ultra id, quod excernitur, aut perfecte assimilatur. Etiam in quibusdam Senibus in* Edacitatem *proficitur, propter* Acidos Humores, *licet Senes digerant minus. Ac universa, quæ jam diximus*, Medici *quasi Feriantes, referent ad* Caloris Naturalis, & Humoris Radicalis Diminutionem, *quæ Res nihili sunt ad Usum; Illud certum*, Siccitatem *in decursu Ætatis*, Frigiditatem *præcedere; Atque Corpora cum sint in* Statu, & Acme Caloris *ad* Siccitatem *declinare*, Frigiditatem *autem postea sequi.*

3. *Jam vero etiam de* Affectibus Animi *videndum. Equidem memini, cum Adolescens essem* Pictavii *in* Gallia, *me consuevisse familiariter cum* Gallo *quodam, Juvene Ingeniosissimo, sed paululum Loquaci; qui postea in virum Eminentissimum evasit, Ille in Mores* Senum *invehere solitus est, atque dicere, si daretur conspici* Animos Senũ, *quemadmodum cernuntur* Corpora, *non minores apparituras in iisdem* Deformitates: *Quinetiam Ingenio suo indulgens, contendebat* Vitia Animorum *in Senibus*, Vitiis Corporum *esse quodammodo Consententia*, & Parallela: *Pro* Ariditate Cutis *substituebat* Impudentiam: *Pro* Duritie Viscerum, Immisericordiam: *Pro* Lippitudine Oculorum, Oculum Malum; & Invidiam: *Pro* Immersione Oculorum, & Curvatione Corporis *versus Terram*, Atheismum; (Neque enim cœlum, *inquit*, respiciunt, ut prius:) *Pro* Tremore Membrorum, Vacillationem Decretorum, & fluxam Inconstantiam: *Pro* Inflexione Digitorum, *tanquam ad Prehensionem* Rapacitatem & Avaritiam: *Pro* Labascentia Genuum, Timiditatem: *Pro* Rugis, Calliditatem, & Obliquitatem: *& alia quæ non occurrunt. Sed ut ferii simus; Juveni adest* Pudor, & Verecundia; *Seni paululum* obduruit: *Juveni* Benignitas, & Misericordia; *Seni* occalluit: *Juveni* Æmulatio laudabilis: *Seni* Invidia maligna: *Juveni* Inclinatio ad Religionem, & Devotionem, *ob Fervorem, & inexperientiam* Mali, *Seni* Defervescentia in pietate, *ob Charitatis Teporem & diuturnam Conversationem inter Mala, nec non ob credendi difficultatem*: *Juveni* Valde velle, *Seni* Moderatio: *Juveni* Levitas *quædam*, & Mobilitas, *Seni* Gravitas *major*, & Constantia: *Juveni* Liberalitas, & Beneficentia, & Philanthropia, *Seni* Avaritia, & Sibi sapere, & consulere: *Juveni* Confidentia, & bene sperare, *Seni* Diffidentia, & plurima habere pro suspectis: *Juveni* Facilitas, & Obsequium, *Seni* Morositas, & Fastidium: *Juveni* Sinceritas, & Animus Apertus, *Seni* Cautio, & animus Tectus: *Juveni* Magna appetere, *Seni* Necessaria curare: *Juveni* Præsentibus Rebus favere, *Seni* Anteacta potiora habere: *Juveni* Superiores revereri, *Seni* Censura in illos uti: *& complura alia, quæ ad* Mores *potius pertinent, quam ad* Inquisitionem præsentem: *Attamen quemadmodum in* Corpore, *ita in* Animo, *in nonnulla proficiunt Senes, nisi fuerint admodum Emeriti, Nempe, ut cum ad* Excogitandum *minus sint prompti*, Judicio *tamen valeant*, & Tutiora, & Saniora, *quam* Speciosiora *malint*: *Etiam*, *in* Gurrulitatem *proficiunt*, & Ostentationem, *Fructum enim* Sermonis *petunt, cum* Rebus *minus valeant; ut non absurde* Thithonum *in* Cicadam *versum fuisse*, Poëtæ *fingant.*

CANONES
Mobiles de duratione Vitæ, & Forma Mortis.

CANON I.

NOn fit *Consumptio*, nisi quod deperditum sit de Corpore, transmigret in *Corpus aliud.*

EXPLICATIO.

NUllus est Rerum *Interitus*: Itaque quod absumitur, aut evolat in *Aerem*; aut recipitur in *Corpus* aliquod *Adjacens*: Quare videmus *Araneam*, aut *Muscam*, aut *Formicam*, in Electro, Monumento plus quam Regio, sepultas, æternizari, cum tamen sint Res Teneræ, & Dissipabiles. Verum non adest *Aer*, in quem aliquid evolet, atque Substantia Electri est tam Heterogenea, ut nihil ex illis recipiat. Simile etiam fore arbitramur; misso *Ligno*, aut *Radice*, aut ejusmodi in *Argentum Vivum*. At *Cera*, & *Mel*, & *Gummi*, habent similem Operationem, sed ex Parte tantum.

CANON II.

INest omni Tangibili *Spiritus*, Corpore crassiore obtectus, & obsessus, Atque ex eo Originem habet *Consumptio* & *Dissolutio.*

EXPLICATIO.

NUllum *Corpus* nobis notum, hic in Superiore Parte Terræ, *Spiritu* vacat, sive per Attenuationem, & Concoctionem Caloris Cœlestium, sive alias. Neque enim Cava Rerum Tangibilium *Vacuum* recipiunt, sed aut *Aerem*, aut *Spiritum* Rei proprium. *Spiritus* autem ille (de quo loquimur) non est *Virtus* aliqua, aut *Energia*, aut *Entelechia*, aut *Nugæ*, sed plane *Corpus* Tenue, Invisile, attamen Locatum, Dimensum, Reale: Neque rursus Spiritus ille *Aer* est, (quemadmodum nec Succus Uvæ est Aqua) sed Corpus Tenue, cognatum Aëri, at multum ab eo diversum: Partes autem Rei Crassiores (cum sint Naturæ Pigræ, nec admodum Mobilis) per periodos longas duraturæ forent: sed *Spiritus* ille est, qui turbat, & illas

illas fodicat, & subruit, atque Humidum Corporis, & quicquid digerere potest, in novum *Spiritum* deprædatur; deinde tam *Spiritus* Corporis præexistens, quam noviter Factus, simul sensim evolant, Id optime ostenditur, in *Diminutione Ponderis*, Corporum Arefactorum per Perspirationem. Neque enim quicquid emittitur, erat *Spiritus*, quando ponderaverat; neque *non Spiritus*, quando evolaverat.

CANON. III.

Spiritus Emissus *desiccat*; detentus, & moliens intus, aut *colliquat*; aut *putrefacit*; aut *vivificat*.

EXPLICATIO.

Quatuor sunt *Processus Spiritus*; Ad *Arefactionem*; ad *Colliquationem*; ad *Putrefactionem*; ad *Generationem* Corporum. *Arefactio* non est Opus proprium *Spiritus*, sed *Partium crassiorum* post emissum *Spiritum*: tum enim illæ se contrahunt, partim per fugam Vacui, partim per unionem Homogeneorum: Ut liquet in omnibus, quæ arefiunt per Ætatem; Et in siccioribus Corporibus, quæ desiccantur per Ignem ut *Lateribus*, *Carbonibus*, *Panibus*. *Colliquatio* est merum Opus *Spirituum*. Neque fit nisi *Calore* excitentur; tum enim *Spiritus* se dilatantes, neque tamen exeuntes, se insinuant, & perfundunt inter Partes crassiores; Easque ipsas reddunt Molles, & Fusiles, ut in *Metallis*, & *Cera*, Etenim *Metalla*, & alia Tenacia, apta sunt ad cohibendum *Spiritum*, ne excitatus evolet. *Putrefactio* est Opus Mixtum, *Spiritus*, & *Partium Crassiorum*: Etenim *Spiritus* (qui Partes rei continebat, & frænabat) partim emisso, partim languescente, omnia solvuntur, & redeunt in *Heterogeneas* suas, sive (si placet) *Elementa* sua, Quod *Spiritus* inerat Rei, congregatur ad se, (unde *Putrefacta* incipiunt esse gravis Odoris:) *Oleosa* ad se, (unde *Putrefacta* habent nonnihil Lævoris & Unctuositatis:) *Aquea* itidem ad se, *Faces* ad se (unde fit Confusio illa in *Putrefactis*.) At *Generatio*, sive *Vivificatio*, est Opus itidem Mixtum *Spiritus*, & *Partium crassiorum*, sed longe alio modo: *Spiritus* enim totaliter detinetur, sed tumet, & movetur localiter, *Partes* autem *Crassiores* non solvuntur, sed sequuntur Motum *Spiritus*, atque ab eo, quasi difflantur, & extruduntur in varias Figuras, unde fit illa *Generatio*, & *Organizatio*: Itaque semper fit *Vivificatio* in Materia *Tenaci*, & *Lenta*, atque etiam *Sequaci*, & *Molli*, ut simul & *Spiritus* fiat Detentio, atque etiam Cessio lenis *Partium*, prout eas effingit *Spiritus*, Atque hoc cernitur in Materia, omnium tam *Vegetabilium*, quam *Animalium*, sive generentur ex *Putrefactione*, sive ex *Spermate*: In his enim omnibus, manifestissime cernitur esse *Materia*, difficilis ad *Abrumpendum*, facilis ad *Cedendum*.

CANON IV.

In omnibus *Animatis* duo sunt Genera *Spirituum*, *Spiritus Mortuales* quales insunt *Inanimatis*, & Superadditus *Spiritus vitalis*.

EXPLICATIO.

Iam ante dictum est, an Longævitatem procurandam, debere considerari *Corpus Humanum*, primo ut *Inanimatum*, & *Inalimentatum*, Secundo, ut *Animatum*, & *Alimentatum*: Nam Prior Consideratio dat Leges de *Consumptione*, Secunda de *Reparatione*. Itaque nosse debemus, in esse Humanis *Carnibus*, *Ossibus*, *Membranis*, *Organis*, denique *Partibus* singulis, dum vivunt, in Substantia earum perfusos, tales *Spiritus*, quales insunt in hujusmodi Rebus, *Carne*, *Osse*, *Membrana*, & cæteris, Separatis, & Mortuis, quales etiam manent in *Cadavere*: At *Spiritus Vitalis*, tametsi eos regat, & quendam habeat cum illis Consensum, longe alius est ab ipsis: *Integralis*, & per se *Constans*. Sunt autem duo Discrimina præcipua, inter *Spiritus Mortuales* &, *Spiritus Vitales*, Alterum, quod *Spiritus Mortuales*, minime sibi continuentur, sed sunt tanquam abscissi, & circundati Corpore crassiore, quod eos intercipit, quemadmodum Aer permixtus est in *Nive*, ut *Spuma*. At *Spiritus Vitalis* omnis sibi continuatur, per quosdam *Canales*, per quos permeat, nec totaliter intercipitur. Atque hic *Spiritus*, etiam duplex est, Alter *Ramosus* tantum, permeans per parvos *Ductus*, & tanquam *Lineas*: alter habet etiam *Cellam*, ut non tantum sibi continuetur, sed etiam congregetur in Spatio aliquo cavo, in bene magna Quantitate, pro Analogia Corporis, atque in illa *Cella* est *Fons Rivulorum*, qui inde diducantur. Ea *Cella* præcipue est in *Ventriculis Cerebri*, qui in *Animalibus* magis *Ignobilibus* augusti sunt, adeo ut videantur *Spiritus* per universum *Corpus fusi*, potius quam *Cellulati*: Ut cernere est, in *Serpentibus*, *Anguillis*, *Muscis*, quorum singulæ *Portiones* abscissæ moventur diu: Etiam *Aves* diutius Capitibus avulsis subsultant, quoniam parva habeant Capita, & parvas *Cellas*: At *Animalia Nobiliora Ventriculos* eos habent ampliores: Et maxime omnium *Homo*. Alterum Discrimen inter *Spiritus* est, quod *Spiritus vitalis* nonnullam habeat *Incensionem*, atque sit tanquam *Aura Composita* ex *Flamma*, & *Aere*, quemadmodum *Succi Animalium* habeant & *Oleum*, & *Aquam*. At illa *Incensio* peculiares præbet *Motus*, & *Facultates*; Etenim & *Fumus Inflammabilis*, etiam ante *Flammam* conceptam, Calidus est, Tenuis, Mobilis, Et tamen alia Res est, postquam facta sit *Flamma*, At *Incensio Spirituum Vitalium*, multis partibus lenior est, quem mollissima *Flamma* ex *Spiritu Vini*, aut alias; Atque insuper mixta est ex magna parte, cum *Substantia Aerea*, ut sit & *Flammea*, & *Aerea Naturæ Mysterium*.

CANON V.

Actiones Naturales sunt propriæ *Partium* singularum, sed *Spiritus vitalis* eas excitat, & acuit.

EXPLICATIO.

Actiones sive *Functiones*, quæ sunt in singulis *Membris*, Naturam ipsorum *Membrorum* sequuntur; (*Attractio*, *Retentio*, *Digestio*, *Assimilatio*, *Separatio*, *Excretio*, *Perspiratio*, etiam *Sensus* ipse;) pro Proprietate *Organorum* singulorum, (*Stomachi*, *Iecoris*, *Cordis*, *Splenis*, *Fellis*, *Cerebri*, *Oculi*, *Auris*, & cæterorum.) Neque tamen ulla, ex ipsis *Actionibus*, unquam actuata foret, nisi ex vigore & præsentia *Spiritus vitalis*, & *Caloris* ejus; Quemadmodum nec *Ferrum* aliud *Ferrum* attracturum foret, nisi excitaretur à *Magnete*; Neque *Ovum* unquam fœcundum foret, nisi *Substantia Fœmellæ* actuata fuisset ab *Intu Maris*.

CANON

CANON VI.

Spiritus Mortuales Aëri proxime consubstantiales sunt, *Spiritus vitales* magis accedunt ad Substantiam Flammæ.

EXPLICATIO.

Explicatio *Canonis quarti* præcedentis, est etiam Declaratio *Canonis præsentis*; Verum insuper hinc fit, ut quæcunque sint *Pinguia*, & *Oleosa*, diu maneant in Esse suo; Neque enim *Aër* illa multum vellicat, neque illa etiam ipsa cum *Aëre* conjungi multum desiderant. Illud autem prorsus vanum est, quod *Flamma* sit *Aër Accensus*, cum *Flamma* & *Aër*, non minus Heterogenea sint, quam *Oleum* & *Aqua*. Quod vero dicitur in *Canone*, quod *Spiritus Vitales* magis accedant ad *Substantiam Flammæ*; Illud intelligendum est, quod magis hoc faciant, quam *Spiritus Mortuales*; non quod magis sint *Flammei*, quam *Aërii*.

CANON VII.

Spiritus Desideria duo sunt; Unum se *Multiplicandi*; Alterum *Exeundi*, & se *Congregandi* cum suis Connaturalibus.

EXPLICATIO.

Intelligitur *Canon* de *Spiritibus Mortualibus*; Etenim quoad *Desiderium secundum*, *Spiritus Vitalis* Exitum è Corpore suo maxime exhorret; neque enim invenit *Connaturalia* hic in Proximo. Ruit forte in Occursum Rei Desiderabilis, ad Extima Corporis sui; sed Egressum, ut dictum est, fugit: Verum de *Spiritibus Mortualibus*, utrunque *Desiderium* tenet. Quod ad primum enim attinet, *Omnis Spiritus inter crassiora locatus, non fœliciter habitat*; Itaque cum *Simile sui* non inveniat, eo magis *Simile sui* creat, & facit, in tali Solitudine positus; & strenue laborat, ut se multiplicet, & Volatile Crassiorum deprædetur, ut augeatur suo *Quanto*. Quod vero ad secundum, *Desiderium Evolandi*, & se in Aërem recipiendi; Certum est omnia Tenuia, (quæ semper sunt Mobilia) ad sui similia in proximo libenter ferri; ut *Bulla Aquæ* fertur ad *Bullam*, *Flamma* ad *Flammam*: At multo magis hoc fit, in *Evolatione Spiritus* in *Aërem* ambientem; quia non fertur ad *Particulam* sui similem; sed etiam tanquam ad *Globum Connaturalium* suorum. At illud interim notandum, quod Exitus, & *Evolatio Spiritus*, in Aërem, est duplicata Actio; partim ex *Appetitu Spiritus*, partim ex *Appetitu Aeris*, *Aer* enim communis tanquam Res indigens est, atque omnia avide arripit; *Spiritus*, *Odores*, *Radios*, *Sonos*, & alia.

CANON VIII.

Spiritus detentus, si alium *Spiritum* gignendi Copiam non habeat, etiam *Crassiora* intenerat.

EXPLICATIO.

Generatio novi Spiritus non fit nisi super ea, quæ sunt in Gradu ad *Spiritum*, propiore: qualia sunt *Humida*. Itaque si *Partes Crassiores* (inter quas versatur *Spiritus*) sint in Gradu remotiore, licet *Spiritus* eas conficere non possit, tamen (quod potest) eas labefactat, & emollit, & fundit, ut cum Quantum suum augere non possit, tamen habitet laxius, & inter ea degat, quæ sint magis Amica: Iste autem *Aphorismus*, ad Finem nostrum, admodum utilis est; quia innuit ad *Intenerationem Partium* Obstinatarum, per *Detentionem Spiritus*.

CANON IX.

Inteneratio Partium Duriorum bene procedit, cum Spiritus nec evolet, nec generet.

EXPLICATIO.

Iste *Canon* solvit Nodum & Difficultatem in *Operatione Intenerandi*, per *Detentionem Spiritus*: Si enim *Spiritus* non emissus deprædetur omnia intus, nil fit Lucri ad *Intenerationem Partium*, in Esse suo; sed potius solvuntur illæ, & corrumpuntur. Itaque una cum *Detentione* refrigerari debent *Spiritus*, & astringi, ne sint nimis *Activi*.

CANON X.

Calor Spiritus, ad *Viriditatem* Corporis, debet esse *Robustus*, non *Acris*.

EXPLICATIO.

Etiam iste *Canon* pertinet ad solvendum Nodum supradictum, sed longe latius patet; Describit enim, qualis debeat esse Temperamenti *Calor* in Corpore ad Longæ vitatem; Hoc vero utile est, sive *Spiritus* detineantur, sive non; Utcunque enim talis debet esse *Calor Spirituum*, ut vertat se potius in *Dura*, quam deprædetur *Mollia*; Alterum enim desiccat, alterum intenerat. Quin etiam, eadem Res valet ad *Alimentationem* bene perficiendam; talis enim *Calor* optime excitat *Facultatem Assimilandi*, atque una optime præparat *Materiam* ad *Assimilandum*. Proprietates autem hujusmodi *Caloris*, tales esse debent; Primo ut *Tardus* sit, nec *Subito* calefaciat: Secundo, ut non sit admodum *Intensus*, sed *Mediocris*: Tertio, ut sit *Æqualis*, non *Incompositus*, scilicet se Intendens, & Remittens: Quarto, ut si inveniat *Calor* iste, quod ei resistat, non facile *suffocetur*, aut *langueat*. Subtilis admodum hæc *Operatio*; sed cum sit ex Utilissimis, non deserenda est. Nos vero in *Remediis* (quæ ad indendum *Spiritibus Calorem Robustum*, sive eum, quem vocamus *Fabrilem*, non *Prædatorium*, proposuimus) huic Rei aliqua ex Parte satisfecimus.

CANON XI.

Spirituum Densatio in substantia sua, valet ad Longæ vitatem.

EXPLICATIO.

Subordinatus est *Canon* ad Præcedentem; Etenim *Spiritus Densior* suscipit omnes illas quatuor *Caloris Proprietates*, quas diximus. Modi autem *Densationis*, in Prima ex decem *Operationibus* habentur.

CANON XII.

Spiritus in *Magna Copia* & magis festinat ad Exitum, & magis deprædatur, quam in *Exigua*.

EXPLICATIO.

Clarus est per se *Canon* iste, cum *Quantum* ipsum regulariter augeat *Virtutem*; Atque cernere est in *Flammis*, quod quanto fuerint majores, tanto & erumpant fortius, & absumant celerius. Itaque nimia *Copia*, aut *Turgescentia Spiritus*, prorsus nocet Longæ vitati: Neque amplior est optanda *Copia Spirituum*, quam quæ Muniis Vitæ, & bonæ Reparationis Ministerio sufficiat.

CANON XIII.

Spiritus æqualiter perfusus, minus festinat ad exitum, & minus deprædatur, quam *impariter locatus*.

EXPLICATIO.

Non solum *Copia Spirituum* secundum Totum, Durationi Rerum obest, sed etiam

eadem *Copia*, minus refracta, similiter obest. Itaque quo magis fuerit *Spiritus comminutus*, & per Minima insinuatus, eo deprædatur minus. *Dissolutio* enim incipit à Parte, ubi *Spiritus* est laxior; Itaque & *Exercitatio*, & *Fricationes*, Longæ vitati multum conferunt: *Agitatio* enim optime comminuit, & commiscet Res per Minima.

CANON XIV.

MOtus *Spirituum Inordinatus*, & *Subsultorius* magis properat ad Exitum, & magis deprædatur, quam *Constans*, & *Æqualis*.

EXPLICATIO.

IN *Inanimatis* tenet iste *Canon* certo; *Inæqualitas* enim *Dissolutionis Mater*; In *Animatis* vero (quia non solum spectatur *Consumptio*, sed *Reparatio*: *Reparatio* autem procedit per Rerum *Appetitus*: *Appetitus* rursus acuitur per *Varietatem*) non tenet rigide; sed eousque tamen recipiendus est, ut *Varietas* ista potius sit *Alternatio*, quam *Confusio*, & tanquam constans in Inconstantia.

CANON XV.

SPiritus in *Corpore Compagis solidæ*, detinetur licet invitus.

EXPLICATIO.

OMnia *Solutionem Continuitatis* suæ exhorrent; attamen pro Modo Densitatis, aut Tenuitatis suæ. Etenim, quo Corpora sunt magis Tenuia, eo in minores, & angustiores Meatus se compelli patiuntur: Itaque *Aqua* subintrabit Meatum, quem non subintrabit *Pulvis*; *Aer* etiam, quem non subintrabit *Aqua*; Quin *Flamma*, & *Spiritus*, quem non subintrabit *Aer*. Veruntamen est hujusce rei aliquis Terminus; Neque enim *Spiritus* in tantum Desiderio exeundi laborat, ut patiatur se discontinuari nimis, & in nimis arctos Poros, aut Meatus agi; Itaque si *Spiritus Copore Duro*, aut etiam *Vnctuoso*, & *Tenaci*, (quod non facile dividitur) circumdetur, plane constringitur, & tanquam incarceratur, & *Appetitum exeundi* posthabet; Quare videmus *Metalla*, & *Lapides* longo Ævo egere, ut exeat *Spiritus*; nisi aut *Spiritus* Igne excitetur, aut Partes crassiores *Aquis Corrodentibus*, & *Fortibus* disjungantur. Similis est Ratio *Tenacium*, qualia sunt *Gummi*, nisi quod leniore Calore solvantur. Itaque *Succi Corporis Duri*, *Cutis Constricta*, & similia, (quæ procurantur ab *Alimentorum Siccitate*, & *Exercitatione*, & *Aëris Frigore*) utilia sunt ad Longæ vitatem; quia Claustra circundant *Spiritui* arcta, ne exeat.

CANON XVI.

IN *Oleosis*, & *Pinguibus* detinetur *Spiritus* libente., licet non sint Tenacia.

EXPLICATIO.

SPiritus, si nec à Corporis circundati *Antipathia* irritetur, nec à Corporis nimia *Similitudine* pascatur, nec à *Corpore Externo* sollicitetur, aut provocetur, non tumultuatur multum ad Exeundum: Quæ omnia *Oleosis* desunt; Nam nec tam *Spiritui Infesta* sunt, quam *Dura*; nec tam *Propinqua*, quam *Aquea*; nec cum *Aere ambiente* bene consentiunt.

CANON XVII.

EVolatio cita *Humoris Aquei*, conservat diutius *Oleosum* in Esse suo.

EXPLICATIO.

DIximus *Aquea*, utpote *Aëri* consubstantialia, citius evolare, *Oleosa* tardius, ut cum *Aere* minus consentientia: At cum *Humidum utrunque* plerisque Corporibus insit, evenit ut *Aqueum* veluti prodat *Oleosum*: Nam illud sensim exiens, hoc etiam asportat. Itaque nil magis juvat ad Corporum Conservationem, quam *Siccatio Lenis*, quæ *Humorem Aqueum* expirare faciat, nec *oleosu* sollicitet, tum enim *Oleosum* fruitur Natura sua; Neque hoc spectat ad inhibendam *Putredinem*, (licet etiam & illud sequatur) sed ad conservandam *Viriditatem*. Hinc fit ut *Frictiones molles*, & *Exercitationes Moderatæ*, *ad Perspirationem* potius quam ad *Sudorem*, Longæ vitati plurimum conferant.

CANON XVIII.

AEr *exclusus* confert ad Longæ vitatem, si aliis *Incommodis* caveas.

EXPLICATIO.

DIximus paulo ante, *Evolationem Spiritus* esse Actionem duplicatam, ex *Appetitu Spiritus*, & *Aeris*. Quare si altera tollatur, haud parum proficitur; Id quod ex *Inunctionibus* præcipue expectari debet. Attamen hoc sequuntur varia *Incommoda*; quibus quomodo subveniatur, in *Operatione* secunda ex decem, annotavimus.

CANON XIX.

SPiritus *Iuveniles Senili Corpori* inditi, Naturam compendio retrovertere possunt.

EXPLICATIO.

NAtura *Spirituum* est quasi *Rota* suprema, quæ alias *Rotas* in Corpore Humano circumagit. Itaque illa in *Intentione* Longæ vitatis, prima poni debet. Huc accedit, quod facilior, & magis expedita Via patet ad alterandos *Spiritus*, quam ad alia. Etenim duplex est Operatio super *Spiritus*; Altera per *Alimenta*, quæ est Tarda, & tanquam per Circuitum; Altera (& illa Gemina) quæ est Subita, & *Spiritus* recta petit. Nempe per *Vapores*; Aut per *Affectus*.

CANON XX.

SVcci Corporis *subduri*, & *roscidi*, faciunt ad Longæ vitatem.

EXPLICATIO.

RAtio perspicua est, cum antea posuerimus *Dura* & *Oleosa*, sive *Roscida*, ægrius dissipari. Illud tamen interest (sicut etiam in *Operatione* Decima notavimus) quod *Succus Subdurus* minus dissipabilis est, sed est simul minus *Reparabilis*. Itaque *Commodum* cum *Incommodo* conjunctum est: Neque possit propterea aliquod *Magnale* per hoc præstari; At *Succus Roscidus* utrique Rei satisfacit: Itaque diligentius huic incumbendum.

CANON XXI.

QUicquid *Tenuitate* penetrat, neque tamen *Acrimonia* rodit, gignit *Succos Roscidos*.

EXPLICATIO.

CAnon iste magis difficilis est Practica, quam Intellectu: Manifestum est enim, quicquid bene *penetrat*, sed tamen cum *Stimulo*: aut *Dente*, (qualia sunt omnia *Acrida* & *Acida*) relinquere, ubicunque transit, Vestigium nonnullum *Siccitatis*, & *Divulsionis*, ut *Succos* induret, *Partes* convellat: At contra, quæ penetrant meta *Tenuitate*, tanquam furtim, & insinuative, absque violentia, irrorare, & irrigare in transitu. De his in *Operationibus* quarta, & septima, haud pauca descripsimus.

CA-

CANON XXII.

ASimilatio optime fit cessante omni *Motu locali.*

EXPLICATIO.

HUnc *Canonem* in *Commentatione* ad *Operationem* octavam, satis explicavimus.

CANON XXIII.

A*Limentatio* per Exterius, aut saltem non per *Stomachum*, Longævitati utilissima, si fieri possit.

EXPLICATIO.

VIdemus omnia, quæ per *Nutritionem* peraguntur, fieri per longas Ambages, quæ vero per *Amplexus similium*, (ut fit in *Infusionibus*) non longam requirere Moram: Itaque utilissima foret *Alimentatio* per Exterius, atque eo magis, quod deciduæ sint *Facultates Concoctionum* sub *Senectute.* Quamobrem si possint esse *Nutritiones* aliæ Auxiliares, per *Balneationes*, *Vnctiones*, aut etiam per *Clysteria*, *Conjuncta* possint proficere, quæ *Singula* minus valeant.

CANON XXIV.

UBI *Concoctio* debilis est ad *Extrusionem Alimenti*, ibi *Exteriora* confortari debent ad *Evocationem Alimenti.*

EXPLICATIO.

NOn est hoc, quod in isto *Canone* proponitur, eadem Res cum Præcedente; Aliud enim est, si *Alimentum Exterius* introtrahatur, aliud, si *Alimentum Interius* extrahatur; At in hoc concurrunt, quod Debilitati *Concoctionum* Interiorum, alia Via subveniant.

CANON XXV.

OMnis subita *Renovatio* Corporis fit, aut per *Spiritus*; aut per *Malacissationes.*

EXPLICATIO.

DUo sunt in Corpore, *Spiritus* & *Partes*; Ad utrunque, longa via pervenitur per *Nutritionem*; At viæ breves ad *Spiritus* per *Vapores* & *Affectus*; & ad *Partes*, per *Malacissationes.* Illud autem paulo attentius notandum, quod nullo modo confundimus *Alimentationem* per *Exterius*, cum *Malacissatione*; neque enim Intentio est *Malacissationis*, ut nutriat Partes; sed tantum ut eas reddat magis idoneas ad nutriendum.

CANON XXVI.

M*Alacissatio* fit, per *Consubstantialia*, *Imprimentia*, & *Occludentia.*

EXPLICATIO.

MAnifesta Ratio est; quod *Consubstantialia* proprie malacissent; *Inprimentia* deducant; *Occludentia* retineant, & *Perspirationem*, quæ est Motus *Malacissationi* oppositus, cohibeant. Itaque (ut in *Operatione* Nona descripsimus) *Malacissatio* simul bene fieri non potest, sed per Seriem, & Ordinem. Primum excludendo *Liquorem*, per *Spissamenta*: quia extranea & crassa *Infusio* non bene coagmentet Corpus; subtile debet esse, & ex Vaporis genere, quod intrat. Secundo *Intenerando*, per *Consensum Consubstantialium*: Corpora enim ad Tactum eorum, quæ valde consentiunt, se aperiunt, & Poros laxant. Tertio, *Imprimentia Vehicula* sunt, & nonnihil Consubstantialia inculcant; & *Mixtura* leniter *Astringentium*, *Perspirationem* interim paululum cohibet. At sequitur quarto loco Magna illa *Astrictio* & *Clausura* per *Emplastrationem*; & postea gradatim per *Inunctionem*; donec *Malacum* vertatur in *Solidum*, ut suo loco diximus.

CANON XXVII.

C*Rebra Renovatio Reparabilium*, irrigat etiam minus *Reparabilia.*

EXPLICATIO.

DIximus in *Aditu* ipso *Historiæ* hujus, Eam esse Viam Mortis, quod magis *Reparabilia*, in consortio minus *Reparabilium* intereant; ut totis viribus, in *Reparatione* hujusmodi *Partium* minus *Reparabilium*, sit exudandum; Itaque admoniti *Aristotelis* Observatione de *Plantis*, quod scilicet, *Novitas morum Truncum ipsum in transitu reficiat*; similem Rationem fore arbitrati sumus, si sæpe reparentur *Carnes*, & *Sanguis* in Corpore Humano; ut inde ipsa *Ossa*, & *Membranæ*, & reliqua, quæ Natura minus sunt *Reparabilia*, partim per Transitum alacrem *Succorum*, partim per Vestitum illum novum *Carnum* & *Sanguinis* Recentiorum, irrigentur, & renoventur.

CANON XXVIII.

R*Efrigeratio*, quæ non transit per *Stomachum*, utilis ad Longævitatem.

EXPLICATIO.

RAtio præsto est, quia cum *Refrigeratio* non Temperata, sed Potens (præsertim Sanguinis) ad vitam Longam sit præcipue necessaria; omnino hoc non fieri possit per intus, quantum opus est, absque Destructione *Stomachi* & *Viscerum.*

CANON XXIX.

C*Omplicatio* illa, quod tam *Consumptio*, quam *Reparatio*, sint *Caloris Opera*, maximum est Obstaculum ad Longævitatem.

EXPLICATIO.

DEstruuntur fere omnia Magna Opera à *Naturis Complicatis*; cum quod alia Ratione juvet, alia noceat; Atque hic librato Iudicio, & sagaci Practica opus est: Id nos, quantum res permittit, & in præsentia occurrit, fecimus; Separando *Calores Benignos* à *Nocivis*; & ea, quæ ad utrunque faciunt.

CANON XXX.

C*Vratio Morborum* temporariis eget *Medicinis*; at *Longævitas vitæ* expectanda est à *Diætis*,

EXPLICATIO.

QUæ ex *Accidente* superveniunt, sublatis *Causis* desinunt; At *Cursus Naturæ* Continuus, instar *Fluvij* labentis, etiam continua indiget *Remigatione*, aut *Velificatione* in adversum: Itaque operandum est, regulariter per *Diætas*. *Diætæ* autem genere duplices sunt; *Diætæ Statæ*, quæ certis temporibus; & *Diæta Familiaris*, quæ in victu quotidiano usurpari debet: Potentiores autem sunt, *Diætæ Statæ*, id est, Series Remediorum ad Tempus: Etenim quæ tanta Virtute pollent, ut naturam retrovertere valeant, fortiora sunt plerunque, & magis subito alterantia, quam quæ familiariter in Usum recipi tuto possint. Atque in *Remediis* nostris *Intentionalibus*, tres tantum *Diætas Statas* reperias; *Diætam Opiatam*; *Diætam Malacissantem*; & *Diætam Emaciantem*, & Renovantem. At inter ea, quæ ad *Diætam Familiarem*, & *Victum quotidianum* præscripta à nobis sunt, efficacissima sunt hæc, quæ sequuntur; quæ etiam validitatem *Diætarum Statarum* fere æquant: *Nitrum*, & *Subordinata ad Nitrum*; *Regimen Affectuum*, & *Studiorum Genus*; *Refrigeria*, quæ non transeunt

per *Stomachum*; *Potus Roscidantes*; *Persspersio Sanguinis* cum *Materia Firmiore*, ut *Margaritis*, *Lignis*, *Inunctiones* debitæ, ad cohibendum *Aerem*, & Detentionem *Spirituum*; *Calefactoria per Exterius*, tempore *Assimilationis* post *somnum*; *Cautio* de iis, quæ incendunt *Spiritum*, induntque ei *Calorem acrem*, ut de *Vinis*, & *Aromatibus*; & *Vsus Moderatus*, & Tempestivus eorum, quæ indunt *Spiritibus* Calorem Robustum, ut *Croci*, *Nasturtii*, *Allii*, *Enulæ*, *Opiatorum Compositorum*.

CANON XXXI.

SPiritus vivus Interitum patitur immediate, cum destituitur aut *Motu*; aut *Refrigerio*; aut *Alimento*.

EXPLICATIO.

SUnt hæc scilicet illa tria, quæ superius vocavimus *Atriola Mortis*; Suntque *Passiones Spiritus* propriæ, & immediatæ. Etenim Organa omnia partium Principalium serviunt, ut hæc tria *Officia* præstentur: Et rursus, Omnis *Destructio Organorum*, quæ est Lethifera, eo rem deducit, ut unum, aut plura ex his tribus deficiant. Itaque alia omnia sunt diversæ viæ ad Mortem; sed in hæc desinunt. *Fabrica* autem *Partium Organum Spiritus* est; quemadmodum & ille, *Anima rationalis*; quæ Incorporea est & Divina.

CANON XXXII.

F*Lamma* Substantia Momentanea est: *Aer* Fixa; *Spiritus Vivi* in Animalibus, media est Ratio.

EXPLICATIO.

REs est hæc & altioris Indagationis, & Longioris Explicationis, quam faciat ad *Inquisitionem* præsentem. Sciendum interim *Flammam* continenter generari, & extingui; ut per Successionem tantum continuetur. *Aer* autem Corpus fixum est, nec solvitur; licet enim *Aer* ex Humido Aqueo Novum *Aerem* gignat; tamen vetus *Aer* nihilominus manet; unde fit *Super-oneratio* illa *Aeris*; de quo diximus in *Titulo* de *Ventis*. At *Spiritus* utriusque Naturæ particeps est, & *Flammeæ*, & *Aereæ*; quemadmodum & Fomites ejus sunt *Oleum*, quod est Homogeneum *Flammæ*; & *Aer*, qui est Homogeneus *Aquæ*. *Spiritus* enim non nutritur ex *Oleoso* Simplici, neque ex *Aqueo* Simplici, sed ex utroque: atque licet nec *Aer* cum *Flamma*, nec *Oleum* cum *Aqua* bene componantur, tamen satis conveniunt in Misto. Etiam, *Spiritus* habet ex *Aere* faciles suas & delicatas *Impressiones*, & *Receptiones*; A *Flamma* autem, Nobiles suos, & Potentes *Motus*, & *Activitates*. Similiter etiam *Duratio Spiritus* Res composita est, nec tam momentanea, quam *Flammæ*, nec tamen tam fixa, quam *Aeris*; Atque eo magis non sequuntur rationes *Flammæ*, quod *Flamma* etiam ipsa extinguitur per Accidens; nempe à Contrariis, & Destruentibus circumfusis; quam causam & necessitatem non habet pariter *Spiritus*. Reparatur autem *Spiritus* ex *Sanguine* vivido, & Florido *Arteriarum* exilium, quæ insinuantur in *Cerebrum*; Sed fit *Reparatio* ista suo modo, de quo nunc non est Sermo.

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI BACONI, BARONIS DE VERULAMIO, VICE-COMITIS SANCTI ALBANI, AC SUMMI ANGLIÆ CANCELLARII,

SCRIPTA IN NATURALI ET UNIVERSALI PHILOSOPHIA.

Contenta hujus Libri reperies Pagina sequenti.

Impensis JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI,

ANNO CIↃ. IↃC LXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONTENTA

Hujus Libri.

I. COgitata & Visa de Interpretatione Naturæ, sive de Inventione, Rerum & Operum.

Epistola Thomæ Bodlei ad Francisc. Baconum, Qua candide expendit ejus Cogitata & Visa. Latine versa ex Anglico ab Is. Grutero.

II. Descriptio Globi Intellectualis.

III. Thema Cœli.

IV. De fluxu & Refluxu Maris.

V. De Principiis atque originibus secundum Fabulas Cupidinis & Cœli. Sive Parmenidis & Telesii, & præcipue Democriti Philosophia tractata in fabula De Cupidine.

VI. Impetus Philosophici, in quibus continentur.

1. *Iudicia vera de Interpretatione Naturæ.*
2. *Phænomena universi; sive Historia naturalis ad Condendam Philosophiam.*
3. *Scala Intellectus sive Filum Labyrinthi.*
4. *Prodromi sive Anticipationes Philosophiæ secundæ.*
5. *Cogitationes de Natura rerum. De sectione corporum, continuo, & vacuo.*
6. *Filum Labyrinthi, sive Inquisitio legitima De motu.*
7. *Aphorismi & Consilia de Auxiliis mentis, & Accensione Luminis naturalis.*
8. *De Interpretatione naturæ Sententiæ 12.*
9. *De Interpretatione naturæ Proœmium.*
10. *Topica Inquisitio De luce & lumine.*

LE-

LECTORI S.

ISAACUS GRUTERUS.

Quæ tibi damus, Amice Lector, ad Vniversalem & Naturalem Philosophiam spectantia, ex Manuscriptis Codicibus, quos accuratè recensuerat & varie emendarat author, me emanuense apographa sunt. Sola Bodlei *epistola, quæ ad examen vocat* Cogitata & Visa, *per me ex Anglico facta Latina est, atq; ex opere epistolarum Baconi, quæ tali idiomate circumferuntur, huc translata ob materiæ cognationem. Titulus, quem frons libri præfert, & totum complectitur opusculi, in varias dissertationes secti, argumentum, ab ipso* Verulamio *est; quem singulæ exhibent paginæ ex rerum tractatarum serie distinctum, à me, ut minus confunderet quærentem Lectorem, indiculi defectus. Quicquid sequitur ab eo loco, cujus inscriptio est in ipso contextu* Judicia vera de interpretatione Naturæ *usq; ad finem, donavi eo nomine* Imperus Philosophici, *quod ex familiaribus Viri magni colloquiis notassem, cum de istis chartis mecum ageret. Non aliter enim appellare solebat quicquid prioribus per titulos suos separatu connecteretur; ne quis imperfectum statim suspicetur, quod defervescente* Imperu *non videt trahere syrma prolixa tractationis. Omnia autem hæc inedita (nisi quod inditu paucissimis rara extent quærundam ex his meditationum vestigia) debes, Amice Lector, Nobilissimo* Guil. Bosvvello, *ad quem ex ipsius Baconi legato pervenerant, cum aliis in politico & morali genere elaboratis, quæ nunc ex dono & μακαρίτου penes me servantur non diu premenda.* Bosvvello, *inquam, viro nobilitate, prudentia insigni, varia eruditione, humanitate summa, & Oratori olim apud Batavos Anglo; cujus sancta mihi memoria est. Vale & conatibus nostris fave. qui mox plura daturi sumus Baconiana latinè versa, maximâ partem inedita; & συνοψιζω adornamus epistolarum, quas Vir Eminentissimus Hugo Grotius scripsit ad Belgas, Germanos, Italos, Suecos, Danos, Gallis exceptis, quas Clarissimus Sarravius Senator Parisiensis edidit. Rogantur itaq; in quorum manus hæc inciderint, ut, si quid ejus nota habent, aut sciunt unde haberi queat, ad typographum transmittant, & significent, cæteris jam collectis aggregandum.*

FRANCISCI BACONI
DE VERULAMIO,
COGITATA ET VISA
De
INTERPRETATIONE NATURÆ,
Sive de
INVENTIONE
Rerum & Operum.

FRANCISCUS BACONUS *sic cogitavit.* Scientiam, in cujus possessione genus humanum adhuc versatur, ad certitudinem & magnitudinem operum non accedere. *Medicos* siquidem morbos complures insanabiles pronunciare, & in reliquorum cura sæpius errare & deficere: *Alchymistas* in spei suæ amplexibus senescere & immori: *Magorum* opera fluxa nec fructuosa; *Mechanicas* artes non multum lucis à Philosophia petere, sed experientiæ telas, lentas sane ac humiles, paulatim continuari. *Casum*, authorem rerum proculdubio utilem; sed qui per longas ambages & circuitus, donaria sua in homines spargat. *Itaq; visum est ei*: Inventa hominum, quibus utimur, admodum imperfecta & immatura censeri. Nova vero hoc scientiarum statu, nonnisi per seculorum spatia expectari: eaq; ipsa quæ hactenus humana exhibuit industria, Philosophiæ haud attribui.

Cogitavit & illud; in iis rerum humanarum angustiis, id maxime & ad præsens deploratum, & in futurum ominosum esse; quod homines, contra bonum suum, cupiunt ignorantiam ignominiæ eximere, & sibi per inopiam istam satisfieri. *Medicus* enim præter cautelas Artis suæ (in quibus ad existimationem Artis tuendam haud parum præsidii est) hanc generalem veluti totius Artis cautelam advocat; quod Artis suæ infirmitatem in Naturæ calumniam vertit; & quod Ars non attingit, id ex Arte impossibile in Natura supponit. Neque certe damnari potest Ars, cum ipsa judicet. Etiam Philosophia, ex qua Medicina ista (quam in manibus habemus) excisa est; habet & illa & in sinu nutrit, quædam Posita aut Placita, in quæ si severius inquiratur, hoc omnino persuaderi volunt, nil arduum aut in Natura imperiosum, ab Arte vel ope humana exspectari debere. Ab hoc fonte illud: calorem Astri sive Solis, & calorem ignis toto genere differre: & illud, compositionem opus Hominis, at Mistionem opus solius Naturæ esse, & similia; quæ si diligentius notentur, omnino pertinent ad humanæ potestatis circumscriptionem malitiosam, & ad quæsitam & artificiosam desperationem, quæ non solum spei auguria, sed etiam experiendi aleas abjiciat, & omnes industriæ stimulos & nervos incidat: dum de hoc tantum solliciti sunt, ut Ars perfecta censeatur, & gloriæ vanissimæ & perditissimæ dant operam; scilicet, ut quicquid inventum non sit, id nec inveniri posse credatur. *Alchymista* vero ad Artis suæ sublevationem, errores proprios reos substituit, secum accusatoriè reputando, se aut Artis & Authorum vocabula non satis intellexisse, unde ad Traditionum & oretenus eloquiorum susurros animum applicat, aut in practicæ scrupulis, proportionibus, & momentis aliquid titubatum esse: unde experimenta felicioribus (ut putat) auspiciis in infinitum repetit. Ac interim cum inter experimentorum vertiginosas ambages, in inventa quædam, aut ipsa facie nova, aut utilitate non contemnenda impingat; hujusmodi pignoribus animum pascit, eaque in majus ostentat & celebrat, reliqua spe sustentat. *Magus*, cum nonnulla supra Naturam (pro suo nimirum captu) prorsus effici videat; postquam vim semel Naturæ factam intelligit, imaginationi alas addit; remq; magis & minus recipere vix putat; quare maximarum rerum sibi adeptionem spondet, non videns esse subjecta certi

cujusdam & fere definiti generis, in quibus Magia & superstitio per omnes nationes & ætates potuerit & luserit. *Mechanicu* autem, si ei contigerit jam pridem inventa subtilius polire, vel ornare elegantius; aut, quæ separatim observaverit, componere & simul repræsentare: aut res cum usu rerum commodius & felicius copulare: aut opus majore, aut etiam minore, quam fieri consuevit, mole & volumine exhibere, se demum inter rerum inventores numerat. *Itaq; visum est ei*, homines rerum & Artium novarum inventionem, ut conatum inanem & suspectum, fastidire; vel credere, exstare quidem inventa nobilia, sed inter paucos summo silentio & religione quadam cohiberi: vel huc descendere, ut minores istas industrias & inventorum additamenta pro novis inventis æstiment. Quæ omnia eò redeunt, ut animos hominum à legitimo & constanti labore, & à nobilibus & genere humano dignis inventorum pensis avertant.

Cogitavit & illud; Homines cum operum varietatem & pulcherrimum apparatum, quæ per artes mechanicas ad cultum humanum congesta sunt, oculis subjiciunt, eò inclinate, ut potius ad opulentiæ humanæ admirationem, quam ad inopiæ sensum accedant; minime videntes, primitivas hominis observationes & naturæ operationes, quæ animæ aut primi motus instar, ad omnem illam varietatem sint, nec multas, nec alte petitas esse: cætera ad patientiam hominum, & subtilem & ordinatum manus vel instrumentorum motum pertinere: atq; in hac parte officinam cum Bibliotheca mire congruere, quæ & ipsa tantam librorum varietatem ostentet, in quibus si diligentius introspicias, nil aliud quam ejusdem rei infinitas repetitiones reperias, tractandi modis & structura quadam novas, inventione præoccupatas. *Itaque visum est ei*, opinionem copiæ inter causas inopiæ poni: & tum opera, tum doctrinas, ad intuitum numerosa, ad examen pauca esse.

Cogitavit & illud; eas quas habemus doctrinas ea ambitione & affectatione proponi, atq; in eum modum efformatas, ac veluti personatas in conspectum venire, ac si singulæ artes omni ex parte perfectæ essent, & ad exitum perductæ. Hujusmodi enim methodis, & iis partitionibus tradi, quæ omnia prorsus, quæ in illud subjectum cadere possunt, tractata complecti & concludere videantur. Atq; licet membra illa male impleta, & quod ad vividum aliquem rerum succum attinet, destituta sint: Totius tamen cujusdam formam & rationem præ se ferre, eoque rem perduci, ut pauca quædam, neq; illa ex optimo delectu, recepta Authorum scripta pro integris ipsis & propriis Artibus habeantur. Cum tamen primi & antiquissimi veritatis inquisitores, meliore fide ac eventu, Scientiam, quam ex rerum contemplatione decerpere, & in usum condere statuebant, in Aphorismos fortasse, sive breves easdemque sparsas nec methodis revinctas sententias conjicere solerent: quæ cum & rerum inventarum nuda simulachra, & rerum non inventarum manifesta spatia & vacua indicarent, minus fallebant; atque hominum ingenia & meditationes ad judicandum & ad inveniendum simul excitabant. At nunc scientias iis modis exhiberi qui fidem usurpent, non judicium sollicitent, & authoritate tristi lætis inventionum conatibus intercedant: adeo ut omnis successio & devolutio Disciplinarum, personas magistri & auditoris complectatur, non inventoris & ejus qui inventis addat: unde necessario evenire, ut Scientiæ suis hæreant vestigiis, nec loco omnino moveantur. Quod & per multa jam secula usu venit, eousque ut non solum assertio maneat assertio, sed etiam quæstio maneat quæstio, & eodem plane statu alatur. *Quare visum est ei*, Columnas non ultra progrediendi magnopere fixas esse & quasi fatales, & mirum minime esse id haud obtineri, cujus adipiscendi homines nec spe, nec desiderio teneantur.

Cogitavit & illud; quæ de hominum tum desperatione, tum fastu, dicta sunt, quod ad plerosq; Scientiarum Sectatores attinet, nimis alte petita esse; turbam enim longe maximam prorsus aliud agere. Doctrinam siquidem vel animi & delectationis causa petere, vel ad usum & emolumentum professorium, vel etiam ad ornamentum & existimationis suæ adminiculum: quæ si ut finis Scientiarum proponantur, tantum abest ut homines id velint, ut ipsa Doctrinarum massa augmentum sumat, ut ex ea quæ præsto est massa, nil amplius quærant, quàm quantum ad usum destinatum vertere & decoquere possit. Si quis autem in tanta multitudine Scientiam affectu ingenuo & propter se expetat, invenietur tamen rerum potius varietatem quam veritatem aucupari. Quod si & veritatis sit inquisitor severior, illa ipsa tamen veritas erit hujusmodi, quæ res jam in lucem proditas subtilius explicet, non quæ novam lucem excitet. Sin adhuc studium cujuspiam in tantum expandatur, ut & novam lucem ambiat: eam scilicet lucem adamabit, quæ ex longinquo contemplationes speciosas ostentet, non quæ ex propinquo opera & inventa nobilia demonstret. *Quare visum est ei*, eodem rursus referri, scilicet mirum non utique esse, curriculum non confici, cum homines ad hujusmodi minora deflectant: multo magis cum nec ipsa meta adhuc ulli, quod sciat, mortalium posita sit & defixa. Metam autem non aliam esse, quam ut genus humanum novis operibus & potestatibus continuo dotetur.

Cogitavit & illud; Inter ista Scientarum detrimenta, naturalis Philosophiæ sortem, præ omnibus minus æquam esse: ut quæ à laboribus hominum leviter occupata, facile deserta, nec majorem in modum culta & subacta sit. Postquam enim fides Christiana adolevit & recepta est, longe maximam ingeniorum partem ad Theologiam se contulisse, hominumque ex hac parte studio & amplissima præmia proposita, & omnis generis adjumenta copiosissime subministrata esse. Quin & ævo superiore potissimas Philosophorum commentationes in morali Philosophiâ (quæ Ethnicis magna ex parte vice Theologiæ erat) consumptas esse; utrisque autem temporibus summa ingenia haud infrequenti numero ad res civiles se applicasse, præsertim durante Magnitudine Romanâ, quæ ob imperii amplitudinem plurimorum operis indigebat. Eam ipsam vero ætatem, qua Naturalis philosophia apud Græcos maxime florere visa est, fuisse particulam temporis minime diuturnam: ac subinde contradictionibus ac novorum placitorum ambitione corruptam & inutilem redditam. Ab illis autem usque temporibus neminem

nemmem prorsus nominari, qui Naturalem Philosophiam ex professo colat, nec ejus inquisitioni immoriatur, adeo ut virum vacuum & integrum hæc Scientia jamdiu non occupaverit, nisi quis forte Monachi alicujus in sellula, aut nobilis in villula lucubrantis exemplum adduxerit, quod & rarissimum reperietur. Sed factum deinceps instar transitus cujusdam & pontisternii ad alia, magnamque istam scientiarum Matrem in Ancillam mutatam esse, quæ Medicinæ aut Mathematicis operibus ministret, aut Adolescentium immatura ingenia lavet & imbuat, veluti tinctura quadam prima, ut aliam rursus felicius & commodius excipiant. *Itaq; visum est ei*, Naturalem Philosophiam, incumbentium & paucitate & festinatione, & tyrocinio destitutam jacere. Nec ita multo post visum est ei, hoc ad universum Doctrinarum statum summopere pertinere. Omnes enim Artes & scientias ab hac stirpe revulsas, politi fortassis aut in usum effingi, sed nil admodum crescere.

Cogitavit & illud, quam molestum ac in omni genere difficilem adversarium nacta sit Philosophia Naturalis, superstitionem nimirum & Zelum Religionis, cæcum & immoderatum. Comperit enim ex Græcis nonnullos, qui primum causas naturales fulminis & tempestatum insuetis adhuc hominum auribus proposuerunt, impietatis eo nomine damnatos: nec multo melius exceptos, sed in idem judicium adductos, non capitis sane sed famæ, Cosmographos, qui ex certissimis demonstrationibus, quibus nemo hodie sanus contradixerit, formam terræ rotundam tribuerunt, & ex consequenti Antipodas asseruerunt, accusantibus quibusdam ex Antiquis Patribus fidei Christianæ. Quin & duriorem (ut nunc sunt res) conditionem sermonum de Natura effectam ex temeritate Theologorum Scholasticorum, & eorum clientelis, qui cum Theologiam (satis pro potestate) in ordinem redegerint, & in Artis fabricam effinxerint; hoc insuper ausi sunt, ut contentiosam & tumultuariam Aristotelis Philosophiam corpori Religionis immiscuerint. Eodem spectare etiam, quod hoc seculo haud alias opiniones & disputationes magis secundis ventis ferri reperies, quam eorum qui Theologiæ & Philosophiæ, id est, fidem & sensus, conjugium veluti legitimum, multa pompa & solennitate celebrant, & grata rerum varietate animos hominum permulcentes, interim divina & humana inauspicatò permiscent. Revera autem si quis diligentius animum advertat, non minus periculi naturali philosophiæ ex istiusmodi fallaci & iniquo fœdere, quàm ex apertis inimicitiis imminere. Tali enim fœdere & societate recepta in philosophiâ tantum comprehendi: aucta autem vel addita, vel in melius mutata, etiam severius & pertinacius excludi. Deniq; versus incrementa, & novas veluti oras & regiones philosophiæ, omnia ex parte Religionis, pravarum suspicionum, & impotentis fastidii plena esse. Alios siquidem simplicius subvereri, ne forte altior in Naturam inquisitio ultra datum & concessum sobrietatis terminum penetret, traducentes non recte ea quæ de divinis mysteriis dicuntur, quorum multa sub sigillo divino clausa manent, ad occulta Naturæ, quæ nullo interdicto separantur: Alios callidius conjicere, si media ignorentur, singula ad manum & virgulam divinam (quod religionis, ut putant, maxime intersit) facilius referri; quod nil aliud est, quam Deo per mendacium gratificari velle. Alios ab exemplo metuere, ne motus & mutationes philosophiæ in Religionem incurrant & desinant. Alios denique sollicitos videri, ne in naturæ inquisitione aliquid inveniri possit, quod Religionem labefactet. Quæ duo cogitata incredulitatem quandam sapiunt & sapientiam animalem: posterius autem absq; impietate ne in dubitationem aut suspicionem venire potest. Quare satis constabat, in hujusmodi opinionibus multum infirmitatis, quin & invidiæ & fermenti non parum, subesse. Naturalem enim philosophiam post verbum Dei certissimam superstitionis medicinam, eandem probatissimum fidei alimentum esse. Itaque merito Religioni tamquam fidissimam & acceptissimam ancillam attribui: cum altera voluntatem Dei, altera potestatem manifestet. Neque errasse eum qui dixerit: *Erratis nescientes scripturas & potestatem Dei*, informationem de voluntate, & meditationem de potestate, nexu individuo copulantem. Quæ licet verissima sint, nihilominus illud manet, in potentissimis naturalis philosophiæ impedimentis, ea quæ de Zelo imperito & superstitione dicta sunt, citra controversiam numerari.

Cogitavit & illud, in moribus & institutis Academiarum, Collegiorum, & similium conventuum, quæ ad doctorum hominum sedes & operas mutuas destinata sunt, omnia progressui scientiarum in ulterius adversa inveniri. Frequentiam enim multò maximam professoriam primo, ac subinde meritoriam esse. Lectiones autem & exercitia ita disposita, ut aliud à consuetis ne facile cuiquam in mentem veniat cogitare. Sin autem alicui inquisitionis & judicii libertate uti contigerit, is se in magna solicitudine versari statim sentiet. Sin & hoc toleraverit, tamen in capessanda fortuna industriam hanc & magnanimitatem sibi non levi impedimento fore experietur. Studia enim hominum in ejusmodi locis in quorundam Authorum scripta veluti relegata esse; à quibus si quis dissentiat, aut controversiam moveat, continuo ut homo turbidus & rerum novarum cupidus corripitur; cum tamen (si quis verus æstimator sit) magnum discrimen inter rerum civilium ac Artium administrationem reperiatur. Non enim idem periculum à nova luce ac à novo motu instare. Verum in rebus civilibus motum etiam in melius suspectum esse ob perturbationem, cum civilia authoritate, consensu, fama, opinione, non demonstratione & veritate constent. In artibus autem & scientiis, tamquam in metalli fodinis, omnia novis operibus & ulterioribus progressibus strepere debere. Atque recta ratione rem se ita habere. In vita autem *visum est ei*, Doctrinarum politiam & administrationem, quæ in usu est, scientiarum augmenta & propaginem, durissime premere & cohibere.

Cogitavit & illud, etiam in opinione hominum & sensu communi, multa ubique occurrere, quæ novas scientiarum accessiones libero aditu prohibeant. Maximam enim partem hominum, præsentibus non æquam, in Antiquitatem propendere

pendere, ac credere, si nobis, qui nunc vivimus, ea sors obvenisset, ut quæ ab Antiquis quæsita & inventa sunt, primi tentaremus, nos eorum pensa longo intervallo non fuisse æquaturos: credere similiter, si quis etiam nunc ingenio suo confisus, inquisitionem de integro suscipere affectet, hunc hujusce rei eventum fore, ut aut in ipsa incidat, quæ ab Antiquitate probata sunt; aut sane in alia, quæ ab Antiquitate jampridem judicata & rejecta in oblivionem meritò cessere. Alios, spreta omnino gente & facultate humana, utriusque temporis, sive antiqui sive novi, in opinionem labi curiosam & superstitiosam; existimantes, scientiarum primordia à spiritibus manasse, & ab eorum dignatione & consortio similiter nova inventa authoramentum habere posse. Alios opinione magis sobria & severa, sed diffidentia graviore, de auctiore scientiarum statu plane desperare, Naturæ obscuritatem, brevitatem vitæ, sensuum fallacias, judicii infirmitatem, & experimentorum difficultates & immensas varietates reputando. Itaq; hujusmodi spei excessus, quæ majora, quàm quæ habemus, spondeat, esse impotentis animi & immaturi, atque læta scilicet principia, media ardua, extrema confusa habere, nec minorem desperationem præmii quam facti esse. Scientias siquidem in magnis ingeniis proculdubio innasci & augeri; pretia autem & æstimationes Scientiarum penes populum aut principes viros, aut alios mediocriter doctos esse. Itaque non eorundem propositionem scientiarum & judicium esse: unde fieri, ut ea tantum inventa vigeant, quæ populari judicio & sensui communi accommodata sunt; ut in *Democriti* opinione de Atomis usu venit, quæ quia paulo remotior erat, lusu excipiebatur. Itaq; altiores contemplationes Naturæ, quas fere Religionis instar, duras sensibus hominum accedere necesse est, oriri aliquando posse, sed fere non multo post (nisi evidenti & excellenti utilitate demonstrentur & commendentur, quod huc usque factũ non est) opinionum vulgarium ventis agitari & exstingui; Adeo ut tempus tanquam fluvius levia & inflata vehere, gravia & solida mergere consueverit. *Visum est ei itaq;* impedimenta melioris scientiarum status non tantum externa & adventitia, sed & innata, & ex ipsis sensibus hausta esse.

Cogitavit & illud, etiam verborum naturam vagam & male terminatam intellectui hominum illudere, & fere vim facere: verba enim certe tanquam numismata esse, quæ vulgi imaginem & principatum repræsentent: Illa siquidem secundum populares notiones & rerum acceptiones (quæ maxima ex parte erroneæ sunt & confusissimæ) omnia componere & dividere; ut etiam infantes, cum loqui discunt, infelicem errorum cabalam haurire & imbibere cogantur. Ac licet Sapientiores & Doctiores se variis artibus ab hac servitute vindicare conentur, nova vocabula fingendo, quod durum, & definitiones interponendo, quo molestum est, nullis tamen viribus jugum excutere posse, quin infinitæ etiam in acutissimis disputationibus controversiæ de verbis moveantur, & quod multo deterius est, istæ ipsæ pravæ verborum signaturæ etiam in mentem radios suos & impressiones reflectant; nec tantum in sermone molestæ, sed etiam judicio & intellectui infestæ sunt. *Itaq; visum est ei*, inter internas causas errorum hanc ipsam ut gravem sane & innoxiam ponere.

Cogitavit & illud, præter communes scientiarum & Doctrinarum difficultates philosophiam naturalem, præsertim activam & operativam, etiam alia propria habere præ judicia & impedimenta. Non parvam enim existimationis jacturam & fidei fecisse per quosdam procuratores suos, leves & vanos, qui partim ex crudelitate, partim ex impostura, humanum genus promissis onerarunt, vitæ prolongationem, senectutis retardationem, dolorum levationem, naturalium defectuum reparationem, sensuum deceptiones, affectuum ligationes & incitationes, Intellectualium facultatum illuminationes, exaltationes, substantiarum transmutationes, motuum ad libitum multiplicationes, aëris impressiones & alterationes, rerum futurarum divinationes, remotarum repræsentationes, occultarum revelationes, & alia complura pollicitando. Verum de istis largitoribus opinari, non multum aberraturum, qui istiusmodi judicium fecerit; Tantum nimirum interesse inter horum vanitates & veras Artes in Philosophia, quantum intersit inter pugnas Julij Cæsaris aut Alexandri; & rursus Amadisii ex Gallia, aut Arthuri ex Britannia, in Historia. Constat enim clarissimos illos Imperatores majora revera præstitisse, quam umbratiles isti Heroës fecisse fingantur; sed modis & viis actionum minime fabulosis & prodigiosis. Itaque æquum non esse fidem veræ memoriæ derogare, quia illa à fabulis quandoq; læsa & violata sit. Nam *Ixionem* è nube *Centauros*, nec ideo minus *Jovem* è vera *Iunone Heben* & *Vulcanum*, virtutes scilicet admirandas & divinas, *Naturæ & Artis*, genuisse. Quæ licet vera comperiantur, & homines absq; rerum discrimine incredulos esse summæ sit imperitiæ: *visum tamen est ei*, veritatis aditum per hujusmodi commenta interclusum aut certe arctatum jampridem esse; & Vanitatis excessus, etiam nunc omnem magnanimitatem destruere.

Cogitavit & illud, reperiri in animo humano inclinationem quandam à Natura insitam, & hominum opinione & disciplina nonnulla corroboratam, quæ Naturalis Philosophiæ, activæ nimirum & operativæ, progressus remorata sit & averterit. Eam esse opinionem sive æstimationem humidam & damnosam, minui nempe majestatem mentis humanæ; si in experimentis & rebus particularibus, sensui subjectis, & in materia terminatis, diu ac multum versetur: Præsertim cum hujusmodi res ad inquirendum laboriosæ, ad meditandum ignobiles, ad dicendum asperæ, ad practicam illiberales, numero infinitæ, & subtilitate pusillæ videri soleant, & ob hujusmodi conditiones, gloriæ Artium minus sint accommodatæ. Quam opinionem sive animi dispositionem, vires maximas sumpsisse ex illa altera opinione elata & commentitia; qua veritas humanæ mentis veluti indigena, nec aliunde commigrans; & sensus intellectum magis excitare, quam informare asserebatur. Neq; tamen errorem hunc, & mentis (si verum nomen quæratur) alienationem ab ijs ulla ex parte correctam, qui sensui debitas, id est primas partes, tribuerunt. Quin & hos quoque exemplo & facto suo,

suo, relicta prorsus Naturali Historia, & mundana perambulatione, omnia in ingenii agitatione posuisse, & inter opacissima Mentis Idola sub specioso contemplationis & rationalium nomine perpetuo volutasse. *Quare visum est ei*, istud rerum particularium repudium & divortium omnia in familia humana turbasse.

Cogitavit & illud, non tantum ex iis, quæ obstant, conjecturam capiendam; fieri enim posse, ut humani generis fortuna istas difficultates, & vincula perfregerit & superaverit. Itaq; illud videndum ac penitus introspiciendum, qualis sit ea Philosophia quæ recepta sit, aut alia quæpiam ex antiquis, quæ instar tabulæ naufragii ad littora nostra impulsa sit. Atq; invenit, Philosophiam Naturalem, quam à Græcis accepimus, pueritiam quandam Scientiæ censeri, atq; habere id quod proprium puerorum est, ut ad garriendum prompta, ad generandum inhabilis & immatura sit. Hujus autem Philosophiæ jam consensu Principem *Aristotelem*, intacta fere ac illibata Natura, in communibus notionibus, atque earum inter se comparatione, collisione & reductione inutiliter versatum esse. Neq; sane quicquam solidi ab eo sperari, qui etiam mundum è Categoriis effecerit. Parum enim interesse, utrum quis materiam, formam, & privationem, an Substantiam, Qualitatem, & Relationem principia rerum posuerit: verum istis sermonibus supersederi oportere. Nam & justam confutationem instituere (cum neque de Principiis, nec de demonstrationum modis conveniat) immemoris esse. Et rursus hominem tantam authoritatem & fere Dictaturam in Philosophia adeptum, per Satyram præstringere, levius pro dignitate sermonis instituti, & tamen superbum fore. Illum sane, Dialecticis rationibus, utpote à se (quod ipse licentius gloriatur) oriundis, Naturalem Philosophiam corrupisse. Verum ut illum mittamus, *Platonem* virum sine dubio altioris ingenii fuisse; ut qui & formarum cognitionem ambiret, & inductione per omnia (non ad principia tantum) uteretur. Sed inutili utrobique ratione, cum inductiones vagas, formas abstractas prensaret & reciperet. Atque hujus Philosophi si quis attentius & scripta & mores consideret, eum de Philosophia naturali non admodum sollicitum fuisse reperiet, nisi quatenus ad Philosophi nomen & celebritatem tuendam, vel ad majestatem quandam moralibus & civilibus doctrinis addendam & adspergendam sufficeret. Eundem Naturam non minus Theologia, quam *Aristotelem* Dialectica inficere: &, si verum dicendum est, tam prope ad Poëtæ, quam illæ ad Sophistæ partes accedere. Atque horum Placita ex ipsis fontibus haurire licere, cum opera eorum exstent. Reliquorum vero, *Pythagoræ, Empedoclis, Heraclii, Anaxagoræ, Democriti, Parmenidis, Xenophanis*, & aliorum, diversam rationem esse, quod illorum opiniones per internuntios quosdam, & famas, & fragmenta solummodo habeamus; atq; idcirco majore inquisitione, ac majore etiam judicii integritate (quæ sortis iniquitatem levet) opus esse. Se tamen cum summa diligentia ac cura, omnem de illis opinionibus auram captasse; ut quidquid de illis, vel dum ab *Aristotele* confutantur, vel dum à *Platone* vel *Cicerone* citantur: vel in *Plutarchi* fasciculo, vel in *Laertij* vitis, vel in *Lucretij* poëmate, vel alicubi in quavis alia sparsa memoria & mentione inveniri possit, evolvisse: & cum fide & judicio librato examinasse. Ac primò sane dubium non esse, quin si opiniones eorum in propriis exstarent operibus, majorem firmitudinem habituræ fuissent, cum Theoriarum vires in apta & se mutuo sustinente partium harmonia, & quadam in orbem demonstratione consistant, ideoque per partes traditæ infirmæ sint: quare non contemptim de illis judicium fecisse. Reperisse etiam inter Placita tam varia, haud pauca in observatione Naturæ, & causarum assignatione non indiligenter notata; alios autem in aliis (ut fere fieri solet) feliciores fuisse. Tantummodo *Pythagoræ* inventa & Placita (licet numeri ejus quiddam physicum innuant) talia majore ex parte fuisse, quæ ad Ordinem potius quendam Religiosorum fundandum, quam ad Scholam in Philosophia aperiendam pertinerent; quod & eventus comprobavit. Nam eandem disciplinam plus in hæresi *Manichæorum* & superstitione *Mahumeti*, quam apud Philosophos valuisse. Reliquos vero Physicos certe fuisse; atque ex iis nonnullos, qui *Aristotele* longe & altius & acutius in Naturam penetraverint. Atque illum scilicet Ottomannorum more in fratribus trucidandis occupatum fuisse; quod & ei ex voto successit. Verum & de *Aristotele*, & de reliquis istis Græcis non dissimile judicium fecit, esse nimirum hujusmodi Placita ac Theorias, veluti diversa diversarum fabularum in theatro argumenta, in quandam verisimilitudinem, alia elegantius, alia negligentius, aut crassius conficta; atque habere quod fabularum proprium est, ut veris narrationibus concinniora & commodiora videantur. Neque in istis tantum exhibitis & publicatis Theoriis, humani ingenii peregrinationes & errores se sistere aut finiri potuisse. Nisi enim mores hominum, & affectus & rerum civilium inclinationes hujusmodi, novitatibus (etiam in contemplativis) adversæ & infensæ extitissent, dubium minime esse, quin & aliæ multæ in Naturali Philosophia sectæ introductæ fuissent. Quemadmodum enim in *Astronomicis*, & iis quibus terram rotari placet, & iis qui per *Eccentricos* & *Epicyclos* motus expediunt, eorum, quæ in cœlis sub sensu apparent, patrocinia, & advocationes æquæ & ancipites sunt; quin & tabularum calculi utrisque respondent: eodem modo & multo etiam facilius esse in Naturali Philosophia complures Theorias excogitare, longe inter se ad invicem differentes, sed tamen singulas sibi constantes, & instantiarum vulgarium, quæ in ejusmodi quæstionibus judicia exercere solent, suffragatione abutentes, atque in diversa trahentes. Neque enim defuisse, qui nostra & Patrum ætate novas Philosophiæ Naturalis fabricas meditati sunt. Nam *Telesium* nostra memoria scenam conscendisse, & novam fabulam egisse, magis argumento probabilem, quam plausu celebrem: & *Fracastorium* non ita pridem licet novam Sectam non elegerit, tamen libertate judicii & inquisitionis honestissime usum esse: *Cardanum* etiam non minus ausum, sed leviorem. Quin & nuper *Gilbertum* nostratem, cum naturam Magnetis laboriosissime, & magna judicii firmitudine & constantia, nec non experimentorum magno comitatu & fere agmine persecutatus esset, statim novæ in philosophia Naturali

Sectæ

Sectæ imminere cœpisse; nec *Xenophanis* nomen in ludibrium versum expavisse, in cujus sententiam inclinabat. Hos itaq;, & si qui sunt, aut erunt horum similes, Antiquorum turbæ aggregandos, unam enim eandemque omnium rationem haberi. Esse nimirum homines secundum pauca pronuntiantes, & naturam leviter attingentes, nec ita se illi immiscentes, ut aut contemplationum veritatem, aut operum utilitatem assequi possint. Credere enim ex tot philosophiis per tot annorum spatia elaboratis & cultis, ne unum quidem experimentum adduci posse, quod ad hominum statum levandum, aut locupletandum spectet, & hujusmodi speculationibus vere acceptum referri possit. Quin contra, *Aristotelis* de quatuor Elementis commentum, cui ipse potius authoritatem quam principium dedit (quod avide à Medicis acceptum, quatuor complexionum, quatuor humorum, & quatuor primarum qualitatum conjugationes post se traxit) tamquam malignum aliquod & infaustum sidus infinitam & Medicinæ, nec non compluribus Mechanicis rebus sterilitatem attulisse; dum homines per hujusmodi concinnitates & compendiosas ineptias sibi satisfieri patientes, nil amplius curant. Quæstionum interim & controversiarum turbas circa hujusmodi philosophias undique sonare & volitare; adeo ut fabula de Scylla in eas ad vivum competere videatur, quæ virginis os & vultum extulit, ad uterum vero monstra latrantia succingebantur & adhærebant. Ita habere & istas Doctrinas quædam primo aspectu speciosa, sed cum ad partes generationis ventum est, ut fructum ex se edant, tum nil præter lites & inquietas disputationes inveniri, quæ partus vicem obtineant. Atque illud interim notandum, quæ de Placitorum rejectione dicta sunt, opinionibus tantum, non ingeniis Authorum aut laboribus derogare. Quanto enim quis ingenio & studio maxime valeat, eundem, si Naturæ lucem & historiam, & rerum particularium evidentiam deferat, tanto magis in obscuriores & magis perplexos phantasiarum & Idolorum recessus & quasi specus se detrudere & involvere. Neq; insuper, generales Philosophiarum Theorias argui, ut particulares & inferiorum causarum assignationes, quæ in hujusmodi Philosophorum operibus reddi & quæri solent, probentur: verum & has nihilo illis meliores esse, non tantum quod ab illis pendeant, sed quod & ipsæ nullam severitatem inquisitionis præ se ferant, ad paulo notiora & fere obvia deducentes, in quibus mens humana leviter acquiescat & sibi complaceat, verum ad interiora Naturæ minime penetrantes. Atque hoc vitii (quod omnium instar est) semper habentes, ut experimenta & effecta jam nota, cohærentiâ quadam & veluti reticulo connectant, ad eorum, quæ nota sunt, justam mensuram facto: sed neutiquam causam aliquam aut regulam demonstrent, quæ nova nec prius cognita effecta aut experimenta designet. Atque post has Philosophiarum oras peragratas, se undique circumspicientem etiam ad Antiquitatis penetralia oculos conjecisse, veluti versus tractum quendam nubilosum & obscurum. Atque scire se, si minus sincera fide agere vellet, non difficile esse hominibus persuadere, apud antiquos Sapientes, diu ante Græcorum tempora, Scientiam de Natura, majore virtute, sed majore etiam fortasse silentio floruisse: atque ideo solennius fore, ea, quæ jam afferuntur, ad illa referre: ut novi homines solent, qui nobilitatem antiquæ alicujus prosapiæ per Genealogiarum rumores & conjecturas sibi affingunt: sed se rerum evidentiâ fretum, omnis imposturæ conditionem recusasse; Et qualemcunque ipse opinionem de illis seculis habeat, tamen ad id quod agitur non plus interesse putare, utrum quæ jam invenientur, Antiquis cognita & per rerum vicissitudines, occidentia & orientia sint: quam hominibus curæ esse debere, utrum novus orbis fuerit Insula illa *Atlantis*, & veteri mundo cognita, an nunc primum reperta. Rerum enim inventionem à Naturæ luce petendam, non ab Antiquitatis tenebris repetendam esse. Interea venire alicui in mentem posse, de *Chymistarum* arte sive Philosophiâ taceri; quod se honoris causa fecisse: quia cum illis Philosophiis, quæ prorsus operum effœtæ sunt, conjungere noluerit; cum ipsa inventa nobilia non pauca exhibuerit & donarit. Verum fabulam illam in hanc artem non male congruere, de sene, qui filiis aurum in vinea defossum (nec satis scire quo loco) legaverit; unde illos ad vineam diligenter fodiendam versos esse, & aurum quidem nullum repertum, sed vindemiam eâ culturâ factam uberiorem. Simili modo & *Chymiæ* filios, dum aurum (sive vere sive secus) defossum invenire satagunt, movendo & experiendo haud parvo proventui hominibus & utilitati fuisse. Sed illorum inventa non alio modo nec ratione aliqua meliore, quam Artium Mechanicarum principia & incrementa cœpisse, id est per experientiam meram. Nam philosophiam & speculativam eorum, rem minus sanam esse; & illis, de quibus locuti jam sumus, philosophiarum fabulis duriorem. Utcunque enim principiorum Trias inventum non inutile fuerit, sed rebus aliqua ex parte finitimum: tamen maxima ex parte, eos paucis destillationum experimẽtis assuetos, omnia in philosophia, ad separationes & liberationes retulisse, verarum alterationum oblitos. Illam autem opinionis fabricam, qua veluti basi eorum philosophia nititur, nempe esse quatuor rerum matrices sive Elementa, in quibus semina & species rerum fœtus suos absolvant, atque hæc quadriformia esse, pro differentia nimirum cujusque Elementi, adeo ut in cœlo, aëre, aqua, terra, nihil inveniatur quod non habeat in tribus reliquis conjugatum aliquod & parallelum: huic certe phantasticæ rerum Naturalium phalangi peritum Naturæ contemplatorem vix inter somnia sua locum daturum. Neque dissimiles esse rerum harmonias, quæ *Naturali Magiæ* cultoribus placuerunt; qui & ipsi per rerum sympathias & antipathias omnia expediunt; & ex otiosis & supinissimis conjecturis, rebus virtutes & operationes admirabiles affingunt. Verum & iis se parcere, quod inter tot fabulas, tamen opera aliquando exhibeant: licet ea fere hujusmodi sint, ut ad admirationem & novitatem, non ad fructum & utilitatem accomodata sint. Sed tamen & novitatis hunc usum plerumque esse, ut sinus Naturæ nonnihil excutiat, & luce saltem, si minus actu, juvet. *Quare visum est ei*, neque

neque in Græcorum, neq; in novorum hominum placitis, neq; in *Alchymiæ* aut *Naturalis magiæ* traditionibus aliquid inveniri, quod ad opes humanas majorem in modum augendas spectet. Itaque hæc omnia vel oblivioni devovenda esse, vel popularibus studiis permittenda, dum veri Scientiarum filii aliò cursum dirigant.

Cogitavit & illud, etiam de Demonstrationum modis videndum: Demonstrationes enim potentiâ quâdam Philosophiam esse: atque prout illæ aut rectæ aut pravæ sint, inde Doctrinas perfectas aut imperfectas sequi, probabile esse. Competit autem, *Demonstrationes*, quæ in usu sunt, nec plenas, nec fidas esse. Neque tamen sensibus derogandum, quod quidam fecerunt. Sensuum enim errores in singulis ad summam scientiarum non multum facere, quin & ab intellectu fideliùs informato, corrigi posse. Sed intellectum ipsum natura sola fretum, sine arte & disciplina, rebus imparem & minorem, sine cunctatione pronunciandum. Neque enim aut ita capacem esse, ut omnigenam particularium supellectilem ad informationem necessariam, recipiat & disponat, neque ita vacuum & purum, ut rerum imagines veras & nativas, absque phantasia & tinctura admittat. Quin certissimum esse, tùm generaliter mentem humanam instar speculi inæqualis esse, quæ rerum radios secundùm propriæ sectionis angulos, & non in superficie plana suscipiat & reflectat: tùm etiam cuique ex educatione, studiis, & natura sua, vim quandam seductoriam, & quasi Dæmonem familiarem adesse, qui mentem variis & vanis spectris ludat & turbet. Neque propterea ad opinionem *Acatalepsiæ* deveniendum. Cuilibet enim manifestum esse, nullâ manus constantiâ, nec oculorum judicio maximè exquisito, lineam rectam, vel circulum perfectum describi posse. Attamen admotâ regulâ, aut circino circumducto, rem præsto esse. Atque in Mechanicis manus hominum nudas ad quantula opera sufficere? easdem vi & ope instrumentorum vastissima quæque ac rursus subtilissima vincere. Sequi igitur ut ad artem confugiendum, & de Demonstratione, quæ per artem regitur, videndum sit. Atque de *Syllogismo*, qui Aristoteli oraculi loco est, paucis sententiam claudendam. Rem esse nimirum, in Doctrinis quæ in opinionibus hominum positæ sunt, veluti moralibus & politicis utilem, & intellectui manum quandam auxiliarem. Rerum verò naturalium subtilitati & obscuritati imparem & incompetentem. Nam Syllogismum certè ex propositionibus constare, propositiones ex verbis, verba notionum sive animi conceptuum testes & signacula esse. Quamobrem notiones ipsæ, quæ verborum animæ sunt, si vagæ, nesciæ, nec satis definitæ fuerint, (quod in Naturalibus longè maxima ex parte fieri consuevit) omnia ruere. Restare *inductionem*, tanquam ultimum & unicum rebus subsidium & perfugium: neque immeritò in eo spes sitas esse, ut quæ operâ laboriosâ & fidâ rerum suffragia colligere, & ad intellectum perferre possit. Verùm & hujus nomen tantummodò notum esse; vim & usum homines hactenus latuisse. De *inductione* enim ita decernendum: In usu ejus atque etiam forma homines dupliciter peccâsse; primò quòd moræ impatientes, & compendia viarum undique lustrantes, & quædam in certo ponere, circa quæ, tanquam circa Polos disputationes verterentur, properantes, eam tantùm ad generalia Scientiarum principia adhibuerunt, media per Syllogismorum derivationes expedire temerè sperantes. Rursus, quòd de Syllogismo accuratè, de hac autem demonstratione cursim & negligenter inquirentes, formam ejusdem meditati sunt admodum simplicem & planè puerilem, quæ per enumerationem tantùm procedat, atque propterea precariò, non necessariò concludat. Itaque cùm circa Demonstrationes talia cogitet, mirum nemini videri posse, si in Philosophia naturali sibi cum aliis, sive veteribus, sive novis, non conveniat. Neque enim fieri posse (quod ille per jocum dixit) ut idem sentiant, qui aquam & qui vinum bibunt. Illos enim liquorem imbibere crudum, & ex intellectu, vel spontè manantem, vel industriâ quadam haustum: se autem liquorem parare & propinare ex infinitis uvis, iisque maturis & tempestivis, & per racemos decerptis & collectis, & subinde in torculari pressis, & in vase repurgatis & clarificatis, constantem, qui tamen ab omni inebriandi qualitate rectificetur, cùm nil prorsus Phantasiarum vaporibus tribuat aut relinquat. *Quare visum est ei*, Philosophias illas, quas jamdudum diximus, non tantùm propter operum sterilitatem, sed etiam propter Demonstrationum infirmitatem & fallacias rejici, cùm non solùm à rebus desertæ, sed & ab auxiliis, quæ sibi paraverunt, destitutæ ac proditæ sint.

Cogitavit & illud, etiam de inveniendi modis, qui in usu sunt, separatim videndum, si modò aliqui sint. In hac enim parte non tàm errores & devia, quàm solicitudinem & vacua inveniri; quòd stupore quodam animum perculerit. Non ulli mortalium cordi aut curæ fuisse, ut ingenii & intellectus humani vires ad Artes & Scientias inveniendas & promovendas dirigeret, eòque viam muniret. Sed omnia vel traditionum caligini, vel argumentorum vestigiis & turbini, vel casus & experientiæ undis & ambagibus permissa esse & permitti. Itaque non sine causa fuisse, quòd apud *Ægyptios* (qui rerum inventores, more apud Antiquitatem recepto, consecrare solebant) tot brutorum effigies in templis reperirentur; cùm animalia rationis expertia, ex æquo ferè cum hominibus naturæ operationum inventores fuerint, neq; ad hoc homines sua prærogativa admodum usi sunt; sed tamen de iis, quæ fiunt videndũ. Et primò de *inveniendi modo* simplici & inartificioso, quod hominibus familiare est, id non aliud esse, quàm ut is, qui se ad inveniendum aliquid comparat & accingitur, primò quæ ab aliis circa illud dicta sint, inquirat & involvat, deinde meditationem propriam addat. Verùm ut quis vel aliorum fidei se committat, vel spiritum suum sollicitet, & ferè invocet, ut sibi oracula pandat, rem prorsus sine fundamento esse, sequi *inventionem*, quæ apud Dialecticos recepta sit. Eam solummodò nomine tenùs, ad id, quod agitur, pertinere. Non enim principiorum & axiomatum esse, ex quibus Artes constant, sed tantùm eorum, quæ illis consentanea videntur. *Dialecticam* enim magis curiosos & importunos & sibi negotium facessentes, ad fidem, & veluti sacramentum cuilibet Arti præstandum,

notissimo responso rejicere. Restare experientiam meram, quæ, si occurrit casus, si quæsita sit, experimentum nominatur. Atque hanc non aliud quàm (quod ajunt) scopas dissolutas esse. Quin & eos qui in aliqua natura vel operatione, per multâ & erraticam quandam experimentorum variationem, revelanda & in lucem educenda sedulò occupati sunt, aut attonitos stare, aut vertiginosos circumire, aliquando gestientes, aliquando confusos atque semper invenire quod ulteriùs quærant. Neque prorsus aliter fieri posse. Insciam enim & imperitam valdè cogitationem esse, alicujus rei naturam in se ipsa perscrutandi: eandem enim naturam in aliis latentem, in aliis manifestam & quasi palpabilem esse; atque in illis admirationem, in his ne attentionem quidem movere: veluti eam corporum naturam, quę separationi resistit, in aquarum bullis rem sanè subtilem & ferè ingeniosam videri, quæ hujus rei gratia in pelliculas quasdam in hæmisphærii formam effictas se conjiciunt. Eandem in ligno vel lapide non magnoperè notari, sed solidi appellatione transmitti. *Quare visum est ei*, hominibus non tàm ignorantiam, quàm infelicitatem quandam imputari, cùm à curriculo & via per infortunium aut blandimenta deflexerint, non in ejusdem spatiis minùs se strenuos præstiterint.

Cogitavit & illud, finem aliquando desperationi, aut saltem querimoniis imponendum: ac illud potiùs videndum, an omninò cessandum, & iis, quę habemus, utendum sit, an aliquid, ut meliùs res procedant, tentandum & moliendum. Ac primum finis ipsius & propositi meritum & pretium intueri par esse, ut in materia dura & opere arduo major fiat industriæ accensio. Veniebat autem ei in mentem, antiquis seculis, rerum inventoribus (modum excedente hominum affectu & impetu) divinos honores attributos esse. Iis autem qui in rebus civilibus merebantur, quales erant urbium & Imperiorum conditores, legislatores, Patriarum à diutinis malis liberatores, Tyrannidum debellatores, & his similes, intra Heroum modum honores stetisse. Nec immeritò hanc distinctionem priscis illis temporibus invaluisse, cùm illorum beneficia ad universum genus humanum, horum ad certas regiones & definitas hominum sedes pertinerent: illa insuper sine vi aut perturbatione humanam vitam bearent; hæc verò non absque tumultu & violentia ferè introducta sint. Quòd si particularis alicujus inventi utilitas ita homines affecerit, ut eum, qui universum genus humanam unico aliquo beneficio complecti posset, homine majorem putarent. At multò celsius inventum esse, quod alia omnia inventa particularia potentiâ quadam in se contineat, ac animam humanam carceribus liberet, eique vias aperiat, ut ad nova & ulteriora quæque ductu certo & recto penetrare possit. Quemadmodum enim seculis prioribus, cùm homines in navigando per stellarum tantùm observationes cursum dirigebant, eos veteris sanè Continentis oras legisse, aut maria aliqua minora & mediterranea trajecisse: necesse autem fuisse, usum acus nauticæ, ut ducem vię magis fidum, innotuisse antequam Oceanus trajiceretur, & novi Orbis regiones detegerentur. Simili prorsus ratione, quæ huc usque in artibus & scientiis hominum inventa sunt, potuisse instinctu, usu, observatione, meditatione, aperiri, utpotè sensui propiora. Antequam verò ad remotiora & occultiora naturæ appellere liceat, necessariò præcedere, ut melior & perfectior mentis humanæ usus & adoperatio inveniatur. Quare hujuscemodi inventum procul dubio temporis partum nobilissimum, & verè masculum esse. Rursus in Scripturis sacris notabat, Salomonem Regem, cùm imperio, auro, magnificentia operum, satellitio, famulitio, servorum & famulorum pulcherrima descriptione & ordine, classe insuper, nominis claritudine, & summa hominum admiratione floreret, nil horum tamen sibi gloriæ duxisse, verùm ita pronunciâsse: *gloriam Dei esse, rem celare, gloriam Regis autem, rem invenire*: non aliter ac si divina natura innocentis & benevolo puerorum ludo delectaretur, qui ideò se abscondunt, ut inveniantur; ac animam humanam sibi collusorem in hoc ludo, pro sua in homines indulgentia & bonitate optaverit. Atque hanc inveniendi gloriam eam esse, quæ humanam naturam nobilitet, nec interim cuiquam mortalium molesta sit (ut civilia esse solent) nec conscientiam in aliquo remoretur aut mordeat, sed omninò meritum & beneficium sine alicujus pernicie, injuria aut tristitia, deferat. Lucis enim naturam puram & absque maleficio esse; usum ejus perverti, ipsam non pollui. Rursus etiam hominum studia & ambitiones reputans, *tria ambitionis genera* reperiebat, si modò uni ex iis id nomen imponere fas sit; *Primam* eorum, qui ad propriam potentiam in Patriis suis amplificandam, magnâ contentione feruntur: atque hanc vulgarem esse & degenerem. *Secundam* eorum, qui Patriæ suæ potentiam inter humanum genus provehere nituntur, quæ sanè plus habet dignitatis, cupiditatis haud minùs. *Tertiam* eorum, qui hominis ipsius, sive humani generis potentiam & imperium in rerum Universitatem instaurare & attollere conantur, quæ reliquis procul dubio & fanior est & angustior. Hominis autem imperium solâ scientiâ constare, tantum enim potest, quantum scit: nequeullas vires naturalium causarum catenam perfringere posse: naturam enim non aliter quàm parendo vinci. Cogitabat etiam & animo volvebat, qualia sint, quæ de virtute ac vi inventorum tàm simplici & mera, quàm ea, quæ cum merito & beneficio conjuncta sit, cogitationem subire possunt. Ac illam quidem non in aliis manifestiùs occurrere, quàm in tribus illis inventis, quæ & ipsa antiquis incognita, & quorum primordia etiam nobis obscura & ingloria sunt; *Artis* nimirum *imprimendi, pulveris Tormentarii, & Acus nauticæ*. Hæc enim tria, numero scilicet pauca, ac inventu non multùm devia, rerum faciem, & statum in orbe terrarum mutâsse: *Primum in re literaria, secundum in re bellica, tertium in re navali*, unde infinitas rerum mutationes secutas esse, attentiùs intuentibus conspicuas; ut non imperium aliquod, non secta, non stella majorem efficaciam & quasi influxum in res humanas habuisse videatur, quàm ista mechanica habuerunt. Quod autem ad merita attinet, id optimè percipi, si quis consideret, quantum intersit inter hominum vitam in excultissima aliqua Europæ provincia, & in regione aliqua novæ Indiæ maximè fera & barbara. Tantum sanè, ut meritò hominem homini Deum esse, non solùm ex auxilio & beneficio, sed ex status comparatione dici possit. Atque hoc non solum, non

cœlum,

cœlum, non corpora sed artes præstare. At non novum orbem scientiarum, & novum orbem terrarum in eo conventuros, ut vetera novis sint longè cultiora. Quin contrà necesse esse, accessiones artium, iis, quæ jam habemus, multò se ostendere præstantiores, ut quæ naturam non leviter inflectere, sed vincere & subigere, & in imis fundamentis concutere possint: ferè enim perpetuò fieri, ut quod inventu sit obvium, id opere sit infirmum, cùm radices demum rerum virtute validæ, eædem situ abditę sint. Si quis autem sit, cui in contemplationis amorem & venerationem effuso, ista operum frequens, & cum tanto honore mentio, quiddam asperum & ingratum sonet, is pro certo sciat, se propriis desideriis adversari; etenim in natura, opera, non tantùm vitæ beneficia, sed & veritatis pignora esse. Et quod in religione verissimè requiritur, ut fidem quis ex operibus monstret; idem in naturali Philosophia competere, ut scientia similiter ex operibus monstretur. Veritatem enim per operum indicationem, magis quàm ex argumentatione, aut etiam ex sensu & patefieri & probari. Quare unam eandemque rationem, & conditionis humanæ, & mentis dotandæ esse. *Itaque visum est ei*, quæ de finis, quem animo metimur & destinamus, dignitate dicta sunt, ea non verbis in majus aucta, sed vero minora esse.

Cogitavit & illud, quæ de finis excellentia dicta sunt, posse votis similia videri. Itaque videndum sedulò, quid spei affulgeat, & ex qua parte se ostendat: ac curandum, ne rei optimæ ac pulcherrimæ amore capti, severitatem judicii amittamus aut minuamus. Consentaneum enim esse, prudentiam civilem in hac parte adhibere, quæ ex præscripto diffidit, & de humanis in deterius conjicit. Leviores igitur spei auras rejiciendas; eas autem quæ aliquid firmitudinis habere videntur, discutiendas. Atque auguria ritè capienti, primò illud occurrebat, hoc quod agitur, ob boni naturam eminentem manifestè à Deo esse; atque in operibus divinis tenuissima quæq; principia eventum trahere. Etiam ex natura temporis benè ominabatur: omnium enim consensu veritatem temporis filiam esse. Summæ igitur infirmitatis & pusillanimitatis esse, Authoribus infinita tribuere, Authori autem Authorum, atque omnis authoritatis tempori, jus suum denegare. Neque solùm de temporis communi jure, sed & de nostræ ętatis prerogativa benè sperabat. Opinionem enim, quam homines de antiquitate fovent, negligentem esse, ac vix verbo ipsi congruam. Antiquitatem enim propriè dici mundi ipsius senium, aut ætatem provectiorem. Atque reverà consentaneum esse, quemadmodum majorem rerum humanarum notitiam & maturius judicium ab homine sene expetamus, quàm à juvene, ob experientiam, & eorum quę vidit & audivit & cogitavit multitudinem: eodem modo & à nostra ætate (si vires suas nosset, & experiri & intendere vellet) majora quàm à priscis temporibus sperari par esse; utpotè ætate mundi grandiore, & infinitis experimentis & observationibus cumulata & aucta. Neque pro nihilo æstimandum, quòd per longinquas illas navigationes & peregrinationes, quæ ætate increbuerunt, plurima in natura patuerunt, quæ novam Philosophiæ lucem affundere possint. Quin & turpe hominibus esse, si globi materialis tractus, terrarum videlicet, marium, astrorum, nostris temporibus in immensum aperti & illustrati sint: Globi autem Intellectualis fines intra veterum inventa & angustias steterint. Etiam temporum conditionem in Europa, civilium rerum respectu, non alienam esse. Aucta Anglia, pacata Gallia, lassata Hispania, immota Italia & Germania. Itaque libratis Regum maximorum potentiis, & incusso nationum nobilissimarum statu, res ad pacem, quæ scientiis instar tempestatis serenæ & benignæ est, inclinare. Neque ipsum rei literarię statum hisce temporibus incommodum esse: sed & quandam opportunitatem præ se ferre, tùm ob imprimendi artem antiquis incognitam, cujus beneficio singulorum inventa & cogitata fulguris modo transcurrere queant, tùm ob Religionis controversias, quarum tædio fortasse homines ad Dei potestatem, sapientiam, & bonitatem in operibus suis contemplandam, faciliùs animum adjicere possint. Si quis autem sit, qui consensu & temporis diuturnitate in veterum placitis moveatur, is, si in res acutiùs introspiciat, ductores admodum paucos, reliquos sectatores tantùm & numerum esse reperiet. Homines nimirum, qui ab ignorantia ad præjudicium transierunt, neque in verum consensum (qui interposito judicio fit) unquam coierunt. Atque ipsam temporis diuturnitatem rectè consideranti in angustias parvas redigi. Nam ex viginti quinque annorum centuriis, in quibus memoria hominum ferè versatur, vix quinque centurias seponi, quæ scientiarum proventui utiles & feraces fuerint, easque ipsas longè maxima ex parte aliis scientiis, non illa de natura satas & cultas fuisse. *Tres enim doctrinarum revolutiones* & periodos numerari: *Unam apud Græcos, alteram apud Romanos, ultimam apud Occidentales Europæ nationes.* Reliqua mundi tempora, bellis & aliis studiis occupata, & quoad scientiarum segetem, sterilia & vasta inveniri. Atque de tempore sic cogitabat: Etiam ex casus vi & natura hujusmodi divinationem sumpsit. Casum nimirum procul dubio multis inventis principium dedisse, sumptâ ex natura rerum occasione. Num ideò in ignis invento Prometheum novæ Indiæ ab Europæo dissensisse, quòd apud eos silicis non est copia. Itaque in his, quæ præsto sunt, casum largiùs inventa exhibere, in iis, quæ ab usu quotidiano semota sunt, parciùs, sed utcunque omnibus seculis parturire & parere. Neque enim causam videri, cur casus consenuisse putetur, aut effœtus jam factus. Igitur ita cogitabat, si hominibus non quærentibus & aliud agentibus multa inventa occurrunt, nemini sanè dubium esse, quin iisdem quærentibus, idque viâ & ordine, non impetu & desultoriè, longè plura detegi necesse sit. Licèt enim semel aut iterum accidere possit, ut quispiam in id forte fortuna incidat, quod magno conatu scrutantem anteà fugit, tamen in summa rerum procul dubio contrarium inveniri. *Casum enim* operari rarò, & ferò, & sparsim; *Artem* contrà constanter, & compendio, & turmatim. Etiam ex inventis ipsis, quæ jam in lucem prodita sunt, de iis, quæ adhuc latent, conjecturam rectissimè capi putabat. Eorum autem nonnulla ejus esse generis, ut antequam invenirentur, haud facilè cuiquam in mentem venisset, de iis aliquid suspicari. Solere enim homines de novis rebus ad exemplum veterum, & ad phantasiam ex iis

præceptam hariolari: quod opinandi genus fallacissimum est, quandoquidem ea, quæ ex rerum fontibus petuntur, per rivulos consuetos non utique fluunt: veluti si quis ante tormentorum igneorum inventionem, rem per effectus descripsisset, atque ita dixisset, Inventum quoddam detectum esse, per quod muri & munitiones quæque maximæ ex longo intervallo quaterentur & dejicerentur; homines sanè de viribus tormentorum & machinarum per pondera, & rotas, & similia multiplicandis, multa & varia commentaturos fuisse; de vento autem igneo, vix unquam imaginationem aliquam occursuram fuisse, ut cujus exemplum non vidissent, nisi fortè in terræ motu aut fulmine, quæ ut non imitabilia rejecissent. Eodem modo si ante fili bombycini inventionem quispiam hujusmodi sermonem injecisset: esse quoddam fili genus ad vestium & supellectilis usum, quod filum lineum aut laneum longè tenuitate ac nihilominùs tenacitate, ac etiam splendore & mollitie excelleret, homines statim aut de serico aliquo vegetabili, aut de alicujus animalis pilis delicatioribus, aut de avium plumis & lanugine aliquid opinaturos fuisse: de vermis autem alicujus textura, eaq; tàm copiosa & anniversaria, nil cogitaturos. Quòd si quis etiam de vermi verbum aliquod emisisset, ludibrio certè futurũ fuisse: ut qui novas aranearum operas somniaret. Quare eandem & eorum, quæ in sinu naturæ adhuc recondita sunt, magna ex parte, rationem esse, ut hominum imaginationes & commentationes fugiant & fallant. Itaque sic cogitabat; si cujus spem de novis inventis cohibeat, quòd sumpta ex iis quæ præsto sunt conjectura, ea aut impossibilia, aut minùs verisimilia putet, eum scire debere, se non satis doctum ne ad optandum quidem commodè & appositè esse. Sed rursus cogitabat, esse ex jam inventis alia, diversæ & ferè contrariæ naturæ, quæ fidem faciant, posse genus humanum nobilia inventa, etjam ante pedes posita, præterire & transmittere. Utcunque enim pulveris tormentarii, vel fili bombycini, vel acus nauticæ, vel sacchari, vel similia inventa quibusdam rerum & naturæ proprietatibus niti videantur; imprimendi certè artem nihil habere, quod non sit apertum, & ferè obvium, & ex anteà notis conflatum. Solere autem mentem humanam in hoc inventionis curriculo, tàm lævam & malè compositam esse, ut in nonnullis primò diffidat, & non multò pòst se contemnat: atque primò incredibile videri, aliquid tale inveniri posse: postquam autem inventum sit, rursus incredibile videri, id homines tàm diu fugere potuisse. Atque hoc ipsum quoque ad spem trahebat, superesse nimirum adhuc magnum inventorum cumulum, qui non solùm ex operationibus incognitis eruendis, sed & ex jam cognitis transferendis & applicandis deduci possit. Etiam illa auspicia ut bona & læta accepit, quæ in artibus Mechanicis observavit, atque eorum successu, præsertim ad Philosophiam comparato. Artes enim Mechanicas ut auræ cujusdam vitalis participes, quotidiè crescere & perfici; Philosophiam verò statuæ more adorari & celebrari, nec moveri. Atque illas in primis authoribus rudes & ferè informes ac onerosas se ostendere: Posteà novas vires & commoditates adipisci. Hanc autem in primo quoque authore maximè vigere, ac deinceps declinare. Neque aliam hujus contrarii successus causam veriorem esse, quàm quòd in Mechanicis multorum ingenia in unum coëunt; in Philosophia autem singulorum ingenia ab uno quopiam destruuntur. Nam postquam deditiii facti sunt, amplitudinem non addere, sed in uno ornando aut stipando servili officio occupari. Quare omnem Philosophiam ab experientiæ radicibus, ex quibus primùm pullulavit, & incrementum cepit, avulsam, rem mortuam esse. Atque hac cogitatione arrectus, etiam illud notavit; *facultates Artium* & Scientiarum *aut Empiricas, aut Rationales*, sive Philosophicas omnium consensu esse: has autem se non benè adhuc commissas & copulatas videre. *Empiricos* enim formicæ more congerere tantùm & uti: *Rationales* autem aranearum more telas ex se conficere. Apis verò rationem mediam esse, quæ materiam ex floribus tàm horti, quàm agri eliciat, sed eam etiam propriâ facultate vertat & digerat. Neque absimile veræ Philosophiæ opificium esse; quæ ex historia naturali & mechanicis experimentis præbitam materiam non in memoria integram, sed in Intellectu mutatam & subactam reponit. Neque se nescire, esse ex Empiricorum numero, qui se non merè Empiricos haberi volunt, & ex Dogmaticis, qui se in experientia industrios & perspicaces videri ambiunt: verùm hæc fuisse & esse quorundam hominum artificia, existimationem quandam, ut alteruter in sua secta excellere videatur, captantium: Reverà autem harum facultatum divortia & ferè odia semper valuisse. Quare ex arctiore earum & sanctiore fœdere omnia fausta & felicia portendi putabat. Etiam illud libenter vidit: Intuebatur nempe infinitas ingenii, temporis, facultatũ expensas, quas homines in rebus & studiis (si quis verè judicet) inutilibus collocant, quarum pars quota si ad sana & solida verteretur, nullam non difficultatem superare posset. Neq; esse quòd homines particularum multitudinem reformident, cùm artium phænomena manipuli instar sint ad ingenii commenta semel ab evidentia rerum disjuncta & distracta. Atq; hæc quæ dicta sunt singula, impulsum quendam ad spem faciendam, habere: ante omnia autem certissimam spem esse, ex præteriti temporis erroribus. Atque (quod etiam quispiam de civili statu non prudenter administrato dixit) *quod ad præterita spectando pessimum, id ipsum ad futura optimum esse.* Cessantibus enim hujusmodi erroribus (ad quod ipsa monita primum gradum præstant) maximam rerum conversionem fore. Quòd si homines per tanta annorum spatia viam tenuissent, nec tamen ulteriùs progredi potuissent, ne spem quidem ullam subesse potuisse. Tunc enim manifestum fuisse, difficultatem in materia & subjecto (quæ nostræ potestatis non sint) non instrumento (quod penes nos est) hoc est, in rebus ipsis earumq; obscuritate; non in animo humano & ejus adoperatione esse. Nunc autem apparere, viam non aliquâ mole aut strue imperviam, sed ab humanis vestigiis deviam esse: Itaque solitudinis metum paulisper offundere, nec ultra minari. Postremò & illud statuit, si spei multò imbecillior & obscurior aura ab isto novo Continente spiraverit, tamen experiundum fuisse. Non enim pari periculo rem non tentari & non succedere: cùm in illo ingentis boni, in hoc pusillæ humanæ operæ jactura vertatur. Verũ & dictis & non

dictis

dictis visum est ei, spei abunde esse, non tantùm homini industrio ad experiendum, sed etiam prudenti & sobrio ad credendum.

Cogitavit & illud, studio accenso & spe factâ, de modis perficiendi videndum esse. Hinc itaque sunt, quæ ei circa hæc generaliter visa sunt: Quæ etiam nudis & apertis sententiis claudere & complecti consentaneum putavit. Visum est ei, planè ab iis quæ jam facta sunt, diversa facienda, itaque rerum pręteritarum redargutionem, ad futura vice oraculi fungi. Visum est ei, Theorias & opiniones, & notiones communes, quantum rigore mentis & constantiâ obtineri potest, penitùs aboleri, & intellectum planum & æquum, ad particularia de integro accedere, ut ferè non alius ad regnum naturæ, quàm ad regnum cœlorum pateat aditus; ad quod nemini, nisi sub persona infantis ingredi liceat. Visum est ei, particularium sylvam & materiem, & humero, & genere, & certitudine, aut subtilitate ad informationem sufficientem colligi & congeri, tum ex naturali historia, tum ex experimentis mechanicis, atque ex iis potissimùm, quia natura pleniùs se prodit, cùm ab arte tenetur & urgetur, quàm in libertate propria. Visum est ei, eandem materiam eâ ratione in tabulas atque in ordinem redigi & digeri, ut intellectus in eam agere, atque opus suum exequi possit; cùm nec verbum divinum in rerum massam absq; ordine operatum sit: visum est à particularibus in tabulas relatis, ad novorum particularium inquisitionem minimè confestim transeundum (quod tamen & ipsum res utilis sit, & instar experientiæ cujusdam literatæ,) sed ad generales & communes comprehensiones priùs procedendum, & naturali sanè intellectus processui eatenùs indulgendum. Sed simul visum est ei, intellectus motum & impetum naturalem, sed pravum, à particularibus ad comprehensiones superiores & magis generales (qualia sunt principia, quæ vocant artium & rerum,) saliendi, & reliqua descendendo per media expediendi omninò cohibendum: sed comprehensiones proximas primò, ac deinceps medias eliciendas & inveniendas, atque per gradus continuos, & scalam veram adscendendum: ferè enim contemplationum & intellectus vias in bivium, illud moralium Antiquis decantatum coincidere: Alteram enim viam primo ingressu planam, ad avia ducere; alteram à principio arduam & suspensam in plana desinere. Visum est ei, talem inductionis formam introduci, quæ ex aliquibus generaliter concludat; ita ut instantiam contradictoriam inveniri non posse, demonstretur; ne fortè secundùm pauciora quàm par est, & ex iis, quæ præstò sunt, pronunciemus, & (quod unus ex antiquis dixit) scientiam in mundis propriis, & non in mundo communi quæramus. Visum est ei, eam tantùm comprehensionem probari & recipi, quæ non ad mensuram facta sit, & aptata particularium ex quibus elicitur, sed amplior & latior sit, eamque amplitudinem sive latitudinem suam ex novorum particularium designatione, quasi fidejussione quadam firmet. Ne vel in jam notis tantùm hæreamus, vel laxiore fortasse complexu umbras & formas abstractas prensemus. *Visum est ei*, multa præter hæc inveniri, quæ non tàm ad perfectionem rei, quàm ad operis compendium, ac etiam ad messem humanam inde accelerandam insigniter faciant. Quę omnia utrùm rectè cogitata sint an secus, ab opinionibus (si opus sit) provocandum & effectis standum.

Cogitavit & illud, rem, quam agit, non opinionem, sed opus esse, eaque non Sectæ alicujus aut placiti, sed utilitatis & amplitudinis immensæ fundamenta jacere. Itaque de re non modò perficienda, sed & communicanda & tradenda (quâ par est curâ) cogitationem suscipiendam esse. Reperit autem, homines in rerum scientia, quam sibi videntur adepti, interdum proferenda, interdum occultanda, famæ & ostentationi servire: quin & eos potissimùm, qui minùs solida proponunt, solere ea, quæ adferunt, obscurâ & ambiguâ luce venditare, ut faciliùs vanitati suæ velificare possint. Putare autem, se id tractare, quod ambitione aliquâ, aut affectatione polluere minimè dignum sit: Sed tamen necessariò eò decurrendum esse, (nisi fortè rerum & animorum valdè imperitus esset, & prorsus inexploratò viam inire vellet) ut satis meminerit, inveteratos semper errores, tanquam phreneticorum deliramenta, arte & ingenio subverti, vi & contentione efferari. Itaque prudentia ac morigeratione quadam utendum, (quanta cum simplicitate & candore conjungi potest,) ut contradictiones antè exstinguantur quàm excitentur. Ad hunc finem parare se de natura opus, quòd errores minimâ asperitate destruere, & ad hominum sensus non turbidè accedere possit: quod & faciliùs fore, quod se non pro duce gesturus, sed ex natura ipsa lucem prębiturus & sparsurus sit, ut duce posteà non sit opus. Sed cùm tempus intereà fugiat, & ipse rebus civilibus plus, quàm vellet, immistus esset, id longum videri: præsertim cùm incerta vitæ cogitaret, & aliquid in tuto collocare festinaret. Venit ei itaque in mentem, posse aliquid simpliciùs proponi, quod in vulgus non editum, saltem tamen ad rei tàm salutaris abortum arcendum satis fortasse esse possit. Atque diu & acriter rem cogitanti & perpendenti, *ante omnia visum est ei*, Tabulas inveniendi, sive legitimæ Inquisitionis formulas, hoc est, materiem particularium ad opus intellectus ordinatam, in aliquibus subjectis proponi, tanquam ad exemplum, & operis descriptionem ferè visibilem. Neque enim aliud quicquam reperiri, quod aut vera viæ, aut errorum devia in clariore luce ponere, aut ea quæ afferuntur, nihil minùs quàm verba esse, evidentiùs demonstrare possit: neque etiam quod magis fugiendum esset, ab homine, qui aut rei diffideret, aut eam in majus accipi, aut celebrari cuperet. Fieri autem posse, ut si destinata perficere non detur, ut sunt humana tamen ingenia firmiora & sublimiora, etiam absque majoribus auxiliis ab oblatis monita, reliqua ex se & sperare, & potiri possint. Ferè enim se in ea esse opinione, nempe (quod quispiam dixit) prudentibus hæc satis fore, imprudentibus autem ne plura quidem. Visum est autem, nimis abruptum esse, ut à Tabulis ipsis docendi initium sumatur. Itaque idonea quædam præfari oportuisse, quod & jam se fecisse arbitratur; nec universa quæ huc usque dicta sunt, aliò tendere. Postremò visum est ei, si quid in his, quæ dicta sunt, aut dicentur, boni inveniatur, id tanquam adipem sacrificii Deo dicari, & hominibus ad Dei similitudinem, sano affectu & charitate hominum bonum procurantibus.

EPISTOLA
THOMAE BODLEI
Ad
FRANCISCUM BACONUM,
Quâ candidè exponit ejus

COGITATA ET VISA.

Latinè versa ex Anglico,
Ab
ISAACO GRUTERO.

FInito, quod mihi ſtatueram, tempore, cùm laxiùs te feriari opinarer, bis terve in procinctu ſteti, ut gratias acturus te adirem, potiùs id à me fieri debere ratus coram, quàm per literas. Sed propoſito ſemper injecta fuerunt obſtacula, ut & nunc *Felhami* me detinet gravioris momenti negotium, quod ſententiam quoque meam ſcripto mandandam perſuaſit. Non dubitas, quin *Cogitata & Viſa* tua legerim, teſtor id factum à me ſumma cum voluptate, cùm id præcipui amoris argumentum interpreter, quòd habeas me in tuorum numero, quibus cenſendos offers ingenii tui nondum evulgatos labores. Quo nomine fer me quæſo hæc dicentem. Primo, ſi intimo erga te affectui, ingenium tuum, actiones & ſermones id pretium diceretur, quod tui in me amoris eſt, liceret hæc mutuis illigata complexibus ſociari. Sed omnis excluditur paritas, ubi ea ſortis noſtræ diſparitas eſt, & tàm longè diffident, quibus favor utrinque noſter probare ſe nititur. Me itaque quod attinet, ex ſeſe illa æſtimari permitto, & æterno obſervantiæ nexu habebis me tibi devinctiſſimum. Ad operis tui argumentum ut accedam, eſt id ampla maximè inſignium ſpeculationum congeries, ut in admirationem me rapiat, (quâ perpetuò me defixum tenebis) quòd civilibus negotiis occupatiſſimus & ſummè accíti otii, quibus nullum prorſus cum declamatis in Schola dogmatibus commercium eſt, quicquid tamen optimæ frugis recondunt Scientiarum præcipuæ, id omne accuratiſſimo ſelectu tranſtuleris in Libri tui materiam. Quamquam enim alicubi prorſus declines à trita & pervulgata in Scholis docendi ratione, quæ apud nullius non gentis & ſeculi Sapientes habita fuit unica veri norma; tamen & in illis & quicquid toto moliris opere artificè te nobis probas verſatili dexteritate. De me id fateor exerte, ſi inſtitutum ſpectetur quâ in eruditionis latifundia excurrit, excerpendum me literatorum gregi. Cùm tamen ita promptè vocatis ad tui tractatus cenſuram amicis audire libenter velle videaris, ſi quid mihi aut aliis occurrerit decretorio confodiendum ſtilo, eo me redactum ſentio, ut judicium meum diſſimulare non liceat, apertèque conteſtor ex eorum me numero, qui ſolidiora eſſe ſtatuunt artium noſtrarum fundamenta, quam tota diſſertationis tuæ ſeries admittit. Primò enim, cùm objicis ſiniſtros eventus & errores practicæ Medicinæ, non ignoras mali id redundare ex neglecta artis regula. Nam ne centeſimus quidem medicæ cautionis obſervantem ſe præbet, & ea aliquando ægri corporis conſtitutio eſt, ut exactè doceri Medicum non patiatur. Paucos enim reperias, qui rebus ſic ſeſe habentibus rectè ſe explicent. Eſt & ubi malum ex ſe arti cedere neſcit, quod in multis morbis accidens eſſe nôſti; quandoque & in abdito cauſa, quam nullæ deprehendunt conjecturæ. Quicquid ſit; ego mihi perſuadeo, illud practicæ Medicinæ (prout hodie exercetur,) probrum refundi in profitentium incuriam, aut inſcitiam, aut aliam ingenii mei caliginem, quòd minùs felices habeat ſucceſſus. Pauci enim Medicos agentium, ita in arte ſua exercitati ſunt, ut quidem quæ ex arte præſcribunt, flagitant. Atque hæc licèt ad eam perfectionem non aſſurgat, admirandis tamen ſanitatis adminiculis abundat, ut per tot ſeculorum decurſum exploratiſſimę fidei docuerunt experimenta, quæ regiam velut viam pandunt ad commendatiſſimam per te quoque ſcientiam. Alchymia & Magia axiomatibus quibuſdam conſtant ſanè dignis, quæ aſſenſum impetrent. Sed tota Artificum induſtria ita ſubtilitatem & impoſturas miſcet, ut non tantùm fraus & fraudum fabri contemptum incurrant, ſed & ludibriis excipiantur. Atque hîc ut in ſolido locetur quod inſtituti tui pars eſt potiſſima, videntur mihi exempla tua fuiſſe petenda, ex iis, quæ liberales tradunt ſcientiæ, ſepoſitis, quæ ſunt de raro contingentibus, & ut in confeſſo eſt, facilè refutari poſſunt, ſed convertendam fuiſſe cenſorii ſtili aciem, in ea, quæ generalia præſtruunt, & tamquam non ſubvertenda Axiomata & Canones defenderunt nobiliſſima omnis ævi ingenia. Apud Eruditos enim nil certius, quàm illud artium genus, cui Scholaſtica olim natio nomen dedit *Quadriviales*, poſitiones ſuas per irrefutabiles demonſtrationes aſſeruiſſe. In aliis quoque *Triviales* dictis eæ nobis ſuperſunt regulæ velut per manus traditæ, quæ plerumque ſine ſuo, in quem ſcientia quæque collineat, non excedunt. Jam verò ſi nos conſilio tuo ductiles præbeamus, id eſt, communes notiones homini inſitas exuamus, deletiſque omnibus actionibus noſtris, operibus & maximis repuerafcere conemur, quò liceat intrare *regnum naturæ*, ut ex S. Codicis præſcripto enitendum nobis eſt ad *regnum cœlorum*, me quidem judice, nihil certius eſt, quàm ſic præcipiti gradu eundum eſſe in barbariem, unde poſt aliquot ſeculorum millia nihilo inſtructiores emergamus Theoreticis adjumentis, quàm nunc ſumus. Nam ita demum verè ſecundam ordiremur pueritiam facti *tabulâ raſâ*, ubi deletis priorum principiorum veſtigiis, reſuſcitare jubemur novi mundi primordia, & ab experimentis operum & ſenſuum (hanc enim in particularibus inſiſtis probandi viam) colligere, quod in intellectu efformetur in notionem generalem, ex decantato illo apud omnes effato, *in intellectu nihil eſſe, quod non prius fuerit in ſenſu*. Neque veriſimilitudine careat, poſſe nobis evenire, ut ſi ratio ineatur eruditionis, cum

cùm finienda erit Platonici anni revolutio, longè ea infra istud, quo nunc censetur, pretium decrevisse videri possit. Quòd doctrinam nobis spondes excellentiorem, quàm hodie inter nos viget, ab experimentis petendam, si latentes naturæ sinus pertentare & aperire liberet, stabilitâ in particularibus fide, non magis ad rem facit, quàm si eò incites, quò naturalis hominem instinctus rapit sine admotis exteriùs hortationibus. Neque enim aliud patitur ratio, quàm ut infinita sint membra in omnibus mundi partibus. (Neque enim hîc cogitationes nostræ intra Europæ terminos cohibendæ sunt,) quæ viam insistunt quò digitum intendis, tàm acri & sollicitâ diligentiâ, ut magis intendi nequeat industria. Omnibus enim insita est sciendi cupiditas, non ita exsatianda, quin exardescat vehementiùs, ut hydrops sibi indulgens crescit. Sed quomodo aures præbituros persuadere paranti, everteñdas prorsus quibus solidè constitutis inhærent sententias, & universim admissa Theorica, tàm suis, quàm Majorum experimentis superexstructa, non video adferri quo inducar ut credam. Porrò asserere mihi licet non invita, ut opinor, probabilitate, si tacitas intra cogitationes ad examen revocetur, quantum exuberent naturæ documenta usu comperta per totum, quà expanditur, Universum, quinque aut sex ista, quæ venditas, selecta & à te probata, & hodiernæ curiositati deberi vis, miserè se tuerentur inter aliquot centena naturæ arcana, quibus in lucem quotidie protrahendis aut solertia ministra est, aut favet casus, & comparari possunt, aut partim præferri iis, quæ à te designata sunt. Sed demus, sequatur assensus, posse à te conferri, quod ad Scientiarum faciat augmentum, & universalis apud nos Theoriæ notiones & axiomata fingamus exstincta, suffectis noviter repertis, quid beneficii redundabit ex hac mutatione in Eruditionem & Scientias? nihil certius quàm nova hæc, & quæ in eorum appendicem veniunt, ubi semel recepta fuerint commendantibus Inventoribus: & illorum affectis gratiam priscam sensim amissura, & oblivioni tradenda ex naturæ scito fluxus illos & refluxus alternantis, atque ita ex temporum decursu penitùs habitura interitum; fortasse etiam aliis idem, quod tu nunc venditas, agitantibus nimirum propositis adminiculis, quibus exactiùs limentur augendæ Scientiæ. Semper enim quæ Majoribus fuerunt probro, in Minoribus renasci solent. Quare frustrà est, quisquis ab illorum exercitationibus, & tota commentandi industria aliud speraverit, quàm quod priscæ observationis sit, ut fido nobis & per scripta tradito relatu constat. Hîc in mentem mihi venit quod notat Paterculus, ubi de excellentissimis Græcorum & Romanorum ingeniis agit, cùm florentissimæ essent ipsorum res, hanc dari posse non improbabilem causam, quæ ea pessum dedit, ut posteà docuit eventus, *natura quod summo studio petitum est, adscendit ad summum, difficilisque in perfecto mora est.* Adeò ut homines, si senserint ulteriore se prohiberi adscensu, in ipso constitutos fastigio, sponte descendant, abdicatisque exercitationibus, quibus plurimùm inest momenti, nova affectent, tamquam occupatâ ab aliis materiâ, in qua priùs laborabant. Et præsertim id Eloquentiæ fatum fuit illis temporibus, ut cùm posteriores desperarent, posse à se præteriri priores, aut eos æquari, sequeretur neglectus & contemptus priscæ exercitationis, & per aliquot secula sermo & stilus contraheret sordes & rubiginem, donec ultima periodus novam reduxit faciem, emergentibus & se incitantibus illustribus ingeniis, ad resumendos recens animatæ diligentiæ impetus, propellendosque in summum perfectionis fastigium labores non in eloquentiæ duntaxat studio, sed & quousque se porrigunt scientiarum omnium pomœria. Neque enim falli illum puto, quisquis existimaverit, artes omnes, prout publicè nunc docentur, nullo non ævo exstitisse, non tamen pari in omnibus locis mensura, neque eodem loco semper pari numero, sed ex temporum genio mutationibus obnoxio, nunc auctiores florentioresque, nunc in exuscitatæ & cum tenebricosæ institutionis methodo rudi. Ratio ex me si quæratur, facit pro me doctrina Aristotelis & aliorum elaboratissimi ingenii virorum, à quibus supersunt nobis plurima adminicula, unde id probetur & ad liquidum deducatur, quod aliis in rebus idem in artibus contingere, darique ortum & interitum; congrua prorsus, si me interpretem audias, sententiâ ei quod dici solet. *Nihil novum sub sole*, & quæ non in *facta* magis quàm *dicta* quærat, *ut nihil neque dictum neque factum sit, quod non & dictum & factum prius.* Patrocinatur 2. etiam celebris illa *Salomonis* ad filium querela in prurientes suo seculo voluminum fabros, non alio sensu accipienda, quàm quòd magna eorum pars & fuerint observationes & in qualibet literatura artificiosi instar syntagmatis. Neque ex tàm ampla congerie vel pulvisculus superest, si cupias quædam S. Codicis, posteritati relicta. Et anne tunc quidem per tot Scriptorum millia, qui *Salomonis* ævum antecessêre, reperiri potuit quidquam novitatis titulo donandum? habenda tamen ei fides est, cùm ait, non obstantibus, quæ vel sua ferebant, vel priora tulerant tempora, non potuisse dici: *Ecce novi quid.* Unde id colligo, cùm per omnia secula & in omnibus Artibus & Scientiis eadem fuerint in hominibus labor, exercitatio & cognitio, cum iis, quæ nostro videmus tempore, etsi mutationum æstu fluctuantia, prout temporum & locorum, occasionisque veriat ratio, & incalescit Scriptorum industria, intendi & remitti solita, tàm in Theoreticis suis, quàm Practicis, si assentimur tibi: Primò, ut Scientia nostra rejiciatur tanquam dubia & incerta (quod affirmas duntaxat non minùs argumentorum robore) deinde, ut abdicentur Axiomata nostra & Maximæ, generalesque assertiones, à Majoribus quasi per manus traditæ, quæ tamen (aliter enim hæc intelligi nequeunt,) subtilissimis omnis ævi judiciis comprobata sunt; ultimò, ut excogitetur ratio, quæ nos jam factos Abecedarios, per tortuosas particularium experimentorum ambages, provehat ad cognitionem ex solidè collectis generalibus, unde nova exsculpantur Artium principia, finis erit, ut exuti, quas nunc habemus, disciplinis, & fatigati redeuntibus in circulum laboribus, illuc tendamus, unde incepimus, eòque deducamur felicitatis, quæ nos in integrum restituat. Res ea est tot seculorum, quot ante nos transacta fluxerunt, ut tandem in perfectionis meta consistamus. Neque ita hic

censor sedeo, quasi fastidiosè explodam quicquid augendis per nova inventa impenditur scientiis, cùm conatus iste nobilis sit, neque summa laude fraudandus, ob beneficium, quo in præsens perfrui licet. Nunquam defuit mundo ingens illorum agmen, qui novis excogitandis operam dederunt, neque futura carebunt secula, in quibus industria pertinax & excellens hac in parte peperit nobis ea, quæ in admirationem rapiunt, captum popularem & spem transgressa. Nostræ tamen notiones & axiomata tàm ab iis, quàm ab Eruditorum eminentissimis semper cum gratiis recepta sunt. Vides, quam in me fiduciam tua creârit humanitas; si in ista tui impugnandi licentia lasciviente protervia efferor, quam de erecta tua indole concepi, opinio, & libertate, quam hîc amicorum præcipuis indulges, eo me impulit alioquin restitantem. Et quanquam equi instar sub auriga rectore, non recedam à veteri & trita via, quam sedulò calcavi, ita tamen sentio de tuis *Cogitatis*, & fateri me res ipsa cogit, tecum & cum mundo iniquiùs te egisse, cùm tantas opes domestico carcere damnatas, invidisti publico usui. Licèt enim persuasum habeam quoad tenorem & subjectum præcipuæ dissertationis, nulla in Academia te reperturum Tribunal, quod erroris te absolvere sustineat, tamen negari non potest, Tractatum tuum ubique scatere conceptibus selectæ frugis super præsenti statu scientiarum, & ingeniosissimis commentationibus super adjumentis eas promovendi, ut efficacissimè eum trahat quicunque earum rerum studio capitur, penitusque explorandi gignat haud iners desiderium, non ut eo tantùm enitatur, quod in purvulgatis hodiè scientiis summum est, sed ut altiùs quasi feratur in ipsa latentis naturæ viscera, omnesque ingenii & judicii nervos intendat, donec D. Pauli illud perfecerit *Consectari meliora dona*. Utinam hanc ingressus esses viam, (votum id auribus tuis depono) cùm primùm ad hæc studia animum adjiceres, vir longè alterius Schòlæ! nihilominùs utcunque hæc se habebant, cùm id tibi firmum fixumque sedeat, & Patriæ fidem tuam probes, toto affectu precor, quod sæpissimè facio, ut paria meritis tuis obtingant. Quod, spero, affluet aliquando plenis honorum & felicitatis rivis. *Fulhami*, Febr. 19. 1607.

DESCRIPTIO
GLOBI INTELLECTUALIS.
CAPUT PRIMUM.

Partitio universalis humanæ doctrinæ in Historiam, Poësin, Philosophiam, *secundùm triplicem facultatem* mentis; Memoriam, Phantasiam, Rationem; *quòdque eadem partitio competat etiam Theologiæ: Cùm idem sit vnus (nempe intellectus humanus) licèt materia & insinuatio sint diversa.*

PArtitionem doctrinæ humanæ eam deligimus, quæ triplici facultati intellectus respondeat. Tres itaque ejus partes à nobis constituuntur: *Historia, Poësis, Philosophia. Historia*, ad memoriam refertur: *Poësis* ad phantasiam: *Philosophia* ad rationem. Per *Poësin* autem nihil aliud intelligimus hoc loco, quàm historiam fictam. *Historia* propria individuorum est, quorum impressiones sunt mentis humanæ primi & antiquissimi hospites; suntque instar primæ materiæ Scientiarum. In his Individuis atque in hac materia, mens humana assiduò se exercet, interdum ludit. Nam Scientia omnis mentis & exercitatio & opificium; *Poësis* ejusdem lusus censeri possit. In *Philosophia* mens mancipatur rebus; in Poësi solvitur a nexu rerum, & exspatiatur & fingit quæ vult. Hæc verò se ita habere, facilè quis cernat, qui simpliciter tantummodò, & pingui quadam contemplatione Intellectualium Origines petat. Etenim Individuorum imagines excipiuntur à Sensu, & in memoria figuntur. Abeunt autem in memoriam tanquam integræ, eodem quo occurrunt modo. Has rursus retrahit & recolit Mens; atque (quod officium ejus proprium est,) portiones earum componit, & dividit. Habent enim Individua singula aliquid inter se commune, atque aliquid rursus diversum & multiplex. Ea verò compositio atque divisio, vel pro arbitrio mentis fit, vel proae invenitur in rebus. Quòd si fiat pro arbitrio Mentis, atque transferuntur portiones illæ ad placitum, in similitudinem quandam Individui, Phantasiæ opus est, quæ nullâ naturæ aut materiæ lege & necessitate astricta, ea quæ in rerum natura minimè conveniunt, conjungere; quæ verò nunquam separantur, discerpere potest, ita tamen, ut intra primas illas ipsas Individuorum portiones coërceatur. Nam eorum, quæ nulla ex parte se sensui obtulerunt, non est phantasia, ne somnium profectò. Quòd si eædem Individuorum portiones componantur & dividantur, pro ipsa rerum evidentia, & prout verè in natura se produnt, aut saltem pro captu cujusque se prodere notantur, eæ partes Rationis sunt; atque universa hujusmodi dispensatio rationi attribuitur. Ex quo liquidò constat, ex tribus hisce fontibus, esse tres illas emanationes *Historiæ, Poësis, & Philosophiæ*; neque alias, aut plures esse posse. Nam sub *Philosophiæ* nomine complectimur omnes artes & scientias, & quicquid denique à singularum rerum occursu per mentem in generales notiones collectum & digestum est. Neque alia censemus ad Doctrinam partitione, quàm illa superiore, opus esse. Informationes enim oraculi, & Sensus, & re procul dubio, & modo insinuandi differunt; sed tamen Spiritus humanus unus atque idem est: perinde ac si diversi liquores, atque per diversa infundibula, tamen in unum atque idem vas recipiantur. Quare & Theologiam ipsam, aut ex historia sacra constare asserimus, aut ex præceptis & dogmatibus divinis, tamquam perenni quadam Philosophia. Ea verò pars, quæ extra hanc divisionem cadere videtur, (quæ est Prophetia,) & ipsa Historiæ species est, cum prærogativa divinitatis, in qua tempora conjunguntur, ut narratio factum præcedere possit; modum autem enuntiandi & vaticiniorum per visiones, & dogmatum cœlestium per parabolas, participat ex Poësi.

CAPUT II.

Partitio Historiæ *in Naturalem & Civilem, Ecclesiasticam & Literariam sub Civili comprehensa. Partitio* Historiæ *Naturalis in* Historiam *Generationum, Prætergenerationum, & Artium ex triplici statu naturæ*, liberæ *videlicet*, aberrantis, *&* constrictæ.

HIstoria aut *Naturalis* est, aut *Civilis*. In Naturali Naturæ res gestæ & facinora memorantur

rantur; in Civili, hominum. Elucent procul dubio divina in utrisque, sed magis in humanis, ut etiam propriam in Historia speciem constituant, quam Sacram aut Ecclesiasticam appellare consuevimus. Itaque eam Civili attribuimus: At primò de Naturali dicemus. Naturalis Historia rerum singularium non est, non quòd perperam à nobis positum sit, Historiam versari in Individuis, quæ loco & tempore circumscribuntur. Nam propriè ita se res habet. Sed cùm promiscua sit rerum naturalium similitudo, adeò ut si unũ nôris, omnia noris; superfluum quiddam esset, & infinitum de singulis dicere. Itaque sicubi absit illa promiscua similitudo, recipit etiam Historia Naturalis individua; ea scilicet, quorum non est numerus, aut natio quædam. Nam & Solis, & Lunæ, & Terræ, & similium, quæ unicæ sunt in specie sua, rectissimè conscribitur Historia: nec minùs eorum quæ insigniter à specie sua deflectunt, & monstrosa sunt; quandoquidem in illis, descriptio & cognitio ipsius speciei, nec sufficit, nec competit. Itaque hæc duo Individuorum genera, Historia naturalis non rejicit: ut plurimùm autem (quemadmodum dictum est) in speciebus versatur. Ad partitionem Historiæ Naturalis moliemur ex vi & conditione ipsius naturæ, quæ in triplici statu posita invenitur, & tamquam regimen subit trinum. Aut enim *libera est* natura ac sponte fusa, atque cursu consueto se explicans, cùm scilicet ipsa natura per se nititur, nullatenùs impedita aut subacta; ut in cœlis, animalibus, plantis, & universo naturæ apparatu; *aut rursus* illa à pravitatibus & insolentiis materiæ contumacis & rebellis, atque ab impedimentorum violentia, de statu suo planè convellitur, & detruditur; ut in monstris & heteroclitis naturæ: *Aut denique* ab arte & ministerio humano constringitur, & fingitur, & planè transfertur, & tanquam novatur, ut in artificialibus. Etenim in artificialibus natura tamquam facta videtur, & conspicitur prorsus nova corporum facies & veluti rerum universitas altera. Itaque tractat Historia Naturalis aut *libertatem* naturæ, aut *errores*, aut *vincula*. Quòd si cuiquam molestum sit; artes dici naturæ vincula, cùm potiùs liberatores & vindices censeri debeant, quòd naturam in nonnullis suæ intentionis compotem faciant, impedimentis in ordinem redactis: Nos verò hujusmodi delicias & pulchra dictu nil moramur; id tantùm volumus & intelligimus, naturam per artem tanquam *Proteum*, in necessitate poni id agendi, quod absque arte actum non fuisset: Sive illud vis vocetur & vincula, sive auxilium & perfectio. Partiemur itaque Historiam Naturalem in Historiam *Generationum*, Historiam *Prætergenerationum*; & Historiam *Artium*, quam etiam *Mechanicam* & *Experimentalem* appellare consuevimus. Libenter autem Historiam *Artium* ut Historiæ Naturalis speciem constituimus; quia inveteravit prorsus mos disserendi & opinio, ac si aliud quippiam esset ars à natura, ut artificialia à naturalibus segregari debeant, tanquam toto genere discrepantia: unde & illud mali, quod plerique Historiæ Naturalis Scriptores perfunctos se putant, si Historiam Animalium, aut Plantarum, aut Mineralium confecerint, omissis Artium Mechanicarum experimentis (quæ longè maximi ad Philosophiam momenti sunt;) tum etiam illabitur animis hominum subtiliùs aliud malum; nempe ut Ars censeatur solummodò ut additamentum quoddam Naturæ; cujus scilicet ea sit vis, ut Naturam vel inchoatam perficere, vel inclinatam emendare possit; minimè verò radicitùs transmutare, atque in imis concutere; quod plurimùm rebus humanis desperationis intulit. At contrà illud penitùs animis hominum sedere debuerat, Artificialia à Naturalibus non formâ aut essentiâ, sed efficiente tantùm differre; homini verè in naturam planè nullius rei potestatem esse, præterquam motus: ut corpora scilicet naturalia aut admoveat, aut amoveat; reliqua naturam intus per se transigere. Itaque ubi datur debita admotio corporum naturalium aut remotio, omnia potest homo, atque ars: ubi non datur, nihil. Rursus autem modò corporum fiat debita illa admotio, aut remotio, in ordine ad aliquem effectum, sive hoc per hominem & artem fiat, sive naturaliter absque homine, parùm refert. Neque hoc illo fortius est, veluti si quis ex aspersione aquæ simulachrum Iridis super parietem excitet, non minùs obsequente utitur natura, quàm cùm idem fit in aëre ex nube rosida. Contrà verò cùm aurum invenitur in renulis purum; æquè sibi ipsi ministrat natura, ac si aurum purum per fornacem & ministerium hominis excoqueretur. Aliquando autem ministerium ex lege universi aliis animalibus deputatur: neque enim minùs artificiale quiddam est mel, quod fit mediante industriâ apis, quàm saccharum, quod hominis, atque in manua, (quod similis est generis) natura se ipsa contenta est. Itaque cùm una atque eadem sit natura, ejus autem vis per omnia valeat, neque unquam illa à se ipsa desciscat; omninò tamquam ex æquo subordinata tantùm ad naturam poni debent hæc tria. Cursus naturæ; Exspatiatio naturæ; & Ars, sive additus rebus *Homo*; ideòque in Historia Naturali ea omnia, unâ & continuâ narrationum serie, involvi par est: quod etiam *Cajus Plinius* magna ex parte fecit, qui Historiam Naturalem pro dignitate complexus est, sed complexam indignissimè tractavit. Atque hæc sit Naturalis Historiæ partitio prima.

Caput III.

Partitio Historiæ Naturalis, ex usu & fine suo: quodque finis longè nobilissimus Historiæ Naturalis, *sit ministratio prima ad condendam Philosophiam, & quòd hujusmodi Historia (quæ scilicet sit in ordine ad eum finem,) desideretur.*

Cæterùm *Historia Naturalis*, ut subjecto triplex (quemadmodum diximus,) ita usu duplex est. Adhibetur enim aut propter cognitionem rerum ipsarum, quæ Historiæ mandantur, aut tanquam materia prima Philosophiæ. Nobilissimus autem finis Historiæ Naturalis is est, ut sit inductionis veræ & legitimæ supellex atque sylva; atque satis trahat ex sensu ad instruendum intellectum. Illa enim altera, quæ aut narrationem jucunditate delectat, aut experimentorum usu juvat, atque hujusmodi voluptatis, aut fructus gratiâ, quæsita est; inferioris profectò notæ est, & genere ipso vilior, præ ea, cujus ea est vis & qualitas, ut propria sit parasceve ad condendam Philosophiam. Hæc enim demum

ea est

ea est Historia Naturalis, quæ veræ & activæ Philosophiæ solida & æterna basis constituitur; quæque lumini naturæ puro & minimè phantastico primam accensionem præbet; cujus quoque neglectus & Genius non placatus, acies illas Larvarum, ac veluti regna umbrarum, quæ in Philosophiis volitare cernuntur, cum maxima & calamitosa operum sterilitate nobis pessimo fato immisit. Affirmamus autem, & planè testamur, Historiam Naturalem, qualis in ordine esse debeat ad istum finem, non haberi, sed desiderari, atque inter omissa poni oportere. Neque verò aciem mentis alicujus perstringant aut magna Antiquorum nomina, aut magna Novorum volumina, aut querelam istam nostram minùs justam cogitet. Satis enim scimus haberi Historiam Naturalem, mole amplam, varietate gratam, diligentiâ sæpiùs curiosam. Attamen si quis ex ea fabulas, & antiquitatem, atque Authorum citationes, & suffragationes; lites item inanes, & controversias, philologiam denique & ornamenta eximat, (quæ ad convivales sermones, hominumque doctorum noctes potiùs; quàm ad instituendam Philosophiam, sunt accommodata,) profectò ad nihil magni res recidat. Itaque thesaurus quidam potiùs ad Eloquentiam à nonnullis, quàm solida & fida rerum narratio quæri & parari videtur. Præterea, non multum ad rem faciat, memorare aut nosse florum, Iridis, aut Tulipæ, aut etiam Concharum, aut Canum, aut Accipitrum eximias varietates. Hæc enim & hujusmodi nil aliud sunt, quàm Naturæ lusus quidam & lascivia; & propè ad Individuorum naturam accedunt. Itaque habent cognitionem in rebus ipsis exquisitam: Informationem verò ad scientias tenuem, & ferè supervacuam. Atque hæc sunt tamen illa, in quibus Naturalis Historia vulgaris se jactat. Cùm autem degenaverit Historia Naturalis ad aliena, & rursus luxuriata sit in superfluis; tamen è contra, magnæ utique & solidæ ejusdem partes, aut prorsus prætermissæ sunt, aut negligenter & leviter tractatæ. Universa verò inquisitione suâ & congerie, nullo modo ad eum, quem diximus, finem, (condendæ scilicet Philosophiæ,) aptata & qualificata reperitur. Id in membris ipsius optimè apparebit, atque ex comparatione ejus historiæ, cujus descriptiones hominibus sub oculos jam proponemus, ad eam, quæ habetur.

Caput IV.

Incipit Tractatus, qualis esse debeat Historia desiderata, nempè Historia Naturalis ad condendam Philosophiam. *Id ut clarius explicetur, primò subjungitur partitio* Historiæ Generationum. *Ejus constituuntur partes quinque: Prima* Cœlestium. *Secunda* Meteororum. *Tertia* Terræ & Maris. *Quarta* Collegiorum majorum, *sive* Elementorum *aut* massarum. *Quinta* Collegiorum minorum *sive* Specierum. Historia *verò* virtutum primarum *rejicitur, donec explicatio prima illius partitionis* Generationum, Prætergenerationum & Artium, *sit absoluta.*

QUamquam verò è fide nostra esse censemus, hujus ipsius Historiæ, quam desideramus, confectionem non aliis relinquere, sed nobis ipsis desumere, propterea quòd quò magis hæc res omnium industriæ patere videatur, eò major subest metus, ne ab instituto nostro aberrent; ideòque eam ut tertiam Instaurationis nostræ partem designavimus: tamen ut institutum nostrum de explicationibus sive repræsentationibus omissorum, perpetuò servemus; atque etiam si quid nobis humanitus acciderit, aut aliquid in tuto positum sit; sententiam nostram & consilia de hac re jam hoc loco subjungere visum est. Historiæ *Generationum* sive *Naturæ solutæ* quinque partes constituimus; eæ sunt Historia *Ætheris*, Historia *Meteororum* & *Regionum*, quas vocant *aëris*. Etenim tractum sublunarem ad superficiem usque terræ & corpora in eo locata, Historiæ *Meteororum* attribuimus. Etiam Cometis cujuscunque generis (utcunque se habeat rei veritas) tamen ordinis causa locum inter *Meteora* assignamus. Tertiò subit Historia *Terræ* & *Maris*, quæ conjuncta globum constituunt unicum. Atque huc usque rerum natura distribuitur ex locis & locatis: reliquæ duæ partes substantias rerum distinguunt, vel massas potiùs. Congregantur enim corpora connaturalia ad majores & minores massas: quæ *Collegia rerum* majora & minora appellare consuevimus; habentque in politia mundana rationes inter se tamquam tribus & familiæ. Itaq; quarto ordine ponitur historia Elementorum sive *Collegiorum* majorum. Quinto & ultimo historia *Specierum* sive *Collegiorum* minorum. Elementa enim eo sensu accipi volumus, ut intelligantur non exordia rerum, sed tantùm corporum connaturalium massæ majores. Majoritas autem illa accidit propter texturam materiæ facilem, simplicem, obviam & paratam; cùm species à natura parcè suppeditentur, propter texturam dissimilarem, atque in plurimis organicam. Virtutum verò illarum, quæ in natura censeri possint tanquam Cardinales & Catholicæ, Densi, Rari, Levis, Gravis, Calidi, Frigidi, Consistentis, Fluidi, Similaris, Dissimilaris, Specificati, Organici, & similium, unà cum motibus ad illa facientibus, uti Antitypiæ, nexus, coitionis, expansionis, & reliquorum, (quorum historiam omninò congeri & confici volumus, etiam priusquam ad opus *Intellectus* deveniatur,) virtutum & motuum historiam, ejusque conficiendæ modum tum tractabimus, postquam explicationem triplicis illius partitionis, *Generationum, Prætergenerationum* & *Artium* absolverimus. Neque enim eam scilicet intra triplicem illam nostram partitionem inclusimus, cùm non propriè sit historia, sed inter historiam & Philosophiam, veluti terminus medius. Jam verò de Historia *Cœlestium* & deinceps de reliquis dicemus atque præcipiemus.

Caput V.

Resumitur tractanda Historia Cœlestium; *qualis & esse debeat in genere, & quòd legitima hujusce Historiæ ordinatio versetur in triplici genere præceptorum; videlicet de fine, de materia, ac de modo conficiendæ hujusmodi Historiæ.*

HIstoriam *Cœlestium* simplicem esse, volumus, nec dogmatibus imbutam; sed veluti suspensâ vi & doctrina Theoriarum; quæque solummodò phænomena ipsa sincera complectatur & separata, quæ jam dogmatibus ferè concreverunt; denique quæ narrationes proponat, eo prorsus modo ac si nihil ex artibus Astronomiæ & Astrologiæ decretum esset, sed experimenta tantùm & observationes exactè collecta & perspicuè descripta forent. In quo genere Historiæ nihil

nihil aliud invenitur, quod nostro respondeat voto. Hujusmodi quiddam tantummodò cursim & licenter attigit *Cajus Plinius*: Sed optima foret ea Historia *Cœlestium*, quæ ex *Ptolemæo* & *Copernico* & doctioribus Astronomiæ Scriptoribus exprimi & erui possit, si artem experimento planè spolies, adjunctis etiam Recentiorum observationibus. Quod si cui mirum videatur, nos tanto labore parta, aucta, emendata, rursus ad primam imperitiam, & nudarum observationum simplicitatem retrahere velle? Nos verò nulla cum priorum Inventorum jactura, tamen longè majus opus movemus; neque enim calculos aut prædictiones tantùm meditamur, sed Philosophiam; eam scilicet, quæ de superiorum corporum non motu solummodò, ejusque periodis, sed substantia quoque & omnimoda qualitate, potestate, atque influxu, intellectum humanum informare secundùm rationes naturales atque indubitatas, absque traditionum superstitione & levitate possit; atque rursus in motu ipso invenire, atque explicare, non quid phænomenis sit consentaneum, sed quid in Natura penitus repertum atque actu & re ipsâ verum sit. Facilè autem quis cernat, & eos, quibus terram rotari placet, & eos contrà, qui primum mobile, & veterem constructionem tenuerunt, æquâ ferè & ancipiti phænomenorum advocatione niti. Quin & ille novæ constitutionis nostrâ ætate author, qui Solem secundi mobilis, quemadmodum Terram primi mobilis centrum constituit, ut Planetæ in propriis suis conversionibus circa solem choreas ducere videantur, (quod ex Antiquioribus nonnulli de *Venere* & *Mercurio* suspicati sunt,) si Cogitata ad exitum perduxisset, belle profectò rem conficere potuisse videtur. Neque verò nobis dubium est, quin & aliæ hujusmodi constructiones, ingenio & acri cogitatione adinveniri possint. Neque illis qui ista proponunt admodum placet, hæc, quæ adducunt, prorsus vera esse, sed tantummodò ad computationes & tabulas conficiendas commodè supposita. At nostra ratio aliò spectat; non enim concinnationes, quæ variæ esse possunt, sed veritatem rei quærimus, quæ simplex est. Ad hoc verò Historia phænomenorum sincera viam aperiret, infecta dogmate obstruet. Neque illud tacemus, nos in hac ipsa Historia Cœlestium, ad normam nostram facta & congesta, spem per se ponere veritatis circa cœlestia inveniendæ; sed multò magis in observatione communium passionum & desideriorum materiæ in utroque globo. Etenim ista æthereorum & sublunarium quæ putantur divortia, commenta nobis videntur & superstitio cum temeritate; cùm certissimum sit, complures effectus veluti expansionis, contractionis, impressionis, cessionis, congregationis ad massas, attractionis, abactionis, assimilationis, unionis, & similium, non solùm hîc apud nos, sed & in fastigiis cœli, & in visceribus terræ, locum habere. Atque non alii interpretes magis fidi adhiberi aut consuli possunt, ut intellectus humanus & ad profunda terræ, quę omninò non cernuntur, & ad alta cœli, quę plerunque fallaciter cernuntur, penetret. Itaq; optimè antiqui qui *Proteum* illum multiformem, etiam vatem ter maximum fuisse, retulerunt; qui futura, præterita, & occulta præsentium novisset. Nam qui materiæ passiones catholicas novit, atque per hæc novit quid esse possit, non poterit non nosse etiam quid fuerit, quid sit, & quid futurum sit, secundùm summas rerum. Itaque plurimùm & præsidii ad contemplationem cœlestium in Physicis rationibus collocamus; per Physicas rationes intelligendo non eas, quæ vulgò esse putantur, sed tantùm doctrinam circa illos appetitus materiæ, quos nulla regionum aut locorum diversitas distrahere aut disterminare queat. Neque propterea (ut ad propositum revertamur,) illi diligentiæ parci volumus, quæ circa phænomenorum ipsorum cœlestium narrationes & observationes possit impendi. Nam quando uberior suppetat apparentiarum hujusmodi copia, tantò omnia erunt & magis in promptu & firmiora. De quo antequam plura dicamus, est planè quod gratulemur & Mechanicorum industriæ, & doctorum quorundam hominum curæ & alacritati, quòd jam nuper per instrumentorum Opticorum veluti schaphas & naviculas, nova tentari cœperint cum cœlestibus Phenomenis commercia. Atq; hoc inceptum & fine & aggressu nobile quoddam & humano genere dignum esse existimamus. Eò magis, quòd hujusmodi homines & ausu laudandi sint & fide; quòd ingenuè & perspicuè proposuerunt, quomodo singula illis constiterint. Superest tantum constantia cum magna judicii severitate, ut & instrumenta mutent, & testium numerum augeant, & singula, & sæpè experiantur, & variè; denique ut & sibi ipsi objiciant, & aliis patefaciant quicquid in contrarium objici possit, & tenuissimum quemque scrupulum non sperniant; ne fortè illis eveniat quod *Democrito* & Aniculæ suæ evenit, circa ficus mellitas, ut vetula esset Philosopho prudentior, & magnæ & admirabilis speculationis causæ subesset error quispiam tenuis & ridiculus. At ista tanquam præfati in genere, accedamus ad descriptionem Historiæ cœlestium magis explicatam; ut ostendamus, quæ & qualia circa cœlestia quæri oporteat. Primò igitur quæstiones Naturales, aut saltem ex iis nonnullas, easque præcipuas proponemus: Iis usus humanos, quales verisimile est ex cœlestium contemplatione educi posse, adjiciemus; hæc utraque tanquam Historiæ scopum, ut quibus Historiam cœlestium componere curæ erit, norint quid agatur, easque quæstiones unà cum operibus illis & effectis habeant in animo & intueantur; unde talem instituant & parent historiam, qualis ad judicia hujusmodi quæstionum, & præbitionem hujusmodi fructus, & utilitatem erga genus humanum, sit accommodata. Quæstiones autem intelligimus ejus generis, quæ de facto Naturæ quærant, non de causis. Hoc enim pertinet propriè ad Historiam. Deinde distinctè monstrabimus, in quibus historia cœlestium consistat, quæque ejus sint partes; quæ res sint apprehendendæ aut exquirendæ, quæ experimenta sint comparanda & procuranda, quæ observationes adhibendæ & pensitandæ, proponentes tanquam Topica quædam inductiva, sive Articulos ad interrogandum de cœlestibus. Postremò præcipiemus nonnulla non solùm de eo quod quæri oporteat, sed & de hoc, quomodo quæsita debeant pensitari, etiam exhiberi, atque in literas referri, ne primæ inquisitionis diligentia pereat in successione, aut quòd pejus est, infirmis & fallacibus initiis nitantur progressus

qui

qui sequentur. In summa, dicemus & ad quid quæri debeat circa cœlestia, & quid, & quomodo.

Caput VI.

Quòd quæstiones philosophicæ circa cœlestia, etiam quæ præter opinionem sunt, & quodammodò duræ, recipi debeant: Proponuntur verò quinque quæstiones circa Systema ipsum, videlicet, an sit Systema? *&, si sit,* quod sit centrum ejus, & qualis profunditas, & qualis connexio, & qualis partium collocatio.

EXistimabimur autem plerisque procul dubio reliquias quæstionum veterum jam pridem quasi tumulo conditas & sepultas rursus eruere, & ferè manes earum evocare, iisque novas insuper quæstiones aspergere. Sed cùm ea, quæ adhuc habetur circa cœlestia, Philosophia, nihil habeat firmitudinis; cùmque illud nobis perpetuò ratum & fixum sit, omnia novo legitimæ inductionis judicio sistere; cùmque si fortè quæstiones aliquæ à tergo relinquantur, tantò minùs operæ & diligentiæ consumetur in historia, propterea quòd supervacuum fortasse videbitur, ea inquirere, de quibus quæstio non fuerit mota; necesse habemus quæstiones, quas ubique porrigit rerum natura, in manus accipere. Quin quò minùs certi sumus de quæstionibus per viam nostram determinandis, eò nos minùs difficiles præbemus in iisdem recipiendis. Exitum enim rei videmus. Prima igitur ea quæstio est: *An sit Systema?* hoc est, an mundus sive Universitas rerum sit globosa secundùm Totum, cujus sit centrum aliquod? An potiùs globi particulares Terræ & Astrorum spargantur, & singuli suis hæreant radicibus, absque Systemate & medio sive centro communi. Atque certè jactavit Schola *Democriti* & *Epicuri*, Authores suos mœnia mundi diruisse. Neque tamen id prorsus secutum est ex iis, quæ ab illis dicta sunt. Nam *Democritus* cùm materiam sive semina copia infinita, attributis & potestate finita, eademque agitata, nec ab æterno quovis modo locata posuisset, vi ipsa illius opinionis adductus est, ut Mundos multiformes, ortui & interitui obnoxios, alios meliùs ordinatos, alios malè hærentes, etiam tentamenta Mundorum & intermundia statueret. Sed tamen ut hoc receptum fuisset; nihil officiebat quin illa pars Materiæ, quæ deputata est huic ipsi mundo, qui nostro generi est conspicuus, obtinuerit figuram globosam. Necesse enim fuit, ut singuli ex illis mundis figuram aliquam accepissent. Etsi enim in infinito medium aliquod esse nequeat, tamen in partibus infiniti rotunda figura subsistere potest, non minùs in mundo aliquo, quàm in pila. Verùm *Democritus* sector mundi bonus fuit, in integralibus autem mundi, etiam infra mediocres Philosophos. At opinio illa, de qua nunc loquimur, quæ destruebat & confundebat Systema, fuit *Heraclidis* Pontici, & *Ecphanti*, & *Nicetæ* Syracusani, & præcipuè *Philolai*, atque etiam nostrâ ætate, *Gilberti*, & omnium, (præter *Copernicum*) eorum, qui Terram planetam & mobilem, & tanquam unam ex Astris crediderunt. Atque illa opinio hanc vim habet, ut planetæ & stellæ singulæ, atque etiam aliæ innumeræ, quæ conspectum nostrum ob distantiam fugiunt, nec non aliæ, quæ nobis sunt invisibiles, propter naturam non lucentem, sed opacam, suos quæque sortitæ globos, & formas primarias, per expansionem istam, quam suspicimus immensam, sive vacui, sive corporis cujusdam tenuis & ferè adiaphori, tanquam insulæ in pelago immenso spargantur & pendeant, atque super centrum non commune aliquod, sed quæque globi sui proprii volent; aliæ simpliciter, aliæ cum motu nonnullo centri progressivo. Atque illud maximè durum est in hac opinione, quòd tollunt quietem sive immobile è natura. Videtur autem, quemadmodum sunt in universo corpora quæ rotant, id est, motu feruntur infinito & perpetuo; ita & ex opposito debere esse corpus aliquod, quod quiescat: quibus interponitur media natura eorum, quæ feruntur recta, cùm motus rectus partibus globorum conveniat, & rebus exulantibus extra patrias suas, quæ ad globos connaturalitatis suæ movent, ut cum iis unitæ ipsæ quoque aut rotent aut quiescant. Verùm huic quæstioni (nempe *An sit systema?*) finem dabunt ea, quæ circa motum Terræ: *An* scilicet *terra stet*, aut *roteat?* atque circa substantiam astrorum, *an sit solida aut flammea*, & circa Æthera sive spatia cœli interstellaria, *an sint corporea aut vacua*, decerni potuerunt. Nam si terra stet & cœli motu diurno circumvolvantur, procul dubio est systema; quòd si terra rotet, tamen non prorsus evincitur, non esse systema, propterea quòd aliud possit poni centrum systematis, videlicet sol aut aliud quippiam. Rursus si unicus globus terræ sit densus & solidus, videtur materia universi coire & densari ad centrum illud; quòd si inveniantur luna & alii ex Planetis, constare etiam ex materia densa & solida, videntur ex eo coire densa non ad centrum aliquod, sed sparsim & quasi fortuitò. Postremò, si ponatur vacuum coacervatum in spaciis interstellaribus, videntur globi singuli habere circa se effluvia tenuiora, & deinde vacuum. Quòd si & illa spatia corpore replentur, videntur esse unio deniorum in medio, & rejectio tenuiorum ad circumferentiam. Plurimum autem confert ad scientiam, nosse conjugationes quæstionum, propterea quòd in aliquibus invenitur historia sive materia inductiva ad eas dirimendas, in aliquibus non item. Dato verò systemate, proximè accedit quæstio ea secunda: *Quod sit centrum systematis?* Enimverò si aliquis ex globis locum centri occupare debeat, occurrunt globi inprimis duo, qui naturam medii sive centri præferre videntur, Terra & Sol. Pro terra suffragantur aspectus noster & inveterata opinio, atque illud omnium maximè, quòd cum densa coëant in angustum, rara in latum diffundantur, (area autem omnis circuli contrahatur ad centrum) videtur sequi quasi necessariò, ut angustiæ circa medium mundi statuantur, ut proprius locus & tanquam unicus ad corpora densa. Pro sole autem facit ratio illa, quòd cujus partes sunt in systemate maximæ & potissimæ, ei is locus assignari debeat, ex quo ipsa in universum systema maximè agere & se communicare possit. Quando verò is sit sol, qui mundum vivificare plurimùm videatur, impertiendo calorem & lucem; ritè omninò atque ordine videri possit collocatus in medio mundi. Accedit & illud, quòd sol manifestè habeat affectatores *Venerem* & *Mercurium*, etiam ex sententia *Tychonis*, planetas reliquos; adeò ut planè videatur sol centri naturam sustinere posse, & vices gerere in aliquibus, eo pro-

propiùs abest, ut universi centrum constitui possit, quæ *Copernici* assertio fuit. Verumtamen in systemate *Copernici* multa & magna inveniuntur incommoda : Nam & quòd triplici motu terram oneravit, incommodum magnum, & quòd Solem à cœtu Planetarum divulsit, cum quibus tot habet passiones communes, similiter durum; & quòd tantum immobilis introduxit in naturam, ponendo solem & stellas immobiles præsertim corpora maximè omnium lucida & radiantia; & quòd Lunam Terræ, tamquam in Epicyclo adhærere voluit, & alia nonnulla, quæ ille sumit, ejus sunt viri, qui quidvis in natura fingere, modò calculi benè cedant, nihili putet. Quòd si detur motus Terræ, magis consentaneum videatur, ut tollatur omninò systema, & spargantur globi, secundùm eos, quos jam nominavimus, quàm ut constituatur tale Systema, cujus sit centrum Sol. Idque consensus seculorum & antiquitatis potiùs arripuit & approbavit. Nam opinio de motu terræ, nova non est, sed ab Antiquis repetita, quemadmodum diximus; at illa de Sole ut sit centrum mundi, & immobile, prorsus nova est, (excepto uno versiculo malè traducto) & primò à *Copernico* introducta. Sequitur tertia quæstio, de profunditate Systematis; non ut aliqua ejus mensura capiatur perfecta, sed ut in certo ponatur: *An cœlum stellatum sit instar unius Regionis, sive, ut vulgò loquuntur, Orbis* : An verò *stellæ fixæ, quas vocant, sint aliæ aliis sublimiores immensâ quâdam profunditate?* Neque enim ullo modo fieri potest, ut illæ sint paris altitudinis, si hoc intelligatur exactè; stellæ enim procul dubio non sunt sitæ, tamquam in plano, quæ habeant dimensionem quandam tantùm in superficie, instar macularum aut bullarum, sed sunt illæ globi integri, magni atque profundi. Itaque cùm tàm disparis reperiantur esse magnitudinis, omninò necesse est, ut aliæ ex iis magis quàm aliæ promineant, vel sursum versus, vel deorsum, nec fieri potest, ut aut per superiora, aut inferiora unâ conjungantur superficie. Hoc verò si fiat in partibus stellarum, temerarium planè esset asserere etiam in corpore integro, stellas non esse alias aliis altiores, sed ut hoc verum sit, tamen asseri potest crassities quædam definita, (sicèt insignis) ejus regionis, quæ vocatur sphæra, sive cœlum stellatum, quæ hujusmodi prominentias & altitudinis gradus quodammodò terminet; videmus enim ex apogæis & perigæis Planetarum, singulis eorum cœlis competere crassitiem notabilem, per quæ ascendant & descendant. At quæstio ista tantòm eò spectat, utrùm stellæ aliæ sint super alias, tamquam Planeta super Planetam, & quasi in diversis orbibus. Atque hæc quæstio illi alteri quæstioni de motu aut statu Terræ, similiter affinis est. Nam si stellæ moveantur motu diurno circa terram; quandoquidem eæ universæ pari incitatione, & uno veluti spiritu agantur, (cùmque in Planetis planè constet, prout variatur in sublimitate & humilitate situs, ita etiam variari in celeritate & tarditate motus) probabile est, stellas velocitate cursus pares, etiam in una Regione Ætheris locari, cujus licèt crassities sive profunditas ponatur esse magna, tamen non sit tanta, ut faciat ad discrimen incitationis sive celeritatis in motu; sed ut per eam regionem universam omnia putentur tamquam vinculo connaturalitatis devincta pariter rotare, vel saltem cum discrepantia tali, quæ ad adspectum nostrum propter distantiam differri non possit. Quòd si terra moveatur, stellæ vel stare poterunt, quod *Copernico* placuit, aut quod longè magis verisimile est, & à *Gilberto* introductum, illæ poterunt singulæ rotare super centrum suum, in loco suo, absque aliquo motu centri sui, quemadmodum & ipsa terra, si modò illum motum diurnum terræ ab adscitiis illis duobus motibus, quos *Copernicus* superaddidit, sejungas. Utrumvis autem horum si fiat, nihil prohibet, quin stellæ aliæ supra alias sint, donec aspectum nostrum effugiant. *Quarta proponitur quæstio de nexu*, sive connexione systematis. Atque de natura & essentia corporis, vel rei quæ æther purus censetur, & astris interjacet, posteà inquiremus. Nunc tantùm de cohærentia systematis dicemus. Ejus rei ratio est triplex. Aut enim datur vacuum, aut contiguum, aut continuum. Itaque primò quæritur : *An sit vacuum coacervatum in spatiis interstellaribus ?* id quod *Gilbertus* disertè posuit, atque etiam Antiquorum nonnulli ex iis, qui globos spargi sine systemate opinati sunt, innuere videntur; præsertim ii, qui Astrorum corpora compacta asseruêre. Opinio talis est, Globos universos, tàm Astra, quàm terram, ex materia solida & densa constare. Illos autem in proximo circumdari genere quodam corporum, quæ sint ipsi globo aliquatenùs connaturalia, sed tamen magis imperfecta, languida, & attenuata, quæque nihil aliud sint quàm globorum ipsorum effluvia & emanationes; qualia sunt vapores & halitus, atque adeò aër ipse, si conferantur terræ : Hæc effluvia ad distantiam circa unumquemque globum non magnam pertingere, reliquum intervallum, (quod longè amplissimum est) inane esse. Cui opinioni illud fidem astruere possit, quòd ex tàm immensa distantia corpora astrorum conspiciuntur. Si enim universum illud spatium plenum esset, præsertim corporum, quæ procul dubio raritate & densitate valdè inæqualia sunt, tanta foret radiorum refractio, ut ad visum nostrum pertingere non possint, quàm si longe maxima ejus spatii pars vacua sit, faciliùs sane perferri consentaneum est. Atque reverà hæc quæstio magna ex parte pendebit ex quæstione, quam statim adducemus, de substantia stellarum : *An sit densa, vel tenuis & explicata?* Nam si substantia earum sit solida, videbitur utique Natura circa globos eorumque confinia tantummodò ferè occupata esse & sollicita : Spatia verò interjacentia deserere, & tamquam permittere. Itaque non absimile vero fuerit, Globos circa centrum spissiores, circa superficiem laxiores, in ambientibus & effluviis quasi deficientes, in vacuo tandem terminari. Contrà, si natura astrorum sit tenuis & flammea, apparebit, naturam *tenuis* non esse solummodò *densi* decrementum, sed per se potentem & primariam, non minùs quàm naturam solidi, eamque & in stellis ipsis & in æthere, & in aëre vigere, ut vacuo illo coacervato non sit opus. Pendebit quoque ista quæstio de vacuo in spatiis interstellaribus ex quæstione illa, quæ pertinet ad principia Naturæ : *An detur vacuum ?* Neque tamen hoc ipsum, nisi adhibitâ distinctione. Aliud enim est, negare vacuum simpliciter,

pliciter, aliud negare vacuum coacervatum. Longè enim firmiores sunt eæ rationes, quæ adduci possunt ad astruendum vacuum intermistum ad laxamentum corporum, quàm quæ asserunt vacuum coacervatum, sive in spatiis majoribus. Neque hoc solùm vidit *Hero*, vir ingeniosus & Mechanicus, sed etiam *Leucippus* & *Democritus*, inventores opinionis de vacuo, quam *Aristoteles* argutiis quibusdam obsidere & expugnare conatur: Qui duo Philosophi acutissimi certè & celeberrimi, ita vacuum intermistum dant, ut vacuum coacervatum tollant. Ex sententia enim *Democriti* vacuum terminatur & circumscribitur, ut ultra certos fines non detur distractio sive divulsio corporum, non magis quàm compulsio aut compactio. Licèt enim in iis, quæ ex *Democrito* habemus, hoc nunquam disertè positum sit, tamen hoc dicere videtur, cùm corpora æque ac spatia infinita constituit, ea usus ratione, aliter (si spatium scilicet infinitum, corpora finita essent,) corpora nunquam hæsura. Itaque propter coinfinitatem materiæ cum spatio, necessariò compingitur vacuum ad terminos certos, quæ videtur ejus fuisse opinio vera & rectè intellecta, ut scilicet constituatur finis quidam explicationis sive expansionis corporum per vacuum copulatum, neque vacuum detur solitarium, aut corpore non obsessum. Quòd si non detur vacuum instar solutionis continuitatis in Systemate, tamen cùm tanta inveniatur in partibus & regionibus Systematis corporum diversitas, ut sint tanquam alterius gentis & patriæ, oritur quæstio secunda, quæ ad connexionem Systematis pertineat. Ea est: *An æther purus sit unus perpetuus sive continuus fluor? An verò constet ex pluribus contiguis.* Neque verò nostrum est de verbis argutari, sed intelligimus per contiguum, corpus quod superjacet, nec miscetur: neque rursus intelligimus contignationem duram, qualem vulgus Astronomorum comminiscitur, sed qualem possint recipere fluores, ac si argento vivo supernataret aqua, aquæ oleum, oleo aër. Nemini enim dubium esse potest, quin in immenso illo tractu ætheris puri sint eximiæ differentiæ quoad raritatem & densitatem & alia non pauca: Sed utrolibet dato (id est, continuo sive contiguo) hoc fieri potest. Nam satis constat, nec in mari ipso aquam in summo & aquam in imo ejusdem esse consistentiæ & saporis; in aëre verò inter aërem terræ conterminum, & aërem superiorem plurimùm interest, & tamen unus & integer est & perpetuus fluor. Itaque deducitur quæstio ad hoc: *Utrùm differentiæ in tractu ætheris puri se insinuent gradatim & fluxu quodam continuo? An constituantur & distribuantur ad certos & notabiles limites, ubi corpora conjunguntur, quæ non sint commiscibilia, quemadmodum apud nos aër incumbit aquæ.* Enim verò simpliùs contemplanti videtur totum istud purum & limpidum corpus, in quo globi terræ & astrorum, tamquam in vastissimo pelago pendent & natant, quodque inter junctum illis globis quanto ipso & spatio quod occupat, globorum mensuras quasi innumeris partibus superet, esse indivisa quædam res & summè unita. Verùm naturam diligentiùs intuenti, illud planè constabit, consuêsse naturam ad spatia nonnulla per gradus, deinde subitò per saltus procedere, atque hunc processum alternare. Aliter si quis verè introspiciat, nulla possit constitui fabrica rerum, nulla figura organica, si per gradus intensibiles perpetuò procederetur. Itaque processus ille per gradus intermundiis competere possit, non mundo, ad cujus constructionem necesse est longè dissimilia discludi alia ab aliis, & tamen approximari. Itaque terram & aquas excipit & contingit aër corpus longè diversum, & tamen in proximo locatum, non primò limus, deinde vapor, aut nebula, dein aër purus, sed confestim aër absque medio. In aëre verò & æthere (illa enim duo conjungimus,) dispertitio maximè omnium insignis & radicalis sumi posse videtur, ex natura magis aut minùs susceptiva naturæ stellaris. Itaque tres secundùm genera videntur esse regiones maximè notabiles à globo terræ ad fastigia cœli; nimirum tractus aëris, tractus cœli planetarum, & tractus cœli stellati. Atque in infimo tractu natura stellaris non consistit; in medio consistit, sed coit ad globos singulos, in supremo spargit se per globos plurimos, adeò ut per summitates ejus videatur transire, quasi in empyreum integrum. Neque interim obliviscendum ejus, quod paulò antè diximus, consuêsse naturam processum graduatum & persultorium alternare, adeò ut regionis primæ confinia communicent cum secunda, & secundæ cum tertia. Nam & in aëre sublimiore postquam aër cœperit esse ab effluviis terræ defœcatior, & à cœlestium magis attenuatus, tentat & experitur consistere flammas; ut in Cometis humilioribus fit, qui sunt mediæ cujusdam naturæ inter naturam stellarem consistentem & evanidam; & rursus videtur cœlum circa Solem fortasse stellescere & transire incipere in naturam cœli stellati. Nam possint illæ maculæ, quæ in Sole observatione certè fidâ & diligenti deprehensæ sunt, esse rudimenta quædam materiæ stellaris: at in cœlo Jovis etiam stellæ absolutæ & perfectæ conspiciuntur, licèt propter parvitatem absque commoditate perspecillorum invisibiles; & rursus in summitatibus cœli stellati, ex innumeris micationibus ætheris interstellas numeratas, (cujus aliæ causæ satis frigidæ reddi solent,) videtur natura stellaris magis fundi & continuari. Verùm de his quæstionibus, quas mox proponemus, de substantia & astrorum & cœli interstellaris, plura dicemus. Hæc enim quæ diximus, pertinent tantùm ad quæstiones de nexu Systematis. Superest quinta quæstio *de collocatione partium Systematis, sive de ordine cœlorum.* Atque dato, quòd non sit Systema, sed spargantur globi; aut dato, quòd sit Systema, cujus sit centrum Sol; aut etiamsi videant Astronomi de aliquo novo Systemate, tamen manet utique inquisitio, *quis Planeta ad alium Planetam sit magis propinquus aut remotus, & similiter qui Planeta magis aut minus elongetur a terra aut etiam à Sole.* Quòd si recipiatur Systema Veterum, non videtur causa cur magnoperè insistatur inquisitioni novæ, de quatuor cœlis superioribus *Stellarum fixarum*, scilicet *Saturni*, *Jovis* & *Martis*. Nam de eorum positura atque ordine & seculorum consensus suffragatur, nec Phænomenon ullum adversatur, atque rationes motuum (unde sumitur de altitudinibus cœlorum præcipua probatio,) accommodatæ sunt, & nusquam turbant. Verùm de *Sole*, *Venere* & *Mercurio* & *Luna*, etiam secundum Systema Veterum dubitatum est ab Antiquis;

atque

atque apud Recentiores quoque de *Venere* & *Mercurio* ambigitur, *uter Planeta sit altero superior*. Nam pro *Venere* ut sit superior, stat illa ratio, quod tardiùs nonnihil movet, & pro *Mercurio*, quod alligatur ad distantiam propiorem à Sole, unde quis asserat, debere eum proximè ad Solem collocari. De *Luna* verò nemo unquam dubitavit, quin locata sit proximè ad terram, licèt variatum sit de appropinquatione ejus ad Solem. Neque seriò contemplantem fugere debet aliud genus quæstionis, pertinens ad constitutionem Systematis; hoc est: *Utrùm Planeta alter alterum per vices supergrediatur quandoque, & quandoque rursus subeat, id quod de Venere per demonstrationes quasdam non indiligentes evinci videtur, ut illa aliquando inveniatur super Solem locata, aliquando subter*. Atque omninò rectè quæritur: *Utrùm Apogæum humilioris Planetæ Perigæum superioris non secet, ejusque fines subintret*. Restat ultima quæstio, *de collocatione partium Systematis*, hoc est: *Utrùm sint plura & diversa centra in Systemate, & plures tamquam choreæ*, cùm præsertim non solùm terra primi mobilis, Sol (ex sententia *Tychonis*) secundi mobilis, verùm etiam *Jupiter* minorum & nuperorum illorum errorum ex *Galilæo* centrum constituatur. Atque hæ sunt quæstiones illæ quinque, quæ de Systemate ipso proponendæ videntur: *An sit* videlicet *Systema*, & *quod sit centrum* ejus, & *quantæ profunditas*; & *qualis nexus ejus*, & *quis ordo in collocatione partium*. De extimis verò Cœli, & Cœlo aliquò empyreo, Theses aut Quæstiones non conficimus. Neque enim istarum rerum est Historia, aut extat Phænomenon ullum. Itaque quæ de iis sciri possunt, ea per consecutionem tantùm, ac nullatenùs per inductionem sciri possunt. Erit igitur talis inquisitionis & tempus congruum, & ratio, & modus quidam. De cœlis verò & spatiis immateriatis, Religioni omninò standum & permittendum. Quæ enim à *Platonicis*, & nuper à *Patritio* (ut diviniores scilicet habeantur in Philosophia,) dicuntur non sine superstitione manifesta, & jactantia, & quasi mente turbata, denique ausu nimio, fructu nullo, similia *Valentini* aconibus & somniis; ea nos pro rebus commentitiis & levibus habemus. Nullo modo enim ferenda est Moriæ Apotheosis, tamquam *D. Claudii*. Quin pessimum est & planè pestis & tabes intellectus, si vanis accedat veneratio.

Caput VII.

Sequuntur quæstiones de substantia Cœlestium, qualis *videlicet* sit substantia cœlestium in genere, comparata ad corpora sublunaria; & qualis substantia ætheris interstellaris, comparata ad corpus stellæ; & qualis sit substantia astrorum ipsorum, comparata ad invicem, & comparata ad ignem nostrum, & in natura propria, & qualis sit substantia Galaxiæ, & macularum nigrarum in hæmisphærio Antarctico. *Tum proponitur quæstio prima*: An sit heterogenia inter cœlestia & sublunaria, & qualis esse possit.

Absolutis quæstionibus de Systemate, pergendum ad quæstiones, de substantia cœlestium. Nam de substantia cœlestium inquirit præcipuè Philosophia, & de causis motus eorum. De motu ipso vero & ejus accidentibus, Astronomia, de influxu & potestate utraque. Debuerat autem esse cautum inter Astronomiam & Philosophiam, ut Astronomia præferat hypotheses, quæ maximè expeditæ ad compendia calculorum; Philosophia verò, quæ proximè accedunt ad veritatem naturæ. Atque insuper, ut Astronomiæ hypotheses ad commoditatem suam, rei veritati nullo modo præjudicent, vicissim ut Philosophiæ decreta talia sint, quæ sint super Phænomena Astronomiæ omninò explicabilia. At nunc contra fit, videlicet ut Astronomiæ figmenta in Philosophiam invecta sint, eamque corruperint, & Philosophorum speculationes circa cœlestia, sibi tantùm placeant, & Astronomiam ferè deserant, cœlestia generaliter intuentes, verùm ad Phænomena particularia, atque eorum causas nullo modo se applicantes. Itaque cùm utraque scientia, (qualis nunc habetur) sit res levis & perfunctoria, fortiùs omninò figendus est pes, ac si ista duo, quæ propter angustas hominum contemplationes, & usum professorium, per tot sæcula disjungi consueverunt, una atque eadem res sint, atque in unum scientiæ corpus conflata. Itaque proponitur primò ea quæstio: *An substantia cœlestium sit heterogenea ad substantiam inferiorum?* Nam *Aristotelis* temeritas & cavillatio nobis cœlum peperit phantasticum, ex quinta essentia, expertè mutationis, expertè etiam caloris. Atque misso in præsenti sermone de quatuor elementis, quæ quinta essentia illa supponit; erat certè magnæ cujusdam fiduciæ, cognationem inter Elementaria, quæ vocant, & cœlestia prorsus dirimere, cùm duo ex Elementis, aër videlicet & ignis, cum stellis & æthere tàm benè conveniant, nisi quod moris erat illi viro, ingenio abuti, & sibi ipsi negotium facessere, & obscuriora malle. Neque tamen dubium est, quin regiones sub Luna positæ & supra, unà cum corporibus, quæ sub iisdem spatiis continentur, multis & magnis rebus differant. Neque rursus hoc certius est, quàm illud, corporibus utriusque regionis inesse complures communes inclinationes, passiones & motus, ut, salvâ naturæ unitate, ista distinguere potiùs debeamus, quàm discerpere. Quod verò attinet ad illam heterogeniæ partem, ut cœlestia ponantur æterna, inferiora corruptibilia, videtur sententia illa sub utraque parte fallere, quòd nec cœlo ea competat æternitas, quam fingunt, neque terræ ea mutabilitas. Siquidem de terra verè rem reputanti, judicium minimè faciendum ex illis, quæ nobis sunt conspicua, cùm nihil ex corporibus, quæ oculus humanus videt, erutum sit aut ejectum ex magis profundo, quàm spatio fortasse trium milliarium ad plurimum; quod res nihili est, collatum ad ambitum globi terrestris universi. Itaque nihil obstat, quin intima terræ pari prædita sint æternitate ac ipsum cœlum. Enimverò si terra pateretur mutationes in profundo, fieri non potest, quin consequentiæ earum mutationum, etiam in nostra regione, quam calcamus, majores casus parituræ fuissent, quàm fieri videmus. Etenim earum, quæ nobis se dant conspiciendas, mutationum hìc versus superficiem terræ, ferè se ostendit quasi semper simul causa aliqua manifesta desuper imposita, ex tempestatibus cœli, per imbres, fervores, & similia, ut terra ipsa ex se & vi propriâ nulli admodum mutationi causam præbere videatur. Quod si concedatur, (quod certè verisimile est,) etiam terram ipsam non solùm cœlestia in regio-

nes aëris agere, aut frigora exspirando, aut ventos emittendo, aut hujusmodi alia; tamen & ista omnis varietas referri potest ad regiones terræ ex propinquo, in quibus plurimas evenire mutationes & vices nemo sanus negaverit. Verùm fatendum omninò est, ex Phænomenis terræ longè maximè penetrare in profundum terræ motus, & quæ ejus sunt generis, eruptiones aquarum, eructationes ignium, hiatus & abruptiones terrarum, & similia; quæ tamen ipsa non videntur insurgere ex longinquo, cùm plurima ipsorum parvum aliquod spatium in superficie terræ occupare soleant. Quantò enim latius spatium in facie terræ occupat terræ motus, sive aliud quippiam hujusmodi, tantò magis radices & origines ejus ad viscera terræ penetrare putandum est, & quantò angustius, minùs. Quòd si quis afferat, fieri quandoque terræ motus, qui amplos & spatiosos regionum tractus quatiant, prorsus ita est. At illi certè rarò eveniunt, suntque ex casibus majoribus. Itaque æquiparari possunt Cometis sublimioribus, qui & ipsi infrequentes sunt. Neque enim id agitur, ut terræ simpliciter asseratur æternitas, sed ut illud appareat, (quod initio diximus,) inter cœlum & terram, quatenus ad constantiam & mutationem, non multum interesse. Neque operæ pretium est argutari de æternitate & rationibus motus: quemadmodum enim motus circularis terminis non indiget, ita nec quies, atque æquè susceptivum est æternitatis, ut densa in loco & congregatione magna Connaturalitatis suæ consistant, quàm ut tenuia rotent: cùm partes avulsæ arborum ferantur recta. Etiam illud in argumentum sumi potest, quòd terræ interiora corruptioni magis obnoxia non sint, quàm ipsum cœlum, quòd ibi aliquid deperire solet, ubi aliquid refici potest. Cùm verò imbres, & quæ de alto decidunt, quæ faciem superiorem terræ renovant, nullo modo penetrare possint ad interiora terræ, quæ tamen ipsa stant mole suâ, & quanto suo; necessariò fieri, ut nihil dependatur, quando nihil adsit, quod succedat. Postremò, mutabilitas, quæ in extimis terræ deprehenditur, videtur & ipsa per accidens esse. Nam incrustatio illa parva, quæ ad milliaria pauca deorsum extendi videtur, (intra quos terminos præclaræ illæ officinæ & fabricæ, plantarum nempe & mineralium, concluduntur) nullam ferè reciperent varietatem, multò minùs tàm pulchra & elaborata artificia, nisi ea pars terræ à cœlestibus pateretur & perpetuò vellicaretur. Quòd si quis existimet, calorem & vim activam solis & cœlestium universæ terræ crassitudinem transverberare posse; is superstitiosus & fanaticus censeri possit; cùm liquidò pateat, quàm parvo objectu ea retundi & cohiberi possunt. Atque de constantia terræ hactenus: videndum jam de mutabilitate cœlestium. Primò igitur non ea utendum est ratione, mutationes in cœlo non fieri, quia sub aspectum nostrum non veniunt. Aspectum enim frustrat & loci distantia, & lucis sive excessus, sive defectus, & corporis subtilitas, aut parvitas: Neque enim, scilicet si oculus in circulo Lunæ positus esset, hìc quæ apud nos in superficie terræ fiunt mutationes, veluti inundationes, terræ motus, ædificia, structuras aut moles, cernere posset; quæ parvæ festucæ rationem non exæquant ad tantam distantiam. Neq; ex eo quòd cœlum interstellare diaphanum sit, & stellæ noctibus serenis eædem numero, & facie cernuntur, quis facilè pronunciet universum corpus ætheris limpidum, purum & immutabile esse. Nam & aër innumeras varietates suscipit, æstus, frigoris, odorum, & omnigenę misturæ cum vaporibus subtilioribus, neque propterea exuit diaphanum; similiter nec imagini aut faciei illi cœli credendum. Nam si magnæ illæ nubium moles, quæ cœlum interdum involvunt, & solis & astrorum conspectum tollunt à nobis, propter propinquitatem ipsarum ad visum nostrum in superioribus cœli partibus penderent, neutiquam illæ faciem cœli sereni mutarent: nam nec ipsæ cerni possent propter distantiam, nec ullam Eclipsin facere in astris, propter corporum parvitatem respectu magnitudinis astrorum. Quin & corpus ipsum Lunæ, nisi quâ parte lumen excipit, faciem cœli non mutat, ut si lumen illud abesset, tantum corpus nos latere planè posset. At contrà liquidò patet ex massis corporum, quæ mole & magnitudine spatiorum distantiam vincere, & propter materiam luminosam aut splendidam, visum nostrum lacessere possint, admirandas in cœlo accidere mutationes atque insolentias. Id enim perspicitur in Cometis sublimioribus, iis nimirum, qui & figuram stellæ induerunt absque Coma, neque solum ex doctrina parallaxium supra Lunam collocati esse probantur, sed configurationem etiam certam & constantem cum stellis fixis habuerunt, & stationes suas servârunt, neque errones fuerunt; quales ætas nostra non semel vidit; primò in *Cassiopea*, iterum nõ ita pridem in *Ophiucho*. Quòd verò hujusmodi constantia, quæ conspicitur in Cometis, fiat ob sequacitatem ad aliquod astrum, (quæ *Aristotelis* opinio fuit,) qui similem rationem esse posuit, Cometæ ad astrum unicum, & galaxiæ ad astra congregata, (utrumque falsò,) id jam olim explosum est, non sine nota ingenii *Aristotelis*, qui levi contemplatione hujusmodi res confingere ausus est. Neque verò ista mutatio in cœlestibus circa stellas novas, locum tenet solummodò in iis stellis, quæ videntur esse naturæ evanidæ, sed etiam in iis, quæ morantur. Nam & in stella illa nova *Hippachi*, apparitionis mentio facta est apud Veteres, disparitionis nequaquam. Etiam conspici nuper cœpit stella nova in pectore Cygni, quæ jam per duodecim annos integros duravit, ætatem Cometæ (qualis habetur) longo intervallo supergressa, nec adhuc deminuta aut adornans fugam. Neque illud rursus proprium & perpetuum est, ut veteres stellæ mutationem prorsus non patiantur, sed tantùm stellæ recentioris Epiphaniæ, in quibus nil mirum si mutatio eveniat, cùm ipsa generatio & origo ipsarum immemorialis non sit. Missâ enim Arcadum fabulâ de prima Epiphania Lunæ, quâ se jactant illi fuisse antiquiores, non desunt exempla in rerum memoria satis fida, cùm Sol per tres vices absque incidentia Eclipsis, aut interpositione nubium, aëre liquido & sereno prodiit vultu mutato per multos dies, neque tamen similiter affectus, semel luce exili, bis subfusca. Talia enim evenerunt anno 790. per septendecim dies, & temporibus *Justiniani* per annum dimidium, & post mortem *Julii Cæsaris* per complures dies. Atque *Julianæ* illius obtenebrationis manet testimonium illud insigne *Virgilii*.

Ille

Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam,
Cùm caput obscurâ nitidum ferrugine texit,
Impiaq; æternam timuerunt sæcula noctem.

Varronis verò hominis in Antiquitate peritissimi narratio, quæ invenitur apud *Augustinum* de stellâ *Veneris*: illam scilicet tempore *Ogygis* Regis mutavisse colorem, magnitudinem & figuram, dubiæ fidei esse potuit, nî simile eventum celebri spectaculo, ætate nostrâ 1578. recurrisset. Nam tum quoque per annum integrum vovatio facta est memorabilis in stella *Veneris*, quæ conspiciebatur magnitudine & splendore insolitis, rubedine *Martem* ipsum superabat, & figuram sæpiùs mutabat facta quandoque triangularis, quandoque quadrangularis, etiam rotunda, ut in ipsa massa & substantia prorsus pati videretur. Quin etiam stella illa ex Veteribus, quæ in coxa caniculæ sita est, quam ipse se vidisse dicit *Aristoteles*, comæ nonnihil habentem, eamque comam, præsertim obiter intuenti vibrantem, mutata jam videtur & comam deposuisse, cùm nihil hujusmodi jam nostrâ ætate deprehendatur. Adde etiam, quòd complures mutationes cœlestium, præsertim in stellis minoribus ex neglectu observationum facilè præterlabuntur, & nobis pereunt. At promptum erit sciolo alicui ista ad vapores & dispositionem medii referre; sed mutationes, quæ corpus astri alicujus constanter, & æquabiliter, & diu obsidere deprehenduntur, & unà cum astro circumvolvi; omninò in astro ipso, aut saltem in æthere propinquo statui debent, non in regionibus aëris inferioribus; cujus rei etiam argumentum sumitur planè validum, quòd hujusmodi mutationes rarò fiunt, & longis intervallis annorum; quæ autem in aëre fiunt per interpositionem vaporum, frequentiùs. Quòd si quis judicium faciat ex ordine cœli, atque motus ipsius æquabilitate, cœlum immutabile esse, atque certitudinem illam periodorum & restitutionem sumat in æternitatis tesseram non dubiam, cùm substantiæ corruptibili vix competere videatur motus constantia; is paulò attentiùs dispicere debuerat, istam reditionem rerum per vices, & tamquam in orbem per tempora certa, etiam hîc infrà apud nos reperiri in nonnullis, maximè in æstu Oceani; differentiæ autem minores, quæ in cœlestibus esse possunt, & periodis & restitutionibus suis aspectum nostrum & computationes nostras fugiunt. Neque magis motus ille circularis cœli in argumentum æternitatis sumi potest, quòd scilicet lationis circularis non sit terminus; motus autem immortalis substantiæ immortali convenit. Nam etiam Cometæ inferiores subter Lunam locati rotant, idque ex vi propria; nisi quis fortè credere malit commentum illud de alligatione ad astrum. Enimverò si placeat argumentari de æternitate cœlestium ex motu circulari, id ad universitatem cœli trahi debuit, non ad partes cœli; etenim aër, mare, terra, massis æterna, partibus caduca. Quin potiùs contrà, non ita benè ominari licet de æternitate cœli ex motu illo rotationis; quia ille ipse motus non est perfectus in cœlo, nec restituit se exactè in circulo integro & puro, sed cum declinationibus, sinuationibus, & spiris. Porrò si quis illud, quòd diximus de terra, retorqueat, (videlicet quòd mutationes, quæ in ea fiunt, per accidens fieri disseruimus, eò quòd terra patiatur à cœlo;) atque asserat contrariam esse rationem cœli, cùm cœlum nullo modo pati possit vicissim à terra, quandoquidem omnis emissio à terra citra cœlum desinat, ut probabile sit, cœlum ultra omnem vim inimicam sepositum, susceptivum esse æternitatis, cùm à natura opposita minimè concutiatur, aut labefactetur; is non contemnenda quædam objicit. Neque enim ii sumus, qui *Thalesis* simplicitatem revereamur, qui ignes cœlestes depascere vapores è terra & oceano sublimatos, atque inde ali & refici opinatus est, (illi verò vapores recidunt ferè simili quanto ac descenderunt, neque reficiendis & terræ & globis cœlestibus ullo modo sufficiunt, neque prorsus in tàm altum pervenire possint,) sed tamen utcunque terræ effluvia materiata longè infra cœlum se sistant, nihilominùs si terra sit primum frigidum ex sententia *Parmenidis* & *Thelesii*, non facilè quis affirmet, aut certò ad quam altitudinem vis illa adversatrix & rivalis cœli se insinuet seriatim & per successionem, præsertim cùm tenuia naturam & impressionem frigidi & calidi imbibant, & longè perferant. Sed tamen dato, quòd cœlum non patiatur à terra, nil obstat, quin cœlestia à se invicem pati possint & immutari, Sol nimirum à stellis, stellæ à Sole, Planetæ ab utrisque, universæ ab æthere circumfuso, præsertim in desinentiis globorum. Præterea videtur opinio de æternitate cœli magnas vires sumpsisse ex ipsa machina & constructione cœli, quam Astronomi plurima cum satagentia introduxerunt. Cautum enim magnopere videtur ex ea, ut cœlestia nil patiantur, præter simplicem rotationem, in cæteris consistant, nec perturbentur. Itaque corpora astrorum in orbibus suis tanquam clavis fixa posuerunt. Singulis autem declinationibus, sublationibus, depressionibus, sinuationibus ipsorum tot circulos perfectos convenientis crassitudinis attribuerunt, circulorum eorum & concava & convexa egregiè tornantes & polientes, ut in eis nil eminens, nil asperum inveniatur, sed alter inter alterum receptus, & ob lævorem exactè contiguus, & tamen labi facilis moveat placidè & feliciter, quæ immortalis scilicet ingeniatio summovet omnem violentiam & perturbationem, individuas profectò corruptionis prænuntias. Nam certè si corpora tanta, qualia sunt globi astrorum, æthera secant, neque tamen perpetuò meant per easdem ætheris partes, sed per partes & tractus longè diversos, cùm aliquando superna invadant, aliquando versus terram descendant, aliquando vertant se ad Austrum, aliquando ad Boream, periculum est procul dubio, ne fiant plurimæ in cœlo impressiones, & concussiones, & reciprocationes, & fluctus, atque inde sequantur condensationes & rarefactiones corporum, quæ generationibus & alterationibus viam præstinent, & præstruant. Quandoquidem verò ex rationibus physicis, atque insuper ex phænomenis ipsis planè constabit hoc posterius verum esse, atque commenta illa priora Astronomorum, de quibus diximus (si quis sanam mentem sumat) naturæ prorsus illudere videantur, & rerum reperiantur inania: consentaneum est, ut etiam opinio de æternitate cœlestium, quæ cum illis conjuncta est, idem subeat judicium. Quòd si quis hîc religionem opponat, illi responsum volumus, Ethnicam jactan-

tiam tantummodò istam æternitatem cœlo soli attribuere, Scripturas sacras æternitatem terræ & cœlo ex æquo. Neque enim legitur solùm, *Solem & Lunam æternos & fideles testes in cœlo esse*; sed & illud: *Generationes advenire & migrare, terram autem in æternum manere.* De natura autem labili & caduca utriusque uno simul oraculo conclusum est: *Cœlum & terram pertransire, verbum autem Domini non pertransire.* Deinde, si quis adhuc instet, negari tamen non posse, quin in ipsa superficie orbis terrarum & partibus proximis, infinitæ fiant mutationes, in cœlo non item, huic ira occurrimus; nec nos hæc per omnia æquare, & tamen si regiones, (quas vocant) superiorem & mediam aëris, pro superficie aut interiore tunica cœli accipiamus, quemadmodum spatium istud apud nos, quo animalia, plantæ, & mineralia continentur, pro superficie vel exteriore tunica terræ accipimus; & ibi quoque varias & multiformes generationes inveniri. Itaque tumultus ferè omnis & conflictus & perturbatio in confiniis tantùm cœli & terræ locum habere videtur, ut in rebus civilibus fit, in quibus illud frequenter usu venit, ut duorum Regnorum fines continuis incursionibus & violentiis infestentur, dum interiores utriusque Regni provinciæ diutina pace fruuntur, & bellis tantùm gravioribus & rarioribus commoventur. Quod verò ad illam alteram partem heterogeniæ cœlestium attinet, (prout asseritur ab Aristotele) quòd calida non sint, ne fortè sequatur conflagratio *Heracliti*, sed quòd calefaciant per accidens, conterendo & diverberando aërem; nescimus quid sibi velit hujusmodi desertor experientiæ, idque contra consensum veterum. Sed in illo minimè novum est, ut unum aliquid ab experientia abripiat, & statim naturæ insultet, pusillanimus simul & audax. Verùm de hoc mox dicemus, in quæstione: *Utrùm astra sint veri ignes?* Fusiùs verò & accuratiùs in consiliis nostris circa historiam virtutum, ubi origines & cunabula *calidi* & *frigidi* tractabimus, mortalibus adhuc incognita & intacta. Atque quæstio de heterogenia cœlestium ad hunc modum proposita sit. Damnare enim sententiam Aristotelis absque comperendinatione, res fortasse postulat, sed nostrum non patitur institutum.

Altera proponitur quæstio: *Quale sit contentum spatiorum interstellarium?* Illa enim aut vacua sunt, quod *Gilbertus* sensit, aut repleta corpore, quòd sit ad astra instar aëris ad flammam; quòd familiariter accedit ad sensum: vel repleta corpore homogeneo cum ipsis astris, lucido & quodammodo empyreo, sed secundum minus, lucis scilicet non tàm præfulgidæ & vibrantis: id quod sibi velle videtur recepta opinio, quòd stella sit pars densior sphæræ suæ. Nihil autem officit quò minùs lucidum sit Diaphanum ad transmittendam lucem magis fortem. Nam acutè notavit *Telesius* etiam aërem communem continere aliquid in se lucis, eo usus argumento, quòd sint quædam animalia, quæ noctu vident, quorum scilicet visus ad tenuem hujusmodi lucem recipiendam & fovendam sit proportionatus. Nam actum lucis absque ulla luce, vel ex ipsa spiritus visivi luce interna fieri, minùs credibile esse. Sed & flamma ipsa diaphana conspicitur, etiam ad transmittendam speciem corporis opaci, ut in filis lucernarum patet; multò magis ad transmittendam speciem lucis intensioris. Etiam ex flammis aliæ aliis sunt pellucidiores. Idque accidit vel ex natura corporis inflammati, vel ex copia. Nam flamma sevi, aut ceræ magis luminosa est, & (si ita loqui licet) magis ignea; at flamma spiritus vini magis opaca, & tamquam aërea, præsertim si in parva sit quantitate, ut flamma se ipsam non inspisset. At nos hujus rei etiam experimentum fecimus; videlicet accipientes candelam ceream, eamque in situla erigentes (situla idcircò usi metallica, ut corpus candelæ à flamma, quæ circumfundenda erat, posset muniri,) situlam verò in patera, ubi erat parùm spiritus vini, collocantes, tumque primò candelam, deinde spiritum vini accendentes; ubi facilè erat cernere flammam candelæ coruscantem & candidam per medium flammæ spiritus vini infirmæ & vergentis ad diaphanum. Atque pari ratione cernuntur sæpiùs per *cœlum* tralucidæ, lucem manifestam ex se præbentes, & tenebras noctis insigniter illustrantes; per quarum corpora tamen datur conspicere astra. Attamen ista inæqualitas stellæ & ætheris interstellaris non bene definitur per tenue & densum, ut stella scilicet sit densior, æther tenuior. Nam generaliter hîc apud nos flamma aëre est corpus subtilius, magis, inquam, expansum, & minùs habens materiæ pro spatio quod occupat, quod etiam in cœlestibus obtinere probabile est. Durior verò est error, si stellam sphæræ partem esse intelligant veluti clavo fixam, & æthera stellæ deferens. Hoc enim fictitium quiddam est, quemadmodum & orbium contiguatio illa, quæ describitur. Nam corpus stellæ in cursu suo aut æthera secat, aut & æther ipse rotat simul æqualiter. Si enim inæqualiter rotet, etiam stellam secare æthera necesse est. Fabrica autem illa orbium contiguorum, ut concavum exterioris orbis recipiat convexum interioris, & tamen propter lævorem utriusque alter alterum in conversionibus suis, licèt inæqualibus, non impediat, realis non est; cum perpetuum & continuum sit corpus ætheris, quemadmodum & aëris; & tamen quia magna reperiatur in utroque corpore diversitas, quatenùs ad raritatem & alia, regiones ipsorum docendi gratiâ rectissimè distinguantur. Itaque recipiatur sexta quæstio secundùm hanc nostram explicationem. Sequitur quæstio altera nec ea simplex; de substantia ipsorum astrorum. Primò enim quæritur: *An sint alii globi sive massæ ex materia solida & compacta, præter ipsam terram?* Sanâ enim mente proponitur ea contemplatio in libro de facie in orbe Lunæ; non esse verisimile, in dispersione materiæ naturam, quicquid compacti corporis erat, in unicum terræ globum conclusisse, cùm tantus sit exercitus globorum ex materia rara & explicata. Huic verò cogitationi tàm immoderatè indulsit *Gilbertus*, (in quo tamen habuit præcursores vel duces potiùs nonnullos ex Antiquis) ut non solùm terram & Lunam, sed complures alios globos, solidos & opacos, per expansionem cœli inter globos lucentes, sparsos asserat. Neque opinio ejus hic stetit, sed & globos illos lucentes ad aspectum, nimirum Solem & clarissima quæque astra, ex materia quapiam solida, licèt magis splendida & æquali, constitui existimavit, lucem primitivam cum lumine, quod ejus censetur imago, confundens: (nam

& no-

& nostrum mare ex sese lucem ad distans proportionatum ejaculari censuit) nullam autem conglobationem agnovit *Gilbertus*, nisi in materia solida, cujus corpora illa circumfusa rara & tenuia, effluvia quædam tantùm essent, & tamquam defectiones, & deinde vacuum. Verùm diligentissimi cujusque & maximè sobrii investigatoris naturæ animum perstringere posset cogitatio illa de Luna, quòd sit ex materia solida. Nam & lucem reverberat, nec lucem transmittit, & propriæ lucis tamquam expers est, & plena est inæqualitatis; quę omnia solidorum sunt. Videmus enim ęthera ipsum & aërem, quæ tenuia sunt corpora, solis lucem excipere, sed minimè reflectere, quod Luna facit. Solis verò radiorum is est vigor, ut densas admodum nubes, quæ materiæ sunt aqueæ, trajicere & penetrare possit, Lunam tamen neutiquam. At lux Lunæ ipsius in Eclipsibus aliquibus cernitur nonnulla licèt obscura; in noviluniis autem & ætatibus Lunæ, nulla, præter partem irradiatam à Sole. Porrò, flammæ impuræ & fæculentæ (ex quo genere substantiæ *Empedocles* constare Lunam opinatus est) sunt certè inæquales, sed tamen eæ inæqualitates non locantur, sed mobiles plerumq; sunt, cum maculę in Luna constantes putentur. Accedit quoque quòd maculæ illæ etiam suas subinæqualites habere deprehendantur per specilla optica, ut jam planè multipliciter figurata reperiatur Luna & Selenographia illa sive typus Lunæ, quem animo agitabat. *Gilbertus* jam ex *Galilæi* & aliorum industria præsto esse videatur. Quòd si Luna ex materia quapiam solida constitui possit ut terræ affinis, aut fæx *cœli*, (hujusmodi quædam jactantur,) videndum rursus, an illa sit in hoc genere sola. Nam & *Mercurius* quandoque repertus est in conjunctione Solis, tamquam macula quædam, sive pusilla Eclipsis. At maculæ illæ nigricantes, quæ in hemisphærio antarctico inveniuntur, suntque fixæ, non secùs ac Galaxia, majorem injiciunt dubitationm de globis opacis, etiam in partibus *cœli* sublimioribus. Nam quòd illud in causa sit, quia *cœlum* in illis locis sit tenue & tamquam perforatum, id minùs verisimile est; propterea quòd hujusmodi decrementum & tamquam privatio rei visibilis ex tanta distantia visum nostrum nullo modo percutere possit, cùm etiam reliquum corpus ætheris invisibile sit, nec nisi per comparationem ad corpora stellarum cernatur. Illud fortasse magis probabile foret, nigrores illos luminis imputare, quia rariores inveniuntur stellę circa eam partem *cœli*, quemadmodum circa Galaxiam crebriores; ut alter locus continenter luminosus videatur, alter umbrosus. Magis enim committi videntur ignes cœlestes in antarctico hemisphærio, quàm in nostro; majores siquidem stellas habeat, sed pauciores & spatia interstellaria majora. Verùm ipsa traditio de maculis illis non admodum fida est, saltem non tàm magna circa eam observationem adhibita est diligentia, ut consequentiæ inde deduci adhuc debeant. Illud magis premit inquisitionem præsentem, quòd possint esse plures globi opaci per æthera sparsi, qui omninò non cernuntur. Nam & Luna ipsa in primis ortibus, quatenùs illustratur à Sole, visum sanè ferit, cornu & labro illo tenui circuli extimi, in profundo autem minimè, sed cernitur eadem specie tamquam reliquus æther: & stellulæ illæ erraticæ circa *Jovem*, à *Galilæo* (si fides constet) repertæ, merguntur ad visum nostram in pelago illo ætheris, tamquam insulæ minores & non conspicuæ; similiter & illæ stellulæ, quarum glomeratio efficit Galaxiam, si singulæ sparsim, non congregatę confertim, collocatę essent, prorsus conspectum nostrum effugerent; quemadmodum & complures aliæ, quæ noctibus serenis, præsertim per hiemem, micant; etiam nebulosæ illæ stellæ sive foramina ad *præsepe* jam distinctæ per specilla numerantur; quin per eadem specilla in fonte lucis omnium purissimo, (Solem dicimus) macularum, & opaci, & inæqualitatis scrupulus nonnullus objectus esse videtur. Quòd si nihil aliud, certè gradatio ipsa inter astra cœlestia quoad lucem, à clarissimis descendens & pertingens ad obscura & caliginosa, eò rem deducit, ut fidem faciat posse esse & globos omninò opacos. Minor enim gradus esse videtur à stella nebulosa ad opacam, quàm à stella clarissima ad nebulosam. Aspectus autem noster planè fallitur & circumscribitur. Quicquid enim spargitur in cœlo, neque habet magnitudinem insignem, atque etiam lucem vividam & fortem, latet, nec faciem cœli mutat. Neque verò imperiti cujusquam animum percellat, si in dubium veniat, utrùm globi ex materia compacta pensiles sisti possint. Nam & terra ipsa in medio aëris, rei mollissimæ, circumfusi, pensilis natat, & magnæ nubium aquosarum moles & grandinis congeries hærent in regionibus aëris, & inde magis dejiciuntur quàm descendunt, antequam terræ vicinitatem persentiscant. Itaque optimè notavit *Gilbertus*, corpora gravia post longam à terra distantiam motum versus inferiora paulatim exuere, utpote qui à nullo alio corporum appetitu, quàm illo coëundi & se congregandi ad terram, (quæ est corporum cum iisdem connaturalium massa) ortum habet, atque intra orbem virtutis suæ terminatur. Nam quod de motu ad terræ centrum asseritur, esset profectò virtuosum genus nihili, quod tanta ad se raperet: Neque corpus nisi à corpore patitur. Itaque quæstio ista de globis opacis & solidis, licèt nova & ad opiniones vulgares durior recipiatur; atque unà conjungatur quæstio illa vetus, nec tamen decisa, *quæ ex astris lucem promant primitivam, atque ex sese, & quæ rursus ex illustratione Solis*, quarum altera consubstantialia videntur Soli, altera Lunæ. Denique omnem inquisitionem de diversitate substantiæ astrorum ad invicem, quæ multifaria videtur, cùm alia rutila, alia plumbea, alia candida, alia splendida, alia nebulosa manifestò & constanter cernantur, ad septimam quæstionem intelligimus referri. Altera quæstio ea est: *An astra sint veri ignes?* quæ tamen quæstio desiderat prudentiam quandam intelligendi. Aliud est enim dicere: *Astra esse veros ignes.* Aliud: *Astra (sint licèt veri ignes,) cunctas exercere vires, atque easdem edere actiones, quas ignis communis.* Neque propterea ad ignem aliquem notionalem aut phantasticum deveniendum est, qui nomen ignis retineat, proprietates abneget. Nam & noster ignis si in tali quanto, quale est quantum astri, in æthere collocaretur, differentes daturus fuerit operationes ab iis, quæ reperiuntur hîc apud nos; cùm entia longè diversas nanciscantur virtutes, & ex quanto suo & ex consitu sive collocatione sua. Etenim massæ majores, hoc est, corpora connaturalia, quæ congregantur in tali quanto, quod

habeat analogiam ad summam universi, induunt virtutes cosmicas, quæ in portionibus suis nullatenùs reperiuntur. Nam oceanus, qui est aquarum congregatio maxima, fluit & refluit; at stagna & lacus, minimè. Similiter universa terra pendet, portio terræ cadit, Collocatio autem entis plurimi ad omnia momenti est & in portionibus majoribus & minoribus, propter contigua & adjacentia vel amica vel inimica. At multò majorem etiam evenire necesse est actionum diversitatem inter ignem astrorum & nostrum, quia non tantùm in quanto & collocatione, sed etiam in substantia aliquatenùs varietur. Ignis enim astrorum purus, integer & nativus; at ignis noster degener, qui tamquam *Vulcanus* in terram dejectus, ex casu claudicat. Si quis enim advertat, habemus ignem apud nos extra locum suum, trepidum, contrariis circumfusum, indigum, & stipem alimenti, ut conservetur, emendicantem, & fugientem. At in *cœlo* existit ignis verè locatus, ab impetu alicujus contrarii disjunctus, constans ex se & similibus conservatus, & proprias operationes liberè & absque molestia peragens. Itaq; nihil opus fuit *Patritio*, ut formam flammæ pyramidalem, qualis apud nos invenitur, salvaret, comminisci superiorem partem astri, quæ versus æthera vertitur, posse esse pyramidalem, licèt inferior pars, quæ à nobis conspicitur, sit gibbosa. Nam Pyramis illa flammæ per accidens est ex coactione & constrictione aëris, siquidem flamma circa fomitem suum plenior, ab inimicitia aëris sensim constringitur & effingitur in formam pyramidis. Itaque in flamma, basis flammæ lata est, vertex acutus; in fumo, contra, inferius acutum, vertex latus, & tamquam pyramis inversa; quia aër fumum recipit, flammam comprimit. Quare consentaneum est, flammam apud nos esse pyramidalem, in cœlo globosam. Similiter & flamma apud nos corpus momentaneum est, in æthere permanens & durabilis. Attamen & apud nos flamma & ipsa manere possit in forma sua & subsistere, nisi à circumfusis perderetur, quod manifestissimum est in flammis majoribus. Omnis enim portio flammæ in medio flammæ sita, & flammæ undique circumdata, non perit, sed eadem numero manet inexstincta, & *Cœlum* rapidè petens; at in lateribus laboratur atque abinde orditur exstinctio. Cujus rei modus (flammę interioris scilicet permanentia in figura globosa, & flammæ exterioris vanescentia & pyramis) in flammis bicoloribus experimento demonstrari possit. Quin etiam de ipso ardore flammæ inter cœlestem & nostram, plurimùm variari potest. Nam flamma cœlestis libenter & placidè explicatur, tamquam in suo, at nostra tamquam in alieno compingitur, & ardet, & furit. Omnis enim ignis constipatus & incarceratus fit ardentior. Enimverò & radii flammę cœlestis postquam ad corpora densiora & magis obstinata pervenerint, & ipsi lenitatem suam deponunt, & fiunt magis adurentes. Itaque non debuit *Aristoteles* conflagrationem *Heracliti* orbi suo metuere, licèt astra veros ignes statuisset. Poterit igitur ista quæstio recipi secundùm hanc explicationem. Sequitur altera quæstio: *An astra alantur atque etiam an augeantur, minuantur, generentur, exstinguantur?* atque certè ex veteribus aliquis observatione quadam plebeja ali astra putavit, instar ignis, atque aquas & Oceanum & humiditatem terræ depascere, atque ex vaporibus & halitibus reparari. Quæ certè opinio non videtur digna esse, ut quæstioni materiam subministret. Nam & vapores hujusmodi longè citra astrorum altitudines deficiunt. Neque illorum tanta est copia, ut & aquis, & terræ per pluvias & rores reparandis, atque insuper tot & tantis globis cœlestibus reficiendis sufficere ullo modo queant; præsertim cùm manifestum sit, terram & oceanum humore evidenter per multa jam secula non decrescere, ut tantundem reponi videatur, quantum exsorbetur. Neque etiam ratio alimenti astris tanquam igni nostro competit. Ubi enim aliquid deperit & decedit, ibi etiam reponitur quippiam & assimulatur. Quod genus assimulationis ex Tartarismis est, & ex contrariorum aut dissimilium circumfusione ortum ducit. At in astrorum mole similari & interiore nil tale evenit, non magis quàm in visceribus terræ, quæ nec ipsa aluntur, sed substantiam suam secundùm identitatem, non secundùm assimulationem. Attamen de extimis oris corporum sidereorum rectè datur quæstio: *Utrùm ea uno eodemque tenore maneant, aut æthera circumfusum depredentur, atque etiam inficiant?* Quare eo sensu de alimoniis astrorum etiam quæri poterit. De augmentis verò & diminutionibus astrorum in toto suo, rectè adjungitur quæstio; licèt rara admodum fuerint Phænomena, quæ illi dubitationi occasionem præbere possint. Primò enim exemplum nullum, neque simile aliquid inter ea, quæ apud nos reperiuntur, huic quæstioni patrocinantur; cùm globus noster terræ & aquarum non videatur suscipere secundùm totum suum, augmentationem, aut diminutionem evidentem, aut insignem, sed molem suam & quantum suum servare. At stellæ apparent ad aspectum nostrum interdum majore, interdum minore corpore. Verum est, sed illa majoritas & minoritas stellæ, vel ad longinquitatem & ad vicinitatem refertur, ut in apogæis & perigæis Planetarum, vel ad constitutionem medii. Quæ verò fit ex constitutione medii, facilè dignoscitur, quòd non alicui certæ stellæ, sed omnibus ex æquo apparentiam mutet, ut fit noctibus hiemalibus, gelu intensiore, quando stellæ auctæ videntur magnitudine, quia vapores & parciùs surgunt & fortiùs exprimuntur, & universum corpus aëris nonnihil condensatur, & vergit ad aqueum sive cristallinum, quod species exhibet majores. Quòd si fortè fuerit aliqua particularis interpositio vaporum inter aspectum nostrum & astrum certum, quæ speciem astri ampliet (quod in Sole & Luna frequenter & manifestò fit, & in reliquis accidere potest) ea apparentia nec ipsa fallere potest, quia mutatio illa magnitudinis non durat, neq; sequitur astrum, nec cum corpore ejus movetur, verum astrum ab ea citò liberatur, & solitam recuperat speciem. Verumtamen quamvis ista ita se habeant, tamen cùm & olim temporibus priscis, atq; etiam ætate nostra, celebri & magno spectaculo magna novatio facta fuerit in stella *Veneris* & magnitudine & colore, atque etiam figura; cùmque mutatio, quæ astrum aliquod certum perpetuò & constanter sequitur, & cum corpore ejus circumvolvi cernitur, necessariò statui debeat in astro ipso, & non in medio; cùmq; ex observationum neglectu multa, quæ in cœlo fiunt conspicua, præteriantur & nobis pereant; istam partem quæstionis

nenæ

nonæ rectè admitti censemus. Ejusdem generis est altera pars quæstionis: *Utrùm astra per longos seculorum circuitus nascantur & dissipentur?* nisi quod major suppetat Phænomenorum ubertas, quæ hanc quæstionem provocat, quàm illam de augmentis; sed tamen in uno genere tantùm. Nam quoad veteres stellas, omni seculorum memoriâ nec alicujus earum ortus primus notatus est, (exceptis iis, quæ *Arcades* de Luna olim fabulati sunt) nec aliqua ex iis desideratur. Earum verò, quæ Cometæ habitæ sunt, sed formâ & motu stellari, & prorsus veluti stellæ novæ & apparitiones vidimus, atque etiam ab Antiquis accepimus, & disparitiones, dum aliis hominibus tamquam consumptæ visæ sunt, aliis tamquam assumptæ (utpote quæ ad nos devectæ tamquam in perigæis, posteà ad sublimiora remeârunt,) aliis verò tamquam rarescentes existimatæ sunt, atque in æthera solutæ. Verùm universam istam quæstionem de stellis novis ad eum locum rejicimus, ubi de Cometis dicemus. Superest quæstio altera, de *Galaxia* videlicet: *An Galaxia sit glomeratio astrorum minimorum, aut corpus continuatum, & pars ætheris, media naturæ inter ætheream & sideream?* Nam opinio illa de exhalationibus jam diu exhalavit, non sine nota ingenii *Aristotelis*, qui tale aliquid confingere ausus est, rei tàm constanti & fixæ imponendo naturam transitoriam & variam. Quin & finis etiam hujus quæstionis, prout à nobis proponitur, adesse jam videtur, si iis credimus, quæ *Galilæus* tradidit, qui confusam illam lucis speciem in astra numerata & locata digessit. Nam quòd *Galaxia* non tollit aspectum astrorum, quæ intra ipsam inveniuntur, illud certe sitem non dirimit, nec rem declinat in alterutram partem; id tantummodò fortasse abnegat, non collocari *Galaxiam* inferiùs æthere stellato. Hoc enim si foret, atque insuper corpus illud continuatum *Galaxiæ* aliquam haberet profunditatem, aspectum nostrum interceptum iri consentaneum esset. Si verò pari collocetur altitudine cum stellis, quæ per eam conspiciuntur, nil obstat, quin stellæ spargi possint in ipsa Galaxia, non minùs quàm in reliquo æthere. Itaque & istam quæstionem recipimus. Atque hę sex quæstiones pertinent ad substantiam cœlestium; qualis scilicet sit substantia cœli in genere, & qualis ætheris interstellaris, & qualis *Galaxiæ*, & qualis astrorum ipsorum, sive conferantur ad invicem, sive ad ignem nostrum, sive ad corpus proprium. At de numero, magnitudine, figura & distantia astrorum præter phænomena ipsa & quæstiones historicas, de quibus posteà dicetur, problemata Philosophica ferè simplicia sunt. De numero scilicet sequitur quæstio altera: *An is sit numerus astrorum qui videtur, quique Hipparchi diligentiâ notatus & descriptus est, & in globi cœlestis modulum conclusus?* Nam & satis frigida est ratio ea, quæ redditur innumeræ illius multitudinis stellarum occultarum, & tamquam invisibilium, quæ noctibus serenis, præsertim per hiemem conspici solent; ut illæ apparentiæ scilicet sint non stellæ minores, sed radiationes tantùm & micationes, & tanquam spicula stellarum cognitarum; & nova jam censa sunt plebeculæ cœlestis capita à *Galilæo*, non solùm in alia turma, quæ *Galaxia* nomine insignitur, verùm etiam inter stationes ipsas & ordines Planetarum. Stellæ autem invisibiles fiunt, aut propter corporis parvitatem, aut propter opacitatem, (nam tenuitatis nomen non admodum approbamus, cùm flamma pura sit corpus eximiæ tenuitatis,) aut propter elongationem & distantiam. De auctario autem numeri astrorum per generationem stellarum novarum, quæstionem, ut prius, ad locum de Cometis rejicimus. Quod verò ad magnitudinem astrorum attinet, ea, quæ est secundùm apparentiam magnitudo, pertinet ad Phænomena, vera autem ad inquisitionem philosophicam, solo illo contenta problemate duodecimo: *Quæ sit vera magnitudo cujusque astri, vel mensurata, vel saltem collata?* facilius enim est inventu & demonstratu, globum Lunæ esse globo terræ minorem, quàm globum Lunæ in ambitu tot millia passuum continere. Itaque tentandum & contendendum, ut exactæ magnitudines inveniantur; illæ si minùs haberi possint, utendum comparatis. Capiuntur autem atque concluduntur magnitudines veræ vel ab Eclipsibus & umbris; vel ab extensionibus tàm luminis, quàm aliarum virtutum, quas corpora quæque pro ratione magnitudinis longiùs aut propiùs ejaculantur & diffundunt; vel postremò per symmetriam Universi, quę portiones corporum connaturalium ex necessitate quadam temperat & terminat. Minimè verò standum iis, quæ ab Astronomis de veris magnitudinibus astrorum dicta sunt (licèt videatur esse res magnæ & accuratæ subtilitatis,) satis licenter & incautè; sed exquirendæ (si quæ se ostendunt) probationes magis fidæ & sinceræ. Magnitudo verò & distantia astrorum se invicem indicant ex rationibus opticis; quæ tamen & ipsæ excuti debent. Ista autem de vera magnitudine astrorum quæstio, numero duodècima est. Sequitur quæstio altera de figura: *An astra sint globi?* hoc est, coacervationes materiæ in figura solida rotunda. Videntur autem ad apparentiam tres se ostendere figuræ astrorum, globosa & crinita, ut Sol; globosa & angulata, ut stellæ (crines verò & anguli ad aspectum tantùm referuntur, forma globosa tantùm ad substantiam) globosa simpliciter, ut Luna. Neque enim conspicitur stella oblonga, aut triangularis, aut quadrata, aut alterius figuræ. Atque secundùm naturam videtur ut massæ rerum majores, ad conservationem sui & veriorem unionem, se congregent in globos. Decima quarta quæstio pertinet ad distantiam: *Quæ sit vera distantia alicujus stellæ in profundo cœli?* Nam distantiæ Planetarum tàm ad invicem, quàm cum stellis fixis laterales, sive per ambitum cœli reguntur à motibus earum. Quemadmodum autem superiùs de magnitudine astrorum diximus, si exacta magnitudo & planè mensurata haberi non possit, utendum esse magnitudine comparata; idem de distantiis præcipimus; ut si exactè capi distantia non possit (exempli gratia à terra ad *Saturnum*, vel ad *Jovem*) tamen ponatur in certo *Saturnum* esse *Jove* sublimiorem. Neque enim Systema cœli quoad interius, scilicet ordo Planetarum quoad altitudines, omninò sine controversia est, neque quæ nunc obtinuerunt, olim credita sunt. Atque etiam adhuc lis pendet de *Mercurio* & *Venere*, utra sit sublimior. Inveniuntur autè distantiæ aut ex parallaxibus, aut ex Eclipsibus, aut ex rationibus motuum, aut ex apparentiis diversis magnitudinum. Etiam alia auxilia huic rei comparanda

sunt,

ſunt, quæ humana queat induſtria comminiſci. Præterea craſſitudines ſive profunditates ſphærarum pertinent etiam ad diſtantias.

THEMA COELI.

CUM verò tanta reperiantur undequaque incommoda, ſatis habendum, ſi aſſeratur quippiam, quod minùs durum ſit. Conſtituemus itaque & nos *Thema Univerſi*, pro modo Hiſtoriæ, quæ nobis hactenus cognita eſt, omnia integra ſervantes judicio noſtro, poſtquam Hiſtoria & per Hiſtoriam Philoſophia noſtra inductiva magis adulta ſit. Proponemus autem primò quædam de materia cœleſtium, unde motus & conſtructio ipſorum meliùs intelligi poſſit, poſteà de motu ipſo (quod nunc præcipuè agitur) quę cogitata & viſa nobis ſunt, proferemus. Videtur itaque natura rerum in diſpertitione materiæ, diſcluſiſſe tenuia à craſſis, atque globum terræ craſſis, omnia verò ab ipſa ſuperficie terræ & aquarum ad ultima cœli uſque tenuibus ſive pneumaticis aſſignâſſe, tamquam geminis rerum claſſibus primariis, non æquis ſcilicet ſed convenientibus portionibus. Neque verò vel aqua in nubibus hærens, vel ventus in terra concluſus, naturalem & propriam rerum collocationem confundit. Hæc verò differentia tenuis vel pneumatici, & craſſi vel tangibilis, omninò primordialis eſt, & ea, qua maximè utitur *Syſtema Univerſi*. Sumpta autem eſt ex rerum conditione omnium ſimpliciſſima, hoc eſt, copia & paucitate materiæ pro exporrectione ſua. Pneumatica verò, quæ hîc apud nos inveniuntur, (de iis loquimur, quæ ſimplicia & perfecta exiſtunt, non compoſita & imperfectè miſta,) ſunt planè illa duo corpora, *aër & flamma*. Ea verò ut corpora planè heterogenea ponenda ſunt, non ut vulgò putatur, quòd flamma nil aliud ſit, quàm aër incenſus. His verò reſpondent in ſuperioribus natura *ætherea* & *ſiderea*, ſicut & in inferioribus *aqua* & *oleum*, & magis in profundo *Mercurius* & *ſulphur*, & generaliter corpora cruda & pinguia; vel aliter, corpora flammam exhorrentia & concipientia, (ſales verò compoſitæ naturæ ſunt ex partibus crudis ſimul & inflammabilibus. Iſtæ verò duæ magnæ rerum familiæ *aërea* & *flammea*, videndum quo fœdere Univerſi partem longè maximam occupaverint, & quas partes habeant in Syſtemate. In aëre terræ proximo, flamma vivit tantùm vitam momentaneam, & affatim perit. Poſtquam autem aër cœperit eſſe ab effluviis terræ defœcatior & benè attenuatus, natura flammæ per varios caſus tentat & experitur in aëre conſiſtere, & quandoque acquirit durationem nonnullam, non ex ſucceſſione, ut apud nos, ſed in identitate; quod in aliquibus Cometis humilioribus ad tempus obtinet, quæ ſunt mediæ ferè naturæ inter flammam ſucceſſivam & conſiſtentem; non tamen figitur aut conſtat flammea natura, antequam perventum fuerit ad corpus Lunæ. Eo loco flamma exſtinguibile illud deponit, & ſe tuetur utcunque; ſed tamen infirma & ſine vigore eſt ejuſmodi flamma, & parùm habens radiationis, nec propriâ naturâ vivida, nec à contraria natura admodum excitata. Etiam integra non eſt, ſed ex compoſitione cum ſubſtantia ætherea, (qualis ibi invenitur,) maculoſa & interpolata. Neque in regione *Mercurii* admodum feliciter collocata eſt flamma, cùm ex coadunatione ſua parvum tantummodò Planetam confieere potis ſit, eumque cum magna & perturbata varietate & fluctu motuum, tamquam ignem fatuum, laborantem & conflictantem, nec ſe à ſolis præſidiis niſi per parva ſpatia disjungi ſuſtinentem. Atque poſtquam ad regionem *Veneris* eſt ventum, incipit roborari flammea natura & clareſcere, & in globum benè amplum congregari; qui tamen & ipſe famulatur Soli, & longiùs ab eo recedere exhorret. In Solis autem regione, tamquam in ſolio collocatur flamma; media inter flammas Planetarum, fortior etiam & vibrantior quàm flammæ fixarum, propter majorem antiperiſtaſin, & infenſiſſimam unionem. At flamma in regione *Martis* etiam robuſta cernitur, Solis vicinitatem rutilatione referens, ſed jam ſui juris, & quæ per integrum cœli diametrum ſe à Sole disjungi patiatur. In regione autem *Jovis* flamma contentionem paulatim deponens, magis placida videtur & candida, non tàm ex natura propria (ut ſtella *Veneris*, quippe ardentior) ſed ex natura circumfuſa minùs irritata & exaſperata; in qua regione veriſimile eſt illud, quod reperit *Galilæus*, cœlum incipere ſtelleſcere, licèt per ſtellas parvitate ſuâ inviſiles. In *Saturni* autem regione rurſus natura flammæ videtur nonnihil langueſcere & hebeſcere, utpote & à Solis auxiliis longiùs remota, & à cœlo ſtellato in proximo exhauſta. Poſtremò flammea & ſiderea natura, æthereæ naturæ victrix, cœlum dat ſtellatum, ex natura ætherea & ſiderea, (quemadmodum globus terræ ex continenti & aquis,) variè ſparſis conflatum, versâ tamen & ſubactâ, atque adeò aſſimulatâ ſubſtantiâ æthereâ, ut ſidereæ ſit prorſus patiens & ſubſerviens. Itaque tres reperiuntur à terra ad faſtigia cœli regiones generales, & tria tamquam tabulata, quoad naturam flammeam. Regio exſtinctionis flammæ, Regio coadunationis flammæ, & Regio diſperſionis flammæ. Atque de contiguo & continuo argutari in corporibus mollibus & fluoribus, plebejum omninò foret. Illud tamen intelligendum, conſuêſſe naturam ad ſpatia quædam per gradus, deinde ſubitò per ſaltus procedere, atque hujuſmodi proceſſum alternare; aliter nulla poſſet fieri fabrica, ſi per gradus inſenſiles perpetuò procederetur. Quantus enim ſaltus (quoad explicationem materiæ) à terra & aqua ad aërem vel maximè craſſum & nebuloſum? Atque hæc tamen natura tàm diſtantia corpora loco & ſuperficie conjunguntur, ſine medio & intervallo. Nec minor ſaltus (quoad naturam ſubſtantialem,) à regione aëris ad regionem Lunæ, ingens ſimiliter à cœlo Lunæ ad cœlum ſtellatum. Itaque ſi quis continuum & contiguum acceperit, non ex modo nexus, ſed ex diverſitate corporum connexorum, tres illas, quas diximus, regiones, in limitibus ſuis pro contiguis tantùm haberi queant. Jam verò videndum liquidò & perſpicuè, hæc noſtra de ſubſtantiis Syſtematis theoria, quæ & qualia neget, & quæ & qualia affirmet, ut faciliùs teneri vel deſtrui poſſit. Negat illud vulgatum, *flammam eſſe aërem incenſum*, affirmando corpora illa duo *aërem & flammam* planè eſſe heterogenea, inſtar *aquæ & olei*, *Sulphuris & Mercurii*. Negat *vacuum illud coacervatum Gilberti inter globos ſparſos*, ſed ſpatia vel aëreâ vel flammeâ naturâ repleri.

repleri. Negat *Lunam esse corpus aqueum, vel densum, vel solidum*, sed ex natura flammea, licèt lenta & enervi, primum scilicet rudimentum & sedimentum ultimum flammæ cœlestis; cùm flamma (secundùm densitatem) non minùs quàm aër & liquores, innumeros recipiat gradus. Affirmat, *flammam verè & libenter locatam figi & constare*, non minùs quàm aërem vel aquam, nec esse rem momentaneam & successivam tantùm in mole sua, per renovationem & alimentum, ut hîc fit apud nos. Affirmat *flammam habere naturam coitivam vel congregativam in globos*, quemadmodum natura terrea, minimè similem aëri & aquæ, quæ congregantur in orbibus & interstitiis globorum, sed nusquam in globos integros. Affirmat, *eandem naturam flammeam in loco proprio*, (id est,) *cœlo stellato spargi glomerationibus infinitis*, ita tamen, ut non exuatur dualitas ista ætheris & sideris, nec continuetur flamma in Empyreum integrum. Affirmat, *sidera veras flammas esse*, sed actiones flammæ in cœlestibus neutiquam trahendas ad actiones flammæ nostræ, quarum pleræque per accidens tantùm perfunguntur. Affirmat, *atherem interstellarem & sidera habere rationes ad invicem aëris & flammæ, sed sublimatas & rectificatas*. Atque de substantia Thematis sive Systematis Universi, hujusmodi quædam occurrunt. Nunc de motibus Cœlestium dicendum, cujus gratiâ hæc adduximus. Consentaneum videtur, ut quies non tollatur è natura, secundùm aliquod totum (nam de particulis nunc non est sermo.) Hoc, (missis argutiis Dialecticis & Mathematicis,) ex eo maximè liquet, quòd incitationes & celeritates motuum cœlestium remittant se per gradus, ut desituræ in aliquod immobile, & quòd etiam cœlestia participent ex quiete secundùm polos; & quòd si tollatur immobile, dissolvitur & spargitur Systema. Quod si sit coacervatio quædam & massa naturæ immobilis, non videtur ulteriùs quærendum, quin ea sit globus terræ. Compactio enim densa & arctata materiæ inducit dispositionem erga motum torpescentem & aversam; quemadmodum contra explicatio laxa, promptam vel habilem. Neque malè introducta est à *Telesio*, (qui instauravit Philosophiam *Parmenidis* & disputationes, in libro de *primo frigido*,) in naturam non certè coëssentialitas & conjugatio (quod ille vult) sed tamen affinitas & conspiratio, videlicet ex altera parte, *calidi, lucidi, tenuis, & mobilis*: & ex parte opposita, *frigidi, opaci, densi, & immobilis*; ponendo sedem primę conspirationis in cœlo, secundæ in terra. Quòd si ponatur *quies & immobile*, videtur etiam poni debere *motus absque termino & summe mobile*, maximè in naturis oppositis. Is motus est ferè rotationis, qualis invenitur in genere in cœlestibus. Agitatio enim in circulo terminum non habet, & videtur manare ex appetitu corporis, quod movet solummodò ut moveat, & se sequatur, & proprios petat amplexus, & naturam suam excitet, eaque fruatur, & propriam operationem exerceat; cùm contra latio in recta, itineraria videatur, & movere ad terminum cessationis, sive quietis, & ut aliquid assequatur, & dein motum suum deponat. Itaque de motu isto rotationis, qui est motus verus & perennis, & cœlestibus vulgò putatur proprius, videndum quomodo se expediat, & quo moderamine se incitet, & frenet, & qualia omninò patiatur. Quæ dum explicamus, formositatem illam Mathematicam (ut motus reducantur ad circulos perfectos, sive eccentricos, sive concentricos) & magniloquium illud (quòd terra sit respectu cœli instar puncti, non instar quanti) & complura alia Astronomorum inventa commentitia, ad calculos & tabulas relegabimus. At primò motus cœlestium dividemus: *Alii cosmici sunt, alii ad invicem*. Eos dicimus *cosmicos*, quos cœlestia ex consensu non cœlestium tantùm, sed universitatis rerum nanciscuntur. *Eos ad invicem*, in quibus alia corpora cœlestia ex aliis pendent. Atque vera & necessaria est ista divisio. Terrâ itaque stante (id enim nunc nobis videtur verius) manifestum est, cœlum motu diurno circumferri, cujus motus mensura est spatium viginti quatuor horarum, vel circiter; Consequentia autem ab Oriente ad Occidentem; Conversio super puncta certa (quos polos vocant) Australe & Boreale. Etenim non jactantur cœli super polos mobiles, nec rursus alia sunt puncta, quàm quæ diximus. Atque hîc motus verè videtur cosmicus, atque ideò unicus, nisi quatenùs recipit & decrementa & declinationes; secundùm quæ decrementa & declinationes transverberat motus iste Universum rerum mobilium, & permeat à cœlo stellato usque ad viscera & interiora terræ; non raptu aliquo prehensivo, aut vexativo, sed consensu perpetuo. Atque iste motus in cœlo stellato perfectus est & integer, tàm mensurâ justâ temporis, quàm restitutione plenâ loci. Quantò autem deceditur è sublimi, tantò iste motus imperfectior est, respectu tarditatis, & respectu etiam aberrationis à motu circulari. Ac primò de tarditate dicendum separatim. Affirmamus *Saturnum* motu diurno tardiùs moveri, quàm ut circumferatur aut restituatur ad idem punctum intra viginti quatuor horas; sed cœlum stellatum incitatiùs ferri, & prævertere Saturnum eo excessu, qui intra tot dies, quot annos conficiunt triginta, universo cœli ambitui respondeat. Similiter de reliquis Planetis dicendum, pro diversitate periodorum cujusque Planetæ; adeò ut motus diurnus cœli stellati (in ipsa periodo, absque respectu ad magnitudinem circuli) sit ferè per horam unam velocior, quàm motus diurnus Lunæ. Si enim Luna cursum suum 24. diebus posset expedire, tum excessus ille horæ integræ foret. Itaque motus decantatus *Adversitatis* & *Renitentiæ* ab Occidente in Orientem, qui attribuitur Planetis tanquam proprius, verus non est, sed tantùm per apparentiam, ex præcursione cœli stellati Occidentem versus, & relictione à tergo Planetarum versus Orientem. Quo posito, manifestum est velocitatem istius motus Cosmici, ordine non perturbato, descendendo decrescere, ut quò propiùs quique Planeta appropinquet ad terram, eò tardiùs moveat; cùm recepta opinio ordinem perturbet & invertat; & motum proprium tribuendo Planetis, in illud absurdum incidat, ut Planetæ, quò propinquiores sint ad terram (quæ est sedes naturę immobilis) eò velociùs moveri ponantur, id quod per remissionem violentiæ primi mobilis, Astronomi excusare nugatoriè & infeliciter conantur. Quod si cui mirũ videatur, tantis spatiis, quãta sunt à cœlo stellato ad Lunam, motum istũm tàm parvis partibus, minùs scilicet horâ unâ, quæ est motus diurni

diurni pars 24. decrescere; succurrit illud, quòd singuli Planetæ, minores circulos quò terræ propiores sint, conficiant, & breviore ambitu rotent, ut addito decremento magnitudinis circuli ad decrementum temporis sive periodi, motus iste insigniter decrescere cernatur. Atque hactenùs de velocitate seorsim locuti sumus, perinde ac si Planetæ positi (exempli gratia, sub æquinoctio, aut aliquo ex parallelis) anteverterentur tantùm à cœlo stellato, & ab invicem, sed tamen sub eodem illo circulo. Hæc enim simplex foret relictio absque obliquitate. At manifestum est, Planetas non solùm impari gradu contendere, sed nec ad idem punctum circuli reverti, verùm deflectere versus Austrum & Boream, cujus deflexionis limites sunt Tropici; quæ deflexio nobis Circulum Obliquum, & Diversam Politatem ejus progenuit; quemadmodum illa celeritatis inæqualitas motum illum Renitentiæ. Neque verò hoc etiam commento naturæ rerum opus est, cùm recipiendo lineas spirales (id quod proximè accedit ad sensum & factum) res transigatur, & ista salventur. Atque (quod caput rei est) spiræ istæ nil aliud sunt, quàm defectiones à motu circulari perfecto, cujus Planetæ sunt impatientes. Prout enim substantiæ degenerant puritate, & explicatione, ita degenerant & motus. Evenit autem, quemadmodum in celeritate sublimiores Planetæ feruntur velocius, humiliores tardiùs; ita etiam ut sublimiores Planetæ propiores conficiant spiras, quæque circulos propiùs referant; humiliores verò, spiras magis disjunctas & hiantes. Deceditur enim perpetuò descendendo magis ac magis, & à flore illo velocitatis, & à perfectione motus circularis, ordine nusquam perturbato. In eo tamen Planetæ conspirant, (utpotè corpora multùm retinentia naturæ communis, licèt aliter differentia) ut habeant eosdem limites deflexionis. Neque enim *Saturnus* intra Tropicos remeat, neque *Luna* extra Tropicos exspatiatur (& tamen de exspatiatione stellæ *Veneris* non negligendum quod ab aliquibus traditum & notatum est) sed universi Planetæ, sive sublimiores, sive humiliores, postquam ad Tropicos perventum est, se vertunt & retexunt, pertæsi minoris spiræ, qualis subeunda foret, si polis magis appropinquarent; eamque jacturam motus, veluti destructionem naturæ suę exhorrentes. Utcunque enim in cœlo stellato & stellæ prope Polos, & stella circa æquinoctium, ordines & stationes suas servant, aliæ ab aliis in ordinem redactæ, summâ & æquabili constantiâ; Planetæ nihilominùs videntur esse hujusmodi mixtæ naturæ, ut nec breviorem gyrum omninò, nec ampliorem libenter ferant. Atque ista videntur nobis paulò meliora circa motus cœlestes, quàm Raptus & motuum Repugnantia, & diversa politas Zodiaci, & inversus ordo celeritatis, & hujusmodi quæ nullo modo cum natura rerum conveniunt, licèt pacem qualem qualem colant cum calculis. Neque ista non viderunt Astronomi præstantiores, sed arti suæ intenti, & circa perfectos circulos inepti, & subtilitates captantes, & philosophiæ malum morigeri, Naturam sequi contempserunt. Verum istud Sapientium arbitrium imperiosum in Naturam, est ipsa vulgi simplicitete & credulitate deterius; si quis manifesta, quia sunt manifesta fastidii. Et tamè ingens est illud malũ, & latissime patet, ut ingenium humanum, cùm par rebus esse non possit, supra res esse malit. Jam verò inquirendum, utrùm motus iste unicus & simplex, in circulo & spira, ab Oriente in Occidentem, super polos certos, Australem & Borealem, desinat & terminetur cum cœlo, an etiam deducatur ad inferiora. Neq; enim liberum erit hujusmodi placita confingere hîc in proximo, qualia supponunt in cœlestibus. Itaque si in his regionibus quoque reperiatur ille motus, apparebit etiam in cœlo eum talem esse secundùm naturam communem sive cosmicam, qualem nos illam experimur. Primò itaque planè constat, illum cœli terminis non contineri. Verùm hujusce rei demonstrationes & evidentias in Anticipatione nostra de fluxu & refluxu maris plenè tractavimus. Itaque ad illam homines rejicimus, & hoc veluti posito & concesso, ad reliquos motus cœlestium pergemus. Eos autem non Cosmicos, sed ad inviceni esse diximus. Quatuor sunt genera motuum in cœlestibus visibilium, præter cum, quem diximus Cosmicum, qui est motus diurnus per spiras intra Tropicos. Aut enim attolluntur stellæ altiùs, & rursus dimittuntur humiliùs, ut sint longiùs & propiùs à terra; aut flectunt se & sinuant per latitudinem Zodiaci, excurrendo magis ad Austrum, aut magis ad Boream, atque efficiendo eos, quos vocant, Dracones: aut incitatione atque etiam consecutione motus (hęc enim duo conjungimus) variant; gradiendo aliquando celeriùs, aliquando tardiùs, aliquando in progressu, aliquando in regressu, aliquando etiam stando & morando, aut ad distantiam aliquam à sole magis aut minùs alligantur, & circumscribuntur. Horum causas & naturas reddemus tantùm in genere, & per capita; id enim hoc loco nostrum postulat institutum. Verùm ad hoc ut viam præmuniamus & aperiamus, dicendum apertè, quid sentiamus de quibusdam tàm placitis Philosophicis, quàm hypothesibus Astronomicis, & de observationibus etiam Astronomorum per varia secula, ex quibus artem suam instaurant; quæ omnia videntur nobis esse erroris & confusionis plena. Sunt itaque axiomata, sive potiùs placita nonnulla, quæ à Philosophis accepta, & in Astronomiam translata, & malè credita, artem corruperunt. Simplex autem erit rejectio & judicium nostrum; neque enim tempus refutationibus terere convenit. Horum primum est, quòd omnia supra Lunam inclusivè sint incorruptibilia, neque novas generationes aut mutationes ullo modo patiantur. De quo alibi dictum est, quòd sit superstitio & vaniloquium. Verùm ex hoc fonte illud ingens malum, quod ex omni anomalia novas, atque, ut putant, emendatas confingant Astronomi Theorias, & rebus sæpiùs tamquam fortuitis, applicant causas æternas & invariabiles. Secundum est, quòd cœlo (cùm sit scilicet ex essentia quinta & minimè elementari) non competant actiones illæ turbulentæ, compressionis, relaxationis, repulsionis, cessionis, & similium, quæ videntur progigni à mollitia quadam corporum & duritia, quæ habentur pro qualitatibus elementaribus. Hæc verò assertio est abnegatio insolens & licentiosa rerum & sensus. Ubicunque enim corpus naturale positum sit, ibi est Antitypia quoque, idq; pro modo corporis. Ubicunq; verò corpora naturalia, & motus localis, ibi vel repulsio, vel cessio, vel sectio; hæc n. quę dicta sunt, compressio, relaxa-

relaxatio, repulsio, cessio, cum multis aliis, sunt passiones materiæ catholicæ ubique locorum. Attamen ex hoc fonte nobis emanavit illa multiplicatio circulorum perplexorum ad libitum, quos tamen volunt ita & consignari inter se, & alios intra alios moveri & verti, tanto lævore & lubricitate, ut nulla nihilominùs sit impeditio, nulla fluctuatio; quę omnia phantastica planè sunt & rebus insultant. Tertium est, quòd singulis corporibus naturalibus singuli competant motus proprii; & si plures inveniantur motus, omnes, excepto uno sint aliunde, & ex movente aliquo separato. Quo falsius quicquid nec excogitari potest, cùm universa corpora ex multiplici rerum consensu motibus etiam pluribus prædita sint, aliis dominantibus, aliis succumbentibus, aliis etiam latentibus nisi provocentur; proprii autem rerum motus nulli sint, nisi mensuræ exactæ, & modi motuum communium. Atque hinc rursus nobis prodiit primum mobile separatum, & cœli super cœlos, & inædificationes novæ continenter, ut motuum tàm diversorum præstationibus sufficere possint. Quartum est, quòd omnes motus cœlestium dispensentur per circulos perfectos; quod onerosum valdè est, & portenta illa Eccentricorum & Epicyclorum nobis peperit, cùm tamen, si naturam consuluissent, motus ordinatus & uniformis sit circuli perfecti; motus verò ordinatus, sed multiformis, qualis invenitur in cœlestibus compluribus, sit aliarum linearum; meritòque *Gilbertus*, hæc deridet, quòd non verisimile sit naturam confinxisse rotas, quæ, exempli gratia, in circuitu contineant milliare unum aut alterum, ad hoc ut feratur pila palmaris. Tantulæ enim magnitudinis videtur esse corpus Planetæ, ad eos, quos ad deferendum illud fingunt, circulos. Quintum est, quòd stellæ sint partes orbis sui tamquam clavo fixæ. Hoc verò evidentissimè est commentum eorum, qui mathemata, non naturam tractant, atque motum corporum tantùm stupidè intuentes, substantiarum omninò obliviscuntur. Ita enim fixatio, particularis est affectus rerum compactarum & consistentium, quæ firmas habent præhensiones ob pressuras partium. Inopinabile autem prorsus est, si transferatur ad mollia vel liquida. Sextum est, quod stella sit densior pars orbis sui: illæ verò neque partes sunt, neque densiores. Non enim homogenea sunt cum æthere, & gradu tantùm, sed planè heterogenea, & substantiâ differunt: atque ea quoque substantia quoad densitatem rarior est, & magis explicata, quàm ætherea. Sunt & alia complura placita ejusdem vanitatis, sed hæc ad id quod agitur, sufficient. Atque hæc de placitis Philosophiæ circa cœlestia, dicta sint. Quod verò ad hypotheses Astronomorum attinet, inutiles ferè est earum redargutio, quæ nec ipsæ pro veris asseruntur, & possint esse variæ, & inter se contrariæ, ut tamen phænomena ęquè salvent & concinnent. Itaque sit cautum, si placet, inter Astronomiam & Philosophiam, tamquam fœdere convenienti & legitimo, ut scilicet Astronomia præhabeat hypotheses, quæ maximè expeditæ sunt ad compendia computandi, Philosophia eas, quæ proximè accedunt ad veritatem naturæ, atque ut Astronomiæ hypotheses rei veritati non præjudicent, & Philosophiæ decreta talia sint, quæ sint super Phænomena Astronomiæ explicabilia. Atque de hypothesibus ita esto. At de observationibus Astronomicis quæ accumulantur assiduè, quæque jugiter à cœlo tamquam aquæ scaturiunt, illud omninò homines monitos volumus; ne fortè de illis verum sit, quod eleganter fingitur de musca *Æsopi*, quæ sedens super temonem currus *Olympici*, quantum, inquit, pulverem ego excito? ita observatio aliqua pusilla, eaque quandoque instrumento, quandoque oculo, quandoque calculo titubans, quæque possit esse propter veram aliquam in cœlo mutationem, novos cœlos, & novas sphæras, & circulos excitat. Neque hæc eo dicimus, quod remitti debeat aliqua industria observationum & historiæ, quam omnibus modis acuendam & intendendam esse dicimus, sed tantummodò ut adhibeatur prudentia, & summa & sedata judicii maturitas, in abjiciendis aut mutandis hypothesibus. Itaque patefactâ jam viâ de motibus ipsis, dicemus pauca & in genere. Quatuor autem genera esse diximus motuum majorum in cœlestibus. *Motum per profundum* cœli attollentem & demittentem: *Motum per latitudinem Zodiaci* exspatiantem ad *Austrum* & *Boream*: *Motum per consequentiam Zodiaci* citum, tardum, progressivum, retrogradum, statarium: & *Motum elongationis* à Sole. Neque objiciat quispiam, Motum illum secundum latitudinis sive Draconum potuisse referri ad Motum illum magnum Cosmicum, cùm sit inclinatio alternans versus Austrum & Boream, quod & spiræ illæ de Tropico in Tropicum similiter sunt, nisi quòd ille motus sit tantùm spiralis, iste verò etiam sinuosus & minoribus multò intervallis. Neque enim hoc nos fugit. Sed planè non finit constans & perpetuus motus Solis in Ecliptica absque latitudine & Draconibus, qui tamen Sol communicat cum cæteris Planetis quoad spiras inter Tropicos, nos in hac opinione versari. Itaque alii fontes & hujus & reliquorum trium motuum quærendi sunt. Atque hæc sunt illa, quæ circa motus cœlestium nobis videntur, minùs habere incommodi. Videndum verò, quid negent, & quid affirment. Negant *terram rotare*. Negant esse *in cœlestibus duos motus ab Oriente, in Occidentem alterum*: atque affirmant *anteversionem & relictionem*. Negant *obliquum circulum & diversam politatem ejus*: & affirmant *Spiras*. Negant *primum Mobile separatum & raptum*: & affirmant *consensum Cosmicum tamquam commune vinculum Systematis*. Affirmant *motum diurnum inveniri non in cœlo, sed in aëre, aquis, etiam extimis terræ, quoad verticitatem*. Affirmant *consecutionem & volubilitatem illam Cosmicam in fluidis esse verticitatem & directionem in consistentibus, usque quò perveniatur ad immobile sincerum*. Negant *stellas figi tamquam nodos in tabula*. Negant *Eccentricos, Epicyclos, & hujusmodi fabricas esse reales*. Affirmant *motum magneticum sive congregativum vigere in astris, ex quo ignis ignem evocat & attollit*. Affirmant *in cœlis Planetarum corpora Planetarum velocius ferri & rotare, quàm reliquum cœli, ubi siti sunt, quod utique rotat, sed tardiùs*. Affirmant *ex ea inæqualitate fluctus & undas & reciprocationes Ætheris Planetarum, atque ex iis varios motus educi*. Affirmant *necessitatem, in Planetis volvendi celeriùs & tardiùs, prout locantur in cœlo sublimiùs aut humiliùs, idque ex consensu Universi*. Sed simul affirmant *tœdium præternaturalis incitationis in Planetis &*

majoris & minoris circuli. Affirmant *solisequium ex natura inopinosa in ignibus infirmioribus Veneris & Mercurii*; cùm etiam inventa sint à *Galilæo* stellulæ errantes *Jovis* affeclę. Ista autem nos tanquam in limine Historiæ Naturalis & Philosophiæ stantes prospicimus, quæ, quanto quis magis se immerserit in Historiam Naturalem, tantò fortasse probabit magis. Attamen testamur iterum nos hîc teneri nolle. In his enim, ut in aliis, certi viæ nostræ sumus, certi sedis nostræ non sumus. Hæc verò interfati sumus, ne quis existimet nos vacillatione judicii, aut inopiâ affirmandi negativas quæstiones malle. Itaque tenebimus, quemadmodum cœlestia solent (quando de iis sermo sit,) nobilem Constantiam.

DE FLUXU ET REFLUXU MARIS.

Contemplatio de causis fluxus & refluxus maris ab Antiquis tentata, & deinde omissa. Junioribus repetita, & tamen varietate opinionum magis labefactata quàm discussa, vulgò levi conjecturâ refertur ad Lunam, ob consensum nonnullum motus ejusdem cum motu Lunæ. Attamen diligentiùs perscrutanti vestigia quædam veritatis se ostendunt, quæ ad certiora deducere possint. Itaque ne confusius agatur, primò distinguendi sunt motus maris, qui licèt satis inconsideratè multiplicentur à nonnullis, inveniuntur reverà tantùm quinque, quorum unus tanquam anomalus est, reliqui constantes. *Primus* ponatur motus ille vagus & varius, (quos appellant) Currentium. *Secundus* motus magnus Oceani sexhorarius, per quem aquæ ad littora accedunt & recedunt alternatim bis in die, non exactè, sed cum differentia tali, quæ periodum constituat menstruam. *Tertius* motus ipse menstruus, qui nil aliud est quàm restitutio motus, (ejus, quem diximus) diurni ad eadem tempora. *Quartus* motus semimenstruus, per quem fluxus habent incrementa in noviluniis & pleniluniis, magis quàm in dimidiis. *Quintus* motus semestris, per quem fluxus habent incrementa auctiora & insignia in æquinoctiis. Atque de secundo illo motu magno Oceani sexhorario sive diurno, nobis in præsentia sermo est præcipuè & ex intentione, de reliquis solummodò in transitu & quatenùs faciant ad hujusce motus explicationem. Primò igitur quod ad motum *Currentium* attinet, dubium non est, quin pro eo ac aquæ vel ab angustiis premuntur, vel à liberis spatiis laxantur, vel in magis declivia festinant, ac veluti effunduntur, vel in eminentiora incurrunt ac inscendunt, vel fundo labuntur æquabili, vel fundi sulcis & inæqualitatibus perturbantur, vel in alios Currentes incidunt, atque cum illis miscent & compatiuntur, vel etiam à ventis agitantur pręsertim anniversariis sive statariis, qui sub anni certas tempestates redeunt, aquas ex his & similibus causis, impetus & gurgites suos variare, tàm consecutione ipsius motus atque latione, quàm velocitate sive mensurâ motus, atque inde constituere eos, quos vocant *Currentes*. Itaque in maribus tàm profunditas fossæ sive canalis, atque interpositæ voragines & rupes submarinæ, tùm curvitates littorum, & terrarũ prominentiæ, sinus, fauces, insulæ multis modis locatæ, & similia, plurima possunt, atque agunt prorsus aquas, earumque meatus & gurgites in omnes partes, & versus Orientem, & versus Occidentem, Austrum versus similiter & Septentriones, atque quaquaversum prout obices illi aut spatia libera & declivia, sita sint, & invicem configurentur. Segregetur igitur motus iste aquarum particularis, & quasi fortuitus, ne fortè ille in inquisitione, quam prosequimur, obturbet. Neminem enim par est constituere & fundare abnegationem eorum, quæ mox dicentur de motibus Oceani naturalibus & catholicis, opponendo motum istum Currentium veluti cum thesibus illis minimè convenientem. Sunt enim Currentes meræ compressiones Aquarum, aut liberationes à compressione. Suntque, ut diximus, particulares & respectivi, prout locantur aquæ & terræ, aut etiam incumbunt venti. Atque hoc, quod diximus, eò magis memoriâ tenendum est, atque diligenter advertendum, quia motus ille universalis Oceani, de quo nunc agitur, adeò mitis est & mollis, ut à compulsionibus Currentium omninò dometur, & in ordinem redigatur, cedatque, & ad eorum violentiam agatur & regatur. Id autem ita se habere, ex eo perspicuum est vel maximè, quòd motus simplex fluxus & refluxus maris in pelagi medio, pręsertim per maria lata & exporrecta non sentiatur, sed ad littora tantùm. Itaque nihil mirum, si sub Currentibus (utpote viribus inferior) lateat & quasi destruatur, nisi quòd ille ipse motus, ubi Currentes secundi fuerint, eorum impetum nonnihil juvet atque incitet, contrà ubi adversi, modicum frænet. Misso igitur motu Currentium, pergendum est ad motus illos quatuor constantes, *sexhorarium, menstruum, semimenstruum & semestrum*, quorum solus *sexhorarius* videtur fluxus maris agere & ciere, *menstruus* verò videtur tantummodò motum illum determinare & restituere. *Semimenstruus* autem & *Semestris* eundem augere & intendere. Etenim fluxus & refluxus aquarum, qui littora maris ad certa spatia inundat & destituit, & horis variat, & vi ac copiâ aquarum, unde reliqui illi tres motus se dant conspiciendos. Itaque de illo ipso motu fluxus & refluxus sigillatim ac propriè (ut instituimus) videndum. Atque primò illud prorsus necesse est, motum hunc, de quo inquirimus, unum ex duobus istis esse, vel motum *sublationis & demissionis* aquarum, vel motum *progressus*. Motum autem sublationis & demissionis talem esse intelligimus, qualis invenitur in aqua bullienti, quæ in caldario attollitur & rursum residet. At motum progressus talem, qualis invenitur in aqua vecta in pelvi, quæ unum latus deserit, cùm ad latus oppositum advolvitur. Quòd verò motus iste neutiquam sit primi generis, occurrit illud inprimis, quòd in diversis mundi partibus variant æstus secundùm tempora; ut fiant in aliquibus locis fluxus & augmenta aquarum, cùm alibi sint ad eas horas refluxus & decrementa. Debuerant autem aquæ, si illæ non progrederentur de loco in locum, sed ex profundo ebullirent, ibique simul se attollere, atque rursus simul se recipere. Videmus enim duos illos alios motus *semestrem & semimenstruum* per universum orbem terrarum simul perfungi atque operari. Fluxus enim sub æquinoctiis ubique augentur; non in aliis partibus sub *Æquinoctiis*, in aliis sub *Tropicis*, atque similis est ratio motus semimenstrui. Ubique enim terrarum invalescunt aquæ in *Novilunio* & *Plenilunio*, nullibi

nullibi in *Dimidiis*. Itaque videntur revera Aquæ in duobus illis motibus plane attolli & demitti, & veluti pati apogæum & perigæum; quemadmodum cœlestia. Atque in fluxu & refluxu Maris, de quo sermo est, contra fit: quod motus in progressu certissimum signum est. Præterea si fluxus Aquarum ponatur esse sublatio; attendendum paulo diligentius quomodo ista sublatio fieri possit. Aut enim fiet tumor *ab aucto quanto* Aquarũ, aut ab *Extensione* sive *rarefactione* Aquarum in eodem quanto; aut per *sublationem* simplicem in eodem quanto atque eodem corpore. Atq; tertium illud prorsus abjiciendum. Si enim Aqua, qualis est, *attollatur*, ex hoc relinquatur necessario inane inter terram atque ima Aquæ; cum non sit corpus quod succedat. Quod si sit nova moles Aquæ, necesse est eam emanare atque scaturire è terra. Sin vero sit *Extensio* tantum, id fiet vel per solutionem in magis ratum, vel appetitũ appropinquãdi ad aliud corpus, quod Aquas veluti evocet & attrahat, & in sublimius tollat. Atque certe ista Aquarum sive ebullitio sive rarefactio, sive conspiratio cum alio quopiam corpore ex superioribus, non incredibilis videri possit in mediocri quantitate, atq; adhibito etiam bono temporis spatio, in quo hujusmodi tumoris sive augmẽta se colligere & cumulare possint. Itaq; excessus ille Aquarum, qui inter æstum ordinarium, atque æstum illum largiorem Semimenstruum, aut etiam illum alterum profusissimum Semestrem notari possit, cum nec mole excessus inter fluxum & refluxum æquiparetur, atque habeat etiam bene magnum intervallum temporis ad incremẽta illa sensim facienda, nihil habeat alienum à ratione. Vt vero tanta erumpat moles Aquarum, quæ excessum illum, qui invenitur inter ipsum fluxũ & refluxum, salvet, atque hoc fiat tanta celeritate, videlicet bis in die, ac si terra secundnm vanitatẽ illam *Apollonij* respiraret, atque Aquas per singulas sex horas efflaret, ac deinde absorberet; incõmodum maximum. Neque moveatur quispiam levi experimento, quod putei nonnulli in aliquibus locis memorentur consensum habere cum fluxu & refluxu Maris, unde suspicari quis possit. Aquas in cavis terræ conclusas similiter ebullire, in quo casu tumor ille ad motum progressivum Aquarum referri commode non possit. Facilis enim est responsio, posse fluxum Maris accessione sua multa loca cava ac laxa terræ obturare atque opplere, atque aquas subterraneas vertere, etiam aerem conclusum reverberare, qui serie continuata hujusmodi puteorum aquas trudendo attollere possit. Itaque hoc in omnibus puteis minime fit, nec in multis adeo, quod fieri debuit, si universa massa aquarum naturam haberet ebullientem per vices, & cum æstu maris Consensionem. Sed contra raro admodum fit, ut instar miraculi fere habeatur; quia scilicet hujusmodi laxamenta & spiracula, quæ à puteis ad mare pertingunt, absque obturatione aut impedimento raro admodum inveniantur. Neque abs re est memorare quod referunt nonnulli, in fodinis profundis non procul à Mari sitis, aerem incrassari & suffocationem minari ad tempora fluxus Maris: ex quo manifestum videri possit nõ aquas ebullire (nullæ cum cernuntur) sed aerem retroverti. Atcerte aliud urget experimentum non cõtemnendum, sed magni ponderis, cui responsio omnino debetur; hoc est, quod diligenter observatum sit, idque non fortuito notatum, sed de industria inquisitum atque repertum. Aquas ad littora adversa *Europæ* & *Floridæ* iisdem horis ab utroque littore refluere, neq; deserere littus *Europæ* cum advolvantur ad littora *Floridæ* more Aquæ (ut supra diximus) agitatæ in pelvi, sed plane simul ad utrumq; littus attolli & demitti. Verum hujus objectionis solutio perspicue apparebit in iis quæ mox dicẽtur de cursu & progressu Oceani. Summa autem rei talis est, quod Aquæ à mari *Indico* profectæ, & ab objectu terrarum Veteris & Novi orbis impeditæ truduntur per mare *Atlanticum* ab Austro in Boream; ut non mirum sit eas ad utrumque littus simul ex æquo appellere, ut Aquæ solent, quæ contruduntur à mari in ostia & canales fluminum, in quibus evidentissimum est motum maris esse progressivum quatenus ad flumina, & tamen littora adversa simul inundare. Verum id pro more nostro ingenue fatemur, idque homines attendere & meminisse volumus, si per experientiam inveniatur, fluxus maris iisdem temporibus ad littora *Peruviæ* atque *Chinæ* affluere, quibus fluunt ad littora præfata *Europæ* & *Floridæ*, opinionem hanc nostram, quod Fluxus & Refluxus maris sit motus progressivus, abjudicãdam esse. Si enim per littora adversa tam maris *Australis* quam maris *Atlantici* fiat fluxus ad eadem tempora, non relinquuntur in Vniverso alia littora, per quæ refluxus ad eadem illa tempora satisfaciat. Verum de hoc judicio faciendo per experientiam (cui causam submisimus) loquimur tamquam securi, Existimamus enim plane, si summa hujus rei peruniversum terrarum orbem nobis cognita foret, satis æquis conditionibus istud fœdus transigi, nempe ut ad horam aliquam certam fiat refluxus in aliquibus partibus orbis, quantum fiat fluxus in aliis. Quamobrem ex iis, quæ diximus, statuatur tandem, motus iste fluxus & refluxus esse progressivus.

Sequitur jam Inquisitio ex qua causa, & per quem consensum rerum oriatur atq; exhibeatur iste motus Fluxus & Refluxus. Omnes enim majores motus (si sunt idẽ regulares & cõstantes) solitarij, aut (ut Astronomorũ vocabulo utamur) ferini non sunt, sed habent in rerum natura cum quibus consentiant. Itaque motus illi, tam Semimenstruus incrementi, quam menstruus Restitutionis, convenire videntur cum motu Lunæ. Semimenstruus vero ille sive æquinoctialis cum motu Solis. Etiam sublationes & demissiones Aquarum cum apogæis & perigæis cœlestium. Neque tamen continuo sequetur (idque homines advertere volumus) quæ periodis & curriculo temporis, aut etiam modo lationis conveniunt, ea natura esse subordinata, atque alterum alteri pro causa esse. Nam non eo usque progredimur, ut affirmemus motus Lunæ aut Solis pro causis poni motuum inferiorum, qui ad illos sunt analogi; aut Solem & Lunam (ut vulgo loquuntur) dominium habere super illos motus maris (licet hujusmodi cogitationes facile mentibus hominum illabantur ob venerationem cœlestium) sed & in illo ipso motu Semimenstruo (si recte advertatur) mirum & novum prorsus fuerit obsequij genus, ut æstu sub Noviluniis & Pleniluniis eadem patiantur, cum Luna patiatur contraria: & multa alia adduci possint, quæ hujusmodi do-

minationum phantasias destruant, & eo potius rem deducant, ut ex materiæ passionibus Catholicis, & primis rerum coagmentationibus consensus illi oriantur, non quasi alterũ ab altero regatur, sed quod utrumq; ab iisdem Originibus & Concausis emanet. Verumtamen (utcunq;) manet illud quod diximus, Naturam consensu gaudere, nec fere aliquid Monodicum aut solitarium admittere. Itaque videndum de motu fluxus & refluxus Maris Sexhorario, cum quibus aliis motibus ille convenire aut consentire reperiatur. Atque inquirendum primo de Luna, quomodo iste motus cum Luna rationes aut Naturam misceat. Id vero fieri omnino non videmus, præterquam in Restitutione menstrua: nullo modo enim congruit curriculum Sexhorarium (id quod nunc inquiritur) eum curriculo menstruo; neque rursus fluxus Maris passiones Lunæ quascunque sequi deprehenduntur. Sive enim Luna sit aucta lumine, sive diminuta, sive illa sit sub terra, sive super terram, sive illa elevetur super horizontem altius aut depressius, sive illa ponatur in Meridiano, aut alibi, in nulla prorsus harum consentiunt fluxus atque refluxus.

Itaq; missa Luna de aliis consensibus inquiramus. Atq; ex omnibus motibus cœlestibus cõstat, motum diurnum maxime curtũ esse, & minimo temporis intervallo (spatio videlicet 24. horarũ) confici. Itaq; consentaneum est, motum istum, de quo inquirimus (qui adhuc tribus partibus diurno brevior est) proxime ad eum motũ referri, qui est ex cœlestibus brevissimus; sed hoc rem minus premit. Illud vero longe magis nos movet, quod ita sit iste motus dispertitus, ut ad diurni motus rationes respondeat, aut licet motus Aquarũ sit motu diurno quasi innumeris partibus tardior, tamen sit cõmensurabilis. Etenim spatium Sexhorarium est diurni motus quadrans, quod spatium (ut diximus) in motu isto maris invenitur cum ea differentia, quæ coincidat in mensurã motus Lunæ. Itaq; hoc nobis penitus insedit, ac fere instar oraculi est, motum istum ex eodem genere esse cum motu diurno. Hoc igitur usi fundamento pergemus inquirere reliqua; atque rem omnem triplici inquisitione absolvi posse, statuimus. Quarum prima est, *An motus ille diurnus terminis cœli contineatur, aut delabatur, & se insinuet ad inferiora?* Secunda est, *an Maria regulariter ferantur ab Oriente in Occidentem, quemadmodum & cœlum?* Tertia, *unde & quomodo fiat reciprocatio illa Sexhoraria æstuum, quæ incidit in quadrãtem motus diurni, cum differentia incidente in rationes motus Lunæ?* Itaq; quod ad primam inquisitionem attinet, arbitramur motum rationis sive conversionis ab Oriente in occidentem esse motum non proprie cœlestem, sed plane cosmicum, atque motum in fluoribus magnis primarium, qui usque à summo cœlo ad imas aquas inveniatur, inclinatione eadem, incitatione autem (id est velocitate & tarditate) longe diversa; Ita tamen ut ordine minime perturbato minuatur celeritate, quo propius corpora accedunt ad globũ terrę. Videtur autem primo probabile argumentũ sumi posse, quod motus iste non terminetur cum cœlo, quia per tantã cœli profunditatem, quãta interjicitur inter cœlum stellatum & Lunam (quod spatium multo amplius est, quam à Luna ad terram) valeat atq; vigeat iste motus, cum debitis decrementis suis; ut verisimile non sit Naturam istiusmodi, consensum, per tanta spatia continuatum, & gradatim se remittentem, subito deponere. Quod autem res ita se habeat in cœlestibus, evincitur ex duobus, quæ aliter sequentur, incommodis. Cum enim manifestum sit ad sensum, Planetas diurnum motum peragere, nisi ponatur motus iste tamquã naturalis, ac proprius in Planetis omnibus, confugiendum necessario est vel ad raptum primi mobilis, quod naturæ prorsus adversatur, aut ad rotationem terræ, quoad etiam satis licẽter excogitatũ est, quoad rationes physicas. Itaq; in cœlo ita se res habet. Postquam autem à cœlo discessum est, cernitur porro iste motus evidentissime in Cometis humilioribus, qui cum inferiores orbe Lunæ sint, tamen ab Oriente in Occidentem evidenter rotant. Licet enim habeant motus suos solitarios & irregulares, tamen in illis ipsis conhciendis interim cõmunicandi cum motu ætheris, & ad eandem conversionem feruntur; Tropicis vero non continentur fere, nec habent regulares spiras, sed excurrunt quandoq; versus polos, sed nihilominus in consecutione ab Oriente in Occidentem rotant. Atq; hujusmodi motus iste licet magna acceperit decrementa (cum quò propius descendatur versus terrã, eò & minoribus circulis conversio fiat, & nihilominus tardius) validus tamen utique manet, ut magna spatia brevi tempore vincere queat. Circumvolvuntur enim hujusmodi Cometæ circa universum ambitũ & terrę & aëris inferioris spatio 24. horarum, cum horæ unius aut alterius excessu. At postquam ad eas regiones descensu continuato perventum sit, in quas terra agit non solum cõmunicatione Naturæ & Virtutis suæ (quæ motum circularem reprimit & sedat) sed etiam immissione materiali particularum substantiæ suæ per vapores & halitus crassos; iste motus immensum hebescit, & fere corruit, sed non propterea prorsus exinanitur aut cessat, sed manet languidus & tamquam latens. Etenim jam in confesso esse cœpit, navigantibus intra Tropicos, ubi libero æquore motus aëris percipitur optime, & aër ipse (veluti & cœlũ) majoribus circulis, ideoq; velocius rotat, spirat aura perpetuã & jugem ab Oriente in Occidentẽ; adeo ut qui Zephyro uti volunt, eum extra Tropicos sæpius quærant & procurent. Itaque non extinguitur iste motus etiam in aëre infimo, sed piger jam devenit & obscurus, ut extra Tropicos vix sentiatur. Et tamen etiã extra Tropicos in nostra *Europa* in mari, cœlo sereno & tranquillo, observatur aura quædam solisequa, quæ ex eodem genere est: etiam suspicari licet, quod hic in *Europa* experimur, ubi flatus Euri aeris est, & deficcãs, cum contra Zephyri sit generalis & humectans, non solum ex hoc pendere, quod ille à Continente, iste ab Oceano apud nos spiret, sed etiã ex eo, quod Euri flatus cum sit in eadem consequentia cum motu aëris proprio, eum motum inciret & irritet, ac propterea aërem dissipet & rarefaciat: Zephyri vero flatus, qui in contrariã consequentiã sit cum motu aëris, aërem in se vertat, & propterea inspisset. Neq; illud contemnendũ, quod vulgari observatione recipitur, nubes, quæ feruntur in sublimi plerumq; movere ab Oriente in Occidentem, cum venti circa terram ad eadem tempora flant in contrarium. Quod si hoc non semper faciunt, id in causa esse, quod sint quandoque

doque venti contrarij alij in alto, alij in imo, illi autem in alto spirantes (si adversi fuerint) motũ istum verum aëris disturbent. Quod ergo cœli terminis non contineatur iste motus, satis patet.

Sequitur ordine secunda inquisitio, *An aquæ ferantur regulariter & naturaliter ab Oriente in Occidentem?* Cum vero Aquas dicimus, intelligimus Aquas coacervatas, sive massas Aquarũ quæ scilicet tantæ sunt portiones Naturæ, ut consensum habere possint cum fabrica & structura Vniversi. Atque arbitramur plane, eundem motum massæ Aquarum cõpetere atq; inesse, sed tardiorem esse quam in aëre, licet ob crassitudinẽ corporis sit magis visibilis & apparens. Itaq; ex multis, quæ ad hoc adduci possent, tribus in præsens contenti erimus experimentis, sed iisdem amplis & insignibus, quæ rem ita esse demonstrant. Primum est, quod manifestus reperiatur motus & fluxus Aquarum ab Oceano *Indico* usque in Oceanum *Atlãticum*, isque incitatior & robustior versus fretum *Magellanicum*, ubi exitus datur versus Occidentem; magnum itidem ex adversa parte Orbis terrarũ à mari *Scythico* in mare *Britannicũ*. Atque hæ consequentiæ Aquarum manifesto volvuntur ab Oriente in Occidentem. In quo advertendum inprimis, in istis tantum duobus locis maria esse pervia, & integrum circulum cõficere posse; cum contra per medios mundi tractus, objectu duplici Veteris & Novi Orbis abscindãtur & compellantur (tamquam in ostia fluminum) in duos illos alveos Oceanorum geminorum *Atlantici & Australis*, qui Oceani exporriguntur inter Austrum & Septentriones: quod adiaphorum est ad motum consecutionis ab Oriente in Occidentem. Vt verissime omnino capiatur motus verus Aquarum ab istis, quas diximus, extremitatibus Orbis, ubi non impediuntur, sed permeant. Atque primum experimentum hujusmodi est. Secundum autem tale.

Supponatur fluxum maris ad *ostiũ freti Herculei* fieri ad horam aliquam certam, constat accedere fluxum ad *caput Sancti Vincentij* tardius quam ad ostium illud: ad *caput finis terræ* tardius quam ad *caput Sancti Vincentij*: ad *Insulam Regis* tardius quam ad *caput finis terræ*: ad *insulã Hechas* tardius quam ad *Insulam Regis*: ad *ingressum Canalis Anglici* tardius quam ad *Hechas*: ad *littus Normannicum* tardius quam ad ingressum Canalis. Hucusque ordinatim: ad *Gravelingam* vero verso prorsus ordine (idque magno saltu) quasi ad eandem horam cum *ostio freti Herculei*. Hoc experimentũ secundum ad experimentum primum trahimus. Existimamus enim, (quemadmodum jam dictũ est) in mari *Indico*, & in mari *Scythico* veros esse cursus Aquarum, ab Oriente scilicet in Occidentem, pervios, & integros: at in alveis maris *Atlantici* atque *Australis* cõpulsos, & transversos, & refractos ab objectu terrarum, quæ utrimq; in longum ab Austro ad Boream exporriguntur, & nusquam, nisi versus extremitates, liberum dant exitum aquis. Verum compulsio illa Aquarum, quæ causatur à mari *Indico* versus Boream, & in opposito à mari *Scythico* versus Austrũ, spatiis immensum differunt ob differentem vim & copias Aquarum. Vniversus igitur Oceanus *Atlanticus* usque ad mare *Britannicum* cedit impulsioni maris *Indici*: at superior tantum *Atlantici* maris pars, nimirum ea quæ jacet versus *Daniam* & *Norvegiam*, cedit impulsioni *maris Scythici*. Hoc vero ita fieri necesse est. Etenim duæ magnæ Insulæ Veteris Orbis & Novi orbis eam sunt sortitæ figuram, atque ita exporriguntur, ut ad Septentriones latæ, ad Austrum acutæ sint. Maria igitur contra ad Austrum magna occupant spatia, ad Septentriones vero (ad dorsum *Europæ* & *Asiæ* atque *Americæ*) parva. Itaq; ingens illa moles Aquarum, quæ venit ab Oceano *Indico*, & reflectit in mare *Atlanticum*, potis est compellere & trudere cursum Aquarum continua successione quasi ad mare *Britannicum*, quæ successio est versus *Boream*. At illa longe minor portio Aquarum, quæ venit à mari *Scythico*, quæq; etiam liberum fere habet exitum in cursu suo proprio versus Occidentem ad dorsum *Americæ*, nõ potis est cursum Aquarum compellere versus Austrum, nisi ad eam, quam diximus, metam, nempe circa fretum *Britannicum*. Necesse est aurẽ, ut in motibus istis oppositis sit tandem aliqua meta, ubi occurrant & conflictentur, atque ubi in proximo mutetur subito ordo accessionis: quemadmodũ circa *Gravelingam* fieri diximus, limite videlicet accessionis *Indicæ* & *Scyticæ*. Atque inveniri Euripum quendam ex contrariis fluxibus circa *Hollandiam*, non solum ex ea (quam diximus) inversione ordinis horarum in fluxu, sed etiam peculiari & visibili experimento à plurimis observatum est. Quod si hæc ita fiant, reditur ad id, ut necesse sit fieri, ut quo partes *Atlantici* & littora magis extenduntur ad *Austrum*, & appropinquãt mari *Indico*, eo magis fluxus antevertat in præcedentia, utpote qui oriatur à motu illo vero in mari *Indico*: quo vero magis ad *Boream* (usque ad limitem communem, ubi repelluntur à gurgite antistropho maris *Scytici*) eo tardius atq; in subsequentia. Id vero ita fieri experimentum istud progressus à *freto Herculeo* ad *fretum Britannicũ*, plane demonstrat. Itaque arbitramur etiam fluxum circa littora *Africæ* antevertere fluxum circa *fretum Herculeum*, & verso ordine fluxum circa *Norvegiam* antevertere fluxum circa *Suediam*: sed id nobis experimento aut historia compertum non est.

Tertium experimentum est tale: Maria clausa ex altera parte, quæ *Sinus* vocamus, si exporrigantur inclinatione aliqua ab Oriente in Occidentem, quæ in consequentia est cum motu vero Aquarum, habent fluxus vigentes & fortes: si vero inclinatione adversa, languidos & obscuros. Nam & mare *Erythræum* habet fluxum bene magnum, & *Sinus Persicus* magis recta petens Occidentem, adhuc majorem. At *mare Mediterraneum* quod est Sinuum maximus, & hujus partes *Tyrrhenum*, *Pontus* & *Propontis*, & similiter *mare Balticum*, quæ omnia reflectunt ad Orientem, destituuntur fere, & fluxus habent imbecillos. At ista differentia maxime elucescit in partibus *Mediterranei*, quæ quamdiu vergunt ad orientẽ, aut flectunt ad septentriones (ut in *Tyrrheno* & in iis, quæ diximus, Maribus) quiete agunt absq; æstu multo. At postquam se converterint ad occidentẽ, quod fit in *mari Adriatico*, insignem recuperat fluxũ. Cui accedit & illud, quod in *Mediterraneo* refluxus ille tenuis (qualis invenitur) incipit ab Oceano, fluxus à contrariâ parte, ut aqua magis, sequatur cursum ab Oriente, quam refusionem Oceani. Atque his tantum tribus experimentis in præ-

sentia utemur ad inquisitionem illam secundam.

Possit tamen adjici probatio quædam consentanea cum his quæ dicta sunt, sed abstrusioris cujusdam naturæ; Ea est, ut petatur argumentum hujusce motus ab Oriente in Occidentem, quem Aquis astruximus, non solum à consensu cœli (de quo jam dictum est) ubi iste motus in flore est ac fortitudine præcipua, sed etiam à terra, ubi protinus videtur cessare, ita ut ista inclinatio sive motus vere sit Cosmicus, atque omnia à fastigiis cœli usque ad interiora Terræ transverberet. Intelligimus enim conversionem istam ab Oriente in Occidentem fieri scilicet (quemadmodum revera invenitur) super polos *Australem* & *Borealem*. Verissime autem diligentia *Gilberti* nobis hoc reperit; omnem terram & naturam (quam appellamus terrestrem) non delinitâ sed rigidam, &, ut ipse loquitur, robustam, habere directionem sive verticitatem latentem, sed tamen per plurima exquisita experimenta se prodentem versus *Austrũ* & *Boream*. Atq; hanc tamen observationẽ plane minuimus, atque ita corrigimus, ut hoc asseratur tantum de exterioribus concretionibus circa superficiem terræ, & minime producatur ad viscera ipsius terræ (nam quod Terra sit magnes interim levi omnino phantasia arreptum est; heri enim prorsus nequit, ut interiora Terræ similia sint alicui substantiæ, quam oculus humanus videt, siquidé omnia apud nos à Sole & cœlestibus laxata, subacta, aut infracta sint, ut cum iis quæ talem nacta sunt locum, quo vis cœlestium non penetret, neutiquam cõsentire possint) sed quod nunc agitur, superiores incrustationes sive concretiones terræ videntur consentire cum cõversionibus cœli, aëris, atque aquarum, quatenus consistentia & determinata cum liquidis & fluidis consentire queant, hoc est non ut volvantur super Polos, sed dirigantur & vertantur versus Polos. Cum enim in omni orbe volubili, qui vertitur super Polos certos, neq; habet motum centri, sit participatio quædam naturæ mobilis & fixæ; postquam per naturam consistentem sive se determinantem, ligatur virtus volvendi; tamen manet & intenditur, & unitur virtus illa & appetitus dirigendi se; ut directio & verticitas ad polos in rigidis, sit eadem res cum volubilitate super polos in fluidis.

Superest inquisitio tertia. *Vnde & quomodo fiat reciprocatio illa sexhoraria æstuum, quæ incidit in quadrantem motus diurni cum differentia quã diximus?* Id ut intelligatur, supponatur orbem terrarũ universum Aqua cooperiri, ut in diluvio generali. Existimamus Aquas, quippe ut in Orbe integro, neq; impedito, semper in progressu se commoturas ab Oriente in Occidentem singulis diebus ad certum aliquod spatium (idque profecto nõ magnum, ob exsolutionem & enervationem virium hujus motus in confiniis terræ) cum ex nulla parte objectu terræ impediantur Aquæ, aut cohibeantur. Supponatur rursus, Terram unicam Insulam esse, eamque in longitudine exporrigi inter Austrũ & Septentriones, quæ forma ac situs motum ab Oriente in Occidentem maxime frenat & obstruit: Existimamus Aquas cursum suum directum & naturalem ad tempus perrecturas, sed rursus ab Insula illa repercussas paribus intervallis relapsuras; itaq; unicum tantum fluxum maris in die futurum fuisse, & unicum similiter refluxũ, atque horum singulis circiter 12. horas attributum iri. Atque ponatur jam (quod verum est & factum ipsum) terram in duas insulas divisam esse, Veteris scilicet & Novi Orbis (nam terra Australis situ suo rem istam non magnopere disturbat, quemadmodum nec *Groenlandia* aut *Novazembla*) easque ambas insulas per tres fere mundi zonas exporrigi, inter quas duo Oceani *Atlanticus* & *Australis* interfluunt, & ipsi nunquam nisi versus polos pervij; existimamus necessario sequi, ut duo isti obices naturam duplicis reciprocationis universæ moli Aquarum insinuent & communicent, & fiat quadrans ille motus diurni; ut Aquis scilicet utrimque frænatis, fluxus & refluxus maris bis in die per spatia scilicet sex hõrarum se explicet, cum duplex fiat processio, & duplex itidem repercussio. Illæ vero duæ insulæ si instar cylindrorum aut columnarum, per quas exporrigerentur æquis dimensionibus & rectis littoribus, facile demonstraretur, & cuivis occurreret iste motus, qui jam tanta varietate posituę Terræ & Maris confundi videtur & obscurari. Neq; etiam est difficile conjecturam capere non nullam, qualem isti motui Aquarum incitationẽ tribuere consentaneum sit, & quanta spatia in uno die conficere possit. Si enim sumantur (in æstimationem hujus rei) littora aliqua ex iis quæ minus montosa aut depressa sunt, & Oceano libero adjacent, & capiatur mensura spatij terræ, interemetam fluxus & metam refluxus, interjacentis, atque illud spatium quadruplicetur propter æstus singulis diebus quaternos, atque is numerus rursus duplicetur propter æstus ad adversa littora ejusdem Oceani, atque huic numero nonnihil in cumulum adjiciatur, propter omnium littorũ altitudinem, quæ ab ipsa fossa Mari semper aliquantum insurgunt: ista computatio illud spatiũ productura est, quod Globus Aquæ uno die, si liber ab impedimento esset, ac in Orbe circa Terram semper in progressu moverer, conficere possit; quod certe nil magnum est. De differentiâ autem illâ quæ coincidit in rationes motus Lunæ, & efficit periodum menstruam, id fieri existimamus, quod spatium Sexhorariũ non sit mensura exacta reciprocationis; quemadmodum nec motus diurnus alicujus planetarum non restituitur exacte in horis 24. minime autem omnium Luna. Itaque mensura fluxus & refluxus non est quadrans motus stellarum fixarum, qui est 24. horarum, sed quadrans diurni motus Lunæ.

MANDATA.

INquiratur utrum hora fluxus circum littora *Africæ* antevertat horam fluxus circa *fretum Herculeum?* Inquiratur utrum hora fluxus circa *Norvegiam* antevertat horam fluxus circa *Suediam*, & ille similiter horam fluxus circa *Gravelingam?*

Inquiratur utrum hora fluxus ad littora *Brasiliæ* antevertat horam fluxus ad littora *Hispaniæ Novæ* & *Floridæ?*

Inquiratur utrum hora fluxus ad littora *China* non inveniatur ad vel prope horam fluxus ad littora *Peruviæ*, & ad vel prope horam refluxus ad littora *Africæ* & *Floridæ?*

Inquiratur quomodo hora fluxus ad littora *Peruviana* discrepet ab hora fluxus circa littora *Hispaniæ Novæ*, & particulariter quomodo se habeat differentiæ horarum fluxuum ad utraque littora

tora *Isthmi* in *America*; & rursus quomodo hora fluxus ad littora *Peruviana* respondeat horæ fluxus circa littora *Chinæ*:

Inquiratur de magnitudinibus fluxuum ad diversa littora non solum de temporibus sive horis. Licet enim causentur fere magnitudines fluxuum per depressiones littorum, tamen nihilominus communicant etiam cum ratione Motus veri Maris, prout secundus est aut adversus.

Inquiratur de mari *Caspio* (quæ sunt bene magnæ portiones Aquarum conclusæ absque ullo exitu in Oceanum) si patiantur fluxum & refluxum, vel qualem, siquidem nostra fert conjectura Aquas in *Caspio* posse habere fluxum unicum in die, non geminatum, atque talem ut littora Orientalia ejusdem maris deserantur, cum occidentalia alluantur.

Inquiratur utrum fluxus augmenta in Noviluniis & Pleniluniis, atque etiam in æquinoctiis, fiant simul in diversis mundi partibus? Cum autem dicimus (simul) intelligimus non eadem hora, (variantur enim horæ secundum progressus Aquarum ad littora, ut diximus) sed eodem die.

MORÆ.

Non producitur inquisitio ad explicationem plenam consensus motus menstrui in mari cum motu Lunæ; sive illud fiat per subordinationem, sive per concausam.

ZYZYGIÆ.

Inquisitio præsens conjungitur cum inquisitione, *Vtrum terra moveatur motu diurno?* Si enim æstus maris sit tamquam extrema diminutio motus diurni; sequetur globum terræ esse immobilem, aut saltem moveri motu longe tardiore quam ipsas aquas.

DE PRINCIPIIS ATQUE ORIGINIBUS

Secundum Fabulas

CVPIDINIS ET COELI.

Sive

PARMENIDIS ET TELESII, ET PRÆCIPVE DEMOCRITI,

Philosophia, tractata in Fabula

De

CUPIDINE.

QVÆ de *Cupidine* sive *Amore* ab antiquis memorata sunt, in eandem personam convenire non possunt; quin etiam ab ipsis ponuntur *Cupidines* duo, & longo sane intervallo discrepantes: cum unus ex iis Deorum Antiquissimus, alter natu minimus fuisse diceretur. Atque de Antiquo illo nobis in præsentia sermo est. Narrant itaq; Amorem illum omnium Deorũ fuisse antiquissimũ, atque adeo omnium rerum, excepto chao, quod ei coævum perhibetur. Atq; Amor iste prorsus sine parente introducitur. Ipse autem cum cœlo mistus, & Deos & res universas progenuit. A nonnullis tamen ovo prognatus incubante nocte traditus est. Ejus vero attributa ponuntur diversa, ut sit Infans perpetuus, cæcus, nudus, alatus, sagittarius. Vis autẽ ejus præcipua, & propria, ad corpora unienda valet: etiam claves Ætheris, Maris, & Terræ ei deferebantur. Fingitur quoq; & celebratur alter Cupido Minor, Veneris filius, in quem attributa Antiquioris transferuntur, & propria multa adjiciuntur.

Fabula ista cum sequenti de Cœlo, brevi parabolæ complexu proponere videtur *Doctrinam de Principiis rerum & Mundi Originibus*, non multum dissidentem ab eâ Philosophiâ, quam *Democritus* exhibuit; nisi quod videatur aliquãto magis severa, & sobria, & perpurgata. Ejus enim viri, licet acutissimi & diligentissimi, contemplationes gliscebant tamen, & modum tenere nesciæ erãt, nec se satis stringebant, aut sustinebant. Atq; etiam hæc ipsa placita, quæ in parabola delitescunt, quamvis paulo emendatiora, talia sunt, qualia esse possunt illa, quæ ab Intellectu sibi permisso, nec ab experientia continenter & gradatũ sublevato; profecta videntur: Nã illud vitium existimamus etiam prisca secula occupasse. Inprimis autẽ intelligendum est, quæ hic afferuntur, conclusa & prolata esse ex Authoritate Rationis humanæ solummodo, & sensus fidem secuta: cujus jampridẽ cessantia & deficientia oracula meritò rejiciuntur, postquã meliora & certiora mortalibus ex parte verbi divini affulserint. Itaque chaos illud, quod Cupidini coævũ erat, massam sive cõgregationem materiæ inconditam significabat. Materia autẽ ipsa, atque vis & natura ejus, deniq; Principia rerum in *Cupidine* ipso adumbrata erãt. Ille introducitur sine Parente, id est sine causa: Causa enim effectus veluti Parens est: idq; in tropis familiare & fere perpetuũ est, ut Parens & Proles causam & effectum denotent: materiæ autem primæ, & virtutis atque actionis propriæ ejus causa nulla esse potest in Natura: (Deum enim semper excipimus) nihil enim hac ipsa prius. Itaq; efficiens nulla, nec aliquid Naturæ notius; ergo nec genus, nec forma. Quamobrẽ quæcunq; tandem sit illa materia, atque ejus vis & operatio, res positiva est & surda, atque prorsus ut invenitur accipienda, nec ex prænotione aliqua judicanda. Etenim modus si sciri detur, tamen per causam sciri non potest, cum sit post Deũ causa causarum, ipsa incausabilis. Est enim terminus quidam verus & certus causarum in Natura; atque æque imperiti est & leviter philosophantis, cum ad ultimam Naturæ vim & legem positivam ventum sit, causam ejus requirere aut fingere; ac in iis, quæ subordinata sunt, causam non desiderare. Quare *Cupido* ab antiquis Sapientibus ponitur in parabola sine Parente, id est, sine causa. Neq; nihil in hoc est: imo haud scimus an non res omnium maxima. Nihil enim philosophiam peræq; corrupit, ac illa inquisitio Parentũ *Cupidinis*; hoc est, quod philosophi principia rerum, quemadmodum in Natura inveniuntur, nõ receperunt & amplexi sunt, ut doctrinam quandam positivam,

& tamquam fide experimentali; sed potius ex legibus sermonum, & ex Dialecticis & Mathematicis conclusiunculis, atque ex communibus notionibus, & hujusmodi mentis extra naturam exspatiationibus, ea deduxerunt. Itaque philosophanti quasi perpetuo hoc animo agitandum est, non esse Parentes *Cupidini*, ne forte intellectus ad inania deflectat: quia in hujusmodi perceptionibus universalibus gliscit animus humanus, & rebus & se ipso abutitur, & dum ad ulteriora tendit, ad proximiora recidit. Cum enim propter angustias suas, iis, quæ familiariter occurrũt, & quæ una & subito mentem subire & ferire possunt, maxime moveri consuerit: fit ut cum ad ea, quæ secundum experientiã maxime universalia sunt, se extenderit, & nihilominus acquiescere nolit: tum demum tamquam adhuc notiora appetens, ad ea, quæ ipsum plurimũ affecerint, aut illaqueaverint, se vertit, & ea ut magis causativa, & demonstrativa quam ipsa illa Universalia sibi fingit.

Itaque quod prima rerum essentia, vis & *Cupido* sine causa sit, jam dictum est. De modo vero ejus rei (quæ causam non recipit) videndum. Modus autem & ipse quoq; perobscurus est: idque à parabola ipsa monemur, ubi eleganter fingitur *Cupido*, ovum nocte incubante exclusum. Certe sanctus Philosophus ita pronuntiat: *Cuncta fecit Deus pulchra tempestatibus suis, & Mundum tradidit disputationibus eorum: ita tamen ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus à principio usque ad finẽ.* Lex enim summa essentiæ atque Naturæ, quæ vicissitudines rerum secat & percurrit, (id quod ex verborum complexu describi videtur: *opus quod operatus est Deus à principio usque ad finem*) vis scilicet primis particulis à Deo indita, ex cujus multiplicatione omnis rerum varietas emergat & confletur, cogitationem mortalium perstringere potest, subire vix potest. Aptissime autẽ fertur illud de ovo Noctis ad demonstrationes per quas *Cupido* iste in lucem editur. Quæ enim per Affirmativas concluduntur, videntur partus lucis: quæ vero per Negativas & exclusiones, ea tamquam à tenebris & nocte exprimuntur & educuntur. Est autem iste *Cupido* vere ovum exclusum à Nocte: notitia enim ejus (quæ omnino haberi potest) procedit per exclusiones & Negativas. Probatio autem per exclusionem facta, quædam ignoratio est, & tamquam *Nox*, quoad id quod includitur. Quare præclare *Democritus* Atomos sive semina, atque eorum virtutẽ, nullius rei similia, quæ sub sensum cadere posset, asserit: sed ea prorsus cæca & clandestina natura insignit. Itaque de ipsis pronuntiavit:

-,- Neque sunt igni simulata, neque ulli
Præterea rei, quæ corpora mittere possit
Sensibus, & nostros adjectu tangere tactus.

Et rursus de virtute eorum:

At primordia gignundis in rebus oportet.
Naturam clandestinam cæcamque adhibere,
Emineat ne quid, quod contra pugnet & obstet.

Itaque Atomi neque ignis scintillis, neque Aquæ guttis, neque Auræ bullis, neque pulveris granis, neque spiritus aut ætheris minutiis, similes sunt. Neque vis & forma eorum aut grave quiddam est aut leve, aut calidum aut frigidum, aut dẽsum aut rarum, aut durum aut molle, qualia in corporibus grandioribus inveniuntur: cum istæ virtutes, & reliquæ id genus compositæ sint & conflatæ. Neque similiter motus Naturalis Atomi, aut motus ille est descẽsus, qui appellatur naturalis, aut motus illi oppositus (plagæ) aut motus expansionis, & contractionis, aut motus impulsionis & nexus, aut motus rotationis cœlestium, aut quispiam ex aliis motibus Grandiorum, simpliciter. Atque nihilominus & in corpore Atomi elementa omnium corporum, & in motu & virtute Atomi initia omnium motuum & virtutum insunt. Veruntamen in hoc ipso, nimirum de motu Atomi, collato ad motum Grandiorum, Philosophia parabolæ à Philosophia *Democriti* dissentire videtur. *Democritus* enim non omnino parabolæ tantum, sed & sibi quoque impar, & fere contrarius reperitur in iis, quæ amplius ab eo circa hoc dicta sunt. Debuit enim motum heterogeneum Atomo tribuere, non minus quam corpus heterogeneum & virtutem heterogeneam. Verũ ille motus duos descensus gravium, & adscensus levium (quem per plagam sive percussionem magis gravium pellendo minus gravia in superius expediebat) delegit ex motibus grandiorum, quos Atomo ut primitivos communicaret. Parabola autem heterogeniam & exclusionem ubique tuetur, tam substantia quam motu. At parabola ulterius innuit, harum, de quibus diximus, exclusionum finem aliquem & modum esse: Neque enim perpetuo Nox incubat. Atque Dei certe proprium est, cum de ejus Natura inquiritur per sensum, ut exclusiones in affirmativis non terminentur. Alia vero est hujus rei ratio, ea scilicet ut post debitas exclusiones & negationes, aliquid affirmetur, & constituatur, & ut Ovum quasi à tempestiva & matura incubatione excludatur: neque tantum Ovum excludatur Nocte, sed etiam ex ovo excludatur persona *Cupidinis*: hoc est ut non tantum educatur & extrahatur hujusce rei notio quædam ex ignoratione, verum etiam notio distincta & confusa. Atque de demonstrationibus, quales eæ circa Materiam Primam esse possint, hæc habuimus, quæ cum sensu parabolæ maxime convenire arbitramur. Veniendum igitur ad *Cupidinem* ipsum, materiam scilicet primã, & dotes ejus, quas tanta circumstat nox: & videdum, quid parabola ad illam lucis afferat. Neque nos fugit, opiniones hujusmodi duras & incredibiles ad hominum sensus & cogitationes accedere. Atque ejus certe rei periculum jam factũ esse plane cernimus in hac ipsa *Democriti* Philosophia de Atomis, quæ quia paulo acutius & altius in Naturam penetrabat, & à communibus notionibus erat remotior, à vulgo pueriliter accipiebãtur; sed & Philosophiarum aliarum, quæ ad vulgi captum magis accedebant, disputationibus tamquam ventis agitata, & fere exstincta est. Et tamen etiam ille Vir suis temporibus summa admiratione floruit, & *Pentathlus* dictus est ob multiplicem scientiam, & inter omnes Philosophos, omnium consensu, maxime Physicus est habitus, ut Magi quoque nomen obtineret. Neque *Aristotelis* pugnæ & dimicationes (qui *Ottomannorum* more de regno suo Philosophiæ anxius erat, nisi fratres trucidasset; cui etiam curæ erat, ut ex ejus verbis liquet, ne quid posteri scilicet dubitarent) tantum sua violentia, nec etiam *Platonis* majestas & solennia tantum reverentiâ potuerunt, ut Philosophiam hanc *Democriti* delerent. Sed dum illa *Aristotelis* &

Platonis

Platonis strepitu & pompa professoria in Scholis circumsonarent & celebrarentur, hæc ipsa *Democriti* apud Sapientiores, & contemplationum silentia & ardua arctius complexos, in magno honore erat. Certe in seculis illis Romanæ Doctrinæ, illa *Democriti* & mansit & placuit; cum *Cicero* ejus viri ubiq; summa cum laude mentionem faciat, & non ita multo post præconium illud Poëtæ, qui videtur ex temporis sui judicio (ut solent illi) de eo locutus esse, conscriptum sit & exstet.

---Cujus prudentia monstrat,
Magnos posse Viros, & magna exempla daturos
Vervecum in Patria, crassoque sub aere nasci.

Itaque non *Aristoteles* aut *Plato*, sed *Gensericus* & *Attila*, & Barbari hanc Philosophiam pessundederunt. Tum enim, postquam doctrina humana naufragium perpessa esset, tabulæ istæ *Aristotelicæ* & *Platonicæ* Philosophiæ, tamquam materiæ cujusdam levioris & magis inflatæ, servatæ sunt, & ad nos pervenerunt, dum magis solida mergerentur, & in oblivionem fere venirent. Nobis vero digna videtur *Democriti* Philosophia, quæ à neglectu vindicetur, præsertim quando cum authoritate prisci seculi in plurimis consentiat. Primo itaq; describitur *Cupido* ut persona quædam; eique attribuuntur Infantia, Alę, Sagittæ, alia, de quibus sigillatim postea dicemus. Sed hoc interim sumimus; Antiquos proposuisse materiam primam (qualis rerum principium esse potest) formatam & dotatam, non abstractam, potentialem, informem. Atque certe materia illa spoliata, & passiva, prorsus humanæ mentis commentum quoddam videtur, atque inde ortum, quia Intellectui humano illa maxime esse videntur, quæ ipse potissimum haurit, & quibus ipse plurimum afficitur. Itaque fit ut formæ (quas vocant) magis existere videantur, quam aut Materia, aut Actio: quod illa latet, hæc fluit; altera non tam fortiter impingitur, altera non tam cóstanter inhæret. Imagines autem illæ contra, & manifestæ & constantes putantur; adeo ut Materia illa prima & communis, tamquam accessorium quiddã videatur, & loco Suffulcimenti; Actio autẽ quævis tamquam Emanatio tantum à forma; atque prorsus primæ partes formis deferantur. Atque hinc fluxisse videtur formarum & Idearum regnum in Essentiis, Materia scilicet addita quadã phantastica. Aucta etiam sunt ista superstitione nonnulla (errorem, intemperantiam, ut fit, secuta) & Ideæ abstractæ quoque introductæ, & earum dignitates; tanta confidentia & majestate, ut cohors somniantium vigilantes fere oppresserit. Verum ista ut plurimum evanuerunt, licet alicui, nostro hoc seculo, curæ fuerit, ea sponte inclinantia, fulcire & excitare majore ausu (ut nobis videtur) quam fructu. Verum quam præter rationem materia abstracta principium ponatur (nisi obstent præjudicia) facile perspicitur. Formas siquidem separatas quidam actu subsistere posuerunt, materiam separatam nemo; ne ex iis, qui eam ut principium adhibuerunt; atque ex rebus phantasticis entia constituere durum videtur ac perversum, neque inquisitioni de principiis consonum. Neque enim quæritur quomodo naturam Entium commodissime cogitatione cõplectamur, aut distinguamus, sed quæ sint vere Entia prima & maxime simplicia, ex quibus cætera deriventur. Primum autem Ens non minus vere debet existere, quam quæ ex eo fluunt quodammodo magis. Authuphostaton enim est, & per hoc reliqua. At quæ dicuntur de materia illa abstracta, non multo meliora sunt, quam si quis Mũdum & res, ex Categoriis & hujusmodi Dialecticis notionibus, tamquã ex principiis, fieri asserat. Parum enim interest, utrum quis mundum fieri ex materia & forma, & privatione dicat, an ex substantia & qualitatibus contrariis. Sed omnes fere Antiqui, *Empedocles*, *Anaxagoras*, *Anaximenes*, *Heraclitus*, *Democritus*, de Materia prima in cæteris dissidentes, in hoc convenerũt, quod Materiam activam, forma nonnulla, & formam suã dispensantem, atq; intra se principium motus habentem, posuerunt. Neq; aliter cuiquam opinati licebit, qui non experientiæ plane desertor esse velit. Itaq; hi omnes mentem rebus submiserunt. At *Plato* mundum cogitationibus, *Aristoteles* vero etiam cogitationes verbis, adjudicarunt; vergentibus etiam tum hominum studiis ad disputationes & sermones, & veritatis inquisitionem severiorẽ missam facientibus. Quare hujusmodi placita magis toto genere reprehendenda, quã proprie confutanda videntur. Sunt enim eorum, qui multum loqui volunt, & parum scire. Atq; abstracta ista materia est materia disputationũ, nõ Vniversi. Verum rite & ordine philosophanti, Naturę plane facienda est dissectio, nõ abstractio (qui autem secare eam nolunt, abstrahere coguntur) atq; omnino materia prima ponenda est conjuncta cũ forma prima, ac etiam cũ principio motus primo, ut invenitur. Nam & motus quoq; abstractio infinitas phantasias peperit, de animis, vitis & similibus, ac si iis per materiam & formam non satisfieret, sed ex suis propriis penderent illa Principiis. Sed hæc tria nullo modo discerpenda, sed tantũmodo distinguenda, atq; asserenda materia (qualiscunq; ea sit) ita ornata, & apparata, & formata, ut omnis virtus, Essentia, actio, atque motus naturalis ejus consecutio, & emanatio esse possit. Neque propterea metuendum, ne res torpeant, aut varietas ista, quam cernimus, explicari non possit, ut postea docebimus. Atque quod Materia prima forma nonnulla sit, demonstratur à Parabola in hoc, quod *Cupidinis* est persona quædam. Ita tamen ut materia ex toto sive massa materiæ quondam informis fuerit: Chaos enim informe; *Cupido* persona quædam, Atque hæc cum Sacris literis optime conveniunt. Neque enim scriptum est, quod Deus Hymen in principio creavit, sed Cœlum & Terram.

Subjungitur etiam descriptio nonnulla status rerũ, qualis fuerit ante opera dierũ, in qua distincta mentio fit Terræ & Aquæ, quæ sunt nomina formarũ: sed tamẽ quod massa secundum totum erat informis. Verum introducitur in Parabolam *Cupido* ita personatus, ut sit tamẽ nudus. Itaq; post illos, qui materiam ponunt abstractam, proxime (sed in contrarium) peccant illi, qui eam ponunt non exutam. Atque de hac re quædam aspersimus in iis, quæ de Demonstrationibus, quales in materiam primam conveniant, & de Heterogenia ipsius materiæ, à nobis jam dicta sunt. At hic, quem nunc ingrediemur, est proprius ejus rei tractandæ locus. Videndum ergo ex iis, qui principia rerũ in materia formata fundaverunt, quinam sint illi, qui formam materiæ tribuerint nativam & nudam, & qui rursus superfusam & indutam

ductam. Inveniuntur autem omnino *quatuor opinantium sectæ. Prima est* eorum, qui unum quippiam asserunt rerum principium, diversitatem autem entium constituunt in Natura ejusdē principij fluxu & dispensabili. *Secunda* eorum, qui principium rerum ponunt substantia unicum, idque fixum & invariabile, diversitatem Entium deducunt per hujusmodi principij diversas magnitudines, figuras, & posituras. *Tertia* eorū, qui plura constituunt rerum principia; & diversitatē entium ponunt in eorum temperamento & mistione. *Quarta* eorum, qui infinita aut saltem numerosa constituunt rerum principia sed specificata & effigiata; quibus nihil opus ut comminiscantur aliquid, quod res deducat ad multiplex, cum Naturam jam à principio disgregent. Inter quos secunda secta nobis videtur solummodo *Cupidinem* exhibere, ut est, nativum & exutum. Prima veto introducit eum tanquā velo discretum. Tertia tunicatum. Quarta etiam chlamydatum & fere sub larva. Atq; de singulis pauca dicemus ad meliorem parabolæ explicationē. Primo igitur ex iis qui unum rerum principium statuerunt, neminem invenimus, qui illud de Terra affirmaret. Obstabat scilicet Terræ natura quieta, & torpens, & minime activa, sed cœli & ignis & reliquorum patiens; ne id cuipiam in mentem veniret asserere. Attamen prisca sapientia Terrā proximam à chao ponit, cœlique primo parentem, deinde nuptam; ex quo conjugio omnia. Neque propterea hoc accipiendum, ac si veteres unquam statuissent Terram principium Essentię; sed principium vel originem potius schematismi sive systematis. Itaque hanc rem ad parabolam sequentem de cœlo rejicimus, ubi de Originibus inquiremus; quæ est inquisitio, ad illam de principiis, posterior.

At *Thales* Aquam principium rerum posuit. Videbat enim Materiam præcipue dispensari in humido, humidum in Aqua. Consentaneum autem esse illud rerum principium ponere, in quo virtutes Entium & vigores, præsertim Elementa generationum & instaurationum potissimum invenirentur. Genituram Animalium humidam; etiam Plantarum semina & nuclea, quamdiu vegetarent, nec effœta essent, tenera & mollia. Metalla quoq; liquescere & fluere, & esse tamquam terræ succos concretos, vel potius Aquas quasdā minerales. Terram ipsam imbribus aut irrigatione fluviorum fœcundari & instaurari, nihilque aliud videri Terram & Limum, quam fæces & sedimenta Aquæ. At aërem planissime esse aquæ expirationem atque expansionem. Quin & ignem ipsum non concipi, neque omnino durare aut ali, nisi ex humido & per humidum. Pinguedinem autem illam humidi, in qua flamma & ignis sustentantur & vivunt, videri quandam Aquæ maturitatem & cōcoctionem. Corpus rursus & molem Aquæ per Vniversum, ut fomitem communem, dispertiri. Oceanū terræ circumfundi: vim maximam aquarum dulcium subterraneam, unde fontes & fluvij, qui venarum instar, aquas per terræ & faciem & viscera deportent. At immensas vaporum & Aquarum congregationes in supernis esse, utque aliam quandam Aquarum Vniversitatem, utpote à qua inferiores Aquæ, atque adeo oceanus ipse reparentur & reficiantur: Etiam ignes cœlestes existimabat Aquas illas & vapores depascere. Neque enim aut sine alimento subsistere, aut aliunde ali posse: figuram autem Aquæ, quæ in ejus particulis (guttis videlicet) cernitur, eandem cum figura Vniversi esse, rotundam nempe & sphæricam: quin & undulationem Aquæ, etiam in aëre & flammâ, notari & conspici, motum deniq; aquæ habilem, nec torpescentem, nec præfestinam: numerosissimam autem piscium & Aquatilium generationem. Sed *Anaximenes* aërem delegit, quod unum esset rerū principium. Nam si moles in constituendis rerum principiis spectanda sit, videtur aër longe maxima universi spatia occupare. Nisi enim detur vacuum separatum, aut recipiatur superstitio illa de Heterogenia cœlestium & sublunarium: quicquidà globo terræ ad ultima cœli extenditur spatia, atq; astrum aut meteorum non est, aërea substantia compleri videtur. Atq; globi terrestris domicilium instar puncti ad cœli ambitum cēsetur. In æthere vere ipso, quantula portio in stellis cōspergitur? cum in citimis sphæris singulæ conspiciantur, in ultima licet ingens earum numerus sit, tamen præ spatiis interstellaribus, exiguum quiddam spatij sidereum appareat: ut omnia tāquam in vastissimo aëris pelago natare videantur. Neque parva est ea portio aeris & spiritus, quæ in aquis & cavis terræ locis, sedem & moram habet: unde aquæ fluorem suum recipiunt. Quin & extenduntur quandoq; & intumescunt: Terræ autem non solum porositas sua accidit, sed etiā tremores & concussiones, evidentia signa venti & aeris inclusi. Quod si media quædam Natura sit propria principiorum, ut tantæ varietatis possit esse susceptiva: ea prorsus in aere reperiri videtur. Est enim aer tamquam commune rerum vinculum, non tantum quia ubique præsto est, & succedit, & vacua possidet; sed multo magis quod videtur esse Naturæ cujusdam mediæ & adiaphoræ. Hoc enim corpus illud est, quod lucem, opacitatem, omniumq; colorum tincturas, & umbrarum Eclipses excipit & vehit: quod sonorū etiam harmonicorū, & (quod multo majus est) articulatorum impressiones & signaturas motu accuratissimo discriminat: quod odorum differentias, non tantum generales illas suavis & fœtidi gravis, acuti & similium, sed proprias & specificatas, Rosæ, Violæ, subit nec confundit: quod ad celebres & potentissimas illas qualitates calidi, frigidi, etiam humidi, sicci, quodammodo æquum se præbet, in quo vapores aquei, halitus pingues, spiritus salium, metallorum fumi, suspensa volant. Denique in quo radij cœlestes, & arctiores rerum consensus & discordiæ, secretò commeant, & obmurmurant, ut sit aer veluti Chaos secundum, in quo tot rerum semina agant, errent, tentent, atque experiantur. Postremo, si vim generalem & vivificantem in rebus consulas, quæ ad rerum principia manu ducat eaque manifestet, etiam aeris potiores partes esse videntur: adeo ut aeris & spiritus & Animæ vocabula usu nonnunquam confundantur. Idque meritò cum vitæ paulo adultioris (exceptis scilicet rudimentis illis vitæ in Embryonibus & ovis) respiratio aliqua omnes sit veluti individuus: adeo ut pisces concreta & conglaciata Aquarum superficie suffocentur. Etiam ignis ipse nisi ab aura circumfusa animetur, extinguitur, nihilque aliud videtur, quam aer attri-

tus,

tus, irritatus & incensus, quemadmodum aqua è contra videri possit aëris coagulum & receptus. Etiam terram perpetuò aërem exhalare, neque ut per aquam in formam aëris, transitum faciat, opus habere. *Heraclitus* verò magis acutus, sed minùs credibilis, ignem rerum principium posuit. Neq; enim naturam mediam, quæ maximè vaga & corruptibilis esse solet, sed naturam summam & perfectam, quæ corruptionis & alterationis terminus quidam sit; ad rerum principia constituenda quęsivit. Videbat autem maximarum rerum varietatem & perturbationem in corporibus solidis & consistentibus inveniri. Talia enim corpora organica esse possunt, & veluti machinæ quædam: quæ etiam ex figura innumeras variationes nanciscuntur, qualia sunt corpora animalium & plantarum. Etiam in his ipsis, ea quoque, quæ organica non sunt, tamen si acutiùs introspiciantur, valdè esse dissimilia reperiuntur. Quanta enim dissimilitudo inter partes Animalium illas ipsas, quæ vocantur Similares? cerebrum, humorem crystallinum, albuginem oculi, os, membranam, cartilaginem, nervum, venam, carnem, pinguedinem, medullam, sanguinem, sperma, spiritum, chilum, reliqua? etiam inter partes Vegetabilium, radicem, corticem, caulem, folium, florem, semen, & similia? At fossilia organica non sunt certè, sed tamen in una specie variè commista sunt, & ad invicem admodum copiosam varietatem ostendunt. Quamobrem basis illa diversitatis entium, ampla, lata, & exporrecta, in qua tantus rerum apparatus elucescit & observatur, constitui videtur in natura solida & consistenti. Corpora verò liquorum, vis schematismi organici planè deserit. Neque enim reperitur per totam istam naturam visibilem, aut animal, aut planta, in corpore merè fluido. Ergò numerosissima illa varietas à natura liquida abscinditur, & subducitur. Manet nihilominùs varietas non parva, ut in tanta diversitate fusilium, succorum, destillatorum, & hujusmodi, manifestum est. At in aëreis & pneumaticis corporibus arctatur multò magis varietas, & obducitur promiscua quædam rerum similitudo. Certè vis illa colorum & saporum, quibus liquores quandoque distinguuntur, omninò cessat; odorum verò manet, atque aliarum nonnullarum, ita tamen, ut transeant, confundantur, & minùs hæreant; adeò ut in universum quò magis ad ignis naturam fiat appropinquatio, tantum de varietate depereat. At postquam ad ignis naturam ventum est, ejusque rectificati & purioris, omne organum, omnisque proprietas, omnis dissimilaritas exuitur, atque natura tanquam in vertice pyramidali, in unum coire videtur, atque ad terminum actionis suæ propriæ pervenisse. Itaque incensionem sive ignescentiam pacem nominavit, quia naturam componeret: Generationem autem bellum, quia ad multiplex deduceret. Atque ut ista ratio, (quâ res à varietate ad unum, & ab unitate ad varium, fluminis instar fluerent & refluerent,) aliquo modo explicare posset: Ignem ei densari & rarescere placuit, ita tamen ut *rarescentia* illa versus naturam igneam, actio esset naturæ directa & progressiva: *Densatio* autem veluti retrogradatio naturæ & destitutio. Utrumque fato & certis periodis (secundùm summam) fieri censebat: ut mundi istius, qui volvitur, futura sit quandoque conflagratio, & deinde instauratio, atque incensionis & generationis series perpetua & successio. Ordinem autem (si quis diligenter versetur in tenui ea, quæ de hoc viro atque ejus decretis ad nos pervenit, memoria) diversum statuit *incensionis* & *extinctionis*. In scala enim *incensionis*, nihil ab iis, quæ vulgata sunt, dissentiebat: ut progressus *rarescentiæ* & extenuationis esset à terra ad aquam, ab aqua ad aërem, ab aëre ad ignem: at non idem decursus: sed ordinem planè invertebat. Ignem enim per exstinctionem terram educere asserebat, tanquam fæces quasdam atque fuligines ignis: eas deinceps uditatem concipere & colligere, unde aquæ fiat effluvium, quæ rursus aërem emittat & exspiret: ut ab igne ad terram mutatio fiat in præceps, non gradatim.

Atque hæc, aut iis meliora, cogitabant illi, qui unum rerum principium statuerunt, naturam simpliciter intuiti, non contentiosè. Atque laudandi sunt, quòd vestem unicam *Cupidini* tribuerint, id quod nuditati proximum est; atque hujusmodi vestem, quæ est (ut diximus,) veli cujuspiam instar, non profectò telæ spissioris. Vestem autem *Cupidinis* appellamus formam aliquam materiæ primæ attributam, quæ asseratur esse cum forma alicujus ex entibus secundis substantialiter homogenea. Ista autem quæ de aqua, aëre, igne, ab istis asseruntur, non firmis admodum rationibus nixa, reprehendere non fuerit difficile; neque causa videtur cur de singulis disseramus, sed tantùm in genere. Primò itaque videntur Antiqui illi in inquisitione principiorum, rationem non admodum acutam instituisse, sed hoc solummodò egisse, ut ex corporibus apparentibus & manifestis, quod maximè excelleret, quærerent: &, quod tale videbatur, principium rerum ponerent: tanquam per excellentiam, non verò aut realiter. Putabant enim hujusmodi naturam dignam, quæ sola esse diceretur qualis apparet: Cætera verò eandem ipsam naturam esse existimabant, licèt minimè secundùm apparentiam: ut vel per tropum locuti, vel tamquam fascinati videantur, cùm impressio fortior reliqua traxerit. At verè contemplantem, æquum se præbere oportet ad omnia, atque principia rerum statuere, quæ etiam cum minimis & rarissimis, & maximè desertis quibuscunque entium conveniant, non tantùm cum maximis, & plurimis, & vigentibus. Licèt enim nos homines entia, quæ maximè occurrunt, maximè miremur, tamen naturæ sinus ad omnia laxatur. Quòd si principium illud suum teneant, non per excellentiam, sed simpliciter: videntur utique in duriorem tropum incidere: cùm res planè deducatur ad æquivocum, neque de igne naturali, aut naturali aëre, aut aqua, quod asserunt prædicari videatur, sed de igne aliquo phantastico & notionali, (& sic de cæteris,) qui nomen ignis retineat, definitionem abneget. Porrò videntur & illi in eadem incommoda compelli, quæ assertores materiæ abstractæ subeunt. Ut enim illi materiam potentialem & phantasticam ex toto, ita & isti ex parte introducunt. Ponunt etiam materiam quoad aliquid (principium illud nempe suum,) formatam & actualem: quoad reliqua tantùm potentialem. Neque aliquid lucri fieri per istud genus principii unici videtur, magis quâ per

illud

illud materiæ abstractæ; nisi quòd habetur aliquid quod observetur ad intellectum humanum, in quo cogitatio humana magis defigatur & acquiescat, & per quod Notio principii ipsius paulò plenior sit, reliquorum omnium abstrusior, & durior. Sed scilicet illâ ætate *Prædicamenta* regnum non acceperant, ut potuisset principium illud materiæ abstractæ latere sub fide & tutela Prædicamenti substantiæ. Itaque nemo ausus est confingere materiam aliquam planè phantasticam, sed principium statuerunt secundùm sensum, aliquod Ens verum: modum autem ejus dispensandi (liberiùs se gerentes) phantasticum. Nihil enim inveniunt, imò nec comminiscuntur, quo appetitu, aut stimulo, aut quâ ratione, viâ, aut ductu, illud principium suum à se degeneret, & rursus se recipiat. At cùm tanti appareant per Universum contrariorum exercitus, densi, rari, calidi, frigidi, lucidi, opaci, animati, inanimati, & aliorum plurimorum, quæ se invicem oppugnant, privant, perimunt: hæc omnia ab uno quopiam rei materiatæ fonte manare putare, neque tamen ullum ejus rei modum ostendere, speculationis cujusdam attonitæ videtur, & inquisitionem deserentis. Nam si de re ipsa per sensum constaret, ferendum esset, licèt modus esset in obscuro: Rursus si modus vi rationis erutus esset aliquis habilis & credibilis, discedendum fortasse ab apparentiis; sed minimè postulandum, ut iis assentiamus, quorum nec Entia per sensum manifesta, neque explicationes per rationem probabiles. Præterea, si unum esset rerum Principium, debuerat ejus conspici in omnibus rebus nota quædam, & tamquam partes potiores, & prædominantia nonnulla: neque inveniri principatum ullum, quod Principio ex Diametro opponatur. Etiam in medio collocari debuerat, ut omnibus commodiùs sui copiam faceret, & per ambitum se diffunderet. At horum nihil esse in illis placitis invenitur. Nam terra, quæ à principii honore separatur, & excluditur, videtur suscipere & fovere naturas illis tribus Principalibus oppositas, cùm ad nobilitatem & lucidam naturam ignis, opponat naturam quietam & opacam: ad tenuitatem & mollitiem aëris, opponat similiter naturam densam & duram: & ad humiditatem & sequacitatem Aquæ, naturam siccam, rigidam, & asperam: atque ipsa quoque Terra medium locum occupârit, cæteris deturbatis. Porrò, si unicum esset rerum Principium, debuerat & illud tùm ad rerum generationem, tùm ad earum dissolutionem, æquam præbere naturam. Tàm enim est principii, ut res in illud solvantur, quàm ut res ex illo gignantur. At hoc non fit; sed ex iis corporibus Aër & Ignis ad materiam generationis præbendam inepta videntur, ad eorum resolutionem excipiendum parata. At Aqua contrà ad generationem benigna & alma: ad resolutionem sive restitutionem magis aliena & aversa: id quod facilè cerneretur, si imbres paulisper cessarent. Quin & putrefactio ipsa nullo modo res ad Aquam puram & crudam redigit. Sed longè maximus error, quòd constituerunt principium corruptibile & mortale. Id enim faciunt, cùm principium introducunt tale, quod naturam suam in compositis deferat & deponat.

Nam quodcunque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.

Verùm hac ratione magis nobis opus erit statim cùm ad illam tertiam sectam, quæ plura decrevit rerum principia, sermo jam ordine devectus sit; quę certè Secta plus roboris habere videri possit, plus præjudicii certè habet. Itaque ad opiniones non secundùm genus & in communi, sed singulas accedemus.

Itaque ex iis, qui plura principia dixerunt, separabimus eos, qui infinita asserunt. Ille enim locus de Infinito, ad Parabolam Cœli pertinet. Verùm ex Antiquis *Parmenides* duo rerum Principia ignem & terram, dixit, sive cœlum & terram. Solem enim & sidera, verum ignem esse asseruit, eumque purum & limpidum, non degenerem, qualis apud nos est ignis, qui tanquam *Vulcanus* in terram dejectus ex casu claudicat. *Parmenidis* verò Placita instauravit seculo nostro *Telesius*, Vir Peripateticis rationibus (si aliquid illæ essent) potens & instructus, quas etiam in illos ipsos vertit: Sed affirmando impeditus; & destruendo quàm astruendo melior. Ipsius verò *Parmenidis* inventorum parca admodum & perexilis memoria. Attamen fundamenta similis opinionis planè jacta videntur in libro, quem *Plutarchus* de primo frigido conscripsit: qui Tractatus videtur ex aliquo Tractatu antiquo, qui tunc temporis exstabat, jam periit, descriptus & desumptus. Habet enim non pauca & acutiora, & firmiora, quàm solent esse authoris ipsius, qui ea vulgavit; à quibus monitus atque exercitatus videtur *Telesius*, ut ea & studiosè arriperet & strenuè persequeretur in suis de Natura Rerum Commentariis. Placita autem hujus Sectæ sunt hujusmodi. Primas formas ac prima Entia activa, atque adeò primas Substantias, calorem & frigus esse; eadem nihilominus incorporea existere: sed subesse materiam passivam & potentialem, quæ corpoream molem præbeat, atque sit utriusque naturæ ex æquo susceptiva, ipsa omnis actionis expers. Lucem pullulationem caloris esse, sed caloris dissipati, qui coëundo multiplicatus, sit robustus & sensibilis. Opacitatem similiter destitutionem & confusionem naturæ radiantis ex frigore. Rarum & Densum caloris & frigoris texturas & veluti telas esse; calorem verò & frigus eorum effectores & opifices, densante opus frigore & inspissante, divellente autem calore & extendente. Ex ejusmodi texturis indi corporibus dispositionem erga motum, vel habilem, vel aversam, Raris videlicet promptam & habilem, Densis torpescentem & aversam. Itaque calorem per tenue motum excitare, & peragere, frigus per densum, motum compescere & sedare. Quare esse & poni quatuor naturas coëssentiales, atque conjugatas, eatque duplices, ordinem eum, quem diximus, ad invicem servantes; (fons enim calor & frigus, cæteræ emanationes,) sed tamen perpetuò concomitantes & inseparabiles. Eas esse, Calidum, Lucidum, Rarum, Mobile. Et quatuor rursus his oppositas, Frigidum, Opacum, Densum, Immobile. Sedes verò & contignationes primæ conjugationis in cœlo, sideribus, ac præcipuè in Sole statui; secundæ in Terra. Cœlum enim è summo integroque calore & materia maximè explicata esse calidissimum, lucidissimum, tenuissimum, maximè mobile. Terram contra, ex frigore integro

gro & irrefracto, & materia maximè contracta, frigidissimam, tenebricosissimam, densissimam, penitus immobilem, ac summopere motum exhorrentem. Summitates vero cœli naturam suam integram atque illæsam servare, diversitatem nonnullam inter se admittentes, sed à contrarii violentia & insultu penitus semotas: similem per ima sive intima Terræ constantiam esse, extrema tantum ubi contrariorum sit appropinquatio & concursus, laborare, & ab invicem pati & oppugnari. Cœlum itaque tota mole & substantia calidum & omnis contrariæ naturæ prorsus expers, sed inæqualiter; aliis partibus scilicet magis calidum, aliis minus. Stellatum enim corpus intensius calidum, interstellare remissius; Quin & stellis ipsis alias aliis ardentiores, & ignis magis vividi & vibrantis: ita tamen ut contraria Natura frigoris, aut aliquis ejus gradus, nunquam eo penetret; recipere enim diversitatem Naturæ, contrarietatem non recipere. Neque vero de calore aut igne cœlestium, qui est integer & nativus, ex igne communi judicium omnino fieri. Ignem enim nostrum extra locum suum, trepidum, contrariis circumfusum, indignum, & stipem alimenti, ut conservetur, emendicantem, & fugientem: At in cœlo vero locatum, ab impetu alicujus contrarii disjunctum, constantem, ex se & similibus conservatum, & proprias operationes libere & absque molestia peragentem. Item cœlum omni parte lucidum, sed secundum magis & minus. Cum enim sint ex stellis notis & numeratis, quæ nisi cœlô serenô conspici non possint, atque in Galaxia sint nodi minutarum stellarum, quæ albedinem quandoque conjunctæ, non corpus lucidum distinctæ repræsentent; Nemini dubium esse posse, quin & sint stellæ complures, quoad vos invisibiles; atque adeo universum cœli copus luce præditum sit, licet fulgore non tam robusto & vibrante, nec radiis tam confertis & constipatis, ut tanta spatia distantiarum vincere queat, & ad nostrum aspectum pervenire. Ita rursus cœlum universum ex substantia tenui & & rara, nil in eo contrusum, nil illibenter compactum, sed tamen alia parte materiam magis explicatâ, alia minus explicatam sortiri. Postremo, motum cœli enim inveniri, qui rei maxime mobili cōpetat, conversionis nimirum sive rotationis; motus enim circularis absque termino est, & sui gratia. Motus in linea recta, ad terminum & ad aliquid; & tamquam ut quiescat. Itaque universum cœlum motu circulari ferri, nec ullam ejus partem hujus motus expertum esse; sed tamen quemadmodum & in calore, & in luce, & raritate cœli versatur inæqualitas, ita & in motu eandem notari; adeoque magis insigniter, quia observationem humanam magis lacessit & sustinet, ut etiam calculos pati possit. Motum autem Orbicularem & incitatione differre posse, & latione; & incitatione, ut sit celerior aut tardior; latione, ut sit in circulo perfecto, aut aliquid habeat spiræ, neque se plane restituat ad eundem terminum; (nam linea spiralis ex circulo & recta composita est) Itaque hæc ipsa cœlo accidere, varietatem nempe incitationis, & deflexionem à restitutione, sive spiralitatem. Nam & stellæ inerrantes & Planetæ impariter properant; & planetæ evidenter à Tropico in Tropicum deflectunt, atque quo sublimiora cœlestia sunt, eo & majorem incitationem sortiuntur, & propiorem spiram. Nam si Phænomena simpliciter, atque ut conspiciuntur, accipiantur, & ponatur motus diurnus unus naturalis & simplex in cœlestibus, & formositas illa Mathematica (ut motus reducantur ad circulos perfectos) contemnatur, & recipiantur lineæ spirales; & contrarietates illæ motuum in consecutione, ab Oriente in Occidentem (quem vocant primi Mobilis) & rursus ab Occidente in Orientem (quem vocant motum proprium Planetarum) redigantur in unum, salvando differentiam temporis in restitutione per præfestinationem & derelictionem, & diversam politatem Zodiaci per spiras; manifestum est hoc, quod diximus, evenire. Exempli gratia, ut Luna, quæ est Planetarum infima, incedat & tardissime, & per spiras maxime raras & hiantes. Atque talis quædam natura portionis illius cœli, quæ fit (propter distantiam à contratio) firma & perpetua, huic Sectæ videri possit. Utrum vero veteres terminos servarit *Telesius* ut talia esse putaret, quęcunque supra Lunam collocantur, cum Luna ipsa, an altius vim inimicam adscendere posse, perspicue non ponit. At terræ (quæ est oppositæ Naturæ contignatio & sedes) potionem itidem maximam, intemeratam & inconcussam statuit, & quo cœlestia non penetrent. Eam vero qualis sit non esse cur inquiratur, ait. Sat esse ut quatuor illis naturis, frigiditate, opacitate, densitate, & quiete, iisque absolutis, & nullatenus imminutis, dotata judicetur. Partem autem terræ versus superficiem ejus, veluti quendam corticem, aut incrustationem, generationi rerum assignat; omniaque entia, quæ nobis quovis modo innotuerunt, etiam ponderosissima, durissima & altissime demersa, metalla, lapides, mare, ex terra per calorem cœli, aliqua ex parte versa & subacta, & quæ nonnihil caloris, radiationis, tenuitatis, & mobilitatis jam conceperit, & denique ex media inter Solem & terram puram naturâ participet, consistere. Itaque necesse est ut terra illa pura, infra profundissima Maris, Mineranem & omnis generati deprimatur; & à terra illa pura, usque ad Lunam aut altiora fortasse, media quædam natura ex temperamentis & refractionibus cœli & terræ collocetur. Postquam autem interiora utriusque regni satis munisset, expeditionem & bellum molitur. Nam in spatiis illis intrà extima cœli & intima Terræ, omnem tumultum & conflictum, & tartarismum inveniri, ut fit in Imperiis, in quibus illud usuvenit, ut fines incursionibus & violentiis infestentur, dum interiores provinciæ securâ pace fruuntur. Has itaque Naturas & earum concretiones, sese assidue generandi & multiplicandi, & quaquaversus offundendi, & molem Materiæ universam occupandi, & sese mutuo oppugnandi & invadendi & propriis se sedibus deturbandi & eijciendi, & sese iis in constituendi, præterea & alterius Naturæ vim, & actiones, & proprias etiam percipiendi & prehendendi, & ex hujusmodi perceptione se movendi & accommodandi, appetitum & facultatem habere, atq; ex ista decertatione, omnium Entium, atque omnis Actionis & virtutis varietatem deduci. Videtur tamen alicubi, licet titubanter & strictim, aliquid dotis materiæ impertiri, primò, ut non augeatur, nec minuatur, per formas & activa Entia, sed summâ Universali conster: deinde ut motus gravitatis sive descensus ad illam

referatur; etiam quiddam de nigredine materiæ injicit. Illud autem perspicue; calorem & frigus eadē vi & copiâ, in materia explicata vires remittere, in complicata intendere, cum mensuram non suam sed materiæ impleant. Modum vero excogitat atque explicat *Telesius*, quo ex hoc certamine & lucta induci atque expediri possit tam fœcunda & multiplex entium generatio. Ac primò cavet Terræ, inferiori scilicet principio, ac ostendit quid in causa sit, cur à Sole terra jampridem destructa, & absorpta non sit, nec in futurum esse possit. Caput huic rei distantiam ponit Terræ à stellis fixis immensam, à Sole ipso satis magnam, & qualis esse debeat, bene mensuratam. Secundo; declinationem radiorū Solis, à perpendiculo, habito respectu ad partes Terræ diversas; quod videlicet supra majorem partem terræ Sol nunquam sit in vertice, aut incidentia radiorum perpendicularis; adeo ut universum Terræ globum vigore aliquo caloris notabili nunquam occupet. Tertio, obliquitatem motūs Solis, in transcursu per Zodiacum, habito respectu ad easdem Terræ partes, unde calor Solis in qualicunque vigore non assiduo ingeminatur, sed per intervalla majora redit. Quarto celeritatem Solis respectu motūs diurni, qui tantum ambitum tam exiguo temporis spatio conficit, unde minor mora caloris, neque momentum aliquod temporis, in quo calor constet. Quintò, continuationem corporum inter Solem & Terram, quod Sol non per vacuum integras caloris demittat vires, sed per tot corpora renitentia permeans, & cum singulis satageus, & dimicans, in immensum langueat, & enervetur; tantò magis quod quò longius procedat atque debilior evadat, eò corpora inveniat magis inobsequentia, maxime omnium, postquam ad terræ superficiem ventum est, ubi videtur non solum renitentia, sed plane quædam repulsio. Processum vero immutationis talem asserit. Bellum plane inexpiabile, atque internocivum esse; neque contrarias istas naturas ullo symbolo convenire, neque per tertiam, præterquam hylen. Itaque utramque naturam hoc ipsum appetere, niti, contendere, ut alteram plane perdat, seque solam & suam materiæ indat; ut sit Solis opus (quod perspicue & sæpe dicit) plane terram vertere in Solem, & vicissim opus Terræ, Solem vertere in terram; neque hoc officere quin omnia certo ordine, definitis temporibus, & justis mensuris fiant; atque actio quæque cursu debito incipiat, moliatur, vigeat, langueat, cesset. Quod tamen per leges fœderis aut concordiæ ullas non fieri, sed omnino per impotentiam: omne enim plus & minus in virtute & actione non ab intensionis moderamine (quæ integrum quiddam concupiscit) sed ab oppositæ naturæ ictu & fræno esse; Operationis diversitatem & multiplicitatem atque etiam perplexitatem, omnino propter unum ex tribus istis evenire; vim caloris, dispositionem materiæ, modum subactionis; quæ tamen tria nexu quodam inter se implicantur, atque sibi ipsis concausæ sunt. Calorem ipsum, vi, copia, mora, medio, successione differre: Successionem vero ipsam in plurimis variari, Accedentia, Recedentia, sive intensione, remissione, saltu, gradu, reditu; sive repetitione per majora aut minora intervalla; atque hujusmodi alterationibus. Calores itaque prorsus vi & natura longe diversissimos esse, prout puriores vel impuriores, habita ratione ad primum fontem (Solem videlicet) facti sint. Neque calorem omnem calorem fovere; sed postquam gradibus bene multis ad invicem distent, se mutuo non minus quam frigore perimere ac perdere, & proprias actiones agere & alterius actionibus adversari atque opponi; ut minores calores ad multo majores constituat *Telesius* tamquam proditores & perfugas, & cum frigore conspirantes. Itaque vividum illum calorem, qui in igne est, & vibratur, exilem illum calorem, qui in aqua serpit, omnino interimere; atque similiter calorem præternaturalem humorum putridorum in corpore humano; calorem naturalem suffocare & exstinguere. Copiam vero caloris plurimum interesse, manifestius esse, quam ut explicatione egeat. Neque enim unam aut alteram ignis prunam æque vehementer, ac multas coacervatas, calefacere; maxime autem insigniter copiæ caloris effectum demonstrari in multiplicatione caloris Solis, per reflexionem radiorum; numerus enim radiorum conduplicatur per reflexionem simplicem, multiplicatur per variam. Copiæ caloris vero debet adscribi vel addi & Unio; quod etiam obliquitate & perpendiculo radiorum optime ostenditur, cum quo propius & ad acutiores angulos radius directus & reflexus coëat, eò validiorem caloris ictum jaciat. Quin & Sol ipse, cum inter majores illos & robustiores stellarum fixarum ignes Regulum, Caniculam, Spicam, versatur, valentiores fervores efflat. Moram vero caloris evidentissime maximi momenti operationem esse, cum omnes virtutes naturales tempora colant, observent, ut ad vires actuandas tempus requiratur nonnullum, ad roborandas; bene multum. Itaque moram caloris, calorem æqualem in progressivam & inæqualem convertere; quia calor & antecedens & subsequens simul conjugantur; id & in fervoribus Autumnalibus, quia fervoribus solstitialibus, & in horis æstivis pomeridianis, quia horis ipsis meridianis ardentiores sentiuntur; manifestum esse, etiam in frigidioribus regionibus debilitatem caloris, mora & longitudine dierum æstivis temporibus quandoque compensari. At medii potentiam & efficaciam in calore deferendo insignem esse. Hinc enim tempestatum temperiem magnopere variari, ut cœlum indicibili inconstantia per dies æstivos agitatum nonnihil, per dies hiemales sudum quandoque inveniatur; Sole interim iter suum & spatia sua constanter & legitime servante; Etiam segetes & uvas flantibus Austris & cœlo nubilosio, magis mutari. Atque omnem cœli secundum varias annorum revolutiones dispositionem & execrationem, aliquando pestilentem & morbidam, aliquando salubrem & amicam; hinc causam & originem sumere; medio scilicet aëre variante, quæ dispositionem ex ipsa vicissitudine & alteratione tempestatum diversam, longâ fortasse serie colligit. Successionis vero caloris atque ordinis quo calor calorem consequitur, ut multiplicem rationem, ita summam virtutem esse. Neque Solem tam numerosam & prolificam generationem educere potuisse, nisi corporis Solis moventis configuratio versus Terram & Terræ partes; plurimæ inæqualitatis & variationis particeps esset. Nam & circulariter motus

vetur Sol, & rapide & ex obliquo, & se retexit, ut & absens sit & præsens, & propior & remotior & magis ex perpendiculo; & magis ex obliquo, & citius rediens & tardius, neque ullo temporis momento calor emanans à Sole sibi constet, neque brevi intervallo usquam (nisi sub ipsis Tropicis) se restituat; ut tanta variatio generantis, cum tanta varietate generati optime conveniat. Cui addi posse medii sive vehiculi naturam diversissimam. Cætera quoque quæ de inæqualitate & gradibus caloris unici dicta sunt, posse ad vicissitudines & varietates successionis in caloribus diversis referri. Itaque *Aristotelem* non male generationem & corruptionem rerum obliquæ viæ Solis attribuisse, eamque ut efficientem causam earum constituisse, si libidine pronunciandi, & arbitrum Naturæ se gerendi; & res ad placitum suum distinguendi & concinnandi, recte inventum non corrupisset. Illum enim & Generationem & Corruptionem (quæ nunquam prorsus privativa, sed generationis alterius prægnans est) inæqualitati caloris Solis secundum totum, hoc est, Accedentiæ & Recedentiæ Solis conjunctim, non generationem Accedentiæ, Corruptionem Recedentiæ divisim assignare debuisse; quod pinguiter & ex vulgi fere judicio fecit. Quod si cui mirum videatur; generationem rerum Soli attribui, cum Sol ignis esse alleratur, & supponatur; Ignis autem nil generet; id leviter objici. Somnium enim plane esse illud de Heterogenia calorum Solis & ignis. Infinitas enim esse operationes, in quibus actio Solis & actio Ignis conveniant; ut in maturatione fructuum, conservatione plantarum tenerarum, & clementiæ cœli affluetarum in regionibus frigidis, exclusione ovorum, restitutione urinarum ad claritatem, (calorem enim Solis & Animalis conjungimus (resuscitatione animalculorum frigore obrigentium, evocatione eorum & vaporum, & id genus. Sed nihilominus ignem nostrum malum mimum esse; nec Solis actiones bene imitari, aut prope attingere; cum Solis calor tribus dotatus sit proprietatibus; quæ ignis communis ægre ullo artificio repræsentare possit: Primò, quod sit ob distantiam, gradu ipso minor & blandior; hoc vero ejusmodi esse, ut aliquo modo æquiparari possit; caloris enim talis modus, magis incognitus est, quam imparabilis: Secundo, quod per tot & talia media fluens & glisceus, dissimularem quandam & generativam vim mutuetur & obtineat; maxime vero quod tam regulari inæqualitate augeatur, minuatur, accedat, recedat, nunquam vero subsultorie aut præcipitanter sibi succedat. Quæ duo postrema ab igne fere sunt inimitabilia, licet industria perspicaci & perpensares provehi possit. Atque hujusmodi quædam de diversitate Calorum à *Telesio* dicuntur.

Frigidi autem, contrarii nempe principii, atque dispensationis ejus vix meminit; nisi forte quæ de dispositione materiæ jam secundo loco dicentur, ea huic rei satisfacere posse putaverit; quod tamen facere non debuit, quandoquidem frigus nullo modo privationem caloris, sed omnino principium activum, caloris æmulum, & tamquam competitorem, videri voluit. Quæ autem de Materiæ dispositione disseruit, eo pertinent, ut ostendant quomodo Materia à calore patiatur, & subigatur, & vertatur, massa frigoris mentione aut cura. De frigore autem (nos enim in omnium inventis summa cum fide, & tamquam faventes, versamur) hujusmodi quædam dicere potuit. Sedem frigidi immotam & fixam ad structuram caloris mobilem & versatilem optime convenire; tamquam incudem ad malleum. Nam si utrumque principium varietatem & alterationem habuisset, genuissent procul dubio Entia horaria & momentanea. Etiam immensas regiones calidi (cœlum scilicet) compacta natura globi, Terræ & circumjacentium, nonnihil compensari; cum non spatia, sed copia Materiæ in spatiis, spectetur; frigidi vero naturam, virtutes & rationes, merito aut silentio præterit, aut brevi sermone transmitti debere, cum nil certi & explorati de eo haberi possit per experientiam. Habemus enim ignem communem, tamquam Solis vicarium, qui caloris Naturam manifestet. At frigidi Telluris nulla est substitutio; quæ in manu hominis sit & adhibeatur præsto ad experimentum. Etenim illos horrores & rigores frigidi, qui ex globo & ambitu Terræ hiemalibus temporibus, & in regionibus frigidissimis exspirant in aërem, tepores plane & balnea esse, præ natura primi frigidi, in visceribus terræ inclusi; ut frigus illud, cujus homines sensum & potestatem habeant, simile quiddam sit, ac si calorem nullum alium haberent, præter eum qui à Sole æstivis diebus, & in calidis regionibus emanat; qui ad ignes fornacis ardentis collatus, refrigerium quoddam censeri possit. Sed in iis, qui subditia sunt, minus morandum. Videndum igitur deinceps, qualia sunt ea quæ à *Telesio* dicuntur circa dispositionem materiæ, in quam color agat; cujus ea est vis, ut actionem ipsam caloris promoveat, impediat, immutet. Ejus ratio quadruplex. Prima, differentia sumitur ex calore præinexistente, aut non præinexistente. Secunda, ex copia aut paucitate materiæ. Tertia, ex gradibus subactionis: Quarta, ex clausura vel apertura corporis subacti. Quod ad primam attinet, supponit *Telesius* in omnibus entibus, quæ nobis cognita sunt, subesse atque latitare calorem nonnullum, licet ad tactum minime deprehendatur, qui calor cum novo aut superveniente calore conjungitur; quin & ipse ab eodem adventitio calore ad actiones suas peragendas etiam in proprio modulo excitatur atque incenditur. Hujus rei argumentum esse insigne, quod nullum scilicet sit ex Entibus, non metallum, non lapis, non aqua, non aër, quod non ex attactu; atque etiam ab admonitione ignis, aut corporis calidi calescat. Quod factum iri verisimile non est, nisi calor præinexistens & latens, præparatio quædam esset ad calorem novum & manifestum. Etiam illud magis & minus; nempe facilitatem aut tarditatem in calore concipiendo, quod in Entibus invenitur, secundum modum caloris præinexistentis competere. Aërem vero parvo calore tepescere, atque eo qui in corpore Aquæ non percipiatur, sed sensum fugiat: Etiam Aquam citius tepescere, quam lapidem, aut metallum, aut vitrum. Nam quod aliquod ex istis, metallum scilicet aut lapis, citius tepescere videatur quam Aqua, id tantum in superficie fieri, non in profundo; quia corpora consistentia minus communicabilia sunt in partibus suis quam liquida. Itaque extima Metalli citius calefieri quam extima Aquæ, universam autem

molem, tardius. Secunda differentia ponitur in coacervatione & exporrectione materiæ. Ea si densa fuerit, fit ut caloris vires magis uniantur, & per unionem magis augeantur & intendantur; contra si laxior fuerit, ut magis disgregentur & per disgregationem magis minuantur, & enerventur. Itaque fortiorem esse calorem metallorum ignitorum, quam Aquæ ferventis, etiam quam flammæ ipsius, nisi quod flamma per tenuitatem magis subintret. Nam flammam carbonum sive lignorum, nisi flatu excitetur, ut per motum facilius impellatur & penetret, non admodum furere; quin & nonnullas flammas (qualis est spiritus vini inflammati, præsertim in exigua quantitate & dispersa) adeo lenis caloris esse, ut ad manus fere toleretur. Tertia differentia, quæ sumitur ex subactione materiæ, multiplex est; *Gradus enim subactionis* memorantur ab eo quasi septem; quorum *primus est*, Lentor, qui est dispositio materiæ exhibens corpus ad majorem violentiam nonnihil obsequens, & compressionis, & præcipue extensionis patiens, fluxibile denique aut ductile. *Secundus*, Mollities, cum majore violentia nil opus est, sed corpus etiam levi impulsione, atque ad tactum ipsum sive manum cedit absque evidenti retinentia. *Tertia*, Viscositas sive Tenacitas, quæ est principium quoddam fluoris. Videtur enim corpus viscosum ad contactum & complexum alterius corporis incipere fluere & continuari, nec se ipso finiri, licet sponte & ex sese non fluat; fluidum enim sui sequax est viscosum alterius magis. *Quarta*, ipse fluor, cum corpus spiritus interioris particeps in motu versatur libens & seipsum sequitur, atque ægre definitur, aut consistit. *Quinta*, Vapor, cum corpus attenuatur in intactile, quod etiam majore cum agilitate & mobilitate cedit, fluit, undulat, trepidat. *Sexta*, Halitus, qui vapor est quidam magis coctus & maturus, & ad igneam naturam recipiendam subactus. *Septima*, aër ipse; aërem autem contendit *Telesius* omnino calore nativo, neque eo parvo aut impotenti, præditum esse; quod etiam in frigidissimis regionibus aër nunquam congelatur aut concrescit. Etiam illud evidenti indicio esse, aërem in natura propria calidum esse, quod omnis aër clausus, & sub universitate aëris divulsus, & sibi permissus teporem manifeste colligit, ut in lana & rebus fibrosis. Etiam in locis clausis & angustis, aërem ad respirationem sentiri quodam modo suffocativum; quod à calido est. Atque hæc propterea fieri quod aër clausus, sua natura uti incipiat, cum aër foras & sub dio refrigeretur à frigore, quod globus Terræ perpetuo immittit & efflat. Quin etiam aërem nostrum communem tenui quadam cœlestium dote insigniri, cum habeat nonnihil in se lucis; quod ex visu Animalium, quæ noctu & in locis obscuris cernere possunt, ostenditur. Atque talis est *Telesio* dispositionis materiæ series, in mediis videlicet; siquidem extrema, videlicet ex altera parte corpora dura & rigida, ex altera, ignis ipse, tamquam termini mediorum non recensentur. Sed præter hosce gradus simplices magnam aucupatur diversitatem in dispositione materiæ ex corpore similari & dissimilari, cum scilicet portiones materiæ in uno corpore compositæ & coadunatæ, vel ad unum ex gradibus supradictis æqualiter referri possunt, vel ad diversa impariter. Longe enim maximam inde sequi in operatione caloris differentiam. Itaque quartam illam differentiam necessario adhiberi ex natura ac etiam positura Corporis, in quod calor agat, clausa aut porosa & aperta. Quando enim in aperta & exposita operatur calor, operatur seriatim & per singula, attenuando & simul educendo & separando. Cum vero in occlusa & compacta, operatur secundum totum, & secundum massam, nulla facta jactura caloris, sed calore novo & vetere se conjungentibus & plane conspirantibus; unde fit ut potentiores & magis intrinsecas & exquisitas alterationes & subactiones conficiat. Verum de hoc plura mox dicentur, cum de modo subactionis disseremus. Sed interim satagit & æstuat *Telesius* & miris modis implicatur, ut expediat modum divortii & separationis qualitatum suarum primarum connaturalium, caloris, lucis, tenuitatis, & mobilitatis, ac quaternionis oppositæ prout corporibus accidunt: cum corpora alia inveniantur calida, aut ad calorem optime præparata, sed eadem inveniantur quoque densa, quieta, nigra; alia tenuia, mobilia, lucida sive alba, sed tamen frigida; & similiter de cæteris, una quapiam qualitate in rebus existente, reliquis non competentibus; alia vero duabus ex istis naturis participent, duabus contraria priventur, varia admodum permutatione & consortio. Qua in parte *Telesius* non admodum feliciter perfungitur, sed more Adversariorum suorum se gerit; qui cum prius opinantur quam experiuntur, ubi ad res particulares ventum est, ingenio & rebus abutuntur, atque tam ingenium quam res misere lacerant & torquent; & tamen alacres & (si ipsis credas) victores, ut sensu utcumque abundant. Concludit autem rem per desperationem, & votum, illud significans, licet & caloris vis & copia, & Materiæ dispositio crasso modo & secundum summas distingui & terminari possint; tamen exactas & accuratas eorum rationes, & distinctos & tamquam mensuratos modos, extra inquisitionis humanæ aditus sepositos esse; ita tamen, ut (quo modo inter impossibilia) diversitas dispositionis Materiæ, melius quam caloris vires & gradus, perspici possit; atque nihilominus in his ipsis (si qua fata sinant) humanæ & scientiæ & potentiæ fastigium & culmen esse. Postquam autem desperationem plane professus esset, tamen in vota precesque non cessat. Ita enim dixit: *Qui porro calor vel quantus, hoc est, quod caloris robur, & quæ ejus copia, quam Terram & quæ Entia in qualia invertat, minime inquirendum videtur, ut quod homini nulla (ut nobis videtur) innotescere queat ratione. Qui enim vel caloris vires, & calorem ipsum veluti in gradus partiri, vel materia, cui inditus est, copiam quantitatemque distincte percipere, & certis determinatisque caloris viribus copiaque, certam Materiæ quantitatem, dispositionemque, certasque actiones, aut contra, certæ Materiæ quantitati, certisque actionibus, certam determinatamque caloris copiam assignare liceat? Utinam idotio fruentes & perspicaciore præditi ingenio, & quibus in summa tranquillitate Rerum Naturam perscrutari licuerit, assequantur: ut hominis non omnium modo scientes, sed omnium fere potentes fiant!* honestius paulo quam solent ejus adver-

adversarii, qui quicquid Artes, quas ipsi peperunt, non assequuntur, id ex Arte omnino impossibile statuunt, ut nulla Ars damnari possit, cum ipsa & agat & judicet. Restat Tertium quod erat, subactionis videlicet Modus. Hoc triplici dogmate absolvit *Telesius*. Primum est, id quod antea à nobis obiter est notatum, nullam prorsus Symbolizationem intelligi (ut in Peripateticorum doctrina) per quam tres tamquam concordia quadam foveantur & conspirent. Omnem enim generationem, atque adeo omnem effectum in Corpore Naturali, victoria & prædominantia, non pacto aut fœdere transigi. Id quod novum non est, cum etiam *Aristoteles* in doctrina *Empedoclis* hoc ipsum notaverit. Quod scilicet cum *Empedocles* Litem & Amicitiam, rerum principia efficientia statuisset, tamen in explicationibus suis causarum, Inimicitia fere utatur, alterius tamquam oblitus. Secundum est, calorem actione sua propria perpetuo vertere Ens in humidum, & quod calori siccitas nullo modo coëat, nec frigori humiditas. Idem enim esse attenuare & humectare, atque quod maxime tenue, id etiam maxime humidum esse; cum per humidum intelligatur id quod facillime cedit, abit in partes, & rursus se restituit, atque ægre finitur aut consistit. Quæ omnia magis insunt flammæ, quam aëri; qui à Peripateticis constituitur maxime humidus. Itaque calorem, humidum perpetuo allicere, depascere, extendere, indere, generare; contra, frigus omnia agere in siccitatem, concretionem, duritiem; ubi vult *Aristotelem* & hebetem in observatione, & sibi discordem, & erga Experientiam imperiosum & libidinosum videri, quod calorem cum siccitate copulet. Nam quod aliquando Entia deficcet calor, id per accidens fieri; nimirum in corpore dissimilari, & ex partibus aliis magis crassis, aliis magis tenuibus coagmentato, eliciendo, & (per attenuationem) exitum dando parti tenuiori, dum pars crassior inde cogatur, & magis se cõstringat: quæ tamẽ ipsa pars crassior, si advenerit calor ferocior, & ipsa fluit, ut in lateribus manifestum est. Primo enim calor non ita servans lutum cogit in lateres, tenuiore parte evaporata. At fortior calor etiam illam substantiam laterit am solvit in vitrum. Atque hæc duo dogmata veluti errorum redargutiones censeri possunt; Tertium plane affirmat, neque id solum, sed & perspicue distinguit subactionis Modum. *Is duplex est, vel Rejiciendo, vel Vertendo*; atque alteruter ex iis modis perducitur in actum secundum vim caloris & dispositionem materiæ. Cujus rei tamen duo videntur tamquam Canones. Unus, quod cum calidum & frigidum magna mole, & tamquam justo exercitu concurrunt, sequitur ejectio. Nam entia, veluti acies, loco moventur & impelluntur. Ubi vero minore quantitate res geritur, tum sequitur versio; nam interimuntur Entia & Naturam potius quam locum mutant. Hujus rei insigne & nobile exemplum esse in regionibus Aëris superioribus, quę licet ad calorem cœlestem magis appropinquent, tamen frigidiores inveniuntur, quam confinia Terræ. In illis enim locis, post quam propius ad sedem primi calidi ventum est, calor se colligens universam frigoris vim, quæ ascenderat, simul ejicit & detrudit, & aditu prohibet. Quin etiam similiter fieri posse, ut sint per profunda Terræ calores vehementiores quam in superficie; postquam scilicet ad sedem primi frigidi appropinquatio facta est, quod se excitans, magno impetu calidum rejicit, & fugit, & in se vertit. Alter Canon est, quod in aperto sequitur ejectio; in clauso versio. Hoc autem insigniter conspici in vasibus occlusis, ubi emissio corporis attenuati (quod spiritum fere vocamus) prohibita & retrusa profundas & intrinsecas in corporibus alterationes & fermentationes generat. At hoc ipsum similiter fieri, cum corpus ob partium compactionem sibi ipsi instar vasis occluest. Atque hæc sunt quæ *Telesio*, & fortasse *Parmenidi*, circa rerum Principia, visa sunt; nisi quod *Telesius* Hylen addidit de proprio; Peripateticis scilicet notionibus depravatus.

Atque similia veri fuissent, quæ à *Telesio* dicuntur, si homo tollatur è Natura & simul Artes Mechanicæ, quæ materiam vexant, atque Fabrica Mundi simpliciter spectetur. Nam pastoralis quædam videtur ista Philosophia, quæ Mundum contemplatur placide, & tamquam per otium. Siquidem de Systemate Mundi disserit non male, de Principiis imperitissime. Quin & in ipso quoque Systemate ingens est lapsus, quod tale constituat Systema, quod videri possit æternum, nec supponat Chaos, & mutationes schematismi magni. Sive enim ea est *Telesii* Philosophia, sive Peripateticorum, sive quæ alia, quæ in eum modum Systema instruat, libret, muniat, ut non videatur fluxisse à chao; ea levior Philosophia videtur, atque omnino ex angustiis pectoris humani. Nam omnino secundum sensum Philosophanti Materiæ æternitas asseritur; Mundi (qualem eum intuemur) negatur; quod & priscæ Sapientiæ, & ei, qui ad ipsam proxime accedit, *Democrito* visum est. Idem sacræ Literæ testantur. Illud præcipue interest, quod illæ etiam Materiam à Deo; hi ex sese statuunt. Tria enim videntur esse dogmata, quæ scimus ex fide, circa hanc rem. Primo, quod materia creata sit ex nihilo. Secundo, quod eductio Systematis fuerit per verbum Omnipotentiæ, neque quod Materia de ipsa eduxerit è Chao in Schematismum illum. Tertio, quod Schematismus ille (ante prævaricationem) fuerit optimus; ex iis quæ Materia (qualis creata erat) suscipere posset. At Philosophiæ illæ ad nullum horum adscendere potuerunt. Nam & creationem ex nihilo exhorrent, & hunc Schematismum post multas ambages & molimina Materiæ, eductum sentiunt; nec de optimitate laborant, cum Schematismus asseratur occiduus & variabilis. In his itaque fidei atque ejus firmamentis standum. Utrum vero Materia illa creata, per longos seculorum circuitus, ex vi primo indita, se in illum optimum Schematismum colligere & vertere potuisset, (quod missis ambagibus ex verbi imperio continuo fecit) non inquirendum fortasse est. Tam enim est miraculum, & ejusdem omnipotentiæ Repræsentatio Temporis, quam Efformatis Entis. Videtur autem Natura divina utraque Omnipotentiæ emanatione se insignire voluisse: Primo, operando Omnipotenter super Ens & Materiam, creando scilicet Ens è Nihilo: Secundo, super Motum & Tempus, anticipando Ordinem Naturæ & accelerando processum Entis. Verum hæc ad parabolam de cœlo pertinent, ubi,

quæ nunc breviter perstringimus, fusius disseremus. Itaque ad Principia *Telesii* pergendum. Atque utinam hoc saltem semel & inter omnes conveniret, ne aut ex non Entibus Entia, aut ex non Principiis Principia, constitui placeret, neque manifesta recipiatur contradictio. Principium autem abstractum non est Ens; rursus Ens mortale non est Principium; ut necessitas plane invincibilis hominum cogitationes (si sibi constare velint) compellat ad Atomum, quod est verum Ens, materiatum, formatum, dimensum, locatum, habent Antitypiam, Appetitum, Motum Emanationem. Idem per omnium corporum Naturalium interitus manet inconcussum & æternum. Nam cum tot & tam variæ sint corporum majorum corruptiones, omnino necesse est, ut quod tamquam centrum manet immutabile, id aut potentiale quiddam sit, aut minimum; aut potentiale non est. Nam potentiale primum reliquorum, quę sunt potentialia, simile esse non potest, quæ aliud actu sunt, aliud potentia. Sed necesse est ut plane abstractum sit, cum omnem actum abneget, & omnem potentiam contineat. Itaque relinquitur ut illud immutabile sit Minimum; nisi forte quis asserat omnino Principia nulla existere; sed rem alteram alteri pro principiis esse, legem atque ordinem mutationis constantia esse & æterna, Essentiam ipsam fluxam & mutabilem. Atque satius foret hujusmodi quoddam diserte affirmare, quam studio æternum aliquod principium statuendi, in durius incommodum incidere, ut idem principium ponatur phantasticum. Illa enim prior ratio aliquem exitum habere videtur, ut res mutentur in Orbem; hæc prorsus nullum, quæ notionalia, & Mentis adminicula habet pro Entibus. Et tamen quod hoc ipsum nullo modo fieri possit, postea docebimus. *Telesio* tamen *Hyle* placuit, quam ex juniore ævo post natam in *Parmenidis* Philosophiam transtulit. At certamen instituit *Telesius* agentium suorum principiorum, mirum & plane iniquum, & copiis & genere bellandi. Nam quod ad copias attinet, Terra ei est unica, at cœli exercitus ingens; Etiam Terra puncti fere instar; Cœli vero spatia & regiones immensæ. Neque huic incommodo illud subvenire queat, quod Terra & Connaturalia ejus ex Materia maxime compacta asserantur, Cœlum contra & ætherea ex materia maxime explicata. Licet enim plurimum certe intersit, tamen hæc res nullo modo copias vel longo intervallo æquabit. At robur dogmatis *Telesii* versatur in hoc vel præcipue, si tamquam æqualis portio Hyles (secundum quantum, non secundum exporrectionem) utrique principio agenti assignetur, ut res durare possint, & Systema constitui & stabiliri. Quicunque enim cum *Telesio* sentiet in cæteris, & exsuperantiam Hyles præsertim tam amplo excessu, in uno principio, ad alterum recipiet; hærebit, nec se omnino explicabit. Itaque in Dialogo *Plutarchi* de facie in orbe Lunæ, sana mente proponitur illa consideratio, non esse verisimile, in dispersione Materiæ. Naturam quicquid compacti corporis erat in unicum terræ globum conclusisse, tot interim volventibus globis Astrorum. Huic vero cogitationi tam immoderatè indulsit *Gilbertus*, ut non solum Terram & Lunam, sed complures alios globos solidos & opacos, per expansionem cœli, inter globos lucentes, sparsos assereret. Quin & ipsi Peripatetici, postquam cœlestia suo statu; sublunaria autem per successionem & renovationem æterna posuissent, non confisi sunt se hoc dogma tueri posse, nisi Elementis veluti aquas Materiæ portiones assignassent. Hoc est enim illud quod de decupla illa portione, qua ambiens Elementum interius Elementum superet, consomniant. Neque ista eo adducimus, quod nullum ex iis nobis placeat, sed ut ostendamus inopinabile quiddam esse; atque cogitationem prorsus male mensuratam, si quis Terram, contrarium agens cœlo principium statuat: quod *Telesius* fecit. Atque hoc ipsum durius multo invenitur, si quis præter quantum ipsum, disparem virtutem & actum cœli & terræ intueatur. Perdita enim omnino sit dimicationis conditio, si ex altera parte telorum hostilium ictus perferantur, ex altera non pertingant, sed citra cadant. At liquet plane Solis vires in Terram mitti; Terræ autem vires usque ad Solem pervenire nemo spondeat. Etenim inter omnes virtutes, quas Natura parit, illa lucis & umbræ longissime emittitur, & maximo spatio sive orbe circumfunditur. Umbra autem Terræ citra Solem terminatur, cum lux Solis, si terra diaphana esset, globum Terræ transverberare possit. Nominatum calidum, frigidum (de quibus nunc est sermo) nunquam deprehenduntur tam magna spatia vincere, in virtute sua perferenda, quam lux & Umbra. Itaque si Umbra Terræ non pertingit ad Solem, multo minus frigidum Terræ eo adspirare posse consentaneum est. Id si ita sit, nempe ut Sol & calidum in quædam corpora media agat, quo contrarii principii virtus non adscendat, nec ullo modo eorum actum impediat; necesse est ut illa (Sol, inquam, & calidum) proxima quæque occupent, & deinde remotiora quoque conjungant, ut tandem futura sit *Heraclitii* conflagratio, Solari & cœlesti natura gradatim versus terram & confinia ejus descendente & magis appropinquante. Neque illa admodum conveniunt, ut vis illa Naturam suam imponendi & multiplicandi, & alia in se vertendi, quam *Telesius* principiis attribuit, non operetur in similia, æque aut magis quam in contraria; ut cœlum jam excandescere debuerit, & stellæ inter se committi. Verum ut propius accedamus, quatuor omnino demonstrationes proponendæ videntur, quæ *Telesii* Philosophiam de Principiis plane convellere & destruere possint, etiam singulæ, multo magis conjunctæ. Harum prima est, quod inveniantur in rebus nonnullæ actiones & effectus, etiam ex potentissimis & latissime diffusis, quæ ad calorem & frigus nullo modo referri possint. Proxima, quod inveniantur naturæ nonnullæ, quarum calor & frigus sint effectus & consecutiones; neque id ipsum per excitationem calotis præinexistentis, aut admonitionem caloris advenientis; sed prorsus per quæ calor & frigus in primo esse ipsorum indantur & generentur. Itaque principii ratio in iis ex utraque parte deficit, tum quia aliquid non ex ipsis, tum quia ipsa ex aliquo. Tertia, quod etiam ea quæ à calore & frigore originem ducunt (quæ certe sunt quamplurima) tamen procedunt ab illis, tamquam ab Efficiente & Organo, non tamquam à causa propria & intima. Postremo, quod conjugatio illa quatuor connaturaliũ omnino permiscetur

miscetur & confunditur. Quare de his sigillatim dicemus. Atque al cui fortasse vix operæ pretium videri possit, nos in Philosophia *Telesii* arguenda tam diligenter versari, Philosophia scilicet non admodũ celebri aut recepta. Verũ nos hujusmodi fastidia nil moramur. De *Telesio* autẽ bene sentimus, atque eum ut amantem veritatis, & Scientiis utilem, & nonnullorum Placitorum emendatorem & novorum hominum primum agnoscimus. Neque tamen nobis cum eo res est tamquam *Telesio*, sed tamquam instauratore Philosophiæ *Parmenidis*, cui multa debetur reverentia. Sed illud in primis in causa est, quod hæc fusius agamus, quod in eo, qui primus nobis occurrit, complura disserimus, quæ ad sequentium Sectarum (de quibus postmodum tractandum erit) redargutionem transferri possint, ne sæpius eadem dicere sit necesse. Sunt enim errorum (licet diversorum) fibræ miris modis inter se implicatæ & intextæ, quæ tamen sæpenumero una redargutione, tamquam falce, demeti & succidi possint. Verum ut occœpimus dicere, videndum quales inveniantur in rebus virtutes & actiones, quæ ad calidum & frigidum nullo rerum consensu, aut ingenii violentia trahi possint. Primo itaque sumendum quod à *Telesio* datur, materiæ summam æternum constare, nec augeri aut minui. Hanc ille dotem, qua Materia se servat, & sustinet, transmittit, ut passivam, & tamquam ad rationẽ quanti potius, quam ad formam & Actionem, pertinentem, ac si nihil opus esset eam calori & frigori deputare, quæ agentium tantum formarum, & virtutum fontes ponuntur; Materiam enim non simpliciter, sed omni agente virtute destitui & exui. Atque hæc asseruntur magno Mentis errore, & prorsus mirabili, nisi quod consensus atque opinio pervulgata & inveterata miralum tollit. Nil enim simile fere inter errores reperitur, quam ut quis virtutem istam materiæ inditam, per quam ipsa se ab interitu vindicat, adeo ut minima quæque Materiæ portio, nec universa mundi mole obrui, nec omnium agentium vi & impetu destrui, aut ullo modo annihilari, & in ordinem redigi queat; quin & spatii nonnihil occupet, & renitentiam servet cum dimensione impenetrabili, & ipsa vicissim aliquid moliatur, nec se deserat; pro agente virtute non habeat, cum contra sit omnium virtutum longe potentissima, & plane insuperabilis, & veluti merum fatũ, & necessitas. Hanc autem virtutem nec conatur *Telesius* ad calidum & frigidum referre. Atque hoc recte; neque enim scilicet aut incendium, aut torpor, & congelatio huic rei aliquid addunt, vel detrahunt, nec super eum aliquid possunt, cum ipsa interim & in Sole, & ad centrum Terræ & ubique vigeat. Sed in eo lapsus videtur, quod molem Materiæ certam & definitam agnoscit; ad virtutem qua se numeris suis tueatur, cæcutit; eamque (profundissimis Peripateticorum tenebris immersus) accessorii loco ducit, cum sit maxime principalis, corpus suum vibrans, aliud submovens, solida & adamantina in seipso, atque unde decreta & possibilis & impossibilis emanant authoritate inviolabili. Schola itidem vulgaris eam facili verborum complexu pueriliter prensat, satisfactum huic cogitationi putans, si duo corpora in eodem loco non posse esse pro canone ponat, virtutem autem istam, atque ejus modum, nunquam apertis oculis contemplatur, & ad vivum dissecat; parum scilicet gnara, quanta ex ea pendeant, & qualis lux inde Scientiis exoriatur. Verum (quod nunc agitur) ista virtus quantacunque extra *Telesii* principia cadit. Transeundum jam ad virtutem illam, quæ ad priorem hanc est tamquam Antistropha, eam scilicet quæ nexum materiæ tuetur. Ut enim Materia à Materia obrui non vult, ita nec Materia à Materia divelli. Atque nihilominus utrum hæc Naturæ lex sit æque ac illa altera peremptoria, magnam habet dubitationem. *Telesio* enim, quemadmodum *Democrito*, vacuum coacervatum & sine meta dari placuit, ut Entia singularia contiguum suum deponant, nonnunquam & deserant, ægre (ut ajunt) & illibenter, sed majore nempe aliqua violentia domita & coacta; idque ille nonnullis experimentis demonstrare contendit, ea potissimum adducens, quæ passim citantur ad abnegandum & refellendum vacuum, eaque tamquam extrahens & amplians eo modo, ut Entia videri possint in levi aliqua necessitate posita, contiguum illud tenere; sin majorem in modum torqueantur, vacuum admittere; sicuti in clepsydris aqueis, in quibus si foramen, per quod aqua descendere possit, minutius sit, spiraculo egebunt, ut Aqua descendat, sin latius, etiam absque spiraculo Aqua in foramen majore mole incumbens, & vacuum supra nil morata, deorsum fertur. Similiter in follibus, in quibus si ea comprimas & occludas, ut nullus illabenti aëri aditus pateat, ac postea eleves & expandas, si pellis gracilis sit & debilis, dirumpitur pellis; si crassa & frangi inepta, non item; & alia hujusmodi. Verum experimenta ista nec exacte probata sunt, nec inquisitioni omnino satis faciunt, aut quæstionem terminant, atque licet per illa *Telesius* se addere rebus & inventis putet, & quod ab aliis confusius observatum est, subtilius distinguere nitatur, tamen nullo modo par rebus evadit, nec exitum rei evolvit, sed in mediis prorsus deficit; quod ex more est & ipsi Peripateticis, qui ad experimenta contuenda instar noctuarum sunt, neque id tam ob facultatis imbecillitatem, sed ob cataractas opinionum, & contemplationis plenæ & fixæ impatientiam. Quæstio vero ista (ex maxime arduis) quousq; detur vacuum, & ad quæ spatia fieri possit seminum vel coitio vel distractio, & quid sit in hoc genere peremptorium, & invariabile, ad locum ubi de vacuo tractandum erit, rejicimus. Neque enim multum interest ad id quod nunc agitur, Utrum Natura vacuum penitus respuat, an Entia (ut emendatius se loqui putat *Telesius*) mutuo contactu gaudeant. Illud enim planum facimus, istam sive vacui fugam, sive contactus Cupidinem, nullo modo à calido & frigido pendere, nec à *Telesio* ipsi adscribi, nec ex rerum ulla evidentia illis adscribi posse; cum Materia loco mota aliam prorsus materiam trahat, sive illa sit calida, sive frigida, sive liquida sive sicca, sive dura sive mollis, sive amica sive inimica, adeo ut corpus calidum, corpus gelidissimum citius attraxerit ut ei adsit, quam se ab omni corpore disjungi & deseri patiatur. Nam vinculum Materiæ fortius est, quam dissidium calidi & frigidi. Et sequacitas Materiæ non curat diversitatem formarum specialium. Itaque nullo modo hæc virtus nexus ab illis princi-

piis calidi & frigidi. Sequuntur virtutes duæ invicem oppositæ, quæ regnum hoc principiorum (ut videri possit) ad calidum & frigidum detulerunt, sed jure male enucleato; Eas dicimus, per quas Entia se aperiunt & rarefaciunt, dilatant & expandunt, ita ut majus spatium occupent, & se in majorem sphæram conjiciant; aut rursus se claudunt & condensant, coarctant & contrahunt, ita ut spatiis decedant, & in minorem sphæram se recipiant. Ostendendum itaqua est, quatenus ista virtus à calido & frigido ortum habeat, & quatenus seorsim moretur, nec cum illa rationes misceat. Atque verissimum est, quod affirmat *Telesius*, rarum & densum caloris & frigoris esse veluti opificia propria: longe enim maximæ sunt illorum partes ad hoc, ut corpra majus & minus spatium occupent; Sed tamen confusius ista accipiuntur. Videntur enim corpora quandoque ab una spatiatione naturali in alteram migrare & se transferre, idque libenter & tamquam violentia, & formam mutantia; quandoque autem tantummodo à naturali spatiatione depulsa, & manente forma veteri in consuetam spatiationem reverti. Atque virtus illa progressiva in novum spatium à calido & frigido fere regitur. At virtus altera restitutiva non item, siquidem expandit se Aqua in vaporem & aërem, oleum similiter & pinguia in halitum & flammam ex vi caloris; nec (si perfecte transmigraverint) reverti satagunt; Quin & aër ipse ex calore intumescit & extenditur. Quod si migratio fuerit semiplena, post caloris abscessum, in se facile recidit; ut etiam in virtute restitutiva partes frigoris & caloris sint nonnullæ. At quæ non mediante calore, sed violentia aliqua extensa sunt & distracta, etiam absque ulla frigoris accessione, aut diminutione caloris, in priora spatia (cessante violentia) cupidissime revertuntur; ut in exsuctione ovi vitrei, & follibus levatis. Id vero in solidis & crassis longe evidentius est, Nam si distendatur pannus vel chorda, remota vi, magna velocitate resiliunt; atque eadem est compressionis ratio. Nam aër violentia aliqua contrusus & incarceratus multo conatu erumpit; atque adeo omnis ille motus mechanicus, quo durum à duro percutitur qui vulgo motûs violenti nomine appellatur, per quem res solidæ mittuntur & volant per aërem & aquam, nihil aliud est quam nixus partium corporis emissi ad se expediendum à compressione; & tamen nusquam hic apparent vestigia calidi & frigidi. Neque est, quod quis argutetur ex doctrina *Telesii* hoc modo, ut dicat; esse singulis spatiationibus naturalibus assignatam portionem quandam calidi & frigidi, ex certa quadam Analogia. Itaque fieri posse, ut tametsi nihil addatur caloris & frigoris, tamen si spatia materiati extendantur aut contrahantur, res eodem recidit, quia plus & minus imponitur Materiæ in spatio, quam pro ratione caloris & frigoris. Verum ista licet non absurda dictu, tamen sunt eorum qui semper aliquid comminisci solent, ut quod semel visum est, teneant, nec Naturam & res persequuntur. Nam si addatur calor & frigus hujusmodi corporibus extensis aut compressis, idque majore mensura quam pro ratione & natura Corporis ipsius, veluti si pannus ille tensus calefiat ad ignem, tamen nullo modo rem compensabit, nec impetum restitutionis exstinguet. Itaque planum jam fecimus, istam virtutem spatiationis, ex calore & frigore in parte notabili non pendere, cum tamen sit ipsa illa virtus, quæ plurimum authoritatis his principiis tribuerit. Sequuntur duæ virtutes quæ omnibus in ore sunt, atque longe & late patent, per quas scilicet corpora massas sive congregationes majores rerum connaturalium petunt, in quarum observatione, ut in reliquis, aut nugantur homines, aut plane aberrant. Schola enim communis satis habet, si motum naturalem à violento distinguat; & gravia deorsum, levia sursum ferri ex motu naturali pronuntiet. Verum parum proficiunt ad Philosophiam hujusmodi speculationes. Ista enim Natura, Ars, violentia, compendia verborum sunt, & nugæ. Debuerunt autem hunc motum non tantum ad naturam referre, sed etiam affectum & appetitum particularem & proprium corporis naturalis in hoc ipso motu quærere. Sunt enim & alii motus complures naturales ex passionibus rerum longe diversis. Itaque res secundum differentias proponenda est. Quin & ipsi illi motus, quos violentos appellant, magis secundum Naturam appellari possint, quam iste quem vocant Naturalem; sit sit illud magis secundum Naturam quod est fortius, aut etiam quod est magis ex ratione Universi. Nam motus iste adscensus & descensus, non admodum imperiosus est, nec etiam universalis, sed tamquam provincialis & secundum regiones; quin & aliis motibus obsequens & subjectus. Quod vero gravia deorsum ferri ajunt, levia sursum, idem est ac si dicerent, gravia esse gravia, levia levia. Quod enim prædicatur, id ex vi ipsa termini in subjecto assumitur. Si vero per grave densum, per leve rarum intelligunt, promovent nonnihil, ita tamen ut adjunctum & concomitans potius, quam ad causam rem deducant. Qui vero gravium appetitum ita explicant, ut ad centrum Terræ illa ferri contendant, levia ut ad circumferentiam & ambitum cœli, tamquam ad loca propria; afferunt certe aliquid, atque etiam ad causam innuunt; sed omnino perperam. Loci enim nullæ sunt vires, neque corpus nisi à corpore patitur, atque omnis incitatio corporis, quæ videtur esse ad se collocandum, appetit atque molitur configurationem versus aliud corpus, non collocationem aut situm simplicem.

INDICIA VERA
De
INTERPRÆTATIONE
NATURÆ.

QUI de Natura tamquam de re explorata pronuntiare ausi sunt, sive hoc ex animi fiducia fecerint, sive ambitiose, & more professorio, maximis illi Philosophiam & Scientias detrimentis affecere. Ut enim ad fidem faciendam validi, ita etiam ad inquisitionem exstinguendam & abrumpendam efficaces fuerunt; neque virtute propria tantum profuerunt, quantum in hoc nocuerunt, quod aliorum virtutem corruperunt & perdiderunt. Qui autem contrariam huic viam ingressi sunt, atque nihil prorsus sciri posse asseruerunt; sive ex Sophistarum veterum odio, sive ex animi fluctuatione, aut etiam ex quadam Doctrinæ copia in hanc opinionem delapsi sunt, certe non contemnendas ejus rationes adduxerunt. Verum tamen neq

nec à veris initiis sententiam suam derivarunt, & studio quodam atque affectatione provecti, prorsus modum excesserunt. At Antiquiores ex Græcis (quorum scripta petierunt) inter pronuntiandi jactantiam, & Acatalepsiæ desperationem prudentius se sustinuerunt, & de inquisitionis difficultate, & rerum obscuritate sæpius querimonias & indignationes miscentes, & veluti frænum mordentes, tamen propositum urgere, atque Naturæ se immiscere non destiterunt, consentaneum, ut videtur, existimantes, hoc ipsum videlicet, utrum quid sciri possit, non disputare sed experiri. Atque tamen illi ipsi impetu tantum Intellectus usi sunt, regulam non adhibuerunt, sed omnia in meditatione acri, & mentis volutatione, & agitatione perpetua posuerunt. Nostra autem ratio, ut opere ardua, ita dictu facilis est; ea enim est ut certitudinis gradus constituamus: Sensum per reductionem quandam tueamur; sed Mentis opus quod sensum subsequitur (si sibi ipsi permittatur) plerumque rejiciamus; novam autem & certam viam ab ipsis Sensuum perceptionibus Menti aperiamus muniamus. Atque hoc procul dubio viderunt & illi, qui tantas Dialecticæ partes tribuerunt. Ex quo liquet illos Intellectus adminicula quæsivisse, & Mentis processum nativum & sponte moventem, suspectum habuisse. Sed serum tamen rebus perditis hoc adhibetur remedium, postquam Mens ex quotidiana vitæ consuetudine, & auditionibus, doctrinis inquinatis occupata, & vanissimis Idolis obsessa fuerit. Itaque Ars illa Dialecticę sero (ut diximus) cavens, neque rem ullo modo restituens, potius ad errores figendo quam ad veritatem aperiendam valuit. Restat unica salus ac sanitas, ut opus universum Mentis de integro resumatur, ac Mens jam ab ipso principio nullo modo sibi permittatur, sed perpetuo regatur, ac res veluti per machinas conficiatur. Sane si opera mechanica homines nudis manibus absque instrumentorum vi & ope aggressi essent, quemadmodum opera Intellectualia nudis fere Mentis viribus tractare non dubitarunt; parvæ admodum fuissent res, quas movere & vincere potuissent, licet operas enixas, atque etiam conjunctas præstitissent. Atque si paulisper morari, atque in hoc ipsum exemplum veluti in speculum intueri velimus, exquiramus (si placet) si forte obeliscus aliquis magnitudine insignis ad triumphi vel hujusmodi magnificentiæ decus transferendus esset, atq; id homines nudis manibus aggrederentur; an non hoc magnæ cujusdam esse dementiæ, spectator quispiam sobrius rei fateretur? quod si numerum operariorum augerent, atque hoc modo se valere posse confiderent, an nō tanto magis? Sin autem delectum quendam adhibere vellent, atque imbecilliores separare, & robustis tantum & vigentibus uti, atque hinc saltem se voti fore compotes sperarent; an non adhuc eos impensius delirare diceret? Quin etiam si hoc ipso non contenti, artem tandem Athleticam consulere statuerunt, ac omnes deinceps cum manibus & lacertis & nervis ex arte bene unctis, & medicatis adesse juberent; an non prorsus eos dare operam, ut cum ratione quadam & prudentia insanirent, clamaret? Atque tamen simili homines malesano impetu, & conspiratione inutili feruntur in Intellectualibus; dum ab ingeniorum vel multitudine & cōsensu, vel excellentia & acumine, magna sperant, aut etiam Dialectica quæ quædam Athletica censeri possit) Mentis nervos roborant, sed interim licet tanto studio & conatu (si quis vere judicet) Intellectum nudum applicare non desinunt. Manifestissimum autē est in omni opere magno, quod manus hominis præstat, sine instrumentis & machinis, vires nec singulorum intendi, nec omnium coire posse. Itaque ex his, quæ diximus, præmissis, statuimus duas esse res de quibus homines plane monitos volumus, ne forte illę eos fugiant, aut prætereant. Quarum prima hujusmodi est; fieri fato quodam, ut existimamus bono, ad exstinguendas & depellendas contradictiones, tumores animorum, ut & Veteribus honor, & reverentia intacta & imminuta maneant; & nos destinata perficere, & tamen modestiæ nostræ fructum percipere possimus. Nam nos si profiteamur nos meliora afferre, quam Antiqui, eandem quam illi viam ingressi: nulla verborum arte efficere possimus, quin inducatur quædam ingenii, vel excellentiæ vel facultatis comparatio sive contentio, non ea quidem illicita, aut nova, quidni enim possimus pro jure nostro (neque eo ipso alio quam omnium (si quid apud eos non recte inventum, aut positum sit, reprehendere, aut notare? sed tamen utcunque justa aut permissa, nihilominus fortasse impar ea ipsa fuisset contentio ob vitium nostrarū modum; sed cum per nos illud agatur, ut alia omnino via Intellectui aperiatur, illis intentata & incognita; commutata ratio est; cessant studium & partes; nosque Indicis tantummodo personam sustinemus, quod mediocris certe est authoritatis, & fortunæ cujusdam potius, quam facultatis & præstantiæ. Atque hæc moniti species ad personas pertinet, altera ad res ipsas. Nos siquidem de exturbanda ea, quæ nunc floret, Philosophiā, aut si qua alia sit, aut erit, hac emendatior aut auctior, minime laboramus. Neque enim efficimus, quin Philosophia ista recepta, & aliæ id genus disputationes alant, sermones ornent, ad professoria munera, & vitæ civilis compendia adhibeantur & valeant. Quin etiam significamus aperte & declaramus eam, quam nos adducimus, Philosophiam ad istas res multum utilem non futuram. Non præsto est, neque in transitu capitur, nec ex prænotionibus Intellectui blanditur, nec ad vulgi captum, nisi per utilitatem & effecta, descendet. Sint itaque (quod felix faustumque sit utrique parti) duæ Doctrinarum emanationes, ac duæ dispensationes; duæ similiter contemplantium sive Philosophantium Tribus ac veluti cognationes; atque illæ neutiquam inter se inimicæ aut alienæ, sed fœderatæ, & mutuis auxiliis devinctæ; sit denique alia scientias colendi ratio, alia Inveniendi. Atque quibus prima potior est, & acceptior, ob festinationem, vel vitæ civilis rationes, vel quod illam alteram ob infirmitatem Mentis capere & complecti non possint, (id quod longe plurimis accidere necesse est) optamus ut iis feliciter, & ex voto, quod agunt, eveniat, atque ut quod sequuntur teneant. Quod si cui mortalium corde & curæ sit, ut non tantum inventis hæreat, atque iis utatur, sed ut ad ulteriora penetret, atque ut non disputando adversarium, sed Naturam opere vincat; denique qui non belle & probabiliter opinari, sed certo & ostensive scire cupiat; tales tamquam veri scientiarum filii nobis (si videbitur) se

adjun-

adjungant, ut omissis naturæ atriis, quæ infiniti conniverunt, aliquando ad interiora aditus pateat. Atque ut melius intelligamur, & ut illud ipsum quod volumus ex nominibus impositis magis familiariter occurrat, altera ratio sive via, Anticipatio Mentis, altera Interpretatio Naturæ, à nobis appellari consuevit. Est etiam quod petendum videtur. Nos certè cogitationem suscepimus, & curam adhibuimus, ut quæ à nobis proponentur, non tantum vera essent, sed etiam ad animos hominum (licet mitis modis occupatos & interclusos) non incommode aut aspere accederent; veruntamen æquum est, ut ab hominibus impetremus in tanta præsertim Doctrinarum & Scientiarum regeneratione, ut qui de hisce nostris aliquid, sive ex sensu proprio, sive ex turba authoritatum, sive ex demõstrationum formis (quæ nunc tamquam leges quędam judiciales invaluerunt) statuere, aut existimare velit; ne id se in transitu, & velut aliud agendo facere posse speret; sed ut rem pernoscat, viam nostram, quam describimus, & munimus, ipse paulatim tentet; subtilitati rerum, quæ in experientia signata est, assuescat; denique pravos atque alte hærentes Mentis habitus, tẽpestiva & quasi legitima mora corrigat; & tum demũ (si placuerit) postquã in potestate sua esse cœperit, judicio suo utatur.

Partis Instaurationis Secundæ Delineatio & Argumentum.

Memores autem instituti nostri omnia perspicue proponemus, atq; ordine non perturbato. Pateat itaq; hujus partis destinatio & distributio. Destinatur huic parti Doctrina de meliore ac perfectiore usu rationis, quam huc usque hominibus sit cognitus, aut monstratus, eo cõsilio, ut per hoc Intellectus humanus (quantum cõditio mortalitatis recipit) exaltetur, & facultate amplificetur ad Naturæ obscuritatem vincendam, & interpretandam. Namque ipsi interpretationi Naturæ attribuuntur libri tres; Tertius, Quartus, & Sextus; siquidem Quintus, qui ex Anticipationibus est secundum usum Rationis communem, ad tempus tantum sumitur, & deinceps postquam figi cœperit, atque ex usu Rationis legitimo verificari, & transfertur & commigrat in Sextum. Huic vero libro Secundo committitur Intellectus ipse, ejusque cura & regimen, omnisque apparatus atque instructio ad veram Rationis administrationem conducens, describitur. Atque licet nomen ipsum Logicæ, sive Dialecticæ, propter depravationes, apud nos ingratum fere sonet, tamen ut homines per consueta tamquam manuducamus, est certe Ars ea, quam adducimus, ex genere Logicæ, quæ & ipsa (vulgaris inquam) auxilia & præsidia Intellectu parat, & molitur. Differt autem nostra à Logica vulgari, tum aliis rebus, tum præcipue tribus; videlicet initiis inquirendi, ordine demonstrandi, atque fine & officio. Nam & inquisitionis initium altius sumit, ea subjiciendo examini, quæ Logica vulgaris veluti ex fide aliena, & authoritate cæca recipit; Principia, Notiones primas, atque ipsas Informationes Sensus, & ordinem demonstrandi plane invertit, Propositiones & Axiomata, ab Historia & particularibus ad generalia per scalam adscensoriam continenter subvehendo & excitando, non protinus ad principia, & magis generalia advolando, atque ab illis medias propositiones deducendo & derivando. Finis autem hujus scientiæ est, ut Res & Opera, non argumenta & rationes probabiles, inveniantur & judicentur. Quare institutum hujus libri secundi hujusmodi est. Nunc distributionem ejusdem similiter proponemus. Quemadmodum in generatione luminis requiritur, ut corpus lumen recepturum poliatur, atque deinde in debito ad lucem situ sive conversione ponatur, antequam lucis ipsius fiat immissio; prorsus ita est operandum. Primo enim Mentis area æquanda, & liberanda ab eis quæ hactenus receptâ sunt; Tum conversio Mentis bona & congrua facienda est ad ea, quæ afferuntur; Postremo Menti præparatæ Informatio exhibenda. Atque pars destruens triplex est, secundum triplicem naturam Idolorum, quæ Mentem obsident. Illa enim aut adscititia sunt, idque dupliciter, nimirum quæ immigrarunt in Mentem eamque occuparunt, vel ex Philosophorum placitis atque sectis; vel rursus ex perversis legibus & rationibus Demonstrationum; Aut ea quæ Menti ipsi & substantiæ ejus inhærentia sunt, atque innata. Sicut enim speculum inæquale veros rerum radios ex sectione propria immutat: ita & Mens, quando à rebus per sensum patitur, in motibus suis expediendis, haud quaquam optima fide, rerum Naturæ suam naturam inserit & immiscet. Itaque primus imponitur labor, ut omnis ista militia Theoriarum, quæ tantas dedit pugnas, mittatur ac relegetur. Accedit labor secundus, ut mens à pravis Demonstrationũ vinculis solvatur. Hunc excipit tertius, ut vis ista Mentis seductoria coërceatur, atque Idola innata vel evellantur, vel, si evelli non possint, ita tamen indicentur, atque pernoscantur, ut variationes restitui possint. Inutilis enim & fortasse damnosa fuerit errorum in philosophiis demolitio & destructio, si ex prava complexione Mentis novi errorũ surculi, & fortasse magis degeneres pullulaverint; neque prius absistendum, quam omnis spes præcidatur, ex usu Rationis communi, aut ex vulgaris Logicę præsidiis & auxiliis, philosophiæ absolvendæ, aut majorem in modum amplificandæ, ne forte errores non abjiciamus, sed permutemus. Itaque pars ista, quam destruentem appellamus, tribus redargutionibus absolverit; Redargutione Philosophiarum; Redargutione Demonstrationum; & Redargutione Rationis humanæ nativæ. Neque nos fugit, absque tanto motu accessiones non parvas ad Scientias à nobis fieri potuisse, atque aditu fortasse ad laudem molliore. Verum nos nescii quando hæc alicui alii in mentem ventura sint, fidem nostram in integrum liberare decrevimus. Post aream Mentis æquatam, sequitur ut Mens ponatur in conversione bona, & veluti in adspectu benevolo ad ea quæ proponemus. Cum enim in re nova valeat ad præjudicium, non solum præoccupatio fortis opinionis veteris, verum etiam præceptio sive præfiguratio falsa rei, quæ affertur, etiam huic malo remedium adhibendum est, atque Mens non tantum vindicanda, sed & præparanda. Ea præparatio nihil aliud est quam ut vere habeantur de eo, quod adducimus, opiniones, ad tempus tantummodo; & tamquam usurariæ, donec res ipsa pernoscatur. Atque hoc in eo fere situm est, ut pravæ & sinistræ suspiciones, quales ex prænotionibus receptis (veluti ex atra bile quadam epidemica) Mentes hominum subituras facile conjiciemus, arceantur atque intercipiantur, quod ait ille:

ne quis

ne qua
Occurrat facies inimica atque omnia turbet.

Primo igitur si quis ita cogitet, occulta Naturæ velut signo divino clausa manere, atque ab humana sapientia interdicto quodam separari, dabimus operam ut hæc opinio infirma atque invida tollatur, eoque rem perducemus simplici veritate freti, ut non solum ne qua oblatret superstitio, verum etiam ut Religio in partes nobis accedat. Rursus si cui hujusmodi quippiam in mentem veniat opinari, magnam illam & sollicitam moram in experientia, & in materiæ & rerum particularium unis, quam hominibus imponimus, Mentem velut in Tartarum quendam confusionis dejicere, atque ab abstractæ sapientiæ serenitate & tranquillitate, ut à Statu multo diviniore, submovere, docebimus, atque in perpetuum, ut speramus, stabiliemus, (non sine rubore, ut existimamus, omnis Scholæ, quæ meditationibus inanibus, atque ab omni Essentia desertissimis apotheosin quandam attribuere non veretur) quantum inter divinæ Mentis Ideas, & humanæ Mentis Idola intersit. Quin etiam illis, quibus in Contemplationis amorem effusis, frequens apud nos operum Mentio asperum quiddam atque ingratum & Mechanicum sonat, monstrabimus quantum illi desideriis suis propriis adversentur, cum puritas contemplationum, atque substructio & Inventio Operum prorsus eisdem rebus nitantur, ac simul perficiantur. Adhuc si quis hæsitet, atque istam Scientiarum ab integro regenerationem, ut rem sine exitu, & vastam, & quasi infinitam accipiat, ostendemus eam contra censeri debere potius Errorum & vastitatis Terminum & verum finitorem; atque planum faciemus, Inquisitionem rerum particularium justam & plenam, demptis Individuis, & gradibus rerum, & variationibus minutis (id quod ad Scientias satis est) atque inde debito modo excitatas notiones sive Ideas, rem esse multis modis magis finitam, & habilem, & comprehensibilem, & sui certam, & de eo quod confectum est, atque eo, quod superest, gnaram, quam speculationes & meditationes abstractas, quarum revera nullus est finis, sed perpetua circulatio, volutatio, & trepidatio. Atque etiamsi quis sobrius (ut sibi videri possit) & civilis prudentiæ diffidentiam ad hæc transferens, existimet, hæc quæ dicimus votis similia videri, quæque spei nimis indulgeant, revera autem ex Philosophiæ statu mutato nil aliud secuturum, quam ut placita fortasse transferantur, res autem humanæ nihilo futuræ sint auctiores; huic fidem, ut putamus, faciemus, nil minus agi quam Placitum aut Sectam, nostramque rationem ab iis, quæ hucusque in Philosophia & Scientiis præbita sunt, toto genere differre: Operum autem certissimam messem sponderi, ni homines muscum, sive segetem herbidam demetere præoccuparint, atque affectu puerili, & conatu fallaci, operum pignora intempestive captaverint. Atque ex his, quæ diximus, pertractatis, satis cautum de Præjudicio fore existimamus illius generis, quod ex prava & iniqua rei, quæ adducitur, perceptione conflatur, atque una secundam partem, quam præparantem appellamus, absolvi; postquam & ex parte Religionis, & ex parte Contemplationis abstractæ, & ex parte prudentiæ Naturalis, atque ejus Comitatu, diffidentiâ, & sobrietate & similibus, omnis adversa aura conticuerit, & reflare desierit. Attamen ut omnibus numeris completa adhibeatur præparatio, illud deesse videtur, ut languor ipse Mentis & torpor ex rei miraculo contractus tollatur. Hęc autem mala dispositio Mentis tantum per causarum indicationem aufertur. Sola enim causarum cognitio miraculum rei, & stuporem Mentis solverit. Itaque omnes impedimentorum malitias & molestias, quibus interclusa Philosophia vera remorata est, signabimus, ut minime mirum sit humanum genus erroribus tam diuturnis implicatum, atque exercitum fuisse. In qua parte etiam illud opportune, ad spem solido argumento fovendam, patebit, nimirum licet vera illa Naturæ Interpretatio, quam molimur, merito maxime difficilis, tamen multo maximam difficultatis partem in iis subesse, quæ in potestate nostra sunt atque corrigi possunt, non in iis quæ extra potestatem nostram sita existunt; in mente (inquam) non in rebus ipsis, aut in sensu. Quod si cui supervacua videatur accurata ista nostra, quam adhibemus ad mentes præparandas, diligentia, atque cogitet hoc quiddam esse ex pompâ, & in ostentationem compositum, itaque cupiat rem ipsam missis ambagibus & præstructionibus simpliciter exhiberi; certe optabilis nobis foret (si vera esset) hujusmodi insimulatio. Utinam enim tam proclive nobis esset difficultates & impedimenta vincere, quam fastum inanem & falsum apparatum deponere. Verum hoc velimus homines existiment, nos haud inexplorato viam in tanta solitudine inire, præsertim cum argumentum hujusmodi præ manibus habeamus, quod tractandi imperitiâ perdere, & veluti exponere nefas sit. Itaque ex perpenso & perspecto tam rerum quam animorum statu, duriores fere aditus ad hominum Mentes, quam ad res ipsas invenimus, ac tradendi labores Inveniendi laboribus haud multo leviores experimur, atque quod in Intellectualibus res nova fere est, morem gerimus, & tam nostras cogitationes quam aliorum simul bajulamus. Omne enim Idolum vanum, arte atque obsequio, ac debito accessu subvertitur, vi & contentione atque incursione subita & abrupta efferatur. Neque hoc ideo tantum fit, quod homines vel admiratione Authorum captivi, vel propria fiducia tumidi, vel assuetudine quadam renitentes, se æquos præbere nolint. Si quis libentissime sibi æquitatem imperare voluerit, atq; omne præjudicium veluti ejuraverit, tamẽ & tali mentis dispositioni neutiquam propterea fidere oporteret. Nemo enim Intellectui suo ex arbitrio voluntatis suæ imperat, neque Philosophorum (ut Prophetarum) spiritus Philosophis subjecti sunt. Itaque non aliorum æquitas, aut sinceritas, aut facilitas, sed nostra propria cura, atque morigeratio & insinuatio nobis præsidio esse possit. Qua in re accedit & alia quædam difficultas ex moribus nostris haud parva, quod constantissimo decreto nobis ipsi sancivimus, ut candorẽ nostrum & simplicitatem perpetuo retineamus, neẽ per vana ad vera aditũ quæramus, sed ita obsequio nostro moderemur, ut tamen non per artificium aliquod vafrum, aut imposturam, aut aliquid simile imposturę, sed tantummodo per ordinis lumen, & per novorum superaniorem partem Veterum solertem insitionem, nos nostrorum votorum compo-

compotes fore speremus. Itaque eo redimus, ut hanc præmuniendi diligentiam minorem potius pro tantis difficultatibus, quam minus necessariam esse judicemus. Missa jam autem parte præparante, ad partem informantem veniemus, atque Artis ipsius, quam adducimus, figuram simplicem & nudam proponemus. Quæ ad intellectum perficiendum, ad Interpretationem Naturæ faciunt, dividuntur in tres ministrationes, Ministrationem ad *Sensum*, Ministrationem ad *Memoriam*, & Ministrationem ad *Rationem*. In ministratione ad *Sensum* tria docebimus. *Primò* quomodo bona Notio constituatur & eliciatur, ac quomodo Testatio Sensus, quæ semper est ex Analogia hominis, ad Analogiam Mundi reducatur & rectificetur; Neque enim multum Sensui tribuimus in perceptione immediata, sed quatenus motum sive alterationem rei manifestat. *Secundò*, quomodo ea, quæ Sensum effugiunt aut subtilitate totius corporis, aut partium minutiis, aut loci distantia, aut tarditate, vel etiam velocitate motus, aut familiaritate objecti, aut alias, in ordinem Sensus redigantur, atque ejus judicio sistantur, ac insuper in casu, quo adduci non possunt, quid faciendum, atque quomodo huic destitutioni vel per instrumenta, vel per graduum observationem peritam, vel per corporum proportionatorum ex sensibilibus ad insensibilia indicationes, vel per alias vias ac substitutiones, sit subveniendum. *Postremò* loco de Historia Naturali, & de modo Experimentali dicemus, qualis sit ea Historia Naturalis quæ ad Philosophiam condendam sufficere possit; & rursus qualis Experimentatio deficiente Historia necessario sit suscipienda: ubi etiam quædam de provocanda & figenda attẽtione admiscebimus. Multa enim in Historia Naturali atque experimentis, notitia ipsa adesse jampridem, usu abesse solent, propter vim animi apprehensivam minime excitatam. His tribus Ministratio ad sensum absolvitur. Aut enim Sensui materia prębetur, aut juvamentũ; nimirum vel ubi deficit, vel ubi declinat. Materiæ, Historia & Experimenta, defectui Sensus substitutiones; declinationi Rectificationes debentur. *Ministratio ad Memoriam*, hoc officium præstat, ut ex turba rerum particularium, & Naturalis Historię generalis acervo, particularis Historia excerpatur, atque disponatur eo ordine, ut judicium in eam agere, & opus suum exercere possit. Etenim vires Mentis sobrie æstimandæ, neque sperandum ut eæ in rerum infinitate discurrere possint. Manifestum autem est, Memoriam tum in rerum multitudine comprehendenda incapacem & incompetentem; tum in rerum delectu, quæ ad inquisitionem aliquam definitam faciant, suggerendo imparatam atque inhabilem esse. Quod autem ad prius malum attinet, facilis est medendi ratio, unico enim remedio absolvitur; ut nulla nisi de scripto inquisitio aut Inventio recipiatur. Perinde enim est, ut quis Interpretationem Naturæ in aliquo subjecto memoria sola nixus complecti velit; ac si computationes Ephemeridis memoriter tenere aut perficere tenet. Quinetiam satis liquet, quantum Memoriæ & Mentis discursui tribuamus, cum nec de scripto Inventionem, nisi per Tabulas ordinatas probemus. De posteriore igitur magis laborandum. Atque certe postquam subjectum Inquisitioni constitutum & terminatum sit, atque à corpore rerum abscissum & in confusum constiterit (in quo habemus nonnulla quæ utiliter præcipiamus) Ministratio ista ad Memoriam tribus operis sive officiis constare videtur. Primo, docebimus qualia sint ea, quæ circa subjectum datum sive propositum (discurrendo per Historiam) inquiri debeãt, quod est instar Topicæ. Secundo, quo ordine illa disponi oporteat, & in Tabulas digeri. Neque tamen ullo modo speramus veram rei venam, quæ ex Analogia Universi sit jam à principio inveniri posse, ut eam partitio sequatur, sed tantum apparentem, ut res aliquo modo secetur in partes. Citius enim emerget veritas è falsitate, quam è confusione; & facilius ratio corriget partitionem, quam penetrabit massam. Tertio itaque ostendemus, quomodo, & quo tempore Inquisitio sit reintegranda, & chartæ sive Tabulæ præcedentes in chartas novellas transportandæ, & quoties Inquisitio sit repetenda. Etenim primas chartarum series vel sequelas super polos mobiles verti statuimus, & tantum probationes esse & tentamenta Inquisitionis; siquidem mentem in Naturam rerum jus suum persequi & obtinere posse, nisi repetita actione, plane diffidimus. Itaque Ministratio ad Memoriam tribus (ut diximus) doctrinis absolvitur. De locis Inveniendi, de Methodo contabulandi, & de modo Instaurandi Inquisitionem. Superest *Ministratio ad Rationem*, Cui Ministrationes duæ priores subministrant. Nullum enim per eas constituitur axioma, sed tantum notio simplex cum Historia ordinata; certo verificata per Ministrationem primam atque ita repræsentata per secundam, ut tamquam in potestate nostra sit. Atque Ministratio ad Rationem ea maxime probari meretur, quæ Rationem ad opus suum exequendum, & finem obtinendum optime juvabit. *Opus* autem *Rationis* natura unicum; fine & usu geminum est. Aut enim *scire & contemplari*, aut *agere & efficere*, homini pro fine est. Itaque aut causæ expetitur cognitio & contemplatio; aut effecti potestas & copia. Quamobrem dati effectus vel naturæ in quovis subjecto causas nosse intentio est humanę scientiæ. Atque rursus, super datam materiæ basin effectum quodvis sive naturam (inter terminos possibilis) imponere vel superinducere, intentio est humanæ præsentiæ. Atque hę intentiones acutius inspicienti, & vere æstimanti, in idem coincidunt. Nam quod in contemplatione instar causæ est, in operatione est instar medii; scimus enim per causas, operamur per media. Et certe si media universa, quæ ad opera quælibet requiruntur, homini optato ad manum suppeterent, nil opus foret magnopere, ista separatim tractare. Verum cum operatio humana in multo majores angustias compellatur, quam scientia, propter individui multiplices necessitates & inopias; adeo ut ad partẽ operativam requiratur sæpius non tam sapientia universalis, & libera de eo quod fieri potest, quam prudentia sagax & solers ad delectum eorum quæ præsto sunt: ista tractatu felicius disjungi consentaneum est. Quare & ministrationis eandem partitionem faciemus, ut aut parti Contemplativæ, aut activæ ministretur. Atque quod ad *partem contemplativam* attinet, ut verbo dicamus, in uno plane sunt omnia. Hoc ipsum non aliud est, quam ut verum constituatur Axioma, sive idem copulata; Hæc enim est veritatis portio solida, cum simplex notio instar superfi-

superficiei videri possit. Hoc autem Axioma non elicitur, aut efformatur, nisi per inductionis formam legitimam & propriam; quæ experientiam solvat & separet, atque per exclusiones & rejectiones debitas, necessariò concludat. Vulgaris autem Inductio (à qua tamen principiorũ ipsorum probationes petuntur) puerile quiddam, est, & precario concludit, periculo ab instantia contradictoria exposita; adeò ut Dialectici de ea nec seriò cogitasse videantur, fastidientes & ad alia properantes. Illud interim manifestum est, quæ per Inductionem cujusvis generis concluduntur, simul & inveniri & judicari, nec à principiis aut mediis pendere, sed mole stare sua, neq; aliunde probari. Multo magis necesse est ea, quæ ex vera Inductionis forma excitantur axiomata, esse seipsis contenta, atque ipsis principiis, quæ vocantur, certiora & firmiora. Atq; hoc genus Inductionis illud est, quod interpretationis formulam appellare consuevimus. Itaq; præ omnibus doctrinam de constitutione axiomatis & formula interpretandi diligenter & perspicuè complectimur. Restant tamen, quæ huic rei serviunt tria, maximi omninò momenti, sine quorum explicatione Inquisitionis istius præscriptum, licet potestate validum, tamen usu operosum censeri possit. Ea sunt, Inquisitionis ipsius continuatio, variatio & contractio, ut nihil in Arte aut abruptum, aut incongruum, aut pro humanæ vitæ brevitate longum relinquatur. Docebimus itaque primo usum Axiomatum (jam per formulam inventorum) ad alia Axiomata inquirenda & excitanda, quæ superiora & magis generalia sint; ut per veros & nusquam intermissos gradus scalæ adscensoriæ, ad unitatem naturæ perveniatur. In quo tamen adjiciemus modum, eadem Axiomata superiora per Experientias primas examinandi & verificandi, ne rursus ad conjecturas & probabilia, atque Idola prolabamur. Atque hæc est ea doctrina, quam Inquisitionis continuationem appellamus. Variatio autem Inquisitionis sequitur naturam diversam, aut causarum, quarum gratia Inquisitio instituitur; aut rerum ipsarum, sive subjectorum, in quibus Inquisitio versatur. Itaque missis causis finalibus, quæ naturalem Philosophiam prorsus corruperunt, initia sumemus ab Inquisitione variata sive accommodata formarum; quæ res pro desperata huc usq; abjecta est, idque merito. Neque enim ulli obvenire possit tanta facultas, aut felicitas, ut ex Anticipationibus & Dialecticis Argumentationibus, alicujus rei formam eruat. Sequentur Inquisitiones materiarum & efficientium. Cùm autem efficientia & materias dicimus, non efficientia remota, aut materias cõmunes (qualia in disputationibus agitantur) sed efficientia propiora, & materias præparatas intelligimus. Id ne fæpiùs subtilitate inutili repetatur, inventionem latentis processus subtexemus. Latentem autem processum appellamus seriem & ordinem mutationis; rem scil. ex efficientis motu & materiæ fluxu conflatam. Quæ autem secundùm subjecta fit Inquisitionis variatio, ex duabus rerum conditionibus ortum habet; aut ex natura simplicis & compositi (alia enim accommodatur Inquisitio ad res simplices, alia ad compositas & decompositas & perplexas) aut ex Historiæ copia & inopia, quæ ad inquisitionem peragendam parari possit. Ubi enim Historia abundat, expedita est ratio inquisitionis; ubi tenuis est, in acto est labor, & multa varia industria & arte opus habet. Itaque per ista, quæ jam dicta sunt tractata, variationem inquisitionis absolvi putamus. Restat Inquisitionis contractio, ut non tantùm in inviis via, sed & in viis compendium, & tamquam linea recta, quæ per ambages & flexus fecet, ex indiciis nostris innotescat. Hoc autem (veluti & omnis ratio compendiaria) maximè in rerum delectu consistit. Duas autem invenimus veluti rerum prærogativas, quæ ad Inquisitionis compendia plurimum faciunt; Prærogativam Instantiæ & Prærogativam Inquisiti. Itaque docebimus primo quales sint illæ Instantiæ, sive experimenta, quæ ad illuminationem præ cæteris excellant, adeo ut paucæ idem quod aliæ plures præstent. Hoc enim & moli ipsius Historiæ, & discurrendi laboribus parcit. Deinde etiam explicabimus, qualia sint ea Inquisita, à quibus Interpretationem auspicari oporteat, utpotè quæ prædisposita sequentibus facem quandam præferunt, aut ob exquisitam certitudinem in se, aut ob naturam universalem, aut ob necessitatem ad probationes mechanicas. Atque hic ministrationis, quæ ad contemplativam partem spectat, finem imponimus. Activam autem partem ac ejus ministrationem triplici doctrina claudemus, si prius duo monita ad aperiendas hominum mentes præmittamus. Horum primum est, in Inquisitione ea, quæ fit per formulam, inter contemplativam partem Activam ipsam perpetuo intercurrere. Hoc enim fert rerum natura, ut propositiones & axiomata à magis generalibus per argumentationem dialecticam deducta & derivata ad particularia & opera, obscurè admodum & incerto innuant. Quod autem ex particularibus axioma educitur, ad nova particularia, tamquam correspondentia manifesto & constanti tramite ducat. Alterum hujusmodi est, ut meminerint homines in Inquisitione Activa necesse esse rem per scalam descensoriam (cujus usum in contemplativa sustulimus) confici. Omnis enim operatio in Individuis versatur, quæ infimo loco sunt. Itaque à generalibus per gradus ad ea descendendum est. Neq; rursus fieri potest, ut per axiomata simplicia ad ea perveniatur; omne enim opus atq; ejus ratio ex coitione axiomatum diversorum instituitur & designatur. Itaque hæc præfati ad triplicem illam doctrinam activam veniemus; quarum prima proponit modum Inquisitionis distinctum & proprium, ubi non jam causa, aut axioma, sed operis alicujus effectio ex Intentione est, atque Inquisitioni subjicitur. Secunda ostendit modum conficiendi Tabulas practicas generales, per quas omnigenę operum designationes faciliùs & promptiùs deducantur. Tertia subjungit modum quendam Inquirendi sive Inveniendi opera, imperfectũ certè, sed tamen non inutilem, quo ab experimento ad experimentum procedatur absque constitutione axiomatis. Nam quemadmodum ab axiomate ad axioma, ita etiam ab experimento ad experimentum datur & aperitur quædam via ad Inveniendum instabilis & lubrica, sed tamen non prorsus silentio prætermittenda. Jam igitur & Practicam Ministrationem quoque, quæ in distributione ultima posita est, absolvimus. Atq; hæc est hujusce secundi libri aperta & brevis delineatio. Quibus explicatis, Thalamum nos Mentis humanę & Universi Pronuba divina bonitate planè constituisse confidimus. Epithalamii autem votum sit, ut ex eo

connubio auxilia humana, tamquam stirps Heroum, quæ necessitates & miserias hominum aliqua ex parte debellent & doment, suscipiatur & deducant. Sub finem tamen quædam de laborum consociatione & successione subijciemus. Tunc enim demum homines vires suas noscent, cùm non eadem infiniti, sed omissa alii præstabunt. Neque sanè de futuris ætatibus spem abjecimus, quin exoriantur qui ista à tenuibus profecta initiis in majus provehant. Illud enim occurrit, hoc quod agitur ob boni naturam eminentem, manifestè à Deo esse. In divinis autem operibus minima quæque principia eventum trahunt.

Atq; in redargutione ipsa Philosophiarum, quã paramus, nescimus ferè, quò nos vertamus, cùm via, quæ aliis in confutationibus patuit, nobis interclusa sit. Nam & tot & tanta se ostendunt errorum agmina, ut ea non strictim, sed confertim evertere & summovere necesse sit; & si propiùs accedere, & cum singulis manum conserere velimus, id frustra fuerit; sublata disputationis lege, cùm de principiis non consentiamus, & multo magis quod ipsas probationum & demonstrationum formas & potestates reijciamus. Quod si (id quod solum relinqui videtur) ea, quæ nos asserimus, à sensu ipso & experientia educere & excitare connitamur; rursus eodem revolvimur; & obliti eorum, quæ de animorum præparatione dicta sunt, contrariam ingressi viam inveniamur; nam in res ipsas abruptè & directò incidamus, ad quas viam quandam aperiri & substerni, propter obfirmatas animorum præoccupationes & obsessiones, necesse esse decrevimus. Sed tamen propterea ipsi nos minimè deseremus; sed aliquid comminisci & tentare, quod proposito nostro consentaneum sit, conabimur; tum signa quædam adducentes, ex quibus de Philosophiis judicium fieri possit; tum interim inter ipsas Philosophias, portenta errorum nonnulla & mera animorum ludibria ad earum authoritatem labefactandam notantes. Neque tamen nos fugit, fortius hujusmodi errorum aeta figi, quam ut eis per saturam derogetur; præsertim cùm viris doctis non sit nova, aut incognita ea confidentiæ & jactantiæ species, quæ opiniones abijcit, non frangit. Sed nec nos aliquid levius aut inferius, quàm pro rei, quæ agitur, majestate afferemus, neque ex hoc genere redargutionis prorsus fidem facere, sed tantùm patientiam & æquanimitatem, idque in ingeniis tantùm altioribus & firmioribus, conciliare speramus. Neque enim quispiam ex isto assiduo & perpetuo errorum concubernio ita se recipere potest, & ad nostra cum tanta benevolentia & animi magnitudine accedere, ut non cupiat habere interim, quæ de veteribus & receptis cogitet & opinetur. Sanè in Tabellis non alia inscripseris, nisi priora deleveris; in Mente ægrè priora deleveris, nisi alia inscripseris.

Itaque huic desiderio subveniendum putavimus, atque hæc prorsus eò spectant (ut quod res est, apertè eloquamur) ut volentes ducant, non ut nolentes trahant. Omnem violentiam (ut jam ab initio professi sumus) abesse volumus: atque quod Borgia facere de Caroli VIII. expeditione in Italiam dixit, Gallos venisse in manibus cretam tenentes, qua diversoria notarent, non arma quibus perrumperent. Similem quoque Inventorum nostrorum & rationem & successum animo præcipimus; nimirum ut potius animos hominum capaces & idoneos seponere & subire possint, quam cõtra sentientibus molesta sint. Verũ in hac parte, de qua jam loquimur, quæ ad redargutionem Philosophiarum pertinet, feliciter sanè levati sumus, casu quodam opportuno & mirabili. Nam dum hæc tractarem, intervenit amicus meus quidam ex Gallia rediens, quem cùm salutassem, atque ego illum, ille me, de rebus nostris familiariter interrogassem; Tu verò, inquit, vacuus tuis ab occupationibus civilibus spatiis, aut saltem remittentibus negotiis, quid agis? opportunè, inquam; nam ne nihil me agere existimes, meditor Instauratione Philosophiæ, quæ nihil inanis aut abstracti habeat, quæque vitæ humanæ conditiones in melius provehat. Honestum profectò opus, inquit: & quos socios habes? Ego certè, inquam, in summa solitudine versor. Duræ, inquit, partes tuæ sunt & statim addidit: Atque tamen scito hæc aliis curæ esse; tum ego lætatus, animam, inquam, reddidisti. Ego enim hoc animo præceperam, fœtum meum veluti in eremo periturum. Vis, inquit, ut tibi narrem, quæ mihi in Gallia circa hujusmodi negotium evenerunt? libentissimè, inquam, atque insuper gratiam habebo. Tum retulit, se Parisiis vocatum à quodam amico suo, atque introductum in consessum virorum; qualem, inquit, vel tu videre velles, nihil in vita mihi accidit jucundius. Erant autem circiter quinquaginta viri, neque ex iis quisquam adolescens, sed omnes ætate provectiores; quique vultu ipso dignitatem cum probitate singuli præ se ferrent. Inter quos ajebat se cognovisse nonnullos honoribus perfunctos, atque alios ex Senatu; etiam Antistites sacrorum insignes, atque ex omni ferè Ordine eminentiore aliquos. Erant etiam quidam, ut ajebat, peregrini ex diversis nationibus. Atque cùm primo introiisset, invenisse eos familiariter inter se colloquentes; sedebant tamen ordine sedilibus dispositis, ac veluti adventum alicujus exspectantes. Neque ita multo post ingressum ad eos virum quendam aspectus (ut ei videbatur) admodum placidi & sereni: nisi quod oris compositio erat tamquam miserantis: cui cùm omnes assurrexissent: Ille circumspiciens & subridens, nunquam, inquit, existimavi potuisse fieri, ut otium omnium vestrum, cùm singulos recognosco, in unum atque idem tempus coinciderit: idque quomodo evenerit, satis mirari non possum. Cumque unus ex cœtu respondisset, eum ipsum hoc otium illis fecisse, cùm, quæ ab illo exspectarent, illi ducerent omni negotio potiora. Atque (ut video inquit) universa illa jactura ejus, quod hic consumetur, temporis, quo certè vos separati multis mortalibus profuissetis, ad meas rationes accedet. Quod si ita est, videndum perfectò, ne vos diutiùs morer: simul consedit absque suggesto, aut cathedra, sed ex æquo cum cæteris: atque hujusmodi quædam apud eum consessum verba fecit. Nam ajebant, qui hæc narrabat, se illa tum excepisse ut potuit: licet cùm apud se unà cum illo amico suo, qui eum introduxerat, ea recognosceret, fateretur ea longè inferiora iis, quæ tum dicta essent, visa esse. Exemplum autem orationis, quod circa se habebat, proferebat. Illud ita scriptum erat: Vos certè filii homines estis: hoc est, ut ego existimo non animantes recti, sed Divi mortales. Deus mundi conditor & vestrûm, animas vobis donavit, mundi

ipsius

ipsius capaces; nec tamen eo ipso quovis modo satiandas. Itaque fidem vestram sibi seposuit, & retinuit, mundum sensui attribuit; neutra autem oracula clara esse voluit, sed involuta, neque queri potestis, si vos exerceat, quandoquidem excellentiam rerum rependat. Atque de rebus divinis optima de vobis spero; circa humana autem, metuo vobis, ne diuturnus error vos ususceperit. Existimo enim hoc apud vos penitùs credi; vos statu uti scientiarum florente & bono. Ego rursus moneo vos, ne eorum, quæ habetis, aut copiam, aut utilitatem, quasi ad magnum aliquod fastigium evecti, & votorum compotes, aut laboribus perfuncti, accipiatis. Idq; sic considerate; si omnem illam Scriptorum varietatem, qua scientiæ tument & luxuriantur, excutiatis, & de eo, quod adferunt, scripta illa interpelletis, & strictè & expressè examinetis; ubique reperietis ejusdem rei repetitiones infinitas; verbis, ordine, exemplis, atque illustratione diversas, rerum summâ & pondere, ac vera potestate prælibatas, ac demum ferè iteratas; ut in pompa paupertas sit; & in rebus jejunis fastidium. Atque si vobis cum familiariter loqui & jocari hac de re liceat, videtur doctrina vestra cœnæ illius hospitis Chalcidensis simillima; qui cùm interrogaretur, unde tam varia venatio, respondit, illa omnia condimentis ex mansueto suo esse facta. Neque enim negabitis, universam istam copiam, nil aliud esse quàm portionem quandam Philosophiæ Græcorum; eamque certè minimè in saltu aut sylvis Naturæ nutritam; sed in scholis & cellis, tamquam animal domesticum saginatum. Si enim à Græcis iisq; paucis abscedatur, quid tandem habent vel Romani, vel Arabes, vel nostri, quod non ab Aristotelis, Platonis, Hippocratis, Galeni, Euclidis Ptolemæi inventis derivetur, aut in eadem recidat? Itaque videtis divitias vestras esse paucorum census; atque in sex fortassè hominum cerebellis, spes & fortunas omnium sitas esse. Neque verò idcircò Deus vobis animas rationales indidit, ut Authoris vestri partes (fidem scilicet vestram, quæ Deo & divinis debetur) hominibus differretis: neque sensus informationem firmam & validam attribuit, ut paucorum hominum opera, sed ut ipsius Dei opera, Cœlum & Terram contemplaremini; laudes ejus celebrantes, & hymnum Conditori vestro canentes, iis etiam vitis si placet (nihil enim obstat) in chorum receptis.

PHÆNOMENA UNIVERSI,

Sive

HISTORIA NATURALIS

Ad

CONDENDAM PHILOSOPHIAM.

PRÆFATIO.

CUM nobis homines nec opinandi nec experiendi vias tenere prorsus videantur, omni ope huic infortunio subveniendum putavimus. Neque enim major aliunde se ostendit bene merendi ratio, quam si id agatur, ut homines & placitorum larvis & experimentorum stuporibus liberati, ipsi cum rebus magis fida & magis arcta inita societate contrahant, quasi per experientiam quandam literatam. Hoc enim modo Intellectus & in tuto, & in summo collocatur, atque præsto insuper erit, atque ingrues rerum utilium proventus. Atque hujus rei exordia omninò à Naturali Historia ducenda sunt; nam universa Philosophia Græcorum, cum Sectis suis omnigenis, atque si qua alia Philosophia in manibus est, nobis videtur super nimis angustam basin Naturalis Historiæ fundata esse, atque ex paucioribus, quàm par erat, pronuntiasse. Arreptis enim quibusdam ab Experientia traditionibus, neque iis interdum aut diligenter examinatis, reliqua in meditatione & ingenii agitatione posuêre, assumpta in majorem rei fiduciam *Dialectica*. Chymistæ autem & universum Mechanicorum & Empiricorum genus, si & illis contemplationes & Philosophiam tentare audacia crevit, paucarum rerum accuratæ subtilitati assueti, miris modis reliquas ad eas contorquent; & placita magis deformia & monstrosa, quàm Rationales illi producùt. Illi enim parum ex multis, hi rursus multum ex paucis, in Philosophiæ materiam sumunt; utriusque autem ratio, si verum dicendum sit, infirma est & perdita. Sed *Naturalis Historia*, quæ hactenus congesta est, primo intuitu copiosa videri possit, cùm reverà sit egena & inutilis, neque adeò ejus generis, quod quærimus. Neque enim à fabulis & deliriis purgata est, & in Antiquitatem, & Philologiam, & narrationes supervacuas excurrit, circa soliga negligens & fastidiosa, curiosa & nimia in inanibus. Pessimum autem est in hac copia, quod rerum Naturalium inquisitionem amplexa est, rerum autem Mechanicarum magna ex parte aspernata. Atque hæ ipsæ ad Naturæ sinus excutiendos longè illis præstant; Natura enim sponte sua fusa & vaga disgregat Intellectum, & varietate sua confundit; verùm in mechanicis operationibus contrahitur judicium, & naturæ modi & processus cernuntur, non tantùm effecta. Atq; rursus universa Mechanicorum subtilitas citra rem, quam quærimus, sistitur. Artifex enim operi & fini suo intentus ad alia (quæ forsan ad Naturæ inquisitionem magis faciunt) nec animum erigit, nec manum porrigit. Itaq; magis exquisita cura opus est, & probationibus electis, atque sumptu etiam, ac summa insuper patientia. Illud enim in Experimentalib? omnia perdidit, quod homines etiam à principio fructifera Experimenta, non lucifera, sectati sunt, atque ad opus aliquod magnificum educendum omninò incubuêre, nò ad pandenda Oracula Naturæ, quod opus operum est, & omnem potestatem in se complectitur. Intervenit & illud ex hominum curiositate & fastu, quod ad secreta & rara se plerumque converterunt, & in his operam & inquisitionem posuerunt, spretis experimentis atque observationibus vulgatis: quod videntur fecisse aut admirationē & famam captantes, aut in eo lapsi & decepti, quod Philosophiæ officium in accommodandis & reducendis rarioribus eventibus, ad ea quæ familiariter occurrunt, non æquè in ipsarum illarum vulgarium rerum causis & causarum causis altioribus eruendis, situm esse existimarunt. Universæ autem hujus de Naturali Historia querelæ causa, ea præcipua est, quod homines non in opere tantùm, sed in ipso instituto aberrarunt. Namque Historia illa Naturalis, quæ exstat, aut ob ipsorum experimentorum utilitatem, aut ob narrationum jucunditatem confecta videtur, & propter se facta, non

ut Philosophiæ & scientiis initia, & veluti mammam præbeat. Itaque huic rei pro facultate nostra deesse nolumus. Nobis enim quantum Philosophus abstractis sit tribuendum, jam pridem constitutum est. Etiam vias Inductionis veræ & bonæ, in qua sunt omnia, tenere nos arbitramur, & Intellectus humani versus scientias facultatem incompetentem & prorsus imparem, veluti per machinas, aut filum aliquod Labyrinthi posse juvare. Neque nescii sumus, nos si Instaurationem illam scientiarum, quam in animo habemus, inta inventa ulla majora cohibere voluissemus, ampliorem fortasse honoris fructum percipere potuisse. Verùm cùm nobis Deus animum indiderit, qui se rebus submittere sciat, quique ex meriti conscientia & successus fiducia speciosa libens prætereat; eam etiam partem operis nobis desumpsimus, quam existimamus alium quemquam aut in universum fugere, aut non pro instituto nostro tractare voluisse. Circa hoc autem duo sunt, de quibus homines & aliàs & nunc præcipuè, cùm ad rem ipsam accingimur, monitos volumus. *Primò*, ut mittant illam cogitationem, quæ facilè hominum mentes occupat & obsidet, licet sit falsissima & perniciosissima, eam videlicet, quod rerum particularium inquisitio infinitum quiddam sit & sine exitu: Cùm illud verius sit, opinionum & disputationum modum nullum esse; sed phantasias illas ad perpetuos errores & infinitas agitationes damnari; particularia autem & informationes Sensus (demptis individuis & rerum gradibus, quod Inquisitioni veritatis satis est) Comprehensionem pro certo, nec eam sanè vastam aut desperatam, patiuntur. *Secundò* ut homines subinde meminerint quid agatur, atque cùm inciderint in cõplures res vulgatissimas, exiles, ac specie tenus leves, etiam turpes, & quibus (ut ait ille) honos præfandus sit; non arbitrentur nos nugari, aut Mentem humanam inferius, quam pro dignitate sua deprimere. Neque enim ista propter se quæsita, aut descripta sunt, sed nulla prorsus alia patet Intellectui humano via, neque ratio operis aliter constat; Nos siquidem conamur rem omnium maximè seriam, & humana Mente dignissimam, ut lumen Naturæ purum & minimè phantasticum (cujus nomen hactenus quandoque jactatur, res hominibus penitus ignota est) per faciem à divino Numine præbitam & admotam, hoc nostro seculo accendatur. Neque enim dissimulamus, nos in ea opinione esse, præposteram illam argumentorum & meditationum subtilitatem, primæ informationis, sive veræ Inductionis subtilitate, & veritate suo tempore prætermissa, aut non rectè instituta, rem in integrum restituere nullo modo posse, licet omnia omnium ætatum ingenia coierint; sed Naturam, ut fortunam, à fronte capillatam, ab occipitio calvam esse. Restat itaque ut res de integro tentetur, idq; majoribus præsidiis atque exutis opinionum zelis, detur aditus ad regnum Philosophiæ & Scientiarum (in quo opes humanæ sitæ sunt, Natura enim nonnisi parendo vincitur) qualis patet ad regnum illud Cœlorum, in quod nisi sub persona Infantis ingredi non licet: usum autem hujus operis plebejum illum & promiscuum ex experimentis ipsis omnino non contemnimus (cùm notitiæ & Inventioni hominum, pro varietate Artium & ingeniorum, plurima utilia procul dubio suggerere possit) attamen minimum quiddam esse censemus præ eo aditu ad Scientiam & potentiam humanam, quem ex misericordia divina speramus. A qua etiam supplices iterum petimus, ut novis Eleemosynis per manus nostras familiam humanam dotare dignetur.

Natura rerum aut *libera* est, ut in *specieibus*, aut *perturbata*, ut in *monstris*, aut *constricta*, ut in *experimentis* Artium; faciñora autem ejus cujuscunque generis digna memoratu & Historia. Sed *Historia specierum*, quæ habetur, veluti plantarum, Animalium, Metallorum & fossilium, tumida est & curiosa; *Historia Mirabilium*, vana & è rumore; *Historia experimentorum* manca, tentata per partes, tractata negligenter, atque omnino in usum practicæ, non in usum Philosophiæ. Nobis itaque stat decretum, Historiam specierum contrahere, Historiam Mirabilium excutere atque expurgare; præcipuam autem operam in Experimentis Mechanicis & Artificialibus, atque naturæ erga manum humanam obsequiis collocare. Quid enim ad nos lusus Naturę & lascivia? hoc est pusillæ specierum ex figura differentiæ, quæ ad opera nil faciunt, in quibus nihilominus Naturalis Historia luxuriatur. Mirabilium autem cognitio grata certè nobis, si expurgata & electa sit; sed quamobrem tandem grata? Non ob ipsam admirationis suavitatem, sed quod sæpe Artem officii sui admonet, ut naturam sciens eò perducat, quò ipsa sponte sua nonnunquam prævit; omninò primas partes ad ad excitandum lumen naturæ Artificialibus tribuimus, non tantùm quia per se utilissima, sed quia naturalium fidissimi Interpretes. Num fortè fulguris, aut Iridis naturam tam clarè explicasset quisquam, antequam per tormenta bellica, aut artificiosa Iridum super parietem simulachra, utriusque ratio demonstrata esset? Quod si causarum fidi Interpretes, etiam effectorum & operum certi & felices indices erunt. Neque tamen consentaneum putamus ex triplici ista partitione Historiam nostram distrahere, ut singula seorsim tractentur, sed genera ipsa miscebimus, naturalia Artificialibus, consueta admirandis adjungentes, atque utilissimis quibusque maximè inhærentes.

Atque à Phænomenis ætheris ordiri sollennius foret. Nos autem nil de severitate instituti nostri remittentes, ea anteferemus, quæ naturam constituunt & referunt magis communem, cujus uterque globus est particeps. Ordiemur verò ab Historia corporum secundùm eam differentiam, quæ videtur simplicissima; ea est copia aut paucitas Materiæ intra idem spatium sive eandem circumscriptionem contentæ & exporrectæ; Nam cùm ex pronuntiatis de Natura nil verius sit quàm propositio illa gemella, *Ex nihilo nihil fieri, neque quicquã in nihilum redigi*, sed *quantum ipsum Natura*, sive materiæ *summam universalem* perpetuò manere & constare, & neutiquam augeri aut minui. Etiam illud non minus certum, tamen non tam perspicuè notatum, aut assertum sit, (quicquid homines de potentia Materiæ æquabili ad formas fabulentur) ex quanto illo Materiæ sub iisdem spatiorum dimensionibus, plus & minus contineri, pro corporum diversitate à quibus occupantur, quorum alia magis compacta, alia magis extensa sive fusa evidentissimè reperiuntur. Neque enim parem Materiæ portionem recipit vas aut concavum aqua & aëre impletum, sed illud plus, istud minus. Itaque si quis asserat, expari aëris contento, par aquę contentum effici posse; idem est ac si dicat, aliquid fieri posse ex nihilo. Nam quod deesse supponitur ex materia, id ex nihilo suppleri necesse foret. Rursus si quis asserat, par contentum aquæ in par contentum aëris posse verti, idem est, ac si dicat, aliquid posse redigi in nihilũ. Nam quod superesse supponitur ex materia, id ad nihilum evanisse similiter necesse foret. Neque nobis dubium est, quin hæc res etiam calculos pati possit, surdos fortasse in aliquibus sed definitos & certos, & Naturæ notos. Veluti si quis dicat, auri corpus collatum ad corpus spiritus vini, esse concervationem materię superantem ratione vicecupla simpla aut circiter, non erraverit. Itaque exhibituri jam Historiam eam, quam diximus, de copia & paucitate materiæ, atque de materiæ coitione atque expansione, ex quibus notiones illæ *Densi* & *Rari* (si propriè accipiantur) ortum habent; hunc ordinem servabimus, ut primò corporum diversorum (ut auri, aquæ, olei, aëris, flammæ) rationes ad invicem recenseamus. Examinatis autem rationibus corporum diversorum, postea unius atque ejusdem corporis subingressus & exspatiationes cum calculis sive rationibus memorabimus. Idem enim corpus etiam absque accessione aut oblatione, aut saltem minimè pro rata contractionis & extensionis, ex variis impulsibus tum externis tum internis, sustinet se congerere in majorem & minorem sphæram. Interdum enim luctatur corpus, & in veterẽ sphæram se restituere nititur; interdum plane transmigrat, nec revertere satagit. Hic cursus primo atque differentias & rationes corporis alicujus naturalis (quoad extentum) collati cum aperturis aut clausuris suis memorabimus, videlicet cum pulveribus suis, cum calcibus suis, cum vitrificationibus suis, cum dissolutionibus suis, cum distillatis suis, cum vaporibus & auris, exhalationibus, & inflammationibus suis memorabimus; deinde actus ipsos & motus, & progressus & terminos contractionis & dilatationis proponemus, & quando se restituant corpora, quando transmigrent secundùm extentum; præcipuè autem efficientia & media, per quæ hujusmodi corporum contractiones & dilatationes sequuntur, notabimus: atque interim virtutes & actiones, quæ corpora ex hujusmodi compressionibus & dilatationib⁹ induunt & nanciscuntur, obiter subtexemus. Cumque probè noverimus, quàm difficilis res sit, in præsenti animorum statu jam ab ipso principio cum natura consuescere, observationes nostras ad attentionem hominum, & meditationem excitandam & conciliandam abjiciemus. Quod ad demonstrationem autem attinet, sive retectionem densitatis & raritatis corporum, nil dubitamus aut cunctamur quin quoad *Corpora crassa & palpabilia motus gravitatis* (quem vocant) loco optimæ & maximę expeditæ probationis sumi possit; quò enim corpus compactius, eò gravius. Verùm postquam ad gradum aereorum & spiritualium veritum est, tum profectò à lancibus destituimur, atque alia nobis industria opus erit. Incipiemus autem ab *Auro*, quod omnium, quæ habemus

habemus (neque enim tam adulta est Philosophia, ut de visceribus terræ statuere debeamus) gravissimum est, atque plurimum materiæ minimo spatio complectitur; atque ad hujus corporis sphœram reliquorum rationes applicabimus; illud monentes, Historiam ponderum hic nos minime tractare, nisi quatenus ad corporum spatia sive dimensa demonstranda lucem præbeat. Cùm verò non conjicere & ariolari, sed invenire & scire nobis propositum sit, hoc autem in examine & probatione experimentorum primorum, magnoperè positum esse, judicemus, prorsus decrevimus in omni experimento subtiliore motum experimenti, quo usi sumus, aperte subjungere; ut postquam patefactum sit, quomodo singula nobis constiterint, videant homines & quatenus fidem adhibeant, & quid ulterius faciendum sit, sive ad errores corrigendos, qui adhærere possint, sive ad excitandas atque ad operandas probationes magis fidas & exquisitas. Quin & ipsi de iis, quæ nobis minus explorata atque errori magis exposita, & quasi finitima videbuntur, sedulò & sincerè monebimus. Postremò observationes nostras (ut modò diximus) adjiciemus, ut licet omnia integra Philosophiæ servemus, tamen faciem ipsam Historiæ Naturalis etiam in transitu versus Philosophiam obvertamus. Atque porro illud curabimus, ut quæcunque ea sint sive experimenta, sive observationes, quæ præter scopum Inquisitionis occurrunt atque interveniunt, & ad alios titulos proprie pertinent, notenius, ne Inquisitio confundatur.

TABULA COITIONIS ET EXPANSIONIS Materiæ per spatia in Tangibilibus, cum supputatione rationum in Corporibus diversis.

Idem spatium occupant, sive æque exponiguntue.

Auri puri	*uncia sive*	*Den.* 20.	*Gran.* 0.	1
Argenti vivi		*Den.* 19.	*Gran.* 9.	2
Plumbi		*Den.* 11.	*Gran.* 1. *dim.*	3
Argenti puri		*Den.* 10.	*Gran.* 21.	4
Plumbi cinerei, Anglicè Tynglasse.		*Den.* 10.	*Gran.* 13.	5
Cupri		*Den.* 9.	*Gran.* 8.	6
Aurichalchi.		*Den.* 9.	*Gran.* 5.	7
Chalybis.		*Den.* 8.	*Gran.* 10.	8
Æris Communis		*Den.* 8.	*Gran.* 9.	9
Ferri		*Den.* 8.	*Gran.* 6.	10
Stanni		*Den.* 7.	*Gran.* 22.	11
Magnetis		*Den.* 5.	*Gran.* 12.	12
Lapidis Lydis		*Den.* 3.	*Gran.* 1.	13
Marmoris		*Den.* 2.	*Gran.* 22. *D qu.*	14
Silicis		*Den.* 2.	*Gran.* 21. *D.*	15
Vitri		*Den.* 2.	*Gran.* 20. *D.*	16
Crystalli		*Den.* 2.	*Gran.* 18.	17
Alabastri		*Den.* 2.	*Gran.* 11.	18
Salis Gemmæ		*Den.* 2.	*Gran.* 10.	19
Luti Communis		*Den.* 2.	*Gran.* 8 *D.*	20
Luti Albi		*Den.* 2.	*Gran.* 5. *D.*	21
Nitri		*Den.* 2.	*Gran.* 5.	22
Ossis Bovis		*Den.* 2.	*Gran.* 5.	23
Pulveris Margaritarum		*Den.* 2.	*Gran.* 2.	24
Sulphuris		*Den.* 2.	*Gran.* 2.	25
Terræ Communis		*Den.* 2.	*Gran.* 1. *D.*	26
Vitrioli Albi		*Den.* 1.	*Gran.* 22.	27
Eboris		*Den.* 1.	*Gran.* 21. *D.*	28
Aluminis		*Den.* 1.	*Gran.* 21.	29
Olei Vitrioli		*Den.* 1.	*Gran.* 21.	30
Arenæ Albæ		*Den.* 1.	*Gran.* 20.	31
Cretæ		*Den.* 1.	*Gran.* 18. *D.*	32
Olei Sulphuris.		*Den.* 1.	*Gran.* 18.	33
Salis Communis		*Den.* 1.	*Gron.* 10.	34
Ligni vitæ		*Den.* 1.	*Gran.* 10.	35
Carnis ovillæ		*Den.* 1.	*Gran.* 10.	36
Aquæ fortis		*Den.* 1.	*Gran.* 7.	37
Cornu bovis		*Den.* 1.	*Gran.* 6.	38
Balsami Indi		*Den.* 1.	*Gran.* 6.	39
Ligni Santal. rubei		*Den.* 1.	*Gran.* 5.	40
Gagatis		*Den.* 1.	*Gran.* 5.	41
Capæ recentis in corpore		*Den.* 1.	*Gran.* 5.	42
Caphuræ		*Den.* 1.	*Gran.* 4.	43
Radicis Caricæ recentis		*Den.* 1.	*Gran.* 4.	44
Ligni Ebeni		*Den.* 1.	*Gran.* 3 *D.*	45
Sem. feniculi dulcis		*Den.* 1.	*Gran.* 3. *Dem.*	46
Succini lucidi		*Den.* 1.	*Gran.* 3.	47
Aceti		*Den.* 1.	*Gran.* 3. *D.*	48
Agressæ ex pomis acerbis		*Den.* 1.	*Gran.* 5.	49
Aquæ Communis		*Den.* 1.	*Gran.* 3. *paulo minus.*	50
Vinæ		*Den.* 1.	*Gran.* 3.	51
Olei Caryophyllorum		*Den.* 1.	*Gran.* 3. *paulo minus.*	52
Vini Clareti		*Den.* 1.	*Gran.* 2. *D qu.*	53
Sacchari Albi		*Den.* 1.	*Gran.* 2. *D.*	54
Ceræ flavæ		*Den.* 1.	*Gran.* 2.	55
Radicis Chinæ		*Den.* 1.	*Gran.* 2.	56
Carnis pyri brumalis crudæ		*Den.* 1.	*Gran.* 2.	57
Aceti distillati		*Den.* 1.	*Gran.* 1.	58

Aquæ rosaceæ distillatæ	*Den.* 1.	*Gran.* 1.		59
Cineris Communis	*Den.* 1.	*Gran.* D.		60
Beniovis	*Den.* 1.	*Gran.* 0.		61
Myrrhæ	*Den.* 1.	*Gran.* 0.		62
Butyri	*Den.* 1.	*Gran.* 0.		63
Adipis	*Den.* 1.	*Gran.* 0.		64
Olei amygdalini dulcis	*Den.* 1.	*Gran.* 23. D.		
Olei Maceris viridis expressi	*Den.* 0.	*Gran.* 23. D.		
Herbæ Sampsuchi	*Den.* 0.	*Gran.* 22.		
Petrolei	*Den.* 0.	*Gran.* 23.		
Florum Rosæ	*Den.* 0.	*Gran.* 22.		
Spiritus vini	*Den.* 0.	*Gran.* 22.		
Ligni quercus	*Den.* 0.	*Gran.* 19. D.		
Fuliginis Communis & Camino press.	*Den.* 0.	*Gran.* 17.		
Ligni abietis	*Den.* 0.	*Gran.* 15.		

MODVS EXPERIMENTI CIRCA Tabulam suprascriptam.

INtelligantur pondera, quibus usi sumus, ejus generis & cōputationis, quibus aurifabri utuntur, ut libra capiat uncias 12. uncia viginti Denarios, Denarius grana 24. Delegimus autem corpus auri, ad cujus exporrectionis mensuram reliquorum corporum rationes applicaremus, non tantum quia gravissimum, sed quia maximè unum & sui simile. Reliqua enim corpora, quæ quiddam continent volatilis, etiam ignem passa varietatem retinent ponderis & spatii; sed aurum deputatum eam planè exuisse videtur, atque ubique simile esse. Experimentum verò hujusmodi erat. Unciam auri puri in figuram aleæ sive cubi efformavimus; dein vasculum quadratum paravimus, quod corpus illud auri caperet, atque ei exactè conveniret, nisi quod esset nonnihil altius, ita tamen ut locus intra vasculū, quo cubus ille auri adscenderat, lineâ conspicuâ signaretur. Id fecimus liquorum gratiâ, ut cùm liquor aliquis intra idem vasculum immittendus esset, ne diffluereat, atque hoc modo justa mensura commodiùs servari posset. Simul autem aliud vasculum fieri fecimus; quod cum altero illo, pondere & contento prorsus par esset; ut in pari vasculo corporis contenti tantùm ratio appareret; Tum cubos ejusdem Magnitudinis sive dimensi fieri fecimus, in omnibus materiis in Tabula specificatis, quæ sectionem pati possent; liquoribus verò ex tempore usi sumus, implendo scilicet vasculum quousque liquor ad locum illum signatum adscenderet; Pulveres eodem modo; sed intelligantur pulveres maximè & fortiter compressi. Hoc enim potissimùm ad æquationem pertinet, nec casum recipit. Itaque non alia fuit probatio, quàm ut unum ex vasculis vacuum cum uncia in una Lance, alterum ex vasculis cum corpore in altera parte poneretur, & ratio ponderis exciperetur; quod quantò esset diminutum, tantò dimensum ejusdem corporis intelligitur auctum. Exempli gratia, cùm auri cubus det unciam unam, Adipis verò denarium unum; liquet exporrectionem corporis auri collatam ad exporrectionem corporis adipis habere rationem vicecuplam. Mensuræ autem ejus, quæ unciam auri capiebat, modum etiam excipere & notare visum est; Ea erat pintæ vinariæ, qualis apud nos Anglos in usu est, pars 269. paulo minus Probatio vero talis erat. Pondus aquę, quod intra vasculum sub illa linea continebatur, notavimus, ac tum pondus aquæ intra pintam contentam similiter notavimus, & ex rationibus ponderum rationes mensurarum collegimus.

MONITA.

VIdendum num forte contractio corporis attractior ex vi unita nanciscatur majorem rationem ponderis, quàm pro quantitate materiæ, idutrum fiat nec ne, ex historia propria ponderis constabit. Quod si fiat, fallit certè supputatio; & quo corpora sunt extensiora, eo plus habent materiæ, quam pro calculo ponderis & mensuræ, quæ ex eo pendet.

2. Parvitas vasis, quo usi sumus, & forma etiam (licet ad cubos illos recipiendos habilis & apta) ad rationes exquisitas verificandas minus propria fuit. Nam neq minutias infra grani dimidium & quadrantem facilè excipere licebat, & quadrata illa superficies in parvo nec sensibili adscensu sive altitudine notabilem ponderis differentiam trahere potuit, contra quam fit in vasis in acutum surgentibus.

3. Minimè dubium est etiam complura corpora, quæ in Tabula ponuntur, intra suam speciem magis & minus recipere quoad pondera & dimensa. Nam & aquæ & vina, & similia sunt certè alia aliis graviora. Itaque quoad calculationem exquisitam casum quendam ista res recipit, neque ea individua, in quæ Experimentum nostrum incidit, naturam speciei exactè referre, neque cum aliorum experimentis fortasse omnino in minimis consentire possunt.

4. In Tabulam superiorem conjecimus ea corpora, quæ spatium sive mensuram commodè implere corpore integro, & tamquam similari possent, quęque etiam pondus habeant, ex cujus rationibus de materiæ coacervatione judicium faciamus. Itaque tria genera corporum huc retrahi non poterant. Primò, ea quæ dimensioni cubicæ satisfacere non poterant, ut folia, flores, pelliculæ, membranæ. Secundò, corpora inæqualiter cava & porosa, ut spongiæ, suber, vellera. Tertiò, pneumatica pondere non dotantur.

OBSERVATIONES.

COacervatio materiæ in corporibus tangibilibus, quæ ad nostram notitiam pervenerunt, intra rationes partium 21. vel circiter vertuntur Coacervatio enim maximè compacta invenitur in auro, maximè expansa in spiritu vini, (ex corporibus dicimus quæ unita sunt, nec evidenter porosa.) Namque spiritus vini occupat spacium vicies & semel repetitum, quod occupat aurum, juxta rationes unciæ uniusad grana 22. Ex 21. enim illis partibus, quibus corpora alia aliis sunt magis compacta, 13. partes occupant metalla; nam stannum, quod metallorum est levissimum, ponderis est denar.

nar. ferè 8. quod decrevit infra pondus auri denariis 13. Omnigena autem illa varietas postquam à metallis decessimus, intra 8. illas reliquas partes clauditur; ac rursus insignis illa varietas, quę incipiendo à lapidibus inclusivè ad alia illa protenditur, intra tres tantùm partes aut non multo plus cohibetur. Nam lapis Lydius, qui est ex lapidibus gravissimus (excepto Magnete) parum denariis 3. præponderat. Spiritus autem vini, qui est terminus levitatis in corporibus unitis, denario uno paulo levius est.

Videtur saltus magnus sive hiatus ab auro & argento vivo ad plumbum; scilicet à 20. denariis & paulò minus. Atque licet metallica magna varietate exuberent, vix tamen existimamus in hoc hiatu multa inveniri corpora media; nisi sint prorsus rudimenta Argenti vivi. A plumbo autem gradatim adscenditur ad ferrum & stannum. Rursus alterum magnum hiatum sive saltum invenimus inter metalla & lapides; scilicet ab 8. denariis ad tres; tantum enim aut circiter à stanno distat ad lapidem Lydium. Solummodo inter hæc se interponit, & ferè ex æquo Magnes, qui est lapis Metallicus, atque existimamus inveniri & alia fossilia misturæ imperfectæ, & compositæ naturæ inter metallum & lapides. A lapidibus certè ad reliqua parvis intervallis proceditur.

In vegetabilibus autem minimè dubitamus, ac etiam in partibus Animalium se ostendere quam plura corpora etiam satis æqualis texturę, quę spiritum vini levitate superent. Namque etiam lignum quercûs, quæ videtur esse ex lignis robustis, & solidis, spiritu vini est levius: & lignum abietis adhuc magis. Florum autem & foliorũ plurima, & membranæ & pelliculæ, ut spolia Serpẽtum & aliæ insectorum, & similia, procul dubio ad minores rationes ponderum (si dimensionem illam cubicam capere possent) accederent, ac multo magis artificialia, ut papyrus, linteus pannus exstinctus (quali ad fomites flammarum utimur) folia rosarum, quæ supersunt à distillatione, & hujusmodi.

Reperimus plerumque in partibus animalium corpora nonnulla magis compacta, quàm in plantis. Ossa enim & carnes magis sunt compacta, quàm ligna & folia, cohibenda ac etiam corrigenda est illa cogitatio, in quam animus humanus propendet; compacta nimirum quæque & maximè solida, esse durissima, & consistere maximè; fluido verò adesse naturam minùs contractam. Nam coacervatio materiæ non minor est in corporibus, quę fluunt, quàm in iis, quæ consistunt, sed major potiùs. Siquidem aurum mollitie quadam vergit ad fluorem, atque cum liquescit, neutiquam extenditur, sed priore spatio continetur. Et Argentum vivum ex se fluit, & plumbum facilè fluit, ferrum ægrè, quorum alterum ex gravissimis metallis est, alterum ex levissimis. Sed illud prę cipuum quod generaliter metalla, lapides (fluida videlicet corpora) fragilia pondere longè superent.

Accidit Auro & Argento vivo, quæ ex metallis reliquis tantò sunt graviora, res mira, nempe ut reperiantur quandoque in granis & parvis portionibus quasi à natura perfecta, & ferè pura; quod nulli ferè aliorum metallorum contingit, quæ necesse habent, ut per ignem purgentur, & coëant; cum tamen hæc duo, quorum coitio longè maxima est & verissima, id à natura quandoque absque ignis beneficio consequantur.

In Inquisitione de re metallica ac de natura lapidum attendatur parum, quæ sint ea metalla, quæ solent esse cætetis depressiora & magis in profundo sita, si quæ hujus rei norma sit & experimentum constans, in quo tamen ipso ratio habenda est regionis, in qua fodinæ sunt, an ipsa fuerit terra alta, an terra humilis. Similiter de Lapidibus & Gemmis, Crystallis, an natura lapidea penetret terram tam profundè, quàm metallica, an potius in superficie hæreat, quod magis existimamus.

Sulphur, quem partem metallorum esse communis est opinio, licet à peritioribus ferè repudiata, aut ad sulphurem quendam naturalem non cõmunem translata, habet coacervationem materiæ, omni metallo, etiam Lapidibus & terris robustioribus inferiorem, scilicet denariorum 2. & granorum 2. neque id tamen obstat (si cætera convenirent) quin cum Mercurio confusum, propter ejusdem eximiam gravitatem, pondera omnium metallorum pro ratione temperamenti reddere posset, præter pondus Auri.

Efficiens coitionis in corporibus ad coacervationem non semper spectatur. Nam vitrum, quod coit per ignem, acrem & fortem, præponderat Crystallo, quod nativum est & educitur sine igne aut evidenti calore (nam quod glacies sit concreta, id populare est) atque ipsum crystallum longè ponderosius est, quæ manifestè à frigore cogitur, ac tamen aquæ supernatat.

Mixtura liquorum ex rationibus ponderum solummodo non pendet aut procedit, siquidem spiritus vini cum oleo amygdalarum expresso non miscetur; sed (quod quis fortasse non putaret) supernatat oleo, quemadmodum oleum supernatat aquæ; & tamen grano tantum & dimidio (ut Tabula conspicitur) levior est. At idem spiritus vini Aquæ licet graviori longè facilius miscetur; ut & Aqua ipsa rursus faciliùs miscetur cum oleo vitrioli, quàm cum oleo amygdalarum; & tamen oleum vitrioli aquâ est granis 18. gravius; oleum amygdalarum verò tantum granis 4. levius. Neque hoc accipiendum est, quin in corporibus proportionatis ad mixturam præcipua sit ponderis ratio. Nam videmus vinum aquæ supernatare, si cohibeatur agitatio, vel primi casus sive descensus perturbatio; veluti cum in vase, ubi continetur aqua, vinum superinfunditur, sed mediante offâ panis, vel linteo, quod vim ipsam casus primi frangat. Atque idem in aqua super oleum vitrioli, cum hac industria infusa, usu venit. Atque quod magis est, licet vinum infundatur priùs & aqua posterius, (super offam, vel per pannum, ut dictũ est) invenit locum suum, & permeat per vinum, & in fundo se colligit.

Continuatio Historiæ Coitionis & Expansionis Materiæ in Corpore eodem.

Rationes pulverum majore cum utilitate inquiri, si fiat collatio eorum cum corporibus ipsorum integris, quàm si ponerentur per se & simpliciter, judicavimus. Hoc enim modo & de corporum diversitate, & de arctissimis illis naturæ integralis nexibus & vinculis judicium fieri, & rationes iniri posse animum advertimus. Intelligimus autem in rationibus pulverum, pulveres fortiter & maximè pressos. Hoc n. facit ad æquationem, nec recipit casum. Mercurius in corpore habet in mensura illa Experimentali, secundùm quam Tabula ordinatur, denar. 19. Grana 9. sublimatus verò in pulvere habet

denar. 3. gran. 22. plumbum in corpore denar. 12. gran. 1. dimid. in Cerussa vero in pulvere Denar. 4. gran. 8. dimid.

Chalybs in corpore denar. 8. gran. 10. In pulvere præparato (quali ad Medicinas utimur) denar. 2. gran. 9.

Crystallum in corpore denar. 2. gran. 18. in pulvere Denar. gran. 20.

Santalum rubeum in corpore denar. 1. gran. 5. dimid. in pulvere gran. 16. dimid.

Lignum quercus in corpore gran. 19. dmid. in cinere, denar. 1. gran. 2.

Ut autem meliùs intelligantur rationes pulveris pressi & non pressi, idque pro diversitate corporum, nos pondus Rosarum, quod integraliter in Tabulam recipi non poterat, in pulvere excepimus; illud in pulvere non presso dabat gran. 7. in pulvere presso gran. 22. sed idem in ligno Santali rubei experti, Santalum rubeum in pulvere non presso gran. 10. in pulvere presso gran. 19. dimid. dare comperimus, ut sit pulvis Rosæ pulvere santali, si non premantur, multo levior, si premantur, gravior. Etiam ad supplementum Tabulæ prioris rationes pulveris excepimus in aliquo ex floribus, ex herbis, & ex seminibus, (nam radicum dimensio cubica esse poterat) ad exemplum reliquorum in sua specie, ac invenimus pulverem floris rosæ, ut superiùs dictum est, dare gran. 22. herbæ sampsuchi gran. 3. Seminis fœniculi dulcis denar. 1. gran. 3. dimid. Etiam aliorum corporum, quæ in Tabula recipi non poterant, pondera in pulveribus excepimus, ut Arenæ Albæ. Hæc dabat denar. 1. gran. 20. Salis communis, qui dat denar. 1. gran. 10. Sacchari, quod dat denar. 1. gran. 2. dimid. Myrrhæ, quæ dat denar. 1. Biniorum, quæ dat denar. 1. Conspicere autem est in ipsa Tabula sulphur in corpore dare denar. 2. gran. 2. in oleo Chymico denar 1. gran. 18. vitriolum autem in corpore denar. 1. gran. 22. in oleo denar. 1. gran. 21. Vinum in corpore dare denar. 1. gran. 2. . d. qu. in distillato gran. 22. Acetum in corpore dare denar. 1. gran. 2. d. in distillato denar. 1. gran. 1.

MONITA.

QUando dicimus pondus in corpore, pondus in pulvere, non intelligimus de eodem individuo, sed de corpore & pulvere ejusdem speciei, intra eandem illam mensuram Tabularem contentò. Nam si lignum quercus accipiatur, & idem lignum in individuo in cinerem redigatur, & plurimum de pondere deperdit, & cinis ille mensuram ligni ex magna parte non implet.

Modus versionis corporis in pulverem ad apertionem sive expansionem corporis multum facit. Alia enim est ratio pulveris, qui fit per simplicem contusionem sive limaturam; Alia ejus qui per distillationem, ut sublimati: Alia ejus qui per aquas fortes & erosionem vertendo tamquam in rubiginem. Alia ejus qui per exustionem, ut cinis, calx. Itaque ista cum ad contemplationem adhibeantur æquiparari nullo modo debent.

Nos in singulis diutius quàm pro instituti nostri ratione morari non possumus, & tamen quæ præstare non licet, designare juvat; Ea demum foret Tabula exacta corporum cum suis aperturis, quæ corpora singula cum pulveribus suis, cum calcibus suis, cum vitrificationibus suis, cum dissolutionibus suis, cum distillatis suis conferret.

Historia variationis ponderum in Individuis, id est, ejusdem corporis integri & pulverizati, ut ejusdem aquæ in nive aut glacie, & solutæ ejusdem, ovi crudi & cocti, ejusdem pulli vivi & mortui, & similium, ad historiam propriam ponderum rejicimus.

OBSERVATIONES.

IN corporibus magis compactis longè arctior est compactio partium, quàm ulla pulverum suorum positione aut pressura æquari potest. Et quo corpora sunt graviora & solidiora, eo major differentia redundat inter integra sua & aperturas suas, ut Ratio Argenti vivi crudi ad sublimatum in pulvere est quintupla, & amplius. Rationes chalybis & plumbi non adscendunt ad quadruplam; Rationes crystalli & santali non adscendunt ad duplam.

In corporibus levioribus & perosis laxior fortasse est partium positura in integris, quàm in pulveribus pressis, ut in foliis siccis rosarum. Atque in hujusmodi corporibus major intercedit differentia inter pulveres suos pressos & non pressos.

Pulverum partes ita se sustentare possunt, ut pulvis non pressus triplicem impleat mensuram ad pulverem non pressum.

Corpora Metallica, ut Sulphur, Vitriolum, in Olea, quæ vocant, conversa, pondus eximiè retinent, nec magnum intercedit discrimen inter olea & ipsa corpora.

Destillata procul dubio attenuantur & pondere decrescunt; sed hoc facit vinum duplo plus quàm acetum.

Dignissima observatione est insignis illa apertura in pulvere sublimati ad corpus crudum, hoc nomine, quod licet tanta sit (quintupla enim est, ut diximus) idque in corpore non transeunte, ut in vaporibus Argenti vivi, sed consistente, tamen tam parvo negotio rursus coit ad veterem sphæram.

Continuatio Historiæ Contionis & Expansionis Materiæ per spatia in corpore eodem.

Animalia natando palmis vel pedibus aquam deprimunt, ea ultra naturalem consistentiam depressa & densata resurgit, resurgens corpus grave sublevat & sustinet. Homines verò natandi peritiores corpus suum super aquam ita librare possunt, ut ad tempus absque motu brachiorum vel tibiarum se sustineant; etiam pedibus aquam calcant erecti & alias agilitates super aquam exercent. Aves certè aquatiles palmipedes sunt, & pedum membranis aquam aptè deprimunt; in profundiore autem aqua facilior est natatio.

Aves volando aërem alis verberant & condensant, aër verò (ut superius de aqua dictum est) ad consistentiam suam se restituens avem vehit. Atque aves quoque nonnunquam radunt iter suum expansis, sed immotis alis, aut subinde alas parum concutiendo, atque iterum labendo. Neque dissimilis est ratio pennatorum & aliorum volatilium. Nam Muscæ & id genus habent suas alarum tunicas, quibus aërem pulsant. Infirmitas autem alarum parva corporis mole sive pondere compensatur. Etiam in sublimi facilius feruntur alata, præsertim quæ alas habent amplitudine latiores, motu non ita pernices, ut Ardea. Atque omnes aves, quæ aliquantæ magnitudinis sunt, magis laboriosè feruntur, cùm primum se à terra elevant, ubi scilicet necesse est aërem esse minus profundum.

Mo-

MONITUM.

MOtus condensationis in aqua, aut aëre, aut similibus per verberationem sive impulsionē manifestus est. Is hujusmodi est. Aeris vel aquę partes, quantò ab impulsu primo seu verbere remotiores sunt, tantò infirmius impetuntur & tardius cedunt; quanto autem propius, tanto fortius & velocius; unde necessariò fit, ut anterior aer celerius fugiens posteriorem tardiùs se expedientem consequatur, atq; hoc modo coeant. Postquam autem ex ea coitione major provenerit cōdensatio quàm Natura patitur, corpora aquæ vel aeris, ut se aperiant & laxent, resiliunt & revertuntur.

HISTORIA.

FAcies aquæ atqne omnis fluidi ab agitatione & perturbatione inęqualis est, idque inęqualitate mobili & successiva, quousq; aqua debitam recuperet consistentiam, & pressura liberetur, ut in undis maris & fluviorum, etiam postquam venti conciderint, & in omni aqua quovis modo turbata.

Neque dubium est, quin & similis inæqualitas versetur in ventis, qui & in ipsi morem fluctuum se volvunt; neque vel cessante prima violentia se subitò recipiunt in tranquillitatem; nisi quod in undulatione aeris non intervenit motus gravitatis, qui in aqua cum motu liberationis à pressura conjungitur.

Lapis super aquam lateraliter jactus (ut pueri ludendo solent) resilit atque iterum & sæpiùs cadit, & ab aqua repercutitur. Etiam natantes cùm ex loco altiore in aquas se saltu dejiciunt, cavent sibi, ne in femorum juncturâ vi aquæ secentur. Denique aqua manu aut corpore fortiter percussa ferulæ aut corporis durioris instar verberat, & dolorem incutit. Atque in scaphis & carinis, quæ vi remorum aguntur, aqua remis ponè remiges trusa & pressa, non aliter scapham impellit, eamque prolabi & emicare cogit, quam cum conto ad littus posito scapha à littore summovetur. Neque enim ejus rei causa præcipua est, aqua ponè puppim scaphæ se colligens, & scapham in contrarium protrudens, quod ipsum tamen fit à pressura se laxante.

Aer ad evitandam pressuram omnia opera corporis solidi & robusti edit & imitatur, ut fit in ventis, qui naves agunt, arbores, domos evertunt, prosternunt, & similia. Etiam non alia vi, quàm ipsorum anhelitu cum balista cava & longa, quæ aeris compressionem juvet, jaculamur ictu nonnullo.

Pueri ad imitationem tormentorum alnum excavant, & partes radicis Iridis, aut papyri globulati ad utrumque siphonis finem infarciunt, deinde cum embolo ligneo globulum protrudendo emittunt, globulus autem ulterior emittitur cum sono & impetu, antequam ab Embolo ullo modo tangatur à vi aeris inclusi & compressi.

Aer impulsu densatus frigidior, & magis ad naturam aquæ appropinquans videtur, ut cum flabris ventum facimus, aut concitato gradu aerem impellendo rursus reflantem sentimus, aut ore contracto frigidum spiramus, aut ex follibus ventum emittimus. Quin etiam sub dio ventis flantibus, major fit refrigeratio, quàm aere quieto & placido.

In sonorum generatione aer densatus corporis solidi naturam imitatur, nam quemadmodū inter duo corpora solida percussione sonus generatur, ita etiam inter corpus solidum & aerem densatum fit sonus, & rursus inter aerem densatum, & alium aerem ex adverso densatum. Nam in Instrumentis Musicis cum chordis manifestum est, sonum non emitti ex tactu seu percussione inter digitum vel plectrum & chordam, sed inter chordam & aerem. Chorda enim cùm resilit, idque motu celerrimo propter intensionem, aerem primo densat, dein percutit. Instrumenta autem ex spiritu, propter infirmiorem motum spiritus, quàm chordæ, necesse habent, ut formâ sint cavâ & conclusâ ad juvandam compressionem aeris; quod etiam in Instrumentis cum chordis juvamenti loco adhibetur.

Aqua arctata & constipata magno impetu se laxat & diffundit in latera, ut latitudinem debitam consequatur, ut sub arcubus pontium. Simili modo & ventus per angustias densatus invalescit & furit. Adversi autem gurgites aquarum turbines aquarum generant verticosos, ut quoniam debita relaxatio fieri non potest, singulæ partes pressuram ex æquo tolerent.

Aqua ex angustiis subito violenter emissa corporis continui veluti fili aut virgæ, aut trunci imaginem refert, & fit primum directa, post arcuata, deinde se scindit, & in guttas hinc illinc in orbem se disperdit, ut in fistulis sive syringis & impluviis.

Est genus turbinis in paludibus non infrequens, præsertim post fœnum demessum, aut saltem ex ea occasione se ad conspiciendum præbens. Iste typhon quandoque cumulum fœni in aerem sublevat, & ad tempus ferè unitum & non multum dispersum evehit, donec postquam ad altitudinem magnam evectum sit, fœnum conopei instar distendat & spargat.

Catinum ligneum vacuum versum, & ad superficiem aquæ æqualiter appositum, & postea sub aquam demersum, secum portat usque ad fundum vasis aerem universum, qui antea in catino continebatur: quod si cum simili æquilibrio rursus ex aqua educatur, invenias aerem in non multo minus spatium, quam antea implebat, se recepisse, quod ex coloratione labri catini ad locum, quo aqua adscenderat, & à quo introrsum aer se receperat, manifestum erit.

In cubiculo, ubi ventus flarit apertâ fenestrâ, si non detur exitus ex aliqua alia parte, ventus, nisi vehemens fuerit, non admodum sentitur, cùm à corpore aeris, quod cubiculum impleverat, & sub primo flatu nonnihil densatum fuerat, & amplius densari recusat, non recipiatur; dato autem exitu tum demum manifestò sentitur.

Ad commodiorem moram operariorum, qui sub aqua opus aliquod moliuntur & peragunt, excogitatum fuit, ut dolium quoddam instar alvei pararetur ex metallo sive aliqua materia, quę fundum peterer, id tripode sustineretur pedibus ad labrum dolii affixis, qui pedes essent altitudinis minoris quàm staturæ hominis. Dolium istud in profundū dimittebatur, cum universo, quem continebat, aere, eo modo, quo de catino dictum est, & in pedes suos plantabatur & stabat, juxta locum, ubi opus faciendum esset. Urinatores autem, qui iidem erant operarii, cùm sibi respiratione opus esset, caput in cavum dolii inserebant, & recepto aere rursus ad opus se conferebant. Nos quoque in balneo famulum fecimꝰ caput suum in pelvim subter aquā cum aere depressam inserere, qui ad dimidium

quartæ

quartæ partis horæ sub eodem manſit, donec aërem ex anhelitu ſuo tepefactum ſenſum quendam ſuffocationis induxiſſe ſentiret.

Aër exiguam aliquam contractionem non ægrè admittit, id in veſica experiri res fallax eſt. Nam cùm inflatur veſica, denſatur ipſo flatu aër, ut aër intra veſicam denſior ſit, quàm aër communis, Ideoque non mirum eſt, ſi ad novam condenſationem ſit ineptior. Sed in experimento illo vulgari de catino ligneo ſubter aquam depreſſo cetni datur, aquam ſubintrantem ex extremo vaſis nonnihil occupaſſe, atque aërem tantidem ſpatii detrimentum feciſſe.

Sed ut de proportione magis liquidò conſtet; globulum, vel aliud corpus ſolidum, & ima petentem, in fundo vaſis poſuimus, ſuper quod Catinus imponendus eſſet, tum Catinum (metallicum ſcilicet non ligneum, quod in imo vaſis ſtare ex ſeſe poſſet) ſuperimpoſuimus. Quod ſi corpus illud exiguæ ſit magnitudinis, cùm in concavum catini recipitur, aërem contrudit, non extrudit. Quod ſi grandioris fuerit magnitudinis, quàm ut aër libenter cedat, tum aër, majoris preſſuræ impatiens, catinum ex aliqua parte elevat, & in bullis adſcendit.

Atque fieri fecimus Globum cavum ex plumbo lateribus non admodum exilibus, ut vim mallei vel torcularis ſuſtinere meliùs poſſet. Globus autem ille malleis percuſſus ad utrumque polum, ad planiſphærium magis & magis appropinquabat. Atque ſub primis concuſſionibus facilìùs cedebat, poſtea pro modo condenſationis, ægrìùs; ut ad extremum mallei non multum proficerent; ſed preſſorio, eoque forti opus eſſet. Verùm id præcepimus, ut à preſſuris aliqui dies interponerentur, quod in præſentia nihil attinet, ſed alio ſpectat.

Aër in vaſa clauſa exuctione forti extenditur ſeu dilatatur, adeò ut parte aëris ſublata reliquus aër tamen eandem menſuram impleat, quam totus impleverat, ita tamen ut magna contentione ſe reſtituere, & ab illa tenſura liberare nitatur. Id videre eſt in ovis, quæ aquam odoratam continent, & per luſum jaciuntur & franguntur, ut adperſione & odore ſuavi aërem imbuant. Modus autem eſt, ut parvo admodum facto in extremo ovi foramine, ovi cibum univerſum exſugant integra teſta; tum vero fortiter aërem ipſum, qui ſubintravit, exſuctione forti alligant, & ſtatim ſub exſuctione digito foramen obturent, atque ovum hoc modo clauſum ſubter aquam illam ponant, & tum demum digitum amoveant. Aer vero tenſura illa tortus, & ſe recipere nitens aquam trahit & introcipit, quouſque portio illa aeris antiquam recuperet conſiſtentiam.

Nos idem cum ovo vitreo experti ſumus, & aquam receptam circa octavam partem contenti reperimus; tantum ſcilicet aer per exſuctionem erat extenſus. Sed hoc pro violentia majore aut minore exſuctionis caſum recipit. Sub finem vero exſuctionis labrum ipſum trahebat. Sed præterea curanobis fuit novi experimenti, nimirum ut poſtquam exſuctio facta fuiſſet, foramen cera bene obturaretur, & ovum ita obturatum per diem, integrũ maneret. Ideo fecimus, ut experiremur, an mora illa appetitum aeris minueret, ut fit in rebus conſiſtentibus, viminibus, laminis ferreis & ſimilibus, quorum motus ad ſe recipiendum à tenſura, mora elangueſcit, ſed comperimus tantula illa morâ nihil effectum, quin ovum illud æquè fortiter ac ſimilem traheret aquæ quantitatem, ac ſi continuo ab exſuctione immiſſum eſſet; adeo ut etiam foramine illius aperto extra aquam novum aerem cum ſonitu & ſibilo manifeſto traheret, ſed effectum ulterioris moræ experiri negleximus.

In follibus ſi nullum detur ſpiraculum, & ſubitò folles eleventur & aperiantur, franguntur, ſcilicet cùm attrahi non poſſit per roſtri follium anguſtias tanta aeris quantitas, quæ ventrem à plano in altum ſubitò ſurgentem implere poſſit, nec aer, qui adeſt, in tantum extendi; unde ſequitur follium efractio.

HISTORIA.

SI aqua accipiatur in vitro ad mẽſuram juſtam, & locus, uſque quem aqua adſcenderit, ſignetur, & immittatur in aquam cinis communis per cribrum mundatus, & permittatur donec reſederit; videbis ſpatium in fundo cinere occupatum adſcendere quadruplo altius, quàm corpus aquæ in ſuperficie adſcenderit à loco priùs ſignato, ita ut manifeſtum ſit, aquam cum cinere commiſtam, aut ſphæram mutare & ſe contrahere, aut cinerem intra cava aquæ recipere, cùm nullo modo ſe expandat pro ratione cineris recepti. Verùm ſi hoc in arena vel tenuiſſima (ſed neutiquam calcinata aut combuſta) experieris, videbis aquam ſurgere in ſuperficie pari ſpatio ac arena ſurrexerit in fundo. Exiſtimamus etiam infuſiones pleraſque aquas onerare, neque tamen extendere pro mole corporis recepti; verùm hujus rei experimentum omiſimus.

MONITUM.

MOtum ſucceſſionis, quem motum, ne detur vacuum, appellant, nullo modo cum motu receptionis à tenſura confundimus. Sunt enim duo iſti motus tempore & opere conjuncti, ratione diverſi, ut in propria Hiſtoria ejus motus patebit.

Aer per reſpirationem receptus exigua mora ita naturam vaporis induit, ut & ſpeculum caligine quadam, & tanquam roſcida materia obducat, & frigore brumali circa barbam congeletur. Illa autem irroratio ſupra laminam enſis lucidam, aut adamantem, inſtar nubeculæ diſſipatur, ut corpus politum ſe veluti expurget.

Modus proceſſus aquæ circa expanſionem & contractionem, quæ fiunt in ejus corpore, mediante igne, hujuſmodi eſt. Aqua modico calore laceſſita vaporem pauxum & rarum emittit, antequam intra corpus ejus alia conſpiciatur mutatio, deinde continuato & aucto calore, corpore tamen integro, non inſurgit, nec etiam bullis minutioribus in modum ſpumæ effervescit, ſed per bullas majores adſcendens in vaporem copioſum ſe ſolvit, citò autem evolat aqua & abſumitur. Atque vapor ille, ſi non impediatur, aëri ſe miſcet, primum conſpicuus, etiam poſtquam conſpectum effugerit, ſenſibilis, vel odorem fundendo, vel etiam aërem ad tactum & anhelitum humectando & leniendo. Tandem verò intra pelagus illud aeris ſe condit & diſperdit. Quod ſi priùs occurrat corpus ſolidum (& eò magis ſi æquale fuerit & politum) vapor ille ſe ipſe ſubingreditur, & in aquam reſtituitur excludendo ſive excernendo aerem, qui priùs vapori immiſtus fuerat. Atque univerſus ille proceſſus & in decoctione aquæ, ut in deſtillatione fit manifeſtus. Sed porrò videmus vapores, quid

terra

terra emittuntur, si penitùs à calore Solis dissipati atque edomiti non fuerint, neque ab aëris frigore fortassè corpori ipsi aëris æqualiter commisti, licet corpori solido non occurrant, tamen à frigore & ipsa caloris destitutione, in aquam restitui, ut in rore vespertino præsentiùs, in pluviis tardiùs fit. Ex æstimatione eaque diligenti statuimus, expansionem aëris, si ad aquam conferatur, ad rationem centuplam, vicecuplam aut circiter accedere.

Historia Exporrectionis Materiæ in pneumaticis.

Phialam vitream accepimus, quæ unciam fortasse unam capere posset; parvitatem autem vasis duas ob causas experimento convenire existimavimus, unam, quod minore cum calore ad bullitionem properaret, ne fortè calore intensiore vesica, quæ superimponenda esset, adureretur atq; exsiccaretur; alteram, ut minorem portionem aëris in ea parte, quæ aqua implenda non esset, caperet; cùm ipsum aërem extensionem per ignem suscipere propè cognosceremus. Itaque ut illa extensio rationes aquæ minus disturbaret, non multum aëris adhiberi consultum putavimus. Phiala autem erat ejus figuræ, non quæ collum rectum haberet sine limbo sive labro (nam in hujusmodi phiala aquæ vapor citiùs destillaret, & in partem vesicæ collo phialæ conjunctam ros incumberet & delaberetur) sed quæ collum haberet paululum primo adductum, & deinde tamquam reversum cum labro. Hanc phialam ad dimidiam non amplius (existimantes hoc etiam ad celeritatem bullitionis conferre) aquâ implevimus, atque pondus aquæ cum phiala ipsa exactè notavimus per arenam in bilance immissam; deinde vesicam accepimus, quæ circiter pintam dimidiam contineret. Eam accepimus non veterem neque siccam & per siccitatem magis renitentem, sed recentem & molliorem, vesicam autem primò in sufflando probavimus an integra esset, ne fortè foramina haberet; postea ex eadem aërem omnem, quoad fieri potuit, expressimus. Etiam prius vesicam oleo extra oblivimus, & oleum quoq; fricatione nonnulla recipi fecimus. Hoc eo pertinebat, ut vesica clausior esset, ejus si qua erat porositate oleo obturata. Hanc vesicam circa os phialæ, ore phialæ intra os vesicæ recepto, fortiter ligavimus, filo parum cerato, ut meliùs adhæresceret & arctiùs ligaret. Sed hoc ipsum melius fit luto ex farina & albumine ovi facto & cum papyro nigra ligato & benè siccato, ut experti sumus. Tum demum phialam supra carbones ardentis in foculo collocavimus. Aqua non ita multò post bullire incepit, ac paulatim vesicam ex omni parte sufflare, & ferè ad rupturam usque extendere. Continuo vitrum ab igne removimus, & super tapetem posuimus, ne frigore vitrum disrumperetur; & statim in summitate vesicæ foramen acu fecimus, ut vapor cessante calore in aquam restitutus recideret ac rationes confunderet. Postea verò vesicam ipsam cum filo sustulimus, lutum autem si adhibitum fuerat, expurgavimus, tum rursus aquam, quæ remanserat, cum phiala sua ponderavimus; comperimus autem circiter pondus duorum denariorum per vaporem absumptum fuisse. Quicquid autem corporis vesicam, cùm sufflata esset, impleverat, ex illo, quod de aqua perditum fuerat, factum & productum fuisse cognovimus. Itaq; materia cùm in corpore aquæ contracta fuisset, tantum implebat spatii, quantum pondus 2. denariorum corporis aquæ implebat, at eadem materia in corpore vaporis expansa dimidiam pintam implebat. Itaque secundùm dimensionem in tabula expressam rationes subduximus; vapor aquæ ad corpus aquæ habere potest rationem octogecuplam, Vesica eo, quo diximus, modo sufflata, si nullum detur spiraculum, sed integra ab igne removeatur, statim ab inflatione illa decrescit, & subsidet, & contrahitur. Vapor, dum vesica turget, ex foramine emissus aliam ferè speciem à vapore communi aquæ habebat, magis raram & perspicuam, & erectam, nec cum aëre tam citò se miscentem.

MONITA.

NE quis putet, si major fuisset aquæ absumptio, tanto majorem vesicam impleri potuisse: nobis enim hoc expertis res non successit, sed inflatio quæ fit, ferè confertim fit, nec gradatim. Id partim adustioni vesicæ tribuimus, quæ facta est obstinatior nec cedebat facil., & erat fortè porosior: (hoc verò calore humido, ut balneo Mariæ, corrigi poterat) sed illud magis in causa esse putamus, quod vapor copiosior factus per successionem continuam, vergit ad restitutionem & seipse condensat. Itaque nec est æquiparandus vapor iste, qui in vesicam recipitur, vaporibus qui intra clibona recipiuntur, quia illi se mutuo subsequentes & trudentes densant, isti verò à vesicæ mollitie & cessione, præsertim sub initiis (ut diximus) antequam copia restitutionem incitet, se expandunt ut volunt.

Expansio vaporis aquæ omninò non est judicanda ex adspectu vaporis, qui in aerem evolat; ille enim vapor statim cum aere mistus longè maximam corporis misti dimensionem ab aere mutuatur, nec sua stat mole. Itaque amplificatur ad molem quampiam aeris, in quem recipitur, ad exemplum parvæ portionis vini rubei, aut alterius rei infectæ & coloratæ, quæ magnam quantitatem aquæ tingit. Rationes exactæ in tanta subtilitate, nec sine inutili & curiosa indagine haberi possunt, nec ad id quod agitur magnoperè juvant. Satis est, ut pateat ex hoc experimento, rationem vaporis est aquam non esse duplam, non decuplam, non quadragecuplam, non rursus millecuplam, non ducentuplam, &c. Termini enim Naturarum, non gradus in præsentia investigantur. Itaque si quis suo experimento in ratione istam octogecuplam, (vel propter figuræ Vitri differentiam, vel propter vesicæ duritiem, aut mollitiem, vel propter caloris modum) non incidat, id rem nullius esse momenti sciat. Nemo erit (existimamus) tam imperitus, qui putet pneumatica & volatilia, quæ ex corporibus ponderosis evolant, latere in poris eorundem corporum, nec esse illam ipsam materiam, quæ ponderosa erat, sed à ponderosa parte separari, cùm aqua quasi tota consumatur, & ad nihilum evaporet. Pruna ardens si in bilance ponatur, & usque ad exstinctionem permittatur ut sit carbo, longè levior invenietur. Metalla ipsa per evolationes fumorum pondere insigniter mutantur. Itaque prorsus eadem materia numero tangibilis est & pondere dotatur, & fit pneumatica & pondus exuit.

HISTORIA.

MOdus processus olei talis est: si accipiatur oleum in phiala vitrea vulgari, & ponatur super ignem, tardius multò bullire incipit, & majorem calorem, ad hoc ut bulliat, desiderat, quàm aqua.

aqua. Ac primò guttulæ quædam aut granula per corpus olei sparsa apparent, adscendentia cum crepitatione quadam; Interim nec bullæ in superficie ludunt, ut in aqua fit, nec corpus integrum mole insurgit, nec quicquam ferè halitus evolat, sed paulo post corpus integrum inflatur, & dilatatur proportione notabili tamquam ad duplum insurgens. Tum demum copiosissimus & spissus evolat halitus: ad illum halitum si flamma admoveatur, etiam bono spatio supra os phialæ, flammam halitus continuò concipit, atque statim ad os phialæ descendit, atque ibi se figet, & perpetuò ardet. Quod si etiam majorem in modum calefactum fuerit oleum ad extremum halitus ille extra vitrum flammans absque flamma aut copore aliquo ignito admoto, prorsus se ipse inflammat & expansionem flammæ induit.

MONITUM.

VIdendum est, ut phiala sit oris angustioris, ut fumus constringat, ne aëre se statim ac largiter miscentes naturam inflammabilem deponant.

HISTORIA.

MOdus processus spiritus vini talis est. Ille minore multo calore excitatus & celeriùs ad expansionem se comparat, eamque præstat, quam aqua. Ebullit autem magnis utique bullis absque spuma, aut etiam totius corporis elevatione, vapor autem ejus dum confertus est, in bona ab ore vitri distantia, flammâ admotâ flammam concipit, non tam lucidam certè & benè compactam, quàm oleum, sed tenuem & jejunam, cœruleam quoque & ferè perspicuam. Inflammatus autem fertur ad os vitri, ubi pabuli magis copiosi datur subministratio, quemadmodum & oleum. Verum tamen si inflammetur vapor in parte ab ore vitri nonnihil deflectente in obliquum, fit inflammatio in aëre pensilis, undulata, aut arcuata, imaginem vaporis secuta, & procul dubio longius ipsum comitatura, si vapor ille constipatus maneret, nec cum aëre se confunderet. Atque corpus ipsum spiritus vini nullo præcedente vapore notabili, flammâ admotâ & parum immorante, in flammam ejusque expansionem mutatur, eò citius & facilius, quò spiritus latius diffusus sit, & minorem occupet altitudinem. Quod si spiritus vini in cavo palmæ manus ponatur, & candela accensa inter digitos juxta palmam collocetur (ut pueri cum pulvere resinæ ludere solent) & spiritus ille leviter proijciatur, & prorsum non sursum directo, ardet corpus ipsum in aëre, & accensum interdum descendit recta, interdum nubeculam in aëre volitantem explicat, quæ tamen ipsa ad descensum vergit, interdum ad tecti fastigium, vel latera, vel pavimentum, utique inflammatum, adhærescit & ardet, & sensim exstinguitur.

Habent autem Acetum, Agresta, Vinum, lac, atque alii, liquores simplices (ex vegetabilibus & Animantibus, dico, nam de mineralibus seorsim memorabimus) suos expansionum modos, atq; in iis notabiles nonnullas differentias, quas hoc loco referre supervacuum visum est. Versantur autem istæ differentiæ in illis naturis, quas in processibus aquæ & olei & spiritus vini notavimus; gradu nempe caloris, & modo expansionis, quæ triplex est, vel toto corpore, vel spuma, vel bullis majoribus. Nam pinguia ferè toto corpore; succi immaturi, ut agresta, bullis majoribus; succi effœti, ut acetū, minoribus ascendunt. Etiam congregatio spiritus situ differt. Nam in vini bullitione bullæ circa medium; in aceto circa latera se cōgregare in ebullitione primo incipiunt, quod etiam in vino maturo & forti & vapido rursus aut fugiente, cum infunduntur, fieri solet.

Omnes autem liquores, etiam oleum ipsum, antequam bullire incipiunt, paucas & raras semibullas circa latera vasis jaciunt. Atque illud etiam omnibus liquoribus commune est, ut parva quantitate citiùs bulliant, & absumantur, quàm magna.

MONITUM.

LIquores manifestè compositos, ad Historiam expansionis & coitionis Materiæ mediante igne, haud idoneos aut proprios, existimavimus, quia separationibus & misturis suis rationes simplicis expansionis & coitionis disturbant & confundunt. Itaque illos ad propriam Historiam separationis & misturæ obligationis.

HISTORIA.

SPiritus vini in experimento positus, cum pileo illo tensibili, (quem, cùm de aqua loqueremur, descripsimus) hujusmodi sortitus est expansionem. Comperimus pondus 6. denariorum consumptum, & in vaporem solutum, vesicam grandem, quæ 8. pintas capere posset, expleviſse & fortiter inflasse; quæ vesica decuplo-sextuplo erat major, quàm vesica illa, qua ad aquam usi sumus, quæ dimidiam pintam tantùm recipiebat. Sed in experimento aquæ ponderis solummodò 2. denariorum facta erat consumptio; quæ tertia tantùm pars est denariorum sex. Ita supputatis rationibus, expansio vaporis spiritus vini ad expansionem vaporis aquæ, quintuplam rationem habet, & amplius. Neque tamen obstabat immensa ista expansio, quin vase ab igne remoto, corpus ad se restituendum properaret, vesica continuò flavescente, & se insigniter contrahente. Atque ex hoc experimento corporis flammæ expansionem æstimare cœpimus, conjectura non admodum firma, & tamen probabili. Cùm enim vapor spiritus vini res sit tam inflammabilis, atque ad naturam flammæ tam prope accedat, judicavimus rationes vaporis spiritus vini ad flammam, cum rationibus vaporis aquæ ad aërem convenire. Quales enim se ostendunt rationes rudimentorum, sive corporum imperfectorum & migrantium (vaporum scilicet) tales etiam evadere corporum perfectorum & statariorum, (flammæ scilicet & aëris) consentaneum est. Ex quo sequetur, flammam aërem raritate sive expansione materiæ quintuplo & ampliùs superare. Tanto enim se invicem superant vapores sui, ut dictum est; flamma verò ipsa ad proprium vaporem, non impurum sed summè præparatum sesquialteram rationem habere potest, ut aërē item ad vaporem aquæ summæ præparatum habere posuimus.

Neque hæc multum discrepant, ab iis, quæ visu obiter percipiuntur, & familiariter occurrunt. Nam si candelam ceream accensam flatu exstinguas, & fili illius fumei, qui adscendit (in ima parte antequam dispergatur) dimensionem animadvertas; & candelam prope flammam admoveas, & rursus portionem flammæ, quæ primò allabitur, contempleris, eam fumi magnitudinem non multo plus quàm duplo excedere judicabis; & tamen ille fumus impurior est, & pressior. Quod si pulveris

pulveris tormentarii corporis dimensionem diligenter notes, aut ad meliorem conjecturam in situla metiaris, atque rursus postquam flammam corripuerit, dimensionem flammæ suæ advertas: flammam, corpus (quomodo hujusmodi res subito intuitu comprehendi possit) mille vicibus superare non admodum negabis. Atque hujusmodi quædam proportio flammę ad nitrum, ex iis, quæ prius posuimus, debetur. Verum de his cum ad observationes nostras super hanc Historiam ventum erit, clarius explicabimus.

Aërem ipsum expandi & contrahi ex calore & frigore in ventosis, quibus utuntur Medici ad attractionem, luculenter videmus. Illæ enim super flamma calefactæ, & continuo ad carnem applicatæ, carnem trahunt, contrahente se & restituente paulatim aëre. Atque hoc operatur ex sese, licet stuppa immissa atque inflammata non fuerit, qua ad vehementiorem attractionem uti solent. Quin etiam si spongia frigida infusa ventosis superimponatur extetius, tanto magis se contrahit aër virtute frigoris, & fortior fit attractio.

Salinum argenteum, quale forma campanili vulgatissima ad mensæ usum adhibemus, in lavacro aut patera aqua plena collocavimus, aërem depressum secum una ad vasis fundum vehens. Tum prunas ardentes duas aut tres in concavo illo parvo, quod saltem excipere solet, posuimus, atque ignem flatu excitavimus. Evenit autem non multo post, ut aër per calorem rarefactus, & antiquæ sphæræ impatiens, salini fundum ex aliquo latere elevaret, & in bullis adscenderet.

Hero describit altaris fabricam, eo artificio, ut superimposito holocausto & incenso, subito aqua decideret, quæ ignem exstingueret. Id non aliam poscebat industriam, quam ut sub altare loco cavo & clauso aër reciperetur, qui nullum alium (cum ab igne extenderetur) inveniret exitum, nisi qua aquam in canali ad hoc paratam impelleret & extruderet. Erant etiam Batavi quidam nuper apud nos, qui organum quoddam Musicum confecerant, quod radiis Solis perculsum symphoniam quandam edebat. Id ab aëris tepefacti extensione, quæ principium motus dare potuit, factum fuisse verisimile est, cum certum sit, aërem vel exigui admodum calotis contactu lacessitum expansionem statim moliri.

Verum ad magis accuratam expansionis aëris notitiam ad vesicam illam sensibilem versi, vitrum accepimus vacuum (scilicet aëre solo impletum) ei pileum illum ex vesica (de quo jam antea locuti sumus) imposuimus. Vitro autem super ignem imposito, celerius & minore calore se extendebat aër, quam aqua aut Spiritus vini; sed expansione non admodum ampla. Hanc enim proportionem ferebat: si vesica ex semisse minoris contenti erat, quã vitrum ipsum, aër illam fortiter sane & plane inflabat. Ad majorem expansionem non facile ascendebat; foramine autem in summitate vesicæ, dum inflaretur, facto, nullum exibat corpus visibile.

SCALA INTELLECTUS
Sive
FILUM LABYRINTHI.

DIFFICILIS sane foret reprehensio eorum, quibus nihil sciri placuit, si decretum durum interpretatione molliore correxissent. Si quis enim asserat, hoc ipsum scire recte acceptum, esse per causas scire, causarum autem cognitionem gliscere, & serie & veluti catena perpetua ad notissima Naturæ scandere, adeo ut particularium rerum cognitio absque exacta universæ Naturæ comprehensione, proprie non absolvatur; non facile invenias, quod sano cum judicio contradici possit. Nam & veram alicujus rei Scientiam haberi posse, antequam Mens in causarum explicatione plane consistat, minus consentaneum; & perfectam Universi cognitionem humanæ Naturæ attribuere atque asserere, temerarium fortasse quiddam, atque impotentis cujusdam animi censeri possit. Verum illi contra nulla hujusmodi usi interpretatione aut moderatione, Sensuum oracula prorsus prophanare non veriti sunt, quod cum summa rerum desperatione conjunctum est. Quod si verum omnino dicendum sit; etiamsi ab hac calumnia abstinuissent, tamen hæc ipsa lis intempestive & contentiose mota videatur, cum citra istam quam intelligere videantur ipsissimam veritatem, tantus humanæ industriæ pateat campus, ut sit res præpostera & quasi mentis commotæ & perturbatæ, de extremis obtinendis sollicitum, tantas in medio sitas utilitates prætermittere. Nam utcunque per *veri & probabilis* distinctionem, Scientiæ certitudinem destruere, usum retinere, videri volunt, atque quoad Activam partem, delectum rerum illæsum relinquere; tamen sublata ex animis hominũ veritatis exquirendæ spe, procul dubio nervos inquisitioni humanæ inciderunt, & promiscuã quærendi licentia, inveniendi negotium, in exercitationem quandam Ingenii & disputationis verterunt. Veruntamen negare plane non possumus, quin si qua nobis cum Antiquis intercedat societas, ea cum hoc genere Philosophiæ maxime conjuncta sit; cum multa ab illis de Sensuum variationibus, & judicii humani infirmitate, & de cohibendo & sustinendo assensu, prudenter dicta & animadversa probemus; quibus etiam innumera alia, quæ eodem pertinent, adjungere possemus; Adeo ut inter nos & illos hoc tantum intersit, quod illi nil vere sciri posse prorsus, nos nil vere sciri posse eã quã adhuc gens humana ingressa est via, statuamus. Neque vero hujus societatis nos pudet. Si enim in hunc cœtum recipiantur non solum ii, qui sententia & placito hoc tenent & opinantur, sed & illi, qui idem aut forma ipsa interrogandi & objiciendi præ se ferunt, aut conquerendo de rerum obscuritate, & indignando fatentur & quasi clamant, aut secreto animo agitant, & raris & occultis vocibus veluti insusurrant, invenias in hoc numero Viros ex Antiquis longe maximos, & contemplationum principes, in quorum consortium includi neminem pœniteat. Pronuntiandi enim confidentiam fortasse unus aut alter ex antiquis usurpavit, neque tamen invaluit ea ipsa, nisi haud ita pridem barbaris seculis nuc autem factione quadam, atque consuetudine & incuria retinetur. Sed tamen rursus in hac, de qua diximus, societate facile quis perspexerit, nos erga illos viros intimis opinionum conjunctos, exitu in immensum divisos esse. Etsi enim primo non multum dissentire videamur, quod illi in competentiam humani Intellectus simpliciter, nos sub modo asseramus; nihilominus huc res redit, ut illi nullum huic malo remedium invenientes aut speranteres, negotium deserant, & sensus certitudinem

invadendo, scientiam ab imis fundamentis evertāt: Nos novam viam afferentes, tum sensus, tum mentis errores regere & restituere conemur. Itaque illi jactam arbitrati aleam, ad ingenii quandam peregrinationem liberam & amœnam se vertunt; nobis ex opinione nostra difficilis & remota obvenit provincia, quæ ut generi humano felix & fausta sit, perpetuo precamur. Itaque initia viarum secundo libro descripsimus; easdem ipsi continuo ingressi. Tertio Phænomena Universi & Historiam tractavimus; in quo certe Sylvas Naturæ, & variatione infinita expetimentorum veluti foliis opacas & obscuras, & observationum subtilitate, veluti virgultis & vepribus implicatas penetravimus & præterivimus. Atque nunc ad magis aperta fortasse, sed tamen ad magis ardua pervenimus, ex Sylvis scilicet ad Radices Montium. Nam ab Historia ad universalia certo atque constanti tramite (licet via nova & intentata) ducemus. Atque certe non male in vias contemplationum conveniret illud celebre & decantatum apud antiquos bivium Vitæ Activæ, ex quo via altera primo ingressu plana & facilis ducebat ad prærupta & impervia; Altera à principio ardua & suspensa in plana desinebat. Nam eodem prorsus modo, qui jam inde à prima inquisitione immobilia quædam in scientiis principia prensabit, quibus acquiescens cætera veluti pro otium expediat, illum, si modo pertexerit, nec nimium sibi placens aut diplicēs ab inquisitione desistiterit, prioris viæ fortuna manet. Qui autem judicium cohibere & gradatim ascendere, & rerum, veluti Montium juga, unum primo, deinde alterū, ac rursus alterum superare cum patientia vera & indefessa sustinuerit, ille ad summitates & vertices Naturæ mature perveniet, ubi & statio serena, & pulcherrimus rerum prospectus, & descensus molli clivo ducens ad omnes practicas. Itaq; consilium nostrum est, veræ & legitimæ de rebus inquisitionis (ut in secundo libro præcepta) ita hic exemplaria proponere & describere pro varietate subjectorum; idque ea forma, quam cum varietate summum consensum habere putamus, atque ut probatam & electam tradimus. Neque tamen more apud homines recepto, omnibus hujus formulæ partibus necessitatem quandam attribuimus, tamquam unicæ essent & inviolabiles. Neq; enim hominum industriam & felicitatem veluti ad columnam alligandas existimamus. Atq; nihil officit, quominus ii, qui otio magis abundant, aut à difficultatibus, quas primo experientem sequi necesse est, liberi jam erunt, rem monstratam in potius perducant. Quin contra, Artem veram adolescere statuimus,

---

PRODROMI
Sive
ANTICIPATIONES PHILOSOPHIÆ SECUNDÆ
PRÆFATIO.

EXISTIMAMUS eum & amantis civis & viri prudentis personam bene simul sustinuisse, qui interrogatus an optimas leges suis civibus dedisset, optimas certe dixit ex iis, quas illi accepturi fuissent. Atque certe quibus non tantum bene cogitasse satis est (quod non multo secus est ac bene somniasse) nisi obtineant quoque & rem ad effectum perducant, iis non optima utique, sed ex iis, quæ probari verisimile est, potissima quandoque eligenda sunt. Nobis vero licet Humanam Rempublicam, Patriam communem, summo prosequamur amore, tamen legislatoria illa ratione, & delectu uti liberum non est. Neque enim leges Intellectui aut rebus damus ad arbitrium nostrum, sed tamquam scribę fideles ab ipsius Naturæ voce latas & prolatas excipimus & describimus. Itaque sive illæ placeant, sive per opinionum suffragia antiquentur, fides nostra omnino exsolvenda est. Neque tamen spem abjecimus, quin atque exoriantur apud posteros nonnulli, qui optima quæque capere & concoquere possint, & quibus ea perficere & colere curæ erit. Itaque ad illa ipsa tendere, atque fontes rerum & utilitatum aperire, & viarū indicia undique conquirere (invocata Numinis ope) nunquam, dum in vivis erimus, desistemus. Idem nos de eo, quod ad omnes pertinere, & in commune prodesse possit, solicitudum ad majora contendimus, minora non aspernamur (cum illa remora, hæc parata esse soleant) nec potiora (ut arbitramur) afferentes, ideireo Veteribus ac receptis, quo minus illa apud plurimos valeant) intercedimus; quin etiam ea ipsa & aucta & emendata, & in honore esse cupimus. Neque enim homines aut omnes aut omnino, aut statim à receptis & creditis abducere conamur. Sed quemadmodum sagitta aut missile fertur certe in processu, sed tamen interim conversiones suas perpetuo expedit progrediendo & nihilominus rotando; ita & nos dum ad ulteriora rapimur, in receptis & cognitis volvimur & circumferimur. Quamobrem nos quoque Rationis ipsius communis & demonstrationum vulgarium (abdicato licet imperio earum (honesta opera utimur; atque ea quæ nobis secundum eas inventa & judicata sunt, quæque plurimum & veritatis & utilitatis habere possunt, pari cum cæteris jure proponemus. Sed tamen neque per hoc iis, quę de Rationis nativæ & Demonstrationum Veterum incompetentia dicta sunt, derogatum quidquam intelligimus. Quin hæc potius adjunximus, ad tempus & gratiam eorum, qui justa excusatione aut virium, aut occupationum retardati, Contemplationes suas intra Veteres Scientiarum plagas & provincias, aut saltem earum confinia contermina sistere volent; Eadem iis, qui veram Naturæ interpretationem secundum indicia nostra accedent, eamque molientur, loco diverticulorum, aut tabernaculorum in via præbitorum ad solatium & levamentum esse queant, atque interim humanas fortunas aliqua ex parte juvare, & Mentes cogitationibus, quæ paulo arctiorem cognationem habeant cum natura, perfundere. Id vero ex facultate aliqua nostra, aut ejus fiducia, minime ominamur. Verum nobis dubium non est, si quis mediocris licet ingenii, sed tamen animi maturus, Idola mentis suæ deponere, atque Inquisitionem de integro sibi decernere, atque inter vera Historiæ Naturalis atque ejus calculos attente & diligenter, & libere versari velit, & possit; quin ipse, quisquis sit, longe altius in Naturam penetraturus sit ex sese, & propriis & genuinis Mentis viribus, denique ex meis Anticipationibus suis, quam per omnigenam Authorum lectionem, aut meditationem abstractam infinitam, aut disputationes assiduas & repetitas; etsi machinas non admoverit, nec interpretandi formam secutus fuerit. Quare & simile quippiam nobis usu venire posse non diffidimus; præsertim cum accedat Interpretandi experimentum & exercitatio, quamipsum habitum Mentis corrigere & mutare probabile est. Neque tamen hæc in eam partem accipi volumus, si fidem, quam Antiquorum placitis denegavimus, nostris adhiberi postulemus. Quin contra testamur & profitemur, Nos ipsos istis, quę jam proponemus, qualiacunque ea sint, teneri minime velle, ut omnia Philosophiæ nostræ secundæ & Inductivæ tamquam integra serventur. Cogitata autem ipsa spargere, non Methodo revincere visum est. Hæc enim forma, pubescentibus tamquam à stirpe de integro Scientiis debetur; atque ejus est, qui non Artem constituere ex connexis, sed Inquisitionem liberam instituere in singulis, in præsentia tantum velit.

COST.

COGITATIONES
DE
NATURA RERUM.

De Sectione corporum, Continuo, & Vacuo.

COGITATIO I.

DOCTRINA Democriti de Atomis aut vera est, aut ad demonstrationem utiliter adhibetur. Non facile enim est Naturæ subtilitatem genuinam, & qualis in rebus ipsis invenitur, aut cogitatione complecti, aut verbis exprimere, nisi supponatur Atomus. Accipitur autem duobus sensibus Atomus, non multum inter se diversis. Aut enim accipitur pro corporum sectionis sive fractionis termino ultimo, sive portione minima: aut pro corpore quod vacuo caret. Quod ad primum attinet, hæc duo posita, tuto & certo statui possunt. Alterum, inveniri in rebus dispertitionem & comminutionem longe ea, quę sub aspectum cadit, subtiliorem. Alterum, eam tamen infinitam non esse, nec perpetuo divisibilem. Si quis enim diligenter attendat, reperiet rerum minutias in corporibus continuatis eas, quæ in corporibus fractis & discontinuatis inveniuntur, subtilitate longe vincere. Videmus enim parum Croci in aqua infusum & agitatum, puta dolium aquæ, ita inficere, ut ab alia aqua pura, etiam visu distingui possit. Quæ certe dispertitio Croci per aquam, subtilitatem exquisitissimi pulveris superat. Quod manifestum fiet, si tantundem pulveris ligni Brasilii, vel Balaustiorum, vel alicujus rei optime coloratæ (quæ tamen Croci lentorem ad se in liquoribus aperiendum & incorporandum, non habeat) immisceas. Itaque ridiculum erat, Atomos pro parvis illis corpusculis, quæ sub radiis Solis conspiciuntur, accipere. Ea enim pulveris instar sunt, Atomum autem, ut ipse Democritus ajebat, nemo unquam vidit, aut videre possit. Sed ista rerum dispertitio in odoribus multo magis mirabilem se ostendit. Etenim si parum Croci dolium aquæ, colore; at parum zibethi cænaculum amplum, odore imbuere, & inficere potest, & subinde aliud, & rursus aliud. Neque quisquam sibi fingat, odores, luminis more, aut etiam caloris & frigoris, absque communicatione substantiæ diffundi; cum notare possit, odores etiam rebus solidis, lignis, metallis, adhærescere, idque ad tempus non exiguum; posse etiam frictione, lavatione ab iisdem discuti & purgari. Verum in hisce & similibus, quod processus infinitus non sit, nemo sanus contradixerit, cum intra spatia & limites, & corporum quantitates, hujusmodi dispertitio sive diffusio cohibeatur; ut in exemplis antedictis evidentissimum est. Quod ad secundum sensum Atomi attinet, quod vacuum præsupponit, atomumque ex privatione vacui definit; bona & seria diligentia Heronis fuit, quæ vacuum coacervatum negavit, vacuum commistum asseruit. Cur enim perpetuum corporum nexum cerneret, neque inveniri prorsus aut assignari spatium aliquod, quod corpore vacet; & multo magis, cum corpora gravia & ponderosa sursum ferri, & naturas suas quoquo modo deponere & violare potius quam divulsionem absolutam à corpore contiguo patiantur, videret; Naturam à vacuo majoris notæ sive coacervato abhorrere prorsus statuit. Contra, cum eandem corporis materiam contrahi, & coarctari, & rursus aperiri & dilatari perspiceret, & spatia inæqualia interdum majora, interdum minora occupare & complere; non vidit quomodo hujusmodi ingressus & egressus corporum in locis suis fieri possit, nisi propter vacuum admistum, minus videlicet, corpore compresso, plus relaxato. Necesse enim esse, contractionem istam per unum ex his tribus modis fieri, aut eo, quem diximus, nempe quod vacuum pro ratione Contractionis excludatur; aut quod aliud aliquod corpus prius intermixtum exprimatur; Aut quod sit quædam Naturalis (qualis qualis ea sit) corporum condensatio & rarefactio. Atq; quod ad corporis tenuioris expressionem attinet, ista ratio nullum exitum habere videtur. Nam verum est, spongias & hujusmodi porosa, expresso aëre contrahi. De aëre ipso autem manifestum est per plurima experimenta, cum spatio notabili contrahi posse. Num ergo & ipsius aëris subtiliorem partem exprimi putandum est? & deinceps hujusmodi partis aliam, & sic in infinitum? Nam adversissimum tali opinioni est, quod quo tenuiora corpora sint, eo majorem contractionem sustineant, cum contra fieri oporteret, si contractio per expressionem partis tenuioris fieret. Atque de illo altero modo, corpora scilicet eadem, nec alias mutata, tamen magis & minus in raritate aut densitate recipere, non multum laborandum est. Positivum enim quiddam videtur esse, & ratione surda, & inexplicata niti, qualia sunt fere Aristotelis pronuntiata. Restat itaque tertius ille modus, qui vacuum supponit. Quod si illud quis objiciat, Durum videri & fere incredibile, ut vacuum admistum sit, cum corpus ubique reperiatur; is si exempla, quæ modo adduximus, aquæ, croco, vel aëris odoribus insecti, animo sedatiore consideret, facile perspiciet, nullam partem posse assignari aquæ, ubi crocus non sit, & tamen manifestum esse ex comparatione croci & aquæ antequam miscerentur, corpus aquæ, corpo croci, multis numeris excedere. Quod si id in diversis corporibus invenitur, multo magis in corpore & vacuo hoc fieri putandum est. Verum in ea parte *Heronis*, utpote hominis Mechanici, contemplatio illa *Democriti* Philosophi clarissimi inferior fuit: quod *Hero*, quia hic apud nos in nostro isto orbe vacuum coacervatum non reperit, ideo illud simpliciter negavit. Nil enim impedit, quo minus in regionibus ętheris, ubi proculdubio majores sunt corporum expansiones etiam vacuũ coacervatum sit. In iis autem Inquisitionibus & similibus semel monitum sit, ne quis propter tantã Naturæ subtilitatem confundatur & diffidat. Cogitet enim & unitates & summas rerum ex æquo supputationi submitti. Tam facile enim quis mille annos dixerit, aut cogitaret, quam mille momenta; cum tamen anni à multis momentis constituantur. Neque rursus existimet aliquis, hæc potius speculationis curiosæ esse, quam ad opera & usum referri. Videre enim est omnes fere Philosophos & alios qui in Experientia & rebus particularibus

sedulò versati sunt, & Naturam ad vivum dissecuerunt, in hujusmodi Inquisitiones incidere, licet eas feliciter non peragant. Neque alia subest causa potentior & verior, ob quam Philosophia, quam habemus, effectuum sit sterilis, nisi quod verborum & notionum vulgarium subtilitates captavit; Naturæ subtilitatem non persecuta est, nec inquirere constituit.

De æqualitate ac inæqualitate Atomorum sive Seminum.

II.

PYthagoræ inventa & placita talia ex majore parte fuere, quæ ad Ordinem potius quendam Religiosorum fundandum, quam ad Scholam in Philosophia aperiendam, accommodata essent; quod & eventus comprobavit. Ea enim disciplina plus in hæresi Manichęorum, & superstitione Mahumeti, quam apud Philosophos valuit & floruit. Opinio tamen ejus, Mundum ex numeris constare, eo sensu accipi potest, ut ad Naturæ principia penetret. Duplex enim est, atque adeo esse potest, opinio de Atomis sive rerum seminibus; una *Democriti*, quæ Atomis inæqualitatem & figuram, & per figuram situm attribuit: Altera fortasse *Pythagoræ*, quæ eas omnino pares & similes esse asseruit. Qui enim æqualitatem Atomis assignat, is omnia in numeris necessario ponit; qui autem reliqua attributa admittit, is naturas primitivas Atomorum singularium præter numeros sive rationes coitionum adhibet. Activa autem quæstio, quæ huic speculativæ respondet, eamque determinare potest, ea est, quam etiam *Democritus* adducit; Utrum omnia ex omnibus fieri possint. Quod cum ille à ratione alienum putasset, Atomorum diversitatem tenuit. Nobis vero ea quæstio non bene instituta, nec quæstionem priorem premere videtur, si de transmutatione immediata corporum intelligatur. Verum utrum etiam per debitos circuitus & mutationes medias universa non transeant, ea demum quæstio legitima est. Dubium enim non est, semina rerum, licet sint paria, postquam se in certas turmas & nodos conjecerint, corporum dissimilium naturam omnino induere, donec eædem turmæ, aut nodi dissolvantur; adeo ut compositorum natura & affectus transmutationi immediatæ non minori impedimento ac obici, quam simplicium esse possit. Verum *Democritus* in corporum principiis investigandis acutus; in motuum autem principiis examinandis sibi impar & imperitus deprehenditur; quod etiam commune vitium omniũ Philosophorum fuit. Atque hujus, de qua loquimur, inquisitionis de prima conditione seminum sive Atomorum, utilitas, nescimus, an non sit omnino maxima; ut quæ sit actus & potentiæ suprema regula, & spei & operum vera moderatrix. Etiam alia Inquisitio inde fluit, cujus utilitas complexu minor, sed rebus & operibus propior est. Ea est de Separatione & alteratione, hoc est, quid per separationem fiat, & quid alia ratione. Familiaris enim est animo humano error, qui etiam à Chymistarum Philosophia magnum robur & incrementum accepit; ut ea separationi deputentur, quæ alio spectent. Exempli gratia; cum aqua in vaporem transit, facile quis opinetur partem aquæ subtiliorem emitti, crassiorem subsistere; ut in ligno videre est, ubi pars in flamma & fumo evolat, pars in cinere manet. Simile quiddam & in aqua fieri quis putet, licet non tam manifesto. Quamvis enim tota aqua quandoque ebullire & consumi videatur, tamen fæces quasdam ejus, tamquam cinerem, vasi adhærescere posse. Verum & ista ratio cogitationem fallit. Certissimum enim est, totum corpus aquæ in aërem posse mutari, & si quid vasi adhærescat, id non ex delectu & separatione partis crassioris, sed forte ut aliqua pars (licet pari omnino cum eâ, quæ evolat, substantia) situ vas tetigerit, evenire; Idque exemplo argenti vivi elucescit, quod totum fit volatile, & rursus totum absque diminutione vel tantilla consistit. Etiam in oleo lampadum, & sevo candelarum, totum à pingui fit volatile, nec aliqua fit incineratio, nam fuligo post flammam non ante flammam gignitur; & flammæ cadaver, non olei aut sevi sedimentum est. Atque hoc aditum quendam ad *Democriti* opinionem de diversitate seminum sive Atomorum labefactandam præbet Aditum, inquam, in natura; nam in opinione aditus ille est multo mollior & blandior, quod Philosophia vulgaris materiam suam commentitiam ad omnes formas æquam & communem fingit.

De negligentia veterum in Inquisitione de Motu, & Moventibus rerum principiis.

III.

INquisitionem de Natura in motu contemplando & examinando maxime collocare, ejus est, qui opera spectet. Quieta autem rerum principia contemplari aut comminisci, eorum est, qui sermones serere, & disputationes alere velint. Quieta autem voco principia, quæ docent ex quibus res constentur & consistant, non autem qua vi & via coalescant. Neque enim ad agendum, & potestatem sive operationem humanam amplificandam sufficit, aut magnopere attinet, nosse ex quibus res constent, si modos & vias mutationum & transformationum ignores. Nam sumpto exemplo à Mechanicis (à quarum phantasia celebres illæ de principiis rerum Inquisitiones fluxisse videntur) an forte qui simplicia Theriacam ingredientia novit, is pro certo Theriacam componere potest? Aut qui Sacchari, vitri, panni, materialia recte descripta apud se habet, num propterea artem, quæ ad eorum præparationem & effectionem pertinet tenere videtur? Atque in hujusmodi tamen principiis mortuis investigandis & examinandis hominum speculationes præcipue occupatæ sunt; ac si quis cadaveris Naturæ Anatomiam inspicere, non Naturæ vivæ facultates & virtutes inquirere sibi proponat & destinet. De moventibus autem rerum principiis sermo fere in trãsitu habetur; ut omnem adm. rationem superet, si intueamur quam negligenter & dissolute res omnium maxima & utilissima inquiratur & tractetur. Etenim si cogitationem de iis, quæ dicuntur, paulisper suscipiamus; num stimulus materiæ per privationem? num efformatio materiæ ad Ideam? num aggregatio particularum similium? num agitatio fortuita Atomorum in vacuo? num lis & Amicitia? num cœli & terræ impressiones reciprocę? num Elementorum commercium per qualitates symbolizantes? num influxus cœlestium? num sympathiæ & antipathiæ rerum? num occultæ & specificæ virtutes & proprietates? num fatum, fortuna, necessitas? num, inquam, hujusmodi generalia, quæ nil aliud sunt quã spectra, & simulachra in superficie rerum, veluti in aquis, natantia & ludentia humanum genus beabunt?

bunt? autē per humanas efficient auctiores. Ista enim phantasiam implent, vel inflant potius, sed nil prorsus ad operum effectionem, corporum mutationem, aut motuum regimen faciunt. Atq; rursus, de motu Naturali & violento, de motu ex seipso & aliunde, de terminis motuum argutari & subtilitates captare: & hæc quoq; nil admodum de corpore Naturæ stringunt; sed potius in cortice describuntur. Itaq; his missis, vel ad populares sermones damnatis & relegatis, illi demum rerum appetitus & inclinationes investigandæ sunt, à quibus ista, quam videmus, tanta effectuum & mutationum varietas, in operibus & Naturæ & Artis conflatur & emergit. Atq; tentandum ut Naturæ veluti *Proteo* vincula injiciamus. Sunt enim genera motuum recte inventa & discreta; vera *Protei* vincula. Nam prout motuum, id est, incitationum & cohibitionum stimuli & nodi adhibentur, ad illud sequitur materiæ ipsius cōversio & transformatio.

De divisione vulgari Motus, quod sit inutilis, & minus acuta.

IV.

DIvisio Motu recepta in Philosophia popularis videtur & absque fundamento, ut quæ rem per effectus tantum dividit, atq; adhoc, ut per causas sciamus, nihil conducit. Nam *Generatio*, *Corruptio*, *Augmentatio*, *Diminutio*, *Alteratio*, *Latio ad locum*, nil aliud quam opera & effectus motuum sunt, qui cum ad manifestam rerum mutationem pervenerunt, quæ populari notæ subjacet, tum demum hisce nominibus (pingui satis contemplatione) insigniuntur. Neq; enim dubitamus, quin hoc sibi velint, cum corpora per motum (cujuscunq; sit generis) eo usq; processerint, ut formam novam teneant, vel veterem ponant, (quod veluti periodus quædam est, & justi spatii confectio) id motum *Generationis* & *Corruptionis* nominati; sin autem manente forma quantitatem tantummodo & dimensionem novam adipiscantur; id motum *Augmentationis* & *Diminutionis* dici: sic manente etiam mole & claustris, sive circumscriptione, tamen qualitate, Actionibus & passionibus mutentur, id Motum *Alterationis* appellari: sin manente utiq; & forma, & mole, & quantitate, locum & nil aliud mutent, id per Motum *Lationis* significari. Verum hæc omnia acutius & diligentius inspicienti, mensura Motus sunt, & periodi, sive curricula quædam motuum & veluti pensa, non veræ differentiæ, cum quid factum sit designent; at rationem facti vix innuant. Itaq; hujusmodi vocabula docendi gratia sunt necessaria, & Dialecticis rationibus accommodata, Naturalis autem Scientiæ egentissima. Omnes enim isti motus compositi sunt & decompositi, & multipliciter compositi: cum perite contemplantibus ad simpliciora penetrandum sit. Nam principia, fontes, causæ, & formæ motuum, id est omnigenæ materiæ appetitus & passiones, Philosophiæ debentur; Ac deinceps Motuum impressiones sive impulsiones: fræna & reluctationes: Viæ & obstructiones: Alternationes & Mixturæ; circuitus & catenæ: deniq; enim disputationes animosæ, aut sermones probabiles, aut contemplationes vagæ, aut denique placita speciosa, multum juvant. Sed id agendum ut modis debitis & ministerio Naturæ convenienti, motum quemcunque in materia susceptibili excitare, cohibere, intendere, remittere, multiplicare, ac sopire & sistere possimus; atque inde corporum conservationes, mutationes, & transformationes præstare. Maximè autem ii Motus sunt, ex quibus reliqui conflantur. Certissimum enim est, quanto simpliciores motus invenientur, tanto magis humanam potestatem amplificari, & à specialibus & præparatis materiis liberari, & in nova opera invalescere. Et certe quemadmodum verba sive vocabula omnium linguarum immensa varietate, è paucis literis simplicibus componuntur: pari ratione universæ rerum actiones & virtutes à paucis motuum simplicium naturis & originibus constituuntur. Turpe autem fuerit hominibus, propriæ vocis tintinnabula tam accurate explorasse, ad Naturæ autem vocem tam illiteratos esse, & more prisci seculi (antequam literæ inventæ essent) sonos tantum compositos, & voces dignoscere: elementa & literas non distinguere.

De Quanto Materiæ certo, & quod Mutatio fiat absq; interitu.

V.

OMnia mutari, & nil vere interire, ac summam materiæ prorsus eadem manere, satis constat. Atque ut omnipotentia Dei opus erat, ut aliquid crearetur è nihilo; ita & similis omnipotentia requiritur, ut aliquid redigatur in nihilum. Id sive per destitutionem virtutis conservatricis, sive per actum dissolutionis fiat, nihil ad rem: tantum necesse est, ut decretum intercedat creatoris. Hoc posito ne cogitatio abstrahatur, aut materia aliqua fictitia intelligatur, etiam illud significamus: eam à nobis introduci materiam, atq; ea natura investitam, ut vere dici possit, huic corpori plus materiæ adesse, illi autem (licet eandem mensuram expleant) minus. Exempli gratia, plumbo plus, aquæ minus, aeri multo minus, neq; hoc solum indefinite & ratione incerta & surda, sed præcise; adeo ut calculos hæc res pati possit, veluti plus duplo, triplo & similiter. Itaque si quis dicat, aerem ex aqua fieri posse, aut rursus aquam ex aëre, audiam, si vero dicat similem mensuram aquæ in similem mensuram aeris verti posse, non audiam: idem enim est, ac si dixisset, aliquid posse redigi in nihilum. Similiter è converso, si dicat datam mensuram aëris (exempli gratia vesicam contenti certi aëris plenam) in similem mensuram aquæ verti posse, idem est ac si dicat, aliquid fieri posse ex nihilo. Ex his itaque positis, tria præcepta sive consilia ad usum derivare jam visum est, ut homines peritius, & propter peritiam felicius cum Natura negotientur. Primum hujusmodi est, ut homines frequenter Naturam de rationibus suis reddendis interpellent: hoc est, cum corpus aliquod, quod prius sensui manifestum erat, aufugisse & disparuisse videant, ut non prius rationes admittant, aut liquident, quam demonstratum eis fuerit, quo tandem corpus illud migraverit, & ad quæ receptum sit. Hoc, ut nunc sunt res, negligentissime fit, & contemplatio plerumque cum aspectu desinit: adeo ut flammæ, rei vulgatissimæ, receptum homines non norint, quandoquidem eam in corpus aeris mutari falsissimum sit. Secundum hujusmodi, ut cum homines considerent necessitatem Naturæ prorsus adamantinam, quæ materiæ inest, ut se sustentet, nec

in Nihilum cedat, aut solvatur, illi rursus nullum genus vexationis & agitationis materiæ prætermittant si ultimas ejus operationes & obstinationes detegere atque educere velint. Atque hoc consilium non admodum artificiosum certe videri possit; quis negat? sed utile tamen quiddam videtur, neq; nihil in eo est. Veruntamen si placet etiam nunc parum observationis huic rei adspergamus. Itaq; sic habeto. Maximum certe homini, sive operanti, sive experienti, impedimentũ occurrit, quod Materiæ massam certam absque diminutione aut accessione, servare & premere, & subigere vix licet; sed separatione facta, ultima vis eluditur. Separatio autem duplex intervenit, aut quod pars materiæ evolet, ut in decoctione; aut saltem quod secessio fit, ut in flore lactis. Intentio itaque mutationis corporum profundæ, & intimæ non alia est, quam materia omnino debitis modis vexetur; Sed tamen istæ duæ separationes nihilominus interim prohibeantur. Tum enim materia vere constringitur, ubi fugæ omnis via intercipiatur. Tertium denique hujusmodi, ut homines cum corporum alterationes in eadem Materiæ massâ, neq; auctâ, neque diminutâ, fieri videant, primum eo errore phantasiam liberent, qui alte hæret; Alterationem nempe tantummodo per separationem fieri, deinde ut sedulo & perite distinguere incipiant de Alterationibus, quando ad separationem referri debeant; quando ad disordinationem tantum, & variam positionem partium absq; alia separatione; quando ad utramq;. Neq; enim credo, cum pyrum immaturum & acerbum manibus fortius attrectamus, contundimus, & subigimus, unde illud dulcedinem acquirit; aut cum Succinum vel Gemma in pulverem subtilissimum redacta colorem deponunt, materiæ pars notabiles deperditur, sed tantum partes corporis in nova positione constituuntur. Restat ut errorem quendam ex opinionibus hominum evellamus, cujus ea vis est, ut si fides ei adhibeatur, aliqua ex his, quæ diximus, pro desperatis haberi possint. Vulgaris enim opinio est, rerum spiritus cum ad intensiorem quendam gradum tenuitatis per calorem evecti sunt, etiam in vasis solidissimis (puta argenti, vitri,) per occultos eorundem poros & meatus evolari; quod minus verũ est. Neq; enim aër aut spiritus, licet accedente calore, rarefactus, non flamma ipsa, tam libenter se comminuit, ut per hujusmodi poros exitum sibi quærere aut facere sustineat. Verũ ut nec aqua per rimam valde parvam, ita nec aër per hujusmodi poros effluit. Nam ut aër aquâ longe tenuior, ita & tales pori rimis conspicuis longe subtiliores sunt; neq; opus haberet sub vase aperto suffocari, hujusmodi perspirationes illi ullo modo præsto essent, aut competerent. Exemplum autem, quod adducunt, miserum est, vel potius miserandum, ut sunt pleræq; Contemplationes vulgaris philosophiæ, cum ad particularia ventum est. Ajunt enim, si chatta inflammata in poculum mittatur, & subito os poculi super vas aquæ convertatur, aquam sursum trahi; propterea quod postquam flamma, & aër per flammam rarefactus, quæ spatii aliquantum impleverant, per poros vasis exhalaverint, restare ut corpus aliquod succedat. Idem in ventosis fieri, quæ carnes trahunt. Atque de successione aquæ vel carnis bene sentiunt, de causa, quæ præcedit, imperitissime. Neq; enim est aliqua corporis emissio, quæ spatium præbet, sed sola corporis contractio. Corpus enim, in quod flamma recidit, longe minus spatium complet, quam flamma antequam exstinguereturr Hinc fit illud inane, quod successionẽ desiderat. Atq; in ventosis hoc evidentissimũ est. Nã cum eas fortius trahere volunt, spongiâ aquæ frigidæ infusâ illas tangunt, ut per frigus aër interior condensetur, & se in minus spatium colligat. Itaq; demimus certe hominibus eam sollicitudinem, ne de spirituum tam facili evolatione laborent: quum & illi spiritus, quos sæpe desiderant, odorum, saporum, similium, non semper extra septa evolent, sed intra confundantur, hoc certissimum est.

De Quiete apparente, & consistentia & Fluore.

VI.

Quod quædam quiescere videantur & motu privari, id secundum totum aut integrum recte videtur, secundum partes autem, hominũ opinionem fallit. Quies enim simplex & absoluta, & in partibus & in toto nulla est, sed quæ esse putatur per motuum impedimenta, cohibitiones, & æquilibria efficitur. Exempli gratia, cum in vasis in fundo perforatis, quibus hortos irrigamus, aqua (si os vasis obturetur) ex foraminibus illis non effluit, id per motum retrahentem, non per Naturam quiescentem fieri perspicuum est. Aqua enim tam contendit descendere, quam si actu suo potiatur; sed cum in summitate vasis non sit quod succedat, aquam in imo ab aqua in summo retrahitur, & vim patitur. Si quis enim alterum infirmiorem in lucta teneat, ut se movere non possit, atque ille nitatur sedulo, non propterea tamen minor est motus renitentiæ, quia non prævalet, & à motu fortiori ligatur. Hoc autem quod dicimus de falsa quiete, & in rebus innumeris utile cognitu est, & non minimum lucis præbet in Inquisitione naturæ solidi & liquidi, sive consistentiæ & fluoris. Solida enim videntur in positione sua manere & quiescere, liquida autem moveri & confundi. Neq; enim columna ex aqua, aut alia effigies exstrui potest, ut de ligno vel lapide. Itaq; in promptu est opinari, partes aquæ superiores contendere (motu, quem appellant naturali) ut defluant; partes autem ligni non item. Atqui hoc verum non est, cum idem insit motus partibus ligni, quæ in summo collocantur, ut deorsum ferantur, qui aquæ: idque in actum perduceretur, nisi ligaretur & retraheretur iste motus à motu potiore. Is autem est certe appetitus continuitatis, sive Separationis fuga, quæ & ipsa tam Aquæ quam ligno competit, sed in ligno est motu gravitatis fortior in Aqua debilior. Nam quod ex hujusmodi Motu etiam quæ liquida sunt participent, id manifestum est. Videmus enim in bullis Aquæ ad separationem evitandam, aquam se in pelliculas conijcere, in hemisphærii formam confictas. Videmus etiam in stillicidiis, aquam, ut aquæ continuetur, in filum exile se producere & attenuare, quoad sequens aqua suppetat; sin autem deficiat Aqua ad continuationem, tum se in guttas rotundas recipere, quarum diameter filo illo priore sit multo major. Simili modo videmus, Aquam comminutionem magis exquisitam ægre pati, cum ex foraminibus & rimis (si subtiliores sint) naturali suo pondere absq; concussione non effluat. Quare constat, appetitum continuitatis etiam liquidis inesse, sed debilem. At contra in rebus solidis

viget & motui naturali sive gravitati prædominatur. Si quis enim existimet in columna ligni vel lapidis superiores partes non diffluere cupere, sed se in eodem plane statu sustinere, is facile se corriget, si consideret columnam, sive similia, si altitudo ejus ad latitudinem basis non sit proportionata, sed modum excedat, stare non posse, sed devexo pondere ferri; adeo ut structuris præaltis necesse sit, ut ad pyramidis formam inclinent, & sint versus summitatem angustiores. Qualis autem sit ea Natura, quæ appetitum istum continuitatis intendat, aut remittat, non facile inquirenti occurret. Illud fortasse suggeretur, partes solidorum esse magis densas & compactas: liquidorum magis raras & solutas: aut liquidis subesse spiritum, quod fluoris sit principium, qui in solidis desit, & hujusmodi. Sed neutrum horum veritati consonum est. Manifestum enim est, nivem & ceram, quæ secari & fingi, & impressiones recipere possunt, argento vivo aut plumbo liquefacto, longe esse rariora, ut in ratione ponderum evincitur. Quod si quis adhuc insistat, fieri posse, ut nix aut cera, licet sit (in toto) argento vivo rarior, tamen habere possit partes magis clausas & compactas: verum quia sit corpus spongiosum, & cava multa, & aërem recipiat, ideo in summa effici leviorem, ut in pumice fit, qui cum pro ratione molis sit fortasse ligno levior, tamen si utrumque in pulverem redigatur, pulverem pumicis pulvere ligni futurũ graviorem, quia cavitates illæ non amplius adsint. Hæc bene notata & objecta sunt. Sed quid ad Nivem & Ceram colliquatam dicent, ubi jam cavitates expletæ sunt; sed quid ad Gummi corpora, Mastichen & simlia, quæ cavitates istas manifestas non habent, & tamen sunt plurimis liquoribus leviora? Quod autem de spiritu afferunt, per cujus vim & impetum res fluant: id certe primo intuitu probabile est, & notionibus communibus familiare, reipsa autem durius est, & magis erroneum, cum veræ rationi non solum non innitatur, sed fere opponatur. Spiritus enim ille, quem dicunt, revera (quod mirum fortasse dictu) consistentiam inducit, non fluorem. Quod & optime in Instantia Nivis cernitur, quæ cum ex aqua & aëre compositum corpus sit, cumque & Aqua & aër seorsim fluant, in mixtura tamen consistentiam adipiscitur. Quod si quis objiciat, id evenire posse ex condensatione aqueæ partis per frigus, & non ab interpositione aëris: is se corrigit, si animadvertat etiam spumũ corpus simile Nivi esse, quod tamen à frigore nullo modo condensetur. Sin adhuc urgeat, & in spuma præcedere condensationẽ, non à frigore, sed tamen ab agitatione, & percussione: is pueros consulat, qui ex levi aura per fistulam sive calamum inspirata, & aqua (ob parum saponis admixtum) paulò tenaciore, miram & turritam bullarum structuram conficiunt. Res autem sic se habet; Corpora ad tactum corporis amici sive similis se solvere & laxare, ad tactum autem corporis dissentientis se stringere & sustinere. Itaque appositionem corporis alieni esse consistentiæ cautam. Sic videmus oleum aquæ admistum, ut fit in unguentis, liquiditatem, quæ & in aqua & in oleo antea vigebant, quadantenus exuere. Contra videmus, papyrũ aqua madefactam se solvere, & consistentiam (quæ ob aërem antea in poris admistum valida erat) deponere: oleo vero madefactam, minus, quia oleum papyro minus consentiat. Idem quoq; in saccharo videnius & similibus, quæ ad aquam vel vinum intromittenda se laxant, neq; solum cum liquores illis incumbunt, sed eosdem quoque sugunt & sursum trahunt.

De consensu corporum, quæ sensu prædita sunt, & quæ sensu carent.

VII.

PAssiones corporum, quæ sensu dotantur, & quæ sensu carent, magnum consensum habent; nisi quod in corpore sensibili accedat spiritus. Nam pupilla oculi speculo sive aquis æquiparatur, & simili natura imagines lucis & rerum visibilium excipit & reddit. Organum autem auditus obici intra locum cavernosum corforme est, à quo vox & sonus optime resultat. Attractiones autem rerum inanimatarum, & rursus horrores sive fugæ, (eas dico, quæ ex proprietate fiunt) in Animalibus, olfactui atque odoribus gratis & odiosis, cõveniunt. Tactus autem ratio & gustus omnem, quæ in corporibus inanimatis accidere possit, aut violentiam aut contra insinuationẽ almam & amicam, ac universas eatundem passionũ figuras, veluti vates aut interpres exprimit. Nam compressiones, extensiones, erosiones, separationes & similia in corporibus mortuis in processu latent, nec nisi post effectum manifestũ percipiuntur. In animalibus autem cum sensu doloris secundum diversa genera aut characteres violentiæ peraguntur, permeante per omnia spiritu. Atque ab hoc principio deducitur cognitio, Num forte alicui Animantium adsit alius quispiam sensus præter eos, qui notantur: & quot & quales sensus in universo Animantium genere est possint. Ex passionibus enim materiæ rite distinctis sequetur numerus sensuum, si modo organa competant & accedat spiritus.

De Motu violento, quod sit fuga & discursatio partium rei propter pressuram, licet minime visibilis.

VIII.

MOtus violentus (quem vocant) per quem missilia, ut lapides, sagittæ, globi ferrei, & similia per aerem volant, fere omnium mortuum est vulgatissimus. Atque in hujus tamen observatione & inquisitione miram & supinam negligentiam hominum notare licet. Neque parvo detrimento in motu istius Natura & potestate investiganda offenditur; cum ad infinita sit utilis, & tormentis, Machinis, & universæ rei Mechanicæ si instar animæ & vitæ. Plurimi autem se perfunctos inquisitione putant, si motum illum violentum esse pronuntient, & à naturali distinguant. Atque is sane est Aristotelis & scholæ ejus mos proprius & disciplina, curate ut habeant homines quod pronuntient, non quod sentiant: & docere quomodo aliquis affirmando aut negando se expedire, nõ cogitando se explicare, sibi satisfacere possit. Alii paulò attentius, arrepto illo posito, duo corpora in uno loco esse non posse, restare ajunt, ut quod fortius sit impellat, debilius cedat. Eam cessionem sive fugam, si minor adhibeatur vis, non ultra durare, quam prima impulsio continuetur, ut in protrusione: Si autẽ major, etiam remoto corpore impellente, ad tempus vigere, donec sensim remittatur, ut in jactu. Atque hi rursus, alio ejusdem scholæ more inveterato, primordia rei captant, de processu & exitu non solliciti, tamquam prima quæque cætera trahant; quo fit ut immatura quadam impatientia contem-

plationem abrumpant. Nam ad id, quod corpora sub ipsum ictum cedant, aliquid afferunt: sed postquam corpus impellens jam remotum sit, adeo ut necessitas illa confusionis corporum jam plane cessaverit, cur postea motus continuetur, nihil dicunt, nec seipsi satis capiunt. Alii autem magis diligentes, & in inquisitione perseverantes, cum vim aeris in ventis & similibus, quæ vel arbores & turres dejcere possit, animadvertissent: opinati sunt eam vim, quæ hujusmodi missilia post primam impulsionem deducat & comitetur, aëri debere attribui, pone corpus, quod movetur, collecto & ingruenti, cujus impetu corpus tamquam navis in gurgite aquarum vehatur. Atqui hi certe rem non deserunt, atque contemplationem ad exitum perducunt, sed tamen à veritate abeerrant. Res autem vere in hunc modum se habet. Præcipuus motus partibus ipsius corporis, quod volat, inesse videtur: qui cum visu ob nimiam subtilitatem non percipiatur, homines non satis attendentes, sed levi observatione rem transmittentes latet. Accuratius autem scrutandi manifeste constat, corpora, quæ duriora sunt, pressionis esse impatientissima, & ejusdem veluti sensum acutissimum habere, adeo ut quam minimum à naturali positione depulsa magna pernicitate nitantur, ut liberentur & in pristinum statum restituantur. Quod ut fiat, partes singulæ facto principio à parte pulsata, se invicem non secus ac vis externa, protrudunt, ac vigent; & fit continua & intentissima (licet minime visibilis) partium trepidatio & commotio. Atque hoc videmus fieri in exemplo vitri, Sacchari, & hujusmodi rerum fragilium, quæ si mucrone aut ferro acuto secentur, aut dividantur, protinus in aliis partibus, à tractu mucronis remotis, quasi in instanti disrumpuntur. Quod evidenter demonstrat communicationem Motus pressuræ in partes succedentes. Qui motus cum per omnia moliatur, & ubiq; tentet, ea parte confractionem inducit, qua ex præcedente corporis dispositione minus fortis erat compactio. Neque tamen ipse motus, quando per omnia turbat & percurrit, sub aspectum venit, donec aperta fiat effractio, sive continuitatis solutio. Rursus videmus, si forte filum ferreum, aut bacillum, aut durior pars calami (vel hujusmodi corpora, quæ flexibilia quidem sunt, non absque aliqua renitentia) inter pollicem & Indicem per extrema sua curventur, & stringantur, ea statim prosilire. Cujus motus causa manifeste deprehenditur non esse in extremis corporis partibus, quæ digitis stringuntur, sed in medio, quod vim patitur, ad cujus relevationem motus ille se expedit. In hoc autem exemplo plane liquet, causam illam Motus, quam adducunt de impulsione aeris, excludi. Neque enim ulla fit percussio, quæ aerem immittat. Atque hoc etiam levi illo experimento evincitur, cum pruni nucleum recentem & lubricum premimus, digitosque paulatim adducimus, atque hac ratione emittimus. Nam & in hoc quoque exemplo compressio illa vice percussionis est. Evidentissimus autē hujusce motus effectus cernitur in perpetuis conversionibus sive rotationibus corporum missilium dum volant. Siquidem ea procedunt utique, sed progressum suum faciunt in lineis spiralibus, hoc est procedendo & rotando. Atque certe is *motus spiralis* cum tam sit rapidus, & nihilominus tam expeditus, & rebus quodammodo familiaris, nobis dubitationem movit, num forte ex altiore Principio non penderet. Sed existimamus non aliam causam huic rei subesse, quam eandem quam nunc tractamus. Namque pressura corporis affatim motum in partibus sive minutiis ejus excitat, ut se quacunque via expediant & liberent. Itaq; corpus non solum in linea recta agitur & provolat, sed undequaq; experitur, atq; ideo se rotat: utroq; enim modo ad se laxandum nonnihil proficit. Atq; in rebus solidis subtile quiddam & abditum: in mollibus evidens & quasi palpabile est. Nam ut cera vel plumbum, & hujusmodi mollia, malleo percussa cedunt, non tantum in directum, sed & in latera, undequaque: eodem modo & corpora dura sive renitentia fugiunt & in recta linea & in circuitu. Cessio enim corporalis in mollibus, & localis in duris, ratione conveniunt; atque in corporis mollis efformatione, corporis duri passio, cum fugit & volat, optime conspicitur. Interim nemo existimet nos præter motum istum (qui caput rei est) non etiam aliquas partes aeri devehenti tribuere, qui motum principalem adjuvare, impedire, flectere, regere possit. Nam & ejus rei potestas est non parva. Atque hæc motus violenti sive Mechanici (qui adhuc latuit) explicatio veluti fons quidam practicæ est.

De causa Motus in tormentis igneis, quod ex parte tantum, nec ea potiore, inquisita sit.

IX.

TOrmentorum igneorum causa, & Motus tam potentis & nobilis explicatio, manca est, & ex parte potiore deficit. Ajunt enim pulverem tormentarium, postquam in flammam conversus sit, & extenuatus, se dilatare & majus spatium occupare, unde sequi, ne duo corpora in uno loco sint, aut dimensionum penetratio fiat, aut forma Elementi destruatur, aut situs partium præter naturam totius sit (hæc enim dicuntur) corporis, quod obstat, expulsionem, vel effractionem. Neque nihil est, quod dicunt. Nam & iste appetitus, & materiæ passio, & hujusmodi motus pars aliqua. Sed nihilominus in hoc peccant, quod ad necessitatem istam corporis dilatandi, rem præpropera cogitatione deducunt, neque quod natura prius est, distincte considerant. Nam ut corpus pulveris, postquam in flammam mutatus est, majorem locum occupet, necessitatem sane habet: ut autem corpus pulveris inflammetur, idque tam rapide, id simili necessitate non constringitur: sed ex præcedente motuum conflictu & comparatione pendet. Nam dubium non est, quin corpus illud solidum & grave, quod per hujusmodi motum extruditur, vel removetur, antequam cedat, sedulo obnitatur: & si forte robustius sit, victoria potiatur; id est, ut non flamma globum expellat, sed globus flammam suffocet. Itaque si loco pulveris tormentarii, Sulphurem, vel Caphuram, vel similia accipias, quæ flammam & ipsa cito corripiunt, & (quia corporum compactio inflammationi impedimento est) ea in grana pulveris, admista cineris Juniperi, vel alicuj° ligni maxime combustilis aliqua portione, efformes; tamē (si nitrum absit) motus iste rapidus & potens nō sequitur: sed mot° ad inflammationē, à mole corporis renitentis, impeditur & constringitur, nec se explicat aut ad effectū pertingit. Rei autem veritas sic se habet. Motum istū de quo quæritur, geminatū & compositū reperias. Nam præter motum

motum inflammationis, qui in sulphurea pulveris parte maxime viget, subest alius magis fortis & violentus. Is fit à spiritu crudo & aqueo, qui ex nitro maxime, & nonnihil à carbone salicis concipitur, qui & ipse expanditur (certe ut vapores subdito calore solent) sed una etiam (quod caput rei est) impetu rapidissimo à calore & inflammatione fugit & erumpit, atque per hoc etiam inflammationi vias relaxat & aperit. Hujusce motus rudimenta & in crepitationibus aridorum foliorum Lauri vel Hederæ cernimus, cum in ignem mittuntur; & magis etiam in sale, qui ad rei inquisitæ naturam propius accedit. Simile etiam quiddam & in sevo candelarum madido, & in flatulentis ligni viridis flammis sæpe videmus. Maxime autem eminet iste motus in Argento vivo, quod corpus maxime crudum, & instar aquæ Mineralis est; cujus vires (si ab igne vexetur, & ab exitu prohibeatur) non multo pulveris tormentarii viribus inferiores sunt. Itaq; hoc exemplo monendi homines sunt & rogandi, ne in causarum inquisitione unum aliquod arripiant, & facile pronuntient; sed circumspiciant, & contemplationes suas fortius & altius figant.

De dissimilitudine Cœlestium & Sublunarium quoad æternitatem & mutabilitatem; quod non sit verificata.

X.

QUod receptum est, Universitatem Naturæ veluti per globos recte dividi, & distingui; ut alia sit ratio cœlestium, alia sublunarium, id non absque causa introductum videtur; si in hac opinione modus adhibeatur. Dubium enim non est, quin regiones sub orbe Lunari positæ, & supra, una cum corporibus, quæ sub iisdem spatiis continentur, multis & magnis rebus differant. Neque tamẽ hoc certius est, quam illud: corporibus utriusque globi inesse communes inclinationes, passiones & Motus. Itaque unitatem Naturæ sequi debemus, & ista distinguere potius quam discerpere. Nec contemplationem frangere. Sed quod ulterius receptum est, cœlestia mutationes non subire, sublunaria vero, aut Elementaria, quæ vocant, iisdem obnoxia esse; & materiam horum instar Meretricis esse, novas formas perpetuo appetentem; illorum autem instar Matronæ, stabili & intemerato connubio gaudentem; popularis opinio videtur esse, & infirma, & ex apparentia & superstitione orta. Videtur autem nobis hæc sententia ex utraq; parte labilis & sine fundamento. Nam neque cœlo ea competit æternitas, quam finguntur, nec rursus terræ ea mutabilitas. Nam, quod ad cœlum attinet, non ea nitendum est ratione, mutationes ibidem non fieri, quia sub aspectum non veniunt. Aspectum enim frustrat & corporis subtilitas, & loci distantia. Nam variæ inveniuntur aëris mutationes, ut in æstu, frigore, odoribus, sonis, manifestum est, quæ sub visum non cadunt. Neque rursus (credo) si oculus in circulo Lunæ positus esset, à tanto intervallo, quæ hic apud nos fiunt, & qui in superficie Terræ obveniunt Motus & mutationes Machinarum, Animalium, plantarum, & hujusmodi (quæ pusillæ alicujus festucæ dimensionem, ob distantiam, non æquant) cernere posset. In corporibus autem, quæ tantæ molis & magnitudinis sunt, ut ob dimensionum suarum amplitudinem, spatia distantiarum vincere, atque ad aspectu pervenire possunt, mutationes in regionibus cœlestibus fieri, ex cometis quibusdam satis liquet, iis dico, qui certam & constantem configurationem cum stellis fixis servarunt; qualis fuit illa, quæ in Cassiopæa nostra ætate apparuit. Quod autem ad Terram attinet; postquam ad Interiora ejus, relicta ea, quæ in superficie & partibus proximis invenitur, incrustatione & mixtura, penetratum est, videtur & ibi quoque similis ei, quæ in cœlo supponitur, perpetuitas existere. Procul dubio enim est, si in profundo Terra pateretur mutationes, consequentiam earum mutationum, etiam in nostra regione, quam calcamus, majores casus fuisse passuram, quam fieri videmus. Sane Terræ motus plerique & eruptiones aquarum, vel eructationes ignium, non ex profundo admodum, sed prope insurgunt, cum parvum aliquod spatium in superficie occupent. Quanto enim latiorem regionem & tractum hujusmodi Accidentia in facie terræ occupant, tanto magis radices sive origines eorum ad viscera Terræ penetrare putandum est. Itaque majores Terræ motus (majores, inquam, ambitu, non violentia) qui rarius eveniunt, recte cometis ejus generis, de quo diximus, æquiparari possunt, qui & ipsi infrequentes sunt; ut illud maneat quod initio diximus, inter cœlum & terram, quatenus ad constantiam & mutationem, non multum interesse. Si quem autem æquabilitas & certitudo Motus in corporibus cœlestibus apparens, movet veluti æternitatis comes individuus, præsto est Oceanus, qui in æstu suo haud multo minorem constantiam ostendat. Postremo, si quis adhuc instet, negari tamen non posse, quin in ipsa superficie orbis terrarum & partibus proximis, infinitæ fiant mutationes, in cœlo non item: Huc ita responsum volumus, nec nos hęc per omnia æquare, & tamen, si regiones (quas vocant) *superiorem* & *Mediam* aëris pro superficie aut interiore tunica cœli accipiamus, quemadmodum spatium istud apud nos, quo Animalia, Plantæ, & Mineralia continentur, pro superficie vel exteriore tunica Terræ accipimus; & ibi quoque varias & multiformes generationes & mutationes inveniri. Itaque tumultus fere omnis, & conflictus, & perturbatio, in confiniis tantum cœli & terræ locum habere videtur. Ut in rebus civilibus fit; in quibus illud frequenter usu venit, ut duorum regnorum fines continuis incursionibus & violentiis infestentur, dum interiores utriusque regni provinciæ secura pace atque alta quiete fruuntur. Nemo autem, si recte attenderit, Religionem hic opponat. Nam Ethnica jactantia solummodo prærogativa ista Cœlum materiatum donavit, ut sit incorruptibile. Scripturæ autem Sacræ æternitatem & corruptionem cœlo & terræ ex æquo, licet gloriam & venerationem disparem attribuunt. Nam si legatur, *Solem & Lunam fidelem & æternos in cœlo testes esse*: legitur etiam, *Generationes migrare, Terram autem in æternum manere*. Quod autem utrumque transitorium sit, uno oraculo continetur, nempe *Cœlum & terram pertransire, verbum autem Domini non pertransire*. Neque hæc nos novi placiti studio diximus, sed quod ista rerum & regionum conficta divortia & discrimina, ultra quam veritas patitur, magno impedimento ad veram Philosophiam & Naturæ contemplationem fore, haud ignari, sed exemplo edocti providemus.

FRANCI-

FRANCISCUS BACON

LECTORI.

SI qui fuerint, qui in veterum Placitis sibi acquiescendum non putarunt, quod aliquando ab animi constantia, sæpius ab ingenii levitate fieri vidimus; ii qualescunque fuerint, hac sere defensione communi usi sunt; se, licet ab Antiquitate desciverint, tamen ea afferre, quæ cum sensu optime conveniant; atque homines si hoc sibi in animum inducere possint, ut authoritate non perstringantur, sed sibi ipsi & Sensibus credant, facile in eorum partes transituros. Nos vero Sensum nec Contradictione violavimus, nec abstractione destruimus, & materiam ei longe uberiorem, quam alii, præbuimus, & multo ministerio errores ejus restituimus, potestates auximus, atque judicium ejus, damnatis phantasiis, atque in ordinem redactâ ratione munivimus, & firmavimus; ut alii professione quadam, nos reipsa sensum tueri videamur; atque Philosophia nostra una sere atque eadem res sit cum sensu restituto & liberato. Neque propterea tamen nobis de hominum fide & assensu large pollicemur, cum nostra ratio cum nulla priorum consentiat, sed plane in diversum trahat. Nam qui hucusque pertœsi eorum, quæ veteres afferunt, ad Experientiam & Sensum tamquam de integro se contulerunt, in hunc modum fere se gesserunt; ut nonnulla primo secundum Sensum acriter & strenue inquisiverint; ea potissimum sumentes, quæ illis maxime rationem totius habere visa sunt. Atque ex his confestim Experientiæ manipulis, & tamquam factionibus placita confinxerint: anguste & inæqualiter philosophati, & omnia paucis condonantes. Atque iste tamen modus philosophandi, ad fidem faciendam sæpenumero validus & felix est; ob angustias pectoris humani, quod illis, quæ una & subito mentem subire possunt, maxime movetur, & acquiescendi cupidum cætera vel negligit, vel modo quodam non perceptibili ita se habere putat, ut illa pauca quibus phantasia impleri, aut inflari consuevit. At contra, nos non manipulares, sed justum divinorum operum exercitum post nos trahentes, & ex æquo, & secundum summas rerum, pronuntiantes, non habemus fere quo nos vertamus, aut ex qua parte aditum ad humanam fidem reperiamus; cum ea, quæ adducimus, altius quam notiones, latius quam hujusmodi Experimenta, se extendant. Itaque necesse est, ut ex illis pleraque, præproperis & propensis sensuum prehensionibus non satisfaciant, nonnulla autem dura, & instar religionis incredibilia ad sensus accedant. Sensus enim humani fallunt utique, sed tamen etiam se indicant; verum errores præsto, Indicia accersita sunt. Itaque & novam prorsus tradendi viam ingressi sumus, rei ipsi convenientem; non disputando, aut Exempla rara & sparsa adducendo; cum uterque fidei faciendæ modus fortasse adversus nobis futurus fuisset, quorum decreta nec in cura notionum, nec in angustiis experientiæ abscissæ & truncatæ, fundata sint: Sed experientiam concervatam & continuam adhibuimus, atque homines ad fontes rerum adduximus, ac universum Intellectus processum & derivationes sub oculos posuimus. Quare quicunque eo animo sunt, ut aut argumentis nitantur, aut paucis exemplis cedant, aut authoritatibus impediantur, aut opus hoc nostrum evolvere & introspicere propter aut animi aut temporis angustias non possint; cum illis nos profecto de hac re nec serio colloqui possumus. Satis fuerit, si illud *Philocratu* de *Demosthene* dictum huc transferamus. *Atque nolite mirari*, (*Athenienses*) *si mihi cum Demosthene non conveniat. Ille enim aquam, ego vinum bibo.* Illi enim certe liquorem bibunt crudum, ex Intellectu vel sponte manantem, vel industria quadam haustum. Nos autem liquorem paramus & propinamus ex infinitis uvis confectum, iisque maturis & tempestivis, & per racemos decerptis, & collectis, & subinde torculari pressis, & rursus in vase se separantibus, & clarificatis. Ne enim hoc Deus siverit, ut phantasiæ nostræ somnium pro exemplare mundi edamus; sed potius benigne faveat, ut Apocalypsin & visionem vestigiorum & viarum Creatoris in Natura & Creaturis conscribamus.

FILUM LABYRINTHI,

Sive Inquisitio legitima

DE MOTU.

MAchina Intellectus inferior: seu sequela chartarum ad apparentiam primam.

Racemi sive charta Historiæ ordinatæ ad Articulum primum: de formis & differentiis Motus.

Motus Applicationis exterioris, sive motus adhærentiæ.

Motus Applicationis Interioris, sive motus Mixturæ.

Motus Applicationis ad Fibras, sive motus identitatis.

Motus Assimilationis, seu Motus Generationis Jovis.

Motus Signaturæ, sive Motus Generationis Saturni.

Motus excitationis, sive Motus Generationis Fictæ.

Racemi sive charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Secundum.

De Subjectis sive Continentibus Motum.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Tertium.

De vehiculis sive deferentibus Motum.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Quartum.

De Operationibus & Consequentiis Motus.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Quintum.

De curriculis sive Clepsydris Motus.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Sextum.

De orbe virtutis Motus.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Septimum.

De Hierarchia Motus.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Octavum.

De Societatibus Motus.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Nonum.

De Affinitatibus Motus.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Decimum.

De viribus Unionis in Motu.

Racemi sive Charta Historiæ ordinata ad Articulum Undecimum.

De viribus Consuetudinis & novitatis in Motu.

Racemi sive Charta Historiæ ordinatæ ad Articulum Duodecimum.

De aliis omnibus Motus.

Syllabæ sive Charta Anatomiæ.

Vena relicta seu Charta Divisionis Secundæ.

Axioma Exterius, sive Charta observationis.

Columnæ sive Charta Impossibilis Apparentis, sive Humana optativa.

Fœnus sive Charta usus intervenientis sive Humana Activa.

Anticipatio sive Charta Interpretationis Sylvestris.

Pons sive Charta ad Chartas Novellas.

Machina Intellectus Superior; sive sequela Chartarum ad Apparentiam Secundam.

Chartæ Novellæ.

ATque exemplum Inquisitionis de natura (ut videre est) absolvimus, idque in subjecto omnium maxime capaci & diffuso; eaque forma, quam judicamus cum veritate & Intellectu summum consensum habere. Neque tamen more apud homines recepto formulæ alicui necessitatem imponimus: tamquam unica esset, & instar Artis ipsius. Sed certe omnibus pertentatis, ex longo usu, & nonnullo, ut putamus, judicio, hanc ipsam formam sive rationem disponendi materiam rerũ, ad opus Intellectus, ut probatam & electam exhibemus. Nihil autem officit, quominus ii qui otio magis abundant, aut à difficultatibus, quas primo experientem sequi necesse est, liberi jam erunt, aut majoris etiam & altioris sunt ingenii, rem in potius perducant. Nam & ipsi statuimus, Artem Inveniendi adolescere cum inventis; neque ad aliquid immotum & inviolabile Inveniendi artificium, hominum industriam & felicitatem astringendam. Artis enim perfectionem Artis usum remorari, nihil est necesse. Quod autem viam novam scientiam docendi & tradendi ingressi sumus, quod doctrinam & præcepta quasi prætereuntes, & aliud agentes distulimus; atque in exemplo præcipue elaboravimus: hoc summa ratione nos fecisse arbitramur. Neque sane homines latere volumus, quid in hac re secuti sumus: nam obtinere in hominum æquitate positum est, vel potius in fortuna communi. Res enim humani generis agitur, non nostra. Primum hoc videmur adepti, quod maximum est, ut plane intelligamur. Longe enim aliud est singulis præceptis exempla subnectere: Aliud, universi operis figuram perfectam & quasi solidam construere & repræsentare. Etenim in Mathematicis, adstante machina aut fabrica sequitur demonstratio facilis & perspicua: sed abique hac commoditate, omnia videntur involuta, & quam revera sunt, subtilioria. Aque etiam illud usuvenit, ut quo grandius instrumentum demonstrationis fiat, eo fit & fidelius & illustrius. Etiam putamus nos aliquem modestiæ & simplicitatis fructum percipere posse, quod nec vim nec insidias hominum judiciis secimus aut paravimus: sed rem nudam & apertam exhibuimus. Nemo enim ante nos, homines ad fontes Naturæ & res ipsas adduxerunt, ut iii medium consulerent: sed exempla & Experientiam ad dictorum suorum fidem, non ad alieni judicii libertatem adhibuerunt: ut dupliciter nos de Humano genere meritos existimemus; duas res maxime Mortalibus charas & gratas, potestatem & libertatem simul deferentes: potestatem operum, libertatem judicii. Ac veluti in judiciis civilibus ea maxime incorrupta & recta sunt, ubi minimum Oratorum licentiæ & turbis, aut etiam Eloquentiæ conceditur: sed omnis fere opera & tempus in testibus consumitur. Eodem modo & de Natura judicia exercentur optima, cum nec pugnaci nec probabili orationi aut disputationi maximæ partes tribuuntur, sed Experientiæ testimoniis evidentibus & coacervatis res conficitur. Nam certe in Authorum testimoniis libido & stimulus versatur: rerum autem testimonia & responsa, interdum obscura & perplexa, sed semper sincera & incorrupta sunt. Liberati etiam videmur magno malo, ex hominum fastidio & præjudicio. Solent enim viri prudentes, & graves, & Cunctatores, novitatem omnem levitatis & vanitatis nomine suspectam habere: novas autem sectas, & nova placita ut larvas & umbras aspernari. Neque enim multum interesse putant, utrum homines in Theoriis consentiant aut dissentiant: nisi quod vetera & recepta magis sint, ob consensum & mores, rebus gerendis accommodata. Huic malo non aliud remedium reperiebatur, nisi ut amplitudine exempli, in ipsos hominum sensus ita incurramus, ut primo aspectu, quivis mediocris judicii rem solidam & sobriam esse, atque opera & utilitatem spirantem; & à novæ scholæ, aut novæ sectæ ratione & consuetudine prorsus alienam, statim perspiciat & agnoscat. Speramus etiam hoc potissimum modo, Antiquis & aliis, qui in Philosophia aliquid opinati sunt, authoritatem & fidem abrogari: honorem & reverentiam conservari posse, idque non artificio quodam, sed ex vi ipsa rei. Existimamus enim subituram animos hominum cogitationem, num & illi hujusmodi diligentiam adhibuerint, aut placita & opiniones suas à tali fundamento excitaverint. Atque sane hoc dubium alicui videri potuisset, si opiniones eorum tantum ad nos pervenissent, modus autem Inquisitionis & demonstrationis non apparuisset. Tum enim tale quippiam in mentem nobis venisset cogitare, illos proculdubio à meditationum suarum principio magnam vim & copiam exemplorum paravisse, eamque simili quo nos ordine, vel fortasse meliore disposuisse. Sed postquam re comperta, illis pronuntiare visum esset: tum demum pronuntiata & eorum explicationes & connexiones in scripta redegisse: addito sparsim uno aut altero exemplo ad docendi lumen: sed primordia illa & notas, ac veluti Codicillos & commentarios suos in lucem edere, & supervacuum & molestum putasse. Itaque fecisse ut in ædificando facere decet: nam post operis ipsius structuram, machinas & Scalas, & hujusmodi Instrumenta à conspectu amovenda esse. Verum hæc de ipsis cogitare, nobis per ipsos integrum non est: formam enim & rationem suam inquirendi, & ipsi profitentur, & Scripta eorum ejusdem expressam imaginem præ se ferunt. Ea non alia fuit, quam ut ab exemplis quibusdam quibus Sensus plurimum assueverat, ad conclusiones maxime generales sive principia Scientiarum advolarent: ad quorum immotam veritatem, conclusiones inferiores per media derivarent. Ex quibus

Arte

Arte constituta, tum demum si qua controversia de aliquo exemplo mota esset, quod placitis suis refragari videretur, illud per distinctiones aut regularum suarum explanationes in ordinem redigerent: aut si de rerum particularium causis mentio injiceretur, eas ad speculationes suas ingeniose accommodarent. Itaque res & totius erroris processus prorsus patet: nam & missio Experientiæ præpopera fuit: & conclusiones mediæ (quæ operum vitæ sunt) aut neglectæ, aut infirmo fundamento impositæ sunt; & Sensui ipsi (qui non repræsentatur) ingenii quædam facta est substitutio illegitima & infelix, & si qua frequens alicubi inter eorum Scripta inveniatur exemplorum & particularium mentio, id sero, & postquam jam decretum esset de placitis suis, factum esse constat. Nostra autem ratio huic maxime contraria est: quod Tabulæ affatim extra controversiam ponunt. Quibus positis & illud sequitur, admirationem quæ quibusdam ex Antiquis aut alii cuipiam tribuitur, intactam & imminutam manere. Nam in iis quæ in Ingenio & meditatione posita sunt, illi mirabiles homines se præstiterunt. Nostra autem talia sunt, quæ hominum ingenia & facultates fere æquant. Nam quemadmodum ad hoc, ut linea recte describatur, plurimum est in manus & visus facultate, si per constantiam manus & oculorum judicium tantum res tentatur; sin per regulam admotam, non multum. Aut etiam simplicius verba faciamus, quemadmodum ad hoc ut longa oratio recitetur memoriter, homo memoria pollens ab homine oblivioso mirum in modum differt; sin de scripto, non item: Eâdem ratione, ut in Contemplatione rerum, quæ mentis viribus solum incumbit, homo homini præstat vel maxime. In ea autem quæ per Tabulas fit & earum usum rite adhibitum, non multo major in hominum Intellectu eminet inæqualitas, quam in Sensu inesse solet. Quin & ab ingeniorum acumine & agilitate, dum suo motu feruntur, periculum metuimus. Itaque hominum ingeniis non plumas aut alas: sed plumbum & pondera addimus. Accedit & illud, quod rem omnium difficillimam (si vis & contentio adhibeatur) per Tabulas nostras sponte secuturam non diffidimus; hanc ipsam ut postquam homines primo aditu fortasse difficiles & alieni, paulo post nativæ rerum subtilitati, quæ oculis suis subjicitur, & differentiis in experientia plane signatis & expressis, assueverint; continuo fere subtilitatem verborum & disputationum, quæ huc usque hominum cogitationes occupavit, & tenuit, quasi pro re ludicra & quadam incantatione & spectro habituri sint; atque de Natura decretuti, quod de fortuna dici solet, eam à fronte capillatam, ab occipitio calvam esse. Omnem enim istam seram & præposteram subtilitatem, postquam tempus rerum præterierit, Naturam prensare & captare, sed nunquam apprehendere & capere posse. Etiam vivum nos & plane animatum docendi genus adhibuisse arbitramur. Non enim Scientiam à stirpibus avulsam, sed cum radicibus integris tradimus, ut in ingeniis melioribus velut in gleba feraciore transplantata, magnum & felix incrementum recipere possit. Nos autem si quâ in re vel male credidimus, vel obdormivimus & minus attendimus, vel defecimus, & inquisitionem abrupimus: nihilominus rem ita proposuimus, ut & errores nostri, antequam massam scientiæ altius inficiant, notari & separari possint: atque etiam ut facilis & expedita sit laborum nostrorum successio & continuatio: Tum autē homines vires suas noscent, cum non eadem infiniti sed omissa alii præstabunt. Etiam illud ludibrium avertisse videmur, cui frequens nostra operum mentio & inculcatio exponi posset; nisi homines inter res ipsas versari coëgissemus, hoc est, ut homines opera quæ ab aliis exigimus, & à nobis poscerent: facile enim quivis jam perspiceret, non frustra nos de operibus sermonem intulisse, cum in Tabulis ipsis paucis nec novorum operum designationes & fœnora reperiet, atque simul rationem nostram plane perspiciet: non opera ex operibus, (scilicet ut Empirici solent) sed ex operibus causas, ex causis rursus opera nota, ut legitimi Naturæ Interpretes, educendi: atque propterea evitandi præmaturam & effusam à principio ad opera deflexionem, atque hujus rei legitimum & præstitutum tempus observandi & expectandi. Postremo & illud videmur effecisse, ut homines non solum de vi & instituto hujus Instaurationis nostræ, sed etiam de mole & quantitate ejus veras opiniones habeant, ne forte alicui in mentem venire possit, hoc quod molimur, vastum quiddam esse, & supra humanas vires, cum contra plerumque fiat, ut quod magis utile magis finitum sit: Hæc vero de Natura Inquisitio, vel singulis non sit pervia, conjunctis vero operis etiam expedita. Quod ut pateat magis, Digestum Tabularum addere visum est. Primæ Tabulæ sunt de Motu; Secundæ de calore & frigore, Tertiæ, de radius rerum & impressionibus ad distans; Quartæ, de vegetatione & vitis; Quintæ, de passionibus corporis Animalis: Sextæ de sensu & objectis: Septimæ de Affectibus animi: Octavæ de Mente & ejus facultatibus. Atque hæ Tabulæ ad Naturæ separationem pertinent, & sunt ex parte formæ. Ad constructionem autem Naturæ pertinent & ex parte Materiæ sunt Tabulæ, quæ sequuntur. Nonæ, de Architectura Mundi; Decimæ, de Relativis Magnis, sive accidentibus Essentiæ: Undecimæ, de corporum consistentiis, sive inæqualitate partium: Duodecimæ, de speciebus sive rerum fabricis & societatibus ordinariis; Decimæ tertiæ, de Relativis parvis, sive proprietatibus; ut universa Inquisitio per Tredecim tabulas absolvatur. Minores autem Tabulas (quas specilla appellamus) ex occasione & usu præsenti conficimus. Neque enim in illis ipsis ullam nisi per Tabulas, & de scripto Inquisitionem recipimus. Restat pars altera mole minor, vi potior; ut postquam constructionem Machinæ docuimus, etiam de usu Machinæ lucem & consilia præbeamus

FRAN-

FRANCISCI BACONI APHORISMI ET CONSILIA, De AUXILIIS MENTIS Et ACCENSIONE LUMINIS NATURALIS.

HOMO Naturæ minister & Interpres, tantum facit & intelligit, quantum de ordine naturæ opere vel mente observaverit; nec amplius novit aut potest.

Manus hominis nuda, quantumvis robusta & constans, ad opera pauca & facile sequentia sufficit: Eadem ope Instrumentorum, multa & reluctantia vincit. Similis est & Mentis ratio.

Instrumenta manus, motum aut cient, aut regunt: & Instrumenta mentis, Intellectui aut suggerunt, aut cavent.

Super datam materiæ basim naturam quamvis imponere, intra Terminos possibiles, Intentio est humanæ potentiæ. Similiter dat effectus in quovis subjecto causas nosse, Intentio est humanæ scientiæ: quæ Intentiones in idem coincidunt. Nam quod in Contemplatione instar causæ est, in Operatione instar Medii est.

Qui causam alicujus Naturæ, veluti Albedinis, aut Caloris in certis tantum subjectis novit: ejus scientia imperfecta est. Et qui Effectum super certam tantum materiam, ex iis quæ sunt susceptibiles, inducere potest; Ejus potentia pariter est imperfecta.

Qui causas Naturæ alicujus in aliquibus subjectis tantum novit: is Efficientem aut Materiatam causam novit, quæ causæ fluxæ sunt & nihil aliud quam vehicula, & causæ formam deferentes. Qui autem unitatem naturæ in materiis dissimillimis comprehendit, is formas rerum novit.

Qui Efficientes & Materiatas causas novit, is jampridem inventa componit aut dividit, aut transfert aut producit; Etiam ad nova Inventa in materia aliquatenus simili & præparata pertingit: Terminos rerum altius fixos, non movet.

Qui formas novit, is quæ adhuc facta non sunt, qualia nec naturæ vicissitudines, nec experimentales industriæ unquam in actum produxissent, neque cogitationem humanam subitura fuissent, detegit & educit.

Eadem est veritatis & potestatis via & perfectio; hæc ipsa ut formæ rerum inveniantur: Ex quarum notitia sequitur contemplatio vera & operatio libera.

Formarum Inventio simplex est & unica, quæ procedit per Naturarum exclusionem sive rejectionem. Omnes enim Naturæ, quæ aut data Natura præsente absunt, aut data Natura absente adsunt, ex forma non sunt; atque post rejectionem aut negationem completam, manet forma & affirmatio. Exempli gratia, si caloris formam inquiras, & aquam calentem invenias, nec lucidam, rejice lumen: si aërem tenuem invenias, nec calidum, rejice tenuitatem. Hoc breve dictu est; sed longo circuitu ad hoc pervenitur.

Prolatio verborum contemplativa aut operativa re non differunt. Cum enim hoc dicis, Lumen non est ex forma Caloris; idem est ac si dicas: In calore producendo non necesse est, ut etiam lumen producas.

Reliqua non erant perfecta.

Neque hæc Numine nostro eunt. Tu, Pater, conversus ad opera, quæ fecerunt manus tuæ, vidisti quod omnia essent bona valde: Homo autem conversus ad opera, quæ fecerunt manus suæ, vidit quod omnia essent bona valde: Homo autem conversus ad opera, quæ fecerunt manus suæ, vidit quod omnia essent vanitas & vexatio spiritus. Itaque si in operibus tuis sudabimus, facies nos gratulationis tuæ, & sabbati tui participes. Supplices rogamus ut hæc Mens nobis constet; atque ut per manus nostras, familia Humana novis Eleemosynis tuis dotetur. Hæc æterno Amori tuo commendamus, per Iesum Nostrum, Christum tuum, nobiscum Deum.

De INTERPRETATIONE NATURÆ

SENTENTIÆ XII.

De Conditione Hominis.

I.

HOMO Naturæ minister & Interpres tantum facit aut intelligit, quantum de Naturæ ordine re vel mente observabit, ipse interim Naturæ legibus obsessus.

II. Terminus itaque humanæ potentiæ ac scientiæ in dotibus quibus ipse præditus est à natura ad movendum & percipiendum tum etiam in statu rerum præsentium. Ultra enim has bases illa instrumenta non proficiunt.

III. Dotes hæ per se tenues & ineptæ, rite tamen & ordine administratæ tantum possunt, ut res à sensu & actu remotissimas judicio & usui coram sistant, majoremque & operum difficultatem & scientiæ obscuritatem superent, quam quis adhuc optare didicerit.

IV. Una veritas, una Interpretatio: Sensus autem obliquus, animus alienus, res importuna, ipsum tamen Interpretationis opus magis declinans quam difficile.

De impedimentis Interpretationis.

V. Quisquis dubitationis impos, & asserendi avidus principia demum statuet probata (ut credit) concessa & manifesta, ad quorum immotam veritatem cætera ut pugnantia vel obsecundantia recipiet vel rejiciet, is res cum verbis, rationem cum insania, Mundum cum fabula commutabit, interpretari non poterit.

VI. Qui omnem rerum distinctionem, quæ in constitutis vulgo speciebus, vel etiam inditis nominibus elucescit, non miscuerit, confuderit, & in massam redegerit, non unitatem Naturæ, non legitimas rerum lineas videbit, non interpretari poterit.

VII. Qui primum & ante alia omnia animi motus humani penitus non explorarit, ibique Scientiæ meatus & errorum sedes accuratissime descriptas non habuerit, is omnia larvata & veluti incantata reperiet, fascinum ni solverit, interpretari non poterit.

VIII. Qui in rerum obviarum & compositarum causis exquirendis veluti flammæ, somnii, febris, versabitur, nec se ad naturas simplices conferet, ad istas primo, quæ populari ratione tales sunt; deinde etiam ad eas, quæ arte ad veriorem simplicitatem reductæ sunt & veluti sublimatæ, is fortasse, si cætera non peccat, addet inventis quędam non spernenda, & Inventis proxima. Sed nil contra majores rerum secularitates movebit, nec Interpres dicendus erit.

De Moribus Interpretis.

IX. Qui ad interpretandum accesserit, ita se comparet & componat; sit nec novitatis, nec consuetudinis, vel Antiquitatis sectator, nec contradicendi licentiam, nec authoritatis servitutem amplectatur. Non affirmandi sit properus, nec in dubitationem solutus, sed singula gradu quodam probationis insignita provehat. Spes ei laboris, non otii author sit; Res non raritate, difficultate, aut laude, sed veris momentis æstimet. Privata negotia personatus administret, rerum tamen provisus subvenerans. Errorum in veritates, & veritatum in errores subingressus prudenter advertat, nihil contemnens aut admirans. Naturæ suæ commoditates norit. Naturæ aliorum morem gerat, cum nemo lapidi impingenti succenseat. Uno veluti oculo rerum naturas, altero humanos usus perferret. Verborum mixtam naturam & juvamenti & nocumenti in primis participem distincte sciat. Artem Inveniendi cum Invento adolescere statuat. Sit etiam in scientia, quam adeptus est, nec occultanda nec proferenda vanus, sed ingenuus & prudens, tradatque Inventa non ambitiose, aut maligne, sed modo primum maxime vivaci & vegeto, id est ad injurias temporis munitissimo, & ad scientiam propagandam fortissimo, deinde ad errores pariendos innocentissimo, & ante omnia, qui sibi legitimum lectorem seponat.

De officio Interpretis.

X. Ita moratus & comparatus Interpres ad hunc modum procedat. Conditionem hominis reputabit, impedimenta Interpretationis removebit, tum ad opus accinctus Historiam parabit & ordinatas chartarum sequelas, unaque usus, coordinationes, occurrentias & Schedulas instituet. Rerum solitudinem & sui similitudinem repræsentabit. Quin & rerum delectum habebit, quæq; maxime primitivæ sunt vel instantes, id est vel rerū aliarum intentione; vel humanis necessitatibus præcipue conducunt, præordinabit. Instantiarum etiam præeminentias observabit, quæ ad operis compendium plurimum possunt. Atque ita instructus reordinationes demum, & chartas novellas ac ipsam Interpretationem facilem jam & sponte sequentem, imo mente fere præreptam mature & feliciter aggredietur & perficiet. Quod ubi fecerit, continuo veros, æternos & simplicissimos Naturæ motus, ex quorum ordinato & calculatissimo progressu infinita hæc tum præsentis, tum omnis ævi varietas emergit, pura & nativa luce videbit & numerabit. Interimque ab initio operis humanis rebus multa & incognita veluti fœnus, assidue recipere non omittet. Sed hinc denuo totus in humanos usus rerumque præsentium statum conversus & intentus, omnia diversa via & ad actionem ordinabit & disponet. Naturis secretissimis alias declaratorias, & absentissimis alias superinductorias assignabit. Et deinde tandem veluti altera Natura plerumquitates condet, quarum errores pro monstris sint, salva etiam tamen sibi Artis prærogativa.

De provisu rerum.

XI. Tu autem spe & studio languidis hæc hauris (*fili*) mirarisque si tanta superfit operum fructuosissimorum & prorsus incognitorum ubertas, ea non antehac, aut jam subito esse inventa, simul etiam, cujusmodi ea sint, nominatim requiris, visq; tibi aut immortalitatem, aut Indolentiam, aut voluptatem transportantem promitti. Verum tu tibi largire (*fili*) spemque ex Scientia aucupabere, ut ex ignorantia desperationem cœpisti. An etiam Arte adoptandum est opus? At dubitationi tuæ quoad licet satisfaciam, moremque tibi geram. Quod hæc subito nota sint, nil mirum (*fili.*) Scientia celeris, tempus tardi partus est. Etiam nobilia, quæ ante hæc inventa sunt, non luce prioris cognitionis sensim, sed casu (ut loquuntur) affatim inventa sunt. In Mechanicis autem est quædam rei jam inventæ extensio, sed novæ inventionis nomen non meretur. Non longum (*fili*) sed ambiguum est iter. Quod autem hæc non ante hoc tempus in conspectum se dedisse ajo, An tibi compertum est quantum omni Antiquitati, vel omnibus in regionibus, vel etiam singulis hominibus innotuerit? Sed fere assentior tibi (*fili*) teque altius manu ducam. Non dubitas quin si homines non forent, multa eorum quæ Arte (ut loquuntur) facta sunt, defutura fuissent, ut statuam marmoream, stragulam vestem. Age vero, & homines an non habent & ipsi suos motus quibus obtemperant? Sane (*fili*) magis subtiles, & difficilius à scientia comprehensos, sed æque certos. Profecto, inquies, homines Voluntati parent. Audio, sed hoc nihil est. Qualis causa est Fortuna in Universo, talis est Voluntas in homine. Si quid ergo nec sine homine producitur, & jacet etiam extra hominis vias, an non nihilo æquale est? Homo etiam in quædam veluti occurrentia impingit, alia fine prævisо & mediis cognitis exequitur. Mediorum tamen Notitiam ex obviis sumit. Quo igitur in numero reponentur ea, quæ nec effectum obvium, nec operationis modum & lucem ex obviis sortiuntur. Talia opera *Epistemides* vocantur, id est scientiæ filiæ, quæ non alias in actum veniunt, quam per scientiam & Interpretationem meram, cum nihil obvii contineant. Inter hæc autem & obvia quot gradus numerari putas? Tene (*fili*) & obsigna.

XII. Postremo loco tibi consulo (*fili*) quod facto inprimis opus est, hoc est ut mente illummata & sobria Interpretationem rerum divinarum & naturalium distinguas, neve has ullo modo inter se committi patiare. Satis erratum est in hoc genere. Nihil hic nisi per rerum inter se similitudines addiscitur. Quæ licet dissimillimæ videantur, premunt tamen similitudinem germanam interpreti notam. Deus autem tibi tantum similis est absque

absque tropo. Quare nullam ad ejus cognitionem hinc lucis sufficientiam exspecta. Da fidei, quæ fidei sunt.

Tradendi Modus legitimus.

Reperio *(fili)* complures in rerum Scientia quam sibi videntur adepti vel proferenda, vel rursus occultanda neutiquam è fide sua ac officio gerere. Eodem damno, licet culpa fortasse minore, peccant & illi, qui probe quidem morati, sed minus prudentes sunt, nec artem ac præcepta tenent, quo quæq; modo sint proponenda. Neq; tamen de hac tradentium Scientias sive malignitate sive inscitia querela est instituenda. Sane si rerum pondera docendi imperitia fregissent, non immerito quis indignetur. Rerum vero ineptiis docendi importunitatem vel jure deberi existimandū est. Ego autem longe ab his diversus te impertiturus, non ingenii commenta, nec verborum umbras, nec religionem admistam, nec observationes quasdam populares, vel experimenta quædam nobilia, in Theoriæ fabulas concinnata; sed revera Naturam cum fœtibus suis tibi addicturus & mancipaturus, num videor dignum argumentū præ manibus habere, quod tractandi vel ambitione, vel inscitia, vel vitio quovis polluam? Ita sim *(fili)* itaq; humani in Universum imperii angustias nunquam satis deploratas ad datos fines proferam (quod mihi ex humanis solum in votis est) ut tibi optima fide, atq; ex altissima mentis meæ providentia, & exploratissimo rerū & animorū statu hæc traditurus sim modo omniū maxime legitimo. Quis tandē (inquies) est modus ille legitimus? Quin tu mitte Artes & ambages, rem exhibe nudam nobis, ut judicio nostro uti possimus. Atque utinam *(fili suavissime)* eo loco sint res vestræ, ut hoc fieri posset. An tu censes, cum omnes omnium Mentium aditus ac meatus obscurissimis Idolis, iisque alte hærentibus & inustis obsessi & obstructi sint, veris rerum & nativis radiis sinceras & politas areas adesse? Nova est ineunda ratio, qua mentibus obductissimis illabi possimus. Ut enim Phreneticorum deliramenta arte & ingenio subvertuntur, vi & contentione efferantur omnino, ita in hac universali insania mos gerendus est. Quid? leviores illæ conditiones, quæ ad legitimum scientiæ tradendæ modum pertinent, an tibi tam expeditæ & faciles videntur? ut modus innocens sit, id est, nulli prorsus errori ansam & occasionem præbeat? ut vim quandam insitam & innatam habeat tum ad fidem conciliandam, tum ad pellendas injurias temporis, adeo ut scientia ita tradita veluti planta vivax & vegeta quotidie serpat & adolescat? ut idoneum & legitimum sibi lectorem seponat, & quasi adoptet? Atq; hæc omnia præstiterim nec ne, ad tempus futurum provoco.

CAPUT SECUNDUM.

PLane autem non dissimulo *(fili)* mihi quopiam submovendos esse philosophastros istos poëtis ipsis fabulosiores, stupratores Animorum, rerum falsarios, & multo etiam magis horum satellites & parasitos, professoriam illam & meritoriam turbam. Quis carmen præit, ut hoc oblivioni devoveam? quod enim veritati silentium, si isti brutis suis & inarticulatis rationibus obstrepant? verum tuti? forsitan fuerit nominatim eos damnare, ne, cum tanta authoritate vigeant, non nominati excepti videantur; neve quis putet cum inter ipsos tam gravia & internecina exerceantur odia, & tanta dimicatione certetur, me ad has larvarum & umbrarum pugnas alteri parti velut subsidio missum. Itaq; citetur Aristoteles, pessimus sophista, inutili subtilitate attonitus, verborum vile ludibrium. Ausus etiam, tum cum forte Mens humana ad verticē aliquam casu quopiam tamquam secunda tempestate delata acquiesceret, injicere durissimas animis compedes, Artemque quandam insaniæ componere, nosq; verbis addicere? Quin & ex istius sinu educti nobis sunt ac enutriti, vaferrimi illi nugatores, qui cum à perambulatione mundana, ac omni rerum ac Historiæ luce se avertissent, ex hujus maxime præceptorum & positionum ductili admodum materia, & ingenii inquieta agitatione, numerosissimas Scholarum quisquilias nobis exhibuêre. Iste autem horum Dictator tanto illis accusatior, quod etiam in Historiæ apertis versatus, subterraneæ alicujus specus opacissima Idola retulit. Atque super ipsam quidem Historiam rerum particularium quasdam veluti operas aranearum exstruxit, quas causas videri vult, cum sint nullius prorsus roboris vel pretii. Quales etiam nostra ætate multa cum satagētia fabricavit Hieronymus Cardanus, uterque rebus ac sibi discors. Ne vero *(fili)* cum hanc contra Aristotelem sententiam fero, me cum rebelle ejus quodam neoterico *Petro Ramo* conspirasse augurêre. Nullum mihi commercium cum hoc ignorantiæ latibulo, perniciosissima literarum tinea, compendiorum Patre, qui cum Methodi suæ & compendii vinclis res torqueat & premat, res quidem, si qua fuit, elabitur protinus & exilit; Ipse vero aridas & desertissimas nugas stringit. Atque *Aquinas* quidem cum *Scoto* & Sociis etiam in non rebus rerum varietatem effinxit, hic vero etiam in rebus non rerum solitudinem æquavit. Atq; hoc hominis cum sit, humanos tamen usus in ore habet impudens, ut mihi etiam pro Sophistis prævaricari videatur. Verum hos missos faciamus. Citetur jam & Plato, cavillator Urbanus, tumidus Poëta, Theologus mente captus. Tu certe dum rumores nescio quos Philosophicos limares & simul committeres ac Scientiam dissimulando simulares, animosque vagis inductionibus tentares & exsolveres, vel literatorum vel civiliū Virorū conviviis sermones, vel etiam sermonibus quotidianis gratiam & amorem subministrare potuisti. Verum cum veritatem humanæ Mentis incolam, veluti indigenam nec aliunde commigrantem mentireris, animosq; nostros ad Historiam & res ipsas nunquam satis applicatos & reductos averteres, ac se subingredi, ac in suis cæcis & confusissimis Idolis volutare contemplationis nomine doceres, tum demum fraudem capitalem admisisti. Deinde etiam tu scelere haud minore stultitiæ apotheosin introduxisti, & vilissimas cogitationes religione munire ausus es. Nam levius malum est, quod Philologorum parens extitisti, ac tuo ductu & auspiciis plurimi ingenii fama & cognitionis rerum populari & molli jucunditate capti & contenti severiorem veri perveſtigationem corruperunt. Inter quos fuêre *Marcus Cicero* & *Annæus Seneca*, & *Plutarchus Cheronens* & complures alii neutiquam his pares. Nunc ad Medicos pergamus. Video *Galenum*, virum angustissimi animi, desertorem experientiæ, & vanissimum causatorem. Tune Galene is es, qui

Medicorum inscientiam & desidiam etiam infamiæ eximis, & in tuto collocas, Artis ac officii eorum finitor ignavissimus? qui tot morbos insanabiles statuendo, tot ægrotorum capita proscribis, horumq; spem, illorum industriam præcidis? ô Canicula! ô pestis! Tu mistionis commentum Naturæ prærogativam; Tu inter calores astri & ignis seditionem avide arripiens & ostentans, ubique humanam potestatem malitiose in ordinem redigis, & ignorantiam desperatione in æternum munire cupis. Do indignitati tuæ ne te amplius morer. Abducas etiam tecum licet socios tuos & fœderatos Arabes dispensatoriorum conditores, qui pari cum cæteris in Theoriis amentia copiosius quidem è supinissimis conjecturis Medicinarum vulgarium pollicita magis quam auxilia composuêre. Nec non cape comites perfunctoriam Neotericorum turbam. Heus nomenclator suggere. Atqui respondet, ne dignos esse quorum nomina teneat. Sane ut inter hujuscemodi nugatores gradus quosdam agnosco pessimum & absurdissimum genus eorum, qui Methodo & acribologia universam artem comprehendunt, quibus vulgo ob elocutionem & ordinem applauditur; qualis est *Fernelius*. Minus incommodi sunt, qui majorem observationum & experimentorum varietatem & proprietatem ostendunt, licet stultissimis causationibus dilutam & immersam, ut *Arnoldus de Villa Nova*, & alii id genus. Intueor ab altera parte cohortem chymistarum, inter quos se ante alios jactat *Paracelsus*, qui audacia meruit ut separatim coërceatur. Atque superiores illi, quos modo perstrinximus, mendacia, tu Monstra. Quæ tu novis Bacchi oracula in Meteoricis fundis æmule *Epicuri*? Ille tamen in hac parte tamquam indormiscens & aliud agens opiniones veluti sorti committit. Tu omni sorte stultior in absurdissimi cujusque mendacii verba jurare paratus es. Verum alia tua videamus. Quas tu fructuum elementorum tuorum inter se imitationes? quas correspondentias? quæ parallela somnias, Idolorum conjugator fanatice? Nam hominem scilicet pantomimum effecisti. Quam præclaræ autem sunt interpunctiones illæ, quibus Naturæ unitatem lacerasti, species nimirum tuæ? Quare facilius Galenum fero elementa sua ponderantem, quam te somnia tua ornantem. Illum enim occultæ rerum proprietates, te communes & promiscuæ qualitates exagitant. Nos interim miseros qui inter tam odiosas ineptias degimus. Principiorum autem Triadem, commentum haud ita prorsus inutile & rebus aliqua ex parte finitimum, quam importune inculcat homo impostura peritissimus? Audi adhuc crimina graviora. Tu divina Naturalibus, sacris profana, fabulis hæreses miscendo veritatem (sacrilege impostor) tum humanam, tum religiosam polluisti. Tu lumen Naturæ (cujus sanctissimũ nomen toties impuro ore usurpas) non abscondisti, ut Sophistæ, sed exstinxisti. Illi Experientiæ desertores, Tu proditor. Tu evidentiam rerum crudam & personatam contemplationi exprescripto subjiciens, & substantiarum Proteos pro motuum calculis, quærens, Scientiæ fontes corrumpere, & humanam Mentem exuere conatus es; & ambages & tœdia Experimentorum, quibus Sophistæ adversi, Empirici impares sunt, novis & adscititiis, auxisti, tantum abest ut Experientiæ repræsentativam secutus sis, aut noveris. Nec non Magorum hiatus ubique pro viribus amplificast, importunissimas cogitationes spe, spem promissis premens, impostura tum artifex, tum opus. Invideo tibi (*Paracelse*) è sectatoribus tuis unum *Petrum Severinum*, virum non dignum, qui istis ineptiis immoriatur. Tu certe *Paracelse* ei plurimum debes, quod ea quæ tu (Asinorum adoptive) rudere consueveras, cantu quodam & modulatione, & gratissimo vocum discrimine jucunda & harmonica effecit, & mendaciorum odia in fabellæ oblectamenta traduxit. Tibi vero, *Severine*, veniã do, si Sophistarum doctrinam, non solum operum effœtam, verum desperationem ex professo captantem, pertœsus alia rebus nostris labentibus firmamenta quæsivisti. Cumque Paracelsica ista se obtulissent & ostentationum præconiis, & obscuritatis subterfugiis, & religionis affinitatibus, & alio fuco commendata, te in hoc non rerum fontes, sed spei hiatus jactu quodam indignationis dedisti. Rite & ordine feceris, si ab ingenii placitis ad Naturæ scita te transtuleris, tibi non modo *Artem brevem*, *sed & vitam longam* porrectura. Jam cæteros Chymistas sententiã in *Paracelsum* latã defixos cerno obstupescere. Agnoscunt profecto decreta sua, quæ iste magis promulgavit, quam posuit, ac arrogantia pro cautelis (haud plane ex antiqua disciplina) communivit. Ubi sane magna mentiendi reciprocatione inter se conciliati largas ubique spes ostentant, & per Experientiæ quidam devia vagi, in quædam utilia casu, non ductu, quandoque impinguntur. In Theoriis vero iisdem ab arte sua (utpote fornacis discipuli) non recesserunt. Verum & delicatus ille adolescentulus cum scalmum in littore reperisset, navem ædificare concupivit: Ita carbonarii isti ex pauculis distillationum experimentis Philosophiam condere aggressi sunt, ubique istis separationum & liberationum absentissimis Idolis obnoxiam. Nec hos tamen uno ordine omnes habeo: siquidem utile genus eorum est, qui de Theoriis non admodum solliciti, Mechanicã quadam subtilitate rerum inventarum extensiones prehendunt; qualis est *Bacon*. Sceleratum & sacrum eorum, qui undique Theoriis suis plausus conquirunt, ambientibus etiam & pro iis supplicantibus Religione, spe, & impostura. Talis est *Isaac Hollandus*, & turbæ Chymistarum pars longe maxima. Age citetur jam *Hippocrates*, Antiquitatis creatura & annorum venditor. In cujus Viri authoritatem cum *Galenus* & *Paracelsus* magno uterque studio, velut in umbram Asini, se recipere contendat, quis non cachinnum tollat. Atque iste homo certe in Experientia obtutu perpetuo hærere videtur, verum oculis non natantibus & acquirentibus, sed stupidis & resolutis. Deinde à stupore visu parum recollecto Idola quædam non immania quidem illa Theoriarum, sed elegantiora ista, quæ superficiem Historiæ circumstant, excipit, quibus haustis tumens & semisophista, & brevitate (de illius ætatis more) tectus oracula demum (ut his placet) pandit, quorum ii se interpretes haberi ambiunt; cum revera nihil aliud agat, quam aut sophistica quædam per abruptas & suspensas sententias tradens redargutioni subducat; aut rusticorum observationes supercilio donet.

Atque

Atque ad hujus quidem Viri instituta, non tam improba quam inutilia proxime (ut etiam vulgo creditur) accedit *Cornelius Celsus*, sed intentior sophista, & Historiæ modificatæ magis obstrictus, idem moralem moderationem Scientiæ progressibus aspergens, & errorum extrema amputans, non prima evellens. Atque de istis verissima quidem hæc sunt. Nunc autem scisciantem te audio (*fili*) an non forte deteriora, ut fit, voluère? Præsertim cum status scientiæ sit semper fere Democraticus? An non tempus veluti flumen levia & inflata ad nos devexit, solida & gravia demersit? Quid veteres illi veritatis inquisitores *Heraclitus*, *Democritus*, *Pythagoras*, *Anaxagoras*, *Empedocles* & alii, alienis non propriis scriptis noti? Quid denique de silentio & secretis Antiquitatis statuis. Ego (*fili*) ut tibi (ex more meo, id est usu tuo) respondeam, Antiquitatis fragmentum unum aut alterum (Inventorum dico non librorum) agnosco: idque ipsum tamen magis ut diligentiæ & ingenuitatis specimen, quam scientiæ authoris. De iis vero rebus, quæ cum vestigiis suis aufugere, si innuerem laboriosa esse ista conjecturarum aucupia, nec consentaneum me utilitates in posterum humano generi parantem ad Antiquitatis philologiam retrogredi, sat scio pro modestia tua acquiescères. Verumtamen ut perspicere possis, quam res præsentes bifrontes vates sint, quamque & futuras & præteritas coram sistant, decrevi utriusque temporis tabulis (quæ non tantum scientiæ decursus & fluxus, sed & alios rerum provisus complectantur) tibi gratificari. Neque tu hoc quale sit (antequam videas) augurêre. Non enim cadit in te vera hujusce rei Anticipatio. Nec si minus ad manus tuas veniat, requiras. Gratificor enim (inquam) quibusdam vestrum hac in re (fili) & delicatioribus spiritus concilio. Omnino Scientia ex Naturæ lumine petenda, non ex Antiquitatis obscuritate petenda est. Nec refert quid factum fuerit, illud videndum quid fieri possit. An tu si regnum tibi armis & victori bello subjugatum traderetur, quæstiones necteres utrum Majores tui illud tenuerint nec ne, & Genealogiarum rumores sollicitares? Atque hæc de Antiquitatis penetralibus dicta sunt. De istis vero Sectarum ducibus, quæ nominasti, & compluribus aliis id genus, facilis sententia est. Errori varietas, veritati unitas competit. Ac nisi temporum politiæ & provisus ejusmodi ingeniorum peregrinationibus adversiores exstitissent, multa etiam aliæ Errorum Oræ fuissent peragratæ. Immensum enim pelagus veritatis Insulam circumluit; & supersunt adhuc novæ ventorum Idolorum injuriæ & disjectiones. Quin etiam nudiustertius *Bernardinus Telesius* scenam conscendit, & fabulam novam egit, nec plausu celebrem, nec argumento elegantem. At non vides (*fili*) tum Eccentricorum & Epicyclorum ingeniatores, tum terræ Aurigas, æqua & ancipiti Phænomenorum advocatione gaudere? Prorsus ita & in universalibus Theoriis fit. Nam veluti si quis lingua tantum vernacula uti sciens (adverte *fili*, nam simile est admodum) Scripturam ignoti sermonis capiat, ubi paucula quædam verba sparsim observans suæ linguæ vocabulis sono & literis finitima, illa quidem statim ac fidenter ejusdem esse significationis ponit (licet ab ea sæpius longissime recedat) postea ex iis invicem collatis reliquum orationis sensum multo ingenii labore, sed & multa libertate, divinat. Omnino tales & isti Naturæ Interpretes inveniuntur. Nam Idola quisque sua (non jam scenæ dico, sed præcipue fori & specus) veluti linguas vernaculas diversas, ad Historiam afferentes, confestim quæ simile aliquid sonant, arripiunt, cætera ex horum symmetria interpretantur. Atque jam tempus est (*fili*) ut nos recipiamus & expiemus, utpote qui tam profana & polluta (licet importandi animo) attrectaverimus. Ego vero adversus istos omnes minora quam pro ipsorum sontissimo reatu dixi. Tu tamen fortasse minus istam redargutionem intelligis. Nam pro cetto habeas (*fili*) sententias istas, quas adversus istos tuli, nihil minus esse quam contumeliam. Ego enim non ut *Vellejus* apud *Ciceronem*, declamator & philologus opiniones cursim perstringens, & magis abjiciens quam frangens, velut *Agrippa*, Neotericus homo, in istiusmodi sermone ne nominandus quidem, sed trivialis scurra, & singula distorquens & lusui propinans (me miserum, qui hominum defectu cum brutis me conferre necesse habeam!) ita me gessi. Verum sub maledicti velo miras accusationum animas, & singulari artificio in singula fere verba contractas & reductas & exquisitissima oculi acie in ipsa criminum ulcera directas & vibratas postmodum respiciens videbis. Atque cum isti criminibus & reatu valde inter se mixti & implicati forent, tamen singulos indiciis maxime propriis, iisdem autem capitalibus, reos feci. Mens enim humana (*fili*) rerum incursibus & observationibus turgida varias admodum errorum species molitur & educit. Aristoteles vero velut unius est speciei planta procerior, sic & Plato & alii deinceps. At confutationes particulares requiris. Næ illud peccatum fuerit largiter in humani generis *fortunam auream* pignus imperii, si ego ad umbrarum fugacissimarum insecutionem deflecterem. Unum (*fili*) in medio ponendum est veritatis lumen clarum & radiosum, quod omnia collustret, & errores universos momento dispellat. Non infirmi quidam & pallidi lychni ad singulos errorum & mendaciorum angulos & sinus circumferendi sunt. Quare quod petebas detestare (fili) nam profanum est valde. Subinde vero interrogantem te audio. Num quæ isti universi asseruerunt, omnia prorsus vana & falsa fuere? Atqui (*fili*) infelicitatem jam narras, eamque prodigiosam, non ignorantiam. Nemo enim non quandoque in aliquod verum impingitur. *Heraclitum*, cum Scientiam ab hominibus in mundis privatis, non in mundo communi quæsitam diceret, bene in philosophiæ introitu litasse video. *Democritum*, cum Naturæ immensam varietatem & infinitam successionem tribuens, se è regione sisteret cæterorum fere Philosophorum, *sectalaritatibus* deditissimorum, & mancipiorum consuetudinis, & hac oppositione utrumque mendacium in se collidendo perderet, & veritati inter extrema viam quandam aperiret, non infeliciter philosophatum esse reputo. *Pythagoræ* numeros etiam boni ominis loco pono. *Dindamum* Indum quod morem *Antiphysin* dixerit, laudo. Quin & *Epicurum* adversus causarum (ut loquuntur) per intentiones & fines explicationem disputantem licet pueriliter & Philologice, tamen non invitus audio. Etiam *Pyrrhonem* & *Academicos* vacillantes, & è lintre loquentes, & erga

Idola se gerentes veluti amatores quosdam morosos (qui Amasios suos semper probris afficiunt, nunquam deserunt) animi & hilaritatis gratia adhibeo. Nec immerito. Cæteros enim Idola prorsum agunt, hos vero in orbem; quod jocosius est. Denique *Paracelsum* & *Severinum* cum tantis clamoribus homines ad Experientiæ suggestum convocant, præcones mihi exopto. Quid igitur? Num veritatis compotes isti? Nihilo minus. Et rusticorum (*fili*) proverbia nonnulla apposite ad veritatem dicuntur. Sus rostro si forte humi A literam impresserit, num propterea suspicabere integram Tragœdiam veluti literam unam, ab ea posse describi? Longe alia est ratio (*fili*) veritatis quæ est scientiæ analogia, alia quæ ex Idoli sectione enuntiatur. Illa constans & quota-gemina, hæc discors & solitaria. Quod etiam in operibus fit. Pulvis tormentorum si ductu non casu (ut loquuntur) & impactu inventum fuisset, non solitarium, sed cum multa inventorum nobilium (quæ sub eundem Meridianum cadunt) frequentia prodiisset. Sic & alia tum opera, tum posita. Quare moneo, si forte Idolum aliquod alicujus istorum meam, id est, rerum veritatem aliquo in puncto secuerit, noli aut de iis majora, aut de me inferiora cogitare, cum satis appareat, ex reliquorum ignoratione ipsa illa non ex scientiæ Analogiâ eos dixisse. Adhuc instas (*fili*) num ergo universas istorum chartas thuri & odoribus amicula fieri jubes? Non illud dixerim. Manet enim paulisper aliquis eorum usus, tenuis quidem & angustus, & longe alius quam in quem destinatæ erant, ac nunc usurpantur, sed tamen aliquis. Adde & alias multas chartas illis celebritate obscuriores usu præstantiores esse. Aristotelis & Platonis moralia plerique mirantur. Sed Tacitus magis vivas morum observationes spirat. Verum quæ tandem utilitas ex chartis capi possit, quæque aliæ aliis utilitate antecedant, quæque minima pars sint chartarum munera eorum, quæ ad Interpretationem Naturæ conferunt, suo loco dicetur. Postremo (*fili*) ita te querentem audio. Num tu te in istorum omnium locum sufficis? Respondebo, atque id dissimulanter, & ex intimo sensu meo. Ego (*fili suavissime*) tibi sanctum, castum & legitimum connubium cum rebus ipsis firmabo. Ex qua consuetudine (supra omnia Epithalamiorum vota beatissimam prolem vere Heroum (qui infinitas humanas necessitates, omnibus Gigantibus, monstris & Tyrannis exitiosiores, subacturi sunt, & rebus vestris placidam, & festam securitatem, & copiam conciliaturi) suscipies. Ego vero (*fili*) si te jam animo ab Idolis non repurgato, vertiginosis Experientiæ ambagibus committerem, nè tu Ducem citò desiderares. Idola autem exuere simplici præcepto meo sine rerum notitia, ne si velles maxime, posses. In Tabulis nisi priora deleveris, non alia inscripseris. In Mente contra. Nisi alia inscripseris non priora deleveris. Atque ut hoc fieri posset, ut *Idola hospitia* exueres, tamen periculum omnino est, ut ab *Idolis viæ* non initiatus obruare. Nimis duci assuevisti. Etiam Romæ firmata semel Tyrannide semper postea sacramentum in Senatus populique Romani nomen irritum fuit. Confide (*fili*) & da te mihi, ut te tibi reddam.

De

INTERPRETATIONE NATURÆ

PROOEMIUM.

EGo cum me ad utilitates humanas natum existimarem, & curam Reip. inter ea esse, quæ publici sunt juris, & velut *undam aut auram omnibus patere* interpretaret, & quid hominibus maxime conducere posset quæsivi, & ad quid ipse à Natura optime factus essem, deliberavi. Inveni autem nil tanti esse erga Genus Humanum meriti, quam novarum rerum & artium, quibus hominum vita excolatur, inventionem & auctoramentum. Nam & priscis temporibus apud homines rudes, rudium rerum Inventores & monstratores, consecratos fuisse, & in Deorum numerum optatos, animadverti; & acta Heroum, qui vel urbes condiderunt, vel Legumlatores exstiterunt, vel justa imperia exercuerunt, vel injustas dominationes debellarunt, locorum & temporum angustiis circumscripta esse notavi. Rerum autem Inventionem, licet minoris pompæ sit res, ad Universalitatis & æternitatis rationem magis accommodatam esse censui. Ante omnia vero si quis non particulare aliquod inventum, licet magnæ utilitatis, eruat, sed in Natura lumen accendat, quod ortu ipso oras rerum, quæ res jam inventas contingunt illustret, dein paulo post elevatum abstrusissima quæque patefaciat & in conspectum det, is mihi humani in Universum imperii propagator, libertatis vindex, necessitatum expugnator, visus est. Me ipsum autem ad veritatis contemplationes, quâ ad alia magis fabrefactum deprehendi, ut qui Mentem & ad rerum similitudinem (quod maximum est) agnoscendum, satis mobilem, & ad differentiarum subtilitates observandas satis fixam & intentam haberem, qui & quærendi desiderium, & dubitandi patientiam, & meditandi voluptatem, & asserendi cunctationem, & resipiscendi facilitatem, & disponendi sollicitudinem tenerem, quique nec novitatem affectarem, nec Antiquitatem admiraret, & omnem imposturam odissem. Quare Naturam meam cum veritate quandam familiaritatem & & cognationem habere judicavi. Attamen cum genere & educatione rebus civilibus imbutus essem, & opinionibus aliquando, utpote Adolescens, labefactarer, & Patriæ me aliquid peculiare, quod non ad omnes alias partes ex æquo pertineat, debere putarem, speraremque me, si gradum aliquem honestum in Rep. obtinerem, majore ingenii, & industriæ subsidio quæ destinaveram perfecturum, & Artes civiles didici, & quâ debui modestiâ Amicis meis, qui aliquid possent, salva ingenuitate me commendavi. Accessit & illud, quod ista, qualiacunque sint, non ultra hujusce mortalis vitæ conditionem & culturam penetrant, subiit vero spes me natum Religionis statu haud admodum prospero, posse si civilia munia obirem, & aliquid ad animarum salutem boni procurare. Sed cum studium meum ambitioni deputaretur, & ætas jam consisteret, & valetudo affecta & malæ tarditatis meæ me admoneret, & subinde reputarem me officio meo nullo modo satisfacere, cum ea, per quæ ipse hominibus per me prodesse possem, omitterem, & ad ea quæ ex alieno arbitrio penderent, me applicarem, ab illis cogitationibus me prorsus alienavi, & in

in hoc opus ex priore decreto me totum recepi: nec mihi animum minuit, quod ejus, quæ nunc in usu est, doctrinæ & Eruditionis declinationē quandam & ruinam in temporum statu prospicio; Tametsi enim Barbarorum incursiones non metuam (nisi forte Imperiū Hispanum se corroboraverit, & alios armis, se onere oppresserit & debilitarit) tamē ex bellis civilibus (quæ mihi videntur propter mores quosdam, non ita pridem introductos, multas regiones peragratura) & ex Sectarum malignitate, & ex compendiariis istis artificiis & cautelis, quæ in Eruditionis locum surrepserunt, non minor in literas & scientias procella videbatur impendere. Nec typographorum officina his malis sufficere queat. Atque ista quidem imbellis Doctrina, quæ otio alitur, præmio & laude efflorescit, quæ vehementiam opinionis non sustinet, & artificiis & imposturis eluditur, iis quæ dixi, impedimentis obruitur. Longe alia ratio est Scientiæ, cujus dignitas utilitatibus & operibus munitur. Ac de Temporum injuriis fere securus sum, de hominū vero injuriis non laboro. Si quis enim me nimis altum sapere dicat, respondeo simpliciter, In civilibus rebus esse modestiæ locum, in contemplationibus veritati. Si quis vero opera statim exigat, a jo sine omni impostura, me hominē non senem valetudinarium, civilibus studiis implicatum, rem omnium obscurissimam sine duce ac luce aggressum satis profecisse, si machinam ipsam ac fabricam exstruxerim, licet eam non exercuerim aut moverim. Ac eodē candore profiteor, Interpretationem naturæ legitimā in primo adscensu, antequam ad gradum certum Generalium perventum sit, ab omni applicatione ad opera puram ac se junctam servari debere. Quin & eos omnes, qui Experientiæ se undis aliqua ex parte dediderunt cum animo parum firmi, aut ostentationis cupidi essent, in introitu operum pignora intempestive investigasse, & inde exturbatos & naufragos fuisse scio. Si quis autem pollicitationes saltem particulares requirat, is noverit homines per eam, quæ nunc in usu est, scientiam, ne satis doctos ad optandum quidem esse. Quod autē minoris momenti res est, si quis ex politicis judicium suum in istiusmodi re inserere præsumat, quibus moris est ex personæ calculis singula æstimare, vel ex similis conatus exemplis conjecturam facere, illi dictum volo & illud vetus, claudum in via, cursorem extra viam antevertere, & de exemplis non cogitandum, rem enim sine exemplo esse. Publicandi autem ista ratio ea est, ut quæ ad Ingeniorum correspondentias captandas & Mentium areas purgandas pertinent, edantur in vulgus & per ora volitent; reliqua per manus tradantur cum electione & judicio. Nec me latet, usitatum & tritum esse impostorum artificium, ut quædam à vulgo secernant, nihilo iis ineptiis, quas vulgo propināt, meliora. Sed ego sine omni impostura ex providentia sana prospicio ipsam Interpretationis formulā, & Inventa per eandem, intra legitima & optata ingenia clausa, vegetiora & munitiora futura. Ipse vero alieno periculo ista molior. Mihi enim nil eorum, quæ ab externis pendent, cordi est. Neque enim famæ auceps sum, nec Hæresiarcharum more Sectam condere gratum habeo, & privatum aliquod emolumentum ex tanta molitione captare ridiculum & turpe duco. Mihi sufficit meriti conscientia, & ipsa illa rerum effectio, cui ne fortuna ipsa intercedere possit.

FRANCISCI BACONI

TOPICA INQUISITIONIS

DE LUCE ET LUMINE.

I. *Tabula præsentiæ.*

VIdendum primò, quæ sint ea, cujuscunque generis, quæ progignunt lucem: ut stellæ, meteora ignita, flamma, ligna, metalla & alia ignita: saccharum interscalpendum & frangendum, Cicendula, rores aquæ salsæ percussæ & sparsæ, oculi quorundam animalium, ligna nonnulla putria, magna vis nivis, aer fortasse ipse tenuem possit habere lucem, animalium visui, quæ noctu cernunt, conformem; ferrum & stannum, cum in aquam fortē immittuntur resolvenda, ebulliunt & sine igne ullo acrem calorem concipiunt, utrum vero lucem aliquam edant, inquiratur, oleum lampadum magnis frigoribus scintillat, noctesuda circa equum sudantem conspicitur nonnunquam lux quædā tenuis; circa capillos quorundā hominum accidit, sed raro, lux etiam tenuis, tanquā flammula lambens, ut factum est Lucio Martio in Hispania, ventrale cujusdam fœminæ nuper inventum est, quod micaret, sed inter fricandum, erat autem tinctum in viridi, atq; tincturam illam ingreditur alumen, & crepabat nonnihil cum micabat. Utrum alumen inter scalpendum aut frangendum micet, inquiratur; sed fortiore, ut puto, indiget fractione, quia magis contumax est quam saccharum; Similiter tibialia nonnulla, inter extendum nituerunt, sive ex sudore, sive ex tinctura aluminis. *Alia.*

II. *Tabula absentiæ in proximo.*

Videndum etiam quæ sint ea, quæ nullam lucem edant, quæ tamen cum iis quæ edant, magnā habent similitudinem. Aqua bulliens non edit lucē; aer licet insolenter fervefactus non edit lucem; Specula & Diamantes, quæ lucem tam insigniter reflectunt, nullam edunt lucem originalem. *Alia.*

Videndum est etiam accurate in hoc genere instantiarū de Instantiis migrantibus, ubi scilicet adest & abest lux quasi transiens. Carbo ignitus lucet, sed fortiter compressus statim lucem deponit; Humor ille Crystallinus Cicendulæ, morte vermis, etiam fractus & in partes divisus, lucem ad parvum tempus retinet, sed quæ paulo post evanescat. *Alia.*

III. *Tabula graduum.*

Videndum quæ lux sit magis intensa & vibrans, quæ minus: flamma lignorū, fortē edit lucē; flamma spiritus Vini debiliorē, flamma carbonum penitus accensorum, fuscam admodum & vix visibilē. *Alia.*

IV. *Colores Lucis.*

Videndum est de coloribus lucis, quales sint, quales non stellæ aliæ candidæ sunt, aliæ splendidē, aliæ rubeæ, aliæ plumbeæ; flammæ ordinariæ fere croceæ sunt, & inter eas coruscationes cœlitus, & flammæ pulveris pyrii maxime albicant; flamma sulphuris cœrulea est & pulchra in aliquibus autem Corporibus sunt purpúreæ flammæ; non inveniuntur flammæ virides: quæ maxime ad viriditatem inclinat, est Cicendulæ. Nec inveniuntur coccineæ flammæ: ferrum ignitum rubicundū est, & paulo intensius ignitum, quasi candescit. *Alia.*

V. *Reflexiones Lucis.*

Videndum quæ corpora lucem reflectunt, ut specula, aquæ, metalla polita, Luna, gemmæ, omnia liquida & superficie valde æquata & lævi splēdent nōnihil: splendor autē est gradus quidā pusillis lucis.

Videndum attente, utrum lux corporis lucidi, ab alio corpore lucido, reflecti possit, ut si sumatur ferrum ignitum & opponatur radius Solis. Nam reflexiones Lucis omnino superflectuntur (elanguentes tamen paulatim) de speculo in speculum. *Alia.*

VI. *Multiplicatio Lucis.*

Videndum de multiplicatione Lucis ut per specula

cula perspectiva & similia, quibus acui potest lux & in longinquam projici aut etiam reddi, ad distinguendas res visibiles subtilius & mollius, ut videre est apud pictores, qui phialam aqua plenam ad candelam adhibent.

Videndum etiam, num omnia in majore quanto, lucem non reflectant. Lux enim (ut credi potest, aut pertransit aut reflectitur: qua de causa Luna, etiamsi fuerit corpus opacum, tamen ob magnitudinem, lucem reflectere possit.

Videndum etiam, utrum aggregatio corporum lucidorum lucem multiplicet. Atque de æqualiter lucidis dubitandum non est: utrum vero lux, quæ majore luce plane obruitur, ut videri per se non possit, adjiciat tamen aliquid lucis inquiratur. Etiã splendida quæq; nonnihil lucis contribuunt, magis enim lucidum fuerit cubiculum serico quam luna ornatum. Multiplicatur etiam lux per refractionẽ, nam gemmæ angulis intercisæ, & vitrum fractum magis splendent quam si plana fuerint. *Alia.*

VII. *Modi obruendi lucem.*

Videndum de modis obruendi lucem, veluti per exsuperantiam majoris lucis, mediorum crassitudines & opacitates: radii solis certe in flammam foci immissi flammam veluti fumum quendam albiorem apparere faciunt. *Alia.*

VIII. *Operationes sive effectus lucis.*

Videndum de operationibus sive effectibus lucis, quæ paucæ sunt, ut videtur, & ad corpora præsertim solida, alteranda parum possunt. Lux enim præ omnibus se generat, alias qualitates parce. Lux certe aerem nonnihil attenuat, spiritibus animaliũ grata est, eosq; exhilarat, colorum omnium & visibilium radios submortuos excitat, omnis enim color lucis imago fracta est. *Alia.*

IX. *Mora lucis.*

Videndum est de mora lucis, quæ (ut videtur) momentanea est. Neq; enim lux, si per multas horas in Cubilo duraverit, magis illud illuminat, quam per momentum aliquod; cum in calore & aliis contra fiat. Etenim & prior calor manet, & novus supperadditur. Attamen crepuscula nonnihil à reliquiis Solis provenire, ab aliquibus putantur.

X. *Viæ & processus lucis.*

Videndum attente de viis & processibus Lucis. Lux circũfunditur; utrum vero una ascendat paululum, an æqualiter deorsum & sursum circumfundatur, inquiratur. Lux ipsa lucem undique circa se parit; ut cum corpus lucis, umbraculo scilicet interposito, non cernatur, Lux ipsa tamen omnia circum illuminat, præterea quæ sub umbram umbraculi cadunt, quæ tamen ipsa nonnihil Lucis accipiunt à Luce circumjecta; nam multo melius aliquid intra umbram umbraculi situm cerni potest, quam si nulla omnino adesset Lux. Itaque corpus visibile corporis alicujus lucidi, & ipsa Lux, res discrepantes esse videntur. Lux, corpora fibrosa & inæqualis posituræ non penetrat, sed tamen à soliditate duritiæ corporis non impeditur, ut fit in vitro & similibus. Itaq; recta linea & pori non transversi, hæc tantũ videntur lucem perferre. Delatio Lucis fit optime per aerem; qui quo purior fuerit, eo melius lucem transmittit. Utrum lux per corpus aeris vehatur, inquiratur. Sonos certe videmus è ventis vehi, ut longius secundo vento quam adverso audiri possint. Utrum vero simile aliquid fiat in Luce, inquiratur. *Alia.*

XI. *Diaphaneitas Lucidorum.*

Videndum est etiam de diaphaneitate Lucidorum. Filum Candelæ intra flammã cernitur, at per majores flammas objecta ad visum non perveniũt. At contra, omnis Diaphaneitas, corpore aliquo ignito perit, ut in vitro videre est, quod ignitũ, non amplius manet diaphanum. Corpus aeris diaphanum est, item aquæ; at illa duo diaphana commissa, in nive aut spuma, non amplius diaphana sunt, sed acquirunt lucem quandam originalem.

XII. *Cognationes & hostilitates Lucis.*

Videndum de Cognationibus atq; etiam hostilitatibus lucis. Cognationem maximè habet lux cum tribus rebus (quatenus ad generationem lucis) calore, tenuitate & motu. Videndum igitur de conjugiis & divortiis earum, erga lucem, atq; eorundem conjugiorum & divortiorum gradibus. Flamma spiritus vini, aut ignis fatui, longe ferro ignito, calore lenior est, verum lumine fortior. Cicendulæ & rores aquæ salsæ, & multa ex illis quæ enumeravimus, lucem jaciunt, calida ad tactum non sunt. Etiam metalla ignita tenuia non sunt, at calore tamen ardente prædita. At contra aer est inter tenuissima corpora, sed luce vacat, rursus idem aer, atq; etiam venti, motu rapidi sunt, lucem tamen non præbent. At contra, metalla ignita motum suum hebetem non exuunt, lucem nihilominus vibrant.

In cognationibus autem lucis, quæ non ad generationẽ lucis, sed ad processum tantum spectant, nihil tam conjunctum est quam sonus. Itaq; de eorũ sympathiis & dissidiis accurate videndũ. In his conveniunt lux & sonus in ambitũ circumfunduntur. Lux & sonus, per longissima spatia feruntur, sed lux pernicius, ut in tormentis videmus; ubi lux citius cernitur, quam auditur sonus, cum tamen flamma pone sequatur. Lux & sonus subtilissimas distinctiones patiuntur, ut in verbis articulatis soni, in omnibus visibiliũ imaginibus lux. Lux & sonus nihil fere producunt aut generant, præterquam in sensibus & spiritibus Animaliũ. Lux & Sonus facile generantur & brevi evanescunt. Nam non est quod quis putet sonum illũ, qui ad tempus aliquod, à Campana aut chorda percussa, durat, à prima percussione fieri, nã si campana vel chorda tangatur, sonus statim perit. Unde manifestum est, durationẽ soni per successionem creari. Lux à majore luce, sicut sonus à majore sono, obruitur. Et cætera. Differunt autẽ, quod lux (ut diximus) sono velocior sit. Lux majora spatia vincat quam sonus. Lux utrũ in corpore aeris deferatur, quemadmodũ sonus, incertũ sit. Lux in linea recta tantum, sonus in linea obliqua & undiquaq; feratur. Etenim cum quid in umbra umbraculi cernitur, non est quod quis putet, quod lux ipsa penetret umbraculũ; sed aerem tantũ circumfusum illuminat, qui etiam aerem pone umbraculũ, vicinitate nonnihil illustrat. At sonus ab unolatere parietis redditus, ex altera parte parietis auditur, non multũ debilitatus. Etiã sonus intra septa Corporũ solidorum auditur, licet exilior facto, ut fit in sonis infra lapides hæmatites; aut corpora percussa intra aquam. At lux in corpore solido & non diaphano undiq; obstructo, omnino non cernitur. Lux magis in profundum penetrat, quam sonus, ut in fundo aquarum. Omnis sonus generatur in motu, & Elisione corporum manifesta; Lux non item.

At hostilitates lucis (nisi quis privationes pro hostilitatibus habere velit) non occurrunt. Verũ quod maxime credibile est, torpor corporum, in partibus suis maxime est luci inimicus. Nam fere nihil lucet, quod non aut propria natura insigniter mobile est, aut excitatum vel calore vel motu, vel spiritu vitali. *Alia.*

Intelligo autem semper, quod non tantum aliæ instantiæ investigãdæ sint (istas enim paucas solummodo exempli loco adduximus) sed etiam, ut novi Topici articuli, prout rerum natura fert, adjiciantur.

F I N I S.

FRAN.

FRANCISCI BACONI, BARONIS DE VERULAMIO, VICE-COMITIS SANCTI ALBANI, AC SUMMI ANGLIÆ CANCELLARII,

SYLVA SYLVARUM,

Sive

HISTORIA NATURALIS.

Impensis JOH. BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI,

ANNO cIↃ IↃc LXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INTERPRES
LECTORI.

FRANCISCI BACONI Verulamii *Historia Naturalis diu Latine expetitum opus est. Typographi non semel impensis ejus versionem etiam pretio sollicitarunt. Omnes hactenus absterruit argumenti varietas multis difficultatibus perplexi, Anglos quoq; & Eruditos fatigatura. Me huc impulit nulla studiorum, quorum vix messis in herba est, fiducia, aut penitior Anglicanæ linguæ cognitio, sed fortuna; bene an sequius cessura, penes te, benevole Lector; si conatus meos tenuitatis suæ conscios, neq; unquam prælo destinatos, blanda tamen amicorum importunitate huc delatos, unde resilire non datur, intra spem veniæ tutos esse patiaris; dum Latina Philosophorum auditoria diutius carere nolo labore Illustris Viri, struendis Physicæ, cum Natura paria facientis, regulis utilissimo. Postquam enim recisum ab occupationibus & remissionibus otium permittere statui stili exercitijs, realia, ut sic loquar, & plusculum abducta ab incorporeo verborum strepitu quærens, incidi in hæc, jucundissima quidem, & fovendis Medicinæ meæ studiis, opportuna; sed alibi non raro intricata vertenti, imo vel desperata nisi Doctissimorum virorum humanitas (quorum digniora nomina quam ut huic vestibulo præfigantur) manum subinde auxiliarem porrexisset. Salebris totoq; eluctatus curriculo, ubi charta in ωμόνυμον jam redacta pervenerunt in eorum manus, quibus non obsequi religio mihi foret, sensi protinus admotas machinas, donec privatis amplius esse non licuit diligentiæ meæ fructibus. Sic igitur prodeo tandem, navatâ Bacono interpretis Latini operâ; quæ metuit quidem audire servum pecunia, cavitq; ne verbum verbo; sed ut perspicuitatem attendenti non infuscatam reddat stilus liberior; qui & ipse non eodem ubiq; filo decurrit, alibi astrictior, alibi effusior; ut fortasse lectionis olim nostræ variatam redderet efficiem. Nec tamen penitus me assecutum quod accurate secutus sum, spondere audeo. Imo occurrent nonnulla, quæ facile testentur quam non ubiq; mihi fecerim satis. Sic Anglicæ quædam paginis addita videbis, etiam ubi Latina non desunt; aliquando etiam ubi exprimere posse desperavi. Sed & hic & illic exspecto à te, benigne Lector, locis non sanis medicinam; si forte per seculi eruditi benevolentiam spes secundæ emendatioriq; editionis improba non fuerit, & in opere difficili rebusq; naturæ ita dissitæ Latine reddendis aliqua ignorantia extra culpam, imo si intra spem veniæ peccet dormitans quoq; attentio. Novus Aslas est ex Romana ipsius Baconi officina. Vale Lector, & fave hoc primum mare tentanti non sine naufragij metu.*

SYLVA

SYLVA SYLVARUM,
Sive
HISTORIA NATURALIS
FRANCISCI BACONI,
Baronis Verulamii, Vicecomitis S. Albani, &c.
CENTURIA PRIMA.

Experimenta varia spectantia percolationem & penetrationem corporis unius per aliud.

EFFODE puteum, paulo supra quam extremus maris fluctus excurrit, ea profunditate quæ respondeat ultimo refluxui maris decremento; replebit hunc æstuans mare aqua dulci potuiq; accommoda. Illud in oris Mauritaniæ populari constat experientia, ubi aquæ dulcis defectum illa sola pensat. Intellexit id probe Julius Cæsar cum Alexandriæ obsessus teneretur. Effossis enim in littore puteis, operosas hostium molitiones elusit, qui aquam marinam in Alexandriæ fontes derivaverant; atq; incolumem tunc servavit exercitum, cum spes salutis decollasse videretur. Cæsar vero causæ ignarus, existimavit arenis maris inesse dulcis aquæ scaturiginem; sed adscribendum id esse aquæ marinæ, manifestum est, quæ ad mensuram incrementumq; æstus sui puteum repleat, & subingressa arenas, percolataq; salsedinē deponit.

2. Memini legisse experimentum in aqua salsa percolanda per terram, decem vasis sibi invicem superpositis, nec salsedinem tamen exuisse, ut potui apta foret. Narrat idem Scriptor ex relatu aliorum, aquam salsam per viginti vasa derivatam extitisse dulcem. Hoc experimentum alteri de puteis in littore effossis adversari videtur; dicit tamen vicies repetitum, non carere effectu. Sed notatu dignum est quam miseræ imitationes nostræ deprehendantur, prout vulgo ad experimenta accingimur, nisi magno judicio & quadam axiomatum luce regantur. Primò enim, non parvum discrimen est inter transitum aquæ per viginti vascula, & inter distantiam qualis increscente & decrescente aqua apparet. Secundò, magna differentia est inter arenam & terram. Nam omnis terra speciem quandam salis nitrosi continet, cujus arena plerumq; expers est. Deinde terra aquam tam exquisite non percolat quam arena. Sed tertia ratio jam superest, quæ æque suspecta mihi ac reliquæ duæ. Est autem hæc, quod in experimento transmissionis aquæ marinæ in puteos, aqua ascendat, atque in experimento transmissionis aquę per vasa, descendat. Jam constat, aquæ partes magis salsas (si semel sale penitus imbutæ fuerint) ad fundum penetrare. Ideoque mirum non est, si derivatio aquæ per descensum, eam dulcem haud reddat: Deinde subdubito, num illisio aquæ ex mari propulsæ, magis accomoda sit excutiendis salsis partib⁹, quā cum aqua labitur propriomotu.

3. Percolatio aut transmissio videtur species quædam separationis, quæ non solum crassas à tenuibus, & fæculentas ab aliis partibus se jungit, sed multo subtiliores naturas; & varia est, prout corpora existunt, per quæ transmissio instituitur; ut si per laneum saccum liquor pinguedinem deponit, si per arenam, salsedinem. Referunt de separatione vini ab aqua transmissi per hederæ lignum, aut simile porosum corpus, sed non constat.

4. Gummi arborum (quod nobis plerumq; apparet pellucidum ac clarum) est tantū tenuis transmissio aut percolatio succi arboris per lignum & corticem; & perinde adamantes angulis præditi, & carbunculi è rupibus collecti (qui etiam magis splendent quam gummi) subtiles lapidis exsudationes sunt.

5. Aristoteles ineptam reddit causam, quare plumæ avium vividi magis sint coloris, quam pili animalium; nulla enim bestia cyani lapidis, vivæque carnis colorem repræsentantes aut virides pilos habet. Causa est, inquit, quod aves frequentius in radiis Solis versentur, quam bestiæ. Sed id manifeste falsum est: nam pecudes crebrius in Sole agunt quam aves, quæ plerumq; in sylvis aut umbraculo vivunt. Verissima causa est, quod humor excremēntitius animantium, qui æque constituit plumas in avibus ac pilos in bestiis, in avibus tenuiori & delicatori colatura transmittatur, quam in bestiis; plumæ enim transeunt pennas, pili vero cutem.

6. Clarificatio liquorum per adhæsionem est velut interna percolatio, & fit cum aliquod glutinosum corpus liquoribus immixtum simul cum iis agitatur. Præstat hic motus, ut crassiores particulæ adhæreant glutinoso corpori; atque hoc modo tenuiores particulæ crassioribus exsolvuntur. Sic pharmacopolæ clarificant syrupos albumine ovorum, permixto & agitato in succis clarificandis, quod albumen omnes fæces & crassiores partes colligit, & postquam syrupus igni impositus est, albumina ovorum indurescunt & eximuntur. Hoc modo vinum Hippocraticum clarefit si cum lacte misceatur, penitusque agitetur, & deinde per laneum saccum, quam manicam Hippocratis vocant, transmittatur. Et quod in lacte glutinosum est, pulverem aromaticum crassioresq; liquorum partes ad se pertrahit.

7. Clarificatio aquæ est experimentum sanitati cōducens; præterquam quod oculos oblectat aqua crystallina & pellucida; fit autem projectis & positis ad caput scaturiginis calculis, ut aqua per eos percoletur.

8. Fortassis & dulcedinem saporemq; conciliabit percolatio, non modo pelluciditatem & splendorem. Nam & illa consequitur æque pelluciditatem, quando crassiores partes ab aliis separantur. Ita quoq; compertum est, quod sudor hominis natura calidiore, quiq; exercitatione corporis gaudet, ac illud non immundum habet, tenuemq; cutem, suavem odorem emittat; ut de Alexandro traditur, & vulgo videmus, quod gummi suaves odores contineant.

Experimenta varia spectantia motum corporis ex pressura.

9. Sume vitrum aqua repletum, madefactumq; digitum circumfer ad vitri marginem, duriuscule illud premens. Circumductus parvo temporis spatio

spatio digitus aquam crispare & in tenues subsilire rores faciet. Hæc instantia egregie vim compressionis in solidis corporibus demonstrat. Si quando enim solidum corpus (ut lignum, lapis, metallum, &c.) premitur, internus partium ejus tumultus oritur, ut se liberet à compressione, atque hæc omnis violenti motus causa est; & summa admiratione dignum est, quod hic motus nunquam fuerit observatus, cum maxime inter omnes motus sit obvius, & præcipua omnium operationum mechanicarum radix. Hic motus primo operatur in circulum, quasi tentando quærens se liberandi viam, & in progressu explorat, sicubi facilior detur liberatio. Hic motus in liquoribus manifestus est; omnes enim liquores efficiunt circulos, eosque in se illidunt; sed in corporibus solidis (quæ non franguntur) adeo subtilis est, ut visum effugiat; variis tamen effectis se prodit: ut in hoc exemplo quod in manibus habemus. Nam pressio, digiti madefactione, facilitata (quoniam tanto facilius margini vitri adhæret) post aliquod spatium omnes vitri particulas ad operationem ciet, ut aquam acriter feriant: quæ percussio gignit aquarum subiultum.

10. Si percutias aut pungas solidum corpus fragile, ut vitrum aut saccarum, non solum frangitur ea parte qua vis proxime impressa est, sed disrumpitur circumcirca in segmenta & ramenta. Motus expressura omnes vias explorans, disrumpit, qua corpus maxime imbecille reperit.

11. Pulvis pyrius dilatatus in tantam flammam, quæ compressionem non patiatur, circulariter movet (flamma enim natura liquidi corporis constat) aliquando retrocedens, aliquando tormentum disrumpens, sed generaliter explodens globum, quod eo loci facillimam liberationem reperiat.

12. Hunc motum pressuræ, quiq; ei respondeat tensuræ, soleo vocare (plebeio vocabulo) motum libertatis; qui est, cum corpus aliquod à præternaturali extensione & dilatatione in naturalem abit, seq; restituit. Sic vesica vento repleta si comprimatur, resurgit, & corium & pannus extensus resilit. Hosce duos motus (circa quos infinitæ instantiæ dari possunt) suo loco tractabimus.

13. Hic motus ex pressione egregie quoque in sonis demonstratur, ut pulsatum tintinnabulum sonos edit, qui imposita ei manu protinus cessant. Sic quoque sonus clavicymbali, simulac oram tunicæ injectam sentit, desinit. Hi enim soni producuntur à subtili percussione minimarum partium tintinnabuli aut fidium aëri impressa; perinde ut aqua emicat ex subtili percussione minimarum partium vitri in aquam, de qua paulo ante egimus nono experimento. Neq; enim est quod existimes localem tremorem tintinnabuli aut fidium illud efficere, quemadmodum abunde declarabimus, in illa de Sonis materia.

Experimenta varia spectantia separationes corporum expondere.

14. Sume vitrum ventre capax & oblongi colli; ventrem partim aqua imple. Accipe & aliud vitrum, cui vinum rubellum aqua mixtum infundas. Inverte primum ventre sursum acto, collumque digito obtura. Deinde ejus orificium alteri vitro insere, digitumque amove. Hoc statu aliquamdiu retentum, separabit vinum ab aqua, vinum ascendet inque superioris vitri vertice hærebit, aqua descendet, ac in inferioris vitri fundo subsistet, transitus oculis obvius est; vinum enim conspicies exili (ut sic loquar) vena emergere in ascensum. Festivitatis ergo (cum pauxillum temporis requirat experimentũ) expediat superius vitrum ex clavo suspendere. Simulac enim in fundo vitri inferioris tantum aquæ puræ & non mistæ fuerit collectum, ut orificium superioris ei immergatur, motus subsistet.

15. In superiori vitro sit vinum, in inferiori aqua, nullum omnino experiri poteris motum. Sit in superiori aqua pura, in inferiori aqua colorata, aut contra, nullus existet motus. Sed experientia constat, etiamsi mixturam vini & aquæ in inferiori constituant tres partes aquæ, una vini, nullum nasci motus impedimentum. Hæc separatio vini & aquæ existere dignoscitur ex pondere, inæquale enim corporum pondus requiritur, alioquin eluditur operatio. Et ponderosius corpus semper in superiori vitro sit. Sed advertas, quod aqua pensilis facta sit, magnumque aquæ pondus in vitri ventre quasi sustentetur à columella aquæ in collo vitri. Hæc enim motum ciet causa; nam aquam & vitrum in uno vitro etiam longior mora vix separat.

16. Hoc experimentum possit transferri à mixtura variorum liquorum ad simplicia corpora, quæ ex variis partibus isque similaribus constant. Adhibe igitur in experimentum muriam aut aquam salsam & dulcem, infundens salsam (quæ ponderosior est) superiori vitro, & videnum dulcis ascendat. Tenta idem cum saccaro & aqua pura, & attende, an quæ ascendit aqua, deponat dulcedinem suam: in quem finem opus esset in ventre superioris vitri siphunculo.

Experimentia varia spectantia accuratam infusionem tam in liquoribus quam aëre.

17. In Corporibus, tenuiores, quique facile dissipantur, spiritus continentibus, quando infusionem paras, hæc observa. Brevis mora corporis in liquoribus spiritum recipit, longior confundit, quia terrestres simul partes prolicit, tenuioresque corrumpit. Ideoque error est in medicis, si moræ solummodo longiori confidant tamquam virtutem roboranti. Sed infusionem validam si requiras in corporibus, quæ spiritibus constant tenuioribus, regula sit, ut longior mora non concedatur, sed repetatur sæpe corporis infusio. Cape violas, justumque earum pugillum infunde duabus pintis aceti. Consistant per tres horæ quadrantes, easque tunc exime, ac redintegra septies infusionem simili quantitate violarum; efficiet acetum tam fragrans odore florum, ut, si post duodecim menses proferatur in acetario, percepturus sis odorem antequam tibi offeratur. *Nota*, quod perfectius fragrantiam floris redoleat longiori post spatio, quam prima vice.

18. Hæc regula, quam præscripsimus, eximii usus est ad præparationes medicamentorum aliasque infusiones. Exempl. gr. folia Borraginis excellenti spiritu valent ad discutiendos melancholiæ vapores, adeoq; medentur insaniæ: nihilominus tamen si folia diutius infusa maneant, crudam tantum præbent substantiam, omnis virtutis expertem: propterea suppono, quod si in musto aut fæce cerevisiæ, dum fermentatur, necdum transvasata

transuasata Borrago parvum temporis spatium maceretur, novis subinde additis, confecturum me potionem efficacissimam adversus melancholicam passionem. Idem quoque statuo de floribus mali Aurantii.

19. Rhabarbarum plane continet partes contrariæ sibi invicem operationis, purgativas scilicet ac corpus astringentes; priores facile separantur, posteriores firmius cohærent; ita ut si Rhabarbarum per horum infundatur probeq; contundatur, melius sit purgaturum & corpus post purgationem minus astricturum, quam si per 24. horas maceretur; ut experientia edocuit. Concipio quoque, repetita sæpius Rhabarbari infusione (ut de violis dictum) brevi tantum mora singulis civibus concessa, æque validum purgans effici posse, ac per Scammonium. Nec res fuerit exigui in medicina adjumenti, Rhabarbarum & medicamenta benignioria tam reddere posse efficacia, quam illa quæ malignitate non carent.

20. Purgantium medicamentorum pars maxime purgativa residet in tenuiori spiritu, ut apparet ex eo, quod nullam patiantur ebullitionem absq; magna virtutis jactura; ideoque boni usus fuerit in medicina, purgativam vim retinere posse, & tollere retticum purgantis saporem. Et videtur fieri id posse, observata infusionis per breve temporis spatium sæpius repetita serie: probabile enim est horridum & tetricum saporem crassioribus inhærescere particulis.

21. In genere, operatio per infusiones rudis & cæca est, nisi observetur quarum in corpore partium exitus celerior, quarum tardior, ut proportionato singulis tempore, & removeas quam cupis, & relinquas qualitatem; hoc ut cognoscas, duplici insistendum via: prima est, ut experiaris, quid longa brevisve mora efficiat, ut jam dictum, altera, ut observes ordine infusiones unius & ejusdem corporis in variis liquoribus sibi invicem succedentes. Ex grat. sume cortices Aurantii, aut Rosmarinum, aut cinamomum, quodcunq; volueris, & infundantur per semihoram in aquam; deinde exime, rursusque in aliam aquam infunde, & sic tertia vice. Tum gusta & considera primam, secundam, & tertiam aquam. Deprehendes differre illas non virtute tantum & inefficacia, sed & odore & sapore. Fieri enim possit, ut prima aqua plus odoris, utpote fragrantior, secunda plus obtineat saporis, utpote amara & mordax, &c.

22. Infusiones in aërem (sic odores vocare liceat) easdem differentias habent, quas infusiones in aquam. Varii enim odores (qui in floribus aut alio corpore existunt) prodeunt variis temporibus, alii citius, alii tardius. Ita comperimus quod violæ, periclymenus, fraga, suavem emittant odorem, qui primo prodit, sed paulo post, tetricum plane à priori differentem, quod non tam fit maceratione, quam tardiori spirituum crassiorum egressu.

23. Ut quandoque tenuissimos extrahere spiritus, sic alias eosdem, utpote noxios, removere cupimus: vinum ustum minus inflammat, laudaturque in febribus, qua tenuiores spiritus exhalarunt. Opium venenatæ quiddam qualitatis deperdit, si evaporaverit mixtũ cum spiritu vini, aut simili quopiam. Folia Senæ decocta nonnihil flatuositatis deponunt, & generaliter subtiles flatuosique spiritus auferuntur incensione aut evaporatione. Adeoque in infusionibus rerum quæ vehementes spiritus habent, præstiterit prima infusione brevi post tempore rejecta, posteriorem adhibere in usum.

Experimentum spectans appetitum continuationis in liquidis.

24. Bullæ formam hemisphærii habent, intus aërem, extus tenuem ex aqua membranulam; neque indigna admiratione res est, quod aër tam subito intumescere possit ab aqua comprehensus, adeoque cum se in apicem collegerit, tam fragili operculo, quale bulla est, cohiberi. Quantum ad celerem aëris ascensum aqua conclusi, motus est percussionis ab aqua, quæ ipsa descendens propellit ad superiora aerem, non motus à levitate in aere. Hunc Democritus plagæ motum vocat: in obvio hoc experimento causa claudentis se undique bullæ est, quod appetitus separationi & discontinuationi resistens (qui in solidis corporibus validus est) in liquoribus etiam reperiatur, etsi languidior remissiorq;; ut in hoc bullæ motu videre est. Datur & illud conspici in parvis vitris ex saliva, quæ pueri ex juncis conficiunt, & in bullarum castellis, quæ ex insufflatione in aquam parant, quæ nonnullum tenacitatis gradum ex sapone acquisivit. Patet idem in aquæ stillicidiis, quæ copiam nacta ut defluat, in tenue filum protrahitur ne separetur; illa si desit, in rotundas guttas contrahitur; figura maxime discontinuationem corporis prohibente. Causa rotunditatis in bulla eadem est, & quoad membranulam aquæ & quoad aerem internum. Aer enim perinde separationem fugit, ideoq; se in rotundam figuram convolvit. Subsistentia & aeris brevi spatio mora, ostendit aerem ex se lento aut nullo appetitu ferri in ascensum.

Experimentum Vnicum spectans fontes artificiales.

25. Rejectio experimentorum, qua subinde utor, etsi non appareat, varia est; experimentum vero in operatione usum sui si probet, recipio, sed tanquam dubiæ fidei trado. Vir ignobilis modum describit parandi fontem artificialem. Exquire declivem terram, ubi commode celerem decursum aqua pluvia habeat. Dispone alveum semiplenum lapidibus justæ magnitudinis ad profunditatem trium aut quatuor pedum in eadem terra. Altera pars in acclivi, altera in declivi collocetur: repie alveum silicibus convenienti copia, superficiem arenam ingere; videbis (inquit) post aliquoties iteratos imbres, decliviorem alvei partem fontis instar promicare. Nec mirum si hoc fiat, dum aqua pluvia in procursu est. Sed addit longo post pluviæ defluxum tempore duraturum; quasi multiplicetur aqua ex aëre adjuta à frigiditate, terræ condensatione, & prioris aquæ consortio.

Experimentum unicum spectans venenatam humanæ carnis qualitatem.

26. Galli (à quibus morbus Neapolitanus denominationem accepit) referunt fuisse in Neapolitana obsidione improbos Mercatores, qui carnem hominum recens occisorum in Mauritania vasis conditam, loco thynnorum divenderent; atq; tam fœdo & gravi nutrimento adscribi hujus morbi originem. Neq; à vero abludit; constat enim Canibalos ad Occidentem vesci carne humana, eaque India, primum detecta cum esset, plurimum laboravit hoc morbo. Nostro quoque tempore

venena, quæ Occidentalibus Indis præsentissima sunt, ex sanguinis, pinguedinis aut carnis humanæ miscela constant. Plurimæ quoque Sagæ & veneficæ tã apud Ethnicos, quam Christianos, pascuntur humana carne, corroborandæ (ut videtur) imaginationi fædis & actibus vaporibus.

Experimentum unicum spectans versionem & transmutationes aeris in aquam.

27. Videntur hæ maximè similes vero rationes mutandi vapores aut aërem in aquam. Prima est frigus, quod condensat, ut prodit condensatio aëris in vitro calendari, ubi gradu quodam similior aquæ evadit. Videmus quoq; in generatione fontium, quibus veteres ortum assignabant (admodum probabiliter) ex versione aëris in aquã, facilitata per quietem, qua gaudet in hisce terræ partibus aër, ut dissipari non possit, & à rupium frigiditate? fontes enim iis in locis maxime generantur. Patet idem ex effectis frigoris in media (ut appellant) aëris regione, quæ rores & pluvias procreat? atque experimento mutationis aquæ in glaciem auxilio nivis, nitri & salis (de quo postea nobis sermo erit) quæ ad hanc aëris in aquam conversionem transferri possit. Secunda ratio est, compressio, ut in Alembicis, in quibus vapor repellitur in se ex obstantibus Alembici lateribus? in rore adhærente operculis ebullientis ollæ, in rore tempore pluviæ, marmore & opere tabulato. Sed hæc parum conferunt, nisi crassior in vaporibus aër adsit, quique jam in proximo ad aquam gradu sit. Tertia ratio est (exploranda adhuc & nondum manifesta satis) mixtura humidiorum vaporum cum aëre. Fiat experimentum an major aquæ copia prodeat ex regressu quam antea fuerat? hoc si fiat, incrementum ex aëris conversione est. Alembici fundum aqua imple collo obturato, sed explorato prius aquæ pondere. In alembici medio spongiam suspende & vide quantum aquæ ex ea exprimere possis. Quicquid plus minusve fuerit cum aqua absumpta conferatur. Sciendum enim, si aliqua fieri possit mutatio, facillime contingere ubi exigui sunt pori; atque hæc causa est cur spongia adhibenda præscribatur. Quarta ratio probabilis etiam est, quanquam nondum comperta? estque cum aër exiles poros subintrat corporum. Quippe (ut jam audivimus) quælibet res exiguo sui quanto proclivior est ad versionem. Tangibilia corpora non delectantur aëris consortio, sed illum subigere tentant in corpus densius. In corporibus integris illud prohibetur, quia condensato aëri nihil est quod succedat. Itaque fieri debet in laxis corporibus, ut arena & pulvere? quæ si recondita serventur, humorem colligunt.

Experimentum unicum quomodo bonus corporis habitus & statura producatur

28. Referunt veterum quidam, catulos aliasve animantes, si tenellæ includantur tali caveæ aut pyxidi, ut justam sui generis mensuram implere nequeant, sed in latitudinem aut altitudinem adolescant, crescere ad sui loci formam. Si antiquorum relatu non fallimur, fieriq; possit ut tenelli partus in hunc modum compressi arctiusque habiti non moriantur, inventa ratio, quæ monstrosæ exorbitantisque figuræ nanos edat. Illud extra controversiam posuit longi temporis observatio, quod premendo, conformatæ partes tenelli fætus non modice à forma desciscunt. Sic frontes infantium, manibus contrectatæ (quod antiquis notatum) efficiunt macrocephalos; quæ capitis forma tunc in pretio erat. Modica elevatio ponticuli in naso impedit simi nasi deformitatem. Hæc observatio probe excussa monstrat medium, quo viri & fœminæ multimode venustiores habitioresque evadant, quam nativæ conformationis infantia pateretur. Sic surarum ad superiora retractio efficit ne cadant, sed se sustineant. Frontis itidem ad superiora retractio spaciosam nec humilem reddit. Consuetudo obvia infantes fasciis involvendi graciliores ut adolescant efficit, melioriq; forma. Videmus enim juvenculas arctiore corporum constrictione uti adversus crassitiem.

Experimentum unicum spectans condensationem aëris, ut possit ponderari & nutrimentum præstare.

29. Cæpæ suspensæ sponte germinant, nec non pulegium, & herba quædam Orpinagria Latinis appellata, qua in agris ædes adornantur, alligata asserculo aut bacillo & ad parietem constituta, simile quid præstat. Sed expressius id videmus in majori semperviva, quæ frondes geret per duos tresve annos. Sed radicem ejus linteo oleato involvi constat, quod singulo quoque semestri recentatur. Neque dissidet quod antiqui de stipite Liliorum referunt. Causa est validus, densus & succulentus in istis partibus humor, qui non facile exhalat, adeoq; ad priorem copiam etsi nihil ex terra subsidii accedat, germinationi sufficit; quæ extremo vere aut prima æstate fit, temporibus germinationi accommodis. Arborum quoque truncos in terram delapsos fruticare videmus ad tempus. Sed est nobile experimentum, & quod consequenter ad plura innuat, si exploretur, an hæc, dum germinant, pondere augeantur, quod inquirito, iis, antequam suspendantur, libratis, & postquam germina emiserunt. Si pondere non augescant, nihil aliud conficitur inde, quam aliis partibus decedere, quod in germinatione aliis accedit. Si pondere autem crescant, tunc ex magnalibus naturæ unum est. Ostendit enim aërem sic posse crassescere, ut in corpus densum converti queat; cum omnium, quæ supra terram sunt, periodus, in extenuationem desinat, resque pneumaticas potius & raras efficiat, quam vicissim & retrograde ex pneumaticis solidas. Demonstratur simul aëri inesse nutriendi facultatem, laxe patente consequentia. *Nota*, hoc experimentum tentandum esse sumpto sempervivo sine linteo inuncto, ne planta alimentum ex oleo recipere putetur.

Experimentum unicum spectans commixtionem flammæ & aeris, & magnam ejus vim.

30. Flamma & aër non facile miscentur nisi in instanti, aut in vitalibus spiritibus vivisque animantibus. In pulvere pyrio vehementia ejus adscripta fuit rarefactioni terrestris substantiæ in flamma. Hactenus verum, & tunc (profecto) aliud evadit elementum, cujus forma occupat majus spatium, unde necessario dilatatio sequitur, & ne duo corpora unum repleant locum, necessaria globi expulsio, aut sufflatio cunculorum. Sed habent hæ speculationes crudi nonnihil ac stupidi; flamma enim, si nihil aliud adesset, nec maxima quantitate prævaleret, ab alio duro corpore suffocari potest.

potest, ut est globus ferreus aut tubus sclopeti. Ita ut flamma duro corpori expellendo haud sufficiat, sed durum corpus flammam extinguat, incendiq; aut dispergi non patiatur. Sed motus tam vehementis causa in nitro est (alias salem petri appellamus) quod in se continens crudum & flatuosum spiritum primo ignis calore se dilatat (nec ignoramus, quod simplex aër, præter naturam calore attenuatus, sibi locum parabit, dissolvens & obstantia flatu dispellens) secundo ubi dilataverit se nitrum, foras flatu propellit flammam, velut internus follis. Ideoq; conspicimus, quod sulphur, pix, camphora, ignis artificialis ex bitumine, aliæque præterea inflammabiles materiæ, quanquam vehementi vixque delebili flamma ardeant, flatus tamen ignei tantum non concitent, ut pulvis pyrius. Contra videmus, quod Mercurius (maxime crudum & aquosum corpus) calefactus arcteque conclusus, eadem cum pulvere pyrio vi polleat. Quod attinet ad animantia, certissimum est vitales eorum spiritus substantiam esse ex aërea & flammea materia compositam, & quanquam aër & flamma per se non facile misceantur, copulati tamen in fixo corpore non abnuunt; quod patet in duobus corporibus (quæ alimenta eorum sunt) aqua & oleo. Nam illa quoq; sponte sua non facile coëant, sed in corporibus plantarum & animantibus mixtionem admittunt. Non mirum igitur si parva quantitas spirituum in ventriculis cerebri & ductibus nervorum movere possit tantæ molis corpus tanta vehementia, ut in lucta, cursu, tantaque agilitate, ut in tremulo testudinis lusu; tanta scilicet vis est aëris & flammæ quando incorporantur.

Experimentum unicum spectans occultam naturam flammæ.

31. Sume ceream, & statue in tubulo ferreo aut æneo; postea impone illum erectum scutellæ, spiritu vini plenæ & calefactæ; deinde cerea & spiritu vini simul igni impositis, flammam cereæ dilatari videbis, & quadruplo quintuploque magis intumescere, quam ante soleret; apparetque in rotunda non pyramidali figura. Insuper internam cereæ flammam conspicies servato colore, neque quicquam cærulei contrahere versus colorem externæ flammæ in spiritu vini. Hæc egregia est instantia, duo notatu digna suppeditans. Primum est, quod flamma flammæ involuta non extinguatur, sed est fixum corpus continuumque ut aër aut aqua. Ideo flamma continue pari ascendet magnitudine, nisi à lateribus repressa extinguatur; & quo major in basi flamma, eo altius exurgit. Alterum est, quod flamma non misceatur cum flamma, ut aër cum aëre, aut aqua cum aqua, sed duntaxat maneat contigua, ut usuvenire solet in corporibus consistentibus: simul apparet figuram pyramidalem (qua plerumque oculis offertur) esse merum accidens, quodque aër externus carpendo latera flammæ comprimat illam, in eamque tenuet formam; nam sua sponte rotunda existeret; ideoque fumus est figura pyramidali inversa, cum aer exstinguat flammam & recipiat fumum. Adverte porro, quod flamma cereæ intra flammam spiritus vini turbetur, neque solum seipsam laxet, sursumque ascendat, sed ultro citroque motu fluctuet, quasi flamma sua natura si non exstingueretur, æque motu erratico ac multiplici provolveretur, ac sursum petit. Ex quibus omnibus apparet, corpora cœlestia (maxima ex parte) esse veros ignes ac flammas ex opinione Stoicorũ; tenuiores fortasse rarioresque quam flamma est apud nos. Nam illæ Sphæricæ & terminis circumscriptæ sunt, rotantur, & colorem, fulgoremque flammæ obtinent; ita ut flamma durabilis in cælesti regione cõstantisq; naturæ sit ac loco naturali, apud nos extranea, momentanea, & impura, tanquam Vulcanus ex lapsu suo claudicat.

Experimentum unicum spectans discrepantem flammæ vim in Medio & lateribus.

32. Sagittam flammæ impositam tene durante spatio decem pulsuum; ea deinde exempta comperies partes sagittæ exteriores versus flammam magis ustulatas & nigricantes, maximaque ex parte in carbonem versas; cum in medio quod fuit, videatur duntaxat libatum igne. In multas hæc instantia observationes ducit circa enucleandam flammæ figuram, manifestoque demonstrat, flammam vehementius circa latera, quam in medio adurere, quodque momenti majoris est, calorem aut ignem violentem efferumve haud esse, nisi qua parte compressior se attenuat. Ideoque peripatetici (quanquam eorum de elemento aut igne supra aerem opinio merito explosa sit) hic optime se expediunt. Objicientibus enim, si ignea daretur sphæra, quæ tam propinquo complexu mundum involveret, fieri non posse, quin omnia igni absumenda pateficerent, respondent pure elementarem ignem naturali in loco, nec irritatum, moderato tantum esse calore.

Experimentum unicum spectans diminutionem naturalis motus gravitatis in magna distantia & quadam terræ profunditate.

33. Constans multorum assertio est, obvio firmata experimento, posse in fundo cuniculi massam metalli crudi moveri & provolvi opera duorum virorum, quæ translata in terræ superficiem, junctas sex virorum ad minimum vires requirat, ut loco dimoveatur suo. Nobilis instantia est, expeditque exactius haberi rationem hujus experimenti: probabile enim admodum est motum gravitatis tarde operari tam in magna distantia à terra, quam in terra interiori: prius fit, quia appetitus unionis densorum compactorumque corporum cum terra in distantia languidior est: posterius, quoniam corpus aliqua ex parte naturam suam obtinuit, ex quo sub terra in quadam altitudine fuerit. Sed quoad motum versus punctum aut locum quendam (quæ veterum sententia fuit) prorsus vanitas.

Experimentum unicum spectans contractionẽ massæ aut molis corporeæ ex mixtura liquidorum Corporum cum solidis.

34. Mirum est, cum veteres experimenta admitterent aliena fide, magni momenti res potuisse iis superstruere. Observatio eorum ex fide dignissimis hæc est. Tradunt audacter, vas repletum cineribus recipere eandem aquæ quantitatem, quam vacuum si esset; sed plane falsum est: quintam enim aquæ partem non imbibit. Differentiam hanc statuo in laxius arctiusve locatis cineribus; ut videmus cineres per se & non mixtos, si comprimantur, minus occupare spatium; sic quoque cum aere cineres haberi laxiore spatio, cum

aqua, arctiore. Nondum mihi exploratum est, an aqua ipsa admixto cinere aut pulvere in angustiorem locum contrahatur.

Experimentum Unicum ut fœcundiores reddantur vineæ.

35. Ex relatu non suspecto habemus, si acinorum multitudo apponatur vineæ radicibus, maturius illam feliciusque succrescere: posset explorari per grana alterius generis posita ad radicem plantæ ejusdem speciei, ut grana fici, officula malorum, &c. causa potest statui, quod grana proliciunt è terra succum nutriendæ arbori aptum, utpote quæ sponte sua arbores fierent, etiam radicibus destituta. Sed hæ majore virtute pollent, attrahentes consumentesq; omne nutrimentum attractum, ut magni pisces devorant minores.

Experimenta varia spectantia purgantia medicamenta.

36. Operatio purgantium medicamentorum eorumque causæ hactenus inter naturæ arcana relatæ sunt; ideoque supina hominum ignorantia eas occultæ proprietati, specificæ virtuti & quartæ qualitati attribuit, similibusque inscitiæ latibulis. Causæ purgantium variæ sunt, omnes apertæ & perspicuæ, penitusq; experiendo comprobatæ. Prima est, quodcunque calore stomachi non potest confici & digeri, ventriculus expellit aut per vomitum, aut dejicit ad intestina, atque expulsorius stomachi intestinorumque motus alias corporis partes (ut orificia venarum & similes) ad expulsionem provocat per consensum. Nullus enim in humano corpore familiarior crebriorq; motus quam ille ex consensu. Prægravationem ventriculi causatur aut qualitas, aut quantitas medicamenti. Qualitas est in triplici differentia, aut est summa amaritudo, ut in Aloë, Colocynthide, &c. aut nausea ex ingrato maxime & tetrico sapore, ut in Agarico, Helleboro nigro, &c. aut abdita & infesta humano corpori malignitas, sæpe gustatu se non exercens, ut in Scammonio, Mechoacan, Antimonio, &c. Observandum, si quod ex purgantibus medicamentis nullam harum qualitatum prodat, justam veneni suspicionem moveri. Aut enim corrosione illud efficit, aut latenti malignitate, & quadam cum natura repugnantia; ideoque istius generis medicamentis & præparandis & sumendis cautio adhibenda est. Assumptorum etiam quantitas purgationem excitat, ut videmus in magna copia lactis recenter mulcti, quin etiam immodice haustis cibis; nimis enim avida ciborum ingestio sæpe in purgationem convertitur, tam per supera quam per infera. Propterea animadvertimus generaliter operationem purgantium succedere post duas aut tres horas ex quo sumpta sunt medicamenta, quia stomachus digerere illa prius tentat. Simile quid onerato nimis ventriculo experimur, aut lacte immodice sumpto.

37. Secunda causa est acris mordaxq; vellicatio orificiorum in partibus, præcipue venis meseraicis, ut constat salem aut simile quid vellicans mordensq; ano insertum partem istam ad expulsionem provocare; sinapi sternutamentum excitat, & quicquid oculis acrimonia infestum est, lacrymas movet. Ideo videmus omnia purgantia specie quadam vellicationis valere, præter mordicationem quam flatus causantur. Atquæ hæc vellicatio si in summo consistat gradu, paulum prævalet corrosioni ex venenatis; idq; aliquando accidit in Antimonio, præcipue si exhibitum fuerit quibus corpora non repleta sunt humoribus. Ubicunq; enim humores abundant, ibidem partibus illi prospiciunt.

38. Tertia causa est attractio; non enim nego vim inesse purgantibus, quæ in attractionem ex se dirigitur, ut emplastris attrahentibus in Chirurgia: ut videmus salviam & betonicam contusam, pulverem sternutatorium, & alios pulveres aut liquores (quos Physici errhina vocant) naribus sumptos prolicere pituitam & humores ex capite. Sic quoq; in Apophlegmatismis & gargarismis usu venit, quæ catharrum per os educunt. Atque hæc proculdubio virtus est, qua purgantium quædam hunc, quædam alium humorem trahunt ex opinione vulgari; ut Rhabarbarum trahit bilem, folia Senæ Melancholiam, Agaricum pituitam, &c. Attamen alia plus alia minus promiscue trahunt. *Nota* quoque, quod præter sympathiam inter purgantia & humorem, alia insuper causa sit, quare medicamenta quædam humorem sibi consentaneum trahunt magis quam alium. Ea est, quod medicamenta quædam celerius operentur quam alia, & illa quæ cito, trahunt solummodo tenuiores & magis fluidos humores, illa vero quæ tarde trahunt, vim suam exerunt in magis tenaces & viscosos humores. Ideoque cautio adhibenda est, quomodo utendum rhabarbaro & similibus, non per se nullisque admixtis aut familiariter. Tenuiorem enim humoris partem raptim asportat, relicta humorum massa magis contumaci: simile quid possit dici de absynthio xantopere celebrato.

39. Quarta causa est flatuositas, flatus enim excitatus causatur expulsionem. Et revera compertum, quod omnia purgantia contineant in se crudum spiritum & flatum, qui præcipua causa est torminis in ventriculo & abdomine. Adeoq; purgantia deponunt (pleraque saltem) decocta virtutem, eaque de causa exhibentur præsertim in infusione, jusculo aut pulvere.

40. Quinta caussa est compressio, ut cum aqua exprimitur ex spongia. Sic videmus aquam frigidam movere profluxum ex contractione cutis exterarumq; partium, & eodem modo frigus causatur Catharros defluxionesq; ex capite, & quædam astringentia emplastra exprimunt purulentam materiam. Hujusmodi operatio non deprehenditur in multis medicamentis. Myrobalami hac qualitate valent, corticesque malorum persicorum. Hæc enim virtus requirit astrictionem, sed corpori ingratam. Astrictio enim grata humores magis constringit, quam expellit; ideoq; talis astrictio deprehenditur in rebus tetrici gustus.

41. Sexta causa est lubrefactio & relaxatio, ut patet in medicamentis emollientibus, ut sunt lac, mel, malvæ, lactuca, parietaria, & alia. Sic & occulta relaxationis virtus est in frigido. Calor enim corporis constringit partes & humores corporis, quos frigus relaxat: ut videre est in urina, sanguine, jusculentis & consimilibus. Quæ si frigida fuerint, dissolvuntur; atque istius generis relaxatione, metus solvit alvum, quia calore intus ad cor refugo intestina aliæque partes relaxantur; eodem modo ut metus etiam tremorem in nervis excitat; atq; hujus naturæ purgantia constituuntur ex medicamentis Mercurialibus.

42. Septima

42. Septima causa est abstersio, quæ est plane depurgatio, aut incisio maxime viscosorum & tenacium humorum, quæq; eosdem reddit fluidos, estque incisoria separatio à parte; quod aqua nitrosa comprobat, quæ lineas vestes facile depurgat, abstersisque sordibus nitidas reddit. Hanc vero incisionem necesse est constituat acrimonia carens astrictione, quam habemus in sale & absynthio, oxymele, aliisq; consimilibus.

43. Sunt medicamenta quæ sedes movent & non urinam, alia urinam & non sedes. Quæ purgant per sedes talia sunt, ut nequaquam aut parum intrent mesentericas venas; aut partim digeri primo non possunt à ventriculo, ideoque immediate ad intestina ab infra movent, aut alioqui postea rejiciuntur à venis mensentericis, sicque eodem modo ad intestina revertūtur; hujusq; duplicis generis pleraque sunt purgantia. Sed quæ urinam movent talia sunt, quæ facile à stomacho confici possunt, recipique à venis Mesentericis, siusque ad hepar perveniant, quod transmittit urinam ad vesicam tanquam serum sanguinis. Atque hæc medicamenta aperientia & penetrantia corroborant operationem lienis transmittendo ad infra serosas partes sanguinis ad renes. Medicamenta enim urinam moventia non operantur per rejectionem & indigestionem ut solutiva.

44. Medicamenta varia sunt quæ majori quantitate movent sedes, & minori urinam & contra quæ majori quantitate movent urinam & minori sedes. Primi generis est Rhabarbarum, aliaq; nonnulla. Causa est, quia Rhabarbarum est medicamentum quod stomachus minori quantitate digerit conficitque (est enim non flatulentum nec fastidiosum) & sic transmittit ad venas Mesentericas, aperiensque ad inferiora dejicit urinam. Sed majori quantitate sumptum ventriculus non conficit, & sic transit ad intestina. Piper à quibusdam antiquorum notatum est secundi esse generis, quod exigua quantitate movet flatus in stomacho, & sic expellit per sedes, sed majori quantitate discutit flatus, idemq; transit ad mesentericas venas, & sic ad hepar & renes, ubi calefaciendo & aperiendo transmittit ad infra abunde urinam.

Experimenta varia spectantia cibum & potum maxime nutritiva.

45. Egimus de evacuatione corporis, nunc transimus ad repletionem ejus ex restaurativis in consumptionibus & morbis emaciantibus. In vegetabilibus una pars aliam superat nutritiva facultate. Sic grana & radices plenius alunt quam folia, ita ut ordo Foliatanorum à Papa Romano rejectus sit, utpote qui frondes nutritioni corporis humani ineptas censeret. An & carnes Animantium sic differant, necdum rite exploratum est; veluti an jecora & alia viscera magis nutriant, quam externæ partes. Apud Romanos jecur anserinum in deliciis fuisse compertio, adeo ut & ab arte media habuerint, quibus & elegantius & majus redderetur; sed an plenius nutriat, non apparet. Constat medullam alere largius pinguedine, & concipio, decoctum ex ossibus & nervis contusis probeque percolatis admodum alimentare esse jusculum. Sic deprehenditur quoque Schorchschink (caro hæc jusculenta est) miri alimenti: constat autem cruribus & nervis carnis bubulæ diu coctis; etiam gelatinum, quo utuntur, loco restaurativi est, confectum ex ossibus carnis vitulinæ. Medulla cancri, quæ aromatibus & butyro conspersa incoquetur, magis alimentationi apta est, quam ipsa cancri caro. Vitellus magis nutrit quam albumen. Ita ut partes viventium magis interiores plus nutrire videantur, quam exterior caro; excepto cerebro, quod spiritus nimium carpit, quam ut vis alimenti ulla inesse superstes possit. Hæc possent adhiberi in senum alimentationem aut extreme emaciatorum, quæ in gradu ad chylum proximo sunt, etiam antequam in stomachum demittantur.

46. Sume duos magnos capones, eosque lento igne coque circiter spatio semihoræ aut plus, donec absumptus fuerit sanguis. Decoctioni corticem dulcis pomi medici aut bonam partem citrii, parumque maeis indito. Abscissa crura rejice: minutim deinde cultro disseca utrumq; caponem, nec non ossa, ut caro solet in minutal secari. Impone magno mundoque cribro: sume doliolum pravo odore non imbutum, capacitate 4. amphorarum cerevisiæ recentis & mustæ. Amplum quodque satis sit vasculo, apta orificium; cui injiciatur cribrum cum caponibus in longitudine extensis. Macerentur in eo per tres dies noctesque aperto ad operationem orificio. Deinde claudatur, sicque permaneat ad diem & dimidium. Postea in lagenas diffunde, tertioque post diffusionem die potabilis est, sexque septimanas durabit (experimentum edocuit) & vegeta bibetur floreaq; & spumans, neque mustea erit. Haustus valde conducit tabescentibus, vel per se, vel cum alia mixtus cerevisia. Sedat sitim, nec flatulentus est. *Nota*, fieri vix posse ut cibus & panis in jusculo sumptus aut potu (ut fieri solet) statim in venas partesque extremas abeat tam tenuiter & facile quam hoc modo incorporatus, aut pene in chylum versus.

47. Experimentum quoque posset fieri similis jusculi & mixturæ cum bulbis sive potadis, aut radicibus bardanæ, aut medulla cardui altilis, quæ valde faciunt ad alimentationem. Probatio quoque fieri posset per alias carnes, ut phasianorum, perdicum, porcellorum, carnis ferinæ, præsertim tenellæ.

48. Pulmentarium potest fieri ex caponum pulpa contusorum & percolatorum, & (postquam confectum fuerit) admixta pari (ad minimum) quantitate butyri amygdalarum, cibus nutritioni debilium egregie accommodus, præferturque pulmento vulgo dicto Blanckmange, aut gelatino; sic quoque viscera gallorum probe excocta cum simili mixtura butyri amygdalarum. Pulmentaria enim aut viscera per se minus sapida & efficacia sunt, atq; adeo convenientia alimentationi corporum imbecillium; sed amygdalæ, quæ sapore carni cedunt, optima qualitate imbuunt ea.

49. Maiz Indicum (proculdubio) excellente alimenti spiritu constat; sed probe decoqui & ad cremorem quoque redigi oportet, ut paratur cremor hordei. Idem de Oryza statuo unde cremor conficitur. In Turcia enim aliisque ad Orientem regionibus oryza plurimum vescuntur, quæ propter duritiem valide decoqui solet; præterea quoque quia corpus nimium adstringit.

50. Pistacia si proba sint, neque rancida, lacti amygdalarum immista, aut sola in lac redigantur, veluti lac amygdalarū, sed viriditate illud excedēs,

alimentum est excellens; sed optime nonnihil contusi Zinziberis addatur, quod flatulentia subtili non careant.

51. Lacti recens mulcto inesse magnam nutriendi vim exploratum; bonum itidem ad curandas emacitationes remedium. Sed imponantur ei, dum vacca mulgetur, duo parvi sacci, alter cum pulvere Menthæ, alter cum pulvere rubrarum rosarum. Lac enim aliquo modo in stomacho præservant à coagulatione: Adde quoque saccarum eadem de causa, partim quoq; saporis gratia. Sed justo haustu sumendum, ne diu in stomacho hæreat & coaguletur. Poculum, quo lac excipis, impone majori poculo cum aqua fervida, ut illo calido vescaris. Lac vaccinum hac præparatione lacti asinino præferendum judico, quod (dubio procul) non tam facilius mutationis est, sed acidulum. Lac equinum magis adversus urinæ acrimoniam valet, & vesicæ exulcerationem, in omnibus quoque lenientibus. Lac muliebre etiam præscribitur aliis deficientibus; sed in bonis alimentis non habeo, utpote succo humani corporis paulo vicinius, præterquam infantibus, quibus naturale est.

52. Oleum Amygdalarum dulciũ recenter extractum, cum saccaro & pauxillo aromatis pani tosto injunctum, nutrimentum est egregium; sed ut oleum à frictione cõservetur in stomacho, postea recens cerevisia magno haustu bibenda, & ne stomachum nimis laxet, nonnihil pulveris cinnamomi admiscendum.

53. Vitelli Ovorum in tam propinqua ad alimentum potentia sunt, ut nova præparatione aut mixtura non indigeant, si frixa, aut sorbilia sint: crudis quoq; vesci licet, sed recentibus cum vino malvatico & dulci; optime addideris segmenta quædam orbiculata radicis Eryngii, & parum Ambræ gryseæ. Hoc enim modo præter eam, quæ immediate adest, alimenti facultatem, talis potus insuper corroborabit, ut urinam tam crebro non depellat; nimia enim urinæ profusio semper alimento nocet.

54. Cibi intritio, ut in artocreis & intrito, addito butyro, prospicit molituræ dentium; ideoque (nec dubites) magis alit, præcipue in senectute, aut iis quibus dentes minus sunt solidi. Butyrum vero debilibus corporibus haud ita convenit, nisi humecteiur pauxillo vini clareti, cortice mali cytrii, aurantij minutim concisi, saccari & perpusillo cinnanomi aut myristicæ. Quod ad minutalia, itidem intritum est, sed loco butyri aut pinguedinis præstaret illa humectare partim cremore, amygdalis, aut lacte pistaciorum, aut cremore hordei, aut Maiz, addito nonnihil seminis coriandri & cari, & perpusillo croci. Pleniorem de alimentis tractatum reservamus suo loco.

Hactenus tractavimus particularia, quæ optimum, paratissimum & copiosissimum nutrimentum præbeant, nunc agemus de optimis mediis, quibus & deducantur ad alendas partes, & convertantur alimenta.

55. Prima ratio est, ut curetur ne nutrimentum dissipetur & carpatur. Qua in re illud antea dictum convenientissimam intentioni observationem meretur, ne renes nimis vehementer magnam admodum sanguinis partem per urinam deponant. Adde & Aristotelis præceptum, ut omne vinum in consumptionibus prohibeatur, quod spiritus vini roscidum corporis succum deprædentur, seseq; corporis spiritibus immisceant, adeoque eas nutrimento suo privent frustrenturque. Proinde si consumptioni, quam stomachi causatur debilitas, usus vini indulgendus sit, semper combustum exhibeatur, mobilioresque spiritus evaporent, aut saltem extinguantur duabus auri massulis septies repetitis. Accedat insuper hæc cautela, ne nimia alimenti dissipatio existat ab exhalatione & sudore. Ideoque si æger ad sudorem proclivis sit, leniter cohibeatur. Insistendum vero præcipue Hippocratis præcepto, qui plane contrarium consulit, quam usus obtinet. Scilicet ut lintea aut vestimenta corpori proxime admota, hyeme sicca sint crebroque mutentur, æstate vero raro varientur, oleoque inungantur. Verissimum enim quod omnis pinguis substantia poros corporis nonnihil repleat, sudoremque inhibeat quodammodo. Sed cultior habitus est lintea gestare leviter inuncta oleo dulcium amygdalarum, & minime mutationem prohibere, si quando opus sit.

56. Secunda ratio est, nutrimentum ad partes alendas validius transmittere. In hunc finem corroborando stomacho opera detur. Et quia stomachus præcipue vino aliisque calefacientibus confirmatur, hic nocituris, consultum erit ad externas ad stomachum applicationes confugere; inter quas usu compertum est fomenta ex rosis, aromatibus, mastiche, absynthio, mentha non adeo conducere, quam libum ex pane recens cocto, consperfum modico vini Hispanici aut Illiceni, quod exsiccetur, & posteaquam igne nonnihil arefactũ, inseratur nitido muccinio ac stomacho applicetur. Constat enim omnem florem obtinere ab astrictione validam virtutem, adeo ut frustum carnis aut florem impositum induret: propterea saccus furfure repletus apprime conducit: sed quia nimium exsiccat, ne diu maneat applicatum.

57. Tertia Ratio, præcedentis velut quædam propago est, ut alimentum melius in somno digeratur. Videmus enim ursas & alia, quæ per hyemem dormiunt, animalia admodum pinguescere. Et verum est (ut vulgo creditur) somnum maxime nutrire, duplici de causa, tum quia spiritus alimentum in somno minus consumunt, quam dum viventia vigilant; tum etiam (quod huc præcipue facit) quia alimenti distributionem in partes promovet. Ideoque in senibus & corporibus debilibus, quibusque cholera non abundat, brevis à prandio somnus nutritionem promovet. In ejusmodi enim corporibus non timenda est præpropera digestio, unicum à pomeridiano somno nocumentum. Sic quoque somnus mane post assumptum quid facilis digestionis, ut lac bovinum, jusculum nutritivũ aut simile quid, accelerat nutritionem. Sed hoc agendum erecto corpore, ut lac & jusculum tanto celerius descendere possit ad fundum stomachi.

58. Quarta ratio est, si procuretur ut partes istæ fortiter alimentum ad se trahere possint. Egregia est Aristotelis observatio, quod præcipua ratio, cur plantis quibusdam longior quam animantibus ætas, hæc sit, quod illæ annuis ramis & frondibus germinent, hæc peracto adolescentiæ cursu nihil novi producant, præter ungues & crines, excrementa, non partes. Atq; indubium est, à tenellis trahi melius alimentum quam adultis; tumque (obser-

(observationis id mysterium est) dum novelli rami & frondes succum attrahunt, in transitu simul corpus alunt. Ad oculum demonstrat quoque illud amputatio sepium, arborum, herbarum, durationi earum utilissima. Observationem igitur hanc transfer ad meliorationem alimenti in animalibus cujus nobilissimus præcipuusque finis est prolongatio vitæ, restauratio aliqualis perditi vigoris, & inteneratio partium. Certum enim est viventia habere partes facile nutricabiles & reparabiles, & contrariæ naturæ; quarum illæ refocillandæ restaurandæque, ut in transitu hæ reficiantur, & quasi imbibant alimentum. Videmus enim jumenta in bona pascua compulsa recuperare juvenculam carnem, hominesque à diæta emaciati pingues evadere, corpulentosque ac quasi novos. Adeo ut videamur tuto posse concludere, in frequenti prudentique artificialium emaciationum purgationumque usu, & fortasse nonnulla sanguinis missione verti præcipue prolongationem vitæ & aliqualem juventæ restaurationem. Ut enim sæpe diximus, mors supervenit viventibus creaturis ut tormentum Mezentii.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora.

Cum partes in humano corpore facile reparabiles (ut sunt spiritus, sanguis, caro) immoriantur complexui partium difficile reparabilium (ut sunt ossa, nervi, & membranæ.) Similiter quædam intestina (spermaticis partibus annumeranda) difficulter reparantur; quanquam illa spermaticarum & & menstruarum partium divisio solidi nihil habeat. Posset hæc observatio derivari in usum (quem hic spectamus) alendorum corporum post emaciationem. Ideoq; mollis fricatio alimentum prolicit efficiendo partes aliquantisper famelicas, easq; ex calefaciendo ut melius attrahant alimentum. Fricatio hæc mane fiat, utq; commodo peragatur, manu, aut parte lanæ coccineæ, intincta pauxillo oleo amygdalarũ, additoque modico nigri salis aut croci. Sic & equos probe depexos videmus pingues reddi nitidoque habitu.

59. Quinta ratio est, ipsum actum assimilationis alimenti promovere, quod fit externe adhibitis quibusdam emollientibus, quæ partes magis idoneas assimilationi reddant. In quem finem unguentum aliquod fragrantissimi odoris composui, quod Romanum vocare soleo. Vide formulam. Usus inter dormiendum est; in novissimo somno partes præcipue assimilant.

Experimentum unicum spectans filum Medicinale.

60. Plurima sunt medicamenta quæ per se nullam curam faciunt, & fortassis noxia sunt; sed applicata certo ordine unum post alterum magnam curam faciunt. Ipse experimento didici remedium adversus podagram, quod raro fefellit, sed abegit spatio 24. horarum: primum est puls applicanda, cujus vide, in fine hujus operis ante Indicem, præscriptum, deinde balneum aut fomentatio, cujus præscriptum vide, postea emplastrum, vide præscriptum. Puls laxat poros humoremque aptum reddit exhalationi. Fomentatio prolicit humores in modum vaporum, sed respectu viæ à pulte factæ modice extrahit nullosque præterea aliunde trahit. Est enim lenis fomentatio, habetque mixturam & speciem stupefactionis, quanquam exiguæ. Emplastrum est modice astringens, quod ita repellit ne novus humor incidat. Puls sola partem magis mollem reddit aptioremque recipiendo defluxui, impressionique humoris: fomentatio sola si minus esset efficax, absque via facta à pulte, parum extraheret; si nimis valida, traheret tam ad partem quam ex parte. Emplastrum solum cohiberet humorem contentum in parte, sicque eum tam exasperaret quam prohiberet accessum novi humoris. Ideo ordine applicari debent, ut dictum est: puls applicanda est ad spatium duarum aut trium horarum, fomentatio ad quadrantis aut paulo longius præcalide adhibenda, & septies, octies verepotenda: emplastrum continue applicandum donec pars confirmetur.

Experimentum unicum spectans curam ex assuetudine.

61. Est & occulta quædam curandi ratio, in usum nondum translata, ex assuetudine rei per se noxiæ. Venena quibusdam familiaria sunt reddita, ut dictum est. Qui vulgo curam habent laborantium ex peste, raro inficiuntur ex contagione. Toleratio cruciatuum ex assuetudine, eos reddit leviores. Digestio immodici cibi aut vini in consuetudinem versa crapulam & ebrietatem prohibet. In universum, morbi chronici, ut, tusses, phthises, quædam paralyseos species, lunatici, &c. in principio maxime periculosi existunt. Ideoque prudentis est medici considerare utrum morbus sit incurabilis, atq; an exacta ejus cura periculo careat. Si metus est, ad palliationem recurrat, symptomata levet, haud occupatus nimium in perfecta curatione: sæpe autem hæc ratio (ægro tantum constet patientia) plus præstat quam opinio sibi spoponderit; ut & si symptomata superare in paroxysmo queat affectus, patientiamque in naturam vertere.

62. Varios morbos chronicos (quales sunt quartani) sæpius ingluvies & excessus curat, ut nimia cibi & potus ingestio, frequentata extra ordinem jejunia, immodicus corporis motus, aut lassitudo, & similia. Causa est, quod morbi continui adventitiam ex assuetudine vehementiam acquirant, præter materialem humorum causam, ut assuetudinis interruptio eos primæ solum causæ relinquat, quæ si imbecillis sit, concidet: præterea, tales excessus excitant & irritant naturam, quæ sic vehementius insurgit adversus morbum.

Experimentum unicum spectans curam ex motu per consensum.

63. Magnus in humano corpore consensus est ex motu variarum partium. Videmus in lusu puerorum, quo tentant an una manu pectus fricare & altera frontem percutere leviter possint, continuo aliquando ambabus fricare & percutere manibus. Nec obscurum est, spiritus qui ad nates ascendunt, si tetrum trahant odorem, stomachum irritari ad vomitum: compertum quoque consumptis pulmonibus, si nulla per tussim fiat ejectio, sequi profluvia alvi, moxque hominem mori. Morbi quoq; pestilentes si per sudores expugnati nequeant, in fluxum alvi desinunt, quod plerumque lethale est. Ideoque Medici ingemosi dispiciant quomodo ex motibus, in quos valent, excitare eos possint quos per consensum in sua potestate habent; ut suffocatio uteri curatur fœtore plumarum aut similium.

Experimentum unicum spectans curam morborum, qui prædispositioni corporis sunt contrarii.

64. Hippocratis aphorismus, scilicet in morbis minus,&c. bonam continet ac profundam speculationem. Designat enim, morbos constitutioni corporis, ætati, sexui, tempestati anni, diætæ contrarios, magis esse periculosos, quam qui hisce consentanei sunt. Nonnemo contra opinetur, ubi enim morbi symptoma & naturalis dispositio mutuum quasi præstant auxilium, vehementiorem fore morbum; neque ea res dubium habet, præsupposita simili materiæ quantitate. Sed quod Aphorismum astruit, est, quod tales morbi materiam uberius collectam designent, eoque naturales inclinationes in contrarium vertere queant. Ideoque tali morborum statu medicus spectet magis purgationem quam alterationem, cum peccetur quantitate, qualitatesque sponte in ordinem redigantur.

Experimentum unicum spectans præparationem ante purgationem, corporisque in integrum restitutionem.

65. Prudens medicorum observatio est in adhibendis præparationibus ante justas purgationes; verum quippe est lædi sæpius magnopere corpus, si & prævia purgatione & consectanea negligantur. Damnum ex præparationis defectu est, humorum non fluidorum tenacia, eorumque incommodus exitus; quod in corpore magnas perturbationes causatur pravaq; accidentia, dum in opere est purgans; unde hebescit decrescitque vis medicamenti, ut sufficienter haud purget. Itaque duplex præparationis officium est, ut maturos fluidosque reddat humores, ductusq; magis pervios; utrumq; enim humoribus exitum facilitat. Quantum ad hoc, syrupi maxime prosunt, ad illud apozemata aut juscula præparantia. Clysteres quoque efficiunt ne medicamenta in intestinis hæreant, operenturque per avulsionem. Sed verum est, quod corpora humoribus plena & pinguia, & suda serenaque aëris tempestas per se sint præparativa, humoresq; fluidiores reddant. Sed attendat medicus ad purgationes per gelu exhibendas, & glacilibus corporibus, non præparatis. Quicquid enim noxæ post purgationem existit, nascitur ex male constipatis alibi humoribus; verum siquidem est nonnullos certis corporis locis affixos humores quiescere sine damno, aliis partibus (præsertim ductibus) multum adferre noçumenti. Itaque consultum fuerit post purgationem uti apozematis & jusculis, non tam aperientibus, ut ante purgationem, sed in abstersivos & mundificantes clysteres desinere, ut auferantur humorum, qui descendere ad inferiorem corporis regionem potuerunt, reliquiæ.

Experimentum unicum spectans qui sanguis sistatur.

66. Sanguis sistitur variis modis. Primo astringentibus repercussivisq; medicamentis. Secundo tractione spirituum & sanguinis ad interiora, quod frigido efficitur, ut ferrum aut lapis cervici applicatus sanguinem è naribus sistit. Nec non competum testiculos acri insertos aceto spiritus repulisse, sanguinemque stitisse. Tertio regressu sanguinis ex Sympathia. Exploratum enim usu, quod pars, sanguinem mittens, inserta caponi aut ovi recens dissectæ, quæ sanguinem adhuc habeat, represserit sanguinem; exsugens, ut videtur, atque, ex similitudine substantiæ, resorbens sanguinem sibi obvium, atque ita retrogrediens. Quarto consuetudine & lapsu temporis. Sic primum ab Hispano inflictum Principi Auriaco vulnus adhibita sistendo sanguini medicamenta & ligamēta evicit. Tandem orificio vulneris obturato per pollices hominum sibi invicem succedentium spatio saltem bidui consuetudo sanguinem repressit. Est & quinta ratio, ut mittatur sanguis in adversa parte per revulsionem.

Experimentum unicum spectans mutationem alimentorum & medicamentorum

67. Tam medicamenti, quam alimenti mutatio conducit; neque perseverandum in frequentato utriusque usu. Causa est, quia naturæ satietatem ea continuatio parit, ut appetitus & operatio ejus obtundatur. Sed videmus res noxias assuetudine evadere innoxias: ut venenum, cui conficiendo parem nonnulli stomachum habent ex usu continuo. Quare haud mirum si salutaria quædam consuetudine deperdant vim auxiliatricem. Eadem autem mihi intermissio cum mutatione est, cum intermissa postmodum evadant nova.

Experimentum unicum spectans diætam.

68. Dictat experientia, diætas ex Guajaco, Sarza, similibusque severe institutas magis in ingressu affligere ægrum quam in progressu. Unde plerique delicatiores in medio substiterunt, hac opinione decepti non sufficere se iis usque ad finem, si initia tantas cieant perturbationes. Sed causa est, quia tales diætæ exsiccent humores, catharros & similia, nec queunt exsiccare nisi prius attenuent. Dumque humor attenuatur magis fit fluidus quam antea, corpusque perturbat, donec exsiccatus ac consumptus fuerit. Itaque ægros oporteret expectare justum temporis spatium, neque principiis offendi.

Experimenta varia spectantia productionem frigoris.

Productio frigoris inquisitione dignissima est, tam ob usum, quam caussarum cognitionem. Calor enim & frigus duæ manus sunt quibus præcipue operatur natura. Calorem habemus in promptu respectu ignis. Frigus expectandum est donec adveniat, aut in cavernis quærendum, altissimis montibus; & omnia cum tentata sunt, obtinere illud in summo gradu non possumus. Fornaces enim igne excalefactæ longe superant Solis calorem; sed fornicata & colles haud magnopere gelu hibernum frigore præcellunt.

69. Prima producendi frigoris causa est quam natura nobis suppeditat, nempe expiratio frigida ex terræ interraneis tempore hiberno, quando Sol illud evincere non valet. Terra enim (ut à quibusdam bene notatum) primum est frigidum. Astruunt id tam antiqui, quam novitii Philosophi. In hac sententia Parmenides fuit, & author illius discursus apud Plutarchū (nam Plutarchum non agnosco illius authorem) de primo frigido. Sensit idem Telesius, qui Parmenidis Philosophiam reduxit, interque novitios præ omnibus commendatur.

70. Secunda causa frigoris est contactus corporis frigidi. Frigus enim activum est, inque adjacentia transit corpora, ut calor, quod patet in iis, quæ

quæ nix & frigida contingunt. Ideoque quisquis naturæ scrutinio se dedit, ad conservatoria nivis & glaciei oculos & mentem reflectat; qualia in deliciis habentur ad refrigerium æstivo tempore, sed usus ille tanti non est, & reijciendus præ aliis, quos ejusmodi conservatoria exhibent.

71. Tertia causa est primaria natura omnium corporum tangibilium: accurate enim notandum, quod omne tangibile natura sua frigidum sit, nisi adventitium ex igne, vita, motu, habeat calorem; nam ipsi spiritus vini, aut olea Chymica, quorum insignis est virtus in operando, ad tactum frigida sunt, compressusque & condensatus aër frigoris nonnihil flatu oris contrahit.

72. Quarta causa est densitas corporis, omnia enim densa corpora aliis plerisque frigidiora sunt, ut, metalla, lapides, vitra diutiusque calent quam molliora. Et certissimum est, terram, densum, & tangibile participare naturam frigidi: causa est, quod cum omnia materiata tangibilia existant frigida, necessario compactior materies frigus infert vehementius.

73. Quinta causa frigidi, aut potius quod illud augeat intensiusque reddat, sunt spiritus vegeti celeriores que frigido corpori inclusi; ut attente naturam consideranti variæ comprobabunt instantiæ. Sic nitrum (vegero spiritu præditum) frigidum est, & frigidius linguæ, quam lapis. Aqua oleo frigidior est, quia mobiliores spiritus possidet. Omnia olea, quanquam partes tangibiles melius aqua digestas obtineant, tardiores tamen spiritus habent. Nix aqua frigidior est, quia pluribus constat spiritibus.

Sic quoque evidens, quod sal glaciei appositus (ut in artificiosa glaciei productione) operationem frigidi adaugeat. Sic insecta quædam vivum habentia spiritum, ut angues, bombyces, frigida tactui apparent. Sic Mercurius inter metalla frigidissimum est, quod spiritibus abundet.

74. Sexta causa frigoris est propulsio & fuga spirituum, qui caloris gradum obtinent, nam caloris exturbatio corpus aliquod necessario frigidum relinquit. Hoc ad visum patet in operatione opii & stupefactivis, si animantium spiritibus admoveantur. Operæ pretium esset experiri opium impositum vertici vitri calendaris, an aërem contraheret; sed de successu dubito. Præterquam enim quod vis opii vix penetrare possit vitri corpus, existimo opium & similia, malignitate potius, quam frigiditate, depellere spiritus.

75. Septima causa est, exhalatio & extractio spirituum calidorum, effectum consimile ei, quod ex fuga spirituum oritur. Percrebuit opinio, quod Luna polleat magnetica virtute in calorem, ut Sol in frigus & humiditatem: digna igitur esset inquisitio per aquas calidas; alteram radiis lunaribus expositam, alteram cum umbella quadam posita inter radios Lunæ & aquam, quali uti solent adversus Solem pro umbraculo; utra prius frigesceret. Explorare porro necesse est rationem extrahendi exiguum calorem; aëris magni momenti arcanum, ut cœlum reddatur frigidum.

Experimenta varia, spectantia versionem & transmutationem aeris in aquam:

In prioribus modum præscripsimus aërem in aquam vertendi, experimento 27. Sed quia magnale naturæ existit, & ad magnos effectus digitum intendit, variosque usus habet, instantias nonnullas dabimus, quæ lucem isti rei præbebunt.

76. Memoriæ proditum est, quod naturæ per noctem vellera suspendant ad latera navium lana aquæ obversa, & mane dulcem aquam exprimant in suos usus. Et experimento nobis constat, quantitatem lanæ laxius constrictam, & in puteum profundum demissam, suspensamque trium circiter ulnarum interstitio ab aqua, per noctem tempore hiberno augescere pondere (ut bene memini) ad quintam partem.

77. Quidam ex veteribus refert, operatios nonnullos in Lydia prope Pergamum flagrante bello in cavernas se recepisse, earumque ingressu ab inimicis obstructo fame periisse. Sed longo post tempore ossa reperta sunt, & vasa eodem delata secum, aqua plena, quæ aqua vulgari crassior glaciem prope referret. Notatu digna instantia condensationis & indutationis per defossionem sub terra in cavernis per longum temporis spatium, & versionis quoque (ut nobis videtur) aeris in aquam, si quædam horum vasorum fuerint vacua. Ideo vesiculam in nive suspensam explora, & æqualem in nitro, ejusdemque magnitudinis in Mercurio vivo, ac si reperias vesicas detumuisse aut contractas, certum habe aerem condensatum fuisse ex frigore horum corporum, ut fieri posset in caverna subterranea.

78. Relatum est à fide dignis, quod in Indiâ Orientali labrum aquam repletum & sine operculo constitutum ubi gariophylla servantur, spatio 24. horarum exinanitum reperietur, etiam in quadam à gariophyllis distantia. Sæpe apud agrestes in emptorum fraudem constituunt in lana recens detonsa situlas aqua repletas, ut lana pondere augescat, Sed fieri possit, quod calor lanæ à corpore ovis in ea relictus, aut collectus ex laxo situ aqueos humores attrahat; sed illud nihil ad versionem.

79. Narratur ex fide, quod lana recens detonsa fortuito imposita vasi omphacio repleto, paulo post magnam ejus partem hauserit, etiamsi vas rimis non esset patulum, & clausum esset orificium. In hac instantia notanda insuper percolatio aut suctio omphacii trans lignum. Omphacium enim sponte lignum non transiisset; at videtur quod prius vaporis quadam specie penetrare debuisset.

80. Præcipue notanda causa est, quæ versionem aeris in aquam promoveat, cum aer non sit densus, sed subtiliter tangibilibus corporibus immixtus (ut partim antea dictum est) quia tangibilia corpora antipathiam habeant cum aere, & si liquidum aliquod corpo densius in vicinia habeant, illud attrahent, attractum magis condensant, & re ipsa incorporant. Videmus enim spongiam, lanam, saccarum aut laneam vestem, altera parte vino aut aquæ impositam altius humorem imbibere, utraque spatium illud quo aqua aut vinum adscendit: ad oculum quoq; patet, lignum, fides testudinis, similiaq; cœlo humido intumescere, ut ostendit fidium divulsio, difficilisque verticulorum circumactio, neque absimilis pyxidum januarumque ex opere tabulato, apertura; quæ infusionis quædam species, infusionique in aquam par est, & lignum intumescere facit, ut videmus in coëuntibus per repletionem rimis, globorumque fissuris, si aquæ imponantur. Sed hæc pars experimenti attractionem

ctionem spectans, reservanda proprio titulo de attractione.

81. Versio aëris in aquam conspicitur quoque in exsudatione marmorum aliorumque lapidum & operis tabulati ante & jam humida cœli tempestate. Causa videtur aut humor quem corpus suppeditat, aut humidus condensatusque in duro corpore aër. Sed ad hoc posterius referendum patet, cum videmus lignum oleoso colore illitum citius colligere guttas per noctem vaporosam, quam lignum per se; quod fit ex levigatione & densitate, quæ nullum admittit vaporem, repulsumque condensat in rorem. Neque ignoramus quod exhalatio in vitrum aut corpus levigatum efficiat rorem; & per matutinum (quod pruinosum vocamus) gelu comperimus guttulas roris interiori fenestræ parti adhærescentes. Ipsum quoque gelu in terra est tantum versio aut condensatio, qua humidiores noctis vapores in aqueam substantiam abeunt. Similiter ros & pluvia sunt recursus duntaxat vaporum humidiorum condensatorum; ros solummodo ex solis recessu, unde modicum frigus; pluvia ex frigore in media (ut vocant) aëris regione, quod acrius est.

82. Admodum probabile est (ut diximus) quicquid aquam in glaciem vertit, aliquo etiam modo proximius vertere posse aërem in aquam. Ideo experimentum illud artificiosæ conversionis aquæ in glaciem (cujus alibi à nobis facta mentio) transfer ad aërem loco aquæ & glaciem circa illum. Et quanquam major alteratio sit aëris in aquam conversi, quam aquæ in glaciem, spes tamen adhuc est, continuo aëris usu fieri posse. Illa enim artificiosa aquæ in glaciem conversio paucis horis fit, aëris hæc mensium spatio aut simili, tentari posset.

Experimenta varia spectantia indurationem corporum.

Induratio & lapidificatio substantiarum molliorum alter est indurationis gradus, ingens alterationis in natura momentum. Effectum ejusque acceleratio digna sunt ut inquirantur. Tribus autem efficitur rationibus. Primum frigore, cujus proprietas est condensare ac constipare, ut dictum. Secundum calore, qui idem non proprie seu per se agit, sed per consequentiam. Calor enim attenuat, attenuando propellit spiritus humidiores que corporis partes, inde crassiores tangibilesque partes se contrahunt, ne detur vacuum (ut vocant) atque ita se muniant adversus vehementiam ignis quam sustinuerunt. Tertium assimilatione, quando corpus durum assimilat molle, sibi contiguum. Exempla indurationis, promiscue sumpta, varia sunt, ut generatio lapidum sub terra, qui prius erant rudis terra & argilla. Atque ita de mineralibus; quæ primo (proculdubio) ex succis concretis proveniunt, qui postea indurescunt; & sic de porcellaneis vasis, quæ sunt artificiale cæmentum sub terra defossum. Sic quoque confectio laterum & tegularum, & vitri ex arena quadam, & radicibus fractis & alia materia. Sic exsudationes adamantum in rupibus repertorum, & crystalli qui progressu temporis indurescunt. Sic induratio electri, quod primo substantia existit molli, ut apparet ex muscis & araneis in eo inventis; pluraque alia. Sed distincte de iis agendum.

83. Quantum ad indurationem ex frigore, pauca ejus experimenta sunt. Nullum enim vehemens & intensum frigus datur in hac terræ superficie, adeo exposita radiis solaribus in cœlo. Convenientissimum experimentum dabit nix & glacies, quæ utraque cum corroboretur specialiter, inque actum deducatur frigus admixto nitro & sale, salem in glaciem convertet, idque paucis horis. Forte longiusculo tempore convertet lignum aut argillam duram in lapidem. Itaque puteo, in quo nix & glacies conservantur, impone particulam ligni aut tenacis argillæ, addito salis & nitri quanto, & per mensis spatium aut diutius in eo jaceat.

84. Aliud experimentum fit per aquas metallorum quæ potentiali frigore præditæ sunt. Pone igitur lignum aut argillam in aqua extinctionis ferri, aut alia aqua metallica, & explora num justo temporis spatio indurescant, sed illas aquas metallicas intelligo quæ lotione aut extinctione parantur, & minime de aquis fortibus quæ corrosione fiunt: magis enim corrosiva sunt quam ut consolident.

85. Hactenus constat, naturales quosdam esse fontes, qui lignum in lapidem convertunt, ut conspicere dabitur in particula quadam ligni, cujus pars extra aquam prominens servabit naturam ligni, altera autem pars in speciem quandam lapidis tabulati convertetur. Verisimile est aquas hasce mixturam quandam metallicam obtinere, sed eradictior in iis inquisito descendat ad particularia. Certissimum est, ovum quod per multos annos in fundo fossæ jacuisset, terra fortuito superingesta leviter tectum, durite lapidem æquasse, colorescque vitelli & albuminis distinctos conservasse, testam vero resplenduisse instar saccari aut alabastri tenuissimis suis granis.

86. Aliud experimentum est indurationis per frigus, quod hodie inventum est; metalla scilicet repetita ex calefactione & extinctione in frigido indurescere. Validissime enim frigus à præcedente calore operatur.

87. Induratio quæ fit per calorem considerandaest, qui ob exhalationem partium humidarum aut indurat corpus, ut in lateribus & regulis, aut si vehementior sit, ipsas duriores partes liquefacit, ut in vulgari artificio vitri, & vitrificatione terræ (quod videmus in interioribus partibus fornacum) & in vitrificatione laterum & metallorum. In priorum harum, quæ est induratio per coctionem absque liquefactione, calor hos gradus obtinet, primo indurat, secundo fragile reddit, denique in cineres redigit & calcinat.

88. Sed si cupias indurationem cum tenacitate quadam efficere, minorique frigilitate, media via eligenda est; quam Aristoteles bene notavit, sed non probavit, nempe ut corpora per tres quatuorve dies in aqua decoquantur. Oportet autē corpora sint minime penetranti aquæ pervia, ut lapides & metalla: talia enim corpora si sint quibus insinuare se possit aqua, diuturna coctio emolliet potius quam indurabit, ut probatum est in ovis, &c. Ideo molliora corpora lagenis imponenda sunt, & lagenæ in aqua ebulliente suspendendæ aperto orificio extra aquam, ne aqua subingredi possit. Hoc enim modo potētialis aquæ calor intrabit, & quidem ejusmodi, qui corpora nequaquā fragilia aut adusta reddat, sed substantia aquæ exclusa manebit. Hoc experimentum aliquando à no-

à nobis factum cum tali eventu. Compertum est fragmentum lapidis cæsi, & stanni aquæ impositum copiosæ paululum aquas attraxisse. Mollior enim & rasuræ aptior evaserat, quam altera ejusdem lapidis sicci particula. Sed stannum, aquæ ingredienti impervium, candorem auxerat, propiusque argentum colore referebat, longe minus flexibile. Sic quoque lagenæ fictili, ut supra collocatæ, injectus est globulus argillaceus justæ magnitudinis, frustum cæsei, particula cretæ & lapidis cæsi. Ex iis argilla æquabat fere lapidem duritie, caseus quoque admodum durus & haud facile scindendus: creta vero & lapis cæsus multo duriora quam antea. Color argillæ colorem laterum coctilium non referebat, sed potius accedebat ad candorem, qualem vulgo reddit insolatio. *Nota*, quod omnia prædicta experimenta ad luculentum & validum satis focum habita sint, consumptæq; aquæ denuo aqua superingerebatur fervida. Coctio autem duodecim explevit horas; neque verisimilitudine caret, quod experimentum fuisset efficacius, si coctio per duos tresve dies fuisset continuata, ut in præcedentibus à nobis dictum.

89. Quantum ad assimilationem (in corporibus enim inanimatis gradus quidam assimilationis reperitur) exempla ejusdem præbent lapides in terra argillosa, proxime superficiem terræ; ubi calculi sunt, in quibus manifestò conspicere datur varios calculos congregatos, & crustam cæmentraut lapidis interpositam, pari cum calculis duritie, atque operæ pretium esset periculum facere, si argillæ satis magna quantitate sumptæ, vari inserantur calculi, an lapsu temporis durior evaderet altera ejusdem massæ argilla, quæ calculis careret. Videmus quoque in ruinis vetustorum murorum, præcipue in fundo, cæmentum tam evadere durum ac later. Lignum quoque ad latera vasorum vinariorum crustam tartari colligit, quæ lignum duritie superat. Sic dentibus quoque adnascuntur squamæ, ipsis duriores.

90. Maxime omnium induratio ex assimilatione apparet in corporibus arborum & animantium. Nullum enim alimentum, quo arbores aluntur, quodque & animantia recipiunt æque durum existit ac lignum, os, aut cornu, &c. attamen postea assimilatione indurantur.

Experimentum unicum spectans versionem aquæ in aerem.

91. Oculus intellectus oculo sensus est similis: nam ut grandia objecta per rimulas & pinnicidia in dioptra conspici possunt; sic quoque magna naturæ axiomata ex vilibus & abjectis instantiis ad oculum patent. Repentina deprædatio aëris in humorem aqueum, ejusdemque versio in aërem, in nullis visibilibus magis conspicua est, quam in celeri resolutione & evanescentia tenuis nubeculæ exhalationis aut vaporis ex vitro, & lamina ensis, & ad eum modum polito corpore, quod nequaquã detinet aut imbibit humorem; nam nebulosa caligo repente discutitur & dissipatur. Similis vero nubecula, oleosis aut pinguibus impacta, non dissolvitur, quod tenacius adhæreat, sed quia aër aquam deprædatur, flamma & ignis oleum. Ideo tollendæ maculæ ex adipe, adhibent carbonem chartæ bibulæ involutum, quia ignis in adipem operatur aut oleum, ut aër in aquam. Videmus quoq; chartam oleo inunctam, aut lignum oleo illitum, aut simile quid diutissime humorem servare, sed aqui madefacta citius exsiccari aut putrescere. Causa, quod aër difficulter cum oleosa humiditate misceatur.

Experimentum unicum spectans vim unionis.

92. Admirationi dignum est, quod eadem levis instantia tenuiculæ nubeculæ in vitris gemmis, aut laminis ensium, demonstrat efficaciam unionis etiam in minima quantitate & tenuissimis corporibus, quantum ea conducat ad conservationem formæ præsentis aut resistendum novæ. Nam exacte si observas resolutionem istius nubeculæ, conspicies eam dissipari primo in marginibus, & ultimo, in medio. Videmus quoque aquam copiosam extrahere succum corporis infusi; sed pars aquæ à corpore imbibitur. Atque hæc præcipua causa est, quod in operatione, qua corpora convertuntur & alterantur, experimentum in magna quantitate non respondeat experimento in minima, & sic multos fallat. Nam (ut dixi) majus corpus magis resistit alterationi formæ, & multo majorem efficaciam requirit in activo corpore, quo illam reactionem expugnare valeat.

Experimentum unicum spectans productionem plumarum & pilorum varii coloris.

93. In præcedentibus locuti sumus in quinta instantia de causa colorum in avibus ex tenuitate coli, jam verò conabimur illud axioma ad usum referre. Hæc enim conscriptio nostræ hujus Sylvæ Sylvarum, proprie loquendo non est naturalis Historia, sed sublimior quædam species naturalis Magiæ, utpote non solum describens naturam, sed eandem in magna & mirabilia opera resolvens. Fac ergo experimentum, ungens columbas aut alias aves, quando adhuc lanugine tantum vestiuntur, aut etiam catulos, pilos eorum decurtãs quantum liceat, aut alias bestias, unguento carni minime noxio, quod indurescat firmiterq; adhæreat, & videnum colores plumarum aut pilorum immutentur. In confesso est, quod evulsio plumarum primo subnascentium in avibus prorsus novas candido colore eliciat. Certum quoq; album colorem ex penuria humorisq. defectu esse. Sic violæ cæruleæ, aliiq; flores cum emarcescunt, pallidi & albi evadunt. Aves & equos ætas & cicatrix canos reddit eademque causa canos in homine producit. Ideo admodum verisimile est, quod, quæ in avibus primo erumpunt plumæ, sæpe diversi coloris sint pro natura avium, prout cutis magis porosa existit; sed ubi ea firmior est, plumæ alborum contrahunt. Optimum id experimentum est, non ut aves solũ & bestiæ variatis mirum in modum coloribus habeantur, sed etiam ut colorum natura penitius innotescat, quinam eorum tenuiorem, quinam crassiorem porositatem requirant.

Experimentum unicum spectans alimentum animantium antequam in lucem edantur.

94. Opus providentiæ est, verissime à quibusdam observatum; vitellum ovi parum facere ad generationem avis, sed tantum ad alimentum ejusdem. Si enim pullus recẽs exclusus dissecetur, multas vitelli reliquias invenies; & necesse est, ut aves, quæ extra matricem fœmellarum generantur, habeant in ova tam alimenti materiam, quam unde generetur corpus! nam post exclusionem ovi, & à cor-

à corpore gallinæ separationem, nullum præterea alimentum à gallina recipit, sed solum calorem vivificantem ab ea incubante. Sed bestiæ & homo nullo alimento interno indigent, quoniam generantur intra uterum sæmellæ, continueque nutriuntur ex corpore illius.

Experimenta varia spectantia Sympathiam & Antipathiam in usum Medicum.

95. Vetus & recepta opinio est, cantharides applicatas alicui corporis parti vesicam contingere, eamque exulcerare, si diutius admotæ teneantur. Fidem quoque invenit, quod lapis ex India Orientali huc advectus, peculiarem vim habeat depellendi calculos ex renibus, eosque dissolvendi, adeo ut carpo admotus tam vehementer calculos depulerit per inferius, ut præ violentia removendus esset.

96. Receptum est, & quotidiana experientia comprobatum, plantas pedis consensum habere cum capite & orificio stomachi, ut videmus in iis qui calceis assueverunt, si nudati incedant, utramque partem affici. Applicati pedibus pulveris calidi primo attenuant, postea catharros exsiccant. Hinc medicus quidam, affectate venditans artis mysteria, curando catharro præscribit, continuam per ambulacrum camomillo consperſum ambulationem, subinnuens inserendum soccis camomillum. Sic quoque recens dissectæ columbæ, plantisque pedum applicatæ medentur capiti, & soporifera ipsis applicata somnum conciliant.

97. Videtur, ut capiti cum pedibus sympathia intercedit, sic carpos & manus obinere sympathiam cum corde, cum affectus & morbi cordis & spirituum ex pulsibus manifesto judicentur. Et usus edocuit, succos floris cariophyllati, Rosæ Campianæ, allii, & similia applicata carpis manuum, & subinde recentata, chronicos morbos curasse. Lotionem quoque palmarum in quibusdam liquoribus multum prodesse existimo; & bene faciunt qui in febribus ardentibus manu tenent ova ex alabastro, globosque ex crystallo. De his rebus agemus fusius, cum perventum erit ad titulum de sympathia & antipathia.

Experimentum unicum spectans occultos naturæ processus.

98. Cognitio humana determinata hactenus fuit speculatione & visu, ita ut quicquid oculos fugeret, sive propter tenuitatem corporis, aut partes exiles, aut subtilitatem motus, parum sit exploratum. Hæc tamen naturam maxime regunt, illisq; posthabitis vera analysis institui nequit, aut indicari naturæ processus. Spiritus aut pneumatica quæ omnibus tangibilibus insunt, vix cognoscuntur. Aliquando vacui nomen illis inditur, cum in corpore maxime activa sint. Aliquando sumuntur pro aëre, à quo mirum quantum differant, ut vinum ab aqua, lignum à terra. Aliquando naturalem ignem esse autumant, aut portionem elementaris, cum quidam eorum crudi & frigidi existant. Aliquando virtutes & qualitates tangibilium partium appellant, quæ visu cognoscuntur, cum per se subsistant; cum de plantis & animantibus agitur, animas vocant. Ejusmodi speculationibus superficialibus indulgent, velut prospectiva quæ res in recessu exhibeat, cum solum depictæ sint. Nec quæstio hæc stat intra verba, sed infinite solidatam in natura materiam habet. Spiritus enim nihil sunt præter corpora naturalia, proportionaliter rarefacta, tangibilibus corporum partibus inclusa velut tegumento. Neq; minus inter se differunt quã densæ & tangibiles partes, omnibusque tangibilibus corporibus insunt plus minusve, & plerumque nunquam cessant. Ab his eorumque motibus præcipue procedunt arefactio, colliquatio, concoctio, maturatio, putrefactio, vivificatio, & præcipua naturæ effecta. Ut enim in Sapientia veterum illos descripsimus in fabula Proserpinæ, in regimine infernali paucos Plutonis actus comperies, plurimos Proserpinæ; cum tangibiles corporis partes stupidæ sint, & spiritus omnia efficiant. Ad differentias tangibilium in corporibus partium industria Chymicorum nonnihil lucis contulit, dum separationibus suis discernunt oleosas, crudas, puras, impuras, tenues, crassas & similes partes. Medicin cognitione illa acquiescunt, nempe herbas & fæces, diversis constare partibus; ut quod opium habeat partem stupefactivam & calefactivam, quarũ prior somnũ conciliet, posterior eliciat sudorem. Rhabarbarum purgantibus & astringentibus partibus constare; sed plenior inquisitio negligenter admodum & tenuitur habita est. Quantum ad subtiliores differentias partium minutarum, earumq; posituram in corporibus (quæ magnos edunt effectus) non omnes notatæ, & motus minutarum in corporibus partium, qui tantum valent, nõ omnes observati sunt, quia sunt invisibiles, & in oculos nõ incurrunt, sed experientia deprehendendi sunt. Ut bene Democritus, cũ carperetur, quod assereret & mundum constare ex tam pusillis atomis qui in sole conspiciuntur; Atomus (inquit) necessitate rationis & experientiæ esse convincitur; atomum enim nemo unquã vidit. Ideoq; tumultus in partibus solidorum corporũ, quando illa comprimũtur (unde omnis corporũ per aërem fuga, & causa aliorum motuum mechanicorum, ut partim ante dictum est, & pertractabitur suo loco) nequaquã visui patet. Ignorantia tamen illius rei & indiligens ac superficiaria inquisitio obstabit quo minus discernas, multoq; minus producas numerum motuum mechanicorum. Rursus, quantum ad motus corporales intra corporum compagem, unde effecta (ante nobis memorata) inter spiritus & tangibiles partes peraguntur (quales sunt arefactio, colliquatio, concoctio, maturatio) nondum plene tractati sunt; sed tantum facultatum, naturarum, actionum, & passionum nominibus, similibusque Logicæ vocabulis, expressi exstant.

Experimentum unicum spectans efficaciam ignis.

99. Certum est, calorem omnium facultatum præcipuam existere, tam in fabrica naturæ, quam operibus artis. Illud quoque liquet, effecta caloris promoveri maxime, cum in corpora vim suam exerit sine dissipatione aut detrimento materiæ, quod rationes confundit. Ideoque verum est, efficiam optime posse percipi in destillationibus, quæ perficiuntur clausis vasis & receptaculis. Sed alior tamen quidam gradus est: quanquam enim destillationes corpora conservent in cellis & claustris ne dispergantur, tamen spatium concedunt corporibus ut in vapores mutentur, reciproceque abeunt in liquores, & separantur à se mutuo; ut natura solet exspatiari, quanquam libertate plena non fruatur, quo fit ut veræ & ultimæ operationes caloris

caloris non obtineantur. Sed si corpora calore alterari possint, & tamen talem reciprocationem rarefactionis, condensationis, & separationis non admittant, verosimile est hunc Proteum, materiæ tanquam manicis comprehensum, se conversurum in varias metamorphoses. Sume igitur vas quadratum ferreum, forma cubi, quod latera crassa & solida habeat. In eo statuas cubum, ex ligno, qui impleat ipsum arctissime, & operculum habeat ferreum æque validum ac latera, utroque obturetur more Chymicorum. Imponas tum vas ardentibus carbonibus; probe accensum pauculas per horas conserves. Existimo, cum inflammatio & evaporatio prorsus sit prohibita, corpore continuo in se verso, alterum ex his consecuturum, aut ligni corpus in quandam malagmatis speciem conversum iri (ut Chymici vocant) aut tenuiores partes in aërem mutandas, & crassiores, ut coctas & incrustatas lateribus vasis adhæsuras, densiori materia constantes, quam ipsum lignum crudum. Fiat experimentum alterum, cape aquam & simili vasi impone, obturato ut ante, sed calore utendum remissiori, & vas subinde ab igne removendum; parvoque temporis spatio elapso, ubi refrixerit, calor renovandus: aliquoties hæc repetenda alteratio: & efficere unquam si possis, ut aqua, unum ex simplicissimis corporibus, mutet calore odorem aut gustum, prout in corporibus compositis, persuasum habeas magnum quid in natura produx esse, & observatione dignum introitum factum ad miras corporum mutationes, & productiones, rationemque inventam, qua ignis producat parvo tempore, quod Sol & ætas longo temporis decursu moliuntur. De miris vero operationibus destillationis hujus clausæ (ita enim illam vocamus) quæ non absimilis existit uteris & matricibus animantium, in quibus nihil exhalat aut separatur, plenius agemus suo loco. Non ut quis existimet nos Paracelsi pygmæos affectare, aut prodigiosas nugas, sed ut cognoscamus caloris effecta esse talia, ut vix subeant hominum cogitationes, si vis ejus omnis conclusa retineatur.

Experimentum unicum non dari Annihilationem.

100. Nihil certius in natura, quam fieri non posse ut corpus aliquod penitus in nihilum redigatur: sed ut Omnipotentiæ Dei opus fuit, aliquid ex nihilo creare, sic quoque omnipotentiæ est prorsus, disperdere. Ideoque benedictum est ab obscuro quodam scriptore inter Chymistas, non aliam esse rationem miras corporum transmutationes producendi, quam si omnibus modis urgeatur & tentetur redactio in nihilum. Ingens hic secretum ut præservetur corpus à mutatione. Si enim prohibere possis ne in aërem vertantur, quia nullus aër intrare possit, nec in corpora adjacentia transmeent, quoniam prorsus heterogenea sunt, nec in se circulum conficiant, nunquam mutabuntur, etiamsi ex natura sua maxime peritura & mutabilia. Videmus enim quomodo muscæ aut aranea sepulchrum in electro nanciscantur perennius quam cadaveri Regio conservationes præstent ex balsamo. Idem sentio de corporibus Mercurio impositis. Sed tum illa oportet esse tenuia, ut folia, & particula chartæ aut membranæ. Si enim majori sint crassitie, proprio in corpore alterabuntur, etiamsi non consumantur. Sed de his plura in titulo de conservatione corporum.

Finis primæ Centuriæ Naturalis Historiæ.

FRANCISCI BACONI DE VERULAMIO HISTORIÆ NATURALIS CENTURIA SECUNDA.

Experimenta varia spectantia Musicam.

Varie hactenus, neque infeliciter, praxis Musicæ exculta est; Theoria vero præcipue quæ Practicæ causas continet, admodum perfunctorie habita; reducta enim est in mysticas quasdam subtilitates, quarum nec usus nec veritas constat. Itaque pro more nostro contemplativam cum activa parte jungemus.

101. Omnes soni aut Musici sunt, quos tonos vocamus, unde harmonia componitur: atque hi æquales semper, ut cantus, soni tam instrumentales quam vocales, & illi tintinnabulorum, &c. aut non musici, qui inæquales semper, ut voces loquentium, omnes susurri, voces bestiarum & avium, (exceptis quæ canunt) omnes soni ex percussis lapidibus, lignis, membranis, pellibus, (ut in tympanis) & infiniti alii.

102. Soni, qui tonos constituunt, ab ejusmodi gignuntur corporibus, quæ partibus & poris æqualibus constant, ut & ipsi soni æquales sunt. Tales producit metallorum percussio, ut in campanis, aut vitris, impacto in ea talitro aëris, ut in hominum canentium vocibus, tibiis, fistulis, organis & instrumentis Musicis, &c. aquæ, ut in tibiis philomelam imitantibus, organorum portatilium, aut organis grandioribus, & aliis hydraulicis, apud veteres in usu, & à Nerone in magno pretio habitis, nunc per desuetudinem incognitis. Si quis existimet, chordas, plectrum & instrumentum minime æqualia corpora esse, & tamen sonos edere, errat. Sonus enim non producitur inter plectrum & chordam, sed inter chordam & aerem, ut nec inter digitum aut calamum & chordam in aliis instrumentis fieri solet. Tres tantum percussiones revera tonos producunt, metallorum (sub quibus vitra & similia comprehendo) aëris, & aquæ.

103. Diapason aut octava in Musica, suavissimum gignit concentum, adeo ut vere sit unisona: quod in testudine apparet instructa fidibus gravioris soni, duabus fidibus simul junctis, octava distantibus, & unum tantummodo sonum efficientibus: & quælibet nota octava in ascensu (ut ab octava ad decimam quintam, à decima quinta ad vigesimam secundam & porro in infinitum) scalæ solum sunt diapasontis: causa latet, & à nemine unquam data, exactiorem meretur investigationem. Aër subjectum soni in iis, quos ut tonos non esse, ita omnes inæquales supra diximus,

videtur magnam admittere varietatem, ut animalium, similiterq; quorundam hominum voces docent, quorum singulos ex vocibus diguoscere licet; atque in literarum conjugationibus animadvertere est, unde articulati soni, omnium maxime varij. In sonis vero, qui toni dicti, semperq; æquales, aër tot modis variari nequit, sed unam eandemque figuram subire cogitur, magnitudine tantum & exilitate distinctam. Sic & figuras ex lineis obliquis, rectis, in infinitum variare possumus, sicubi detur inæqualitas. Circuli autem, cubi, trianguli æquilaterales (quæ figuræ omnes æqualibus lineis constant) tantum secundum majus & minus differre possunt.

104. *Notatu* dignum (eoque magis, ne quis numero octonario peculiarem vim adscribat, qua diapason produceretur) hanc octavi computationem cuilibet alteri prælatam esse, cum justa computatio semper partitionem in æquas partes recipere debeat. Jam vero in ascensu octavæ (in tonis) duæ bemolles aut seminotæ intercedunt; nam si æqualiter in tonos dividas, octava solum septem integris & æqualibus notis constat; quæ subdivisæ in seminotas (uti occurrit in tangendis testudinis fidibus) numerum decimum tertium efficiunt.

105. Verum tamen est, quod ordinarie in ascensu & descensu vocis humanæ (ubi neutiquā tonos integris notis aut seminotis mensuramus, quæ æqualis mensura vocatur) occurrant duæ bemolles, ut dictum inter unisonum & diapasonta. Atque hæc à natura varietas est. Si quis enim vocem suam continue per seminotas attollere aut deprimere conetur, ut cum testudine digiti fides supra deprimunt, aut per integras notas, donec ascendendo ad octavam pervenerit, in hunc modum sonos efformare haud poterit: unde patet, naturam post tres integras notas requirere seminotæ interpositionem harmoniæ gratia.

106. Animadversione dignum est, nempe quæcunque tandem virtus numero adscribatur notas concentus attemperandi, eam potius tribuendam numero integrum præcedenti, quam integro; scilicet quod sonus post sex aut duodecim recurrat, ita ut septima aut decima tertia nihil efficiat, sed sexta aut duodecima; septima vero & decima tertia limites & confinia recursus tantum sint.

107. In concentibus musicis, qui perfecti aut semiperfecti vocantur, inter unisonum & diapasonta, quinta omnium perfectissima existit, deinde tertia; sexta magis tetrica; & judicio veterum, ut & meo, aliorumque, quarta, quam diatessaron vocant. Decima autem, duodecima, aut decima tertia, & sic in infinitum, præcedentium tantum recursus sunt, nempe tertiæ, quintæ, & sextæ, utpote octava inter se distinctæ.

108. In dissonantiis, secunda & septima omnium maxime auribus ingrata occurrit, quarum prior unisonum proxime antecedit, posterior vero diapasonti proxime in descensu succedit; unde apparet quod Harmonia justam notarum distantiam requirat.

109. In cantionibus musicis si cum basso dissonantia non sentiatur, nullam perturbationem generat intercedens cum aliis partibus dissonantia, modo duarum dissonantia absit, maxime fastidiosa. Ideo vulgaris quatuor partium concentus constat octava, quinta, & tertia cum basso. Sed quinta illa, si cantum superiorem respicias, quarta est, & tertia, sexta. Ratio est, quia bassus plus aëris percutit; superior vero cantus superat deprimitque (nisi dissonantia sit admodum tetrica) ac parvum errorem obscurat. Videmus enim aliquam ex inferioribus testudinis fidibus nullum Superioris sonum edere nec mixtum; sed tantum bassi sonum.

110. Nullus concentus quadrantibus notarum constat, propterea quod nullam harmoniam fortasse admittant. Experimur enim quod seminotæ tantum aliquando recurrant: nihilominus tamen sunt vocis & fidium tremulæ variationes & gradationes quædam continua serie ab uno tono ad alium subinde depressæ aut elevatæ maxima cum voluptate.

111. Causæ soni, vel grati vel ingrati auribus, illustrari possunt ex iis, quæ visum aut oblectant aut offendunt. Duo visui grata sunt (omissis formarum picturis, quæ objecta tantum sunt secundaria, recordantiq; solum aut placent aut displicent) colores & ordo. Delectamentum ex coloribus symbolizat sive consensum habet cum voluptate quam ex uno & simplici tono percipimus; sed delectamentum ex ordine, symbolyzat cum harmonia. Hinc videmus quantopere topiaria in hortis & prominentiæ ædificiorum, & quælibet figuræ æqualitate rite proportionatæ placeant (ut globi, pyramides, coni, cylindri) cum inæqualibus insit tantummodo deformitas. Utraque hæc voluptas, ad aures æque ac visum spectans, ex observata rite proportione nascitur; adeo ut certum sit ex æqualitate & symmetria procreari Harmoniam. Sed proportio symmetriæ difficilis & in obscuro est: conabimur tamen aliquid cum de tonis agemus, in generali sonorum inquisitione.

112. Toni non tam apti sunt conciliando somno, quam alij soni, ut ventus, aquæ strepitus, bombus apum, & amabilis legentis vox. Ratio est, quia utpote æquales, nec aures prælabentes, magis aliis perstringunt excitantque sensum, & nimia attentio somnum impedit.

113. In Musica figuræ quædam & tropi occurrunt, illis Rhetoricæ admodum similes; quique affectibus animi aliisque sensibus respondent. Primo divisio, & vocis vibratio tanti in Musica delectamenti, cum scintillatione luminis convenit, ut Lunæ radij, dum in fluctibus ludentes errant. Deinde, transitus à dissonantia ad consonantiam, maximæ suavitatis causa, cum affectibus consentit, qui post offensiones quasdam, in ordinem reducuntur. Gustui quoque affinis, cui continuus dulcedinis usus fastidium creat. Prolapsus ex clausula aut cadentia, figuræ Rhetoricæ haud absimilis existit, quæ vocatur præter exspectatum; gratum enim est sic decipi. Repetitiones & fugæ conveniunt cum figura Rhetoricæ, repetitio aut traductio dicta. Triplæ aut temporum variatio, mutationibus perturbationum sive affectuum respondent, ut cum in medio tripudij gestus alacritatis excitatur.

114. Illud experientia comprobatum recepit antiquitas, ex auditu variatisque Musicæ modulis sequi in moribus magnam alterationem. Sic hominem bellico spiritu impleri, mollescere, effeminari, roddi gravem, alacrem, & ad misericordiam

diam proclivem, &c. ratio est, quod auditus magis immediate percellendo commoveat, quam cæteri sensus, magisq; incorporaliter, quam odoratus. Visus enim & tactus organa habent, quæ tam obvium & immediatum ad spiritus accessum haud præstant, ut auditus. Quantum ad odoratum (qui certe vim suam immediate spiritibus imprimit, & objecto manente vehemens existit) ille communicatio quædam est halitus aut vaporis ex objecto odorem emittente. Harmoniæ vero patet ingressus facilis, ut absque ulla mixtura & manifesto motu accedens crebro afficiat spiritus, quibus in æqualem posituræ ordinem redactis consequitur non exigua in iisdem alteratio & motus, etiam ex remoto ad intervallum objecto. Quæ omnia ostendunt intercedere tonis & modulatis cautionibus ex natura sua affinitatem quandam cum affectibus. Tonorum enim alii hilares, mœsti. [*Solemne tunes*] solennes, animum ad misericordiam inclinantes & ad bellum; ut mirum non sit alterari spiritus, considerata in tonis habilitate ad eos movendos. Observatum tamen, utut variati toni varie spiritus disponant, exque iis affectus gignant conformes sibi, in genere tamen ali & foveri à Musica primam, quæque ante alterationem obtinuit, spirituum dispositionem. Constat quoque diversos tonos, & ex illis cantus, arridere aliis atque aliis gentibus hominibusque, pro ut sympathiam cum eorum spiritibus habent.

Experimenta varia spectantia tonos: ac primo nullitatem & entitatem sonorum.

Prospectiva diligenter hactenus tractata est, neque quoad Musicam ea felicitas defuit naturæ sonorum: quæ tamen generaliter spectata perfunctorias superficiariasque observationes habet. Recensetur inter subtilissima naturæ arcana. Illud mihi in animo, ut ante monui, inquisitioni rerum, immersarum materiæ, subnectere aut immateriata aut minus de materia participantia: quale illud de sonis: ut nec confundatur intellectus, nec mordicus uni rei inhæreat.

115. Primo animadvertendum, magnos in naturalibus peragi motus absque strepitu. Cœlum rapidissimè circumagitur, nec sonus tamen percipitur; quanquam in quorundam in somniis suavissimam excitare Musicam dicatur. Motus itidem cometarum & meteororum ignitorum (ut stellæ cadentis, &c.) nullum edunt sonitum. Si cui magna distantia putetur causa esse quo minus ad nos usque penetret sonitus, cogitet fulgura & coruscationes in spatio non admodum à nobis dissito generatas conspici absque ullo prorsus sono, cum tamen sine percussione aërisque discissione non fiant. Venti in suprema aëris regione nubes movent, motu hic apud nos imperceptibili, transeuntque absque sonitu. Humilius spirantes venti in plano, nisi vehementes sint, nullum efficiunt sonitum, qui tamen inter arbores percipiuntur. In universum venti cum sonum edunt, agunt id semper inæqualiter cum intensione & remissione, quandoque ubi acriores fuerint in summo impetu trepidant.

Pluvia & grando decidens cum magna etiam vi, aërem transeundo sonitum haud cient, nisi in solum, aquam, domos aut simile quid impacta. Rapidus fluvij decursus per alveum, si profundior fuerit, auditum non movet, sed tacite fertur. Illapsus vadis, sabulosis, calculisve, auditur. Aqua littori illisa aut angustiis compressa (ut in defluxu per pontes) aut per ventos collisa, reboantem sonitum edit. Tignus aut solidum aliquod corpus ab alio contiguo propulsum absque collisione, sonitu caret. Sic quoque corpora librata sibi mutuo imposita, etsi superius deprimat inferius, nullum sonitum proferunt. Sic minutarum in solidis corporibus partium motus (præcipua violenti motus causa, hactenus non observata) peragitur sine sonitu. Sonus enim ille aliquando notus producitur tantum ab aëris fractione, non verò à partium impulsione. Patet quoque, ubicunque corpus anterius cedit, posteriore succedente, sonitum nullum reddi, etiamsi motus maximus celerrimusque sit.

116. Aër apertus & expansus nullum efficit sonitum, nisi acute percutiatur, ut in chordæ tono, ubi aër à duro & rigido corpore percutitur, celerique contactu; fides enim nisi vehementius percussæ, sonum non edent. Sicubi vero clausus aër & compressus est, ibi flatus, levem tantum percussionem efficiens excitando sufficit sonitui; ut in fistulis & instrumentis pneumaticis. Sed notandum in fistulis, quæ flatum duntaxat requirunt modicum, quod concavum earum, sine obturamento aërem comprimente (multo efficacius quã nudum concavum) nullum redderet sonum; reliqua pneumatica validius inflantur, ut tubæ, buccina, cornua venatoria, &c. quod produnt inflatæ eorum genæ, qui ea spiritu replent. Organa quoque vehementi ex follibus vento inflantur. Observa deinde iterum, quod instrumentorum pneumaticorum nonnulla per exiguum ad latus foramen inflantur, quod flatum in primo ingressu constringit; eoque magis quod adsit transversum impedimentum supra foramen, quod obturamentum constituit, ut conspicere datur in fistulis ad latus inflati solitis aliisque ejusdem speciei minoribus, quæ nullum sonum edunt, ab extrema parte inflatæ, ut tibiæ, Similiter in omni sibilo contrahitur os, utque angustius reddatur, digitus adhibetur: sed in aere aperto projectus lapis, aut jaculum, minime sonat: perinde se habent globi, nisi aliqualis concavitas, dum provolvuntur, aerem comprimat: sagittæ quoque, nisi fuerint alatæ, & sic aerem coarctent. Exiles fistulæ, aut tenues Opilionum avenæ sonum edunt ob summam gracilitatem, qua fit ut aër magis comprimatur quam in fistulis laxioribus. Rursus voces hominum aliorumque viventium transeunt guttur, quod spiritum coarctat: quantum ad crembala, acris est percussio aeris, sed in ore coarctati.

117. Solida corpora leniter percussa prorsus carent sono, ut si quis per constratos in pavimento asseres molliter obambulet. Arcæ quoque aut januæ, aere sudo, cum facile aperiuntur, nullum edunt sonum; rotæ aqua humectatæ non crepant.

118. Flamma candelarum quoque, celer licet sit motus, aeremque diffindens, sonora non est; ut nec aer in fornacibus, quanquam se dilatet quasi ebulliendo, repercutiaturque.

119. Flamma percusso aere sonitum edit, ut in igne per folles excitato, majorque existit, quam si folles in ipsum aerem agerent. Flammæ quoque vehemens in aerem impressio (quem scilicet repente flamma corripiens expanditur) sonum ciet:

ingentes itidem flammæ, quarum aliæ alias impellunt, flatus sonoros gignunt.

120. Jactatur sermonibus popularibus, reperiri album quendam pulverem explodendis sine sonitu tormentis; periculosa certe res, si veritas non laboret, cum ad clandestinas cædes valeat. Sed mihi videtur fieri haud posse, ut expulsus, qui comprimitur, aër, in apertum sine sonitu ingruat. Quod ad album pulverem (modo reperiatur sonitus extinguendi tollendique adminiculum) ille mixturam quandam ex sale petræ & sulphure absque carbonibus obtinere videtur: sal enim petræ ignem per se concipit. Si quis putet aboleri & extingui posse sonitum, exploso, qui clausus fuit, aëre, antequam ad orificium tormenti & apertum aërem perveniat, concipit illa quæ ratio fugit, cum sonos tanto magis divisos reddere debeant: veluti si tubus transversus excavetur in sclopeti tubo, varios possit sonos edere, tam per anterius orificium quam à lateribus. Sed mens mihi dictat, si tale quid effectum dari queat, ne aër circa orificium tormenti compressus existeret, globum cum exiguo aut nullo sonitu evolaturum. Primo enim ex flammæ in globum impressione nullum excitari sonitum constat, ut neque globi per aërem propulsione, ut diximus. Deinde, si nihil clausi ëaris sit, unde in apertum aerem percussio fiat, deest sonitus causa, neque tamen à procursu cessabit globus; cum motus ille (quod repetitum aliquoties) partibus globi, non aëris, inhæreat; quod experimento docemur, si parvum ex metallo concavum sumantur, tormentario pulvere replendum, cujus orificio imponatur globus, dimidia sui parte exstans in aëre aperto.

121. Memini asseruisse quendam, naturæ arcana intime sibi cognita venditantem, sed vanissime tumidum, detectam à se conspirationem, qua Regina Maria Elisabethæ soror petebatur, ope speculi urentis ex plumbeo domus tecto, dum in cæmiterio Sancti Jacobi deambularet. Hactenus proculdubio vera hæc sunt, si speculis ea conciliari efficacia possit, quam apud veteres nobilitavit classis incendium. Percussio aëris sola ex ejusmodi speculis nullum edet sonitum; non secus ac coruscationes & fulgetra tonitru.

122. Suppono, facta in aerem soni impressione, spatium temporis requiri, quo illa ad sensum deferatur, perinde ac impressio specierum visibilium, alioquin exaudiri non posset. Ideoque ut globi moti tanta potest esse celeritas, quæ visum fugiat, sic & motus permeitas datur, auditu non perceptibilis. Constat enim perceptionem oculi esse velociorem ac auditus.

123. Omnis aëris ruptio, utut minima & exilis, entitatem sono confert, quam crepitum, flatum, screatum vocant, &c. ut in nigro sale, & foliis lauri in ignem conjectis, castaneis quoque è cinere exilientibus, in ligno viridi super focum reposito, præcipue radicibus, candelis flammam vomentibus, si humor aspergatur, in rasura, sternutatione, &c. itidem folio rosæ conformatio in bursam, si discumpatur in fronte aut aversa manu, ut solent pueri.

Experimenta varia spectantia productionem, conservationem & delationem sonorum, & in iis aeris ministerium.

124. Quæ vulgo redditur sonorum causa, elisio vi elicet aëris (quæ sectionem, divisionem, attenuationem quoque aëris significat) ignorantiæ latibulum est, formatq; sibi hujus motus conceptum talem mens è paucis instantiis, ut vulgaris Philosophæ mos est; omnibusque id insitum, ut facile admittant quæ per vocabulum artis scitulam expressionem præ se ferunt, etsi rerum vacua. Hanc elisionem falsam arguunt sonus tintinnabuli, fidium, similesque continuo languescentes paulo post percussionē, qui statim emoriuntur si tintinnabulum fidesve manu sistatur. Atq; hæc subita motus exstinctio fieri non possit, si eum elisio aëris produceret. Clarius illud patet, si exterior superficies tintinnabuli pulsetur malleo. Sonus enim tintinnabuli concavo interius respondebit, cum elisio aerisq; attenuatio tantum inter malleum exterioremque tintinnabuli superficiem producatur. Rursum, si elisio esset causa, ingens malleus & subula metallo illisa sonos ederet tam varietate quam claritate discrepantes: hoc autem non fit; sed licet unus altero clarior sit, tamen æqualitate toni conveniunt. Præterea in vocibus repercussis, quas Echo vocant, (percipiuntur nonnullæ ex iis claræ ac velut primigeniæ) non fit nova elisio, sed repercussio solum: omnium autem maxime falsi convincitur ex eo, quod soni creantur ubi nullus adsit aer. Hæ similesque opiniones evanescent instar nebulæ, si intellectus luce experientiæ illustretur.

125. In confesso est, nullum ab initio produci motum, nisi localis aeris motus aut flammæ, aut ejusmodi quid medium intercedat, idque cum quadam resistentia, sive in aere, sive in corpore: mera enim cessio si fuerit, nullus producitur sonus, ut ante diximus, in eoque soni à luce & coloribus differunt, qui aerem transeunt; aut aliud corpus, sine locali aeris motu, sive in principio, sive postea. Sed accurate distinguendum est inter localem aeris motum (vehiculum solummodo causæ) & ipsos sonos per aerem delatos. Quantum ad prius, patet nullum sonum generari (ne quidem ex aeris in aerem impulsu, ut in organis, &c.) nisi cum perceptibili aeris flatu, & aliquali resistentia aeris percussi; perinde ac omnis loquela (qui lenissimus aeris motus est) exigua expulsione spiritus fit; fistulæque æque flatum ac sonum reddunt. Sentimus quoque vento sonos deferri, qui secundus ad longius intervallum eos exaudiri patitur quam adversus, pariterque cum venti intensione & remissione attolluntur & deprimuntur. Sed prorsus aliter se habet soni impressio, quæ plane locali aeris motu perceptibili caret, ea ratione speciebus visibilibus haud absimilis est: nam post alicujus tinnitum & campanæ sonitum, motus localis in aere non potest discerni, quamdiu sonus exauditur, sed in principio tantum. Neque ventus (quousque vocem deducere valeat) ipsiusq; motus delicatas tenellasve ullas & articulatas aeris figurationes in tanta vocabulorum varietate confundit. Et si quis elata voce loquatur adversus candelæ flammam, haud magnum in ea tremorem excitabit; sed tum maxime, quando literæ pronuntiantur quibus os contrahitur, ut f & s. vel aliæ quædam. Sed lenis spiritus flatusque inarticulatus multo magis candelam movebit; quod facilius comprobet, sonum fieri sine

ullo

ullo aëris locali motu, quoniam ut in eo differt à visu, quod in principio indigeat locali aëris motu; sic sonus in aliis multis cum visu & radiatione rerum visibilium convenit, quæ proculdubio nullum localem motum aëri imprimunt, ut jam dictum.

126. Nihilominus tamen constat vitreas fenestras conquassari ex sonitu tonitrui aut tormenti bellici; piscesque ferunt perterrefieri motu ex ejusmodi sonitu aquam subingresso. Sed hæc localis in aëre motus effecta sunt, concomitantia sonum (ut diximus) non à sono producta.

127. Memoriæ prodiderunt veteres, fidemque apud alios impetravit, maximos applausus populique acclamationes in confertam multitudinem collecti, adeo aërem rarefecisse, & disrupisse, ut super volantes aves deciderint, aerque sustinendo non esset: multis quoque creditum, vehementes campanarum sonitus in populosis civitatibus tonitru propulsasse, eaque ratione pestiferum aërem dissipasse, quæ omnia concussio, non sonus, efficere potest.

128. Ingens sonus, è proximo delatus multos reddidit surdos, qui eo ipso momento disruptam quasi in auribus membranam sentiebant. Mihi quoque dum adstarem cuidam alte & acute tinnienti, subito noxa illata est, tanquam in auribus ruptura quadam aut dislocatione facta; & paulo post, tinnitus exstitit sonorus (non vulgaris cantus, aut sibili, sed multo clarior & dispar) ita ut surditatem metuerem; sed post quadrantem horæ evanuit. Hoc effectum verissime ad sonum referri potest. Ut enim dictat in vulgus usitatum axioma, potentius objectum destruit sensum; speciesque spiritales tam visibiles quam audibiles in sensoriis vim suam imprimere, etiamsi præterea nullum corpus moveant.

129. Delatos sonos actum conservat receptaculum, efficitque ut longius audiantur; cujus rei experimentum est in membranarum voluminibus & syringis. Si enim os alteri parti admoveatur, alteri auris, sonus percipitur multo longius, quam in aperto aëre. Causa est, soni per aërem apertum dispersio dissipatioque, & in ejusmodi concavis conservatio, coarctatioque. Si vocem quoque immittas tormentarij pulveris excipulo, sive loculamento, alterque autem applicet tormenti bellici orificio, sonus pertransiens percipitur multo clarius quam in aëre patulo.

130. Considerandum præterea, quid sit futurum, si inclusus per integram meatus longitudinem non devolvatur sonus, sed exteriorem partim aërem transeat; veluti si ad nonnullam à corpore sonis pervio distantiam loquaris, vel ad aliquod spatium ab altera ejus parte autem removeas, vel os pariter & auris à corpore distent; conpertumq, quod in corpore decem aut octo pedes longo, sonus facilitetur, licet os & auris manus latitudinem removeantur à corporis extremis; pauloque commodius promoveatur, propius se applicante auditore, quam ore loquentis. Constat quoque vocem è publico prolatam melius percipi in cubiculo, quam foris è cubiculo.

131. Quemadmodum receptaculum integre rotundum conservat sonum, ita & semiconcavum, sed minori gradu, id est proportionaliter minorem. Quare, si dispescas corpus, calamumve dividas in duas partes, alioque ad hanc partem loquente, alteri quis autem admoveat, longius vox deducetur, quam patulum per aërem. Simile quid tentari poterit, in non perfecte concavis, malo etiam navis aut pertica oblonga, tormento ve bellico (voce per ejus superficiem missa, non per foramina) sentiemusque vocem longius devehi, quam per apertum aërem.

132. Sumendum foret experimentum, qui quantumque decresceret vox delata in cornu per lineam arcuatam, aut in tuba per reflexam, aut in quibusdam fistulis sinuosis.

133. Certissimum est (quanquam receptæ opinioni adversetur) sonos sine adjumento aëris posse generari, etiamsi aër commodissimum soni vehiculum sit. Sume vasculum aqua repletum, & forcipem ad aliquod sub aqua spatium collide, sonum manifeste percipies, non magnopere diminitum, cum tamen prorsus absit aër.

134. Vasculum aliquod argenteum cape, alterum vero ligneum, utrumque aqua plenum, deinde collide forcipis brachia, ut ante, manus latitudine à fundo; deprehendes sonum ex argenteo vasculo, quam ligneo, clariorem. Si tamen vasculum fuerit vacuum, nullam collisio inter argenteum & ligneum vasculum differentiam prodit. Unde præter illam magni momenti observationem, nullum ex aere sonum procreari, duo hæc colligere datur; prius quod sonus vasculi fundo communicetur: posterius, quod ejusmodi communicatio melius aquam, quã aerem, pertranseat.

135. Solida quædam corpora in medio flammæ collidito, sonumque modice à sono aeris discrepantem percipies.

136. Pars spiritalis omnibus corporibus tangibilibus inexistens, & quodammodo aeri affinis, ministerium aeris aliqua ex parte peragit. Sic vas vacuum si pulsetur, sonus partim in exteriori, partim ab interiori aere generatur, qui eo major exiliorve, quo plenius magisve vacuum fuerit vas, participato tamen spiritu ligni, qui ab exteriori ad interiorem pertransit superficiem. Idem evenit pulsatis in extima superficie tintinnabulis, unde sonus etiam penetrat ad internam. Similes instantiæ dari possent plurimæ, quas tractatui de soni communicatione reservamus.

137. Non excusanda ejus esset ignorantia, qui putaret (ut partim ante diximus) sonos fidium produci inter manum & chordas, aut plectrum & chordas, aut arcum & chordas, cum hæc tantum vehicula motus sint, quo sonus procreatur: sono alioquin vere inter fides & aerem nascente, non tamen ex impulsione aeris facta ex primo fidium motu, sed ex regressu aut resultu fidium in pristinum locum, per tactum digiti intensæ. Motus ille resultus celer & acutus existit, cum prior mollis & hebes sit: sic plectrum continuo fides torquet, eaque ratione perpetuo eas trepidare facit.

Experimenta varia spectantia magnitudinem & exilitatem sonorum, extinctionem vel obtusionem.

138. Fistulæ ab una parte quis sibilum indat, aure alteri parti admota, sentietur tum acris percussio soni, ut vix possit tolerari. Causa est, soni in circulum diffusio, qui, alioquin per aerem dispergendus, si coarctetur canali quodam, majorem sonitum necessario generabit. In quo experimento illud notandum, receptaculis comprimentibus non solum conservari, sed augeri & acui sonos.

139. Cornu venatorium; altera parte laxius, magis intendet sonum, quam si foramen prorsus æquale foret. Ratio est, quod aer primo arctiora ingressus spatia contrahatur, deinde majora nactus, in largiorem se effundat exitum, seseque dilatet. In egressu quoque plus aeris percutiens, consequenter seipso major & gravior existit. Adeoque cornua venatorum, quæ aliquando recta, non obliqua fiunt, semper ad inferiores partes latius patescunt. Experimentum fieri posset in fistulis infra laxioribus, aut cum capacitate quadam, deinde in rectam concavitatem desinentibus.

140. Est in campis Sancti Jacobi canalis lateritius, cui lacunar quoddam humile contiguum, & ad cujus extremum rotunda domus ex lapide. Canalis ille fenestram habet, domus fissuram aut modicæ latitudinis rimam. In hanc immissa vox terribilem circa fenestram excitat fremitum. Ratio eadem cum præcedenti, quæ dictat, omnia concava angustiis laxe crescentibus, in regressu sonum edere ampliorem.

141. Tintinnabula accipitrum foraminibus ad latera patentibus majorem efficiunt tinnitum, quam globulus in æs impactus sub dio. Causa cum priori instantia syringæ eadem, videlicet quod sonus, tintinnabuli parietibus conclusus, integer fortiorque ad foramina perveniat.

142. Tympana ambientes clausuræ, soni dispersionem impedientes, efficiunt soni ex tympani orificio egressum & vehementiorem & clariorem; quam si pulsetur similis pellis in libero aere extensa; ratio cum præcedente coincidit.

143. Soni commodius percipiuntur, longiusq; vespertino aut nocturno tempore quam meridie aut interdiu; causa est, quod aere per diem tenuiore, sonus magis penetrat, eodem per noctem densiore, consumitur minus & dispergitur. Atq; ita nox quædam clausuræ species existit: conducit huc quoque universale noctis silentium.

144. Duobus modis reflectuntur soni, aut ad distantiam, quæ Echo vocatur, ubi vox primigenia ejusque reflexio distincte percipitur, de qua in posterum agemus; aut in concurrentia, cum sonus reflectens (è proximo enim oritur reflexio) regreditur immediate post primigeniam, ideoque non iteratur, sed amplior redditur. Hinc Musica magis sonora in aquis deprehenditur, & in cubiculis tabulas incrustatas quam velatas habentibus.

145. Fides testudinis aut panduræ, aut clavecymbala multo majorem sonum edunt propter orbiculum instar rosæ, per quem sonus redditur, & operculum, concavumque inferius, quam si sola asseris superficies daretur, orbiculo & concavo remotis, ut superior aer ad inferiorem admittatur. Ratio est, communicatio aeris superioris cum inferiori, quæ claudendo prohibet utriusque diminutionem dispersionemve.

146. Lyra Hybernica ab utroque fidium latere circumfluum habet aerem, sine concavo in longitudine, sed in sola fidium extremitate; magisque sonora est quam pandura, orpharion, aut cythara, quæ chordis quoq; metallicis constant. Causam videor assignare posse, quod aer ab utroque latere liber & patens prosit, si adsit concavum; quod propterea commodius extremitatē obtinet,

147. Clavecymbala non sublato operculo exiliorem reddunt sonum, quam contra: ratio est, quod quælibet aëris conclusio sufficiente flatu destituta sonum refringat. Unde prior quoque instantia confirmatur. Concavum enim testudinis panduræ aerem nonnihil cohibet.

148. Glocestriæ templum est (cui simile aliis quibusdam in locis intellexi) in quo si versus parietem loquaris leniter, alter è longinquo commodius, quàm è proximo, tuam percipiet vocem: exactius loci fabrica inquirenda. Statuo fornicem eo loci esse, aut vacuum interstitium aliquod, aut ambulacrum post parietem, & meatum quendam in ulteriori parietis extremitate, versus quem vocem emittis; ita ut vox loquentis provolvatur per parietem, tumque meatum aliquem intret, communicetq; cum aere in concavo subsistente; conservatur enim ob planitiem parietis. Sed hoc minime sufficit ut sonum edat perceptibilem, nisi communicet cum aere posteriori.

149. Percussa aeus chorda, cornibus scilicet propius auri applicatis, sonum auget gradumque toni producit: ratio est, quia sensorium propter compressionem percutitur, antequam aer dispergatur. Idem quoque fit si cornu dentibus contineatur. Sed hæc est manifesta soni delatio à dentibus ad auditus organon, propter magnum inter hæc duo commercium; quod vel inde patet, quod tetricus & asper tonus dentes hebetet. Idem contigit si cornu arcus admoveatur temporibus. Sed hic tantum soni prolapsus est illinc ad aurem.

150. Radius ferreus aut æneus, altera parte auri admota, altera percussa, multo majorem producet sonum, quam si impulsio similis fiat radio non adeo auri contiguo. Ex hisce & aliis quibusdam instantiis, partim jam memoratis, apparet sonos non solum per corporis lævis superficiem devolvi, sed communicari quoque spiritibus poros corporis insidentibus.

151. Memini in collegio Trinitatis Cantabrigiæ fuisse cubiculum superius, cujus fornix labefactus in medio cubiculi columna ferrea fulciebatur, brachij crassitudine, quæ percussa sonitum obscuriorem edidit, sed inferiori cubiculo magnum excitabat strepitum.

152. Sonus, quem situlæ in puteo efficiunt in aquam illisæ; aut putei lateribus impactæ, aut invicem collisæ, profundior pleniorque existit, quam in aere aperto: ratio est, compressio & conclusio aeris in concavo putei.

153. Vasa sub tabulatis cubiculi collocata quosvis in cubiculo sonitus pleniores magis resonantes reddunt.

Adeo ut quinque in universum dentur rationes sonum amplificandi. Clausura sive compressio simplex, clausura cum dilatatione, reflexio cōcurrens, & ad sensorium accessus.

154. Quantum ad exilitatem vocis aut quorumlibet sonorum, constat vocem penetrare solida & dura corpora, modo non nimis crassa, & aquam, corpus satis compactum aeremque excludens. Vox autem & sonus eo transitu debilis & exilis redditur. Si igitur foramina accipitrarii tintinnabuli obtures, nullum edet tinnitum, sed sonitum obscuriorem & clangorem. Simile fit in Aetite, lapillum in se continente.

155. Aqua

155. Aqua certissimum suppeditat experimentum, si balneum quis ingrediatur sumta situla, cujus inverso fundo orificium æqualiter depressum ad superficiem aquæ deducat, inde sub aquam deprimat ad sesquimanus latitudinem, servato continuè æquilibrio, ne pars attollatur, aëri præstituta egressum. Tum ille in balneo consistens ad eam profunditatem se immergat aquæ, ut caput possit inserere situlæ, tantumque aëris bullas excitantis prorumpet, quantum spatij requiret ipsius caput. Vocem tunc proferat, manifeste ab altero extra aquam consistente percipiendam, sed ea exilitate qualis puparum esse solet, ut tamen sonus articulate vocabula referens non confundatur. Notandum multo id posse fieri dexterius, si imponatur situla capiti viri nondum aquas ingressi, qui tum subsidat, depressa simul cum eo situla; genubus quoque innitatur, aut sedeat, quo aqua fiat depressior. Non vane fortasse quis conjecerit. Siculum Poetam, habuisse hujus experimenti notitiam, cum narrat, Hylam, famulum Herculis, egressum ut repleret situlam aqua ex amœnissimo fonte in littoris vicinia, à Nymphis, illius amore correptis, vivum sub aquas surreptum fuisse. Herculem vero clara voce amissum famulum compellasse ut littus resonaret. Hylamque ex aquis respondisse, sed (quod huc facit) tam exili & tenui voce, ut putaverit trium milliarium spatio à se disjunctum, cum fons revera in propinquo esset.

156. In testudine aliisque instrumentis Musicis, si altè impositis digitis premantur chordæ (quo fit ut minus spatij relinquatur quo tremant) sonus acutior existit, sed magis moribundus.

157. Sume duo acetabula, aciemque unius fundo alterius illide in hydria aquam continente, experimentoque constabit, quo illa profundius aquæ immergis, sonum creari tanto obscuriorem, etiamsi pars alterius aquis exstet. Sed obscuritas conjuncta est cum soni inæqualitate, quæ ex eo est, quod pars acetabuli aquis immersa sit, pars emineat: totum si aquis obruatur, sonum efferet clariorem, sed humiliorem & depressiorem, quasi è longinquo delatum.

158. Mollities corporis, magis quam soliditas, sonum extinguit; ut campana panno aut serico involuta, suffocatiores spargit sonos, quam ligneo prætexta tegumento; proinde in monasteriis claves panno vestiuntur, & in collegiis calculi.

159. Experimentum in tibia variè hac ratione tentatum. Fundum palmæ manus admotum fuit, cerâ undique obturatum; applicitum pulvinati damasceno; infixum arenæ, cineri, aquæ (latitudine semi-pollicis sub aqua) firmiter impositum fundo argenteæ pelvis; sed sonus continue remansit. Laneo autem tapeto impositum, holosericio, tomento (quanquam leviter) insertum nivi, sonum prorsus exstinxit, instar halitus.

160. Ferri candentis sonus est infirmior frigidi; quia dum candet, mollius apparet, minusque resonans: sic & aquæ calidæ lapsus minus, quam frigidæ sonorus; quod (ut mihi quidem videtur) mollior sit, & olei naturæ magis affinis; magis enim lubrica est, & hoc, quia melius purgat.

161. Tibia paretur in utroque extremo obturamentum habens, ejus vero corpus duas tibias longitudine æquet, foraminum utrimq; pari proportione; duo pariter eandem cantilenam illa modulentur in unisono, noteturque num sonus confundatur, aut amplificetur, aut hebetetur. Similiter, crux paretur constans gemino corpore prorsus cavato, duo loquantur aut modulentur, alter in longitudine, alter ex transverso; duo ex oppositis partibus auscultent, observentque an sonus confundatur, augeatur, an obscuretur. Hæ duæ instantiæ facem allucebunt, ubi de mixtura sonorum agemus, de qua postea.

162. Si folles inserti orificio tympani inflentur, deinde illud percutiatur, sonum paulo obscuriorem reddit, absque ulla manifesta alteratione: causa patet, quod & soni egressum impediat, & aërem flatu compressum motui ineptum reddat.

Experimenta varia spectantia claritatem & submissionem sonorum, eorumque ad longius aut brevius intervallum delationem.

163. Claritas & submissio sonorum differt ab eorundem magnitudine ac exilitate: hypate enim leviter tantum tacta majorem sonum edit; nete duriter percussa multo longius exaudiri potest. Causa est, quod hypate plus aëris impellat, nete vero minus, sed acutiori percussione.

164. Vehementia ergo percussionis claritatem, tenuitatemque sonorum generat, ut in vehementiori & leniori percussione, inflatione cornuum intensiori & remissiori, tintinnabuli impulsu fortiore aut lentiore, &c. Vehementia seu intensio percussionis plus minus consistit in duritie corporis percussi, aut viribus corporis pulsantis. Pannus enim percussus minus sonat, lignum magis, metallum tanto fortius; interque metalla auri, utpote flexibilioris, si pulsetur, obscurior est sonus, argentum aut æs magis tinnulum, aer autem, sicubi fortiter comprimatur, æquat durum corpus, quod excitatus explosione tormenti sonus probat. Visu quoque cognoscimus explosum globulum, aut chartam humectatam compactamque valide, & expulsam, aut pulverem solummodò vehementius compressum, producti soni claritate pene esse pares.

165. Acrimonia motusque celeritas multum tam ad claritatem quam ad vehementiam momenti conferunt. Sic flagella & virgæ, quo celerius acriusq; aerem percutiunt, eo clariorem sonum producunt. Atq; in cantu ad testudinem, & clavecymbalorum agilis ictus sonum maxime vegetum edit: ratio est quod percussio velox aerem citius dissecet, cum mollis potius pulset quam secet.

Experimenta varia spectantia communicationem sonorum.

Communicatio sonorum, (in cavitate testudinis, vacui vasis, &c.) tantum delibata est in majoratione sonorum; sed quæ peculiarem titulum, & suo quidem merito, vindicat.

166. Insigne experimentum, quo demonstretur communicatio sonorum, est in pulsatione æris campani. Hic, si malleo supremam ejus partem pulses, mox mediam, deinde infimam, sonum senties acutiorem & graviorem concavo interius respondente, quamvis externa tantum percussio sit.

167. Etsi procreetur sonus inter flatum

oris & aërem fistulæ contiguum; aliqualem tamen communicationem obtinet cum lateribus fistulæ, spiritibusque ibi contentis: alius enim ex fistula lignea, alius ex tuba ænea sonus oritur. Vestita quoq; panno aut serico fistula diversum producet sonum ab eo, quem per se daret; humectata etiam nonnihil, interius aliter sonat quam sicca.

168. Sonus sub aqua productus facilius communicabitur duro corpori per aquam, quam in aëre factus aeri. Vide experimentum 134.

Experimenta varia spectantia æqualitatem & inæqualitatem sonorum.

In præcedentibus (ubi Musicam spectavimus) actum de sonis Musicis, ex quibus aut concentus aut dissonantia duarum partium oritur, quos tonos vocamus: pariterque de sonis non musicis: cujus rei ratio à nobis data, quod illi ex æqualitate, hi ex inæqualitate generentur. Addidimus quoque, quænam essent corpora æqualia tonos producentia, quæ inæqualia tonisque carentia. Jam vero de ejusmodi sonorum æqualitate agemus, quæ non à natura corporum, sed accidentalis est: seu ex asperitate aut obliquitate meatuum, aut iterata percussione, aut trepidatione motus.

169. Tintinnabulum tima dehiscens, unde impeditior sono transitus, tetricum & absonum edit sonum: sic & vox humana, ubi aspera arteria frigore correpta scabritie laborat, &, quasi mucore obducta, raucescit; sonique his duabus instantiis ingrati, ex mera inæqualitate sunt. Sed si inæqualitas suam habeat æqualitatem, allubescit sonus cum sibilo aut stridore.

170. Omnia instrumenta, sive quæ regressu gaudent, ut tuba: aut flexione, ut incurva buccina: aut nunc elevata mox depressa sint, ut tuba ductilis, sonum tremulum edunt. Verum tibia aut fistula, quæ ejusmodi inæqualitate carent, liquidum producunt sonum. Attamen fistula aut tibia paululum humectata interius, sonum edit graviorem modico cum tremore aut sibilo. Rursus fides contorta, qualis solet esse hypate panduræ, stridulum excitat sonum.

171. Verum fides testudinea, si prorsus in partibus suis inæqualis existat, tetricum edit sonum, quinque tono caret, atque absona vocatur. Inde chordæ metallicæ nunquam absonæ deprehenduntur. Videmus quoque exploratam testudinis fidem, quæ falsa vocatur, firmiter inter digitos extendi solere, impactoque talitro si se reduplicat, probam æstimari, si vero acutam aut majorem prodat speciem, falsa censetur.

172. Aquæ sonitus rapido cursu latæ auribus occurrit tremulus; & in organis portalibus (in quibus philomelæ, ut vocant, tibia continet aquam) continue tremulus editur sonus. Pueri gaudent siphunculis ludicris aqua repletis, qui inflati, aut excitato in iis sibilo, tremulum producunt sonum. Eaque trepidatio affinitatem cum litera L habet. Inæqualitates hæ trepidationis gratæ sunt potius, quam offendunt.

173. Notæ omnes vocis gravis, quin & acutæ, asperum edunt sonum, quoniam bassus plus aeris percutit, quam possit alioqui æqualiter. Et Superius tam acriter aerem dissecat, ut celeriter nimis regrediatur, quam ut sonus æqualis existat. Ideoq; media vox (Tenor) censetur suavissima.

174. Nihil occurrit præter vocem hominis aut avis, cui arbitrarium sit edere sonum Musicum aut non: ratio prorsus petenda ex aspera in gutture arteria. Hæc probe extensa æqualitatem acquirit: ut vesica in rugas contracta, si explicetur, lævis evadit. Extensio illa magis in tonis quam loquela requiritur, adeo ut interna vox aut susurrus tonum producere nequeat. In cantu quoque magis manifesto guttur laborat, quam in sermone, quod extensio menti, aut retractio in cantantibus docet.

175. Bombus apum inæqualis existit, statuuntque ex antiquis quidam, hunc non prodire ex ore ipsarum, sed sonum esse internum. Sed utrumquem forte à vero exerrat, cum motus alarum hunc cieat, quem, nonnisi dum moventur, exaudimus.

176. Omnia metalla, dum aquis exstinguuntur, sibilum quendam edunt, haud absimilem literæ Z. generatur tamen sonus inter aquam aut vaporem & aerem. Coctio quoque in modica aquæ copia sibilantem gignit sonum; ebullitio autem in vase repleto sonum ebullientem, qualis quodammodo in siphunculis ludicris, quibus pueri utuntur.

177. Fiat experimentum, utrum inæqualitas aut mutatio medij, non producat soni inæqualitatem, ut in tribus campanis sibi invicē contiguis, aere intermedio: quarum extima malleo pulsetur, ut pateat quantum sonus differat ab illo simplicis campanæ. Sume & æneam laminam, ligneumq; asserem, ex iisque conjunctis alterum percutiatur, observeturque num inæqualis inde sonus oriatur. Partire itidem ligna in dolio cum orificiis suis & nodis, & notetur differentia soni in dolio quod ejusmodi partitionibus caret.

Experimenta solitaria spectantia sonos acutiores & graviores, & Musicos.

178. Evidens est, aeris majore quantitate percussa sonum existere gravem; minore acutum. Percussio quantitatis majoris est à corporis percutientis magnitudine latitudine concavi, quod à sono pertransitur, ejusdemque longitudine. Unde hypate major nete; fistulæ soni gravis insunt majora foramina, quam acuti soni. Atq; hæ fistulæ similesque eo graviorem edunt sonum quo foramina ad inferius remotiora sunt, longiusque ab orificio distant: quantoque propiora orificio, tanto acutiorem. Quin etiam corpus solidum, quale ferrum focarium in vertice pulsatum producet acutiorem sonum: in partibus inferioribus, graviorem.

179. Patet quoque, eo acutiorem esse sonum quo acutior & celerior aeris percussio est: eoque graviorem, quo tardior. Idem conspicimus in fidibus, quæ, quanto magis intensæ & contortæ (inde resultus celerior) tanto acutior sonus existit. Sic fides crassiores magis intensæ, & tenuiores minus intensæ, eundem reddunt sonum.

180. Pueri, mulieres, Eunuchi tenuiores acutioresque voces edunt, quam viri: ratio est, non quod hi majus habeant caput, unde fortior emergat vox (efficacia enim vocis soni ve ad differentiā valet quoad claritatem mollitiemve, minime quoad tonos) sed organon dilatatius, conferente etiam ad dilatationē calore, ut certo constat. Verū ratio, cur pubertatis anni mutent vocē, magis nos fugit. Videtur id fieri, quod multo corporis humido, unde

unde plenius antea partes irrigabatur, ad vasa spermatica depulso, calor in corpore exuberare incipiat, qui dilatatos magis reddit meatus; cum omnia caloris effecta occurrant, pilositas, hirsutia cutis, cutisque duritiés.

181. Musicorum industria duas excogitavit alias rationes intendendi fides, præter contortionem. Prior est depressio fidium digitis, ut in collo testudinis, &c. Posterior fidium brevitas, ut in lyra, clavecymbalis, &c. eadem utriusque effecti causa, productio scilicet celerioris fidium resultans.

182. Quo longius intenditur chorda, eo minor superintensio in nota requiritur. Justa enim chordæ exigitur intensio, antequam notam aliquam producat. In testudinis quoque tactibus, &c. quo altius ascendunt, eo minor est distantia inter ligamenta.

183. Vitreum poculum, præsertim infra arctius & supra laxius, aqua reple, marginique ejus talitrum impinge; aqua deinde intervallis repetitis magis magisque effusa, tonum semper talitro explora, sentues decrescere sonum, & graviorem fieri quo poculum ignis.

Experimenta varia spectantia motus proportionem acuti & gravis soni.

184. Justa & mensurata aeris percussi proportio, quoad gravitatem sonorum & acumen, maximi inter alia arcani res est in excutienda tonorum natura. Veram enim eorundem coincidentiam in diapason explicat, qui regressus est ejusdem soni. Præterea consonantiam aut dissonantiam inter unisonum & diapason, de quibus antea obiter egimus in experimentis Musicæ. Operæ vero pretium est, hic repetere, ut præcipuam inquisitionis nostræ partem, quoad naturam sonorum. Fieri posset investigatio in proportione intensionis fidium, in proportione distantiæ in ligamentis, & in proportione cavitatis fistularum, &c. sed commodissime in hac postrema.

185. Fuit igitur experimentum, chorda semel tantum intensa, ut tonum edere queat; mox repetita secundam & tertiam vicem intensione, &c. observetur scala, aut ascensui proportionata soni differentia. Duo simul effecta patescent hac opera; prius sonorum proportio exæquata mensuræ intensionis; posterius sonorum proportio cum fidibus ex majori aut minori intensione. Sed hæc æstimandæ mensuræ adhibenda cautio est, ut longitudo in recta chordæ linea sumatur, in qualibet intensione verticillorum.

Quantum ad tactus, numerus ligamentorum ineundus est; præcipue vero lineæ longitudo à primo tactu chordæ, ad eum quæ diapason producet, ratione prioris tactus in eadem chorda.

186. Sed optime (ut dictum) res succedat in foraminibus instrumentorum pneumaticorum. Sume ergo sex fistulas longitudine aliisque requisitis pares; quarum alia simplex alia duplex, & sic porro usque ad sex, foramen habeat: attende quam soni cadentiam quæq; earum præstet. Sed diligenter in tribus his postremis observandum, quæ chordæ longitudo, quæ distantia tactus qui in concavo aëri, quem soni edat ascensum: quoad ultimum ex hisce (ubi aptissima præbetur demonstratio) annotandum esset, quo concavi augmento, ad notam unicam altior progressus fiat, quo ad duas, quo ad tres; sicque porro ad Diapason usque maximum hinc numerorum arcanum exsculpetur. A vero non abludit, quod fabri fistularum, &c. cognitione ejus rei non careant, quoniam eas cum certis mensuris parent. Sic & campanarum fusores in earum tonis concinnandis, ita ut experimentum inquisitione salvari possit. Atqui observatum ex antiquis cuidam, vas vacuum digito percussum diapason edere respectu soni ex vase repleto: sed non concipio qui fieri hoc queat, cum percussio vasis repleti aut vacui vix sonum aliquem edat.

187. Aliqua perceptibilis ad sensum requiritur differentia in proportione productionis notæ alicujus, respectu ipsius soni, qui passivus est; ne propinquus nimium sit, sed aliquantum distans. Nam in tibia tria ultima foramina parem edunt tonum, quæ nota existit submissior tono trium priorum: simile quid procul dubio in intensione aut tactu fidium requiritur.

Experimenta varia spectantia sonum interiorem & exteriorem.

Alia præterea est soni differentia, quam nos interiorem & exteriorem vocamus, qui nec submissus est nec clarus; nec gravis nec acutus; nec musicus nec immusicus; quanquam verum sit, non inesse interiori sono vim generandi tonum: sed contra, sonus exterior sit musicus aut non. Ideoque potius enumerationi quam exactæ distinctioni operam dabimus; etiamsi (ut aliquo modo opionem nostram adumbremus) interior nobis sit verius impulsio, aut aëris contusio, quam ejusdem elisio aut sectio; ita ut percussio unius differat respectu alterius, ut ictus à sectione.

188. In hominum loquela susurrus seu clarior seu lenior, vocatur sonus interior; ipsa pronunciatio est sonus exterior; ideoque nunquam è susurro tonus aut cantus nascitur, ut elocutione: sic respiratio aut flatus, qui fit ore, follibus aut ventis, ut ut clarus, interior est sonus; inspiratio ope fistulæ aut concavi, quamvis mollis, exterior: pari ratione vehementissimi venti, si non coarctentur aut cavum spirent, sonum producunt interiorem; sibilus aut ventus cavus edit cantum aut sonum exteriorem; cum prior aliquo corpore comprimatur, posterior sua densitate coarctetur, unde cavus si spiret ventus, pluviæ signum est: flamma cum in se movetur aut follibus inflatur, murmur edit aut sonum interiorem.

189. Omne corpus durum alteri corpori duro illisum producit sonum exteriorem, secundum majus aut minus; adeo ut si mollissima fuerit percussio, nullus inde oriatur sonus, nunquam vero interior. Ut si quis leni, & qui non sentiatur, incessu ambulet.

190. Ubi ab aëre est percussio seu compressio seu non, in corpus durum, nunquam exteriorem ciet sonum: ut si conversis in parietem follibus vehementissime spires.

191. Soni tam exteriores quam interiores possunt generari tam emisso quam retracto spiritu, veluti in sibilo aut respiratione.

Experimenta varia spectantia sonos articulatos.

192. Evidens est, nec non maxime admirandis sonorem secretis accensetur, sonum nulla sui parte imminutum per totum aërem dispergi, integrumq;

tegrumq; etiam minimis aëris inhærere particulis; adeo ut scite articulata sonorum diversitas tam ex hominibus quam ex avibus, inconfusa angustissimam quoque fissuram pertranseat.

193. Inæqualis agitatio ventorum, & similia, etiamsi deferendo ad magis minusve dissita sono vehiculum præbeant; minime tamen turbat sonorum discrimina intra illud spatium quo percipi queant: quamvis forte in causa sint, quo minus longe audiantur quam cœlo tranquillo: ut ex parte ante dictum,

194. Nimia distantia confundit articulatos sonos, ut patet ex eo, quod vocem concionatoris aut similem percipiens, distinguere sermonem nequeas, unusquisq; articulatus sonus ab alio confunditur, ut fit cum multi simul loquuntur.

195. In experimento illo, si quis sub aqua vocem proferat, vox exilis redditur: sed ut articulatos verborum sonos distinguere liceat, quod ante diximus.

196. Sic mecum statuo, quod sonus extreme tenuis, aut extreme gravis, articulatus esse nequeat: sed articulatio verborum soni mediocritatem requirat: quod & tenuitas nimia soni articulationem confundat contractione, nimia intensio dispersione. Et quanquam (ut in præcedentibus dictum) sonus articulatus omnino post productionem possit contrahi in angustæ fissuræ transitu, tamen prior articulatio majorem requirit dimensionem.

197. Docuit observatio, concionatorem in loco aut sacello supra & infra fornicato tam commode exaudiri non posse, quam in aliis locis: ratio est, quia subsequentia accedunt antequam præcedentia evanescunt: ideoque articulati soni magis confunduntur, etsi quantitas soni major sit.

198. Motus linguæ; labiorum, gutturis, palati, &c. quæ ad variam pronunciationem literarum alphabeti inserviunt, inquisitione digni sunt, & ad præsentem sonorum investigationem pertinent. Sed quoniam subtiles sunt longaq; descriptione egent, omittendos censemus, & inter experimenta loquelæ recensendos. Hebræi industriam ostenderunt, designantes, quænam literæ essent labiales, dentales, gutturales, &c. Latini vero & Græci inter semivocales & mutas distinctionem adhibuerunt, inque mutis alias fecerunt tenues, medias & aspiratas: nec frustra, sed non satis exacte: nam speciales motus & ictus, unde horum sonorum efformatio, parum diligenter investigati: velut literas B. P. F. M. exprimi non posse, nisi oris contractione aut os claudendo; quod literæ N. & B. pronunciari nequeant, quin litera N. mutetur in M. ut Hecatonba fiat Hecatomba: quod M. & T. proferri nequeant, nisi P. intercedat, ut emtus pronunciatur emptus & multæ similes: adeo ut in hanc investigationem penitius incumbendo deprehensuri sint, pauciores motus requiri ad efformationem integri alphabeti, quam numerantur literæ.

199. Pulmones ex omnibus corporis partibus maxime spongiosi, ideoque contractioni & dilatationi aptissimi sunt: contracti aërem expellunt, qui transeundo arteriam, guttur, os, vocem efformat; sed articulatio opem linguæ, palati, &c. requirit, quæ instrumenta vocis appellantur.

200. Cognatio quædam observata est inter sonos ab inanimatis corporibus aut animatis quæ articulatam vocem non edunt: & varias articulatæ vocis literas, plerunque enim sonos hosce designant simili articulatas voces referente. Ita trepidatio aquæ similitudinem quandam cum litera L. obtinet: metallorum exstincto cum literis Z. hirritus canum cum R. sonitus strigis cum S. H. sonus felum cum diphthongo eu, vox cuculi cum diphthongo ou: sonus fidium cum N. G. Si quis igitur in hanc curiositatem aut novitatem incumbat, ut effictæ à se pupulæ aut cadaveri pronunciandum indere cupiat verbum, considerare primum debet motus instrumentorum vocis, exinde similes in animatis efformare corporibus, & attendere ad conformitatem similitudinis istius causam: sicque elucescet istius effecti notio.

Finis Centuriæ Secundæ Historiæ Naturalis.

FRANCISCI BACONI DE VERULAMIO HISTORIÆ NATURALIS CENTURIA TERTIA.

Experimenta varia spectantia motus sonorum in quacunque linea circulari, obliqua, recta, sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum.

201. OMnes soni, qualescunque sint, in circulum moventur; hoc est in omnes partes, sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, quod omnes docent instantiæ.

202. Soni non requirunt ut recta linea ad sensum devehantur, quemadmodum visibilia, sed potest esse arcuata; quamvis verum sit, quod fortissime per rectam lineam moveant: neque tamen id lineæ debetur rectitudini, sed minori intervallo; linea enim recta est brevissima. Hinc si quis ab altera interjecti parietis parte vocem proferat, ab altera queat exaudiri; non quod vox parietem transeundo penetret, sed quod arcuata ultra parietem ascendat.

203. Sonus obturatus repercussusque perveniet ad alteram partem per lineam obliquam. Sic ad alteram Rhedæ partem demisso velo, ad alteram sublato, si quis ad clausum latus mendicans loquatur, apertæ, non tectæ parti, adstare videbitur. Tintinnabulum quoque aut campana, ex. gr. ad septentrionalem cubiculi partem collocata, & fenestra ad meridionalem, ille qui in cubiculo versabitur, sonum tanquam ex meridie percipiet.

204. Sonorum motus quamvis in orbem sit (quippe & illorum datur orbis aut area Sphærica) ca) vehementissimus tamen est, longissimeque devehitur per lineas anteriores, & prima locali aëris impulsione. Ideoque concionatoris vox commodius percipitur è regione suggestus, quam pone aut à lateribus, etsi pateat. Ita & sclopetum aut

aut tormentum bellicum antrorsum è regione orificij longius audietur, quam retrorsum, aut ad latera.

205. Possit in dubium vocari, an melius soni sursum quam deorsum moveatur. Pulpita erecta sunt & exstant; & Imperatores olim verba facturi ad exercitum, conscendebant suggestum è cespitibus, quod vox è plano audientibus & loquenti æque depresso incurreret obstaculis: Sed majoris quid momenti subesse videtur. Fieri enim possit, ut spirituales tam visibilium quam sonorum species moveantur facilius deorsum, quam sursum. Mirum est, quod homo in terra consistens eos, qui in fastigio Sancti Pauli sunt, videat minori statura, neque dignoscere queat; cum contrarium eveniat è culmine despicienti, ubi nec tantum contrahitur statura, nec omne discrimen prorsus evanescit. Certum tamen est, in excelso stanti offerri subjecta corpora & ad speciem imminuta, inque figuram collectiorem; ut topiaria ex alto despicienti gratius se offerunt.

206. Verum ut experimentum accurate tentetur, cubiculum sit à pavimento non longe distans, è cujus fenestra aliquis quam potest submisse loquatur alteri in plateis consistenti, qui corpori sonis pervio aurem quam proxime admoveat, & vicissim vox consistentis infra servet eandem mollitiei proportionem, dum ille in cubiculo aurem corpori sonos transmissuro applicat: ratio hæc convenientissima erit explorandi commodiorné soni ascensus an descensus sit.

Experimenta varia spectantia durationem & evanescentiam sonorum, tempusque generationi & delationi necessarium.

207. Soni productio momentanea, inter quam & deliquium ejus interjicitur pauxillum temporis. Atq; hic mirus hominum error deprehenditur, illud existimantium soni continuationem, quod nihil aliud quam renovatio: corporis enim percussio imprimis minutis partibus trepidationem, atque sic aëris percussionem renovat: manifeste id colligas ex eo quod emoriens campanæ aut chordæ percussæ sonus, qui censetur continuatio, penitus deficit, simulac campana aut chorda injectam sentit manum, ut in clavecymbalis, ubi operculum decidit, fidemq; tangit, sonus desinit. Tintinnabulum quoque si post percussionem attingatur, sonus cessat. Duplex hic distinguenda trepidatio est, altera manifesta & localis, ut in tintinnabulo pensili, altera occulta minutarum partium, qualis in 9. instantia describitur. Sed verum est, ex locali accedere adjumentum occultæ. Videmus quoque in fistulis aliisque instrumentis vento inflandis, sonum flatui commori. Neque ignoramus, ubi delusum est, inertare organis confusum murmur ad tempus, dum folles scilicet, antea inflati, subsidant.

208. Certum est, sonum tormenti bellici, quod plurimos prostravit, per viginti ad minimum milliaria posse devehi in terra; multo longius in mari; qui auribus accidet, non ipso explosionis momento, sed post horam aut multo tardius. Necessariò hæc prioris soni continuatio est, cum nulla deprehendatur trepidatio, unde possit renovari, nec contactus tormenti sonum celerius extinguet; ita ut in majoribus sonis continuatio plusquam momentanea sit.

209. Tempus autem quo defertur sonus ut exacte observetur, conscendat quis pyramidem vel pharum assumpta face, cui velum prætendatur, alter ad milliaris spatium remotus consistat: Tunc tintinnabulum percutiat, eodemque percussionis momento velum removeatur. Alter in campo consistens, ex enumeratis arteriæ pulsibus colligat temporis intervallum inter affulgens lumen & soni perceptionem; cum certum sit in momento lumen deferri. Idem experimentum tentari posset ad distantiam longiorem, proportionata ei magnitudine luminis & soni.

210. Omnibus id ex observatione innotuit, celerius moveri objectum visus quam auditus; cum tormenti bellici coruscatio citius oculis, quam sonitus auribus percipiatur: quod & in ligno findendo fieri solet, ibi paulum distans, manus ad secundum ictum levari videbit, antequam ex priore sonum senserit: quoque distantia major, eo & præventio: quemadmodum tonitrui longissime à nobis remoti coruscatio fragorem justo spatio antevenit.

211. Colores cum se oculis repræsentant, flaccescere aut deficere sensim perque gradus non solent, sed perstat continuatus vigor & efficacia, sonis sensim depereuntibus: ratio est, quod colores non æque ac soni participant cum motu aeris: cujus locali motui (ut causæ sine qua non) aliqualiter sonum communicare vel illud argumento, quod tam cito intercidat; cum sectus & impulsus aër continuo restauretur; seque reuniat, quod & in aqua fit, sed non pari celeritate.

Experimenta varia spectantia transitus & sonorum interceptiones.

In explorandis sonorum meatibus aut contra, advertas oportet ne in corpore aliquo exitus ad latus decipiat te pro transitu recta pervio, ideoq; intercipiens corpus arctissime claudendum est, cum sonus vel angustissima evolet rima.

212. Sicubi sonus transeat corpus solidum & bene clausum (ut aquam, parietem, metallum, ut in tintinnabulis obturatis, &c.) oportet solidum illud corpus tenue sit ac gracile, ne sonitum penitus exstinguat. Proinde ubi quis sub aqua loquitur ope aeris, vox infra aquam longe depressa ne sit, ut penetrare possit. Ita quoque si ad alteram parietis clausi partem vox proferatur, nimia crassities obstabit ne ad alteram ejus partem audiatur. Finge dolium esse vacuum, laterum crassitie ad duos pedes, clausoque orificio, concipio tenuem fore, quo resonat ex communicatione aëris exterioris cum interiore, aut nullum prorsus sonum: perceptibili tantum strepitu exterioris percussionis, quasi repleto vase.

213. Certum est, sonis transeuntibus per corpora solida cooperari spiritum aut partes pneumaticas istius corporis. Sed multo exactius id notabitur, si latera duri corporis percutiantur, quam si ab intra percutiantur, nõ impacto in latera ictu. Sume igitur tintinnabulum, cujus foramina obturentur, suspendaturq; in ampulla vitrea, orificio vitri arctissime cera clauso; agitando deinde vitro, attende num tintinnabuli percipiatur sonus, quamq; mollis. Notandum quod loco fili sumenda sit chorda metallica; aut alioqui ea sit vitri capa-

capacitas, ut agitatio fiat sine illisione ad vitri latera.

214. Patet, longo, & directo ad perpendiculum arcu (linea soni vectrice) extingui penitus sonum; ita ut qui ultra parietem possit exaudiri, ultra templum non percipiatur; neque ad aliquam à pariete distantiam perceptibilis, proxime ad parietem sentiatur.

215. Mollia & porosa corpora suffocant sonum in primis, ut sic loquar, natalibus; ictus enim in pannum pellesve eadem reddit sonum, ut diximus: facilius autem admittunt transeuntem, quam alia corpora: ut cortinæ docent, & peristromata, sonos non admodum retardantia: fenestræ vitreæ arcte clausæ reprimendo sono magis valent, quam panni crassities par. Sic apparet in ventris strepitu, quam commode sonus intestina & membranas pertranseat.

216. Operæ pretium est inquirere, num soni majores, quales tormentorum aut campanarum, transitu per rimarum angustias debilitati exilescant: articulata enim sonorum subtilitas arctissimos meatus inconfusa forte subit, fortassis autem magnitudo soni obstiterit, ne id tam commode fiat.

Experimenta varia spectantia medium sonorum.

217. Medium, quo vectatur sonus, aër est; mollia quoque corpora & porosa, nec non aqua, corporum duritiis non penitus huic sonorum vehiculo inepta est: sed quodlibet eorum deferendis sonis inutile facit hebetudo, aërem si excipias.

218. Aër siccior tenuiorque non tam devehendo sono commodus, quam densior, ut ostendunt nocturni vespertinique soni, cœlum quoque humidum, ventique australes; rationem, cum de sonorum incremento ageremus, dedimus, nempe quod aëris tenuitas sit penetrabilior, sed densitas aptior conservationi sonorum. Fiat præterea experimentum per altos in nebulis tenuibusque imbribus clamores: fortassis enim aliquantum exstinguendo faciant sono.

219. Quatenus flamma soni medium existere possit (præsertim qualis producitur ope aëris, minime vero inter dura corpora) tenetur per loquelam intermedio luculento foco. Tunc vero admittendus videtur, propter aliqualem perturbationem, sonitus, quem flamma in se generat.

220. Fuit experimentum; num alii liquores, tanquam media adhibiti, diversum ab aqua sonum edant; ut in collisione brachiorum forcipis, aut impulso fundo vasis lacte oleove repleti; quæ etiamsi leviora sint, habent tamen corpora magis inæqualia quam aër.

Egimus hactenus de natura mediorum, quæ dispositionem suam acquirit ex aëris compressione, aut contra. Tractavimus hoc sub titulo de sonorum delatione; facit quoque huc concavi figura, per quod transitus datur; illud nunc agendum restat.

Experimenta varia, quantum figuræ fistularum aut concavitatis, aut corpora deferentia conducant edendis sonis.

Quantum figuræ fistularum, aut concavi à sono transeundi, aut corporum devehentium conferant ad sonorum varietatem atque alterationem: sive major minorve aëris spectetur quantitas in concava recepti; seu spatium per quod brevius longiusve defertur sonus, aut aliæ circumstantiæ, per alios digesta titulos tractavimus. Hic expendendis figuris debetur locus, quas ut lineas concipio, sonis pervias. Tales sunt recta, obliqua, angularis, circularis, &c.

221. Campanæ figura haud absimilis est pyramidi, nisi quod declinatio dilatatioque celerius quasi devergit expanditurque. Figura cornuum venatoriorum, tibiarumque obliqua est: inveniuntur & recta cornua totidem cum obliquis foraminibus, sed modica soni differentia; nisi quod recta vehementius inflentur: figuræ tibiarum & fistularum rectæ sunt; sed hæ minori & majori constant foramine supra & infra. Tuba figuram habet literæ S quastridor iste excitatur. In genere, figura recta sonos edit purissimos: obliqua raucum magis & absonum.

222. Experimentum possit fieri in fistula sinuosa, cum quatuor flexionibus; sed & in fistula in crucis formam efformata, in medio patula; item fistula angulari, quam sonorum varietatem gignant. Rursum fit & fistula circulari, exacteque sinuata rotunditate, indito foramine flatus receptaculo; cui non longe aliud subjungatur, interjecto obstaculo transversim, ut flatus transmeet circulum, accedatque sic ac foramen secundum. Quin etiam corpora solida variæ figuræ suis tentanda percussionibus, ut globosæ, planæ cubicæ, crucis, triangularis, &c. Fiat & eorum combinatio; plani contra planum: convexi contra convexum; & convexi contra planum: exacteque sonorum diversitates annotentur. Explorandi quoque à duris varia crassitudine corporibus producti. Expertus sum ego egregium esse aurei tintinnabuli sonum, neque argentei aut æneiimparem, imo meliorem. Nummi tamen aurei sonus obtusior est argenteo.

223. Lyra constat concavo, non in fidium longitudinem, sed transversali; neque ullum instrumentum sono est ita paulatim perque longiuscula intervalla deficiente, ut lyra Hybernica. Itaque statuo, si clavecymbalum duplici concavo formetur, priore per longitudinem ejus, posteriore ad fidium extremitatem, ut in lyra, fore ut necessario perfectior emergat sonus, non adeo depressus & absonus: tentandum id esset absque assere substrato, duntaxat in modum & formam lyræ, in altero fidium extremo; aut deniq; cũ duplici concavo in singulis fidium extremitatibus uno.

Experimenta varia spectantia mixturam sonorum.

224. Manifestum interea, quæ visu aut auditu percipiuntur, discrimen apparet, quod visibilia medium impermixta transmeent, alia in medio confundantur: quippe circumlatis per cœlum; stellas plurimas, arbores, colles, homines bestias oculis, omnia sub unicum simul obtutum cadunt; neque emanans ab uno imago, aliis confluentibus ad oculum turbatur. Soni autem variis è partibus effusi unius sequuntur prædominium. Vocum quoque dissidentium mixtura in harmoniam temperatur: quod coloribus negatum. Verum nihilominus à majori lumine minus exstingui, ut visum fugiat; velut cicindulæ lumen à sole: non secus ac gravis sonus exilem absorbet. Præterea statuo è duabus laternis è vitro, illo coloris coccinei, hoc cærulei, imposita utrique candela, lumina

mina coloribus hisce tincta confusum iri, impressuraque chartæ albæ colorem purpureum. Debilitate quoque languescit colorum mixtura; à dealbatis enim parietibus magis quam nigris locus illustratur, &c. Sed causa quæ sonos confusim, visibiliumque imagines inconfusas devehat, est, quod visus per rectam lineam operetur, conosque producat varios: atque eo modo nulla coincidentia in oculo aut puncto visuali fieri queat. Soni vero per obliquas, tortuosasque lineas moti coincidant necesse est, sicque invicem disturbent.

225. Suavissima & optima harmonia est, quæ nullius instrumenti per se sonum exauditi patitur, sed unum duntaxat ex omnibus concentum; qui ad justam percipitur distantiam, velut in mixtura suffitus, aut odoris floribus è variis sparsi per aërem sensu.

226. Dispositio aëris quo ad alias qualitates, nisi in sonorum miscela, haud magni ad sonos momenti est: sive enim serenus, sive obscurus aër sit, calidus aut frigidus, tranquillus aut agitatus (nisi adsit strepitus) suavis & fœtidus, similiterve affectus, parum refert: cum exiguæ tantum alterationis aut differentiæ causa existere possit.

227. Sed & invicem se disturbant mutantque soni; ubi alter alterum sic obruit, ut sensorium afficere nequeat. Est & ubi in se mutuo insinuati discrepantiam confusionemque pariunt; interdum in harmoniam mixti coalescunt.

228. Duæ voces eadem claritate per duplo longius spatium non percipiuntur, quam simplex & unica; neque candelæ eadem luminis quantitate efficient ut objecta duplo remotius conspiciantur, quam unica. Causa latet; sed videtur, impressiones ex objectis sensilibus misceri cum homogeneis, sed sine proportione, ut antea ostendimus. Fuerit fortasse ratio, quod prima impressio ex transitu à privatione ad actum (veluti ex silentio ad sonitum, ex tenebris ad lucem) majoris sit gradus, quam si ex minori ad majorem sonus excrescat; similiterque luminis augmenta fiant: illud fortassis ex eo, quod aër post primam impressionem alterius impressionis superventum non admittat, eodem quo priorē appetitu; qua proportione universum commensuretur materiæ incrementum virtutis, amplissimæ disquisitionis campus est, peculiarisque tractatus diligentiam exposcit.

Experimenta varia spectantia meliorationem sonorum.

229. Ex reflexionum concursu major est sonus, corpus vero unde aut vocis primigeniæ origo, aut reflexio, si purum aut leve fuerit, gratiorem reddit. Experimentum posit fieri in testudine aut barbyto, cujus concavum ex ære polito, non ligno, sit. Videmus in aëre aperto sonum auribus allabi gratius quam ex chordis metallicis. Ad reflexiones plurimum quoque valet aqua; quod modulationes docent ubi aquæ in propinquo sunt, aut Echo comprobat.

230. Constat experimenti fide, fistulam humectatis nonnihil lateribus, sed guttis omnino discussis, clarius sonare; quā sicca si fuerit; suavi existente sibilo, ut ante sub titulo de inæqualitate à nobis dictum. Ratio est, quod porosa, ubi humectata fuerit, superficies, quasiq; in confinio humidi & sicci, nonnihil æqualitatis & lævitatis acquirat. Sed sibilus, cui ex inæqualitate origo, mea opinione, oritur inter superficiem fistulæ internam, quæ & levis & humida, relinquamque materiam ex ligno, insinuati humoris expertem & siccam.

231. Cœlum pruinosum Musicæ intra ædes gratiæ nonnihil conciliat. Ratio fortasse non dispositio aëris, sed ligni aut fidium in instrumentis, quæ magis crispantur, & sic porosa & cava evadunt. Testudines quoque ex crebro usu clarius sonant recens confectis, eadem de causa. Idem deprehenditur in fidibus testudinis diu asservatis.

232. Facit ad soni meliorationem aëris liberi & compressi mixtura; ideoque fiat experimentum in testudine aut barbyto, cujus duplex concavum, alterum cum orbiculo instar rotæ supra fides; ita tamen ut sufficiens spatium relinquatur fidibus, & ad eas tangendas locus infra concavitatem. Idem tentetur in lyra Hybernica cum duplici utrimque concavo; quæ simplici alioqui contenta est. Dubitare liceat, an non futura sic resonantiæ nimietas efficeret, ut nota notam prævetteret.

233. Prolata in orificio tympani modulata vox suaviorem reddit vocem. Idem statuo fututum, si cantus in partes divisus variis immittatur tympanis. Elegantiæ quoque novitatisque causa operæ pretium esset cortinam extendere inter locum, quo tympana collocata sunt, & auditorium.

234. Pneumatica instrumenta licet sonum generent inter flatum & aërem, sonus tamen communicatus magis æquali fistulæ corpori, melior est: proculdubio enim sonum cum aliquo discrimine tuba reddit, & fistula lignea, rursumque tuba & fistula ænea: non inutile foret tentare sonum ex fistulis & æneis venatorum cornibus.

235. Attentio meliorandis prodest sonis, ubi sensus communis maximè collectus discedit in particularem auditus sensum, visusque suspenditur operatio. Hinc & nox præ die sonos suavitate & magnitudine increscere facit; quos cœco gratiores quam aliis accidere arbitror. Inter somnum quoque & vigiliam marcentibus dum ligati velut hærent sensus, suavior musica obvenit, quam ubi penitus evigilaverint.

Experimenta varia spectantia imitationem soni.

236. Naturæ quoddam miraculum est, si in attentionem non fugitivam incidat, quod pueri & aves nonnullæ ad exprimendas imitatione voces stupenda valeant dexteritate. Volucribus inobservatum est os loquentis ejusque motus, quæ non minus recte in obscuro lucido loco instituuntur. Exquisitæ nonnihil curiositatis est circa sonos ex sermone, cujus lectio non caritura difficultate videatur. Sed oblatæ in principio molestiæ sensim ita decrescunt, ut repetita subinde cum interjecti temporis progressu tentamenta eas evincant: sed hoc novitatem rei non tollit. Cogitet forte quispiam (etsi, ut verum fatear, justam admirationis causam præbere possit) dari quandam spirituum transmissionem, qui in doctore moti ingenerent discipuli spiritibus prædispositionem ut invitetur ad imitationem, quæ sic paulatim perficiatur. Sed operatio transmittendis spiritibus debita (maximum arcanum naturæ) suam alibi exspectat tractationem; præsertim ubi de vitibus imaginationis inquisitio instituetur. Imitationem quod spectat, negare omnino haud possumus, inexistere homini aliisq; creaturis habilitatem imitandi. Obvium est,

quam dextre & prompte hominum gestus ac motus exprimant Simiæ & Cercopitheci, atque in captura avium quas vocât Dottrebs, patet quam artificiose volucris ea agat, dum Simiam imitatur: neque ullus frequentato alterius consortio (præscius enim est) non gestus quosdam aut vocem aut aliam configurationem didicit.

237. Imitationi sonorum Metallicis, quam fidibus ex intestinis non prærequiri institutionem necessariam volucres ostendunt, quæ mutua inter se documenta habent, sine mercede imitationis aut ex pastu aut aliunde. Inveniuntur præterea psittaci, non tantum vocem sequi artifices, sed & risum, pulsationem, ictum, crepitum ex januis in cardine suo motis, vel plaustri, quemcunque demum ipsis obvium sonum.

238. Bestiarum nullæ, præter aves, imitari valent sermones humanos. Simia enim expedita alioqui imitatrix, in exprimendo sermone deficit: vidi tamen molossum, qui ululatum auribus immissum per aliquod temporis spatium redderet: quænam vero avium, comparate ad alias bestias, solertia sit imitandi sermonem, ulterioris est indaginis. Constat inesse volucribus conformata ad hunc usum instrumenta, ut labia, dentes, &c. humanis quam brutis similiora. Collum, per quod transmissum jugulum descendit, multæ bestiæ æque ac volucres habent oblongum. Ulterius protendatur inquisitio, an guttur reliquusque apparatus in avibus excellentior sit? Aves ad loquelam aptæ, sunt psittacus, picus, graculus, monedula, corvus; ex quibus adunco psittacus rostro est, reliquæ minimè.

239. Sed ista volucrum habilitas non adeo ex organis sermoni aptis, quam attenta auscultatione est, cum loquelam auditus & doctrina faciant, avium que major in observandis sonis cura sit, quam aliarum bestiarum; quod & ab insito naturaliter delectamento & frequentiore est exercitio, ut ex earum cantu patet. Illi quoque, penes quos instituendi labor, vigiles habere student, augendæ velut attentioni: neque ignoramus mascularum, inter aves cantatrices, aliquam esse prærogativam; cujus fortasse causa est & vivacitas major & acrior auscultatio.

240. Studium & intenta exprimendis vocibus solertia facilitandæ imitationi plurimum conducit. Unde pantomimos reperias, qui voces histrionum adeo referant dextrè, ut ipsos, non respectos, esse re persuasus existimes: par circa alias voces ratio est.

241. Reperiuntur, qui voces velut ex longiore intervallo delatas effingant (secundarium auditus objectum distantia est) adeo ut adstantium sermonem è longinquo procedere putes, non sine terrore quodam: ratio inquirenda; sed cujus nullum usum agnosco, præterquam ubi impostorem agere libet, efficta quasi spirituum loquela.

Experimenta varia spectantia reflexionem sonorum.

Tria in sonis reflexionum genera sunt, reflexio concurrens, iterans, quæ Echo, & superreflexio, Echo ex priori Echo. Priori sub titulo de sonorum magnitudine tractata, de duabus posterioribus agendum.

242. Reflexio effluviorum ex visibilibus objectis per specula dirigi potest, utpote quæ egressa progressaq; rectis lineis ad aliquod punctum perduci queat, sed reflexio sonorum regi vix se patitur, quoniam sonus laxius lineis arcuatis spatium complens ejusmodi regimen non admittat, unde artificiales echos parandi ratio necdum venit in usum; & quæcunque Echo hactenus innotuit in angusto loco regressum non admittit.

243. Naturalis Echo in parietibus, lignis, rupibus, collibus & ripis generatur: aqua vero, ubi in proximo est, concurrentem Echo creat, ubi longe dissita, iterantem efficit; concurrens enim & iterans Echo non aliter discernuntur nisi regressus celeritate tarditateve. Sed extra controversiam est, ut delationem soni originalis aqua promovet, ita longius deferendæ Echo inservire.

244. In præcedentibus dictum, voce per corpus sonis pervium prolata, altero ejus extremo obturato, flatus regressum ad os sentiri posse, non sonum; ratio est, quod originalis soni per claustrũ conservatio nihil faciat ad reflexi conservationem: præterea echûs generatio nisi ex claris sonis rara omnino est. Hinc artificialis echus spem omnem tollit aeris in arcto concavo compressio. Experimentis tamen constat, si quis incumbens puteo ad 25. ulnas profundo loquatur submisse, non adeo tamen ut susurrus sit, regeri Echo ex aqua satis perceptibilem. Tenetur utrum loquela cavis immissa, non alio, nisi per quem vox descendit, regressu, æque ut in puteis gignat Echo.

245. Echo circulariter in aere provolvitur, ut sonus primarius; unde expediret explorare num repercussio à corpore angulum confecturo Echo crearet, ut versus parietis recursum, &c. ut in speculis videmus similem incidentiæ angulum dari ab objecto in vitrum, & à vitro ad oculum, atque si pilam transversim percutias, non in superficie, par fiet resultus. Utrum & Echo illum producat (hoc est, utrum quis à latere corporis repercutientis consistens melius audiat, an vero ubi vox profertur, aut uspiam in recta linea) tentari posset; item si propius adstet loco unde repercussio, quam loquens, aut vice versa. Simul in notitiam deveniretur, utrum Echo, originalis primigeniique instar soni vehementior sit in propinquo.

246. Multa sunt loca, varias echus formas creantia, quarum altera alteram subsecuta excipit. Fit illud ubi varii colles aut arbusta inter se vicinia distantiave dispares existunt; ita ut ultimæ recursus ultimus quoque auribus accidat sentiaturve.

247. Uti vox circulariter tam antrorsum quam retrorsum pergit quoad loquentem, sic & Echo: multi enim Echi à tergo percipiuntur ratione loci in quo consistit.

247. Ut echo fiat ter quater quinquiesve regerens voces distincte, opus est justa ad proportionem distantia corporis repercutientis. In propinquo enim (cum hoc tamen intervallo ne concurrens echo emanet) subitaneo allapsu regreditur, requiritur quoque haud nimia aeris compressio; coarctatus enim ad magnam distantiam aer idem prodit effectum cum aere libero ad parvam distantiam. Ideo in experimento loquelæ in puteo, quamvis alto, vox subito recurrit, & duo tantum vocabula regerit.

249. Quod ad Echus ex priori ortas, nova datur ejus rei instantia ex loco, cujus jam descriptionem aggredior. Distat quatuor aut quinque milliaria Parisiis, non procul à pago Ponte Carentoniano,

niano, & quantum conficiat spatii jactus sagittæ à Sequana locus, sacellum angustumve templum; cujus parietes omnes tam à lateribus quam in extremis superstites & gemina columnarum series ad modum ambulacrorum in templis, concamerationis plane nihil, ad singulas columnas sarmentorum cumulus humanam staturam æquans, quæ navicularius flumine devecta ratibus non cymbis eo loci deponit (ut videtur) quo se levet, ab una parte emissam vocem ter & decies distinctis intervallis regredi sentiebam, meminique ex relatu decies & sexies reflexam: eram ibi hora tertia pomeridiana, sed commodissimum est (quod in qualibet echo usuvenit) tempus vespertinum. Manifestum est non fieri echus processionem variis è locis, sed esse jactationem echus ultro citroque instar pilæ, non secus ac in reflexionibus speculorum fieri amat. Speculo anteriori si alterum substituas, posterius hoc cum sua imagine reddet speculum anterius, & vice versa, & ita porro super-reflexio fit, donec exstincta speciei species evanescat, cum à singulis regressibus debilitata sensim in umbram refugiat. Sic & vox isti immissa sacello speciem speciei generat, succedentesque sibi invicem reflexiones, quarum singulæ prioribus languidiores emoriuntur. Adeo ut si tria verba proferas, fortasse tria reddet condistincta temporum vicibus integre, post decrescente temporis spatio duo posteriora, denique ad aliquod tempus regeret ultimam vocem, & deficiet, ulterius languescere nescia. Echus unius recursus magnum quid præstat, si quatuor aut quinque vocabula exaudiantur. Hæc Echo in recursus tam multiplices regyrans ultra viginti vocabula auribus percipienda offert.

250. Similis Echo ex Echo, sed cum duplicata repercussione, observatur, si quis inter domum & collem medius lyram percutiat versus collem, à retro enim venientem Echo domus producit, alteraque alteri transmittitur, ut postrema languidior sit.

251. Dantur & literæ, quas ægrè exprimit Echo, velut S, præcipue initiale: memini cum aliquando Pont-charenton peterem, adfuisse Parisiensem, provectæ ætatis hominem, qui hunc pronunciandi defectum à bono esse genio interpretabatur. Si enim, inquit, Diaboli nomen efferas, Echo illud minime referet, sed vat'en, quod ex Gallico idem est cum apage. Mihi subiit, quod Echo literam S non repercutiat, utpote cum sibilus & interior tantum sonus sit.

252. Echo nonnunquam celerior est, resilitque statim à prolata voce, ut partim est dictum; alia vero magis velut deliberata procedit, hoc est, plus spatii relinquit inter vocem & reflexionem; quod vel propinquitas vel distantia loci facit: quædam longiore tractu verba repellit, quædam breviori; alia clarior (pari cum primigenia voce claritate, nonnunquam majori) alia languidior dilutiorque.

253. Si Echo variis è locis ad eandem distantiam varia emergat, chorus quasi quidam reflexionum existat necesse est; unde & major recursus, quin etiam Echo continuata; quod quibusdam in locis contingere solet instar Theatri.

254. Nondum investigatio docuit, an ut in speciebus visibilibus, ita & in sonis fiat refractio: persuadeo enim mihi, si diversa per media vehatur sonus (ut aërem, pannum, lignum) alio, quam in quem tendebat, loco non proditurum; atque hic primus refractionis modus: majoratio autem, alter refractionis modus, in sono manifesta est (ut plenissime nobis demonstratum cum ibi versaremur) sed diversitate medii nihil huc conferente.

Varias obiter instantias ex visu visibiliumque imaginibus petitas aspersimus illustrandæ sonorum naturæ; sed visum nobis operæ pretium laxius insistere comparatæ demonstrationi.

Experimenta varia spectantia consensum & dissensum inter ea quæ visu & auditu percipiuntur.

255. Utrumque circulariter se diffundit, integrumque orbem, sed non ultra certos determinatosque progressus limites, implet, languet, emoriturque paulatim ex proportionata objectorum à sensoriis distantia.

256. Utrumque integram nihilque imminutam speciem sustinet, insinuatque in quamlibet minutas aëris mediique partes; utque species angustis rimis inconfusæ se inferunt, transeuntque, uti patet, in instrumento æquilibrii indice quoad visum; & in fissuris rimisque quoad sonos.

257. Utriusque subita & facilis generatio propagatioque, cum pari evanescendi celeritate, remoto scilicet lumine, corporibusque sonum edentibus.

258. Utrumque recipit & secum devehit exquisitas accuratasque differentias, ut colores, figuras, motus, distantias in visibilibus; articulatarum vocum, tonos, cantus, vibrationes in audibilibus.

259. Utrumque corporalis effluvii nihil in medium effundere videtur, quo activitatis suæ sphæram compleat, neque evidenter localem medio, quod transitur, motum imprimere, sed spiritales modo propagines abripere secum: cujus rei causa cum investigantium industriæ hactenus non plene se indulserit, sui loci examen merebitur.

260. Utrumque nullius effectu, præter illud objecto suo, sensuique appropriatum, generativum apparet, exceptoque eo cætera sterile videtur.

261. Sed utrumque actu proprio tria manifeste effecta producit; quorum primum, quod species magis (ut sic loquar) quantitativa majorisque impressionis minorem invalentioremque subigat, ut lumen solis, lumen cicindulæ, boatus tormenti bellici vocem. Secundum quodvis objecti in excessu prægravansque destruat sensum, ut lumen solis oculum, violentus sonus prope aurem, auditum. Tertium, quod utrumque admittat repercussionem, ut in speculis, & Echo.

262. Neutrum speciem alterius destruit impedive, in eodem licet medio obviam, velut lumen aut color sonum non tollit, aut contra.

263. Utrumque animantia afficit objectis diversimode sensus moventibus, prout grata ingrataque fuerint, quæ tamen, si rite attendatur, inanimata quoque afficiunt, conformitatem scilicet quandam cum utriusque sensus organis habentia: sic visibilia in speculis operantur, quæ haud absimilia sunt pupillæ in oculo; & audibilia in locis Echo generantibus quæ referunt concavitatem & structuram auris.

264. Utriusque variant actiones ex varia medii dispositione; ita tremulum medium (quale fumus)

objecto trepidationem infert; & intensionis remissionisque capax (ut ventus) sonum attollit & deprimit.

265. Aër utrique commodum & propitium maxime vehiculum est; aqua enim aut vitrum comparationem cum eo haud sustinent.

266. Utriusque objectum tenue si fuerit & accuratum, sensus oportet habere erectos & attentos; adeo ut oculi contractio sequatur distinctissimæ visionis propositum, aureisque corrigantur ad exactam auscultationem se componentibus; quod in bestiis aures habentibus mobiles obvium magis.

267. Radii luminis collectione multiplicati gignunt calorem, operatione longe à visu diversa. Soni vero conglomerati multiplicatique summam generant aëris ratefactionem, actionem materiam sonorumque productioni dissimilem, si non fallit nos antiquitas, quæ narrat aves decidisse ad sublatos in cœlum clamores collectæ multitudinis.

Dissensus eorum quæ visu & auditu percipiuntur.

268. Emanantes ex objectis visibilibus species videntur esse quædam radiorum has constituentiũ emissiones; quale quid in odoribus diffusim propagatis contingit; nisi quod illæ magis à corpore secretæ ferantur, speciesq; auditum ferientes magis communicent Locali motui, velut impressiones in aërem factæ, ejusque percussiones; ita quicquid corporeum est cum actionem suam exerat gemino modo, aut realiter naturam suam communicando, aut motum, prior visibilibus assignanda diffusio, posterior audibilibus.

269. Manifestior per aërem vectatio est audibilium quam visibilium, cum obluctantis venti obex non magnopere (mea opinione) horum perceptionem impediat, in illis contraria eveniant deferendis.

270. Hæc præ omnibus notanda est differentia inter visus auditusque objecta, unde minoris momenti aliæ fluunt; nempe quod illa (lumine excepto) per rectas lineas vehantur, hæc per curvas; qui diffundendi modus minime incurrit mixturæ confusionisve incommoda, ut ante diximus sonos hisce obnoxios. Hinc corporum solidita s visioni impedimentum vix creat, modo pellucida sint, obversis ad rectas lineas poris, ut in vitro, crystallo, adamante, aqua, &c. tenuis autem mitella aut sudarium, corpora licet minus solida, visui obstant, cum è contra porosa parum impedimenti auditui injiciant, sed solida aut sistunt aut potius attenuant. Hinc quoque reflectendis visibilium radiis vitra parva sufficiunt, sonorum reverberationi majora requiruntur spatia; quod nec in præcedentibus omissum nobis.

271. Visibilia ad longiorem distantiam, quam soni, ingerunt se sensui, servata magnitudinis proportione, cum ad remotius interstitium dimanet intensior sonus, quam exiguum corpus conspiciatur.

272. Visibilia nonnisi aliquo inter visum & objectum dato intervallo commode percipiuntur, audibilia quo sensui propius admoventur, eo melius se insinuant. Sed duplex error hic occurrit, primo quod, cum sine luce non peragatur visio, si quatenus pupillam ita contingat ut prorsus tegat, lumen excluditur. Memini audire ex homine fide dignissimo (cujus oculorum alter ex catharro laboraverat) nihil clarius se exactiusque vidisse, quam argẽteam acum, dum in oculo versaretur removendæ catharri membranulæ; cujus ratio proculdubio, quod acus pupilla minor lucem non arceret. Secundo objectum visus directe pupillam ferit absque ulla interceptione; cavum auris parum soni recipit ratione organi, sed aliqualis tamen utrobique requiritur distantia.

273. Visibilia in afficiendo sensu celeriora audibilibus, quod in tonitru & fulgure apparet, flamma & ictu tormenti bellici repercusso, motu aëris dum finduntur ligna: hæc quidem in antecessum dedimus, huc tamen proprie pertinentia.

274. Existimo emanantes ad auditũ sonos diutius in aëre subsistere, quam species ad oculum deletas; quæ & ipse tamen aliquandiu in spatio hærent intermedio, ut patet in annulis circumactis sphæras quasdam repræsentantibus, in fidibus testudineis talitro impulsis, torre longius translato, qui tractum luminis post se signat, in crepusculo & similibus. Sed non dubitem sonis assignare largius moræ spatium, ventis eos sursum deorsumque volventibus, & propter temporis intermedii distantiam; in quam sententiam mihi præit explosio tormenti ad vingti milliaria percepta.

275. Visibilibus abest illud unde ingrata existant, quod audibilibus non ita evenit. Rerum enim turpium conspectus in eo displicent, quod obscœnitatis magis memoriam vellicent, quam quod immediate eas objiciant oculis. Ideo picturæ parum pudica repræsentantes, non ita offendunt, ut in audibilibus serra dum acuitur, cum & stupidos reddat dentes. In Musica quodlibet harmoniæ contrarium auris respuit.

276. Si ex circumfusa luce tenebroso te inferas loco, aut contra, oculus aliquamdiu præstringitur, visusque confunditur. An simile quid experiamur post ingentes sonos altumve silentium, accuratiori inquisitione eget. Remotæ vetustatis fama est, surdos esse qui cataractis Nili accolunt: sed consimile quid in bombardariis, molitoribus, pontesque inhabitantibus non depræhenditur.

277. Impressioni colorum ea inesse videtur debilitas, ut non nisi per rectas lineas, fastigiatisq; in conum radiis agat, cujus in objectis basis & verticale punctum in oculo, ut quædam radiorum velut acuminata cortivatio & conjunctio sit; qui eo propagati effluvio secundariam lucem nisi sola reflexione gignere nequeunt; hic nobis non tractanda. Transeuntes enim radii modice tingunt vicinum aërem, unde colores conspiciuntur extra rectam lineam. Sed ut in hisce deprehenditur illud, ita contrarium obtinet in corpore luminoso. Interposita enim umbella inter oculum & candelam, lumen nihilominus chartæ illapsum scribentem dirigit, inconspicua tamen candelæ flamma; cujus loco si constituatur res colorata, non ingeret se oculis color. Posteriori huic naturæ sonus communicat, cum duobus ad utrumque parietibus latus consistentibus audita vox (quantum ego quidem judico) non sit modo primarius & arcuata linea progressus sonus, sed & qui recta linea parietem pererrans priori similem in circulo motum gignit, sed languidiorem magisque flaccescentem.

Experi-

Experimenta varia spectantia sympathiam & antipathiam sonorum inter se.

278. Omnis consonantia & dissonantia, in Musicis nihil aliud quam antipathia & sympathia sonorum, in Musica quoq; illa quam fractam appellant, aut sociatam Ex coalescentibus Instrumentorum quorundam sonis, aliud alio gratius existit eorundem consortium (res hactenus non satis diligenter per observationes habita) ut lyra Hybernica optime jungitur cum barbyto gravioris toni, & fistula cum Musica fidibus canenda organa admixtas non respuunt canentium voces, &c. sed Clavecymbala & Testudo, aut Lyra Cambro-Britannica & Hybernica, vocem solam cum fistulis recte coalescere negant: sed plurima restant ad experimentum revocanda quoad exquisitam instrumentorum conjunctionem, unde magna ad emendationis Musicæ gratiam fieret accessio.

279. Triviis jam innotuit, si resupinata testudine barbytove imponatur ex fidibus uni stramen, & in proximo altera sit testudo, cujus, unisona cum priore, fides tangatur, moveri & in resupinata fidem huic respondentem; quod ad oculum patet exculso stramine. Simile quid continget si diapason respectu istius fidis percutiatur in eadem testudine aut barbyto, aut in diversis proxime collocatis: sed neutrum experimentum prodit soni repercussionem quæ discerni possit, sed motum merum & simplicem.

280. Excogitata barbyti instruendi ratio cum inferiori serie chordarum metallicarum arctissime applicata ad concavum, ut in testudine; fides deinde ex intestinis confectæ per subjectum ponticulum digerantur, quod plerumque servatur in barbytis; ut superiorum fidium percussio afficiat per sympathiam inferiores, gratiorque ad aures accidat. Si eventus respondeat intentioni, tum per consensum non exprimario tantum motu sonus, sed & secundario sive repercussione emergit. Sed inventum hoc usu caret, quia fides superiores dum varie tanguntur, diapason aut unisonum servare nequeunt respectu inferiorum, quæ minime sic tanguntur: quid vero conferat, in instrumentis quæ non habent touchen, ut vocant, explorandum; qualia sunt clavecymbala & lyræ, in quibus tentanda fidium duplex series omisso intervallo.

281. Posset comprobatæ in instrumentis, quæ chordis resonant, sympathiæ translatio fieri ad alia sonos per se reddentia; explorariq; num percussio ex duobus tintinnabulis altero, motus in altero sentiretur; quod melius hic quam in alio quovis concentu succedet. In fistulis quoque eadem sympathiæ ratio attendatur, si & foraminibus & sono conveniant, an leviculum stramen aut pluma moveretur ubi alterius unisonum inflatur.

282. Et oculi & auris testimonio constat, quod sensuum organa sympathiam habeant & conformitatem cum eo unde reflexio nascitur, ut ante dictum. Nam sicuti lumen oculi crystallo haud absimile est, aut vitro, aut aquæ; sic in aure sinuosa est concavitas cum officulo duro sistendis & reverberandis sonis, haberque illud cum locis, unde Echo prodit, similitudinem.

Experimenta varia spectantia impedimenta & auditus subsidia.

283. Oscitatio auritum sensum impedit, propter membranæ in aure extensionem, quæ repellit potius, quam admittit sonum.

284. Retentio spiritus ad exactiorem facit auditum, quam si fiat contrarium; atque adeo in omni auscultatione quæ è longinquo venientes sonos aucupatur, contineri spiritus solet: ratio est, quod omnis exspiratio sit motus ad extra, repellens potius quam attrahens vocem; ubicunque etiam operosius in rem incumbimus, & cum laboris vehementi intensione, spiritum intra retractum quasi sistimus; omnisque auditum fugientis soni difficilior captatio, laboris quædam species est.

285. In subsidium auditus fiat instrumentum infundibili instar, de cujus bono successu non despero. Angusta ejus pars crassitiem habeat auris concavo respondentem, extra laxius pateat, instarque tintinnabuli circa oras suas, ad pedis dimidium aut amplius, qua in arctum coit, auri proxime admoveatur, observeturque num aerem libere permeans sonus distincte percipi queat è longinquiori distantia, quam sine ejusmodi adminiculo, ut sit quasi auri-spicillum hauriendis sonis. Intellexi consimile quid Hispanis excogitatum, quod auribus applicatum surdastris facilitet auditum.

286. Os arctissime licet clausum sit, murmur à palato editur mutis usitatum, quod obturatis simul naribus cessat, nisi in palati fundo versus guttur: quod ostendit sonum manifeste, excepto præcedenti, ore occluso à palato per nares progredi.

Experimenta varia spectantia spiritualem & tenuem sonorum naram.

287. Repercussio sonorum (Echo dicta) valide spiritalem soni essentiam docet. Corporea enim si foret, eadem, quoad modum & instrumenta generatio esset secundarii soni sive repercussionis, quæ primarii. Verborum autem pronunciatio instrumenta exigit varia & exquisita, quæ similis structuræ nulla agnoscit eorum regressus; sed merum impedimentum, unde repercussio.

288. Exquisita articulatorum sonorum discrimina aërem permeantia, negant meras esse soni impressiones in aërem, ut & antiquis bene observatum cum refutatione contra sentientium: signacula enim impressionibus egregie inserviunt, quibus analogum quid prima sonorum generatio exhibet, sed delatio & continuatio eorum, absque signatura, impressionum numero excludunt.

289. Subitaneus est ortus, & ad illum modum disparentia est; sed nec illud ut accurata differentia habet quod magnopere miremur. Ubi ratio enim & trepidatio in testudine & fistulis celeritatem eâ exæquat, linquaque (instrumentum certe non gracile) in pronunciando non pauciores ciet motus, quam sunt in vocabulis omnibus literæ pronunciandæ. Sed citissimi sonorum (si fas loqui) natales non æque ac momentanea, quaquaversum longissime diffuso, admirationem meretur, ex. gr. elatè in medio campi jactata vox datum percipienda circuit; idque in sonis articulatis, qui singuli minimas aëris particulas integri insident, & minuto brevius spatium est quo absolvitur derivatio.

290. Subita generatio & evanescentia sonorum alteram ex hisce duabus causam habet, sive quod aër ex ingruente sono vim passus se instauret, quod in aqua fit, quæ divisa varios producit vinculos, donec primam consistentiam nacta residat; sive

quod aer non gravate sonum, utpote gratissimum, hauriat, sed retinere nequeat, occulto receptionis appetitu, subingressum soni, quem postea crassæ magisque materiæ aeris qualitates suffocant: sic flammam vivide generatam statim exstinguit aeris inimicitia; aut alterius, quo ambitur, corporis.

Hæ sonorum differentiæ sunt, quibus universum dividuntur: 1. Musici, immusici. 2. Graves, acuti. 3. Obtusi, acres. 4. Submissi, clari. 5. Exteriores, interiores. 6. Liquidi, tetrici, aut cum sibilo. 7. Articulati, aut inarticulati.

Hucusque inquirendæ sonorum essentiæ operam haud indiligentem navavimus, partim quia vulgo nobilissimis naturæ mysteriis annumeratur, ut sub initium dixi, partim quia virtus est & corpore libera, & materiæ exemta commercio, quales paucæ dantur. Præterea centurias hasce priores libuit in exemplum proponere exactæ indaginis, & velut normam præstruere, quam ipsi quoque in aliis quibusdam præstabimus, eandem industriam promerituris. Unice enim hoc agimus, ut insinuemus, genuinam rerum naturalium inquisitionem legitimeque institutam opus esse severitatis dignitatisque plenissimum; ut & assuescant collecta ex particularibus luce animos laxare ad amplitudinem totius mundi, nec universum hoc exigant ad mentis suæ angustias.

Experimentum unicum spectans colores splendidos in dissolutione metallorum.

291. Metallorum dissolutiones exhibent vividos & puros colores; aurum egregie flavum, Mercurius summe viridem, stannum intense cæruleum. Idem cernitur in putrefactionibus eorum aut rubigine, velut minimum, viridis color, Bise, cirrus, &c. nec non in vitrificationibus, ratio est, quod durities ferendo igni sit, aut aquis fortibus, & in æquali positura haberi queant; partem quoque principalis spiritus retinent; quæ duo, æqualis scilicet positura & spiritus agilis, primas tenent ut lucidi reddantur colores.

Experimentum unicum spectans prolongationem vitæ.

293. Hominum actionibus si ista constiterit libertas, ut nihil invita Minerva, sed genio excitante aggrediantur, optimis adminiculis insistet vitæ prolongatio, cui cōducit lenior spirituum motus, ut minus prædatorii non ita depascant succum corporis. Deinde regulis & moderamine circumscribendæ actiones, exercito in se invicem imperio. Victoria enim & imperii non vana opinio optimam spiritibus dispositionem ingenerat, præsertim instituto gradatim processu, ubi victoriæ sensus vegetior. Prioris exemplum præbet vita rustica, posterioris, instituta Monachorum, & qui Philosophiæ colendæ totos se applicuerunt, quique continue seipsis potiuntur.

Experimentum unicum spectans appetitum unionis corporibus.

293. Omnia corpora habent appetitum se uniendi, & evitant solutionem continui, atque hujus appetitus varii dantur gradus, sed observatu dignissimi; quique distincte notari possunt tres sunt. Primus in liquidis, secundus in solidis, tertius in glutinosis, & tenacibus corporibus; quorum liquida exilem produnt hunc appetitum, conspicuum in connexione quasi per fila in stillicidiis, ubi in rotundas guttas conglomerantur (species hæc unionis est) & ubi aliquamdiu in bullis & spuma consistunt. Secundi gradus flagrantior appetitus est in ferro, lapide, ligno, &c. Tertius in prioris utriusque confinio medius hæret, ubi corpora partim ad contactum alterius sequacia obhærescunt; partim lentescentia cōtinuationem non deserunt, unde & in fila duci se patiuntur, ut pix, gluten, viscum, &c. sed notandum, inesse omnibus solidis corporibus plus minus tenaciæ, ut magis gaudeant contactu alicujus tangibilis, quam aeris. Aquæ enim parva etiam quantitas superficiei rei solidæ adhærescit, metalla quoque adhærent nisi qua pondus degravat & avellit: aurum foliatum, aut quodvis foliatum ex metallis, adhæret, sed glutinosa & viscida indifferenti magis sunt appetitu ad alterius corporis ductum, servandamque sui cohærentiam, ac proinde istius sunt mixturæ, quæ imperfectior extranei corporis complexu delectatur magis, quam sua conservatione, & in quibus siccitas humiditasque non admodum prævalet.

Experimentum unicum spectans similem caloris & temporis operationem.

294. Tempus & calor in multis conveniunt. Calor exsiccat corpora, quæ facile evaporant, qualia sunt membrana, folia, radices, lutum, &c sic tempus aut ætas arefaciunt, ut in corporibus jam dictis, calor dissolvit spiritosa corpora, ut variæ docent liquefactiones; præstat idem in aliis consistentiæ mollioris, ut in melle, quod ætas reddit magis liquidum, in saccaro, oleo veteri, cui claritas conciliat calorem à usum medicum. Calore laxantur spiritus, exitumque quærunt, quod testatur metallorum volatilitas. Idem à tempore effectum, in ferri rubigine; sed universim, caloris temporisq; effecta differunt spatio intra quod absolvuntur, illic brevi, hic longo.

Experimentum unicum spectans diversas ignis & temporis operationes.

295. Quædam ignem passa prius mollescunt, deinde indurescunt, ut mica panis; quædam indurat ignis, postea emollit, ut crustam panis, biscoctum, sweetmeats, sal, &c. Ratio est, quod in iis quæ tempore indurantur, operatio ignis quædam liquefactionis species est. In iis vero quæ tempore molliuntur, ignis operatio species quædam coctionis est, omniaque per ignem excocta tempus aliquo modo dissolvit.

Experimentum unicum spectans motum ex imitatione.

296. Motus de corpore in corpus migrant non tam per imaginationem excitati, quam invitati, præsertim imprimis inclinatione & habilitate. Sic oris diductio, distentio, oscitatio, de corpore in corpus transeunt, ortæ ex spirituum tarditate, quos vapor gravat, aut simile quiddam, certantque excutere agilitatis suæ impedimentum. Sic somnolentus, quique in febris paroxysmo oscitare, seseque extendere solet, emissa etiam voce ac sono post expulsionem, interjecto, alterque eodem modo dispositus ex conspectu ad imitationem invitatur, ut ex uno in alium tradux est risus.

Experimentum unicum spectans morbos contagiosos.

297. Morbi alii transitione nocent, alii non; illi præcipue spiritus aggrediuntur, neq; tantopere in humoribus sedem habent, unde de corpore in corpus transmittuntur, ut morbi pestiferi, lippitudines, ac simi-

ac similes. Secundo, quoque inficiunt animam cum manifesta migratione de corpore in corpus, neque enim visum fugiunt, ut qui spiritus afficiunt. In hoc genere est tabes pulmonum, &c. Tertio, & in cutem penetrant, in qua se exerunt, translato in aërem contagio, adjacensve corpus; præsertim quorum pinguiuscula, neq; facile dissipabilis substantia est, ut scabies, lepra. Quarto, qui massam humorum obsident, non spiritibus animæ, exhalationibusve inhærentes, qui non nisi contactu nocet. & quidem tali, qualis Epidermidi proprius est. Tales, venenum, morbus Gallicus, & morsus canis rabidi.

Experimentum unicum spectans incorporationem pulverum & liquorum.

298. Pulveres plerosque arctius cohærere videas, admixtâ aquâ quam oleo, licet hoc sit corpus crassius, ut farina, &c. ratio est ex corporum convenientia, quæ quo major, perfectiorem imbibitionem & incorruptionem facit. Atque hæc in plerisque pulveribus major intercedit cum aqua quam cum oleo: colores tamen pictorum & cineres melius incorporantur cum oleo.

Experimentum unicum spectans exercitium corporis.

299. Frequens motus & exercitium quibusdam corporis conducit, aliis quies vel motus lenior. Corpori calido quodque humoribus non redundat, nimia agitatio noxam conciliat; in eoq; errant Medici, quod homines tali corporis habitu ad exercitia hortentur, ipsis damno futura, strictiore diæta viventibus. Sed crebrescentibus exercitiis plenior respondeat victus; parcioribus in pastu tale sit & exercitium; cujus hæc commoda: Primum, quod nutrimentum ad partes alendas magis transmittat, deinde per sudores facilitet excretionem unde perfectior in partibus assimilatio; tertium quod corpus reddat solidius compactiusque, minusque deprædantibus spiritibus obnoxium. Contraria mala sunt, quod spiritus incendat, faciat prædatorios, quod absorbeat attenuetque nimis humiditatem corporis, quod interiora nimis concutiat, violentum præsertim, quæ magis quiete gaudent. In genere, exercitium si sit nimium, prolongationi vitæ adversatur; unde fœminæ viris vivaciores, quia minus moventur.

Experimentum unicum spectans cibos qui satietatem inducunt.

300. Quibusdam alimentis sæpe & diu uti licet sine fastidio, ut pane, carne non pingui, aut putida, &c. Quidam, licet grati, fastidium accelerant, ut dulces cibi pinguesque, &c. Ratio est, quia orexin ciet inantium ventriculi os aut astringens, utpote frigidum & siccum. Sed dulcia & pinguia magis saturant, circaque os ventriculi magis hærent fluctuantque, neque tam citò descendunt, & in choleram facilius mutantur, quæ calida est, & orexin semper tollit. Altera fastidii causa est in usu crebro, cũ appetitus novis excitetur, ideoque cibi nimium frequenti nauseam pariunt. Si quis porro causas dare velit, satietatis, suavitatis, novitatis, neque distinguere modo cibos & potus, sed & motus, amores, consortia, voluptates, studia, quibus ex consuetudine allubescimus, aut quæ aversamur, inquisitionis campum ingrederetur amplissimum. Sed quoad cibos, causa est attractatio, quæ celerior est, magisque excitatur versus nova, quam ea, quorum ex prævio usu superstes sapor quasi palati arbitrio nõdum evanuit. Atque in genere hæc ratio est, quod consuetudo gratiam conciliet iis, quæ in principio ingrata fuerunt, & contra; sed sub initium usus blandientia subitaneam pariunt nauseam.

Finis Centuriæ Tertiæ Historiæ Naturalis.

FRANCISCI BACONI
DE VERULAMIO

NATVRALIS PHILOSOPHIÆ

CENTURIA QUARTA.

Experimenta varia spectantia clarificationem liquorum, atque ejusdem accelerationem.

USitatum operanti natura tempus prævertere artificio in accelerandis ejusdem effectis, inter mirabilia Naturæ merito referendum. Quin & post materiæ ex nihilo creationem secundo ad divinitatem loco accedit illa temporis quasi in antecessum retractio. Ad excitienda igitur hæc penetralia nostra inquisitionis labor progreditur; seposita alium in locum acceleratione germinationis, cui generalem de Plantis tractatum reservamus. Nunc in aliis occupatus accelerationes exequemur.

301. Plurimos liquores permeantes toto corpore fæces exhibent primo turbidos, ut mustum, cerevisiam non satis excoctam vel cerevisiæ chylum, expressos fruticum herbarumque succos, &c. Aquæ temporis tractu ubi subsederint, clarescere eos patiuntur. Efficere autem id solito citius, ex iis est, quæ suo se momento maxime commendant. Admotis enim stimulis naturam impellimus, in cujus sic ordinem involamus, eum pervertentes. Habet illa quoque res usum optimum in potu; potabiliumque & condimentorum apparatu festino, aliisq; eodem pertinentibus. Sed causas clarificationis productrices præmittere oportet cognoscendis auxiliis eam promoventibus. Primam, causam separatio præbet, qua crassiusculæ liquoris partes à tenuioribus secernuntur. Secundam, æqualis spirituum in liquoribus distributio cum partibus tangibilibus; quæ & ipsa per se quoque repræsentandis valet corporibus non turbidis. Tertiam, ipsorum spirituum attenuatio, unde liquori pelluciditas conciliatur.

302. Separationem pondus perficit, ut in obvio liquorum sedimento conspicimus, calor, motus; præcipitatio aut sublimatio, (id est, variarum partium sursum deorsumque propulsio; quædam attractionis species) adhæsio, ut cum corpus viscosius liquori commixtum agitatur, quod postea separatum contrahit crassiores partes; denique percolatio.

303. Æqualis spirituum distributio est à modico calore, & motu (tempus non exprimitur, cui anticipando hæc opera datur) alteriusque corporis mixtura, quod virtutem habeat aperiendi liquorem, spiritusque ad permeandum habiles reddat.

304. Spirituum attenuationem peragit calor quoque, motus, corpusque admixtum attenuandi

facultate præditum. Nunc autem post explicatas causas ut in universum instituendæ clarificationis acceleratio procedat, ad has instantias experimentaque attendendum.

305. Obvium est, per derivationem liberare vinum aut cerevisiam à fæcibus, ut celerius nanciscantur clarorem. Fæces enim, utut conservandis potus viribus arcendæque diutius corruptelæ valeant, tamen spissum quid pariter egerunt. Atque hæc instantia cum separatione facit.

306. Non inutile contra arbitror tentamentum, quid conferant fæces liquori non suo induræ; quæ quamvis in genere turbant liquores, spiritus tamē attenuant. Geminum ergo vas sume recenti cerevisia impletum, derivatasque ex altero fæces alteri infunde, observaturus quid notabile ostendat hæc operatio. Totū ad spiritus attenuādos spectat.

307. Cerevisiæ recenti modicam veteris quantitatem admisce, & attende num maturetur clarificatio aperto cerevisiæ corpore, dissectisque, quæ crassiores sunt, partibus, ut fæcibus aggregentur. Separationis hæc instantia est.

308. Quo diutius byne aut herbæ, aut simile quid corpori liquoris infunditur, eo magis crassescere turbidumque existere solet. Decoctio autem quo longior, eo plus defæcando valet. Atque in aperto ratio est, quæ dictat, plus crassi corporis liquori admisceri, quo infusio longius protrahitur. Decoctio autem à tempore longiore habet, ut expurget superficiem, aut fæculenta ad fundum dejiciat: quare exactissima clarificationis ratio est, primo infundere, deinde infusum decoquere, ut in cerevisia fieri solet, cui ante inditur brasium, quod post cum lupulo decoquitur. Hoc ad separationem pertinet.

309. Circumpone favillas ignitas lagenæ cerevisia recenti plenæ ea altitudine quæ collum attingat, utque nihil effluat, accurate obturetur: renovatis per singulos dies favillis usque ad decem, insta eidem operi; quo absoluto confer eam cum altera lagena ejusdem cerevisiæ: præterea sume calcem vivam atque exstinctam, cui lagena, ut ante, imponatur. Spectant hæc & ad distribuendos æquali portione & attenuandos calore spiritus.

310. Contentum lagenis liquorem crebris agitationibus sursum deorsumq; impelle, aut illas per asperum & inæquale solum vehiculo deferendas cura quot diebus bis; sed cave ad summum orificiū repletis desit ventilando aëri spatium. Liquor enim si proxime epistomium attingat, libero cursu recursuque caret; quem probe in omnes partes agitatum diffunde in lagenam aliam, arcte more solito clausam. Multum enim aeris inhærentis pallorem potui conciliat, efficitque ne undiq; probum & æquale sedimentum sit. Lagenam sic 24. horarū spatio habitam denuo transfunde in aliam quæ aëre non careat, ut ante, rursus in aliam quæ sit obturata, ut dictum. Ad hanc normam septem diebus repetitū opus continua: sed festinandum est, ne transfusio tardior pallescere potum faciat. Sine illa quoque exploretur cum modico infra lagenæ collum aere. Æqualis distributio spirituumque per motum attenuatio hanc sibi vindicat instantiam.

311. Percolatio interna & externa (quæ separationem attingit) tentetur clarificationis experimēto per adhæsionem, ubi lac cerevisiē recenti infunditur, cumque ea agitatur; fortassis enim crassiores partes lacti adhærescent. Sed difficultas est, num lac separationem admittat, quod facili tentamento possit innotescere. Clarificationi potus Hypocratici infusum lac adhibetur; mox secretione facta, lacti aggregantur crassiora, ut alibi dictum. Hic clarificandi per percolationem modus promovetur, ubi transvasanda recens cerevisia, admoto colo, pro cujus majori minorive tenuitate existit clarioris varietas.

Experimenta varia spectantia maturationem ejusdemque accelerationem, primo quoad potum, deinde quoad fructus.

Progredimur ad plenam inquisitionem maturationis accelerandæ, quæ pro triplici objecto triplex, maturatio scilicet fructuum, potus, ulcerum atque apostematum. Ultima hæc species aliò nunc à me rejicitur, ubi experimentis medicis immorabimur. Sunt & plures maturationes, ut metallorum, &c. quarum descriptiones defungemur prout se res dabit & materiæ contextus. Nunc auspicari libet à potus maturatione ob affinitatem cum eo, quem egressi sumus, de clarificandis liquoribus tractatu.

312. Maturatio potus perficitur congregatione spirituum, ubi crassiores partes perfectius digeruntur. Constat hæc isdem cum clarificatione (de qua ante) adjumentis: sed notandum, per ultimos clarificationis conatus reddi spiritus tam leves, ut torpeant, potusque flaccescat, qui modice efflorescere debeat. Hinc potus ex ambra velut emoriens propinatur.

313. Gradus maturationis conspicere licet in musto, vino potui apto, aceto. Inter ea mustum cōgregatos probe spiritus non habet, vinum bene unitos obtinet, ita ut partes magis oleosas reddant; Omphacium habet congregatos quidem, sed magis jejunos minorisque quantitate, tenuissimis maximam partem exhalando dissipatis. Videmus enim acetum parari cum vasculum vinarium Soli calido exponitur, neque comburitur illud, quod partes ex tenuioribus plurimas exhauserit disjeceritque exhalatio.

314. Potus flaccescendo mortuus revjviscit, ac mucorem deponit si vegetentur corroborenturq; motu spiritus. Sic aer sudus laxat spiritus motuque vegetiores reddit. Cerevisiæ quoque recentis in lagenas transfusio (adeo ut remoto operculo emicet) potum exhibet vividiorem, eumque flatibus implet; ebullitionique iterandæ conducit patella carbonibus instructa & in cella collocata. Recens potus fugienti mixtus fermentationem provocat; ut & recens cocta cerevisia (si verum narratur) veteri apposita novam operatur ebullitionem. Neq; inutile fore autumem admiscere unde mobiliores validioresque evadant spiritus, ut si lagenis inseratur nitrum, calx, limus, &c. Constat cremorem maturari, celeriusque ascendere ad impositæ frigidæ contactum virtualem, unde serum deprimi videtur.

315. Usu comprobatum est, si lagenas repletas probeq; obturatas quis defodiat sub terra sicca ad aliquot temporis spatium, aut in putei fundum demittat, aut (quod cæteris præstat) suspensas habeat paulo supra aquam putei profundioris per duas septimanas, vigore invalescere potum. Frigus enim non æque ut calor, causatur spirituum exhalationem, quanquam reliquias rarefaciat, sed vegetos facit,

facit, eosque irritando perfectius omnibus liquidi partibus incorporat.

316. Fructuum maturatio fit evocatis ad externas corporis partes spiritibus, & sic æqualiter in transitu dispersis: accedit & nonnulla crassiorum digestio à calore, motu, attractione, putrefactionisque rudimentis, cujus initium maturationis instar habet.

317. Poma inseruntur aliquando stramini, fœno, floribus, calci, limo; cæpis teguntur aut pomis austeris, ceræ, pyxidive includuntur, &c. suspenditur & pomum in fumo. Omnia hæc experimenta eventum nacta sunt hujusmodi.

318. Elapso mensis spatio, pomum cera coopertum integram servaverat viriditatem suam & vigorem, sed granis albicantibus; ratio est, quia aëris aperti exclusio (qui semper prædatorius) arcet omnia quæ in corpore humorem vigoremque depascunt. Sed incommodum est ex eo, quod sapor ceræ, gustum vitiet. Pomum granatum (ut ego quidem sentio) aut consimilis duro crassoque cortice fructus, huic periculo minime obnoxia fuerint.

319. Pomum infumatum referebat pomum mite, vetustum, rugosum, siccum, molle, dulce, interius flavescens; ratio est, quia ejusmodi calor non liquefaciens aut torrens (videmus enim uti intensior calor poma tosta sic faciat emollescere ut & liquescant, nec non pyra illa, quæ in quatuor partes divisa subjecto aduruntur igne, carbonem tostæ ambito pelliculę referant) maturitatem promovet nec adurit: fumus quoque quasi fuligine vestit, quæ maturationi conducit: pyra itidem & pruna furno exsiccanda subinde ab emisso sudore remota, non disparis operationis argumentum habent, licet intensiorem caloris vim.

320. Poma limo cineribusque immersa plenæ erant maturitatis, ut persaudebat flavedo suaviter allubescēs; ratio est, quia is caloris gradus limo aut cineri insitus (utpote æqualitate constans) inter omnes proxime ad genuinum accedit, cum nec liquefaciat nec arefaciat, quæ maxime vera maturatio. *Notandum*, hæc poma fuisse grati saporis; experimento facili & ad usum accommodatissimo.

321. Mala, austeris abdita pomis & cœpis, probe maturuerant. Neque calori adscribendus iste effectus, sed spiritibus, integrum corpus æquali ex distributione permeantibus, duritiemq; tollentibus, dum poma austera & cœpæ eos provocant. Sic pomum ex pomo maturitatem contrahit, pomaque conficiendo citro cumulatim confunduntur; uvaque contacta ducit ab uva maturitatem festinatam; botrus contra botrum citius maturescit.

322. Illa fœno stramentove imposita inferiorem cæteris obtinebant maturitatis gradum, quam completiorem nanciscuntur mala stramento subdita; quia fœnum aut stramen continent minimum caloris gradum, sed arctius clausi lenisque, minimeque ad exsiccationem operantis.

323. Pyxidi inclusa ad maturitatem perducta erant, quia aëri intra claustra hærenti inest calor, uti patet in lana, pellibus, holoserico, &c. Advertendum singula in totidem experimentis poma, cum alio ejusdem generis separatim habito, comparata, hujus respectu, dulcedinem, flavedinemque habuisse potiorem, atque adeo maturitate præcelluisse.

324. Malum aut pyrum similemve fructum ex validiori in mensa volutatione, constat vulgaris experimenti fide, emollescere, protinusque dulcescere, leniter solummodo in partes distributis spiritibus, quorum inæqualis distributio procreat austeritatem, sed dura volutatio medium est inter concoctionem simplicemque mutationem. Quare probabilitatem non excesserit, leni volutatione forte bis de die sic per septiduum continuata maturitatem conciliari per incrementa naturæ maxime æmula.

325. Ex ambiente malum cuticula rescinde particulam, mox reconde, ut experiaris quid ad maturationem festinam faciat illa continui solutio, cum atrosus à vespa, musca aut verme botrus, aliudve pomum citius dulcescat.

326. Compunctum undique cuspide, foraminibus non alte impressis, malum leviter inunge Hispanico vino, aqua cinnamomi, spiritu vini per singulos dies usque ad decem, probaturus num cruditatem sic exuere possit admoto, quem vini & aquarum fortium virtus gerit, calore.

Quod in præcedentibus experimentis actum, in hisce quoque repetendum, ut adhibitio simili pomo per comparationem exploretur flavedinis & dulcedinis disparitas.

Experimentum unicum spectans confectionem auri.

Turpiter hactenus mundo illusit conficiendi auri spes, quam ego vanam non esse nec humanæ facultatis angustias excedere statuo. Sed media istâ effecto destinata, fallaciis & erroribus, quoad praxin, laborant, & conceptibus nihil sani complexis, quoad Theoriam. Quod enim natura dicitur intendere omnium metallorum in aurum conversionē, neq; aberraturam à scopo si vinculis & impedimētis liberetur; atq; metalla expurgatis cruditatibus, impuritatibus, ablataque scabritie in aurum abitura, modicamq; Medicinæ quantitatem vilibus metallis injectam sufficere mutandis magno numero in aurum & multiplicandis, mera sunt somnia; quibus consona sunt reliqua Alchymiæ fundamenta. Ut speciose adornetur hęc fabula, Alchymistę plurimas ex Astrologia vanitates in auxilium advocant, aliasque ex naturali magia subsidiarias habent, ex superstitiosis scripturæ interpretationibus, auricularibus traditionibus, confictisque veterum testimoniis, & aliis ad hunc modum. Contra, negari non potest deberi ipsis haud pauca bonę frugis experimenta, & mundi quandam instaurationem. Nos vero de corporum transmutationibus acturi experimentisq; metalla spectantibus, veras & naturæ tritas vias, certoque ducentia vestigia monstrabimus, unde tam insigni operi lux affulgeat. Laudamus Chinensium industriam, qui desperata auri confectione in argento parando desudant, ad insaniam usque seduli. Prius enim illud, ponderosissimum utique, interque metalla maxime materiatum, molestias habet non facile explicandas, quales in aliis, pondus & materiam auri minime æquantibus; leviorisque operæ fuerit ex plumbo aut Mercurio argentum parare, pondus tamen argenti excedentibus, ut potius maior fixationis gradus, quam ulla requiratur condensatio. Interim dū in axiomata maturationem spectantia incidimus, experimentū dabimus maturandis metallis cōmutationis ratione, qua ex iis nonnulla in aurū abeant. Sic enim mihi persuadeo, rite percocta, digesta, & ma-

& maturata si fuerint metalla, producendi auri expeditos pateſcere tramites. Atque hic ſuccurrit, innotuiſſe mihi Germanum, quem jactata auri parandi ſcientia arctius præclaro viro & interiori familiaritate conjunxerat. Illius ſermonibus interfui, cum diceret tale quid fieri poſſe, ſed vulgares Alchymiſtas perdere conatus ſuos nimis intenſo igne. Auri enim, inquit, confectio, calorem requirit juſte temperatum, utpote ſubterraneum naturæ opus, in quod modicus calor emanat, ſed magis ad normam exactus, quam in aliis metallis. Itaq; ſe effecturum illud uſu magnæ lampadis, cujus caſtigatus & æqualis eſſet calor, futurum aliquot menſium opus. Commentum lampadis ſapit ſtultitiam, ſed quod de calore nimis vehementi, totius molitionis clade, de eo ad æqualitatem redigendo, juſtoque temporis ſpatio, non prorſus rejectaneum eſt.

Regredimur ergo ad noſtra de maturatione axiomata ante à nobis deſignata. Primum ſit, ut calor intra moderamen adhibeatur, qui demum ille eſt, ad digeſtionem plenamque percoctionem ſufficiens. Caloris tamen temperies legitima æſtimatur ex eo, quod naturæ ſubjecti accommodetur, cum fructibus & liquidis congruis, in metallis habeatur inefficax. Secundum, ut ſpiritus metalli vegetentur, parteſq; tangibiles aperiantur; ſine hiſce enim duobus adminiculis quicquid in ſpiritus metallicos conaberis, erit inutile digeſtioni partium. Tertium, ut æqualiter ſe diſpergant ſpiritus, nec moveantur ſubſultorie, quod partes arctè clauſas & flexibiles reddet. Hic calor requiritur, non intēſione remiſſioneq; varius, ſed quantum fieri poſſit, continue æqualis. Quartum, ne qua ſpiritibus trāſitus pateat, qui detinendi, cum illis emiſſis corpus durum aſperumq; evadat. Illud efficiet temperatus ignis & accurata vaſis clauſio. Quintum, ut legantur convenientiſſima ad tranſmutationem metalla optimeque præparata, unde opus facilitabitur. Sextum, ut juſtum temporis ſpatium operationi concedatur; non ut ſpes prolongetur (more Alchymiſtis uſitato) ſed ut determinato convenienter intervallo natura ſe explicet. Principia hæc certiſſima & veriſſima ſunt, ex quibus nunc derivanda experimenti norma, quod fortaſſis longior improbet re editatio.

327. Anguſta paretur fornax, temperatuſque excitetur calor, & quidem talis, ut metallum perpetuò liquefactum conſervet, non vehementior; quod ad rem vel maxime facit. Materia ſit argentum, metallum maxime cum auro ſymbolizans, cum eo quoque decima Mercurii vivi pars imponatur, duodecima nitri juſto pondere, quæ vegetando, corpuſque metalli aperiendo ſerviunt. Operatio per ſex menſes ad minimum continuetur. Velim & oleoſas quandoque injici ſubſtantias, quales adhibentur recuperando auro, tormentis ſeparationum exaſperato; in eum finem, ut partes arctius lævioſque diſponantur, magnum inſtituti momentum. Aurum enim, ut conſtat, compactiſſimum omniumque metallorum ponderatiſſimum eſt, maximeque flexibile, & extenſibile. *Nota*, nemini ſperandum ut ex Mercurio vivo aurum conficiat, eo quod pondere valeat; nam Mercurius nullo modo exploratricibus flammis reſiſtendo par eſt; ſecundum ab argento locum æs, meo judicio, mereatur, materia ad prioris aptitudinem proxime accedens.

Experimentum unicum ſpectans naturam auri.

328. Haſce auro prærogativas indulſit natura, quod maximi ſit ponderis, partibus arcte clauſis, gaudens fixatione, flexibilitate aut mollitie, rubigine carens, colore & tinctura flava. Quare tutiſſima auri parandi (ſed longis implicata ambagibus) ratio eſt, ut eruendis in apertam cognitionem cauſis vigilet circumlata per naturas ante dictas attentio, teneanturque axiomata eas concernentia. Si quis enim metallum conſimile prius nominato, producere poſſit, ambigant aurumne ſit, nec ne.

Experimenta varia ſpectantia productionem atque acceleration em putrefactionis.

Evincere maturandæ putrefactionis moras, habet aliquid univerſali latiſſimeque diffuſa inquiſitione digniſſimum, cum ex adverſo reſpondeat generationi corruptio, ſuntque illa duo velut circumſcribentes operantem naturam terminii, quibuſque totam ſe includat, confinia; geminus ad vitam mortemque manuduca. Putrefactio, eſt actio ſpirituum, qui è corpore abitum tentant, ut in aërem diſperſi libero fruantur Sole. Ille ad aëris corpus congregandorum ſpirituum conatus (qui egreſſus gradum facit) quinque habet diverſi effectus argumenta. Si detentos in corpore ſpiritus vehementior ſollicitet motus, colliquatio conſequitur, ut in metallis, &c. ſi lenior, digeſtio aut maturatio, ut in potu & fructibus. Si non plane detineantur ſpiritus, verum modice protrudantur motu confuſo & inordinato, exiſtit putrefactio, cujus eſt inæqualiter admodum ſolvere corporis conſiſtentiam, uti in carne, pomis corruptis, ligno ſplendido, &c. nec non metallorum rubigine apparet: motus autem ille ſi certo ordine procedat, vivificatio eſt & figuratio, ut docent animata ex putredine genita, & quæ iſtius generis perfectiora ſunt. Si abituri entibus ſpiritibus egreſſus pateat, ſequitur exſiccatio, induratio, conſumptio, &c. ut oſtendunt lateres, evaporatio corporis liquidi.

329. Adjumenta, putrefactionis cauſas continentia, eique celeritatem conciliantia, ſunt quę ſequentium contextus enarrat. Primum ſi crudus vel aquoſus humor addatur, teſte humectatione cujuſlibet carnis, pomi, ligni in aqua, &c. cum debeatur unctiuſculis oleoſiſque conſervatio.

330. Secundum eſt, invitatio excitatioque, ut ſi pomum corruptum integro applicetur; aut fimus (ſubſtantia totalem putrefactionem paſſa) aliis addatur corporibus. Hujus rei indicium manifeſtum præbent cęmiteria, in quibus quotidie fiunt ſepulturæ, ubi terra cadaver aliquod recens impoſitum conſumit longe citius, quam terra pura.

331. Tertium, eſt arctior compreſſio ſpirituum, quæ eos vehementius intra carcerem cogit quam ferant; unde irritatio & fugæ molitio, velut in frumento & veſtimentis quæ ſitum contraxerunt, & ventilante perflanteq; aëre conſervari ſolent. Latius ejus rei documentum prębent febres, plerumque ex obſtructionibus conſtipatiſque & putrefactionem cauſantibus humoribus oriri ſolitæ.

332. Quartum eſt, ſolutio continui, ut videmus in malis, quæ diſciſſa aut perforata celeriorem experiuntur corruptionem, nec non lignum, &c. caro quoque animata ex inflicto alicubi vulnere.

333. Quin-

333. Quintum, exhalatio aut disjectio præcipuorum spirituum, qui in corpore verum consistentiæ retinaculum. Turbato per dissolutionem regimine eorum, pars quælibet homogeneis aggreganda in suam secedit sphæram. Sic urina & sanguis refrigerata dissolvuntur. Qualis effectus se prodit quoque in gangræna aut mortificatione carnis ex opiatis, quamque intensum frigus procreat. Neque aliud de pestilentia statuo, ubi malignitas vaporis contagiosi principales spiritus sub sultu quosdam exagitat, propellitque ut imperio exuat: tunc humores, caro, & secundarii spiritus dissolvuntur & franguntur, ut fit in Anarchia.

334. Sextum, si extraneus spiritus, domestico corporis spiritu acrior, subingrediatur, ut in serpentinis aculeis. Ratio generalis hæc est, quod venenum qualecunque creet tumorem, qui itidem generatur ex coëuntibus nimium spiritibus, ut in plagis collisionibusque, aut si constipentur nimiũ, ut in tumore ex frigore, spiritus quoque ex putrefactione in febribus orti, &c. qui extranei, licet intra corpus nati, extinguunt suffocantque naturales spiritus & calorem.

335. Septimum, debilis adeo caloris gradus, ut spiritus modice moveantur, nequeatque vel partes digerere, vel spiritus expellere; uti patet in carne loco non frigido conservata, cum in carnario frigido & humido diutius asserventur. Constat quoque vivificationem (ad quam se habet putrefactio ut spurius frater) esse à placido calore, ut probat exclusio ovorum, calor matricis, &c.

326. Octavum, laxatio spirituum, quos antea receptaculi soliditas constipaverat, refrœnato egrediendi appetitu, ut in artificiali rubigine per aquas fortes, ferro, plumbo, &c. Ideo humectatio rubiginem accelerat, aut putrefactionem cujuslibet corporis, emollita, spiritibusque abiturientibus viam dante crustula.

337. Nonum, vicissitudo caloris aut frigoris, humidi aut sicci, ut in [*mouldring*] friatione terræ, minimasque in particulas dissolutione, in gelu & Sole; in ligni celeriori corruptione, si per vices humectetur exsicceturque.

138. Decimum, est tempus & operatio processusque spirituum, statione sua dejectorum, præsertim sibi ipsis relictorum sine ulla agitatione aut motu locali, ut in frumento minime ventilato, humanisque corporibus exercitatione destitutis.

339. Omnis [*moulds*] mucor rudimentum putrefactionis existit, ut mucor in artocreis, malis aurantiis, citriisque, qui lapsu temporis in vermes abit, magisve fastidiose putrescit; unde plerumque fœtorem edunt. Si corpus liquidum sit, nec quod facile totum putrefactio pervadit, in superficiem fœces egerit, uti conspicimus in fœcibus destillatarum aquarum.

340. [*mosse*] Muscus quædam mucoris species in terra aut arboribus videtur, sed magis ex vero rudimentum germinationis habeatur, quo eum referimus.

Experimenta varia spectantia prohibitionem & anticipationem putrefactionis.

Usum habent inquisitione dignissimum ea, quibus arcetur putrefactio, corporumq; integritatem tuemur, quæ gemino dissolutionis periculo obnoxia, desiccationis scilicet, consumptionisve, & putrefactionis. Hæc autem in corporibus humanis aliisque viventibus (per febres, vermes, phthises pulmonum, apostemata, ulcera tam interna, quam externa) maxima sui parte Medicorum & Chirurgorum libros occupat. Quare istam indaginem constituentia peculiari delegamus titulo, qui per medica omnis generis experimenta evagabitur. Cæteris hunc locum assignamus, quibus præcedẽtia facem allucere possunt, ubi de acceleranda per artificium putrefactione egimus. Remotis enim putrefactionem causantibus, ipsa excluditur.

341. Primum quod putrefactionem arcet, frigus est, cum diutius incorrupta perstent cibaria, & potius hiberno quam æstivo tempore. Flores quoque & fructus in nivium conservatoriis vigorem servant illibatum; detentis scilicet spiritibus partibusque tangibilibus constipatis.

342. Secundum, astrictio, quæ dissolutioni resistit, cum in universum ex medicamentis astringentia putrefactionem arceant. Eadem astrictionis ratio efficit, ut exiguum olei vitrioli quantum, aquam prohibeat putrescere. Ista astrictio substantiæ inhæret, cujus virtuale frigus est, quæque fere eodem, ut frigida, modo operatur.

343. Tertium, exclusio aëris, ejusdemq; admissio, quæ, naturæ licet in diversum tendentis, ejusdem tamen effecti (ut sæpius usu venit) causa sunt, ex conditione subjectæ materiæ. Sic vinum aut cerevisa ex lagenis accurate clausis durabilitatẽ quãdam nanciscuntur. Horrea subterranea frumentũ diutius cõservant quam superterranea. Fructus ceræ inclusi virorem non admittunt, corpora melli aut farinæ immersa, vegeta perstant, liquoresque potus & succi, oleo superficiei illorum superfuso, retentes esse non desinunt. Cõtra, vestimentis aëri non expositis, tineæ innascuntur & mucescunt. Ratio diversitatis est, quod exclusio aëris, ubi spirituũ detentione opus, corporibus tribuit ut integra maneant, quod potus & frumentum comprobat; ubi vero spirituum emissio requiritur egerendo humori qui superfluus est, noxam sentiunt, quæ necesse habent corpora ut aëri exponantur.

344. Quartum, motus & agitatio putrefactioni adversaria, quæ requiem exigit. Subtilis enim & non perceptibilis motus, putrefactionis efficiens, turbatur agitatione, motusque localis corpora eorumque partes integra tuetur. Sic horreum, ubi ventilatur frumentum, aut devolvitur, velut in clepsydra ex loco superiore in inferiorem incommoda primę dulcedinis prohibet. Aqua profluens putrefactione caret; quam & corpus humanum relegat frequentatis exercitiis. Contra, quies, motus defectus, aut obstructiones (ad quos obices sistitur humorum fluxus, motusque perspirationis) putrefactionem promovent, uti paulo ante partim indicavimus.

345. Quintum, exhalatio adventitii in corporibus humoris. Cum enim humectatio putrefactionem accelerat, justa & conveniens exsiccatio (humori scilicet radicali coërcendo) excludit putrefactionem, ut in herbis & floribus; qui si in umbra exsiccentur aut insolentur parvo temporis spatio, optime asservantur. Emissio quippe laxi & adventitii humoris radicalem prodit, secumque in consortio avehit.

346. Sextum, corroboratio spirituum in corpore: nam ut magnus calor putrefactioni corporum resistit,

resistit, lentusque calor eidem magis reddit obnoxia; sic & spiritus robore pollens præservat, debilis & languidus corruptionis viam sternit. Salsæ quoq; aquæ diutius quam dulcis arcetur corruptio; & ostrea sale conspersa, cibique aromatum ope longius putrefactionem excludunt. Tentari posset, num idem esset effectus calce aquis aut potui indita, diutiusque amoveretur acor. Cerevisia melioris notæ tenuem durabilitate anteit, & quicquid calidum aut aromaticum, in conservatione liquidorum ac pulverum, usum habet non exiguum, &c. tam quod corroborent spiritus, quam quod superfluos humores eliquari patiantur.

347. Septimum, separatio crudarum partium corpus reddens lævius: mixtionis enim imperfectio ostentat putrefactionis metuendæ noxam, in quam aquosis major quam oleosis proclivitas est. Aquæ enim destillatæ magis durant quam crudæ, quæque ignem passæ sunt, aliis durabiliora, ut pyra siccata, &c.

348. Octavum; continua partis putrescētis protractio, quæ laxus plerumq; & aqueus est humor: neq; ratio tantum prædicta hoc flagitat, quod radicalem simul provocet asportetque humorem, sed quia non evacuatus, partis quam occupavit, contagio reliquas inficit; ut ostendit corporum per balsama conservatio; cujus par ratio est in fructibus, herbis, floribus sub furfure aut farina conditis.

349. Nonum est, mixtura rei oleosæ aut dulcis, cujus naturæ quæ sunt, non ita ad putrefactionem inclinant, atque parum aëri in illa licet, quæ incorrupta, aliis ut sint talia, in causa sunt. Sic syrupi & unguenta succis duratione prævalent.

350. Decimum, mixtura corporis alicujus sicci, quia putrefactio à spiritibus incipit, deinde ab humore; siccum vero à putrefactione liberum. Sic fumus conservat carnem, ut constat ex pernis, linguis vaccinis, bubula infumata.

351. Fuit hæc quorundam apud veteres sententia, conservationem corporum in aëre perflabili diuturniorem esse quam illa in aëre non tali. Nihil præter probabilitatem statuisse mihi videntur, quia aer, vento pervius, si superoneretur comprimaturque, exhalationi pene omni ingressum præcludit, quam potius repellit. Periculum factum in vesica flatu distenta, cui caro prius fuerit imposita; nec nō flore; sed fallente eventu, quia vesicæ siccæ inflari negant, recentes putrefactionem juvant. Tentandum illud fuerit flatu per folles vehementius in dolium impulso, cui ante inserantur quæ conservationi indigeant, ut quo momento extrahuntur folles, orificium arcte claudatur.

Experimentum unicum spectans lignum lucidum in obscuro.

352. Experimento ligni in tenebris lucidi rite excutiendo operam sane non levem dedimus; eoque libentius, quod maxima, præ cæteris apud nos lucem emittentibus, durabilitate valeat cum motu vix ad sensum deprehensibili Ignis & flammæ continua consumptio est. Saccharum solummodo dum raditur, splendet, aqua marina dum colliditur, noctilucæ dum vivunt, aut paulo post, squammæ piscium duntaxat putrescentes ejusdem videntur esse naturæ cum ligno splendente. Neque ignoramus, inesse omni putrefactioni motum internum, non secus ac igni, aut lumini. Tentamenti istius eventum talem sensit diligens attentio. 1. Lux quibusdam ex partibus vegetior emergit, ex aliis, dilutior, sed maxima noctilucæ splendorem non adæquat. 2. Ligna de se luculam spargentia sunt salices, fraxinus & corylus. Forte & in aliis idem deprehendatur. 3. Radices & corpora splendent; sed ut radicibus prærogativa sit luminis. 4. Color partis lucidæ alibi interdiu albicat, alibi subrubet, ut agrestes id appellant. 5. Particula scintillās est mollior atque ad tactum humida, aliæ solidiores, ut figura crucis aut tesseræ exsculpi inde possit. Sed imaginem non reddet nec simile quid repræsentabitur sic lucido in corpore, neque aliud effigiatum in ferro candenti occurret, confusis lucidi & tenebricosi confiniis quæ figuram exhibent. 6. Pars lucida resecta fuit usque ad eam in qua terminabatur splendor, sed bidui spatio rori exposita pars lucidæ proxima, lumine refulsit, ut dispersione propagari videatur putrefactio. 7. Aliud ejusdem generis lignum emortuum neq; insitæ quicquam lucis evibrans una nox pari splēdore perfudit sub dio locatum. 8. Aliud insuper in promptu erat lignū, quod prius emicabat, deinde in ædibus ubi exsiccari cæpit, intra quatuor aut quinque dies radiare desiit, recuperato per aerem, cui exponebatur, splendore. 9. Lignum splendens sicce habitum intra septiduū tenebrescit, in cella aut obscuro loco positum, tuetur lucem. 10. Perforatio talis ligni, deinde publico exposiri, fulgoris adjumentū est; ratio, quia omnis cōtinui solutio putrefactionem promovet, ut ante dictum. 11. Nullum comperti splendoris lignū est, si vivum cedatur, sed quod germinans vitium sentire cæpit in radicibus & caudice. 12. Pars ligni lucentis oleo delibuta servabit, qua effulgebat, lucē per 14. dies. 13. Similis eorum fuit eventus, quæ in aqua macerata sunt, imo multo melior. 14. Nondū explorando eousque penetratū est, quid lucis diuturnitati conferat, singulis noctibus sub dio habere, interdiu inde removere, aquisque aspergere. 15. Aeri expositum, gelu aspero, detrimentum non cepisse docuit experimenti fides. 16. Non exigua radicis portio splendorem emittebat, quæ rescissa, dum ille emoritur; nihilominus post binoctium etiam sicco in loco retenta novo radiavit lumine.

Experimentum unicum spectans acceleratio-nem partus.

353. Acceleratio partus in animantibus duplicem habet respectum; si vel embryoni maturitas & festinata concilietur perfectio, vel ratio aliqua maternis claustris expediendi detur. Primo modo inest aliquid non illaudatum, quod robur testetur: secundus malignus est, & præterea symptoma aut morbum habet causam. Vera ideo antiquorum observatio, partum septimestrem plerumque esse vitalem, sed octimestrem ut plurimū mortualem. Sed fabulosa est, quæ assignatur, ratio, quod scilicet octavus mensis Saturno regni sui periodum inchoet, Planetæ, ex ipsorum figmentis, maligno, septimo autem mense Luna regnet, Planeta bénignior. Sed ex vero datur hæc ratio, si tanto spatio ordinatum tempus anticipet partus, vigori infantis id adscribendum esse, sin minori, maternæ invaletudinis id vitium est.

Experimentum solitarium spectans accelerationem accretionis & staturæ.

354. Staturæ humanæ velocia sunt incrementa vel ex pleniore victu, vel ex natura nutrimenti, vel vegeto magis & excitatiori, quē natura cōfert,

calore

calore. Quoad prius, obest in alimento excessus, utpote corpus distendens potius & in latum, quam longũ, progrediens. Cujus rei in plantis imago est, raro proceritatem nactis, ubi tenellæ in latum exire cœperint. Quoad naturam alimenti, siccius hoc ne esto, quia infantes lacte pasti, in quibus regionibus frequentatur ejus usus, proceritate illos superant, quibus crebrior ex pane & carne nutricatio. Sermone quoq; populari tritum est, bellidis radices elixatas in lacte (quibus insignis exsiccandi facultas est) canes reddere pusillos. Neq; controversiam patitur, sicco nimis alimento inesse staturæ retardationem. Deinde polleat alimentum vi aperiendi, unde succus attenuatur, spiritusque sursum promovẽtur. Neq; caret ratione, quod Xenophon in educandis Persarum infantibus tantopere commendat cardamomi usum, utpote facientis ad incrementum agilioremq; corporis habitum. Cardamomum Latinè nasturtium vocatur, quæ herba cum tenella, est esui grata. Excitatio caloris nativi maxime fit per exercitia, ut proinde in scholis frequentatis sedentaria puerorum vita detrahat accretioni eorum, cum homines agrestes in similia non missi gymnasia plerumq; potiori sint statura. Cavendum rursus ne quid pueris operatione frigidum concedatur. Diuturnus quoque lactatus ingenio obest, perditque corporis habitum. Experimentum docuit, catulos lacte nutritos, cui nitrum inditum, pusillos mansisse, sed admodum vivaces, cum ejus spiritus sit frigidus. Et quamquam adultæ ætati medicamentum suppetat eximium ad curandam vitæ prolongationem, in pueris tamen tenellisque animantibus ponit incrementi obicem, eadem de causa; calor enim est qui accretionem promovet. Sed ubi homo in statæ versatur ætatis meta, calor spiritus depascit, quos frigidior in nitro spiritus condensat & corrigit.

Experimenta varia spectantia sulphur & Mercurium, duo ex Paracelsi principiis.

Duæ magnæ sunt rerum familiæ, variis nominibus designatæ, sulphurea & Mercurialis, appellationes Chymicæ (quod sal, tertium eorum principium, attinet, ex aliis duobus componitur) inflammabilis & contra, matura & cruda, oleosa & aquosa. Constat enim sulphur & Mercurium in subterraneis velut patres esse suarum tribuum. In vegetabilibus & vita præditis aqua & oleum dantur. In ordine inferiori pneumaticorum aër & flamma. In superiori corpus stellæ & æther purus. Hæc paria enim, quamquam primitivæ segregant materiæ differentiæ, in multis tamen videntur consentire; cum Mercurius & sulphur præcipua metallorum materia existat, aqua & oleum vegetabilium & animalium, discreta duntaxat maturatione aut concoctione. Flamma, ex vulgari opinione, est tantum aër accensus, utraque & motus celeritate & facili cessione admodum paria. Atque æther interstellaris (etiamsi vana sit opinio, stellam densiorem orbis sui partem esse) tantam cum stellis habet affinitatem, ut in utriusq; conspiciatur rotatio. Quare ex penitissimis naturæ secretis est, aquam vel aquosum succum vertere in oleum, majorisq; momenti quoad nos, quam illa argenti aut Mercurii vivi in aurum mutatio.

355. Instantiæ dari solitæ, ubi crudæ & aqueæ substantiæ migrant in pinguem & oleosam, quadruplicis sunt generis. Prima consistit in mixtura terræ & aquæ, quæ ope solis confusa nitrosam pinguedinem colligunt, cum excessu ejus quæ in singulis separatim deprehenditur; uti ex eo innotescit, quod plantas proferant, temperato utriusque succo alendas.

356. Secunda in assimilatione alimenti intra Plantarum corpora & animantium, in quibus plantæ simplicem meræ aquæ & terræ succum transdunt in partem justam oleosæ materiæ. Animantia, quamquam maximam pinguedinis & carnis portionem alimenta oleosa constituant, ut cibus & potus, aliquatenus tamen aqueum potum assimilant, &c. Sed gemina hæc versio aquæ in oleum (ex mixtura scilicet atque assimilatione) per varias meatuum per coctionumque ambages, placideque & longo temporis lasu continuatum calorem, absolvitur.

357. Tertia in rudimento putrefactionis, ut in aqua corrupta atque fæcibus aquarum destillatarum; quæ in utraque pinguedinis atque olei quendam gradum obtinent.

358. Quarta in dulcoratione quorundam metallorum, quale Saccharum Saturni, &c.

359. Aquæ in oleosam magis substantiam mutatio fit digestione; nam oleum nihil præter aquam digestam. Atque hæc digestio fit calore, qui aut externus aut internus. Rursum provocatione, aut excitatione posset fieri, quæ admixto corpore oleoso aut digesto fit, quorum natura aliquo sui consortio reliqua complectetur. Digestio quoque efficax redditur directe, cruda assimilando corporibus omnino digestis, ut fit in plantis & animantibus, quorum nutrimentum nutriendis corporibus existit crudius. Sed, ut dictum, longi circuitus hæc digestio est. Fusius persequemur tractatum de gemino isto principio (profundæ in naturalibus speculationis) ubi perventum fuerit ad titulum de versione corporum; contenti nunc exhibito velut specimine. Est & ubi doceri haud negabunt eodem spectantia, capite de primis materiæ congregationibus. Effigiatur hic supremus quidam ordinum cõsessus, legem omnibus corporibus præscribens.

Experimentum unicum spectans Chamaleontas.

360. Chamaleon fere est magnitudine vulgaris lacertæ, capite magnitudini non proportionato, oculis ingentibus. Caput movet immoto collo, flecti nescio, ut porcis contingit. Incurvatur tergum, pellis conspersa tuberculis, minus abdomen versus eminentibus. Cauda gracilis & longa. In singulis pedibus quinq; sunt digiti, tres exterius porrecti, duo interius refugi; lingua admirabili longitudine præ reliquo corpore, cavitatem habens in extremitate, exeriturque captandis muscis. Color viridis est ac subflavus, versus abdomen magis albore allucoscens, interspersa tamẽ maculis cæruleis, albis, rubris. Rebus vitore coloratis impositus, cæteris quasisi extinctis coloribus viret. Flavescit, flavo admotus; cœruleo autem, rubro vel albo, satura tantum viriditate effulgent maculæ. Ex nigri contactu nigrescit, intercurrente viroris mixtura. Non solo pascitur aëre (præcipuo licet ejus alimento) cum & captatis (uti diximus) vescatur muscis. Fuere tamen, qui asservato per integrum annum, quid in nutricatum ei cesserit præter aërem, perspicere se potuisse negarunt. *Notandum*, hausto aëre ventrem intumescere, maxillasq; claudi, quas plerunque Solis obversi radiis aperiunt.

Stulta magiæ traditio est, ex combusto in summis ædibus Chamæleonte orituras tempestates (efficta hæc sunt ex sympathiæ somniis) cum enim aëre vescatur, magna vi pollere ipsis creditur ad impressionem aëri ingenerandam.

Experimentum unicum spectans ignes subterraneos.

361. Narrat veterum aliquis, in quadam regione Mediæ flammas erumpere ex plano, quas puras & eructati fumi copia, cineribus, pumicibusve involutas, negat, quales montium cavernæ evomunt. Ratio certa est, quia abest flammis constipatio, ut in montibus, aut terræ motibus ad flammarum usque ejaculationes ignescentibus. Efferunt se & cæci ignes, flammescere ignari, & affuso demum oleo promicantes. Ratio, quod videatur ignis adeo suffocari, ut lapidem removere nequeat, calorque sit potius quam flamma, sufficiens tamen inflammando oleo.

Experimentum unicum spectans nitrum.

362. Memoriæ proditum est, aquam in lacubus nonnullis adeo reperiri nitrosam, ut vestimenta in eam conjecta sponte inhærentibus sordibus expurgentur, diutius vero ibidem habita in cineres redigantur. Purgativa nitri vis tanto magis notanda est, quanto corpus est frigidius, cum constet aquam calidam melius frigida purgare. Sed causa est, spiritus in eo subtilitas, qui separat dividitque quicquid viscosum & sordidum corpori adhæret.

Experimentum unicum spectans congelationem aeris.

363. Sume ex vesicis quantam possis maximam, eam vento repletam circa collum obliga filo setico cerato, & obdito præterea ex cera sparadamento arctissime claude, ut exsiccato quoq; vesicæ collo aër ingressu egressuque prohibeatur. Deinde quatuor aut quinque pedum altitudine terræ infodias in fornice aut nivis conservatorio, ut nix excavetur circa vesicam: exactoque spatio quatuordecim dierum, videbis eam se contraxerit. Hoc si contigerit, ex circumfuso terræ aut nivis frigore apparet condensatum esse aërem, & aquæ similiorem evasisse. Experimēti hujus efficacia late patet.

Experimentum unicum spectans congelationem aquæ in crystallum.

364. Referunt bona fide, in cavernis interioribus pensile inveniri crystallum, inque illud dari stillicidium ex crystalli rudimentis. In aliis quibusdam, sed ratius, ab infra oriri dicitur. Quamquam frigoris id effectum sit; fieri tamen possit, ut aqua se terræ insinuans colligat naturam magis glutinosam, congelationique aptiorem, soliditatemq; acquirat, cujus aqua sponte sua capax non est. Fiat ergo experimentum, demittaturque magnus terræ acervus in basis concavum, tempore intensi gelu, interponatur cannabis, ne fundum petat, deinde superingeratur ea aquæ quantitas quæ percolari possit: exploretur post, num in fundo glacies solito durior, solutuque difficilior deprehendatur. Putem quoque si terra à vertice usque ad fundum in angustum dectescendo coëat in eum conum, quo inverso constat acuminata sacchari in paulum redacti compages, experimentum promoveri posse. Glacies enim, sicubi eliquaverit, evadet massæ gracilioris, exiguo quantitatis juvante versionem.

Experimentum unicum spectans conservationem tum coloris tum odoris in foliis rosæ.

365. Sume evulsa rosarum Damascenarum folia, quæ in fastigio domus super plumbo exsiccesad solem die sereno, hora inter secundam solummodo & duodecimam, aut præter propter: exsiccata insere fictili lagenæ boni odoris neque humidæ, aut vitro angusti oris: compressius illa coge, sed ut absit contritio; obtura lagenam aut vitrum arcte Istis rosis non odor tantum, sed & color, constabit vegetus; ad minimum anni spatio. Observandum, nihil plantis aut aliis corporibus, vel putrefactione, vel arefactione perdendis, æque nocuum accidere ac humorem adventitium, qui laxa corporum spatia occupat, nisi extrahatur. Innatum enim ac radicalem humorem prolicit egressus sui comitem. Hinc animati corporis succum conservat moderatior sudor. *Nota*, submotis ab insolatione rosis nullas aut modicas odoris primitivi inesse reliquias; adeo ut secundarius sit qui nativo supervenit.

Experimenta varia spectantia continuationem flammæ.

366. Continuatio flammæ inquisitionem suo merito exposcit pro ratione diversitatis, quæ & à corpore inflammato, & aliis existit circumstantiis. Præcipuum tamen quod flamma, quamvis momentaneæ plerumque sit durationis, recipiat magis & minus. Quare longius immorabimur corporibus inflammationem admittentibus quoad integram sui massam & immediate, sine ellychnio, ut laxior exeat inflammatio. Cochleare spiritu vini plenum, modiceque excalefactum arsit spatio 116. arteriæ pulsuum. Eadem quantitas spiritus vini admixta parti sextæ nitri cochleare implentis flagravit dum 94. pulsus numerarentur. Cum pari quantitate salis nigri usque ad 83. pulsus, cum pari quantitate pulveris tormentarii, qui dissolvitur in aquâ nigram usque ad 110. pulsus peractos. Cubus aut glans ceræ flavæ ad dimidiam quantitatem spiritus vini, atque in medio collocatus solummodo ad spatium 87. pulsuum; admixtus sextæ parti cochlearis repleti lacte, ad spatium 100. pulsuum ardebat, lacte coagulato; admixtus sextæ parti cochlearis repleti aqua, ad spatium 86. pulsuum; æquali vero quantitati aquæ, tantum ad spatium 4. pulsuum. Exiguus in medio locabatur calculus, spiritusque vini ad 94. usque pulsus conflagravit. Ligni ramento, quod sagittæ crassitudinem, longitudinem fere digiti æquabat, medium occupante, spiritus vini exhausit 94. arteriæ momenta. Adeo ut spiritus vini duratione cætera anteiret, spiritusque vini cum sale nigro, atque æquali aquæ quantitate, præ reliquis haberet flagrationis tempus brevissimum.

367. Exactam meretur observationem, an emicationis in flamma celeritas sit à flamma vivida magis, an ex corporis admixti contrario nisu, ignisque conceptionem fugiente. Comprobabit hoc quantitas spiritus vini post flammæ exstinctionē residui, manifesteque docebit prius in causa esse, cum reiquæ combustionem versatur mixtura celerrimam reddat extinctionem. *Notandum* obiter, spiritum vini non amplius flammam concipere, ubi semel sponte evanuerit, nec gustui eandem offerre acrimoniam qua pollebat ante. Sed nec acescit, aliqua ad acetum proximitate, quod vino combusto accidit, sed obtusi emortuiq; saporis est.

368. *Notandum*, in dicto ceræ experimento, ceram igne dissolvi, ut cum vini spiritu non concorporea

porea in unam & eandem flammam exire nequeat, quæ à diffluente cera retrahit se, donec evaganti nimium dispersione totum vendicet spatium, flammamq; exstinguat.

369. Experimento mixturæ spiritus vini inflammati lucifera sunt, non frugifera: jam agemus de flammæ continuatione, qualem exhibent candelæ, lampades, cerea, ex materia inflammabili, atque elychnio inflammationem provocante. Neq; hæc illustrationi duntaxat serviunt, sed usu & commodo se probant; magnum enim ad parsimoniam momentum adferunt ista lumina, si parari possint, ut luce & venustate cum cæteris certarent, durationeetiam antecellerent. Simplex cera in candelam efformata, variaque ceræ mixtura cum materia candelarum, additis singulatim recensendis, videlicet, aqua vulgari, aqua vitæ, lacte, sale nigro, oleo, butyro, nitro, sulphure, serragine, ut ex hisce singula sextam partem faciant respectu ceræ; & harum candelarum ex ista miscela quælibet, pondus & elychnium ad ceram puram habeat ex justo demenso æquum, combustionis & durationis tale dederunt experimentum: celerrima consumptio fuit ejus quæ ex serragine formata, proba primum luce, donec depasta candelæ partem serrago circa mucum colligeretur: quo facto mucus, oblongus & crassus lucem candelæ imminuit; quam dimidio temporis spatio, ratione simplicis ceræ, liquescere vidimus. Consumptionis celeritate proxime ad hanc accessit oleum & butyrum, quinta velocitatis parte ceram puram excedentia. Tertium celeritatis in consumptione gradum cera obtinuit pura; tum sal nigrum, præter propter octava durationis parte ceram puram superans. Sequebatur lac & aqua vulgaris exili discrimine respectu aquæ vitæ, sed aqua tardissime. In quatuor postremis elychnium scintillulas exspuet. Quoad nitrum, non ultra duodecim pulsus lucebit, ejectis interim flammæ particulis, postea in vapores abeuntibus. Sulphur lucis fere spatium cum nitro æquabit, sed paulo post indurescit, & crustæ instar muco adhærescit; adeo ut mixtura salis nigri cum cera, octava durationis parte superaverit, aqua vero quinta.

370. Post experimenta secundum materias variata, ad elychnii diversitatem transiit tentamenti curiositas; quo refert vulgare gossypium, fila sutoria, juncum, sericum, stramen & lignum. Hæc tria posteriora modice flammam concipient, qua cera corripiente exstinguuntur. Ex tribus prioribus, filum gossypio tardius consumitur, & sexta quidem temporis parte. Gossypio proximus debetur locus. Junci præ gossypio tardior consumptio est, ad minimum tertia temporis parte. Æqua fere portione crassescit flamma gossypii & fili, quæ & in junco & minor & obscurior. Inquiratur, utrum lignum elychniumque, ut in facibus, lentius depascantur quam simplex elychnium.

371. Hactenus materiæ elychniique considerata diversitas; sed & ad flammæ durationem quoque facit materiæ qualitas, si dura, mollis, verus, recens fuerit, &c. Frugi matresfamilias ut candelæ diutius ardeant, solent eas separatim furfuri aut floribus imponere ut indurescant, prohibeaturq; velox consumptio, cum spatium durationis alterum tantũ impleant, si cum aliis ejusdem materiæ candelis compatẽtur; furfure & floribus indurãdi vim habentibus, adeo ut ætas & usus furfuris addant durationi. Constat quoq; cereas sebaceis cãdelis longius durare, quoniam cera firmior duriorq; existit.

372. Vivacitas flammæ longior est ubi facilior nutrimenti attractio, ut conspicitur in aula Regis Angliæ in lumine, cujus pernox ministerium est, unde & illi nomen, instar magnæ placentæ ex cera confecto, elychniumq; in medium positum habenti. Unde efficitur, ut ex longinquo magis accedat elychnio alimentum. Lampadum quoque flamma diutius vivit, quod vasa sint laxiora, quam latitudo ceteæ aut candelæ.

373. Cape lampadem stanneam instar turriculæ, in formam quadræ effictam. Altitudo turriculæ triplo major sit longitudine partis inferioris, cui lampas insistit. Fiat unicum foramen in parte inferiori longissime à turricula. Inverte eam, & oleo per illud foramen reple, deinde erectam constitue. Insere elychnium foramini & accende. Tarde conflagrare & non nisi post longum tempus comperies. Causa ante tradita, quia scilicet è longinquo flamma nutritur. Videbis quoq;, ut consumpti olei descensus est, ita fastigium turriculæ paulatim aëre repleri, rarefacto nimirum per calorem oleo. Neque observatione indignum fuerit explorare, an, si in turriculæ fastigio foramen fiat, consumpto fere oleo, aër ex oleo factus, applicata ei candelæ flamma dum emittitur, flammam sit concepturus. Expediret quoque lampadem non stanneam sed vitream parare, ut videas quomodo vapor aut aër paulatim in vertice colligatur.

374. Quintus modus prolongandi flammæ vitam, est aëris conclusio, in quo flamma ardet. Videmus enim candelam vento agitanti expositam sensim liquescere, longiusq; durare in laternis, quam in aperto. Tradunt quoque lampades candelasq; diutissimè in cavernis & monumentis arsisse.

375. Quintus modus juvandæ durationis est in natura aëris, in quo candela ardet, calidusne sit an frigidus, humidus an siccus. Aer frigidus flammam irritat, efficitque ut acrius flagret (ut ignis per gelu vehementior) atque ita consumptionem accelerat. Aer semel excalefactus (mea quidem sententia) leniorem reddit flammam continuationique favet. Aër siccus est indifferens, humidus aliquo modo flammam exstinguit, ut patet luminibus per vapores fodinarum exstinctus. Quicquid sit, languidius saltem lumen creat, eaque ratione continuandi adjumentum suppetit.

Experimenta varia spectantia defossiones atque infusiones variorum corporum sub terra.

376. Defossiones sub terra conservationi, condensationi & indurationi corporũ præbent usum haud exiguum. Condensationi indurationique inservit ille defodiendj modus qui terræ contactum non arcet; adhiberique solet artificio parandi vasa porcellana, &c. Neq; dissimilis ratio est in conservandis duris solidisque corporibus, ut luto, ligno, &c. Hoc vero si agas ut corpora servando mollescant intenerascantq; alterum ex hisce tentandum, ut in thecis recondita terram contingere nequeant, aut exstructa in fornicatum opus terra imminent illis neque tangat. Hoc si fiat, ex humiditate putrefactio sequetur potius, quam ut terræ insinuata frigidi virtute conserventur, nisi terra & summæ siccitatis & arenosa sit.

377. Multum aurantium, citrium, malumque

vulgare linteo involuta & spatio 14. dierum defossa sub terra, quatuor pedum altitudine, loco quamvis humido, pluvioque cœlo, incorrupta neq; mucescentia deprompsimus, sed quæ solito plusculum obduruerant, colore alioquin vegeto, sapore marcido. Ultra dicti temporis spatium ibidem detenta rudimentum putredinis exhibebant.

378. Cerevisiæ in lagena repleta defossæ, ut (*Experiment.* 315.) ante, vividæ magis limpidæque probus fuit gustus. Idem & lagenæ vinum gerenti evenit, ut & aceti, in lagena consimiliter sepulta, major fuit vivacitas & fragrantia, sapore violas fere referente. Post integrum mensem illa tria ex reconditoriis suis oblata sunt vigore & vivacitate illibata penitus, si non emendatiori.

379. Frugiferum id esset experimentum, si mala aurantia, citria, punica in æstatem usque servari possent, quo tempore quantivis essent pretii. Tentare liceret, illus vasi aut ollæ impositis arcte clausis, ne qua terræ humiditas penetret, aut in nivis conservatorio recondantur. Atq; in universum statuo, eum, qui explorandis frigidi effectis operam daturus sit, tribus egere admiriculis, chionotameo sive theca nivatia, fornicata infra viginti pedum depressionem terra, puteo quoque profundo.

380. Ajunt gemmas, corallia, jaspidem sub terra recuperare deperditum colorem. Miræ profectò frugis, si respondeat successus. Sed per sex septimanas defossis defuit illis eventus, expediret tentare illud in putei profunditate, aut nivis conservatorio, ubi stringens magis frigus est, & sic corpus uniendi vis major, unde splendor minus dilutus.

Experimentum unicum spectans affectus corporis humani ex variis ventis.

381. Flante Austro corpus humanum languescit, conceptoq; corpore lentescit admodum, Boreâ contrarium causante. Ratio est, quia prior ventus humores velut liquidos fluidosque reddit, ut partes incumbendo prægravent, quod lignum aliaq; nos docent; quæ Auster facit intumescere. Præterea motus agilitasq; corporis præcipue consistit in nervis, quos Auster magis relaxat.

Experimentum unicum spectans morbos æstivales & brumales.

382. Trivio innotuit, plures æstate ægrotare, plures hyeme obire mortem; nisi grassante peste, quæ plerumque æstatem vel autumnum invadit. Ratio est, quia morbis, ut plurimum, originem præbet calor, qui maxime per sudores & purgationes curantur, conferente huc æstatis tempore, ut illi facilius provocentur, quantum scilicet ad morbos pestiferos, ratio cur æstate plerique enecent, hæc est, quia ista anni tempestas iis generandis maxime fœcunda. Alioqui ejusmodi lue correptis hyeme, non deest præsentanei periculi metus.

Experimentum unicum spectans tempestates pestiferas.

383. Popularis opinio est, annis calidis humidisq; inesse plerunque unde pestis generandæ suspecti habeantur, hoc invalido argumento, quod ex calore & humiditate putrefactio originem trahat. In Anglia fides laborat, cum per multas æstates siccitate notabiles, cum maxima clade regnaverit ea lues; ratio forte sit, quod siccitas in corporibus Insulanorum, humido aëri assuetis, exasperat humores, magisque ad putrefactionem inclinat aut inflammationem. Præterea, aquas plerumq; inficit minusque salubres reddit. Adde, quod in Mautitania pestes mensibus æstivis grassentur, cœlo calido & sicco.

Experimentum unicum spectans errorem popularem de morbis Epidemicis.

384. Multis morbis, tam Epidemicis quam aliis, suum & proprium serviendi tempus est: falso id imputatur aëris per id tempus constitutioni, cum lateat causa in antecedanei, temporis devoluto in illud circuitu & serie tempestates anni copulante. Ideo Hippocrates in suis prognosticis bonas observationes habet morborum, qui temporis elapsi indolem testantur.

Experimentum unicum spectans alterationem & conservationem liquorum in puteis & fornicibus profundis.

385. Lagenas fictiles probe obturavimus, suspendimusque in puteo ad minimum viginti ulnas profundo. Alias infra aquas demersimus, nonnullis supra aquam, ab ejus ad ulnæ mensuram superficie remotis. Liquores ad hoc experimentum delecti sunt, cerevisia, non recens, sed potui apta, vinum & lac, cum hoc successu. Cerevisia & vinum supra & infra aquam non penitus expalluerant, sed bonitas & vetustas potior erat, quam lagenis cum eodem potu in cella asservatis. Inter se vero illas si conferres, suspensæ supra aquam discrimine haud dubio præstabant; eaq; cerevisia paululum efflorescebat, non ita quæ infra aquæ superficiem latuerat, vegeta nihilominus. Lac acescebat ad putredinem vergens. Verum tamen, prope Blæsas pagum esse, ubi in cavernis profundis lac coagulari sinunt, & gratissimi quidem saporis. Ista occasione experimentum id in lacte statui in puteo suspenso; sed fefellit eventus. Ignoro autem an lac Blæsense prius sit coctum. Quare tentari posset in lacte cocto, ejusque flore, cum illud scilicet in sua natura compositum sit corpus ex cremore, coagulo & sero, ut mutatio dissolutioque facilis sit. Neque obfuerit periculum facere in cerevisia, cujus nondum coctus sit liquor, ut pateat, suspensione in puteo maturationem ejus & clarificationem acceleret.

Experimentum unicum spectans Hæsitantiam.

386. Multos constat esset blæsos. Causa forsan esse queat linguæ refrigeratio, unde naturalis motus tarditas. Ideoq; conspicimus deliros, plerumq; balbutire, blæsos quoq; post haustum modicè vinum, minus balbutire, quia excalefacit. Neq; latet nos, in principio sermonis balbos magis hæsitando offendere, quam in progressu, calescente scilicet paulisper per motum lingua. In quibusdam tamen causa fuerit fortasse (licet raro) linguæ siccitas, par, cum frigore, motus retinaculum, malum viris sapientibus & præclaris frequens, qualis fuit Moses, vir præpeditæ linguæ. Plurimi balbi admodum cholerici deprehenduntur, cholera linguæ siccitatem inducente.

Experimenta varia spectantia odores.

387. Odorum major in aëre libero & ex modico intervallo flagrantia est, quam si naso admoveantur, ut præcedentia alibi monstrarunt; ratio duplex: prima tenuior mixtura aut incorporatio odoris. Sic gratissime soni auribus accidunt, si pars quælibet ac dissociata sensum non feriat. Altera, quia omnis fragrantia crudis terreisque odoribus admixtis constat & defertur. Ex distantia conciliatur suavitas, quæ ex majori spiritualitate, dese-

deferente ejus comitatum quicquid terrei vehebat.

388. Latitantem in siccis substantiis odoris suavitatem contusio ad maximum vigorem reducit. Sic compuncti aurantiorum & citriorum cortices magis ea reddant odora. In genere motio & agitatio ex corporibus, etiam non contusis, fragrantiam elicit, uti sacculus odoratus si agitetur. Ratio duplex, prior, spirituum largius effluvium facilitato per contusionem, punctionem, compressionem, & aliqua ex parte motum, egressu: posterior alteram includit, impulsio scilicet aëris, inde flexum odoris vehiculum.

389. Maximas in floribus odorum delicias produnt plantæ, quarum inodoræ penitus sunt frondes, ut in violis, rosis, parietaria, cariophyllis, veronica, caprifolio, flore vitis, mali citreæ, fabarum, &c. ratio est, quod ubicunque calor & vigor plantæ sufficit insinuando frondib⁹ odori, ibi flos languidi & evanidi odoris est præ frondibus, ut videre est in rosmarini & lavendulæ floribus, rosisque caninis. Si calor non sit validus, plantæ spiritus digestus & attenuatus existit, admoto velut succi crudioris secerniculo ubi efflorescere cœperit, non ante.

390. Plerique odores optime fragrant discerpti aut contusi, ut dictum; pressi autem vel percussi exuunt fragrantiæ vigorem; ratio est, quia compressio crassiorem magisque terreum spiritum in tenuioris consortio elicit, confunditque, cum in iis quæ acriorem de se odorem spargunt, talis in exitu odoris gradus non detur.

Experimenta varia spectantia bonitatem & delectum aquæ.

391. Usus optimi est in exploranda aquarum bonitate versari. Momentum aliquod est in gustu aquæ potorum, sed ut tutius acquiescere liceat aliis experimentis. Primo, exploratis ad pondus aquis; ubi discrimen occurrit, sed ut parum huc faciat; optimaque censetur levitate.

392. Secundo, coctione ad ignem æqualiter structum, præferendaque cujus velocior consumptio est.

393. Tertio, observa in lagenis diversis, aut vasibus apertis inter se, quoad reliqua, paribus, quæ diutissime fætorem arceat perstetque incorrupta, cæteris antehabenda.

394. Quarto, fac periculum in fortioris tenuiorisve potus paratu, indita utrobique eadem maltæ quantitate. Et statuere omnino licebit, magis concoctam & nutritivam esse aquam, unde potus fit generosior; quamquam in medicis usibus illa futura sit reijcula. Talem plerumque suppeditant ampla & solita navigari flumina, nec non stagna larga puraque; regnante magis hic Solis efficacia, quam in fontibus fluviisque angustioribus. Proximum ab hac bonitatis locum assignaverim aquæ cretaceæ, parando inde potui. Prodest quoq; concoctioni, si ex profundo hauriatur puteo, tollendis scilicet aquæ cruditatibus. Sed aqua cretacea versus superficiem terræ nimis est modicans, uti apparet in purgatione vestium, quas sensim exedit talis aquæ usus.

395. Quinto, matresfamilias distinguunt aquas exeo, quod aliis smegma adhibeatur, aliis non: probabile est, pinguiorem optime omnium smegma admissuram, cum jejuna unctuosam smegmatis naturam diluendo tollat.

396. Sexto judicare licet de aquis ex indole locorum unde oriuntur & scaturiunt. Pluvia apud medicos omne punctum fert, tenuitatis prærogativa, facillime tamen putrescereajunt, forte ob spiritus tenuitatem. In receptaculis aquæ pluviæ (qualia apud Venetos, &c. extant) pejoris sunt notæ, fortassis quod superne tecta Solem excludant. Aqua nivalis habetur insalubris; adeo ut populus ad montium nive tectorum radices habitans, aut in ascensu (fœminæ præsertim) ex potu aquæ nivalis insigni tumore guttur extans gerant. Aqua puteana nisi ex fundo creato, aut copiosa scaturigine, incoctum ei cibum reddit rubrum, signum prorsus malum. Fontes in altorum collium verticibus optimi sunt, cum levitatem talis aqua præ se ferat ascendendi appetitu, purissima porro & mixtionis ignara, riteque percolata ingenti terræ pervagatæ tractu. Vallium enim aquæ alias quaslibet & corrivatas ad idem sub terra perpendiculum admittunt; hæ in montium fastigiis erumpentes maximam puræ terræ partem pertranseunt, longe minus extranei humoris vehentes.

397. Septimo, aquæ & ex solo, fluenti alveo, censentur, commendantque se puritate & sapore quæ per calculos devolvuntur: pretio vicina istis, aqua per consolidatos luto acta tramites. Tertia cretacea, quarta sabulosa, omnium pessima est limosa. Nec fidendum eis, quarum dulcis sapor, utpote inventis plerumque in acclivi magnarum civitatum fundo, multas necessario sordes contrahentibus.

Experimentum unicum spectans calorem temperatum sub æquinoctiali.

398. In Peruvia, aliisque Indiæ Occidentalis partibus, quamvis sub linea, æstus non tam intolerabilis quam in Mauritania, atque oris Zonæ torridæ subjectis. Causa est *tegreat Brizes vvhich* motus aëris in majoribus circulis (quales sunt in zonis mundi) producit, unde refrigeratio. Neque propterea hic calor meridianus est tantus quando *the Brizes are great*, quam circa horam nonam aut decimam antemeridianam. Altera causa est, longitudo noctium, quibus ros caloris diurni incommoda pensare solet. Tertia causa commoratio Solis non cum respectu ad diem & noctem (de his enim ante dixi) sed tempestatem anni. Per lineam enim Solis obliquo cursu transitus æstatem hyememque geminat, cum in regionibus Zonæ torridæ duplicet, retrocedatque, & sic unam æstatem longam efficiat.

Experimentum unicum spectans fuscum colorem in Æthiopibus.

399. Calor Solis homines quibusdam in locis nigricante colore tingit, ut in Æthiopia, Guinea, &c. non esse illud ignis effectum, ostendunt vitrarii, continuo ad ignem occupati. Ratio fortasse, quod ignis in spiritus & sanguinem agat, ut exhalent, hominesque sic reddat pallidos, & subfuscos. Benignior autem Solis calor sanguinem duntaxat in corporis extimas partes prolicit, concoquitque eum potius quam eliquat. Hinc omnes Æthiopes carnoso quidem, sed inconcinno, habitu sunt corporis, crassisque labiis, quæ humidum detentum, non elicitum, arguunt. Nasci quoque videmus illos in regionibus aqua propter fluvios aliasque causas abundantibus. Meroë enim, Æthiopiæ metropolis amplū lacum adfidet. Congo quoq;, ubi Æthiopes reperiuntur, aquis scatet, & regio circa

Capoverde est humida, unde & pesti obnoxia. Regiones Abissinorum, Mauritaniæ atque Peruviæ, quarum incolas tingit ravus & olivestris color, fuscusque, passim arenosæ, siccæque sunt. Quantum ad Æthiopes, ut torosi & abnormi corporis habitu sunt, ita forte & sanguinei sint rubrique intus coloris, nisi extima cutis nigricans visum sisteret.

Experimentum unicum spectans motum paucissimis à morte momentis.

400. Quædam animantia aliquamdiu decollata moventur, ut aves; tempore admodum exiguo, homo, omnesq; bestiæ. Quædam motum testantur secto varias in partes corpore, ut angues, anguillæ vermes, muscæ, &c. Primo itaque constat, quod immediata mortis causa sit solutio aut exstinctio spirituum, destructio aut corruptio organorum mediata. Organa tamen quædam sunt adeo absolute necessaria, ut eorum destructionem protinus sequatur spirituum exstinctio, interveniente minimi temporis spatio. Quidam ex antiquis, scriptor classicus, neque suspectæ fidei refert, bestiæ ad sacrificium mactatæ auditum fuisse mugitum, exemto corde. Consimilis authoritatis hæc narratio est, capite porcelli aperto, cerebrum exemptum & palmæ alicujus impositum palpitasse, nulla cerebri parte læsa, & absque separatione à medulla spinæ. Toto hoc intervallo temporis porcellus ad visum mortuus fuit, omnique motu destitutus, Paulo post reposito in locum cerebro, cauloque porcelli cranio, ille paululum obambulavit neque ignotum, oculo ex lege talionis eliso, ut aliquamdiu pependerit ex nervo visuali, per illud tempus potentia videndi privatus, paulo post ex restitutione rediisse videndi actum. Spiritus itaque præcipue in capite ventriculisque cerebri continentur, quos amplos & capaces homo bestiaque habent, ut dissecto capite parum aut prorsus nihil moveantur: sed avium perpusilla sunt capita, ideoq; spiritus magis per nervos dispersi, unde motus in iis paulo diuturnior. Adeo ut memoriæ prodiderint Historiæ, Imperatorem Romanum, ostentandæ ejaculationis dexteritatis ingentem sagittam bifidam destinasse in Struthionem, dum Theatrum veloci cursu transmitteret, caputque ejus abstulisse, ablatoque, nihilominus ad breve tempus curriculo institisse. Vermes, muscæ, anguillæ, spiritus per universum corpus dispersos habent, ut separatarum quoque ejus partium motus sentiatur.

Finis quartæ Centuriæ Historiæ Naturalis.

FRANCISCI BACONI DE VERULAMIO NATURALIS HISTORIÆ CENTURIA QUINTA.

Experimenta varia spectantia acceleratam germinationem.

Transeat inquisitio ad plantas & vegetabilia, eaque non perfunctoria, utpote præcipuis tertiæ diei operibus occupanda. De iis primo extat effatum illud Producat, *geminus animationis character, cum essentiam solummodo cætera verba designent. Estque præclarus imprimis diffundensque se per nutricandi rationem. Medicinam, neque unam artium mechanicarum speciem usus.*

401. Areolam conseri jussimus semine raparum, raphani, cucumerum, tritico & pisis; nomenque dedimus excalfactoriæ, in hunc modum præparatæ. Adhibebatur fimus equinus, vetus, probe putrefactus, instratusque est tumulo dimidii pedis altitudine, undique tabulis suffulto; cujus superficiei injiciebatur terra cribro excussa, duorum digitorum profunditate. Inspergebatur illi semen per integram noctem maceratum in aqua admixto fimo bovino. Semen raparum triticumque excrevit bidui spatio ad dimidium pollicis, absque irrigationis adjumento, Cætera exeruerunt se tertio die. Experimentum fecimus mense Octobri, veri fortasse temporis aura acceleratura maturationem. Egregium illud est, est elucescitque inde, remotis adminiculis germinationem futuram fuisse quadruplo tardiorem. Sed non occurrit hic quod ullo se probet emolumento, nisi in seren dis pisis, quorum præcox proventus quantivis pretii. Transferatur tentamentum ad cerasa, fraga, aliosque similes fructus magnæ caritatis ex festinata maturatione.

402. Triticum maceravimus in aqua admixto fimo bovino, aliud admixto equino, aliud in aqua admixto fimo columbino, aliud in urina, aliud addita creta in pulveres redacta, aliud fuligine addita, aliud cineribus, aliud nigro sale addito, aliud in vino rubello, aliud in Malvatico, aliud in spiritu vini. Aquæ proportio, cæteris hanc miscelam constituentibus, quadrupla fuit; admixta tantum octava salis parte. Urina, vina, spiritus vini simplex fuit & sine aqua. Macerationi duodecim horas dedimus. Tempestas anni October. Consevimus & aliud triticum non maceratum, sed aqua calida bis de die irrigatum. Aliud itidem respectu cæterorum simplex. Successus fuit ejusmodi: Ea cum fimo, urina, fuligine, creta, cineribus, sale, mixta, semina intra sex dies excreverunt, quæ postea præcelluerunt altitudine, crassitie, & venustate, fuerunt hoc ordine, urina, deinde fimus, creta, fuligo, cineres, sal, triticum simplex nec maceratum, nec irrigatum inde aqua calida bis diebus singulis irrigatum, vinum rubellum. Tribus hisce posterioribus fuit incrementi tarditas infra triticum vulgare per se constitum, obfuitque potius hæc cultura quam profuit. Macerata in uno Malvatico spirituq; vini prorsus non excreverunt. Experimentum illud haud modice frugiferum, cum levi pletæque maceratione pretio constent, proventusq; copia magnam faciat lucri spem, si per festinatam maturitatem nihil decedat probatæ macerandorum indoli; quod non videtur, cum utriusque causa sit vigor seminis, ut partim ex præcedentibus colligere datur. Simile quid tentari posset in aliis granis, seminibus, nucleis, quorum forte nonnullis cõvenientior fuerit maceratio. Explorate idem liceat maceratis radicibus, ut ante, sed cum temporis auctario, recurrente quoq; cum variis anni tempestatibus inquisitione, ex quibus præcipua veris habeatur ratio.

403. Fraga irrigata (interstinguente irrigationis

tionis vices tridui spatio) aqua, quæ stercus ovinum & columbinum maceravit, maturitate prævertent. Probabile videtur eundem in aliis baccis, herbis, floribus, granis, arboribus futurum effectum. Quare licet ex vulgo petitum sit fragorum experimentum, nondum tamen in usum venit generalem pluribusque applicandum. Terram enim stercore corrigere obvium est, ut & restaurare eam admoto radicibus fimo. Sed aqua quæ stercus maceravit, quod efficaciæ videtur esse majoris, nondum usu populari receptum.

404. Stercus, creta, vel sanguis ut sunt applicata tempestive arborum radicibus præcoces reddent earum fructus. Sed herbis eadem admovere non admixta terra aut aqua, nimii forte videatur caloris adminiculum.

405. Quæ præmisimus spectantia germinationem, causam habent vel probum & efficax alimentum, aut corroboratos excitatosq; in plantis spiritus, attrahendo melius nutrimento. Ad corroborandos in illis spiritus sequentia referimus, non applicanda tamen arborum radicibus aut semini. Arbores loco calido plantatæ in aggere, expositæque Austro Vulturnoq;, accelerata germinatione maturos edunt fructus; & præfertur Vulturnus Africo, calidiori licet. Sed ratio imprimis est, quod calori antemeridiano succedat nocturnum frigus; partim quoque quod Sol ab Africi cardine radians peccat excessu caloris. Plantatio earum ad exteriorem camini, frequente foco calentis, partem, promovet totum incrementi & maturationis opus. Ramos quoq; ad interiora ejus loci retrahere, in quo creber ignis usus, eandem prodit efficaciam: exemplum habemus in vitibus, aliarum, cœlo in diversa parte expositarum, maturitatem integro mense antevertentibus.

406. Præter geminam velocius maturescendi rationem, emendationem scilicet alimenti & corroborationem spiritus, tertia est, ut accedenti nutrimento via facilitetur. Ideo modica fossio, laxandæ nimirum circa arborum radices terræ, & herbarum florumq; quasi coloniæ in novam terram deducendæ, semel biennio (fossioni id respondet, cum terræ novæ insit quædam laxitas) maximi sunt ad incrementi felicitatem conferendamq; plantis præcocitatem momenti.

407. Sed præ cæteris admirationem meretur augmenti acceleratio per expeditus trahendi alimenti iter, quod aqua præstat. Truncus rosæ Damascenæ integris radicibus in cubiculum, remoto igne, delatus, erectusq; in fictili patella, quam nitida, & perspicua implebit aqua, nullis admixtis, dimidio pedis infra aquam hærens, supraq; eam extans ultra duos pedes, decendii spatio frondes exhibuit virore gratissimo, protuberantesque gemmas, per septem dies sine ullo vel lapsus vel marcoris signo integra amœnitate: quæ frondibus post decessit. Sed recenter gemmata vernare cœpit, ut in pulchellas frondes cum trimestris decursu explicaretur, donec abitu nostro experimentum fuit desertum. Sed *notandum*, frondes suppalluisse, albescente nonnihil colore, præ illis sub dio; deinde in fine Octobris primas ostendisse gemas. Conjicere liceat, si tempestas anni fuisset verna, efficacius illas protrudi potuisse, & fors excrescere in pleni floris maturitatem. Sic non vane quis censeat, rosas in media palude posse collocari, aliquo fulcro sustentatas. Res nova & grata, sed nullius usus. Tantoque id admirabilius, quia truncus priori similis aquæ fuit impositus admixto fimo equino, cui aqua erat quadrupla, neq; integro quadrimestri (quantum observare licuit) ullam produxit frondem, præter aliquot gemmas in principio, ut alter.

408. Florem ex Belgio bulbusa radice per idem tempus, infra aquas duorum triumve digitorum profunditate collocavimus, qui intra septiduum germinavit, continuo aliquantisper incremento. Habita similiter sub aquis radix beatæ, borraginis, raphani, frondibus eousq; succisis, quæ intra semestre pulchre frondebat, eo in Novembrem usq; statu.

409. Observanda duplicis lucri occasio si radices, pisa, flores, redigi possent ad acquirendam germinandi & maturescendi celeritatem; quorum alterum, ex magno harum rerum, si præcoquantur pretio, alterum ex conjuncta iterandi proventus felicitate: terra enim ascititia virtute pollens mensis spatio producet raphanum, quem alia sibi relicta vix intra duos menses dabit, adeo ut duplicari proventus queat.

410. Triticum quoque aquæ impositum prorsus non excrevit, ut efficacia & crassities quædam videatur requiri corporis, in aqua collocandi. Habent eam radices; cum frigus aquæ grana & semina enecet. Verum ex casu appositum patellæ triticū exsudato per patellas humore leviter imbutum, quod intra sex septimanas (ut ante diximus) videbatur mucidū, excrevit ad semidigiti longitudinē.

411. Ex hisce de aqua instantiis patet, ejus ad alimentum partes esse præcipuas: terram præstare plantæ, ut & erecta sit & tuta adversus fervoris frigorisq; injuriam experimento potatoribus proficuo; unde nostra quoq; in antecedentibus sententia robur accipit, quod potus carni radicibusq; incorporatus (ut probat cerevisia in qua comminutus est capo) facilius nutriat, quam cibus & potus per se sumpta.

412. Plantæ rectis exceptæ (ut ego quidem concipio) velocem ostendent germinationē editis floribus, & plantis per frigidiores anni tempestates. Atq; ut in ædes admittimus exotica cœlo calidioris dona, quo in genere sunt mala citria, aurantia myrti, ut insueti aëris arceantur incommoda; sic intra domos fovendæ patrii soli stirpes, quo incrementi felicitas curetur, & alienis anni temporibus proventus reddendi ubertas, suisq; violis, fragis, pisis hyems scateat; rite observata & conserendi & removendi opportunitate. Refert hoc experimentum ad corroborationem spiritus in plantis, ex calore, ramisq; intra habitacula receptis, &c. modus igitur accelerandæ germinationis in specie octuplex, in genere triplex est.

Experimenta varia spectantia retardationem germinationis.

413. Voluptatis est, rosis aliisq, floribus, injecta velut mora, incrementum dare tardius, cum rosa serotina in magno apud veteres pretio fuerit. Nata profecto mense Novembri suavitatis prærogativa gaudet, utpote minus eliciente Solis calore exhalans. Quo producatur, modus non unus est; primus, si vertex abscindatur immediate postquam germinavit, unde circa ejusdē anni Novembrem redintegrato flore vernabit; sed non exacte in vertice, qui ferrum passus est, sed ex surculis qui quasi

stolones erant. Ratio est, quia succus, futurum alioquin verticis nutrimentum (etiam post germinationem) propter resectionem ejus, facto ad surculos circumlaterales divortio, tardioris rosæ fœtum geret.

414. Secundus, si gemmas rosæ decerpseris ubi in primos tumuerint nodos. Tunc germina ad latus fructifera sunt. Causa cum præcedenti eadem, quod verticis resectio & gemmarum avulsio parem edant effectum, & retento ad tempus succo, & ad surculos revulso, qui non adeo excrescebant.

415. Tertius, ablatio quorundam in fastigio germinum verno tempore, relictis inferioribus in excrescant. Ratio est, quod rami conducant, ut vehementius attrahatur succus; cui deducendo in summitatem amputatis arboribus, duo tresve rami ibidem relinquantur. Ajunt si ramo arboris surculus inseratur recisis veterum ramorum nonnullis, novorum surculorũ, qui emoriuntur, noxam sequitur.

416. Quartus, radices nudare circa Domini nativitatem ad aliquot dies. Ratio dilucescit, quia aliquamdiu prohibetur succi ascensus, amotoq; post retinaculo, si radix terra injecta contegatur, succedit ascensus succi, sed tardior.

417. Quintus, eximire arborem terræ ad aliquot mensos antequam protrudat gemmas. Ratio est, quia post exemtionem tempus requiritur prius quam terræ reddita succum trahat, quod dum labitur, nascituros retardat flores.

418. Sextus, retrahere insitionem rosarum in mensem Maium, Hortulanis vulgo ante Julium non usitatam. Atq; ista sequenti demum anno fructum promittit, cum hæc mensis Maij spem indubiam eidem anno faciat, sed fœturæ serotinæ.

419. Septimus, arboris corpus filo circumligato stringere, quod aliquatenus retinendo succo facit, & succrescenti arbori moram

420. Octavus, plantare eas in locis umbram jacientibus aut ad sepem; ratio est, quod & Sol excludatur, unde succi celeratur ascensus, & nutrimento prædatrix immineat sepes: tentamenta totidem modis ad alia, tam arbores quam flores, transeant, mutatis mutandis.

421. Opinionem nonnulli speciosam fovent, nempe, si fructum serotinum inseras trunco arboris præcoquæ, insitus fructus prævertet maturitate; ut si malum Persicum cerasso inseratur, & contra, si fructu præcoci notabilis stirps inseratur maturescenti serius stipiti, adoptivus surculus indolem nativam præferet, ut si cerasus malo Persico inseratur. Sed luduntur istius sententiæ authores vanis imaginibus. Ratio est, quia surculus in stipitem dominium est, qui passive se habet, nec motum surculo tribuens.

Experimenta varia spectantia meliorationem fructuum in arboribus atq; plantis.

Nunc in eo versabimur ut ostendamus quomodo fructibus, floribus, radicibus indatur auctioris proventus liberalitas, & præter solitum suavitas, arboribusq; concilietur proceritas, amplitudo, &, supra usu indolem, festinata præcocitas. Hujus indagini proculdubio ex præcedaneis accelerandæ maturitatis experimentis plurimum accedet momenti, &, quem præ manibus habemus tractatum, priori mutuæ illustrationis vicem reponet, utroq; effectu referendo ad vigoris in arbore augmentũ, ed ut vitato confusionis periculo singulis sua reddantur ubi rationes uni magis, alteri effecto minus appropriatæ sunt, seorsim tractanda fuêre.

422. Usu comprobatum, silices, lapidesve ad radices arboris sylvestris (ut roboris, ulmi, fraxini, &c.) congestos, dum plantatur primo, soliti augmenti celeritas duplo ut excedatur facie. Ratio est, quia sistitur ne diffluat humor, superne arbori adventitius, neq; ad incidentem Solis calorem exhalare patiuntur. Deinde arboris calorẽ tuẽtur, ventosq; frigidos & gelu, objecto velut domicilio arcent. Fortassis & aliquid huc facit continua ejus ab initio usque retentio. Inquiratur num stramen circa corpus arboris ad quandam altitudinem collocatum, celeritatis gradum addat. Quanquam succi dispensator sit radix, corpore tamen toto distribuendum trahitur. Sed *notandum*, si cauli lactucæ alteriusvè plantæ mollioris lapides admoveantur, suffocari eam nimio humore, ut à vermibus corrodatur.

423. Arbor recens plantata ne concutiatur, donec solidatis insistat radicibus. Ideo nonnulli duabus furcillis arbores circa fundum includunt, ut erectæ succrescant. Sed postquam annus firmaverit radices, prodest concussio, quod terrã laxet ac forte exercitium velut atq; agitatio succi in arbore sit.

424. In universum, germina stolonesq; è radice intermedioq; stipitis corpore suo pullulantes, tollere, proceritati arboris curandæ utile est: detondere contra & defalcare fastigium, ut expandant se arboris diffusioris q; instar dumeti exeant, efficit, uti constat in arboribus amputatis.

425. Ratio traditur, qua celeriter nemorosus reddatur locus, estq; hæc. Sumantur salix, populus, alnus septennales, tersæque ad justam profunditatem non erectæ, sed incurvatæ oblique infigãtur. Sic radicibus multiplicatis idem truncus plures dabit surculos ex se natos.

426. Si fructiferarum arborum radices & novellas & auctiores cupias, incurvetur pumila arbor, cujus omnes ramos in fundum inclinatos superingesta terra tegas; quilibet surculus radicem aget: experimentum illud lucri spem facit in arboribus, quarum aliquod est pretium (ramis caudicem sine sumptu producentibus) ut sunt malus armenica, persica, amygdalus, cornus, morus, ficus, &c. Simile quid fieri consuevit in vineis, rosis moschatis, vel odorem moschi referentibus.

427. A mense Majo ad Julium usque decorticare licet ramos quosdam crassitie trium aut quatuor pollicum; nudatusque locus tegatur undiq; intrita bene temperata fimo equino, firmiterque constringatur: tum resectus circa festum omnium Sanctorum decorticato in loco ramus terræ inseratur, anni spatio arborem redditurus speciosam. Causa fortasse sit, quod decorticatio, succi prohibeat descensum instante hyeme, eumque in ramo conservet. Fieri quoq; possit, quod intrita fimusque equinus loco nudato applicatus humectet eum foveatque, ut aptiorem agendæ radici faciat. *Nota*, esse hic aliquid quod universim spectatum, ut scilicet in ramis succus retineatur, ut alibi usum præstare queat.

428. Compertum, arbores speciosas & infœcundas perforata medulla sterilitatem deponere. Causa forte: quod arbor antea repletione laboraverit (abundantiori succo velut obruta) cum illa generationi inimica sit.

429. Fa-

429. Factum in arboribus infœcundis periculum, ut duabus aut tribus, quæ præcipuæ sunt, radicibus diffissis calculus insereretur ne fissura coiret, rediitq; perdita fœcunditas; causa forte, quod radix arboris fieri possit quasi coriaginosa non minus quam truncus; neq; diffissa patebit, nisi aliquo interposito.

430. Obvium est, arbores calidi solaris indigas constituere in aggere versus meridiem; cujus generis sunt Armeniaca malus, persica, prunus, vinea, ficus & similes. Commoditas duplex, altera ex calore aggeris per reflectionem, altera ex seclusione umbræ. Arbor enim si in rotunditatem excrescat, superiores rami inferioribus umbram faciunt. In aggere si expanditur, superne & inferne incidentes Solis radios excipit.

431. Usu nonnullis explorata, in arbore jactis latius ramis exeunte, quædam defrondatio, ut ferienti Soli commodior ad ramos fructusq; sit accessus. Sumtuum & curiositatis experimentum in arbore ad Septentrionalem aggeris partem constituenda (exigua ejus altitudine trans aggerem deducta) partiq; Meridionali exponenda; putantes qui id molirentur fore, ut allapso ex umbra frigore radix & arboris inferiora fruerentur, rami superiores & fructus adjumento Solis. Sed spem elusit eventus, ea fortassis de causa, quod non corpus magis quam radix, quamvis subterranea, requirat Solis subsidium; imo inferiora plus superioribus, ut infimarum in arbore partium tegumenta ex circumjecto stramine docent.

432. Humilitas rami fructum generis, majorem reddit fructum, maturioremq;: semper enim conspicimus in malo Armenica; Persica, melo cotonibus in aggere fructus cæteris grandiores pendere versus inferiora. In Gallia quoque vites vinum præbituræ, humiles nascantur additis exilium paxillorum, quibus obvolvuntur, sustentaculis; vineæq; in arborum poceritatem eductæ omphacium tantum gignunt. In Italia aliisque regionibus æstuantem magis Solem passis, in ulmos aliasq; arbores erigi solent. Sed opinor, si Gallorum mos humiles plantandi vineas, istis terris tradux immigraret, haberent & vegetiores & dulciores vites. Sed ob pedamenta majoris longe impendii est. Suaserim tentare, num arbor propius terram inoculata retentis solummodo inferioribus ramis, altioribus continuo resectis, fructu foret largiore.

433. Copiosiorem arboris proventum reddit non insitio solum in tenellos stipites, sed varios annosæ arboris ramos, terra magnæ ubertatis spes, quæ exilescit per insitionem in unum solummodo caudicem.

434. Nullibi hactenus in usum venit annua circa radices fossio; magni futura momenti ut & præcox & melior sit fructus; vineis tantum adhibita, quæ in aliis arboribus fruticibusque (ut rosis, &c.) frequentata, maturitati velocitatem adderet; ut ego quidem rem illam concipio.

435. Constat, quod arbor fructifera circa radices maxime sufflata, denuoque reposita proximi anni proventum valde auxerit. Ratio alia non detur præter terræ laxationem arbori proficuam; commodo in alia, extra frugiferas arbores derivando, cum earum difficilior quam florum & herbarum translatio sit in terram novam.

436. Emortuæ arboris resuscitatur vitalitas circumfossis radicibus, quibus recens fimus applicatur. Neque ignoramus jumentis in nova eductis pascua redire novam & tenellam carnem, atq; adeo in omnibus rebus nutrimentum solito melius juvat renovationem; præcipue si non tantum fuerit melius, sed quod mutatio etiam priori fecerit dispar.

437. Rescissa à radicibus herba, terræque post validius conculcandæ, pedisque & ligonis opera comprimendæ indita sub primum hyemis frigus, radicibus æstate immensum auctis excrescit. Ratio est, quod humor prohibitus, ne plantæ intima pervaderet, longius in radice hæret, eamq; dilatat. Olitoribus quoq; in more positum, post mandatas terræ cæpas & rapas, &c. terram laxiorem calcando comprimere.

438. Panicum infimæ radicis parti admotum maximopere eam crassescere faciet; ratio est, quia cum substantiæ sit spongiosæ, exsugit terra humorem, radicis alimentum. Magni id usus est in cæpis, rapis, pastinacis luteis.

439. Cribratio terræ, & arborem, & fructum emendat, hac cautione adhibita, quod cum omnia magis prospere degant, ubi fit translatio ad melius; necesse sit stipites steriliori inhæreant terræ, quam sit illa quo traduces eunt. Sic qui pecudibus saginandis operam dant, solent eos in lætiora semper inducere pascua. Sic corporis in juventute soliditas facit ad vitæ prolongationem, cujus ab ætate exspectatur curatio. Quin & in exercitiis conducit auspicari à difficilioribus, ut in saltando adhibere calceos ponderosiores, &c.

440. Observatum, conscissos arborum cortices tam ad perpendiculum, quam transversim ut fissura potius quam continua videatur incisio, profuisse, tum ne ipsæ evadant coriaginosæ, tum ut exstinguatur muscus.

441. Plantarum nonnullas umbra præ Sole juvat, ut lætiores largioresq; succrescant, quod ostendunt fraga & laurus, &c. Ideo interserendum fragis semen borraginis sub cujus frondibus plura quam alibi reperiuntur. Lauros plantandas obverte Septentrioni, aut continue opposita sæpe adversus Solem eas tuere. Si fraga severis, ne primo semestri expurgentur eorum areolæ herbis inutilibus, utpote umbram præbentibus.

442. Ut incrementum plantis augeatur, considerandum est non augmentum duntaxat vigoris in terra aut planta, sed & ut conservetur quod alioquin consumeretur. Ita nuper tentata tritici plantatio, sed deserta propter molestias & labores. Verum tamen est multum plantatione conservari, si id quod consitum est respicias, cum ne avibus cedat in prædam, tum ut vitetur depressus ejus situs, quo fit, ut sata radices non agant.

443. Præceperunt veterum quidam, ut arbores parvæ, quibus ficus aliusve fructus enascitur, illo adhuc immaturo, circa autumni medium fimo contegantur usq; in tempus veris, cæloque tunc tepescente in bonam transferantur terram denuo plantandæ. Hoc modo prioris anni arbor velut ex recenti generatione maturitatem præferet, cum ejusdem speciei aliæ solummodo flores dabunt. Sed illud probabilitate carere videtur.

444. Narrant, nitrum cum aqua mixtum usque ad mellis consistentiam si inungendis gemmis adhibeatur, post amputationem vineæ, germinationem

tionem ostendere intra octiduum. Causa verisimilis est (si adulterino experimento nobis fucus haud fit) in spiritu nitri, quod vegetabilium anima est, subingresso gemmam partesq; contiguas, easque, dum penetrat, aperiente.

445. Sume semina, & nucleos malorum, pyrorum, & malorum Aurantiorum, ossiculumve mali Persici aut pruni, &c. eaque insere squillæ marinæ (haud absimilis grandiori cæpæ) sentientque celerius, quam ex terra incrementum. Est hæc, mea ex sententia, insitionis quædam species in radice. Ut enim stipes adoptivis surculis communicat nutrimentum magis præparatum, quam terra cruda & per se, ita semini omnino idem præstat squilla. Suspicor simile quid tentari posse, nucleis, rapæ, reiq; illius generis insertis; præterquam quod calor vigorq; squillæ præpolleat. Consulenda quoq; me authore, experientia, an semen cæparũ capiti cæpæ inditum festinet ditetque cæparum proventus.

446. Fructum hinc inde, ubi justam fere impleverit crassitiem & maturitatem, dispersis notare punctiunculis, res fuit optimi successus, & anticipatæ maturitatis quidam velut stimulus. Exemplũ accelerationis istius est in fructibus, quos impressis morsiunculis vespæ aut vermes insederunt.

447. Perhibent, algam marinam radicibus brassicarum, forte & aliarum plantarum, insertam, facere ad incrementi promotionem. Virtus enim ejus proculdubio cum sale pariat, magno fertilitatis adjumento.

448. Usus edocuit, si cucumerum caudex prope terram abscindatur protinus à germinatione, superstitiq; plantæ injiciatur quanta sufficit terra, sequentis anni fructus longe prævertere consuetum tempus; ratio forte sit, celerior succi descensus nec in caudicem, nec in frondes consumpti, fructu amoto reliquas. Observa illinc, quod per hibernum frigus mors radicum & plantarum annuatim reviviscentium oriri videatur ex nimio succi impendio distributi in caudicem & frondes. Si suspendatur illud injecto obice, perennabunt calido loco constitutæ.

449. Avulsio florum crebra in arbore fructifera, arborem venustiorem reddit; ratio est manifesta, quod succus alendo minus sufficiat. Compertum quoque frequentibus & obviis experimentis, exstingui arborem non avulsis, ubi primum arbor effloruerit, nonnullis floribus.

450. Profuerit tentare eventus fortunam, si omnes arboris frugiferæ flores decerperentur, aut glandes, & castanearum gemmæ, &c. arbori sylvestri demerentur per continuum biennium. Conjicio, crassiores futuros & copiosiores tertii anni fructus, aut frondibus luxuriaturam ex succo abundantiore.

451. Vulgaris opinio est, plantam calida irrigatam felicius citiusque excrescere quam frigida aut imbre perfusam. Sed, quod nos fecimus, experimentum tritico affusa (ut *Exper.* 402. diximus) calida, caruit successu. Causa forte, error in delecta anni tempestate, sine videlicet Octobris, cum semen aqua calida emollitum frigoris injuriam sensisse potuerit.

452. Non dubitatur, plerumq; ab inoculatione fructum esse meliorem. Ratio se ingerit, quod nutrimentum in caudice magis quam in cruda terra sit præparatum. Observandum tamen, quod ajunt, arbores nonnullas felicius ex nucleo quã insitione subnasci, uti melocotones, & malum Persicũ. Causam statuo, nutrimentũ, quod hæ plantæ requirunt humidius. Et quamquam illud caudicis tenuitate & coctione præcellat, tamen humiditate & copia cum alimento ex terra certare nequit, cum videamus fructus eos natura sua esse frigidissimos.

453. Neminem hæc sententia refragrantem habet, quod exilius pyrum si inseratur stipiti pyra majora proferre solito, mole augebitur. Sed me judice, eadem in hac veritas, quæ in illa in præcoquo fructu sententia, si inseratur stipiti serotino, atque è converso; quod utrumque (*Exper.* 421.) antea nobis rejectum, cum penes surculos dominium sit. Nihilominus satis probabilitate se tuentur, qui censent, si in caudicem fiat insitio ex heterogeneis, suo caule succulentioribus, fructus fore grandiores ex nutrimenti suggerendi copia; quamquam à vero non abeat conjectura, futuras viliores. Sed in genere siccior inoculationi deligitur caulis; sic mali domesticæ fit traduxin malum sylvestre, pyri in spinam, &c. Referunt tamen, in regionibus depressiore solo ex mali surculis brassicæ cauli inditis grandia & flaccidi saporis prodire poma; quorum plantato nucleo enascetur brassica non malus. Operæ pretium fuerit advertere, an ex malo surculorum prospera magis futura sit germinatio, si in salicem adoptandi transferuntur, aut populum, alnum, ulmum, aut etiam pruna asinina, omnium arborum humidissimas. Ex auditu habeo, tentatum id in ulmo non caruisse optato eventu

454. Experimentis constat, flores translatos fieri grandiores, quoniam ubicunque laxiori terra, ibi magis ex facili succedit nutrimentum. Habet plurimum verosimile, ex crebro repetita eorundem surculorũ insitione fructus grandescere; ut si primmo anno insita caudici post abscindas, eademque sequenti anno indas alteri stipiti, continuata sic per tertium aut quartum annum insitione, alio migratura; ubi cessaveris à translatione, grandiores fructus percipies quoscunq; dabunt.

Multa insitionis experimenta exstant notatu digna, sed proprium hisce locum assignamus.

455. Resectus fici frondescentis vertex facit ad fructus emendatiores: ratio est manifesta, quia & minus alendi quantum est, & via, qua succus affluit, compendiosior, quam in ascensu ejusdem. Sed inducit nos probabilitas ut existimemus tardiorem proventum fore, sicuti ante notavimus. Posset in aliis arboribus simile quid tentari.

456. Narrant, perforato varie arborum trunco, insertoque, qua pervius, cuneo arboris calidæ, ut Terebinthi, Lentisci, Guajaci, Juniperi, &c. excellentiora reddi mora, augeriqué arborum fertilitatem; ratio fortassis, quod adventitio calore vegetetur foveaturque nativus arboris succus.

457. Ex relato habemus, accedere arborum granditati fructibusque ut meliores evadant, si salem, fæcem vini, aut sanguinem radicibus applices, Causa forte, quod restauretur vigor spiritus in radicibus augmentumque capiat, cum major istis, quam quæ vulgo adhibetur, efficacia insit.

458. Asserit veterum non nemo, carduos altiles tenerescere & deponere quicquid habent asperitatis,

asperitatis, si capita seminum hebetet & abradat silex.

459. Herbis teneritudinem & venustatem dabis, si ex areolis quampr mum enatas in ollas meliori terra repletas transtuleris: Supra audivimus de permutandis areolis, sed medio annorum interstitio, hic vero repentina neque tempore interstincta translatio est. Causam includit præcedentium translationum observatio.

460. Cujusdam ex antiquis sententia est, brassicas lætius crescere & sapore esse gratiori, irrigatas quandoq; aqua salsa; imprimis cui nitrum admixtum; spiritus, præ sale, minus adurente.

461. Ajunt, magis teneros delicatioresque fore cucumeres, quorum semina paululum in lacte fuerint macerata. Ratio forte, quod semen lacte emollitum non ita cassiores terræ succos, sed tenuiores attrahere valeat. Transire posset illud experimentum ad carduos altiles, aliaq; semina sublato marcore aut amaritudine. Simile effectum iis, aqua melle admixto maceratis, tribuitur. Sed assensum meum non impetrant, cum mel mobili nimis constet spiritu.

462. Referunt, minus aqueos fore cucumeres, similioresq; peponi, si putei, cui imponendi, dimidium repleatur acere, lignorumq; tamentis, terra superingesta. Cucumeres enim magnopere humore gaudent, nimioq; obruuntur, quod acer schidiæq; prohibent. Ulterius progreditur hæc narratio, nimirũ, si cucumeri enato apponas ollam aqua repletam & quatuor aut quinq; pollicum intervallo remotam, idque ad spatium 24. horarum, totam inter capedinem implebit largius exitura germinatio. Si experimentum ex vero est, excellentioris naturæ habendum, quam ut sub hunc le titulum redigi patiatur. Arguit enim persentiscere plantas moveriq; versus illud unde adjumentum percipiant, utut ad distantiam aliquam sejunctum. Vetus traditio de vinea plus admirationis meretur; quod nempe eo germinando prorepet, ubi, ex interstitio aliquo, constitutum fuerit fulcimentum aut paxillus. Præcedentibus id magis (ut diximus) stupendũ: prius enim illud ad sympathiam attractionis referri possit, hæc ratiocinativi discursus operatio est.

463. Inter præmissas observatio est de arboribus perforandis, & sic fæliciore illis incremento conferendo; quæ fructus quoq; suaviores melioresq; testatur. Ratio est, quod obicem alimento, quantum sufficit, recipiendo non ponat terebratio, sed dimanare illud patiatur cui mutando digerendoq; valeant, rejecto per sudorem viliore, inutiliq; succo. Sic animantia videmus ex modico alimento, exercitio, sudore, habitum corporis comparare validæ sanitatis.

464. Quod fructibus terebratio arborum est, illud sanguinis missio plantis; ut compunctio vinearum, aliarumque arborum, aliquo post germinationem tempore, unde emissio gummi aut lachrymarum oritur; sed cui, aliter quam tenebrationi, abesse debet continuitas, facto anni tempestatum selectu. Perhibent hoc artificio amygdalas amatas dulcescere.

465. Veteres stercus porcinum præ cæteris habent commendatissimum ad edulcandos fructus. Forte quod plurimum in ista pecude humidi, retundat excrementorum acrimoniam, cum sulla carne nulla sit humidior.

466. Observatum quibusdam est, herbas odore & sapore suaviores enasci surculo, cæteris, ab aliquo post germinationem tempore amputatis, superstite. Fors ob longiorem succi in radice moram, & sic concoctionem magis elaboratam. Inter alias enim solidissima ratio, cur granis, seminibus, fructibus major insit nutriendi facultas quam frondibus, petitur excogitatis commode adminiculis retardatos in æstatem usque protrahere herbarum succos similiave, quæ anni tempestas valeret forte illis in majorem nutriendi vim.

467. Velut inoculationi universim adscribitur felicius incrementũ, fructuumq; probatior indoles, quam si ex nucleis ossiculisve eorũ subnascantur, propter nutrimentum accuratioris concoctionis; sic ab insitione idem sperandum putamus pari de causa si caulis deligatur huic rei, adhibita cautione ut surculis paulum sit inferior, ne virtus ejus retusa hebescat. Maximopere commendant pyrorum aut malorum in malo cotoneo insitionem.

468. Præter ea quæ ad corrigendos fructus repræsentavimus, memoriæ prodita est, tanquam usu comprobata, mixtura furfuris & fimi porcini, aut aceris & fimi porcini, (præsertim si congestis, ut putrescant, mensis detur integer) insine nutrimentum & adjumentum arbori fructiferæ.

469. Tradunt, cæpas nasci grandiores, in terra eximantur & per viginti dies exsiccandæ insolentur, rursusq; plantentur, quin etiam si extremæ cuticulæ ambitu exuantur.

470. Vulgatur quorundam sermonibus, si ramus ex arbore pumila & fructum ferente, à nupera germinatione leniter inflectatur vitato læsionis periculo, deducaturq; in vas fictile fundo perforato, quo admissus exeat, deinde vas injecta tegatur terra, sub fundo fructus conspici largissime. Experimẽtum hoc mera fructus convasatio est sine remotione, fructu in terra relicto. Similem fore narrant eventum, si vacua sit olla fructui imposita, qui solo fulciatur paxillo dum ex arbore pendet meliusque processurum negotiũ, si nonnullis in locis pertundatur olla. Rationem addunt, præterquam quod caloris solaris vehementia aërisq; injuria excludatur, quod fructus haustu liberioris aëris gaudens appetensque Solem invitatur in hisce pertusionibus, dispergitque sese egressus in apertum aëre quã licet proxime, nactus sic ampliationem sui.

471. Profundius terram immissis possideant radicibus plantatæ arbores ubi altum & arenosum est solum; ubi vero illud aquosius, minus alte adactis. Præterea, quando transferendæ (imprimis fructiferæ) ratio habenda ut dispositæ Septentrioni & meridiei obvertantur, &c. quas partes antea spectarunt. Idem plane lapidi tribuitur è lapicidina, cui durabilitas tribuatur major. Sed videtur hic deficere probabilitas, quod non adeo Soli exponatur lapis, quam arbor dum germinat.

472. Arbor fabris datura materiam in more crescit felicius quam in patenti campo, partim quia non habet quo largiore propaginis excursu effundatur, quem totum proceritati impendit; partim (quod altero potius) quia nec à Sole nimio vel vento (præsentaneis fructuum germinationi periculis) vexatur. Atq; ita proculdubio arbores fructiferæ aut vineæ aggeri implantatæ, aut Soli obversæ, interædium antes aut circumjectio ad aliquam altitudi-

altitudinem cumulo lapidum, maturescunt melius, quam si in plano collocentur.

473. Ajunt, radices Potadi seu potatas aut batatos Hispaniæ impositas ollæ terra repletæ, quæ deinde ad quatuor aut quinque pollices infra terræ superficiem removeatur, præter morem grandescere: causa possit esse, quod terræ quantum satis nactæ ut nutriantur, & objecto ollæ fundo, velut impedimento, prohibitæ, quo minus extrusis deorsum fibris terram altius occupent, necessario referant incrementi vires in crassitiem & latitudinem. Forte cujusvis generis seminibus radicibusve ollæ impositis & sub terra reconditis eadem obtigerit felicitas.

474. Si frondes raphano aut alteri radici resecentur ubi hyemare cæperit annus, neq; illæ prorsus emarcuerint, & radix denuo ad justam altitudinem terra cooperiatur, illæsa integram fieret hyemem, proximumq; ver crassiorem videbit, uti ex parte hoc antea nobis observatum. Itaq; amputatio hæc gemino commodo notabilis est, cum & plantas radicibus esculentis, ut sunt raphani pastinacæ, radicibus grandescere faciat, cui simile quid fit in cæparum capitibus; & fructus edules, corroboratis radicibus, majores reddat.

475. Magnæ voluptatis est, frondibus umbrosarum arborum augere mensuram; dubium omne evicit tentamenti fides, si caudex vulgaris ulmi insititios acceperit surculos ulmi latifoliæ seu montanæ quasi petasi marginem implebit frondium productarum latitudo. Neq; omnino præter verum opinemur, ut insita fructiferis arboribus majores fructus, sic arboribus sterilibus exhibitura frondes grandiores. Præcipue igitur faciendum foret periculum in tilia, tremula, salice, ea imprimis quæ splendet, vocaturq; cauda hirundinis, propter frondium venustatem.

476. Accidentaria arborum sterilitas (si vitium excipias soli, seminis, radicis, aëris q; injuriam) est ex nimia musci excrescentia aut ex eo quod coriaginosæ sint, aut plantatione nimis profunda, aut succo nimium in frondes abeunte. Malis hisce præcedentia exhibuerunt medelam.

Experimenta varia spectantia compositionem fructuum & florum.

Viventia quæ sexus discriminat, ex vario coitu varia conspicimus, & in creaturis velut quandam compositionem. Sic mulus generatur ex equo & Asina; danturque aliæ specierum mixtiones, quæ monstra vocantur; sed rariores. Proverbium quoque illud. *Africa semper aliquid monstri parit*, non putatur ex alia fluxisse origine, quam quod aquæ fontanæ inopia in siticulosa regione varias undiq; bestias in aquationis locum colligat, quæ depulsa sitiu refocillatæ creberrime cum specie non sua misceantur. Compositionis coitusq; varietas in plantarum generibus necdum perspecta est experimentis, quæ tamẽ, si tentari queat, magis subest imperio nostro quam illa animantiũ, subrepente voluptatis pruritu, & spontaneo motu in Venerem ruentium. Quare nobilissima futura est, si haberi possit ea plantarum compositio, utpote diversa novaq; fructuum & ignotorum florum nomina promittens. Inoculatio nihil huc facit, fructum emendans, floresque duplicans, &c. sed novæ speciei generandæ inefficax; surculis caudici prædominantibus.

477. Memoriæ prodidit veterum non nemo, germina arborum fructiferatũ variæ speciei, conjunctis lateribus arctissimeq; constrictis, terræ imposita unum efformatura stipitem ex quo pullulent, impermixtis fructibus, suæ speciei indolem non confusam testantibus. Hinc obiter *notandum*, levioris operis esse continuationis unitatem quam illam speciei. Referunt quoq; si vineæ rubris albisque uvis fœtescere solitæ, terræ infigantur, collectis colligatisq; supremis partibus, eodem in ramo varii coloris uvas fore, similiterq; distincta vinacea ejusdem uvæ; sed ubi unius & alterius anni decursus unitatem (ut videtur) germinando magis perfecerit. Utile fuerit post prima unitionis velut rudimenta sæpius irrigare; cum humori cuilibet insit uniendi vis. Suadent quoq; ligationem gemmæ simulac intumuerit: ad minimum pro tempore.

478. Memorant varia semina, lintelo involuta, & imposita terræ probe stercoratæ, productura plantas contiguas, incorporandis postea surculis si colligentur. Congenea de nucleis narratio est, inserendis lagenæ angusti orificii, terra repletæ.

479. Debetur & illud aliorum sermonibus, quod tenellæ arbores specie differentes si contiguæ ponantur, non ligatæ, in terra fertili, sæpiusq; irrigentur, ipsa luxurie incorporabuntur atque coalescent. Probabilitate id cætera hactenus proposita anteit, cum præpediat ligatura ne arbor ad naturæ legem intumescat, unione per motum commodiori.

Experimenta varia spectantia sympathiam & antipathiam plantarum.

Plurimæ ex profunda vetustate traditiones observationesq; ad nos diminarunt, publica fide occupata, spectantes sympathiam & antipathiam plantarum; quod aliæ aliarum vicinia gaudeant, vegetiores ex sympathia, aliæ refugiant male se habentes ex antipathia. Sed ignorantiam hi conceptus præferunt, vera causarum notitia excidentes, ut experimentorum plurima, sympathiam & antipathiam concernentia, docent. In plantis non datur ejusmodi ex amicitia consensus aut ex inimicitia dissensus, qualem vana imaginatione sibi confingunt, quamq; erronea prorsus sympathiæ & antipathiæ nomenclatura insigniunt. Ex contrario hic omnia eveniunt, sympathia in antipathiam desciscente, & vice versa, cum ad hunc modum fiat. Si planta succum trahit proprium, qualis terram imbuit, ut, qui à priore secretus relinquitur, alteri plantæ sit inconveniens, prodest vicinia, ob contrarium, neq; ejusdem generis nutrimentum. Sin autem duæ plantæ eodem alantur succo satis copioso, obest vicinia, altera alteram fraudante.

480. Prima igitur quæcunq; planta large ex terra pascitur, atq; ita dehumectando eam exhaurit, omnibus juxta se collatis nocet; velut arbores grandes (præcipue fraxinus) & quotquot non longe à terræ superficie radices agunt. Sic brassicam inter & vineam non solum discordia est, veteribus licet haud ignota, sed & isti male cum aliis convenit arboribus, utpote, quæ pinguissimos terræ succos prædetur quam maxime. Et, verum si fuerit, vineam tependo brassicæ propinquam alio declinare iter, causa possit esse, pejus, cui occurrit, alimentum; & quanquam radix eodem cum illa sit loco, tamen (subdito nihilominus) planta nutrienda sese avertet.

481. Plantæ indolis non unius, & succo diverso alendæ,

alendæ, amica conjunctione gestiunt, ut diximus; & veterum plures scribunt, rutam fisco appositam feliciter admodum crescere reddiq; efficaciorem. Fit hoc, ut opinor, non ex consensu, sed extractione succi contrarii, quem altera ut dulcescat, altera ut amarescat, elicit. Ex illorum quoque narratione habemus, Rosam ex allii vicinia gratiorem reddi, vel ob hoc etiam, quod succus magis fœtidus allium subintret, fragrantior rosam.

482. Nasci quoque flores manifestum est inter frumentum, qui plantari, rarissime aut nunquam alibi oriuntur, nisi eo loco quem diximus; quales sunt blaveolus, species flavæ calendulæ, papaver agreste, fumaria. Neque arando aut sulcando id præstat soli cultura; ut herbæ quædam & flores nõ nisi in novis fossis proveniunt, quos ligonibus intacta nec consita terra haud ederet; adeo ut frumentum videatur terram qualitate imbuere, eamque nascituris præparare.

483. Huic observationi si non deest eventus, quem spondet probabilitas corrigendo in fructibus herbisque edulibus sapori plurimum contulerit. Non dubito enim si adsita ficus intendat rutæ efficaciam & amarorem (ut notant antiqui) quin magna rutæ copia in circuiti fici, suavitate fici aucta vicem reponat. Sapores enim in fructibus, herbis, radicibus, maxime ingrati, sunt amarus, tetricus, acidus & aqueus. Expediat igitur sequentia deducere ad experimentum.

484. Absynthio aut rutæ adsere lactucam aut brassicam pompejanam, aut carduum altilem, & vide an lactucæ cæterisque increscat suavitas.

485. Sorbum, cornum, sambucum, tetrici astringentisque succi arbores colloca vineæ aut ficui propinquas; exploraturus quid gratiæ accesserit fructibus.

486. Cucumeres aut pepones sparsim velut intersere melonibus moscatis, ut experiatis an melonum magis vinulus gratiorque existat sapor. Cucumere insuper raphanis circumsitis commiscuo, an raphanus acrimoniam intendat; observa.

487. Sume acidulam interque rubum Idæum spinosum consere, & attende utrum rubus suavior fuerit.

488. Cynosbatum inter violas & parietariam defige, & adverte num violis aut parietariæ auctior sit suavitas, odore minus terreo. Sic quoq; cucumeres aut lactuca inter Rosmarinũ aut laurum ostendent, an Rosmarini aut Lauri lætior fragrantia sit magisque aromatica.

489. Contra evites oportet herbarum viciniam eodem gaudentium succo. Hac opinor, Rosmarinus sentiet suavitatis noxam, lavendulæ, lauro, similive appositus. Sin efficaciam herbæ extenuare libeat, consultum alias ejusmodi in proximo jungere, ut exilescat virtus. Artemisia Angelicæ apposita forte languidior evadet, aptiorque mixturæ in suffitu, & ruta ex absynthii vulgaris propinquitate fieri potest ut magis ad Romanum absynthium degeneret.

490. Plurima complectitur hujus axiomatis sensus, ideoque selectu opus uti exactior ineatur experimenti ratio, nec tam varietas hic spectanda, quam ulterior perfectio.

491. Periculum facere liceat in herbis venenatis purgantibusq; quæ malignitatem nativam tolli aut refringi paterentur apposita illis efficacioris veneni aut purgantis temperie.

492. Tradunt, frutricem, qui brionia lævis sive nigra vocatur, & species brioniæ est, brassicamque proxime sibi invicem admota noxiam aut alteri, aut utrique habere conjunctionem: gemini enim prædones terram insident in mutuam perniciem. Simile quid dicitur de arundine atque filice utraque succulenta, alteraque alteram frustrante. Idem de cicuta & ruta, quas vehementes succi trahones vocare liceat.

493. Antiqui & Neoterici scriptores nonnulli ex naturalis magiæ schola, observarunt sympathiam inter Solem, Lunam & Stellarum præcipuas, ac herbas plantasque. Hinc à Sole & Luna denominationes manarunt, & quæ alia ex ineptiarum myrothecio fastuose adornata venditarunt. Constat, herbis quibusdam ad Solem esse respectum duplicem, ut aut explicent se claudantve, aut flectant inclinentve caput. Caltha enim, tulipæ, pimpinella & plerique flores ad splendorem Solis expandunt frondes; partim advesperascentis aut cœli nebulosi sensu contrahuntur. Neque tam pompatice assignanda ratio, quod Solis præsentia gaudeant; absentia contristentur, cum nihil aliud sit clausio, quam frondium prægravatio & tumor circa partes infimas ex aëris humido, qui siccus eas extendit. Et miraculi instar reputant, quod trifolium hortense caudicem occultet radiante Sole, cum sit plenissima tantum frondium expansio. Verticis inclinationem rosa Solis demonstrat, calendula, verrucaria, quæ chondrillæ species, flores malvæ, aliaque. Causa nonnihil obscurior est præcedenti, aliam tamen non agnosco, quam quod partem Soli expositam, languidiusculam, flaccidulamque caudex emittat, minus sustinendo flori validam.

494. Quid humidi parum præstet in vegetabilibus, etiam emortuis atque à terra separatis, præstigiatores docent, quibus quandoque in usu arista avenæ, bene si attendas, contorta in parte inferiori, in fastigio autem integrum & leve stramentum. Partem contortam capiunt, alia resecta, relictaque aristæ digiti longitudine. Exiguam deinde crucem formant ex calamo, hujusque partem seligunt quæ medulla constat in longitudinem directa, & transversa est respectu ejus quæ in calamo caret medulla, ut crux integra erecti digiti altitudinem æquet. Postea vellicant fundum, qui medullam continet, eique aristam inserunt, dimidia parte calamo existante. Tum pyxidem capiunt ex ligno exiguam & albam, quali artificio subsidiariam, cui pinnâ foramen imprimitur, sufficiens capiendæ aristæ, ut non transmissa ad fundum crux hæreat. Imposturæ cautius habendæ prætexitur quæstio, velut, quæ in hoc conventu fœmina præcipuæ sit pulchritudinis? aut quis chirothecam chartasve occultet lusorias? Alius interim jubetur varia recensere nomina, atque ad singularum personarum appellationem crux in pyxide defigitur, prius ori admota, velut incantandi gratia; neque movetur tamen, nisi cum ad personam intra se designatam pervenerint, dum crucem ori admovent, aristam extremitate linguæ attingunt, eamque humectant; & sic crux in pyxide defigitur. Postmodum conspicitur leviter placideque converti quater quinquiesve, quod oritur explicatione barbæ avenæ propter illitum tacite humorem. Magis hæc pa-

tescēt, si crux inter digitos defigatur, loco pyxidis. Quare dilucet, hunc motum ab exigua humectatione efficaciorem esse, quam sit illa frōdium contractio, aut verticis in calendula inclinatio.

495. Ex quorundam relatu innotuit, herbam, quæ vocatur Solis (unde aqua fortis conficitur) medio cum Sol altissimus & calidissimus orbe est, plurimum roris frondibus insperſum gerere, unde rorem Solis dicere liceat. Imputatur id consensui, & quæ cum Sole ei intercedit, sympathiæ. Homines miraculis favere solent. Inquirendum itaque primo foret, an non matutini roris reliquiæ in hoc usque meridiei tempus perseverent, ubi in aliis ros exhalando consumptus evanuit. Lævibus enim crassisque foliis constat, quibus non ita facile ros extergitur, ut aliis herbis mage porosis & spongiosis. Idem deprehendi posset in portulaca aliave quapiam, & fugisse minus huc intentam observantium industriam. Sed ita si res se habeat, ut plus humidi meridies quam mane ostendat, tum profecto ipsius herbæ exsudatio videtur, in pruna furno imposita exsudant. Neque enim puto existimari eam Gedeonis velleri similem, quod solum cæteris siccis exceptum rorem servavit.

496. Certum est, mel roscidum inveniri frequentius in frondibus quercus, quam fraxini aut fragi, similisve arboris. Sed controversiam patitur, an ipsis id frondibus imputandum ut ros concoquatur, an solummodo quod arctæ & læves sint, ideoque rorem haud imbibant, sed ostentēt servatum. Accurata opus esset inquisitione, utrum manna, medicamentum sive pharmacum frondibus quibusdam duntaxat aut herbis inspargatur. Flores profundis folliculis in fundo colligunt speciem mellis, ut periclimenos (tam volucrum majus quam trifolium) lilia, similiaque. In iis Hercule flos particeps fit roris.

497. Experientia docuit, spumam, quæ vvodessare vocatur, sive sputum cuculinum (salivæ species) in herbarum nonnullis colligi, iisque calidis, ut lavendula, absynthio pontico tenui folio, sive Romano, salvia, hyssopo, &c. causam inquirito; ex arcanis enim naturæ est. Rubigine quoque vitiantur segetes, quæ forte alias quoque herbas lædit, eatenus nondum observata.

498. Utile foret experiri, quantus plantis cum aqua consensus sit, primario earum nutrimento; ad distantiamne, nec solo ex contactu affluat. Proinde vas sume, cujus medium latenti instruatur fundo ex cannabo crassiore, ut terram gerat non madidam, cui inspergatur semen: sub cannabo ad pedis dimidium in vasis fundo magnam colloca spongiam humore plenam. Interposito decendio inspice an semina excreverint, terraque humescat siccescente spongia. Illud de cucumere prorepente ad ollam aqua repletam (quod in *Exper.* 462. & præcedentibus exstat) admiratione dignius est.

Experimenta varia ut herbæ fructusque usibus medicis aptentur.

499. Vana sunt & figmentis paria quę narrantur de alterando odore, colore, sapore, fructus ex infusione, mixtura, insitione in cortice aut radice arboris, floris, herbæ, cujus hoc vel illo colore imbuta substantia, quæ sit aromatica aut medica; ratio, quod hæc omnia suam absolverint periodum, neque nutriant, & quælibet tandem in vegetabilibus alteratio ejusmodi qualitatum necessario fiat ex eo quod in nutrimentum plantæ cedere possit. Sed illud ex vero est, si vaccæ allio sylvestri pascantur, alii sapore lac perfunditur. Ovina quoque caro gustui gratior, si serpillo pascatur ovis, aliisque herbis salubertimis. Galenus lac vaccinum memorat in curatione scirri hepatis, cum ei bestiæ pastus sit tantummodo ex quibusdam herbis. Mel Hispanum Rosmarinum pene malumve Aurantium redolet, unde apis illud colligit. Ab antiquis manavit illud de puella, Napello enutrita (quo ex omnibus vegetabilibus præsentaneum magis venenum non est) innoxiumque ei fecerat usus continuus, cum alios enecaret, rem cum ipsa habentes. Observatunt alii, Bezoar dari validum, & nullius efficaciæ, disparitate visu quoque dignoscenda, alterumque colligi ex bestiis pasci solitis in montibus, ubi herbæ theriacales; alterum, inefficacem scilicet, ex iis quibus in vallibus pastus est, ubi tales herbæ non reperiuntur. In ea hactenus sum sententia, quod ut vina cerevisiasque maceratio medicas reddit, insuperque pulverum quædam temperies panem imbuit; ita quoque cibos, (carnem, pisces, lac, ova) redigi posse in medicamenti vices & diætæ subsidium, si delectis ad hoc morboque convenientibus alatur bestia, avis, piscis. Periculo autem res non careret in secretis veneficiis. Sed vetant asserere dubia, ad plantas herbasque referri hæc posse, utpote succo, illarum nutrimento, existente magis communi, & ægre admittente qualitatem, plantæ non assimilatam.

500. Sed ne utilissimis tentamentis obstet incredulitatis præjudiciū, (præsertim cum veterū multi literis consignatos dederint) operępretium duximus breviter proponere modos quatuor ex illorū commento, ut plantæ fiant medicæ. Primus, fissura est radicis, & medicamenti in eam infusio, ut sunt helleborus, opium, scāmonium, theriaca, &c. Et deinde colligatio. Deest huic sententiæ probabilitas, quia radix immediatè ex terra trahit, unde nutrimentum est vulgarius minusq; qualificatum. Adde quod & longior requiritur mora, priusquam fructibus insinuetur. Secundus est, perforare corpus arboris, eiq; indere medicamentū; quod priori antehabendū. Si enim aliqua recipiatur medicamenti vis, brevior ad ascensum minoriq; tempore conficienda via est. Tertius, seminis aut nuclei maceratio in liquore cui medicamentū infusum est. Suspectus mihi admodum hic modus, cū semen (ut opinor) nō attrahat partes materiæ proprietate imbutas. Sed verisimilius longe est, si medicamentū fimo admisceatur; quod semē naturaliter ex fimo humidū imbibens pariter quoq; proprietatē aliquam recipere possit. Quartus, crebra plantæ irrigatio cum infuso medicamento. Hic modus cęteris prevalere videtur, eo nomine, quia crebra frequensq; medicationis repetitio fit, cum alia semel tantum applicētur, ut facilius evanescere virtus queat. Sed prorsus dubito vereorq;, ne radix contumacior impressiones tenuiculas repellat. Præterea (ut ante diximus) longa ascēsus intercapedo est. Quod minus à verisimilitudine recedit (me quidem judice) est perforatio arboris sparsim per varia trunci loca, & foraminum, quæ alia aliis superiora sint, repletio ex fimo cui medicamentum misceatur, & irrigatio massæ fimosæ aspergine medicamenti ex aqua fimo infusa, semel per triduum quatriduumve.

Finis Centuriæ Quintæ Historiæ Naturalis.

FRAN-

FRANCISCI BACONI
DE VERULAMIO

NATURALIS HISTORIÆ
CENTURIA SEXTA.

Experimenta varia spectantia curiositatem fructuum plantarumque.

Totus hujus industriæ labor in eo versatur (quod subinde Lectori ingerimus) ut experimenta sint fructifera aut lucifera, impostures exosus & quibuscunque curiosulorum velificatur opera. Cum tamen nonnihil dandum sit alienæ libidini; excutiemus aliquantum curiositatis, quoad plantas, scilicet.

501. Hujus generis est, habere in una arbore fructus varios; præsertim si alii alios præcocitate præveniant, ut nulla æstatis pars sit quæ non reddat fructus ibidem maturos. Neque difficile est, si in ramos, qui ex uno stipite complures exeunt, inseras surculos variæ indolis in solo opimo & succi abundantioris. Sic non unius speciei cerasa, pruna, mala Persica, Armeniaca idem dabit truncus. Sed diversos fructus cum dico, tales intelligo, quos non aversatur pugnans stipitis natura. Hinc dubito, an qui pruna adoptat caudex, recipiendis pomis, malis aurantiis, se indulgeat.

502. Curiositas est fructibus indere varie excogitatas figuras: levis id operæ negotium est, si in fictilibus lignei ve modulis teneros efformes. Sic cucumeres habere licet oblongos instar calami, rotundos instar Sphæræ, natos in formam crucis. Mala quoque pyrorum instar effigiata aut citriorū. Imo & accuratissima figura donare possis fructus, hominis scilicet, bestiarum, avium, ex confecta, quam nascendo imitari doces, imagine. Cum hac tamen observatione, ut justam capacitatem expleat, quem circundas, modulus, nec angustia cautetur fructus imperfectionem, si in magnitudinem justam excreverit. Contra si fiat, prohibebis ne extensio suæ molis, totum dispersa concavum impleat, votoque eclypi frustraberis, ut in liquidis efformandis usuvenire solet. Sed dubitet quispiam, an non exclusio Solis nocitura sit fructui? Respondet obvia experientia in fructibus, qui cooperti crescunt. Inquiratur etiam an non factis hic illic in ligno foraminibus Sol admitti possit. *Nota*, optime adhiberi huic tentamento typos partibiles, qui glutine aut cemento commissi, sejungi queant, si fructus eximendus sit.

503. Ex eodem curiositatis genio est, fructibus aut arboribus inscribere aut insculpere quod gerant. Facile id præstetur, si acu, calamistro, scalpello, similive instrumento imprimantur fructibus tenellis literæ, quæ illis crescentibus notas præferent grandiores.

--- Teneristque meos incidere amores
Arboribus, crescent illæ, crescetis amores.

504. Possunt & floribus herbisve enascentibus ornari arbores, si perforatis earum truncis terra fimo vegetata inseratur, cui inspergatur semina, violarum surculi, fragorum, serpilli, camomilli, & similium. Arbor, velut olla, hæc omnia exhibebit, quamvis ex arbore fortassis præstita nutrimenti parte. Tentari quoque posset in surculis vineæ radicibusque rosarum rubrarum; forte ipsi arbori incorporandis; utpote ligneæ magis naturæ.

505. Jactatur vulgo curiositatis exemplum, in peculiari conformatione arborum fruticumque (quales rosmarinum & similes) quam constituit & interna quasi directio & externa amputatio. Sed nugantur, cum exilitas earum non admittat figurationem. Deprædicavit antiquitas arcuum moles ex arboribus confectas super ligneis machinis, additis turriculis arcubusque.

506. Locum hic dabo colorationi, utut exiguum sit quod illa præstat, cum excellentiæ prærogativa sit floribus ex venustate. Observatum quibusdam, caryophyllos, Armerias, violas coloratas, nempe si negligantur, neque irrigentur, neque de novo terebrentur, neq; transplantetur, ita degenerare ut albescant. Atq; à probabilitate non abest, alba quæ sunt, ex frequenti cultura colorari; cum alborem ex alimenti penuria oriri verissimum sit; excedentibus floribus, quibus illæ nativus est, qui alium omnem colorem respuunt.

507. Quare expedit diligenter consulere naturam, quos exerat colores, ut quo prævia observationis lux monstrat iter, eam imitando, robus naturatis colores comproducas. Albi flores odore plerumque longe sunt infra alios ejusdem speciei alio colore conspicuos. Docent id, alba viola simplex, rosæ albæ, caryophylla alba, leucoium incanum arborescens. Sic quoq; constat albescentes arborum flores plerumq; existere inodoros, ut cerasi, pyri, pruni, floribus mali domesticæ & sylvestris, amygdali, mali persici subrubentibus & fragrantibus. Ratio, quia substantia floris est ex eo quod in planta tenuissimum purissimumq; est, unde tam grato colore pictus ridet. Si illud parcum nimis & exile adfuerit, languebit inefficax odor nisi in plantis admodum succulentis; ut requiratur potius nutrimenti diminutio quam augmentum, si quis conciliandæ studeat fragrantiæ. Conspicitur illud in candido satyrione, sive orchidibus albis, delicati admodum odoris, in floribus pisorum. Rursus si planta ex se floribus albicat, non tenuibus aut siccis, fastidioso plerumque odore nares ferit, ut flores majales faciunt & lilia alba.

508. Contra, ex baccis quæ candent, suavi ut plurimum sapore alias superant, ut apparet in uvis albis, fructu rubi Idæi albo, fragis albis, & ribesia alba. Ratio, quia alio colore tincti viliore habentur succo, eoque turgentiore, ut proba & æqualis desit concoctio, quæ candidis contingit convenientior.

509. Inter fructus albi plerumque sunt pejoris notæ, ut pruna pyriformia, damascena, &c. præcellunt quæ nigricant. Ex moris (quæ inter baccas recensentur, cum sint ex fructuum genere) nigra præferuntur albis. Primum album autumnale viliora inter habetur, atque pruna veridacia, sive verdacea Camerarii, & Augustana pruna, sive dactyla, improbantur, quod aqueo humore diluatur sapor, cum exactior digestio faciat ad dulcedinem ejus & suavitatem. Hinc pruna cæteris delicatiora naturæ sunt siccioris, atque ex ossiculo nascuntur; ut pruna

musculos marinos referentia & Damascena, malum Persicum & Armeniacum, &c. fructus tamen quidam nigrescere non soliti naturam baccarum referunt, atque ex illis subpallidi suavitate præcellunt, ut cerasa cor referentia quo propius albescunt, eo plus rubris dulcescunt, cerasa Gallis *griottes* dicta, magis acescunt.

510. Sume caryophylli semen unius speciei (qualis illa caryophylli rubertimi flore multiplici vulgatissima) ex eo consito nascentur caryophylli vario calore, prout natura seminis cum terræ nutrimento concurrit, & pariat; adeo ut hortulanos usus edocuerit ex centenis tres quatuorque dari posse digniores pretiq; majoris, ut sunt purpurei, russi, variis distincti maculis. Causa proculdubio ex succi diversitate, quem ejusdem licet areolæ terra suppetit non unum, &, prout casus semini suum appropriat, ita nascitur. Peculiaris observatio est, illos purpurei coloris semper provenire simplices, succo, ut videtur, inepto, ut sufficiat in colorem succulentum duplicemque frondem. Hoc experimentum varii coloris ex uno semine producti potest transferri ad Delphinum, aconitum cæruleum, papaver, malvam hortensem.

511. Pauci fructus intus rubent, ut mala dicta reginea, quæque vocant mala rosacea; mora quoque & uvæ, sed maxime circa ossiculum rubet, & cerasa acida interna rubedine tinguntur. Sed nulla ex pyris vulgaribus, aut quæ vvardens dicuntur, seu pyris volemis, prunis, malis Armeniacis, etsi extima superficie rubeant, interiori sic colorantur. Causa inquiratur.

512. Color in plantis passim conspicuus est viridis, quem nullus flos præfert. Invenitur primula veris flore viridi, sed pallet potius quam viret. Frondes arborum quarundam ferrugineæ sunt, aut subrubido colore, quales plerumq; sunt tenellæ in querca, vinea, corylo. Frondes ex putredine flavescunt, & ex Ilicibus quædam flavas habent frondes, quæ omnibus videntur æque vegetæ & splendentes ac virides. Persuadeo mihi etiam, flavum colorem minus viridi esse succulentum, & albo magis affinem. Docuit enim observatio frondes ilicis flavas obverti semper Septentrioni, aut Aquiloni. Radicum quædam flavæ sunt, ut pastinaca lutea: plantarum aliæ exhibentur sanguineæ quoad stipitem, frondes, ut amaranthus. Herbæ quædam præferunt purpuræ affinitatem & rubedinem, ut species quædam salviæ, menthæ, rosa Solis, &c. Aliarum frondes albent, ut alia salviæ & menthæ species. Sed cæruleum purpureumve colorem frondium nulla repræsentat. Unde colligas in flores digeri attenuatum terræ succum, ut & in fructus, viliorem magisque vulgarem in frondes.

513. Curiositatis pars est, florem reddere duplicem, crebra translatione in terram novam, contra, transplantandi negligentia ex duplici simplicem facit. Expedita, quæ id fit, ratio est, si quicquid conjectum florum semen, aut plantati illorum surculi, extulerint, protinus inseras novæ & probæ terræ. Inquiratur porro, an florum inoculatio (ut Leucoi incani, rosarum vulgarium & moscatarum, &c. duplicet eos. Exstat cerasus duplicis floris, sed arbor fructum non gignit. Forte quæ arbori applicata accelerant succi ascensum, eum in flores digerent duplicandos, spectaculo prorsus jucundo; præcipue in malis vulgaribus, malis Persicis, amygdalis, quorum subrubent flores.

514. Curiositatis est, aut ea præstantius quid, fructus reddere exosses; quia quocumque demum modo illud efficere detur, semper evadent teneriores, delicatioresque. Germen aut surculus leviter emedullatus (ne desint tamen, queis vita conservetur, reliquiæ ejus) fructus proferet aut non omnino aut parumper osseos. Tale quid narrant, si arbor crescens & vigens ad terram usque dissecetur exemptaque medulla rursus colligetur.

515. Tradunt & malum citreum, si inseratur arbori cydoniæ, aut parum aut nihil seminis habiturum. A probabilitate quoque non abest, fructum acidum, ex insitione in stipitum suaviori fructu, emendare saporem, deposita nucleorum seminumque tetricitate.

516. Referunt, non emedullatis tantum, ut diximus, plantis, sed & represso medullari succo, ne locum in suum perveniat, facto ad partes exteriores divortio, exosses fieri fructus, ut perforata arbore, cuneoque ei imposito. Ex vero est, medullæ cum ossiculis cognationem intercedere, quod utriusque tetrica sit substantia, utrumque occupet medium.

517. Hoc quoque ex vulgi traditione manat, arbores, quas continue aqua calida irriges, fructum edituras cum exili aut prorsus nullo ossiculo. Obtinet quoque hæc regula, quicquid arbori sylvestri indolem exuit, hortensi & mitiori donata, illud idem ex hortensi fructus dabit cum minore ossiculo.

Experimenta varia spectantia degenerationem plantarum atque transmutationem unius in aliam.

518. Usu frequenti comprobatum est, plantas ex culturæ defectu degenerantes evilescere in eadem specie; adeo interdum ut sequatur mutatio speciei. Huc facit 1. Diuturnus eodem, non mutato subinde loco, situs. 2. Siccitas, nisi terræ insitus humor suffecerit. 3. Transplantatio, & in coloniam velut maligniorem deductio, aut omissio eorum quæ spectant compositionem terræ. Sic glectu mutatur menta crispa in hortensem, & brassica in rapam.

519. Quilibet fructus in radicem surculumve insitivus, si conferatur, à priori descisceet genio. Uvæ, ficiamygdalæ, mali punici, ossicula consita edunt fructus degeneres, & sylvescentes. Rursus, fructuum plerosque ex genere insitivorum, ex plantatis nucleis ossiculisve si exspectes, degenerare videbis. Verum quidem est, mala Persica (ut præcedentia docuerunt) felicius adolescere ex plantatis ossiculis, quam si inoculentur; sed exceptio hæc à regula sit, ut, quæcunque planta multo gaudet humore ex ossiculo nucleove melius, quam si inseratur, spondeat incrementum. Quanquam enim ex stipite nutrimentum sit tenuis, tamen parcius, terra largius alente.

520. Semina admodum vetusta, nondum tamen omni destituta vigore, qui in plantam sufficiat, degenerare solent. Unde industrii Hortulani explorant probitatem seminum, impositis iis aquæ tenuiter ebullienti; quæ horæ spatio, si proba fuerint, germinabunt.

521. Admirationem meretur quod de ocymo narrant,

narrant, si nimio scilicet exponatur Soli, verti in serpyllum; herbis licet illis nullum naturæ confinium agnoscentibus. Sed ocymum planta calidissima est, opimis succulentisque frondibus. Quæ oleaginositas si eliciente Sole protrahatur, verisimile videtur orituram inde mutationem.

522. Ex veteri traditione est, si ramus quernus terra obruatur vineam ex eo surgere sylvestrem: si non deludimur figmento, quercus proculdubio non induit vineæ naturam, sed ramus ille putrescens terram qualitate imbuit; vineam proditura.

523. Fieri potest, & interfui eorum sermonibus, qui assererent ex vero, quod ex succisa arbore ad fabriles operas transitura stirps quandoque alterius speciei arborem dederit, ut fagus tiliam. Si vera narrant, causa dari possit, quod relictus truncus ex arbore frondibus denudata, parciore vegetetur succo, quam ut prioris generis arborem proferat; ideo in vilius desciscit, & minoris nutrimenti indigum.

524. Inter ruricolas regnat opinio, si eidem terræ sæpius triticum mandes, ex ea nasciturum fore ut in deterius vergat.

525. Certum est, frumentum sterilissimis annis satum mutari in aliam speciem:

Grandia sæpe quibus mandavimus Hordea Sulcis,
Infelix Lolium, & steriles dominantur Avenæ.

Et universalis instar axiomatis est, plantas, culturæ ministerio producendas, ut frumentum, facilius degenerante natura in aliam speciem mutari, quam quas injussa tellus sponte exerit, cultura adventitiam conciliante indolem, facile exuendam.

Hæc plantarum transmutatio qua species in se invicem commeant, est ex naturæ miraculis; cum inter vulgaris philosophiæ effata sit, eam fieri non posse; & profecto res est operæ non levis & scrutinii intimos naturæ recessus pertentantis. Sed impossibilitatis opinionē evincunt instantiæ nonnullæ ab experimentis eductæ, ut causarum examen ingredi liceat. Magnam transmutationem unius in aliud docent animata ex putrefactione genita, ut muscæ ex cōvolvulis, &c. & speciose dicatur, quod animantia non ex semine nata speciem suam mutare possint. Quæ enim semen intimè constituit natura, prohibet creaturam exspatiari injectis veluti vinculis. Ita ut liceat cōcludere, quoniam terra absque semine plantas profert, migrationem illarum plantarum de specie in speciem dari posse. Quare cum instantię obviæ deficiant, conabimur normam præstruere investigationis, per experimenta probabilitatem ingerentia. Et universim petimus, quotquot ad hoc opus Sylvæ Sylvarum Lectores accedent, ut admirationis causas procul habeant, nec festinationi imputent velut crudos impetus, quod particularibus ad experimenti fidem necdum revocatis hic locum damus. In contraria enim versor sententia, particularibus scilicet istiusmodi eam esse dignitatem quā tentatis hactenus prævaleant, & quę penitus innotuerunt; cum ea ex posteriorum genere, prout offeruntur, admittenda sint; priora indaginem causarum dirigendo acuant, juventque axiomatum constitutionem.

526. Ante omnia sciendum, si plantarum in se invicem transmutationi studeas, necessarium esse ut nutrimentum prædominetur semini; quod in hoc tentamento requiritur maxime pugnans cum natura herbæ, ne tamen excrescendi facultas ligetur. Semen sit quoque debilissimum minimique vigoris. Quare consultum fuerit palustras herbas plantare in collium jugis, & locis campestribus: Quæ contra plantæ plurimo gestiunt humido, damnare soli arenosi siccitatibus; sic dendromalacha, & carex in colles transferatur, cucumeres, lactucæ semen, & brassicæ in planitiem sabulosam vicissim plantetur spina; ericetum, elleborus albus, filix in loco palustri. Statuo & illud, herbas edules & hortenses in collum jugis evadere magis medicas, minus tamen esui aptas, quam antea. Porro & herbas, quæ sylvescunt indole, mutare licet in acetaria. Hæc transferendæ quasi substantiæ in aliam regula esto prima.

527. Secunda sit, herbæ istius paucum semen, cujus destinata conversio, aliis mixtum seminibus terræ mandare, ut docearis num aliorum seminum succus ea qualitate terram imbuat unde alteretur semen, in quod dirigitur imitationis intentio. Ex. gr. semen portulacæ semini lactucæ commiscuum seratur, aut lactuca, cum portulaca, aut ocymi inter thymi semen. Observetur saporis mutatio ad aliud quid. Sed optime feceris, si linteolo involvas, semenque extraneum excludas ab eo, cujus mutationem paras.

528. Tertia, apparatus terræ miscendo plantas contusas aut aliter comminutas, sive in fronde, sive radice. ex. gr. confunde in terra contusas brassicæ frondes, cui carduos altiles aut pastinacas impone. Sic in terram majorano, origano, aut serpyllo contusis præparatam fæniculum conjice, &c. In hac operatione processus naturæ continuus existet (ut ego quidem existimo) non quod herba mutanda, extraneæ succo pascetur (illud enim in præcedentibus rejeci (sed res abibit in novam terræ compositæ confectionem; unde fortassis semen alteretur, non perstante prioris herbæ specie.

529. Quarta, notetur quales injussa terra herbas producat. Hujus sumptam portiunculam ollæ aut vasi imponito, insperso ei semine mutando. ex. gr. ad mæniorum radices quamcunque demum terram cape aut similem, quæ urticas copiosissime alat, fibris aut urticæ radicibus omnino rejectis. Ea ollæ imposita accipiat leucoja incana & lutea, aut semina eorum in illam spargito; eventum, quicunque futurus sit, observato. Aut terræ producendis sponte fungis præparatæ (hujus argumenti instantias nonnullas dabunt sequentia) aliquantum in ollam transfer, conserendæ portulaca aut lactuca. Tentamenta enim hæc versimile faciunt, quod humus simplicis nutrimenti, novo semini alterationem præstabit.

530. Quinta, ut herba ordinem naturæ suæ contrarium insistat. Veluti si efficias ut herbæ humilitate notabiles excrescant in altum, ut camomillum, serpyllum, ex. gr. aut fraga viridia defixis applica bacillus, ut lupulis in perticis convolutus erepere solet, attenteque eventum observa.

531. Sexta, ut plantæ Soli liberoque aëri subductæ crescant, valide id naturam alterat, mutationemq; seminis inducit. Sic terram dolio impositā consere, quod in fundo stagni constituas, aut in magna arbore excavata. Tentetur quoq; quid futurum sit si cava conserantur, aut ollæ mandatis ante seminibus suspendantur in puteis in nonnulla ab aquæ superficie distantia.

Experimenta varia spectantia proceritatem, & artificium arbores pumilas reddendi.

532. Certum est, arbores fabriles in nemoribus excrescere magis erectas, ramisque minus per inferiora luxuriantibus, quam eæ quæ campos occupant. Ratio est, quia plantis inest motus naturalis ut fruantur Sole. Adde quod nec nutrimento nimio saturantur, partem istius in se derivante sylva, repletione semper noxia staturæ. Denique calidæ conservantur, quod ingens ad plantarum proceritatem momentum est.

533. Arbores natura sua calidissimæ (ostendit autem calorem gummi inflammabile) ut abies & pinus, spontaneo in altum incremento efferuntur donec fastigium implevérint, nullis huic à latere ramis quidquam detrahimus. Ratio partim in calore, partim succi tenuitate, utraque prærogativa succum in altitudinem transmittente. Juniperus frutex tantum est, nec ea crassitie ut proceritati conferre possit.

534. Referunt, quod proba firmaque cannabis super arborem humiles alentem surculos explicata, ubi eos emittere cæperit, pumilem reddet eam expandetque. Ratio manifesta est, quia loci capacitati cõmensurat extensionem suam planta omnis.

535. Arborem matrix è qua nascantur, au radices, aut nucleus sunt. Si surculos earum terræ imponas (ut in quibusdam, moris præcipue, licet) quidam ex iis germinabunt; sed (ut ajunt) arbores existent humiles. Ratio est, quia surculus non tam valide nutrimentum trahit, quam aut radix aut nucleus.

536. Omnis planta succum celeriter protrudens, corpus habet longitudini non proportionatum, ideoque contortiles aut erraticæ sunt, ut hedera, brionia, lupulus, periclimnum, cum artificium arbores pumilas reddendi requirat protrusionem ramorum tardiorem, minoremque assurgendi impetum.

Experimenta varia spectantia plantarum rudimenta atque excrescentias aut superfœtationem in plantis.

Narrant Sacræ Literæ, Salomonem naturalem scripsisse Historiam à cedro in Libano ad muscum in valle crescentem, ut habent versiones optimæ. Et verum est, quod muscus tantum sit plantæ rudimentum, quasi mucor terræ aut corticis.

537. Muscum gignunt præcipue ædes tegulis aut stramine obductæ, & murorum extremitates, qui virorem præfert limpidum & gratum. In declivibus provenit, quia aut aqua & humor muscum generat, ita & diffluentem vult, non stagnantem. Excrescentia in muris aut tegulis est ex siccitate loci, cujus humidum quia plantæ producendæ non sufficit, muscum protrudendo germinat. Quamquam si ætate aliisve causis mollescentes resolvantur, plantas nonnunquam edant, ut parietariam, & omni fere musco pusillus caulis est, præter villos & fibras in inferiori parte.

538. Muscus in ambulacris nascitur, iis præsertim quæ exposita sunt frigori, & septentrioni obversa, ut in variis pergulis apertis. Rursum, si crebro conculcentur, aut primo conspergantur sabulo: ubicunque enim plantæ supprimuntur, terra muscum exhibet.

539. Veteri solo, cui pridem cultura defuit, muscus innascitur. Ideo agricolæ arva subigunt si musco consestiantur, eaque uno alterove anno excolunt. Causa est eadem, parcior enim emorienſq; terræ succus, gignendis plantis haud sufficiens profert muscum.

540. Consenescentes arbores plus musci proferunt quam juvenculæ, quia succus non ita vegetus est, ut totus abeat in ramos, sed in via velut delassatus subsistit, muscoque gignendo impenditur.

541. Vicinus fontibus ager muscum ostendit, --- *Muscosi fontes.*

Ratio est, qui fontes dum ex circumjacente solo derivant succum, relinquunt humidum sufficiens musco gignendo, adjuvante etiam aquę frigiditate.

542. Arboribus adnatus muscus capillitii instar est, neque aliud præter excrementum succi arborei, non assimilati; qui in magnis arboribus in frondis figuram abit.

543. Arbores humido magis saturæ raro vestiuntur musco, ut ostendunt tremulæ, populi, salices, fagi, &c. cujus rei causa partim jam dicta, libera scilicet succi propulsio in ramos, partim quia cortices harum arborum minoribus spatiis hiant; minusque inæqualitatibus asperæ sunt, quam quercus aut fraxini, ut succo ægrior sit egressus.

544. In terra argillacea omnes arbores fructiferas muscus obsidet tam in corpore & trunco, quam ramis, partim ex frigido terrę, unde & minus crescunt; partim ex ejusdem lentore & visciditate, succum comprimente, & per impeditum ascensum constricta distributionis libertate, qua alias utimur.

545. Supra diximus, coriaginosas arbores sterilescere, & muscum colligere, diffindendoq; curari illud vitium, &c. ideo ex contrariorum natura, si arbores restibus constringantur, aut, quicquid liget, externe injiciatur, abundabit muscus. Quod puto iis evenire arboribus, quæ nudæ & ventis frigidis objectæ patent. Tentandum foret, si decorticata in fastigio arbor ad aliquam profunditatem contegatur, an amplius protruderet muscum. Suggerit quoque mihi animus, arbores aqua ex fontibus frigida irrigatas musco densissime obduci.

546. Invenitur muscus, suffimenta parantibus in usu, quem malus edit, egregio odore. Inquirito particulariter rationem incrementi ejusque naturam, atque hujus experimenti, pretium operæ pensantis, gratia, proposui hæc posteriora de multiplicando augendoque musco.

Proximum à musco locum assignamus fungis, plantæ infra perfectionem subsistenti; gemina fungos commendat proprietas, quod in mensæ deliciis sint, & incrementi celerrimi, quos una scilicet nox gignit, non tamen consitos. Hinc illos, qui subito fortunę suæ fabri sunt, per ignominiam fungos appellant. Necesse est igitur ut copioso humore, & quidem pingui, crassoq; & parũ concocto enascantur. Compertum fungos causari illud stomachi vitium, quod incubum vocant. Quare nimis avide ingesti suffocant, & veneno enecant. Unde flatulentos esse arguitur; atque ea ventositas crassa & tumorem ciens, non acris & mordax. Quæ ratio fungos etiam Veneris nepotulis gratos facit.

547. Referunt, corticem albæ aut nigræ populi (illæ inter arbores maxime pumilæ) minutim concisum, sulcisq; probe stercoratis infertum, terram disponere proferendis qualibet anni tempestate fungis

fungis edulibus. Addunt alii mixturæ fermentum panis in aqua dissolutum.

548. Perhibent quoque, superstites in agro collibus frequenti stipulas, si accendantur pluvio cœlo prodere magnam fungorum copiam.

549. Ex tumore & illud, ex cornu cervi raso aut in minutulas partes conciso, fimo admixto & irrigato, nasci fungos. Notum enim, cornu cervinum constare pingui & viscosa substantia; forte & idem effecerit cornu bovis.

550. Memorant, sed ut fides appellet autorem, hederam enatam fuisse ex cornu cervi, statuuntq; illud potius fieri ex confricato ad hederam cornu, quam ex cornu per se. Nulla hactenus innotuit substantia præter terram, ejusq; effecta (ut tegulas lapides, &c.) unde muscus herbidaque succi escat substantia. Periculum fieri potest in seminibus, ut fæniculi, sinapi, raparum insertis in foramina in cornu cervi aut bovis parata, ut exploretur, num in germen adolescant.

551. Est & altera quæ non perficitur planta, magno fungo similis, quæque pilei quandoque instar expanditur (vocant fungum venenosum) sed esui inepta est, ac plerumque emortuæ arboris stipiti adnascitur, nec non radicibus putredine consumptarum arborum. Unde succum recipere videtur ex ligno putrefacto; quod obiter ostenditur concedere vegetum humorem.

552. Invenitur placenta, quam exteriora emortuæ arboris gignunt, nomine adhuc carentem. Larga est, colore puniceo, dura & nervosa. Quod arguit ne mortuas quidem arbores esse penitus effætas, ut solent ex hominis cadavere ad tempus excrescere ungues, capilli.

553. Datur siliqua aut folliculus, nasci plerumq; in campis solitus. Primo duritie pilam adæquans palmariam, albescit, post degenerat in colorem fungosum, extimæque cutis ambitu pulvisculum tegit, quem fracta prodit. Noxia putatur oculis, si pulverem sentiant, petrionibus medela; fortassis constans natura corrodenti & mordaci.

554. Herba, Anglis dicta auriculæ Judaicæ, (fungi species est) quæ radicibus innascitur, partibusque in arborum corpore inferioribus; inprimis Sambuci, quandoque & Fraxini. Miranda ei indoles, cum in aqua calida intumescat & magnopere laxetur. Calor est non viridis, sed tenebricose nigricans; usus ejus in angina & gutturis inflammationibus, ut virtute emolliendi leniendique pollere videatur.

555. In excrescentiarum genere quædam spongiosa est, quę imprimis radicibus laserpitii innascitur; etiam quandoque cedro, aliisque arboribus. Admodum alba, levis & friabilis est, appellaturque agaricus. Celebrat eam Medicina in expurganda pituita viscida & tenaci, insigniterque conducit de obstruendo lieni. Stomacho noxia, ad gustum primo dulcis, postamara.

556. Nulla plantarum supersœtat vel arboribus supernascitur, ut reddatur forma plantæ præter illam visci. Ex vanitatis promptuario est, avem inveniri, nomine viscariæ seu turdi, quæ alitur semine quod sæpius digerere nequit, atque ita, cum excrementis integrum expellit, illud in diffissos arboris ramos incidens viscum producit. Sed fabula est, cũ fidem excedat aves ali eo quod nequeant digerere. Illud etsi concedatur, tamen alia probabilitati obstant. Primo enim in quibusdam tantum arboribus invenitur, quæ fructuum illicio carent, ut ibidem quiescens avis nutriatur. Forte illa gaudet baccis visci, ut sæpius ob eam causam ibi deprehendatur; quam & figmenti puto esse originem. Sed quod hoc in casu peremptorium, viscum infra ramis quoque nascitur, non modo supra. Itaque non est quod opinemur aliquid ramis incidisse. Viscum præcipue innascitur malo sylvestri, malo hortensi, quandoque & corylis, raro quercubus; quarum Viscum admodum medicum cẽsetur, virore per hyemem æstatemque integro, baccam splendide albescentem proferens: adeo ut dispar prorsus, cui innascitur, plantæ existat. Duo igitur velut extra dubium statui possunt, & quod supersœtatio fiat ex abundantia succi in ramo qui eam prodit, & succus ille talis sit, quem arbor excernit, ut assimilare nequeat alioquin ramo insinuandum. Præterea pinguior videtur & magis unctus vulgari arborum succo; ut apparet ex bacca, quæ glutinosa cum sit, tota æstate & hyeme viret, arbor vero minime.

557. Hoc experimentum, de Visco ad alia Luciferum est. Ideo tentari posset rescisso mali sylvestris ramo in cortice, & vulnere irrigato per singulos dies aqua calida fimo admixto, ut exploretur num proferat misseltoe seu plantam visci aut simile quid. Sed præstaret periculum facere irrigatione aut inunctione quæ arbori minus naturalis quam aqua, ut oleo, flore cerevisiæ, &c. modo talia sint quæ arborem non enecent.

558. Profuerit animadvertisse, quid ex plantis germinabit, si nascendis ramis ponatur obstaculum. Amputatæ igitur arboris summitatem obducto ad aliquam profunditatem limo tege. Persuadet meus de isto negotio conceptus nascituras radices, quas & surculi limo inserto gignunt. Quare in hoc experimento arctissime arbori applicandũ velamentum ex iis, quæ minus, quam limus, naturæ plantæ congrua. Probetur corio, panno, cerussa, si arbori innocua. Certum est quod filix inventa fuerit enasci ex arbore ramis orbata.

559. Aculei arborum faciunt etiam excrescentiæ speciem, cum in ramos aut folia non excrescant. Plantæ ramis aculeatæ sunt spina alba & nigra, rubus, rosa, malus citria, malum sylvestre, uva crispa, berberis. Quæ foliis aculeatæ sunt, Ilex, Juniperus, Oxyacanthus Galeni, carduus. Urtica exsili & venenato armatur aculeo; ut borrago, innoxio, causa est, celeritas excrescentiæ, inopia humoris, corticis arcta compressio. Spiritus enim germinationem festinans, nutrimentum ramo proferendo non sufficiens, arctatusq; nimium cortex aculeatos reddunt ramos. Hinc & pyramidis in modum fastigiantur, consumpto scil. humore ubi modicum protuberavit. Frondes aculeatas facit nimii in eas succi propulsio, quam ut æqualiter in frondem distribuendus eat. Ideo asperitas illis adest, ut in borragine, urtica. Frondes Ilicis læves sunt; non planæ, sed quasi rugosæ, eandem ob causam.

560. Plantarum nonnullæ, non aculeatæ, cortici aliquid habent affine in frondibus lanugo nosum & villosum, ut thryallis, leucoium incanum arborescens, tussilago. Earum lanugo est à subtili spiritu in molli & pingui substantia. Nam certum est quod leucoium incanum & Thryallis contusæ, bono cum successu applicatæ fuerit carpis manuum

in laborantibus febri tertiana aut quartana. Vapor tussilaginis virtute valet, quæ pulmones sanet. Frons quoque consolidat in Chirurgia.

561. Alia excrescentiæ species est exsudatio plantarum, conjuncta cum putrefactione, ut patet in malis quercus, quæ præsertim in frondibus quernis reperiuntur, & in salicibus. Agricolæ confinxerunt sibi prognosticon, si mala quercina vermibus intus scateant; anni futura peste infamis signum esse. Neque à verisimili abit, quoniam ex corruptione proveniunt.

562. Cynosbati excrementum aut alia veptis gerit tenuiculum apicem aut verriculum ex musco, vario calore, quæ discissa deprehenduntur scatere parvis & albis vermiculis.

Experimenta varia spectantia productionem perfectarum plantarum sine semine.

563. Controversiam non patitur, quod terra ex fundamentis fornicati operis aut ædium, ex fundis puteorum, in ollas translata novas herbarum species dabit, sed interveniente justi temporis interstitio antequam germinet. Si enim sumatur ad ulnæ profunditatem sub terra recondita, primo anno fœcunda erit, sin altius depressam congeras, nonnisi post anni biennive spatium.

564. Natura plantarum, quas iis ex locis sumpta terra educit, imitatur refertque indolem glebæ ipsius: si gleba sit purior & mollior, molles dat herbas, ut gramen, plantaginem, & similes. Sin dura sit & jejuna, asperas alit, ut carduum, abietem, &c.

565. Vulgaris experimenti est, quod in ambulacris denso sabulo constratis terra primo anno gramen nodosum ostendit, post, gramen spicatum. Causa est, durities glareæ aut calculi primum projecti, qui gramen assurgere non patiuntur, sed detorquent, ut, qua data via, exeat. Relaxata vero paulisper terræ superficie vulgare gramen emergit.

566. Ajunt, ex terra umbrosæ aqueæque sylvæ ad aliquam profunditatem effossa vasique figulinis imposita prodire herbas pingues & succulentas, ut nummulariam, portulacam, sedium, pulegium, &c.

567. Quin & in aquis plantæ nascuntur non actis in fundum radicibus; sed sunt ex genere minus perfectarum, cum plerumque præter frondes nihil sint, easque parvas, ut quam vocant ulvam palustrem vel amarã, cujus frõs paulo magis Thymi fronde crassescit, sed lætior i vitore est, producitque exilem fibram infra aquas, sed longe à fundo remotam. Lilium aquosum radice nititur. Magnus præterea herbarum numerus est in lacubus crescentium.

568. Testimoniis Veterum & Neotericorum comprobatur, maris superficiem nonnullas exhibere herbas, quas illi putant ex concreto aquæ limo provenire, ubi regnat maxime Solis fervor, & lentus omnino maris motus est. Alga marina & eryngium radicantur, sed prior sub aqua, posterius in littore.

569. Observatum antiquis, è nive valide compacta & putrefacta pullulare herbas, omnesque deprehendi amaras. Præcipue apud illos designationis flomus vocata. Certum est, in nive plerumque vermes reperiri lumbricis haud absimiles; unde fuerit non improbabile plantas ex ea oriri posse.

570. Asserunt veteres, ex lapidibus herbas gigni. Fieri posse docet id quod velut in dubium admittitur, bufones scilicet in medio lapidis cæsi aliquando repertos fuisse. Silices quoq; terræ injecti muscum colligunt; & parietaria, aliique flores muris innascuntur. Sed an vulgaris sit later aut lapis, an ex limo & rimis, nondum docuit observatio accuratior. Sambucum enim Fraxinumq; aliquando ex turrium muris provenire notarunt, cum ex fissuris crescere non controvertenda veritas sit; adeo ut crassescentibus iter præbeat dividens se lapis. Præterea dubitatur, an & cæmento illud debeatur, aut an non aves semina disjiciant. Scopuli quoq; herbescunt; sed putem herbas tales reperiri ubi terra putrescit. Compertum & illud, magnas arbores in lapicidinis crescentes saxis impressisse radices.

571. Fodinas Germanicas memorant in fundo vegetabilibus fœtescere, asseruntque operarii, magicæ quid virtutis inesse, quod colligi se non patiantur.

572. Maris arena raris vernat plantis. Veterum nonnulli imputant id Soli humorem prædanti per exhalationes, antequam terræ incorporetur, & plantam nutrire queat. Testantur, arenæ radices semper limo infigi, neque dari arenæ venas si processeris ad aliquam à superficie profunditatem.

573. Circumfertur ex vero, plantas quasdam ad tempus germinantes suo victitare succo, sine extranei nutrimenti adminiculo, quod terra, aqua, lapis, &c. suggerat. De hac re videatur Experimentum 29.

Experimenta varia spectantia plantas peregrinas.

574. Ex relatu est, Terram Indicani cœli dissitarumq; regionum saburrandæ navi exportatam in aliquod Italiæ solum, herbas protulisse Exoticas, Europæis incognitas. Ex earum quoque radicibus, corticibus, seminibus simul contusis, aliisque admixtis terræ, probeque irrigatis aqua calida, proveniunt herbæ aliis non absimiles.

575. Plantæ ex calidis plagis traduces in aliasque transvectæ laborant in extrudendo germine eo tempore, quod climatis sui proprium. Ut igitur noxa arceatur, nihil amplius requiritur, quam ut tutæ sint adversus injuriam retardationis ex frigore. Ex Historica quoq; fide exstat, quod frumenta calidi soli in frigidius translata præcocitate superent vulgare illud frigidioris terræ. Verisimile est, meliorem fore experimenti successum in frumento quam arboribus, cum grana tantum sint annua, unde virtus seminis non consumitur, cum in arbore vilescat ex ea, in quam translata migrat humo.

576. Complures plantæ, quas aura benignioris cœli educat, expertæ rigidioris inclementiam sub extremum nihilominus ver pullulabunt, germine maximam æstatis partem integro, ut docet semen mali aurantii, citrii, &c. eorum semina extremo Aprilis in terram conjecta dabunt gratissima acetaria, aliis herbarum admixtis: nec dubito quin semen caryophylli, piperisve, &c. si hic viride haberi possit tempore sementis, idem comprobaret.

Experimenta varia spectantia tempestates quibus plantæ proveniunt.

577. Ex floribus, granis, fructibus quædam præcocia sunt, alia serotina. Florum apud nos præcoqui sunt, primula veris, violæ, anemonæ, alpha-

deli

deli palustres, crocus vernus, tulipæ nonnullæ, quæ omnes frigidæ, propterea que, ut videtur, augescent, calorem Solis acrius persentiscunt, quam herbæ calidæ; ut frigida manus citius quam calida minimum percipit calorem. Illis proximæ sunt parietaria, Verbascum, hyacinthus, flores rosmarini, &c. post illas, veronica, rosa, pseudoacorus, &c. novissimæ sunt caryophylli, malva hortensis, delphinum, &c. maturimi flores sunt, illi mali persici, amygdali, corni, chamæleæ, &c. quoscunque istæ dant arbores, multo turgent humore & aqueo & oleoso. Ideo crocus vernus, cum herba sit oleoso succo, præcox est, citius enim illas, quam arbores sicciores Sol afficit. Granorum hi sunt gradus, secale & triticum, avena, hordeum, pisa, fabæ; nam etsi fabæ & pisa vi entia esui apta prius reddantur, sicca tamen, equorum pastus, tardissime matura videmus; pinguibus granis minus talia prævertentibus. Fructuum præcocissimi sunt, fraga, cerasa, uva, crispa, uvæ corinthiacæ; deinde mala, & pyra, præcoqua armeniaca, fructus rubi Idæi: inde pruna damascena, & pleræque prunorum species & mala persica, &c. ultimo sunt loco mala, pyra hiberna, uvæ, nuces, cotonea mala, amygdalæ, pruna sylvestria, baccæ cynosbati, lupuli, mespila, sorba, corna.

578. *Notandum*, arbores, quarum sera maturitas, plerumque citius efflorescere, ut probant malus persica, cornus, prunus sylvestris, amygdala, &c. & naturæ providè sua administrantis hic elucet industria, quod festinos emittãt flores, cum alioquin efficax Solis calor ad plenam maturitatem comitari non posset.

579. Fructuum quorundam geminus, sed raro, proventus est; quo refer pyra nonnulla, fraga, &c. Sunt illi ex eorum genere, qui nutriuntur plenius; quo fit, ut absoluta periodo antequam Solis calor nimium elanguescat, aliam implere queant. Ex floribus violæ uno in anno bis renascuntur, præsertim albæ duplices; atque ista planta humido abundat. Rosarum similis fœcunditas, sed sine amputationis neglectu, ut ante audivimus.

580. Moscovia quanquam nonnisi ultimo vere frumentum excrescere patiatur, messis tamen eorum nostræ maturitatem æquat. Ratio est, quod dispersa nix comprimat terræ vigorem, usque edocti sumus, longas apud nos hyemes facere ad anni fertilitatem; quibus elapsis flores frumentumque præcocius & serotinum proventu simultaneo fere pariant, unde agricolis sæpe turbæ. Rosas enim rubras & damascenas idem tempus conspiciendas præbet, concurritque frumenti & hordei messis. Sed plerumque id accidit, quod præcociora quasi præstolando serotinis coincidant, non vero quod illa tardioris proventus accelerentur.

581. Arborum fructiferarum varias alit mitius clima terræ, quæ teneros maturosque fructus donant, continuata integri fere anni per vices sibi succedentes fertilitate. Idem pene tribuunt apud nos malo aurantio per magnam æstatis partem, ut & ficui. Et profecto huc tendit natura dirigens plãtarum motus. Sed quia vel succo absumendo destituantur, aut incubo hiemis frigore retardentur, ideo non nisi succulenta calido in solo hanc succedaneæ maturitatis periodum absolvunt.

582. Quædam herbæ tantum sunt annuæ, atque hoc temporis circuitu prorsus cum suis radicibus emoriũtur, ut borrago, lactuca, cucumeres, melones, moschati, ocymus, tabacum, semen synapi, atque omne frumenti genus. Aliæ in complures annos integræ perstant, ut hyssopus, chamædryos, lavendula, fœniculum, &c. Ratio, quare emoriantur, duplex est; prima est seminis teneritudo aut debilitas, angustæ vitalitatis, aut apparet in borragine, lactuca, cucumere, frumento, &c. Ideoque nihil horum existit calidum: altera, quod herbæ quædam levissimo frigore perstringantur, ut ocymus, semen sinapi, omnesque illæ calore prævalent.

Experimenta varia spectantia durationem herbarum aut arborum.

583. Durabilitas maxime in iis conspicua, quibus corpus est largissimum, ut sunt quercus, ulmus, castanea, lotus arbor, &c. Sed arbores hoc spectat; in herbis enim sæpe contrarium obtinet: cum borrago, brassica, pepones vasta satis mole, brevi duratione sint, & hyssopus, satureia, chamædryos, thymus, salvia diu integra perstent. Ratio est, quia vitalitas arborum ex vigoris demenso & succi quantitate dependet, satis alioquin munitarum corticis circuitu adversus injurias aëris. Herbæ autem succo aluntur languido, molli cortice armatæ, quæque vita longiori præcellunt, acri odore lignosoque caule sunt.

584. Arbores glandiferæ fructiferis præstant durabilitatis prærogativa; imprimis quarum fructus sunt humidiores; ut quercus, fagus, castanea, juglãs, amygdalus, pinus, &c. durabilitate anteeunt malum, pyrum, prunum, &c. causa est pinguedo & oleoginositas succi, qui consumptioni magis resistit, quam aqueus.

585. Arbores, quæ serius frondescunt, & defrondescunt, longe vitate illas excedunt quibus frondes citius enascuntur, deciduntque. Causa est, quia tardior productio fixum magis humorem arguit, altera magis laxum, faciliusque resolubilem: eadem ratio obtinet, cur agrestes arbores longius quam hortenses ævum agitent; & in eadem specie illæ fructibus acidis, quam dulcibus.

586. Nihil est quod æque conducit prolongandæ arborum, spinarum, herbarum vitæ ac frequens amputatio, quæ quoties repetitur, succum plantæ renovat, ne tam late effusa luxuriet, nec tam languide adolescat, quam si amputatione caruisset; adeo ut plantæ annum vivere solitæ, si tempestiva resectio non intermittatur, parciorque earum sit usus, continuoque excrescere permittantur, vitalitate annum excessuræ sint; ut ex parte notatum, tales, lactuca, portulaca, cucumer, & similes. Arbores luxuriantes in cæmiteriis aut ædium ruinis sunt sine ramis adeo densis & pumilæ.

587. Aliquo experimento tentari posset artificiosa plantarum longævitas supra eam quam nativa cujusque periodus includit; ut si caulem tritici efficere cupias explendo integri anni spatio parem. Præsupponimus semper, eam ita tractandam, ut enecantis hyemis periculum effugiat; cum sermo noster intra prolongationem dari à natura ævi subsistat. Concipio, velut axioma admittendum, quicquid serotinam reddit arborem, longævitati conducere. Expediret periculum facere inumbrato tritici caule, & circumjecto receptaculo ligneo, stramen ejus non attingente, ut publice circumfluus aër excludatur.

De

De conservatione fructuum plantarumque tam in arbore aut caule quam decerptorum, agemus sub titulo de conservatione corporum.

Experimenta varia spectantia varias plantarum figuras.

588. Particulares plantarum figuras relinquimus descriptioni speciatim iis occupatæ, contenti generatim instituta quorundam eo spectantium observatione. Arbores & herbæ in ramis producēdis non habent figuram, nec ordinem sequuntur. Causa est, quia succus in cortice repressus nō simul prorumpit (ut in arborum corporibus truncisve aut herbarum caulibus) donec ramos proferunt; & quando prorumpunt, fortuito se exerunt, qua via datur in cortice. Verum est, quasdam dispersis magis exire ramis, ut solet ilex, pyrus hiberna, malus cotonea, mespilus, citrea, quædam exactiori pyramide fastigiantur, & in umbonem assurgunt ternū, ut pyrus (cujus originem Critici arcessunt à πῦρ, ignis) malus Aurantia, abies, sorbi arbores, tiliæ, malus medica, quædam magis expansæ sunt, ut fagus, fagi fœmina, &c. cæteræ magis indifferenter se habent. Causa cur ita dispergant ramos, est festinata succi eruptio, unde justa proceritate corpus non efferunt, sed oberrantibus circa terram ramis. Causa pyramidis, est succi repressio longe antequam ramos emittit, ejusque æquali gradu consumptio simulac illi prodeunt. Dispersio est ex succo copiose sursum delato sine consumptione, & simultanea festinatione non intermissis vicibus.

589. Herbæ, non vero arbores, inveniuntur, quæ possent dici observare ordinem in edendis frondibus; utpote articulis nodisque distinctæ totidem obstaculis germinationis, vices flagitantis ut se promoveat, quales caryophillus flore simplici, fœniculum, frumentum, arundines, cannæ. Causa, inæqualis ascensus succi, ut ad viæ obices quasi retardatus subsistat. Videntur quoque arctius compacto caule durescere, unde impedimentum sursum tendenti succo, donec in nodum se collegerit, ex quo coactior exit urgeturque ad proferendum. Hinc earum pleręque cavæ sunt, caule sicco, ut fœniculum, stipula, arundo.

590. Floribus omnibus accurata figura est, quorum numerus quaternarium aut quinarium non excedit, ut primulæ veris, flores cynosbati, rosæ moscatæ flore simplici & caryophylli tales, &c. qui frondibus quinis constant: lilia, Irides, flores borraginis, buglossæ, &c. qui quaternas habent: quædam innumeros proferunt flores, sed parvos, ut calendula, trifolium. Videmus etiam folliculos & pediculos quibus flores sustentantur, figuratos esse, ut quinque folia externa graminea, quibus flos rosæ includitur ante expansionem folliculi caryophyllorum. Sunt & frondes figura aliæ rotunda, aliæ oblonga, nullæ quadrata, multæ extremitatibus serratæ vel laciniosæ; quales in floribus raræ: existimo enim lacinias caryophyllorum respondere inæqualitati foliorum in quercu, vinea, & similibus. Sed illæ raro aut nunquam potius spiras habent.

Experimenta varia spectantia præcipuas plantarum differentias.

591. Paucæ plantæ florent antequam frondescant, ut amygdalus, malus Persica, cornus, spina nigra, &c. sed plurimis frondes priores sunt floribus, ut probat malus, pyrus, prunus, cerasus, spina alba, &c. causa, in his ubi flores antevertant, est acer spiritus (ideo plerumque citius exhibent fructus tempore veris, sed quorum serior maturitas, ut pleraque prædicta particularia) aut oleosus succus, frondibus quam floribus producendis aptior.

592. Quasdam plantas tota hieme viror non deserit, aliæ defrondescunt. Quæ hiemem ferunt illæso virore, sunt ilex, hedera, buxus, abies, taxus, cypressus, juniperus, laurus, rosmarinus. Causa viriditatis integrę est arctior compactiorque foliorum substantia, pediculorumque. Cujus iterum causa est tenax & viscosus plantæ succus, aut vigor, earumque calor. Prioris generis ex ilex, cujus succus ea visciditate, ut ex ejus cortice paretur fiscus, Caudex hederæ tenax est, nec ea fragilitate, quam in aliis parvis virgultis experimur: abies præbet picem: lignum buxi solidum & ponderosum est; quod globi docent. Taxus constat valido & flexili ligno, arcubus id probantibus qui ex eo fiunt. Secundi generis est Juniperus, ligno odoro, fortiter ignis calorem intendente; auri quoque calidum & aromaticum est lignum. Sic quoque se habet rosmarinus inter frutices. Frondium densitatem causatur lævitas & splendor, ut in lauro, & ilice, buxo, &c. aut durities in spiram coiens, ut in cæteris. Tentari posset rosmarini insitio, lauri, aut buxi in truncum ilicis, cum istas plantas integra supetat hiems. Operæ quoque pretium foret experiri insitionem aliarum arborum, seu fructiferæ deligantur aut sylvestres, ut observetur scilicet, an non fructus frondesve serotinas in provectiorem extendant hiemem, qui ilex ut plurimum hiemi sua donat. Forte chamælea in ilicem vel agrifolium insitione translata grandior præcociorque evadat.

593. Plantis nonnullis utut flores, tamen fructus non desunt, & contra, in aliis utrumq; requiras frustra: pleræq; arbores fabrilis materiæ, grandiores, ut quercus, fagus &c. conspicuo flore non vernant, ex fructiferis quoque arboribus paucæ ut morus, juglans, &c. quædam frutices, ut juniperus, ilex, flores non edunt: variæ herbæ semina, fructibus paria, proferunt, non flores, ut portulaca, &c. quæ nec flore, nec fructu induuntur, paucæ omnino sunt, ut cerasus duplex, salix, &c. sed de ceraso dubitatur, an non artificii aut culturæ hoc opus sit. Si ars hic regnat, tentari posset, quid valeat in duplicandis malis aliorumque fructuum floribus. Quæ & flore & fructu destituuntur, multæ non sunt, ut ulmus, populus, buxus, filix, &c.

594. Sunt quæ continuo in altum efferuntur incremento, seque ipsis sustentantur, ut quæ inter arbores plantasque sunt grandiores. Aliæ humi repunt, arboribusque vel pedamentis fulciendæ implicantur, erigere se invalidæ, ut vinea, hedera, vepres, vitis alba, periclimentum vel caprifolia, lupulus, climatis, camomillum, &c. causa ex parte jam dicta, quod omnes plantæ sursum naturaliter ascensu enitantur. Sed si succus protrudatur sursum præpropere, gracilescit truncus ponderi ferendo impar, unde in postrema hac specie proventus celeritas.

Experimenta varia spectantia modum compositionis & terrarum emendationem.

595. Quod primum sese offert ac usitatissimum adjumentum, stercoratio est. Bonitate cæteris præstat

præstat stercus ovium, secundas tenet stercus vaccinum, tertio loco habetur equinum, sed calore per mixturam refringendo. Columbinum horto imprimis prodest, quæque terræ mensura modica constant. Stercorandi ratio in usum venit hæc, ut terra aratro inverti solita fimum dispersum accipiat protinus ante arationem aut sementem, atque ita arando obruatur. Jacto enim diu ante per arva, Sol pinguedinis plurimum decoquit. Si pascua sit terra, aliquanto serius & sub hiemis viciniam disjice, ut languescens Solis calor minus exsiccet. De Compositione qua specialiter spectat horti culturam, ut de areola calefactoria, &c. ante [*Exper.* 401. & 2.] egimus.

596. Alterum, miscellas terras inspergere, ut mergam, calcem, arenam marinam, palustrem, terra terræ superingesta, eisque varie miscendo temperatis. Mergam commendat pinguedo, & calor inter extrema medius: proxima est arena marina, cui proculdubio aliqua virtutis prærogativa est ex sale, vitæ rudimento. Calx nimium aliquanto terram adurit; ut convenientior sit locis frigido-limosis, humidisve. Sed agricolæ versatissimi sermonibus interfui, cum errare vulgo diceret eos, qui calcem terræ aratoriæ prodesse censent, non vero pascuæ, cum & gramini, & frumento proficua sit. Sed errori occasionem dedisse, quod terram calce subactam, vario neque intermissionem passo proventu, deterant, exhauriantque, ut deinde exhausta nonnisi parce in gramen sufficiat. Utile fuerit tentare quid sit futurum, si terra aratrum passura calcem accipiat paulo antequam subigatur, quæ deinde tractetur ut fimus: sed oportet friabilem reddiderit pluvia, aut quod jacuerit inculta; terra glebosa in circuitum se volvente: memini enim insignem hortum, cui campus quasi superingestus erat, primo plantationis anno egregie protulisse fructus, cum terræ superficies plerumque fœcundissima sit; quæ tali apparatu duplicatur. Sed ego prorsus mihi persuadeo, si absque magnis impendiis effici possit ut terra abundet sale petræ, optimam eam fore. Modus accelerandi productionem salis petræ est, ut Sol arceatur, & germinaturis vegetabilibus ponatur obstaculum. Ideo si operimento, terræ aliquantum complexo, ex stramine tegumentum imponas, aut tabulis terram tectam consternas, salem petræ fundus dabit. Ex palustri aut fluviali terra fit optima compositio, si præsertim diu purgata non fuerit palus, ne aqua nimis sit jejuna. Addo, & admixta ei calce fore adjumentum.

597. Tertius modus terram corrigendi est ex aliis substantiis, quæ fœcundandi virtute impregnatæ sunt, etsi mera terra non sit. Hic cineres excellunt; adeo ut circumvicinia Ætnæ regio & Vesuvio compenset quodammodo crebratum eruptionum dispendia, rara soli benignitate, quam dispersi huc illuc cineres ingenerant. Fuligo non spisse conspersa per campum aut hortum, probatam compositionem reddit. Sal quoque, sed obstat pretium. Docuit tamen experientia quod frumento sativo admixtus atque una consitus profit. Sedet mihi hæc sententia, quod calx in cinerem redacta frumentoque sativo addita conducere possit, forte ut calx super terram dispersa. De seminum maceratione in variis cum aqua mixturis ut vigorem colligant, aut de irrigatione terræ per aquas compositas, ante [*Exper.* 402. *&c.*] egimus.

598. Quartum corrigendi terram remedium est, si vegetabilia putrescere in terra patiaris, atque ea ratione pinguefacias; ut frumenti stipulas, præsertim pisorum. Filices in terram conjectæ cœlo primum hiemante, fœcunditatem conciliant. Expediret periculum facere an congestæ arborum frondes, calce aut fimo admixtis, ut intendatur vigor, bonam in compositionem coirent, cum nihil æque neglectim habeatur, pereatque, quam frondes arborum. Nunc autem prout dispersæ jactantur, neque mixturam subeunt, acida potius qualitate, quam ulla alia terram imbuunt.

599. Quintum terræ adjumentum est calor. Antiqui ericam, filices, carecta vento flammas per agrum terramque rapienti exurenda dedere. Calor quoque ex parietibus & receptaculis ad emendationem faciunt. Terra etiam ad meridiem obversa commodum colligit; velut & ovium caulis adjuvatur, calore scilicet ac compositione. Conjiciat forte quis, an sub adventum hiemis non prosit terram sparsis obducere filicibus (quod præcedens experimentum voluit) ut intendatur calor. Quin etiam suspicio est quorundam agriculturæ artem intime callentium est, quod collecti & super terrã lapidosam cumulati filices (cujus rei frequens usus) non constituant probatam atque ex artis præscripto agriculturam, quod contineant terræ calorem, ne dilabatur.

600. Sextam telluris juvandæ rationem præbet irrigatio, quæ duplex. Altera constat tempestiva aquæ admissione & exclusione; quæ nunc justi morata spatio temporis proficit, nunc nimia si stagnet ac diutius subsistat, nocere solet. Sed fiunt hæc solo pratorum commodo, quæ dissitum longe flumen habent. Altera est, aquæ derivatio ex terris, ubi scaturigines dantur, decliviibus in solum humilius per canales, ex quibus transversim actis dispersa latius aqua effluat. Atque hæc deductio lucri spem facit ex frumenti & graminis feliciore proventu; eo luculentiore, quo terra declivis fœcundior est, quia abrasum nonnihil ex terræ pinguedine, secum abripit. Sed quocunque demum spectetur modo, nunquam utilitate caret. Generatim, ubi paludes quæque iis similis aquæ facto velut diluvio exeunt, illa exundatio per hiberna aquarum incrementa sequenti æstati fertilitatem præstat. Causa fuerit, quod & terræ conservet calorem & illam ipsam nutriat. Sed in paludibus versati, affirmant fossas vel canales sic habendos, ne nimia aquæ stagnantis mora, ulvam palustrem & carices gignat. Tum enim terra instar nemoris excludit Solem, unde subsistens humor efficit ne istius anni gramen ex voto sit. Tantum de irrigatione. Quæ ad evitandam percolendamque nimiæ aquæ copiam, & terræ in eo genere adjumenta, spectant, alibi diligentiam nostram haud effugient.

Finis Centuriæ Sextæ Historiæ Naturalis.

FRAN-

FRANCISCI BACONI DE VERULAMIO. NATURALIS HISTORIÆ CENTURIA SEPTIMA.

Experimenta varia spectantia affinitates & differentias plantarum & corporum anima carentium.

601. QUicquid inter animata & inanimata discriminis est, accurate meditabimur titulo, cui tractatum de vita, spiritibus vitalibus facultatibusque seponimus; perfunctiora hic narratione contenti. Ad duo igitur velut capita revocantur istæ differentiæ, cum nullis non corporibus insint spiritus & pars pneumatica. Sed duo præcipuè animata & inanimata discriminant. Primum est, quicunque animata vegetat spiritus, indivisus meat continuato in venas abditosque canales profluxu, ut sanguis; nisi quod ille non ramos suos tantum habet, sed ventriculos quosdam aut receptacula, principalis spiritus sedem, & quo velut corrivantur. Inanimatorum vero spiritus concluſi sunt, & à partibus tangibilibus abscissi, sibi invicem impervii; ut aër in nive existit. Secundum, quod omnes animatorum spiritus plus minusve accenduntur & subtilis quid flammulæ admixtum habent, substantiaq; arescunt. Corpora autem inanimata spiritus inflammari nescios alunt. Neque hæc differentia calorem aut frigus spirituum designat; nam garyophylla, aliaque aromata, naphtha aut Petroleum calidissimis constat spiritibus (olei, ceræ calorem longe excedentibus) sed non accensis; & quodcunque ex his corporibus temperatis languidioresque spiritus foventibus inflammatur, valide incalescit præ aliis ubi inflammata non sunt, præter lucem & motum, &c.

602. Differentiæ secundariæ, quæque ex prioribus tanquam radicalibus exsurgunt, hæ sunt. Plantis omnibus ex determinata conformatione figura est, non inanimatis corporibus. *Nota* enim, quousque spiritus dispergi continuatus potest, neque seriem deserit, eousque procedit configuratio, terminosque ab extremo conatu excipit. Deinde, plantæ nutriuntur, non vero inanimata corpora; accretionem habent, non alimentationem. Tertio, plantarum vitalitas fixa includitur periodo, quæ stata non est animatis corporibus. Quarto, succedanea sibi invicem individuorum propagatione plantæ conservant speciem; quod non deprehenditur in corporibus inanimatis.

603. Plantæ & metalla fossiliave, quæ inanimatis accenseo, præter quatuor ante dictos modos, etiam hisce distant. Plantæ metallis cedunt longævitate. Secundo, soliditate & duritie. Tertio, illæ supra & infra terram geminum clima possident, cum hæc subterranea tantum, uno contenta sint.

604. Pauca videas, quæ plantis & metallis communicant naturæ utriusque consortio. Corallium utrique speciei maxime cognatum est, ut vitriolum; quod commodissime ex humido succrescit.

605. Altera specialis differentia est inter plantas & putrefactionem; quod hæc omnis (si non desinat in arefactionem) in plantas abeat, aut animantia ex putredine nasci solita. Certum enim mihi omnino videtur, muscum, fungos atque agaricum, aliaque ejusdem generis, esse tamẽ terræ certo modo putrefactæ sobolem, aut murorum, aut arborum, similiumve. Caro autem, piscis, ipsæque plantæ, quæque plura huc referri possunt, putrefacta aut corrupta vermes generant. Putrefactiones, quæ indolem plantarum referunt, hæc ab istis discriminant, quod in successoria prole non reviviscant, quamvis & nutriantur, & ad periodum suam exspirent, neque figura protsus careant.

606. Cum ad trimestre æstivum quæsita secessus temperie gauderem, reliqueram forte in clauso undique loco malum citrium discissum. Ubi redii, video ex secta medulla enatos apices capillares pollicis longitudine, cum pusillis capitibus nigris, herbæ instar repræsentantibus.

Experimenta varia spectantia affinitatem & differentiam plantarum & animantium & quo participent confinio.

607. Quo naturæ consortio copulentur plantæ & animantia, quaque contrarietate à se invicem recedant, sequentia docebunt. Utraque spiritus ramis efflorescentes continuato fluxu protrudunt, inflammationique aptos possident, sed qui in animantibus ventriculos & receptacula habent, non in plantis, ut ante [*Exp.* 1. *Cent.* 7.] diximus. Secundo, illorum spiritus flammæ magis communicant, quam plantarum. Atq; hæ primariæ sunt differentiæ; secundarias accipe. Primo, plantas in arcto terræ contubernio educari videmus, animantia à matrice separata per se subsistere. Secundo, animantibus inest locomotiva facultas, non plantis. Tertio, animantia à partibus superioribus alimentum hauriunt, præcipue per os; plantæ inferioribus, nempe radicibus. Quarto, semen vasaque seminalia, quæ sursum vergunt, plantę partes habent, inanimantibus illæ, quæ deorsum resident. Quare non venuste modo, sed & philosophicè dictum, homo est planta inversa; quod enim in plantis est radix, caput est in animantibus. Quinto, exacte magis configurantur animantia quam plantæ. Sexto, major organorum diversitas illis est intra corpus, & velut interior conformatio, quam plantis. Septimo, illa sentiendi facultate valent, hæ carent. Octavo, animantia spontaneum habent motum, quo plantæ destituuntur.

608. Differentiam in plantis ex sexu haud raro videas. Sic datur mas & fœmina pæonia, mas & fœmella rosmarinus, mas & fœmella ilix: generare ex coitu non possunt, sed ab eo proxime abest quod de mare & fœmina palma tradunt; nimirum alteram alteri adsitam in mutuos inclinare amplexus; adeo ut (magis id mirum) vellnt, quo erectæ indeflexæque succrescant arbores, innexa, quæ ab una ad alteram porrigantur, resti aut linea curari corporis intermedii ope, contactum. Sed nono abludere ultimum id videtur à figmento, aut saltem amplificandæ rei datum. In ea tamen opinione sum, binarium ejusmodi potentioris & languidioris, instar maris & fœminæ, in omnibus reperiri animantibus. Aliquando confusa delitescunt, ut in quibusdã è putrefactione natis non exprimi patet diversitatis

tatis notas. Aliquando duplice agnoscuntur, ut in hermaphroditis; sed in universum pleræque species aliquo pollent vigore.

609. Quæ plantas & animantia aliquo naturæ confinio jungunt, hæc sunt, quod fixa existant, & motum localem ignorent, licet aliquem in partib⁹ habeant, ut ostrea, cochleæ, similiaq;. Ex fabula est quod narrant, in regionibus Septentrionalib⁹ herbam crescere in formâ agni, gramine nutriri, adeo ut illud circa se absumat. Putaverim, ex herbæ figura originem fabulæ esse; ut scimus dari etiam satyrion floribus apes referens, &c. Quantum ad gramen, videtur planta prægrandi sustentata caudice, verticeque amplo, illud depascere ad aliquod in vicinia spatium, subtrahendo ei succum terræ.

Miscellanea experimenta spectantia Plantas.

610. Ficus Indica ramos suos intra unum annum adeo incurvatos demittit, ut sponte novas agat radices, quibus denuo ex se invicem multipliciter auctis, una arbor speciem nemoris exhibet. Causa est, copia succi, caudicisque mollities, qui ramos, si nimium onerentur, nec valide sustententur, deprimit, Frondes minoris scuti latitudinem æquant, fructus piæ crassitiem. Ratio est, quod continua umbra augendis frondibus opitulatur, fraudato fructu, qui suavissimi saporis est. Atque proculdubio est ex humiditate oleaginosa succiq; teneritudine, qui ramos in illa planta tam flexibiles reddit.

611. Antiquorum nonnemo asserit, apud Indos arborem esse, quæ paucis, sed immensis longitudine tricubitali, latitudineque bicubitali frondibus vestitur, fructumque saporis optimi cortice enasci. Posset fieri, ut plantæ existant, quæ tam valide succum propellant, ut tempus desit, ut varios in ramos distribuendo, aut fabricando caudici qui fructus ferat. Apud nos, si ratio ineatur comparationis, in genere arbores habent parvos frondes. Ficus maximas præfert, deinde vinea, morus, sycamorus. Ultimi ordinis sunt, salix, tilia, spina. Sed invenias ubi herbis, præ arboribus, magnarum frondium prærogativa est, ut in lappa, cucurbita, cucumere, brassica. Causa coincidit cum ea quam dedimus in ficu Indica, præceps, & copiosa succi protrusio.

612. Tria sunt, quæ popularis usus à dulcedine fecit commendatissima, saccarum, mel, manna. Primum veteribus cognitum vix fuit, & raro in usu. In calamis reperitur, sed inquiratur an in primo, an ulteriori nodo, utrumve etiam cortex calami saccarum largiatur. Apes mel conficiunt aut colligunt. Audite memini ex homine, cujus in agriculturæ studio excelleret industria, quod apes cera paranda occupentur, & in mensis Maji principio alvearia melle destituta repererit, atque intra quatuordecim dies cum rores dulces sparguntur, stipata instar cellæ. Veterum nonnulli scribunt, in Hyrcaniæ vallibus arborem nomine Occhum, mel destillare matutino tempore. Veri speciem habeat, succum & quarundam arborum lachrymas dulci esse sapore. Possent quoque dulces è fructibus quibusdam succi decoctione varios in usus temperari, consistentia mellis fortasse aut saccari. Sed promptè magis id spondeant uvæ passæ insolatæ, ficus, uvæ Corinthiacæ, sed ut modus adhuc inquisitionem subire debeat.

613. Ab antiquis sumpta narratio est, ad mare Persicum in arenoso litteris tractu arborem nutriri aqua salsa, cujus radices, refluo mari, conspiciantur velut sine cortice, & salsugine corrosæ, cancriqué instar immissis uncis arenam habitare, neque fructibus carere. Profuerit tentamentum arboris duræ, ut sorbæ, abietisve, arenis implantatæ.

614. Sunt & plantæ, quæ vestiendo inserviant homini, ut sequentes, cannabus, linum, gossypium, urticæ (unde vestes fiunt vocatæ linteamen ex urticis) sericum crescens. Conficiuntur etiam rudentes ex cortice tibiarum. Caudex plerumque suppeditat materiam filaceam; aliquando ei solita innasci lanugo.

615. Ferunt regiones quædam rosei coloris plantam, quæ noctis sensu contrahitur, mane aperitur, sub meridiem ornatu laxe explicato; quam populares designant titulo somniculosæ. Plurimæ igitur dormitatrices sint necesse est, cum omnibus floribus illa sit indoles.

616. Arbores sunt, etsi raræ, muscosis & lanuginosis radicibus. Aliæ plurimis filis velut barbatæ circumvestiuntur, ut mandragora, præstigiatorum imposturis accommoda. Formidandam enim ex illa imaginem struunt, & facie radicis fastigio impressa, fibras illas barbæ instar promittunt ad pedes usque. Vernat & Cretæ solum quædam Nardi specie (illis phu annumeranda) cujus villosa radix est instar columbæ pedibus hirsutæ. Sic radices bulbosas, fibrosas & hirsutas habemus. De bulbosis hoc statuo, succum magis properare versus aërem & Solem. In fibrosis delectari magis subterranea sede, hirsutas mediæ inter utrasque naturæ esse, quæ succo sursum deorsumque misso circularem quoque ejus protrusionem addit.

617. Quarundam arborum lachrymæ depectuntur barbis caprarum, quæ cum illis dentes imprimunt admordentque, mane præsertim nondum exsiccato rore, prodeuntes, lachrymæ sparsim adhærescunt caprarum barbis. Est consimilis quoque ladani species.

618. Platanus irrigata vino, si antiquitati habenda fides, exuit sterilitatem: tentetur idem in radicibus; nam in semine vix notabilis operatio est.

619. Modus transferendi per longinqua terrarum spatia radices extero solo innutritas, hic est, ut in fictilibus arcte habeantur. Vasarum capacitas si ex æquo magna non sit, fundus inditis foraminibus pervius sit, ut sentiat arbor quibus foveatur, emoritura alioquin, &, ut videtur, suffocanda.

620. Cinnamomum vetus germinandi tempore præ cæteris plantis servari curabam ficcissime, omniaq; quibus aliæ proficiebant, hujus cedebant damno. Malignius enim incrementum erat cœlo pluvio. Inter dumeta quoq; alterius speciei, à quibus plantas abhorrere plerumque videmus, hospitabatur, neq; admisso delectabatur Sole. Causa tot pariter complexa effectus dari posset, nutrimentu, quod illa planta trahit parcius. Inquiratur, quousq; Cassia, cinnamomo suffecta, hæc in se comprobet.

621. Vetus scriptor narrat, cassiam collectam inseri pellibus bestiarum recens excoriatarum, pellibusq; putrescentibus & vermes producentib⁹, exedi ab illis medullam ejus, eaq; ratione excavari; cortice, utpote quem amaro ingratum reddit, abstinet.

622. Hodiernæ vites infra illam, qua olim conspiciebantur, magnitudinem sunt, cu pocula ex iis & Jovis imago effotmaretur. Sed immitiore indole sylvestres fuisse videntur. Illi enim vini genitrices, crebra amputatio, repetita effossio, & cultura,

distributo in uvas succo, fœtas reddit, prohibito, caudicis ne nimium crassesceret, incremento. Vinearum lignum multos in annos integrum arcet putredinem. Et, quod miremur, quamvis in nulla arbore, germinum, dum vitet, par fragilitas sit, ligni tamen exsiccati calentities est, ut Romanis Centurionibus præbuerit Scipionis ministerium.

623. Perhibent, vingas alibi, velut herbas, nasci terræ inerrantes, earumq; botros admodum grandescere. Profuerit experimentum, an plantæ, pedamentis fulciri solitæ, frondibus & fructibus augescant, si humo repules insistant, ut lupulus, hedera, periclimentum, &c.

624. Cotonea aut alia mala, &c. melli immersa diu illæsa perstant, sed quia forte melo saporem ex dulcore fastidiosum illis conciliat, præstiterit saccari pulverisati, aut syrupi vini, ad octavam decorni, usus. Utriusque fiat experimentum in malis aurantiis, citriis, punicis, cum saccari istius & syrupi ministerium aliquoties repeti possit.

625. Illibatos noxæque expertes fructus etiam vascula forte tuentur, repleta arena tenui, cretæ pulvere, farina & polline, aut pulvere ligni querni & molæ.

626. Quoscunque fructus destinas longiori conservationi, illorum prævertenda in carpendo maturitas est, colligendique sereno siccoque die circa meridiem, non flante austro, silente decrescentique Luna.

627. Uvas in vasculo inani probe clauso suspensas, non in cella, sed loco sicco, positas, ajunt diu servari integras. Nonnulli melius id fieri dicunt in vasculo, quod ita vino repleatur, ne uvæ suspensæ illud attingant.

628. Quicquid servando impenderis caudici, botri commodis cedere ferunt; præsertim si caudex inseratur medullæ Sambuci, ne Sambucus tamen fructum contingat.

629. Antiquorũ observatio est, fructus, lagenis, infra putei aquas depressis, impositos, diu vivere.

630. Herbarum & plantarum aliæ, etiam crudæ neque cocci operam passæ, epulis adhibentur, ut lactucæ, endivia, portulaca, dracunculus hortensis, nasturtium, cucumeres, melones moscati, raphanus, &c. aliæ nonnisi excoctæ, ut apium, salvia Romana, pastinaca, rapa, asparagus, carduus altilis (quanquam & hic, tener dum est juvenculusque mensis non abdicetur, edulisq; sit etiam incoctus) aliarum esus nulla opera attemperatur, ut absinthii graminis, frumenti in herba, centaurii, hyssopi, lavendulæ, melissæ, &c. ratio, quia damnati esus herbæ duobus carent saporibus omnem nutriendi vim continentibus, pinguedine & dulcedine; aut contra amarore acrique sapore constant, aut succo tam crudo, ut ad aliquam nutrimenti maturitatem excoqui nequeat. Quibus herbis plantisve licet crudis vesci, utraque qualitate, jam dicta, valent (qualis omnium edulium indoles est) ut cæpa, lactuca, &c. Sed in dulcore hoc requirimus (cum dulcia quæ sunt, stomachus admittat) ne crassior sit prægravetque: pastinaca enim & allium pinguedinem habent, sed decoquendam ut crassities deponatur. Substantia quoq; tenera sit oportet, cũ videamus, triticum, hordeum, carduum altilem, probi non esse alimenti, nisi focum experta, qui emollit & tenerescere facit, & artificiosa velut maturitate, palato conciliat. Raphanus & dracunculus hortensis similesve condimenti loco adhibentur, haud nutrimenti. Sunt & herbæ, quarum esum refugias, poculis tamen usum præbituræ; ut lupulus, genista, &c. Inquiratur, quænam præterdictas, herbæ potum miscere aptæ sint; fecerit enim forte ad minuenda coctionis impendia, si cerevisia parari queat minus absumptura maltæ, sive byne, & haustus datura probæ diutius notæ.

631. Nutritivæ plantarum partes sunt, semina, radices, fructus; sed ut semina & radices alimenti prerogativa commendet, cum illud aut nullum aut parcissimum in frondibus resideat, florumque & caudicis par ratio sit. Causa, quia radices, semina, fructus (omnes enim plantas oleosæ aqueæque substantię miscela constituit) plus substantię oleosæ continent, frondes & flores plus aqueæ. Deinde, magis concoquuntur, cum radix, perpetuo subterranea, illo in gremio nutricis emolliatur (fructusque & grana (manifestum id) semestre spatium aut amplius mutaret, frondes vel mensis perficiat.

632. Plantarum plerarumq; semina sapore & odore prævalent frondibus aut radicibus. Ratio, quia quotquot plantas asper & acer spiritus non vegetat, earum virtus concoctione & maturitate augescit, conspicua semper in semine. Sed quas acer fovet spiritus, per se efficaciores sunt, cum ille radicibus inclusus regnet; & aër perceptusque Sol faciat, ut languescẽs dissipetur. Obvium id in cæpis, allio, dracunculo, &c. Sunt & plantæ radicibus calidissimis atque aromaticis, seminibus insipidis, ut Zingiber: ratio jam dicta, calor scilicet hujus plantæ admodum dissipabilis, qui sub terra cohibitus invalescit, ad aëris sensum exhalat evanidus.

633. Succi fructuum aut aquei aut oleosi sunt. Illis accenseo omnes, ex quibus exprimitur potus, ut uva, vulgare malum & punicum, cerasum; sunt & alii, qui potum licet præbere non soleant, ejusdem tamen naturæ deprehenduntur, ut pruna, sorba, mora, rubi Idæi, mala aurantia, citria, &c. succi ea crassitie, ut in potus usum exprimi nolint, forte temperati se patientur admixta aqua:

Poculaque admistis imitantur vitea sorbis. Fructus spinæ albæ & cynosbati inodori idem præstiterint. Oleoso succo sunt olivæ, amygdalæ, nuces omnis generis, pineæ, &c. etiam inflammabili. *Notandum*, alios ex aqueis succis acquisito spiritu turgidos, accendi, ut vinum. Tertia fructus species dulcorem habet acrimoniæ expertem & oleaginositatis, quales sunt ficus, dactylus.

634. Sana & ex re observatio est, complures arbores, præcipue ex glandiferarum genere, semel tantum biennio fœtescere: causa procul dubio est succi consumptio; cum hortensium arborum plurimæ, bene habitæ & cultæ multos per annos continue fructum gerant.

635. Nulla datur arbor, excepta quercu, quæ, præternativos, tot fructuum notham sobolem alat: juxta glandes producit gallas, poma quandoque & nuces, quæ inflammati possunt, baccas quoque paritfirmiter arbori inhærentes sine caudice; profert quoque viscum, sed raro. Causa in tot effectus sufficiens possit esse compactum ligni corpus & soliditas quercusque medulla, quæ varios succos varie exerit. Quare superfœtationes in plantis meditanti succi ascensus largior, difficilis egressus curandus est.

636. Duæ sunt excrescentiæ arboribus innasci & in

& in fungis haberi solitæ. Altera Romanis boletus dicta, in quercus radicibus inventa, mensarumque deliciis adhibita. Altera Medicorum usibus celebrata, agaricum vocatur (ante nobis memoratum) summitates quercuum possidens; affirmantibus tamen nonnullis, etiam in radicibus reperiri. Facile adducor in eam sententiam, quæ persuadet, plures excrescentias esse ab emortua aut marcescenti arbore, naturali ejus succo in præternaturalem substantiam degenerante.

637. Arborum aliæ plerumq;, idque optime, inferiores ramos fructibus ditant, ut quercus, ficus, juglans, pyrus, &c. quædam superiores melius, ut malus sylvestris. Quæ infra fœcundiores sunt, umbram magis in adjumento habent, quam ut obsit. In universum, optimi fructuum sunt infimi, utpote succo vegeto minimæque effœto, qui brevissimam nutricationis peragit viam. Hinc in aggeribus plãtatæ arbores fructus infimos exhibent maximos, uti antea [*Cent.* 6.] dictum. Sic & umbra inferioribus nocet ramis, nisi in iis, quæ umbra gaudent, arboribus, aut saltem fœcundiores sunt; atque ex earum genere, quæ aut validæ, ut quercus, aut latis frondibus, ut juglans, & ficus, aut pyramidali crescunt forma, ut pyrum, sed valentiori Sole si animandæ sunt, optime in vertice proferunt, ut malus sylvestris & hortensis, prunus, &c.

638. Nonnullis arboribus ipsa demum senecta imprægnata fœtificat, ut amygdalo, pyro, vineæ, omnibus glandiferis. Causa est, quod glandiferæ fructus alunt oleosos; tenellisq; arboribus inest succus magis aqueus, minusque concoctus. Refer huc Amygdalum velut congererem; ut & pyrum; quæ, licet non oleosa, multum tamen succi probeq; excocti requirit; ut constat ex fructuum pondere & soliditate majori, quam in malis, prunis, &c. vinea, ut annotatum reperio, juvencula, fœcunditate prævalet; adulta botros profert, vino illis exprimendo pocula commendaturos, concoctiori utpote succo. Vinum quoque flammam concipere videmus ex insita oleaginositate; sed plerumque arborum tenella ætas, malo & pruno connumeratis, &c. lætior proventu beat.

639. Plantæ sunt, ex quibus discissis lac emicat, ficus, lactuca vetus, sonchus, tythymalli, &c. ratio forte sit putrefactionis rudimentum, cum acrimoniam lac illud prodat, licet putetur lenitivi facultate pollere. Charta enim lacte fici conscripta literas gerit inconspicuas, nisi admoveatur igni; quo facto nigrescere videas, ut acris mordaxque inde succus arguatur. Lactuca istius vetustatis ut lac includat, veneno infamis est. Tythymalli venenata quoque indole sunt; & quamvis cuniculos sonchus pascat, oves tamen pecudesque illas avertantur. Adde, quod lac earum, verrucas aperiendo, breviq; consumendo vim corrodendi prodit. Triticum quoq; & aliud cujusvis generis frumentum si è terra eximas antequam germina protrudant, lacte abundare deprehendes. Germinationis etiam initium nihil est præter quandam seminum putrefactionem. Euphorbio inest lac, licet haud nimium albescens, insignis tamen acrimoniæ. Flavescit chelidonii lac non sine valida satis acrimonia, oculis nebula laborantibus, & cathartis expurgandis medela.

640. Fungi tam in arborum corporibus, quam radicibus, & terra nasci dicuntur; præcipue quercu: ratio, quia arborum solidissime ejusmodi excrescentiis terræ vicem præbeant, ut muscum, fungos, & similia protrudant.

641. Vix datur planta rubro in foliis & spica succo, excepta quæ sanguinem Draconis profert, cujus inprimis genitrix est Insula Soquotra. Amaranthus tota rubescit, ut & lignum Brasilianum, nec non Sandalus. Illa sanguinem Draconis præbens arbor crescit forma coni saccharini: putaverim non extra omnem veri speciem, succum istius plantæ in arboris corpore concoqui; cum in uvis & malis punicis succus rubeat, lachrymæ viteant. Hinc arbor unde sanguis Draconis non tam celeri in altum incremento augescit, succo non ita versus superiora properante. Est præterea valde astringens, unde tarde movetur.

642. Populus quoque, ut ex relatu habemus, muscum quandoque fert dulcem, præter illum qui innascitur malis; cum tamen lævi & æquali vestiatur cortice, parum etiam mucosa. Arboris laricis muscus accensus suavem spargit odorem, scintillatque. Transeat inquisitio ad arborum odoratarum muscos, ut cedri, cypressi, ligni aloës, &c.

643. Mortem minimo doloris sensu infert temperata potui cicuta; pœna levis usurpata Athenienſibus in capitali supplicio dignos. Geminus pene huic est, corpori impressus aspidis, à Cleopatra adhibiti, morsus. Ratio, quia mortis cruciatus præcipue formidandos reddit spirituum certamen, qui hic velut offusa soporis nebula, vaporibus sensim indormiscunt; ut in morte decrepiti senis accidere solet: minus tamen affligere putem quam opium, quod partes calidas habet admixtas.

644. Fructus quidam ante maturitatem dulcescunt, ut myrobalani. Sic fœniculi semina, nondum matura, dulcia sunt, post aromatica. Quibusdam nunquam maturitas conciliat dulcorem, ut sunt thamarindi, oxyacanthæ fructus, poma sylvestria, acaciæ. Ratio, quia priores copioso subtilique spiritu pollent, præcoqui, dulcoris parente. Posteriora frigidum & acidum obtinent succum, quem Solis calor ut dulcescat, percoquere nequit. Myrobolanus autem constat partibus naturæ sibi invicem adversantibus; nam dulcis est & adstringit.

645. Paucas herbas sapor imbuit salsus. Contra, omnium animantium sanguis est salsus. Causa fuerit, quod sal, quamvis vitæ rudimentum, primarii tamen saporis locum in plantis servare nequeat, cum eas amatas, acidas, dulces, mordaces gustus ostendat, raro salsas. Illi vero graves sapores, quandoque simul in animantium humoribus se offerunt, non ita crebro in carne aut substantia naturæ magis oleosæ, quæ haud facile ejusmodi sapores admisceri sibi patitur. Atque ipsa sanguinis salsugo levis & velut latens est. Plantarum quædam salsuginem testantur, alga marina, crythmum, vel fœniculum marinum, cochleare. Ajunt, in quodam apud Indos mari herbam natantem reperiri, quæ Salgazus vocata per undas se dispergit, ut prati instar intuentibus præferat. Certum est ex plantarum cineribus sal extrahi in usus Medicos.

646. Antiqui scriptoris narratio est, herbam aquis innasci dictam Lincostin, quæ spinis scatet, atque è foliis aliam succrescentem ostentat. Origo refertur ad humorem, qui intra spinas collectus & admoto Solis calore putrescens germinat. Sed

memini vidisse cum admiratione rosam ex rosa natam, caprifolio similem prolifero.

647. Hordeum (ut apparet in ejus præparatione ad conficiendam cerevisiam) triduo maceratum in aqua, eaque percolata sicco tabulato instratum pullulabit ad medii pollicis longitudinem; quantoque magis quiescit minusque ventilatur, tanto majus futurum est augmentum, donec exhaustum fuerit. Idem in tritico apparet. Fiat simile experimentum in fabis & pisis. Hoc autem isti in agria & sempervivo dispar videtur: illa enim ex residua prioris aquæ copia, non addita recenti, hæc ab aqua nutriuntur. Procedat ulterius inquisitio, cum ex antedictis pateat, primam plantarum germinationem non egere terræ adjumento. Docent id rosarum gemmæ, quæ affusis aquis efflorescunt. Quare tentari suadeam, an ulterius promoveri nequeant ejusmodi granorum germina, puta in herbam aut florem, aquæ solius beneficio, aut exiguo terræ addito. Successum enim fortuna si præbeat, parem illas brynes & rosarum experimentis, felicior illorum in aqua quam terra proventus erit, quanto commodior ex aqua nutrimenti attractio. Facem huic rei allucebit, quod potus carni infusus, ut in capone vidimus, &c. melius faciliusque nutriat, quam cibus potui divisim sociatus. Ad idem examen revoca radices, æque ac grana. Ex. gr. rapam macera aliquamdiu, & siccata deinde num crescat, attende.

648. Brasium (vulgo maltha) maceratum intumescit adeo, ut, postquam germina extruserit, exsiccatumque fuerit super fornacem, ex octo unus ad minimum modius creverit, ablatis etiam quæ pullulaverint; ac supra brasium dabitur pulveris modius. Suppono id fieri non ex laxiore solum magisque patenti partium situ, sed & substantiæ augmento ex aqua macerationi adhibita.

649. Byne saporem adscisci palato magis blandientem; cujus rei clarius exemplum est in liquore cerevisiæ incocto. Dulcoratio sane accuratas exploratricis industriæ observationes meretur, cum gradus ad nutricationem sit; quæque nutritiva non sunt, facere ut sint talia, verso indignius naturæ instituto, experimentum fuerit ingentis lucri, ut per suffectionem nova semper annona exhauriri nequeat.

650. Plerorumq; seminum siliqua aut folliculus circa radicem reconditur, cæpa secum in lucem effert, ut videatur haud absimilis cucullæ in vertice cæpæ tenellę. Ratio forte sit, quod pellis aut siliqua facile haud distrumpatur, ut excoriatio cæparum docet, quam tenacis substantiæ sit pellis ea.

651. Crispatæ plantarum frondes humoris copiam arguunt, qui tam continue prorumpens pergit, ut ad æqualitatem redigi distribuendus nequeat, sed necesse est ut alibi neglectior subsistat. Crispatio maxime debilis est hirsuties, ut in salvia Romana & lappa. Proxima est illa in extremitatibus, ut in lactuca, brassica tenella. Tertia est, in brassica adulta, lactuca sessili.

652. Extat de abiete & pinu traditio, præsertim præ vetustate putrefactis, etsi ut ligna quædam corruptaſnon splendeant, in subitis tamen disruptionibus scintillare, instar saccari duri.

653. Arborū quarundam radices profunde terra reconditas immergit, ut quercus, abietis, pinus. Aliæ suas circa terræ superficiē diffundunt, fraxinus, cypressus, oliva, &c. causa in posterioribus esse queat, quod arbores liberalius admisso Sole gaudentes, ægre terram alte descendentibus radicibus premant, quas plerumque notabiles reddit proceritas. Desiderium enim fruendi Sole, efficit ne mole crassescant. Eadem ratio militat sub terra, ut tanto minus deorsum tendant, quanto magis abhorrent à Sole recedenti. Quasdam nimis profunda plantatione in terram adactas, quod radius solaribus largissime perfundi gestiant, priorem radicem destituisse, nova propius terrę superficiem suffecta, docuit experientia. Certum omnino est, olivam scatere succo oleoso, fraxini luculentum esse strūdo foco ministerium; cypressum quoque calidam existere. Quercus, prioris generis arbor, terra dilectatur; ideoque tardè terra succrescit. Pinus & abies tantum nativi caloris possident, ut adventitio Solis minus indigeāt. Herbas etiam quasdam eadē indoles discriminat; ut illa vocata morsus Diaboli, tam profunde actis insistit radicibus, ut illæsa revelli nequeat, unde & nomini & fabulæ origo. Ajunt enim tam salubrem fuisse radicem, ut Diabolus invidi dentis morsum impresserit. Transmittit ad nos antiquitas, insignem abietem, cujus integræ mutandum erat alia loci regione solum, depressis ad octo cubitos radicibus terram possedisse, ut sine noxa eximi haud potuerint.

654. Persuasit observatio, arboris cujusdam ramū aliquo ab infra spatio decorticatum, & terræ insertum crevisse. Arborum certe istius generis ramus nisi cortice exutus & plantatus haud germinasset. Contra, videmus arborem decorticato supra terram corpore emoti. Causa fortasse, quod pars vestita nutrimentum attrahit melius, quod cortex duntaxat continuo transmittit.

655. Botri vegeti humidique totam edurabunt hiemem, racemis junctim suspensis in fornicato, qui caleat, loco; præsertim si decerpendis nonnihil abrupti cum racemo caudicis adhærescere patiaris.

656 Arundo aut calamus planta est aquosa, aquis tantum innasci solita, proprietates habet, quod sit excavata, quod caulem & radicem nodis interstinguat; exsiccata lignum quodvis duritie & fragilitate vincit, nullos profert ramos, plurimis caudicibus ex una licet radice pullulantibus. Dispari sunt magnitudine, minimæ adhibentur tegendis ædibus, aut obstruendis navium ramis; idque melius glutine & pice; quæ secundaria sunt crassitie, piscantibus præbent perticæ usum & bacili. In China maleficorum femora iis percutiuntur. Species differentiis suis notabiles sunt, vulgaris arundo, cassia fistula, calamus saccarites. Omnium plantarum & flectitur facillime & flexa in se redit. Inter eas, quibus ex mixta cum aquis terra pastus est, videtur plurimo nutriri humido; unde & cortex lævissimus & corpus maxime cavum.

657. Succi arboribus contenti varia, si emittatur, natura est. Aquasior clariorque est vineæ, fagi, pyri. Crassior est mali; gummosior est cerasi, ulmi spumosus, fici lacteus. Mori succus plerumq; in corticis hæret vicinia, qui impacto leviter lapide cæsus eum prodit, adacto penitius instrumēto siccus deprehenditur. Arbores, quarū humidissimi fructus, plerumque corpore constant tali. Vineæ & pyri humidissima sunt, mali spongiosiores, lac fici refert qualitatem coaguli. Acidis quibusdam herbis simile

simile inest lac, quale efformandis tempore verno caseis inservit.

658. Aliis arboribus lignum purius, aliis nodosius est. Laudatum ejus circumfertur experimentum, si ab uno extremo loquentis sermo captetur, applicita alteri extremo aure. Nodosa enim difficilem voci transitum præbent. Quædam sparsim errantes venas habent undulatimque contortulas, ut quercus, operis tabulati luculenta materies; Acer, unde quadræ conficiuntur. Lignum aliud lævius & æqualius est, ut abietis & juglandis. Aliud vermes & araneæ magis infestant, aliud minus eo laborat incommodo; tale quid narratur de arboribus Hibernicis. Neque modice arbores usus discriminat; sic quercus, cedrus, castanea ædificiis accommoda sunt. Aliæ aratoriis armis aptiores, ut fraxinus; aliæ palis pontium: quæ humidi siccique vices alternant, ut ulmus; quædam tabulis, ut abietes; nonnullæ mensis, abacis, & pulteis, ut juglans. Navibus fabricandis recte destinantur quercus in humido solo natæ, unde ligni tenacitas, ut ad explosionem tormentorum bellicorum non fatiscat aut rimas agat. Hic Anglicum Hibernicumque lignum excellere putatur. Malis parandis datur abies & pinus ob proceritatem, rectitudinem, & levitatem. Quædam palis, ut quercus; alia fomiti, ut fraxinus. Atque ita de reliquis.

659. Productio arborū plantarumq; in quibusdam regionibus, minime in aliis, quandoque multū fortunæ debet. Plurimæ enim non sine felici successu genitale mutarunt solum, ut rosæ damascenę, Anglis ante seculum incognitæ, jam vulgatissimo in usu. Sed quod plantæ cum terra velut cognata magis lætæ consuescant, aliam minus amplectantur, genius subest & latentis naturæ stimulus. Sic abies & pinus montibus gaudent; populus, salix, alnus, fluminibus locisq; humidis, fraxinus sylvis cedui, sed extra illa solitaria si consistat, melior est. Juniperus cretam amat ut & pleræq; arborum fructiferarum arundines, & vimina aquæ viciniam. Fœniculum marinū delectatur rupium contubernio, vineæ collium declivibus, obversæ vulturno.

660. Est & ubi ex nascentibus herbis colligitur quæ solo natura subsit, ut serpyllum arguit terram pecudi pascendæ accommodam; betonica & fraga ligno idoneam; chamemælam, tritico. Semen sinapi post arationem subnascens insignem soli vigorem notat, gignendo quoq; tritico. Ex prunella, de pascuorum felicitate fertur judicium, & sic porro.

661. Non una regio plantas extulit ex ipsis arborum plantarumque corporibus, præter viscum in quercubus. Apud Syros Cassytas herba arborum proceratum soboles est, quæ parenti stipiti circūplicat se; spinas etiam quandoq; illigata amplectitur. Species quædam polypodii ex arboribus crescit, licet genitali trunco diffusa non inerret. Herba faunos dicta olivæ sylvestri innascitur, hippophæston quoq; thamno cathartico, epilepsiæ amuletū.

662. Quorundam ex antiquitate observatio, quos Oriens emittit ventos, licet frigidi sint neque sine fructuum noxa spirent, Australes tamen quandoque damnoso regnare flatu, præsertim dum in flore est arbor, cœloq; pluvio ut omnino vehemēter nimis humidū cieant. Zephyrus maxime censetur benignus, exploratrix quoque sedulitas docuit virides neq; gelu adstrictas hiemes nocere arboribus; adeo ut si bis terve talis recurrat bruma, amygdalas aliasque arbores enecet. Causa cum præcedenti coincidit, quia scilicet fatiscit nimium consumptus terræ vigor; veterum licet nonnullis calidas hiemes commendantibus.

663. Nix si diutius sparsa terram tegat, fœcunditatis eo anno index censetur; quod & soli vigorem dilabi non patiatur, & humectandi partes pluvia potiores habeat, cum nivem terra velut uber exsugat, & humore sit tenuissimo, utpote spuma aquarum nubibus contentarum.

664. Imbres si paulo antevertant maturitatem, succulentis, humidisque fructibus lęti cadunt, ut vineis, oleis, malis punicis; sed ut plus faciant ad copiam quam fructuum dignitatem; cum optima vina siccæ reddant vindemiæ. Modici autem imbres frumento quoque proficui veniunt, ne nimium Solis æstus torreat. In genere imbres nocturni prędiurnis commendantur, quia Solis calor adurens non ita prope eos subsequatur. Usurpata quoque per æstatem irrigatio patet quod vespertina optima sit.

665. Dispar soli genius diligentem sane experimentorum operam meretur. Sic quæ haustis imbribus facillime mollescit terra, commendari solet, dura tamen admodum & sicca ante perceptos imbres. Quæ aratro proscissa majores glebas egerit, bonitate inferior est, ceditque ei quæ minores facit. Quæ musco luxuriat, ut mucida vocari queat, haud proba est. Quæ effossa aut arata suavem edit odorem, laudatur succi nomine, quem vegetabilibus præparatum fovet. Quidam statuunt extremitates humilis & terræ vicinioris Iridis magis huic quam illi terræ incumbere. Fieri id posse non abnuo, prout terra magis existit roscida optimo probatioris soli indicio. Herburum penuria manifesto prodit terræ jejunæ maciem; colore præsertim earum in obscurum vergente. Marcidæ herbæ & æruginosæ in summitatibus arguunt frigus soli, quod & in muscosis arboribus locum habet. Terra, cujus gramen Sol cito torret exuritque, advocatum plerumque testatur emendationis artificiū per se sterilis. Tenera, matura, mitisque, optima, magis glebosa existens in confinio limosæ & arenosæ, præcipue non lutosa & tenax. Terra quæ post pluvias se vix subigi aratro patitur, plerumque fœcunda est, utpote tenax & succi plena.

666. Miramur quod antiqui prodiderunt memoriæ adjecto pulvere fœcundatas felicius crescere arbores, præcipue vineas; ut de industria pulverem illis superingerant. Posset videri illa pulveris consperſio post imbres quædam culturæ species, vel stercorationis vice, utpote terra aquæ admixtæ leviter injecta. Notant, regiones campis visque pulverulentis, alere vineas felicissime.

667. Veteres deprædicant tanquam insigne arborum adjumentum, lupinorum caudices, foliaq; radicibus applicata, aut arando subacta, sicubi destinata serendo frumento area. Faciunt huc & vineæ sarmenta combusta terræque insperſa; emeruitque antiquitatis suffragia stercorandæ terræ institutum Zephyro flante, decrescenteque luna, tanquam magnopere profuturum, cum illa tum arida magis existat & recipiendo fimo aperta.

668. Insitio vineæ in vineam (qualem mea mihi suggerit imaginatio) hodie obsolevit veteribus usitata, & quidem trifariā. Prima erat quæ vulgo innotuit. Altera caudicis medii terebratio, qui ad-

optivos reciperet surculos. Tertia fuit, duarum vineatū sociatis velut incrementis nascentiū resectio usque ad medullam, earumque arcta colligatio.

699. Morbi & frumēto nocua malignitas inquisitionem merentur: forentq; eo accuratius pervestiganda, si in homine esset, deprehensis malis opponere excogitatā medelam. Nunc multa remediis inexpugnata non cedunt. Ros melleus vel melligo ex iis, quę maxime infestant, est, ortu procul dubio, ex arctiori aëris compressione, ut raro collibus terrisque late patentibus se infundat; qualis apud nos tractus Eboracensis Campestris, hoc malum tolli nequit, nisi inclusa angustiis, terra in laxiores campos extendatur. Neq; ignoro id fundis quibusdam profuisse. Alius morbus est productio lolii avenæq; sterilis, in quæ sæpe frumentum (hordeum in primis) degenerat, nasciturq; ex consiti frumenti debilitate, quod aut vetustius aut mucidum si fuerit, proferre lolium solet alius, satietas terræ, quæ ejusdem frumenti (non intelligo ibidem nascens, sed grana ejusdem speciei, puta hordeum, triticū, &c.) proventum continuans pristina felicitate excidit; ut solum non interquiescere tantum conveniat, sed & semen commutari. Etiam malignus ventorum afflatus est, qui gemino nocent tempore, aut dum flores excutiunt, aut in plena maturitate frumentum. Alia fundi lues est magnus æstus cum triticū spicas extrudit, apud nos rara, plagis calidioribus frequens; ut vocis calamitas origo fuerit à calamo, quando frumentum è caule prodire non posset. Æque noxia est humectatio nimia tempore sementis, magna annonę caritate apud nostrates infamis, ut frumentum nullo modo excrescat; unde coguntur sępe æstivum serere quo loco hiemale fuit consitum. Par infelicitas ex continuato absq; nivibus acri gelu, ubi præsertim hibernare cœperit aër brevi post mandatum terræ semen. Aliud dettimētum ex vermibus, qui aliquando generantur in radice, atque immediate post sementem, postq; acres Solis æstus qui imbribus [*Vide Exper. 664.*] superveniunt, regnant. Alium vermem spica producit, erumpente præsertim sępe è nubibus fervore. Sunt & herbæ noxiæ, aut suffocantes aut inumbrantes frumentum, quod depressum aut enecant, aut nutrimento privant. Morbus quoque est nimia frumenti luxuries, quæ illud demetendo tollitur, aut imissis ad depascendum ovibus. Malum itidem est, frumentum serere tempore ingentium pluviarum circa, vel ipsa autumni tempestate. Incommodum etiam oleum aliave infert pinguedo, si semen iis imbuatur, substantiis scilicet illis antipathiam cum derivando ex aqua nutrimento exercentibus.

670. Sideratæ vitiatæque segetis medelam observatio peperit. Grana ante sementem modico tēpore macerantur in vino; commendaturque illud instar prophylactici: prodesse putatur etiam frumenti sativi mixtura cum cineribus, & decrescente luna si committatur sulcis semen, sanum illud ac vegetum reddi existimant. An frumentum aliis commixtum proventu se probet, nondum experimenti fides certum fecit; ex usu tamen fore conjectura est, & si paucæ cū tritico serantur fabæ, tanto melioris notæ triticum. Notant ex observatione sedium cum frumento satum, hujus proficere incremento. Et quamvis grana oleo aut pinguedine imbuta noxam sentiant, tamen in fece olei putrescente (amurcam vocant) macerata putantur à vermibus minus lædi. Ajunt, frumento, si demetatur, grana quidem fore longiora, sed magis cassa, plusque habitura siliquæ.

671. Reperio inter animadversiones, semen annotinum, esse optimum, binuum, pejus; quod illud vetustate anteit, prorsus esse infœcundum; quamvis certum sit, semina quædam & grana vinci ab aliis duratione. Optimæ notæ frumentum peracta ventilatio ostendit infimum, quodque fractum & comminutum dentibus subflavescit, præfertur nimium albescenti.

672. Usu monstrante innotuit, præ cæteris plantis radices acetosæ sub terram ire profundissimas, ut quandoque deprehensæ fuerint penetrasse fundum ad tres cubitos; eæque solæ reliquas in eo superant, quod sępius iterandæ replantationi non repugnent. Est herba frigida & acida, quæ terra delectari videtur, Solis fugitans.

673. Observatum fuit, herbarum quasdam lætius crescere, aqua salsa irrigatas, ut raphanum, betam, rutam, pulegium. Possent laxari hujus experimenti angustiæ, extendendi ad alias & efficaciores herbas, ut tarchon, semē sinapi, erucam, & similes.

674. Mira est, quæ vulgo admissa regnat opinio, herbas odoratas & salutares venenatis quibusdam bestiis appeti; nempe quod angues delectentur fœniculo; buto sępius sub salvia delitescat, raro in quinquefolio reperiantur. Fieri posset, quod vel umbram vel aliud potius captent ibi refugium, quam herbæ virtutem.

675. Compendiosam ad ingentes opes viā spondent (nisi quod conjecturalitas nimis alte defixa fidem, mea quidem opinione, omnem excludit) si quis sub auspicia anni ex prognosticis discernere ac colligere posset, futuram frumenti, herbæ, fructusve alicujus, copiā inopiamve, signis spem ubertatis præferentibus, totius proventus è fundo nascituri posset fieri coëmptio; ut Thaletem veteres tradunt cum ostendere vellet quibus ditescendi subsidiis instructus esset philosophus, prævidisseq; felicissimam oleæ vindemiam, monopolio spem segetis in se transtulisse; penuriam vero si persuadeant indicia, ex residua prioris anni copia suo cōsuleret lucro. Nives longius continuatæ augurium præbere dicuntur anni frumento fœcundioris, ut matura aut serotina hiems sterilitatem secum trahit. Cœlum apertum & bruma serenior frugibus iniqua est. Horum nonnulla in præcedentibus memorate extant. Sed alia ejusdem naturæ prognostica diligenti inquisitione excutienda sunt.

675. Nativa proprietatum discrimina in plantis nonnullis occurrere videntur, quibus à se invicem altisq; omnibus recedunt. Quicquid in oliva oleosum extremitates occupant, cum alii fructus in nuce aut nucleo collectam sistant proprietatē. Abies sane omni osiculo, nuce nucleove caret; nisi hoc nomine dones exilia grana. Malum punicum vel malogranatum & pineæ arboris mala sola variis quasi cellulis grana distinguunt. Nullæ herbæ frōdes crispant præter brassicam aut lactucā sessilem. Nulla frondem duplicat, cum caudice & fructu aut semine ex æquo dividendam, præter carduum altilem. Nullus flos ita dispersus exit, ut periclimenos. Laxus huic contemplationi campus patescit, quæ ostendit in illa, quam natura molitur, fabrica, dum species quasdam producit, dari accidentariam sępe materiæ compositionem, varieque mutabilem;

lem;alibi raro,nec ullatenus variandam;perinde ut in bestiis evenit.Sic canes cum lupo & vulpe similitudinem habent,equi cum asinis, vaccæ & boves cum bufalis, lepus cum cuniculis, &c. sic inter aves milvus & fringillarius forma haud longe dissident ab accipitre, columba vulgaris à palumbo torquato & turture; merula à turdo majori & minori; cornix à corvo,monedula,& graculo,&c.Inter bestias,elephas & porcus, avis Paradisea & pavo inter aves, aliæque paucæ vix speciem habent cui magis sint affines.

Egredimur plantarum descriptionem, earumq; explicandas virtutes herbariis & naturalis historię libris delegamus, quibus diligenter homines insudarunt ad curiositatis usque anxietatem. Nos vero experimentorum instituto sic invigilamus, ne in humili morentur, sed ad causarum investigationem ascendant, eliciendisque præluceant axiomatibus.Neque ignoro antiquis neotericisque scriptoribus tritum hoc curriculum, sed ita ut in reddendis causis extruendisque regulis imaginationis ludibria pepererint; atque adeo vetus & quæ in usum venit theoria meras sanioris experientiæ inquinationes sapit;neque eam concoquit.

Experimentum unicum spectans curationem vulnerum.

677. Annotatum reperio priscis scriptoribus pelles præcipue arietum, recens detractas & vulneribus applicatas facere, ne ea intumescant & exulcerentur,& consolidata rursus sanare. Ovi albumen eadem vi pollet.Causa est temperata conglutinatio, cum utrumque corpus sit tenax & viscosum, humorumque defluxu à vulneribus depulso haud nimium comprimat.

Experimentum unicum spectans pinguedinem quæ quæ carnem diffunditur.

678. Omnis caro plerumque in pinguem substantiam verti potest, si minutim dissecetur, partesque indantur vitro membrana clauso, quod per sex septemve horas aquæ bullienti imponatur. Nō careat lucro istud experimentum in pinguedine aut adipe varios in usus paranda. Sed oportet caro sit epulis humanis abdicata,ut equina,canina,ursina,vulpina,castorea,&c.

Experimentum unicum spectans acceleratam potus maturationem.

679. Ab antiquitate derivata narratio est, mustum vasculis impositum probe clausis, & in mare demissis celerrime percoqui in potus usum. Idem tentandum foret in liquore cerevisiæ incocto.

Experimentum unicum spectans pilositatem & plumas.

680. Bestiæ præ hominibus pilosæ sunt, hominesque agrestes præ urbanis; & avium plumæ vincunt densitate pilos bestiarum. Causa,cur homo glabra sit cute, non est calor & humor abundans, quamvis Hercle pilis affatim succrescentibus inde origo sit;sed non tam uterque ille requiritur,quam calor & humor excremēntitius, (quicquid enim assimilatur,non vertitur in pilos) qui in bestiis prævalet,hominibusq; agrestibus. Eadem fere quoad avium pennas ratio est,cum illæ minus assimilent, & plus quam bestiæ excernant. Excrementa enim earum plerumque liquida,caro in genere sicca est. Adde quod instrumenta urinæ propria non habeant, ut omnis humor excrementitius abeat in plumas.Unde non miror commendari mensis aves præ bestiis, quia caro illarum tenuiter magis assimilat, & subtilius excernit. Præterea, caput hominis à primo partu pilosum est, non vero aliæ corporis partes. Causa fortasse fuerit defectus perspirationis, cum plurima pilorum materia in aliis corporis partib⁹ in sensibili perspiratione exhalat. Deinde, cranium solidiori constans substantia minus nutritur,atque assimilat,plusque excernit. Sic & mentum se habet: pilos etiam manuum palmis & pedum plantis haud innasci manifestum est,quæ corporis partes magis sunt perspirabiles. Talis cum etiam puerorum cutis sit,minus illi conspiciuntur pilosi.

Experimentum unicum spectans motus celeritatem in avibus

681 Avium in motu celeritas illam bestiarum excedit, quarum plerumque volatum nullius bestiæ cursus adæquat. Causa est spirituum in avibus copia proportione quoad corpusculi angustias majori,quam in bestiis.Ratio à quibusdam allata, quod motus ille vectioni participet,cum bestiæ incedant,nulla est,cum sic natatio cursu pernicior esse debeat. Neque vectio illa non habet subsidiariam alarum operam ut perficiatur.

Experimentum unicum spectans diversimodum maris clarorem.

682. Magis perspicuum reddit mare Boreę quam Austri flatus;causa est, quod aquæ salsæ superficies parum oleaginosa,ut dies calidissimi comprobant. Deinde, quia Auster aquam paululum relaxat; ut neque ebulliens aqua pellucet æque ac frigida.

Experimentum unicum spectans differentiam caloris in igne & aqua fervida.

683. Ignis accendit lignum, prius illud reddendo luminosum,tum nigrum & fragile,denique confringit,& in cineres redigit. Nihil tale expectes ab aqua fervida. Causa est,quia ignis spiritum corporis attenuat, post emittit. Attenuatio autem lumen gignit, emissio fragilitatem efficit primo, deinde dissolutionem in cineres,nec ullum præterea corpus subintrat. In aqua spiritus corporis non ita attenuatur, aquæ etiam portio ingreditur, auctura spirit⁹, & quadantenus ignem extinctura; ut ab aqua calida fieri videmus. Itidem in corporibus, quæ aquæ ingressu prohibito insinuantē admittunt calorem,aqua calida ignis absolvit partes. Sic inter ova elixa & assata(quæ aqua prorsus nulla penetrat) vix conspicuum discrimen est,satis notabile in fructibus & carne,aliquantum aquæ ingredienti perviis.

Experimentum unicum spectans qualificationem caloris ex humore.

684. Fundus vasis aqua fervida pleni (ut experientia testis est)in tantum calet,ut admovētis manū,illudq; amoventis ferat. Causa est, quia humor aquæ, ut prunas exstinguit qua patet ingressus, sic calorem temperat, quamcunque attigerit partem. Quare *notandum*; quod humor, quamvis corpora non transmeet sine communicatione substantię(ut calor & frigus solent)operationis fidem facit,non ingrediendo corpus, sed qualificando calorem & frigus,ut hæc docet instantia. Videmus quoque aquam destillatorum in aqua (quod balneum vocant)nō multum differre ab aqua destillatorum in igne; uti nec patinas stanneas aqua repletas facile liquescere; sine aqua, omnino. Insuper butyrum,

oleum, ex se inflammationis facillimæ, idem præstant, imputandum virtuti humiditatis.

Experimentum unicum spectans oscitationem.

685. Non prætetiit antiquorum diligentiam, cum periculo scilicet pungi oscitanti aures. Causa est, quia oscitatio interiorem auris membranulam tendit, attracto spiritu & anima. Ista enim, ut & suspiratio, spiritum primo valde attrahit, deinde expellit.

Experimentum unicum spectans singultum.

686. Ex eadem antiquitatis officina est, quod sternutatio singultum pellat. Ratio, quia motus singultus est stomachi elevatio, quem sternutatio aliquantum deprimit, alioque motum divertit: primo enim ex ingesto nimium cibo oriri singultum videmus (præcipue in pueris) unde stomachi extensio. Acidus quoque cibus & potus vellicando stomachum eundem causatur, cessatque hic motus aut divertendo aut spiritum detinendo. Prius fit in sternutatione, alterum patet ex eo quod spiritus detentus ex parte singultum tollit. Idem senties converso ad seria animo, uti vulgo fieri soler; & aceto naribus admoto, aut gargarisato, quia astringit motumque spirituum inhibet.

Experimentum unicum spectans sternutationem.

687. Obversus Soli obtutus ciet sternutationem. Causa est, non excalefactio narium, apertis alioquin naribus ad Solem eam unico momento excitaturis, sed humorem cerebri depressio, qui oculos suffundunt, unde motu per consensum ad nares reperiuntur, sternutationemque creant. Sic contra, titillatio narium interna humores ad nares pertrahit, per consensum vero ad oculos, qui humectantur. Sed tamen crebro sternutare solitus, si oculos perfricet donec aquei humoris defluxu suffundantur, sternutationem evincere posse observatio dictat. Ratio est humoris ad nares descensuri divortium ad oculos.

Experimentum unicum spectans imbecillitatem dentium.

688. Dentes magis afficiuntur frigido potu similibusve, quam aliæ partes. Ratio duplex, quia os magis resistit frigori quam caro, quæ ei cedit; unde ex ossis resistentia intenditur frigus: posterior, quia partes sunt exangues, cũ sanguis qualificet frigus; ideo in nervos validam impressionem frigus facit, partes utpote exangues: Sic frigus acre fragilia reddit ossa; conspicimusque ossium contusiones cœlo inclementiori difficiles esse curatu.

Experimentum unicum spectans linguam.

689. Literis consignatum, linguæ facilibus imprimi morborum signa, quam aliis partibus; etiam caloris interni, cujus rei, vel imprimis exemplum est lingua nigricans. Pecus quoque varii caloris, linguas gerit maculis sparsis interstinctas, &c. Ratio procul dubio est partis istius teneritudo, quæ facilius omnes exhibet alterationes quam ulla carnosa.

Experimentum unicum spectans gustum.

690. Os nullo gustu, salsi saporis index est, præcipue amari, sæpe & fastidiosi, nunquam dulcis: ratio est, humor in lingua corruptus, quia non raro salsedinem, amarorem, & fastidium parit, nunquam dulcorem. Cæteri enim sunt gradus ad corruptionem.

Experimentum unicum spectans prognostica quædam pestiferarum tempestatum.

691. Cum grassaretur præterito anno sævæ pestis laniena, conspecti fuerunt prope Londinum variis in fossis tertisque depressioribus multi bufones, caudati ad minimum trium quatuorve pollicum longitudine, cum plerumque excaudes esse soleant. Qui huc observationem intenderunt, deprehendisse videbantur sibi terram & aërem mire ad putrefactionem disposita. Addunt & radices (quales pastinacæ, drauci) magis fastidiose dulces esse, per contagiosam anni tempestatem.

Experimentum unicum spectans specialia simplicia in Medicina.

692. Medicæ prudentiæ est, diligenter excutere, quibus simplicibus natura dederit partes extreme subtiles, mordicationis aut acrimoniæ expertes. Dura enim subruunt, obstructa aperiunt, noxiaq; expellunt, leni offensione, & quæ magna perturbatione careat. Hujus generis sunt flores alni, calculo laborantibus dicati; Chamæpytis morbo regio; cornu cervi, febribus & contagiis; pæonia, deobstruendo capiti; fumaria, lieni, & alia numero non pauca. Universim, animalcula varia ex putrefactione genita, gustui licet fastidiosa, hac censentur natura, ut lumbrici, multipedæ, limaces, &c. Viperarum quoque trochisci tantopere decantati, & anguium caro nonnihil condita correctaque (in aliquo apud antiquos pretio) mea quidem sententia consimili sunt indole. Partes quoque bestiarum putrefactæ (uti castoreum & moschus, quæ subtilissimas partes habent) huc referendæ. Putrefactiones quoque plantarum (ut agaricum, aselli fungi Sambuco adnascentes) eximiæ esse virtutis, manifestum. Ratio est, quia putrefactio motus est in corporum partibus præ reliquis subtilissimus, & cum vita animantium non admittat sui usum (quæ ex sententia quorundam Paracelsi asseclarum, si fas adhiberi & intra corpus sumi permitteret, immortalitate nos donaret) operationis subtilitate proxima sumimus, corpora scilicet putrefacta, quæ tuto usurpari possunt.

Experimenta varia spectantia Venerem.

693. Ex veterum scitis, frequentata Venus obtundit visus aciem, cum tamen Eunuchi, ad generandum inepti, debilitate oculorum laborent. In illis causa est consumptio spirituum, in hisce cerebrum humidius. Redundans enim cerebri humidum radios visuales crassescere facit, eorumque meatus obstruit, ut monstrat quæ ab ætate est visus infirmitas, in comitatu habens causam secundam, imminutos nimium spiritus, cæcitatem Cathartis quoque & defluxionibus vere imputes. Eunuchi omnes habent, quibus humidiores arguantur, notas, ut femorum intumescentiam, alvum laxam, lævitatem cutis.

694. Quæ ex actu venereo percipitur voluptas, illa cæteros sensus afficiente longissime potior est. Comparatio cum pruritu in exprimenda proprietate deficit, quamvis ille tactui grato occurrat. Sed causæ in abdito sunt. Prima, motus spirituum qualificantur ex omnibus sensuum organis, quæ tot generant motus, & inde voluptates offensionesve, quot

quot ipsa organorum speciebus distinguuntur. Instrumenta visus, auditus, gustus, & odoratus varia constant structura, ut & partes genitales. Scaliger propterea non inepte voluptatem ex coitu pro sexto sensu agnoscit. Atque si alia suppeterent organa, & qualificatæ perforationes, transeuntibus spiritibus permeabiles, augeretur sensuum numerus. Neque inexplorata est, an bestiis quibusdam, avibusque sensus nobis incogniti, dati sint. Certe odoratus canum plerumque sensus est peculiaris. Secunda, voluptas ex tactu major occultiusque insinuata subit supra reliquos sensus; quod calefactio post frigus, aut refrigeratio post calorem docet. Pari enim passu non ambulant dolores ex tactu & offensiones aliorum sensuum, cum illi vehementiores sint, & ad hunc itidem modum voluptates se habeant. Et quamvis immediate & independenter ab organis agat quicquid spiritus afficit, & per consequens impressio illa cæteris major videatur; tamen non ita late patet, in paucis tantum conspicua, in odorum nempe fragrantia, vino, aliisque gratis vaporibus. Odorum magna & in expedito est virtus, refocillando homines animi deliquium passos. Quoad potum, certum videtur, ex ebrietate voluptatem illi ex Venere proximam esse. Magna gaudia valido in spiritus motu ingruunt eosque afficiunt, similisque pene oblectatio regnat in Venere.

695. Non coarguendæ observationis est quod ajunt, mares hyemante cœlo magis exardescere in amplexus uxorios, fœminas æstate in Venerem ruere. Causa est, quia spiritus in corpore calidiore & sicciore, quale masculum est, Æstas magis exhalando dissipat, Hibernum frigus magis condensat integrosque conservat. In corporibus frigidis & humidis (qualia sunt fœminarum) æstus fovet provocatque spiritus, hiems obtundit. Deinde, abstinentia aut actus Venerei longior intermissio in humidis & optime constitutis corporibus varios gignit morbos, præsertim inflammationes periculosas. Ratio evidens, quia cessat præcipua spirituum evacuatio; alia enim vix datur nisi in Venere & corporis exercitatione; ut alteutrius missio morbos ex repletione generet.

Experimenta varia spectantia insecta.

Digne & cum operæ pretio laboret hominum industria in excutienda vivificationis natura; cujus ingeniosas molitiones plerumque melius parva detegunt quam magna, imperfecta quam perfecta, partes quam totum. Sic vivificationem exactius cognoscendum proponunt ex putredine genita, contemplatione maxime profutura; primo in explicanda vivificationis origine; secundo, configuratione; tertio, protrahendis in lucem plurimis, quæ perfecte genitorum naturam spectant, longiusque recesserunt in obscurum à populari notitia; quarto, traducendo aliquam observationum speculationem in insectis ad operationem & effecta in animantibus perfectis producenda. *Nota*, vocabulum insecti non satisfacere materiæ & instituto, semper tamen nos eo uti brevitatis causa cum significare volumus ex putredine genita animantia.

696. Varia insectorum materia est. Alia nascuntur ex limo aut fimo, ut lumbrici, anguillæ, angues, &c. utrumque enim genus ex putrefactione est, cum aqua in limum concrescente non habeant quo conserventur. Quod ad fimum, omnia excrementa putrescentis nutrimenti ejectanea sunt. Alia in ligno aut crescenti aut cæso, inquiratur, quæ ligna magis hosce fœtus edant, quæque anni tempestas. Videmus vermes polypodes, in globos convolvi solitos, præcipue sub truncis generari, non in ligno. Dicuntur & in hortis inveniri, ubi nulli omnino trunci. Sed illorum generatio requirit aliquod receptaculum, adversus solem, pluviam, rorem, quale in ligno datur: propterea veneni expertes, & apud Medicos sanguinem purificare dicuntur. Fovent & cubilium latibula cimices. Alia in animantium pilis nascuntur, ut pediculus, & reduvius ex sudore, arctius concluso, & à pilis nonnihil siccato. Excrementa animantium non solum insectis fœcunda sunt à corpore separata, sed & in eo retenta, ut vermes ostendunt, malum pueris maxime frequens, præcipue in intestinis. Nupera quoque Medicorum experientia docuit, grassantibus sæpe morbis pestilentibus vermes inveniri in extremis corporis partibus, ubi excrementa desunt, non humores putrefacti, pulices inprimis, stramen & storea, nonnihil humectata, produnt; aut stramen cubilis aëri non expositum; quos recepta opinio est enecari sparso iis in locis absynthio. Ex vero quoque observatum, amara tollendæ magis quam promovendæ facere putrefactioni; pinguia & dulcia maxime putredinis includere rudimēta. Vermis est, quem farina edit, figura magni & albi termitis, philomelæ in deliciis. Tineæ vestes aliaque lanificia, præsertim si humida & madida recondas, creant, gaudetque candelæ flamma. Terra quoque vermen producit in sinu, nomine curculionem, qui radicibus alitur, ut pastinacis, draucis, &c. Aliorum genitrix est aqua, præcipue inumbrata, quæque stagnat, ut araneæ aquaticæ sex pedibus; muscæ dictæ phryganium, nasci solitæ ex re superficiei aquæ innatante, acciditque plerumq; circa lacus. Emorientis quoq; vini fæx impregnatur verme, qui postea (ut inter veteres nōnulli observarunt) in culicem mutatur. Et illud Antiquitati ex facto testanti debemus, nivem veterascentē exerere vermen colere rubido, motu tardo, paululum natalibus superstitem. Unde arguitur latens nivis calor, sine quo vix constaret vivificatio. Ratio, cur tam repente vermis ille natus intercidat, possit esse, subita spiritus tenelli exhalatio, simul à frigore circumfuso, & in quo hærebat conclusus, recesserit. Ut enim papiliones animat calor, frigore torpidos; sic quos frigus tuetur spiritus, calor prædatorius disperdit. Veterum & Neotericorum calculo comprobata experientia est, in fornacibus æneis & cupreis, quibus sæpe chalcites (vitriolum vulgo dictum) injectū excoquitur corrigendæ operationi, repente muscam prodire, quæ aliquando movetur quasi fornacis lateribus inhærens, aliquando sub igne conspicitur, & egressa fornacem interit. Egregia certe instantia & rectè æstimantium attentione digna, utpote ostendens vehementi ignis calore, æque ac animantium placido, vivificari proportionatam materiam. Luculentum enim vivificationis axioma est, quod calor dilatando corporis spiritui requiratur; spiritus activus expandendus, materia vi cosa & tenax, spiritus receptaculū, in configurationē diducenda. Spiritus fervida fornace dilatatus ad mo-

ad modici frigoris sensum, protinus congelatur. Procul dubio accipit & hæc actio à chalcitide adjumentum, cui spiritus producendi & germinandi avidus; ut chymicorum experimentorum fide constat. Ut absolvam, plerisque è putrefactis nascuntur insecta varii nominis, mihi nunc haud enumeranda.

697. Docent veteres, insecta pauxillo nutriri: sed fugit id observantium diligentiam. Cicadæ enim quicquid in tota regione viret, depascunt; bombyces cito folia absumunt; formicæ largo sibi commeatu victum convehunt. Verum est, animantia somno plurimum indulgere solita modico victitare, ut glires, vespertiliones, &c. sunt enim exsangues. Ratio forte sit, quod succus in eorum corporibus unicus sit, non vero sanguis, caro, cutis, ossa, uti in perfectis animantibus; cum partium integralium magna sit varietas, similiarium parva. Neque hoc præter verum, esse quibusdam diaphragma & intestina, omnibus cutem, insectis sæpe mutandam. In genere, brevioris sunt vitæ. Apes tamen septem annos vivere compertæ sunt; anguesque potius ob deponendas subinde exuvias, attingere putantur ætatem grandiorem. Anguillæ, ut plurimum putrescentis materiæ soboles, diutissime vivunt, crescuntque: quæ ætate ex vermibus in muscas migrant, & hieme ex muscis in vermes redeüt, pyxidibus asservata quatuor ad minimum annos implent. Sunt tamen ex muscarum genere, quas ephemeras vocant, unius diei vitam sortitas. Causa est, spiritus exilitas, aut forte Solis absentia, cum Soli expositæ aut arctius servatæ, vivere possent diutius. Plurimis insectis (ut papilionibus, aliisque muscis) facile vita redit cum mortua videntur, admoto scilicet Sole aut igne. Ratio est, diffusio spiritus vitalis, facilisque ejus ad exilem calorem dilatatio. Aliquandiu moventur resecta eorum capita, aut in particulas discissa; quia vitales earum spiritus laxe per omnes partes diffusi exeunt, minuqs; organis affixi sunt, quam in perfectis animantibus.

698. Insectis voluntarius est motus, ideo & imaginatio. Ex antiquis autem qui dixerunt, quod motus eorum indeterminatus est, imaginatio indefinita, prodidere negligentiâ suâ. Formicæ enim recta petunt latibula sua, apesque non sine attendentium admiratione viam dignoscunt qua petant ex florida camporum planitie per duos quatuorve milliaria, alveare suum. Forte culicibus & muscis imaginatio magis mutabilis & vertiginosa; uti avibus parvis veterum nonnulli solummodo tactum tribuerunt. Sed veritate exciderunt; nam si recta aliquo tendant, necesse est visu illas instrui. Præterea floris aut herbæ, qua magis gaudeant, delectum instituunt; ergo & gustu valent. Apes quoque sonitu impulsi ætris revocantur; quod auditum arguit, &, quamvis diffusim euntibus spiritibus, sedes sensuum dari in capite.

Quæ porro huic de insectis materiæ annectandæ se ingerebant, una cum eorum enumeratione, rejicimus ad titulum de animalibus in genere.

Experimentum unicum spectans cursum.

699. Cuttentis augetur celeritas à pondere manibus comprehenso. Causa est, quia pondus (proportionatum nempe) nervos contrahendo, illos corroborat. Qua contractione ubi opus non est, impedimento erit pondus; quod in cursus certamine per equos instituto patet. Accurrate enim præcavent, ne vel minimo pondere alter præ altero equus gravetur. In cursu cum pondere brachia prius retrorsum pelluntur, deinde antrorsum, cum impetu sensibiliter crescente; manus enim retromittuntur antequam promoventur. Inquire, an motus spirituum contrarius motui intento, idque immediate antequam in partem destinatam moveri incipiamus; spiritus vehementius impulsos prorumpere faciat; ut spiritus attractus & retentus expellitur vehementius. In projectione quoque brachia retroaguntur, ut validior sit rotatio.

Experimentum unicum spectans voluptates & offensiones sensuum, præcipue auditus.

700. Antea descripsimus musicos & inæquales tonos, sed non ita exacte voluptates & offensiones sensuum. Soni tetrici, ut dum serra acuitur, contritio lapidis in lapidem, ejulatus, sonus strepitus horrore vel tremore corpus perfundunt, dentesque obtundunt. Ratio est, quia aurium objecta spiritus immediate plerumque aut grate afficiunt aut offendunt. Videmus nullum dari colorem qui oculos valde offendat. Spectacula terroris plena, memoriæ excitatæ occurrunt talia, sed picta parum movent. Olfactus, gustus, tactus afficitur participatione aut impulsione corporis ab objecto. Solus est sonus qui nullo mediante neque corporeus sensum ferit. Musica hujus rei fidem fecerit, vel in harmoniam placide temperata, vel dissonantiis aspera. Omnibus enim sonis seu elatis, seu depressis ex suavitate rotunditas & æqualitas est, tetricis inæqualitas. Quid enim aliud dissonantia quam tetricus variarum vocum concursus. Verum quidem, si inæqualitas non fixa dominetur, sed velut transitoria evanescat, augeri potius suavitatem, uti in susurro chordæ contortæ, rauco tubæ clangore, in canali vel tibia lusciniali organi majoris & regii, Anglis dicti philomela, atque ubicunque discordiam sonorum mox secuta absorbet concordia. Sed si moram faciat, ingrata accidit & offendit. Quare voluptas & offensio ex sonis tribus gradibus variatur, soni suavis, dissonantiæ, & soni tritici, quos variis nominibus insignimus, ut stridoris, aut soni qui radit aures; quæ jam describendo exsequimur. Ex eo, quod dentes obtundant, manifesto patet, quo intervallo dentes & organum auditus distent; ut si alterum arcus extremum dente teneatur dum fides percutiatur.

Finis septimæ Centuriæ Historiæ Naturalis.

FRAN-

FRANCISCI BACONI
DE VERULAMIO

NATURALIS HISTORIÆ

CENTURIA OCTAVA.

Experimentum unicum spectans venas terræ medicæ.

701. Magna mineralium fossiliumq; varietas est, sed paucas terra medica venas habet. Præcipuæ ejus species sunt, terra Lemnia, terra sigillata communis, bolus Armenius; sed ut dignitatis prærogativa debeatur terræ Lemniæ. Commendatæ autem virtutis sunt in vulnerum curatione, sanguine sistendo & defluxus catharrosq; reprimendo, figendoq; quasi venenũ, contagium & putrefactionem, ne latius diffusa exeant. Ex omnibus simplicibus perfectissima purissimaque siccandi efficacia valent, exili aut nullo admixtæ qualitatis consortio. Certum tamen, boli Armenii maximum esse frigus, terræ Lemniæ calorem; ut hoc nomine fabulosa antiquitas Insulam Lemnon, in qua effoditur, Vulcano consecrarit.

Experimentum unicum spectans germinationem spongiarum.

702. Haud procul a fretorum fundo multæ colliguntur spongiæ, ex rupium lateribus coëuntes, quæ nihil quam copiosus tenaxq; muscus sunt. Hęc autem eo magis notanda, quod in paucæ substantiæ ambitu configurationem plantæ imitantes genitalibus undis gaudeant; aliquando enim ad quindecim cubitorum profunditatem conquirendæ. In litus extractæ mentiuntur molis amplitudinem; compressæ, minimum loci spatium occupant.

Experimentum unicum spectans pisces marinos in aquam dulcem translatos.

703. Pisces in aqua salsa victitare consueti, videntur dulcem antehabere. Salmones, Eperlanus, flumen penetrant, etiam in adversum obnixi. In portu Constantinopolitano haud procul ingens colligitur piscium multitudo, ex Ponto Euxino illabentium, qui aqua dulci inebriantur, ut in tergum cõversi manu capiantur. Dubito an satis in comperto sint, quæ pertinent ad pisces ex mari in dulces lacuum aut stagnorum aquas transferendos. Res est & magni usus & voluptatis, cum recentes eos habere liceat, longiore etiam à mari intervallo; ne dicam posse & gratius nutriri & nova augeri sobole. Ajunt ostrea Colchestriana puteis imposita, reciproco maris æstu prolui solitis, (ne tamen dulcis aqua desit, quæ refugo mari ea ingrediatur) sic magis pinguescere & crescere.

Experimentum unicum spectans attractionem ex similitudine substantiæ.

704. Turcici arcus vehementissimus est ictus, adeo ut ex facto constet, impacta sagitta penetrari clypeum chalybeum, aut laminam æneam, gemini pollicis crassitie. Sed quod magis miretis, est, sagittam lignea tantum cuspide munitam perforasse tabulam ligneam, octo pollicum crassitie. Certum est in navalibus prælliis olim fuisse in usu missilia brevia, quæ vocabãt lemures vel spiritus volantes, acumine tantum ligneo, è sclopetis intorqueri solita, penetrasseque navium latera glandi plumbeæ impervia. Sed reconditum hic naturæ mysterium est, atque ex maximis quidem, ob similitudinẽ substantiæ dari attractionem, si corpus motu gravitatis non fuerit innexum. Ille enim amoveri si posset, plumbũ à plumbo attraheretur, aurũ ab auro, etiã ferrum sine intermedio virtutis magneticæ adjumento. Sed idem motus ponderis aut gravitatis, (qui prorsus materiæ est, nihil habens formæ) alterum perimit, nisi inefficacem reddiderit motus violentia; quod hæc sagittarum instantia docet. Tum enim motus ex similitudine substantiæ se prodit. Sed de hac materia fusius suo loco.

Experimentum unicum spectans quosdam in Turcia potus.

705. Turcia & Oriens confectiones quasdam habet in usu, quas vocant cherbeta Turcice, haud absimiles conditis glaciatis aut more glaciei. Constant autem saccaro & malis citriis, aut saccaro & malis Hesperiis, aut saccaro & violis aliisque floribus; quibus ambræ nonnihil delicatuli admiscent. Ex hisce in aqua dissolutis fit potus, quia per leges vino uti haud licet: Sed valde miror, ab Anglis aut Germanis Constantinopoli officinam cerevisiariam non constitui, tanta illis in regionibus hordei copia. Quod homines in universum aquæ potores sint, forte frugalitati restrictiori tribuatur, cum haud modici sit compendii sitim gratis pellere. Sed quibus res lautæ domi, sumptibus non parcerent. Mirari tamen desino, quoties in Italiam, Galliam, Hispaniam cogitationes reflecto, cerevisia adhuc destitutas; cujus usu sanitati forte & corporis habitudini consulerent.

Experimenta varia spectantia sudorem.

706. Balneum aquæ calidæ sudorem ex partibus sub aqua non prolicit: ratio prima est, quia sudor species est colliquationis, quam calor tantum siccissimus aut humidissimus non efficit. Nimius enim humor aliquatenus calorem exstinguit, ut aqua calida ignem; & calor nimium siccus occludit poros. Ideo quis tectus in Sole, aut ad focum facilius emittet sudorem, quam nudus; & lagenæ fictiles aqua fervida repletæ provocant in lecto sudorem mollius, quam balnea lateritia calida. Secunda, aqua calida cutem evaporare facit, ut consumpta prius materia sit in partibus infra aquam, quam in sudorem versa prodeat. Deinde, magis copiose sudorem prolicit calor moderate auctus, quam primo vehementior & intensus æqualiter. Causa est, quod calor placidus melius violento poros aperiat; quibus patefactis sudor largius effluit. Quare ex rationis præscripto fecerunt Medici, qui admotis lagenis in lecto provocarunt sudorem, per herbas sudoriferas in aqua calida decoctas, calorem admensi per gradus, ut minus calida lagena primas, post, calidior secundas partes absolveret.

707. Sudorem gustus salsum arguit. Ratio, quia pars nutrimenti recens & dulcis in sanguinem & carnem mutatur, sudor vero pars est excrementitia. Sanguis crudus carnem salsedine vincit, quia assimilatio in carnem non fit sine exili & subtili sanguinis excretione.

708. Su-

708. Sudorem magis superiora corporis quam inferiora emittunt. Ratio, quia illa spiritibus magis turgent, qui sudorem propellunt, præterea minus sunt carnosa, à quibus & sicciorbus maxime sudor prodit. Talia sunt frons & pectus.

709. Sudorem magis ciet somnus quam vigilia, qui tamen alios defluxus sistit potius quam incitat; ut catharros, alvum laxam, &c. ratio est, quia somnus calorem & spiritus naturaliter introrsum agit, ibi commoraturos. Sed intus collectus fortius erumpit calor, irritatusque sudorem expellit.

710. Sudores frigidi sæpe sunt fatales & mortis indices; at semper maligni & suspecti, ut in magnis timoribus, affectibus Hypochondriacis, &c. ratio est, quia sudorem frigidum causatur aut relaxatio aut spirituum deliquium sive desertio & fuga, quod corporis humorem, à calore in partibus arcte retentum, separat egredique patitur.

711. Quos sudor non discutit morbos, in illis sudor, tanquam malus, sistendus est; ut in morbis pulmonis & fluxibus alvi. Quos sudor expurgata malignitate curat, ibi prodest, neque difficuliter ferri potest, ut in febribus & pestilentiis, &c. causa est, quia sudor posterior partim est criticus peccantemque expellit materiam. Sed prior aut ex labore spirituum prodit, eosque oppressos testatur; aut ex motu per consensum, cum natura ejiciendo morbo impar, eo quem invasit loco, indifferentem per universum corpus expulsionem molitur.

Experimentum unicum spectans Cicindulam.

712. Natura Cicindulæ hactenus non explorata satis. Illud constat, generari præcipue per calidissimos æstatis menses, neque in campis, sed rubis & sepibus. Unde intelligi datur spiritus in eo tenuitas, non attenuandi nisi æstivo calore; & rursus, quod illa tenuitas facilem admittat exhalationem. Italia & regiones calidiores ferunt muscam, quæ lucciolaibi vocatur, cicindulæ instar resplendens, fuerintque forte volans cicindula; sed lacus præsertim & paludes hæc musca frequentat. Duæ tamen priores observationes huc referri queunt. Neque enim conspicua est nisi per æstatem; & carecta, ut quicquid circa paludes viret, umbram præbent æque bonam ac rubi. Forte aliarum plagarum frigus cicindulam eousq; excrescere non patitur ut alatæ reperiantur.

Experimenta varia spectantia impressiones ex passionibus animi in corpus.

713. Passiones animi in corpus explicandas hic impressiones faciunt: timor pallorem inducit, tremores, capillos erigit, resultum causatur, horrorem & repercussionem. Pallor oritur ex repulso ad cordis subsidium sanguine; tremor ex spirituum introrsus abactorum fuga, quibus extrema corporis destituuntur. Ob clausos cutis poros est erectio capillorum, quos oblique decumbentes necesse est erigi. Resultus est apprehensio rerum terribilium, & sic motus contractivus est, & velut inquisitio, quis principium excipiat eventus; atque hac ratione est erectivus. Unde qui ad subitam auscultationem accingitur, resilit, spiritus enim erigit ad attentionem. Horror est appetitus expellendi quod subito perculit spiritus. *Notandum* enim, plurimos motus, quamvis inutiles expellendis offendiculis, esse naturæ irritamenta, & producere motus per consensum, ut in gemitu & ejulatu præ dolore.

714. Dolor & pœna cient suspirium, singultum, gemitum, trepidationem & ejulatum, vel succlamationem, lachrymas, faciei distortionem, dentiũ contritionem, sudorem. Suspirium ex ingenti spirituum copia, ad refocillandum corattracta, estq; velut magnus haustus ardente siti. Singultum, ex eadem causa, sed validiori. Gemitum, trepidationem, ejulatũ, ex appetitu expulsionis, ut diximus. Spiritus enim discutiendæ noxæ impares, per motum ex consensu expellunt vocem. Atque hoc fit, si cedant spiritus atque resistendo succumbant. Quisquis enim constanter dolori obluctatur, in gemitus non erumpit. Lachymas, ex contractione spirituum in cerebro, quam consequitur humoris ibidem astrictio, & sic lachrymarum ad oculos transmissio. Compressio illa causatur contortionem manuum, quę gestus est expressionis humoris. Distortionem vultus, ex contentione ad perferendum & resistendum obfirmata, deinde expellendum; quæ partes primo coarctat, post relaxat. Contritionem dentium ex compressis collectisq; ad resistendum spiritibus, unde solide comprimuntur dentes. Sudatio est motus compositus ob laborantes spiritus, primo ut resistant, deinde expellant.

715. Ex gaudio hilaritas & oculi vividiores, quod & cantum, cursum, saltationem, quandoque etiam lachrymas ciet. Omnia hæc à dilatis & in partes externas progressis spiritibus, quos expansio vegetiores mobiliorescque reddit. Notum est, repentina & immensa gaudia quibusdam subitanei interitus fuisse causam, dispersis in tantum spiritibus, ut regredi nequirent. Lachrymæ effecta sunt humiditatis in cerebro ex dilatione spirituum, qui compressi per consensum exprimunt humiditatem cerebri, ut diximus, in dolore. Sed tum in gaudio diversimode operatur, propulsione scilicet humoris, quando spiritus expanduntur, & majorem locum occupant.

716. Ira in quibusdam creat pallorem, in aliis variam alternati coloris mutationem, in aliis tremorem, tumorem, aliis os spumare facit, alios pedem in terram impingere, pugnos comprimere, pallor & colotis varie reciprocantis mutatio oritur, ex spirituum circa cor inflammatione, qui refocillandi ab externis partibus alios retrahunt. Etsi pallor sit solitarius, nec color restituatur, plerumque cum metu conjungitur. Sed multi pallescere nesciunt, rubescentibus tantum genis & infima aurium parte ex emissione spirituum in vindictæ cupiditatem. Tremorem ex ira etiam spiritus introrsum revocati gignunt, plerumque coëuntibus ira & timore. Intumescentiam producit & dilatatio spirituum ex nimia calefactione, & liquefactio ebullitioque humorum, quæ dilationem sequitur. Spumam oris eidem causæ tribue, cum sit ebullitio. Calcatio aut pugni compressio est ab imaginario vindictæ actu.

717. Levis offensio & quicquid minus allubescit, inducit ad concutiendum caput, & caperandam frontem. Hæc sunt effecta ejusdem causæ, tremorem & horrorem producentis, spirituum scilicet regressus, sed non tam vehemens. Capitis motitatio enim est tantum tardus & definitus tremor: gestus leviculum quid denegandi. Pateq; ex non allubentia sæpe nasci eum manus gestum, qui denegationi aut

aut repudio duntaxat adhiberi solet. Caperatio frontis & constrictio superciliorum, est collectio & compressio spirituum ad quadamtenus resistendum. Talis quoque caperatio studium aliquod seriamque meditationem subsequitur, licet absque offensione.

718. Pudor suffundit rubore, oculosque dejicit. Rubor est sanguinis in vultum regressus, partem maxime laborantem ex facta pudoris, impressione. Et quamvis per universum pectus sparsus exundet rubor, si nudum oculis pateret, in transitu tamen versus faciem conspicitur. Oculos dejicit reverentia quædam ex dignitate personæ, ut pudore correptus confidenter alterum intueri non sustineat. Utraque autem & pudor & oculorum dejectio, magis regnant ubi in turba nos sistimus. Ore Pompeij quid verecundius? nunquam non coram pluribus erubuit. Illustres quoque, & quos dignitas venerandos facit, si conveniendi, idem patimur.

719. Aliquando misericordia lachrymas exprimit, deflexosque alio detorquet oculos. Lachrima eandem cum dolore causam habet; cum commiseratio tantum dolor sit ob alterius ærumnas. Oculos amovemus, ut eo gestu aversari aut abominari nos significemus, quod misericordiam ciet.

720. Ex admiratione stupescimus aut immoto corpore statu hæremus, oculos attollimus, manus protendimus. Super est ex fixatione animi in objecto cogitato, qua fit ut non satietur & transcurrat fugitiva attentione, ut solet. Admiratio enim spiritus diffugere non patitur, ut metus, sed solummodo sistit, minusque aptos motui reddit. Oculorum & manuum elevatio species est provocationis ad Deum, qui ex potentiæ & providentiæ suæ thesauro miracula depromit.

721. Risus dilatat os & labia, spiritumque continuo & sonore expellit, laterum & pectoris succussationem efficit, suffundit oculos liquore, violentus & continuus si fuerit. Hic primo *notandum* occurrit, quod risus vix proprie sit passio vocanda, origine ejus ex intellectu derivanda, cum risum præcedat semper conceptus rei ludicræ; unde homini proprius. Secundo, causa risus, tantum est levis spirituum contactus, nec tam alte penetrans impressio, ut aliæ passiones insinuant. Ideo nulla cum animi pathematis affinitate, movetur, & valide quidem ex sola quarundam in corpora partium titillatione; ut quispiam vel composito ad gravitatem animi statu, risum tamen aliquando non compescat, Tertio, semper cum aliqua conjungitur delectatione, unde exhilaratio affinitatem habet cum gaudio, motus licet multo levior; res severa est verum gaudium. Quarto, objectum ejus, deformitas, absurditas, infortunia, & similia. Jam loquamur de causis, ad quas effecta commemorata referri possunt, quibus lux aliqua affulget ex generalibus hisce notis. Dilatatio enim oris & labiorum, continua expulsio spiritus & vocis, pectoris & laterum succussatio, ex spiritibus expansis oriuntur, præcipue in risu subitaneo. Suffusi quoque rubore oculi (ut ante ex parte dictum, ubi de lachrimis & gaudio & dolore egimus) hanc dilatati spiritus causam agnoscunt; quo & repentinus ejus ortus magna ex parte pertinet; cum videamus, infortunium infortunio additum vel succedens, deformia, &c. in instanti movere risum, interpositaque morula, evilescere risus pretium. Sic nihil obsoletum, sed quicquid novum, splenem movet; ipsaque titillatio vellicatis placide lateribus, si præmoneas, duriterve aut continue attrectes non magnopere in risum valet.

722. Libido ignescere facit oculos, & Priapismum inducit. Causa utriusque, quia voluptas visus & tactus flagrantissimos subdit desiderij stimulos; ut spiritus eo confluant, ubi partes maxime afficiuntur. Potest in genere hoc notari (magno usui futura observatione) in omnibus passionibus deterri maxime spiritus ad partes laborantes, & ubi validior impressio est; ut in iis quæ nuper diximus, ad oculos & partes Veneri dicatas; in ira & timore, ad cor recurrunt; in pudore, ad faciem, in levi offensione ad caput.

Experimenta varia spectantia ebrietatem.

723. Antiquitatis observationi calculum adjecit posteritatis fides, semen nimirum hominis potatoris esse sterile. Ratio, quia humidum nimis est, justaque carens spissitudine diffluit. Nostratium quoq; sermonibus frequentatur jocus, ebriũ filias gignere.

724. In ebrio nihil est quod officium præstet, adeoque & spontanei motus arbitrio excidit, vacillat, tremit, firmare vestigium aut loqui nequit. Causa est, quod spiritus vini opprimant spiritus animales, occupata loci parte, in qua versantur, & sic languidos reddunt in motu. Unde dormiturit; atque opiata & stupefactiva (ut papaver, hyoscyamus, cicuta, &c.) inducunt quandam ebrietatis speciem, eructata crassorum vaporum nebula, ut vinum facit, iisdem nimium augescentibus. Præterea spiritus animales nutritivam materiam deprædantur; quam spiritus vini, æque ac illa, depascunt; unde non tenerescunt spiritus animales, atque inertes peragendis obsequuntur motibus.

725. Ebrius imaginaria vertigine cuncta rapi persuadet sibi, extraque se posita in caput suum ingruere. Longius dissita errante visu non discernit, propius admota spectat loco non suo, & quandoque omnia videntur offerri gemina. Causa putatitiæ circumgyrationis sunt acti in orbem spiritus, compressi nempe vaporibus vini (quodlibet enim liquidum compressio gyrare facit, ut patet in aqua) & quoad visum perinde est, seu spiritus visuales moveantur, seu objectum, seu medium, Neque ignoramus, ex diutina circumrotatione corporis nostri eandem nasci imaginationem. Causa quod externa in se ruere existimet, est quia spiritus visuales se retrahunt, quo fit ut objectum accedere videatur; præterea conficta vertigo & motus ludit eos imaginario quoque metu, ne scilicet mota in se præcipitentur. Quod procul abjuncta non videant, est ex spirituum debilitate; cum hemicrania & vertigo quælibet tenebrarum nonnihil pariat, & apparentiam circumgyrationis; quod & leviora animi deliquia comprobant. Quod res non suo loco conspiciant, est ex refractione spirituum vasualiũ:

Vapor enim est medium inæquale, neque absimilis conspectui rerum extra locum in aquis. Quod omnia appareant gemina, est celer & irrequietus spirituum motus (oppressorum) ultro citroque. Ut enim ante diximus, motus spirituum visualium & motus objecti similem efficit apparentiam. Quod ad celerem objecti motum, fides testitudinis percussa talitro, tremula gemino crispari videtur motu.

726. Minores haustus citius quam magni inebriant; vinum saccarites minus, quam vinum purum. Causa prioris est, quod vinum non tam continuo descendat in stomachi fundum; sed diutius immoretur superficiei supremæ, vaporesque eo magis ad caput transmittat; propterea que citius inebriet. Sic & offa vino macerata (par modo sit quantitas) magis inebriat quam ipsum vinum. Ratio posterioris, quia saccarum inspissat vini spiritus, nec eos tam facile in vapores dissolvi permittit. Referunt & ebrietatis amuletum, si vinum saccarites hauriatur, post vinum purum. Idem adjumentum adscribitur oleo aut lacti sumpto post strenuam potationem.

Experimentum unicum spectans commodum aut damnum ex vino etiam modice sumpto.

727. Usus vini siccis & tabe confectis corporibus nocet, humidis & succi plenis prodest. Ratio, quia spiritus vini depascunt rorem aut radicalem humorem (ut vocant) corporisve, atque hoc modo spiritus animales frustrantur. Sicubi humor sufficit aut redundat, vinum digestionem & desiccationem humoris promovet.

Experimentum unicum spectans convolvulos.

728. Convolvulus inter vermes maxime generalis est, produci solitus ex rore & frondibus, examina enim convolvulorum videas in arboribus & sepibus producta, calamitatem frondium in arboribus & sepibus maxima ex parte, quod & nascantur ex illis & nutriantur iisdem. Vernum imprimis tempus ista lue infestatur, quod nec ros nec frondes tum desint, generanturque plerumque si diutius spiraverit Eurus. Causa est, venti istius siccitas, cum omnis ex putredine vivificatio, requirat, ne materia sit nimis humida. Quod autem vestiri conspicimus aranearum telis, signum est limosæ siccitatis; ut in terris, quas ex rore & Sole cooperiunt aranearum telæ. Viridesque convolvulos internæ rosarum partes gignunt, præsertim non perflantes expertæ ventos, in quibus ros mucescit, sed maximos & plurimos convolvulos brassicæ producunt, pinguibus foliis & putrescere aptis. Convolvulos exspirans æstas ostendit volatiles, mutatque in papiliones aut aliam muscam. Datur & convolvulus lanuginoso corpore magna cum bombycibus affinitate.

Experimentum unicum spectans muscas Cantharides.

729. Muscæ Cantharides generantur ex verme aut convolvulo; sed fructiferarum arborum quasdam præ cæteris insident, ut ficum, pinum, rubum sylvestrem; dulci omnes fructu, qui aliquam occultæ mordicationis & acrimoniæ indolem comprobet. Ficus enim lac continet, dulce & corrodens; Pineæ nucleus acer est atque absterfivus; fructus rubi vescentes pueros scabie inficere dicitur, ut omnino mirari non liceat, si cantharides corrodente & cauterizante virtute polleant. Nullum enim ex reliquis insectis non generatur ex materia crassiori & obtusa. Corpus cantharidum colore lucescit; & forte egregio colore tinctæ muscæ pavones vel libellæ eandem habent corrodendi vim.

Experimenta varia spectantia lassitudinem.

730. Lassitudinem curat balneum, aut inunctio oleo, aut aqua calida. Causa est, quia omnis lassitudo species est contusionis & compressionis partium, balneum vero & inunctio relaxat & emollit; & mixtum cum aqua oleum præstat separatim adhibitis; quia aqua melius partes subintrat, oleumque post rectius emollit. Experientia testatur, usum tabaci abigere lassitudinem. Ratio, quia refocillat corroboratque spiritus, partes contusas aut compressas aperit, & præcipue quia opiatæ virtutis beneficio spiritus reficit, atque sic lassitudinem aufert; ut in somno quoque evenire videmus.

731. Ascendentis collem genua defatigantur, descendentis coxæ. Causa est, quia dum pedes alternat ut montem superet, corporis onus genibus incumbit, in descensu, femoribus.

Experimentum unicum spectans exuvias animalium quorundam.

732. Exuviæ animalium comparantur ab antiquis cum ruptura secundinarum; sed minus recte. Singulæ enim exuviæ haberent instar novæ generationis. Præterea, secundinæ sunt tantum generale tegumentum, partium figuræ haud accommodatum, sed pellis partibus ex æquo respondet. Animantia pellem exuere solita sunt, anguis, vipera, cicada, lacerta, bombyx, &c. Quæ vero rejiciunt novantque squammas, sunt astacus, cancer, testudo, coclea, &c. Exuvias reperiri constat, sed rejectas squammas, minime; ut verisimile videatur, sic desquammari ut sensim defluant; dignoscuntur novæ squammæ insigni teneritudine & mollitie, & quodammodo florido colore. Causa exuviarum & desquammationis posset videri ingens materiæ quantitas in hisce animantibus, quæ apta nata est producere pellem aut squammam; deinde laxitas pellis aut squammæ minus pressim carni circumvolutæ. Certum enim est, à nova pelle aut squamma veterem extrudi. Sic in animalibus novum cornu vetus excutit, & in avibus novæ plumæ veteres. Illæ quoque aves, quæ sufficientem rostro gignendo materiam habent, rostra novant, recensque rostrum veteri locum præripit.

Experimenta varia spectantia posituram corporis.

733. Decubitus non erectus, sed inflexus, ut in sternendo lecto fit; aut cruribus sursum attractis, ut in statu corporis, maxime est salubris. Causa, quia stomachus, sic minus pensilis, corroboretur. Videmus enim stomacho laborantes, cruribus sursum attractis genubusque ad os velut admotis mire juvari; & ad trire-

triremes damnatos in ipsis ærumnis pingui esse & velut bene habito corpore. Ratio, quia sessilis vita stomachum aliquo modo supportat, quem stataria & crebri incessus pensilem faciunt. Unde exercitia deligere prolongandæ vitæ conducit, quæ artus magis quàm stomachum aut abdomen movent, ut sedentes remigent, aut serram reciprocent.

734. Hemicranias & vertigines potius à diuturna sessione parit surrectio, quam sessio. Causa est, quia vapores, sedendo collecti subito motu caput magis petunt.

735. Qui parti alicui diu innititur, stupidam eam reddit, &, ut ajunt, obdormiscentem. Causa est, compressio partis, intercluſa spiritibus libertate accessus. Compressæ partis relaxatio compunctiunculam sentiri facit ex regressu spirituum.

Experimentum unicum spectans annos pestiferos.

736. Annos (perhibente testimonium experientia) pestis suspicione infamat & insalubres fore persuadet ranarum, muscarum, & locustarum multitudo, &c. Causa ex abdito non eruenda, cum hæc animantia, ex putredine nata, ostendant annum ex generali dispositione, aërisque constitutione velut conspirare in morbos & putrefactionem. Eidem prognostico (ut ante *Centur. 6.* dictum) locus, si vermes conceperint mala in quercubus quandoque reperta: malignam enim aëris temperiem hæc subtilius è proximo repræsentant, quàm sensus penetret humanus.

Experimentum unicum spectans prognosticon intensioris brumæ

737. Ex rusticorum observationibus est, annos in quibus abundarit fructus vel baccæ spinæ albæ, vel cynosbati inodori, portendere hiemes æres. Causam in divinæ providentiæ arcanis latere illi ajunt, quæ (sacris literis testibus) ne passeres quidem in terram cadentes negligit, ut tanto illustrius præbeat sui notas in conservandis avibus per illas anni tempestates. Ex naturæ scrutinio hæc forte causa promanatur, quod præcedens æstas & caloris laboraverit defectu & humoris abundantia; quod productio istorum fructuum comprobat. Necesse præterea frigidos vapores magna copia residuos esse, neque dissipari, unde frigus hiemis secuturæ intenditur.

Experimentum unicum spectans medicamenta quæ condensant & spiritus refocillant.

738. Turcis in usu est potus, quem vocant Coffa, ex bacca cognomine, quæ nigricat instar fuliginis, & acri neque aromatico odore est. Illa in pulverem redacta ab ipsis sumitur in aqua sic calente ut haustum admittat. Et potu utuntur in suis tabernis (quæ vocantur Coffa-houses) corroborante cerebrum & cor digestionemque juvante. Bacca sane hæc Coffa, radix & folium betel, folium tabaci, lachryma papaveris (opium) Turcis usitatissimum, quod metum tollere putent, condensant spiritus, validos illos hilaresque reddunt. Sed vario usus modo distingui videntur; Coffa enim & opium intro sumuntur; tabaci solum fumus; betel tantum ore manducatur, cum pauxillo visci: plura ejus generis dari, si non dormitet inquisitio neque desit correctio, à vero alienum haud fuerit. Quære de hyoscyamo, mandragora, croci tam radice quam flore, de folio Indico, ambra, amomo Assyrio, si haberi possit, nec non de pulvere purpureo, quem kermes vocant, & in universum de omnibus illis, quæ inebriant & somnum provocant. *Nota*, quod tabaci radix aut semen non sumatur, utpote validiora ipsis foliis.

Experimentum unicum spectans picturam corporum.

739. Turcæ pulverem habent nigrum ex minerali Alcohole confectum, quem tenui penicillo denigrandis palpebris illinunt, ut oculi album elucescat. Eodem pulvere tingunt cilia & supercilia arcuatim producto. Xenophon memoriæ prodidit Medos oculis suis pigmenta adhibuisse. Eadem tinctura crines & barbæ Turcis ut nigricent, præstat. Nostrates etiam, ut fucata canitie mentiantur juvenilis formæ venustatem, varie excogitatis adjumentis crines denigrant, eosque pectine plumbeo similive adjumento comunt. Chinenses prava corporis constitutione (olivastri enim sunt colore) tingunt malas adhibito purpuræ artificio; Rex præcipue & Optimates. In genere, barbari omnes, qui nudi incedunt, non solum tingunt se, sed concidunt, raduntque cutem, variisque adornant operibus. Indis ad Occidentem idem in more positum; & antiquis Pictionibus Brittonibusque frequentatum; ut colligere liceat, exornaturos se homines avium plumis, si aliqua suppeteret ratio; aut ad minimum testari velle nitidam cutem pro vestimentorum nitore.

Experimentum unicum spectans usum balnei & inunctionis.

740. Miramur, usum balnei, partem diætæ, in desuetudinem abiisse. Romanis ac Græcis fuit cibi instar & potus. Hodie apud Saracenos non deperiit ejus studium; nostris tantum velut medicationis partem agnoscentibus. In ea sum sententia, balneum eo, quo Romani usurparunt modo, nocuisse sanitati, corpus emolliendo, & consumptioni obnoxium reddendo. Turcis illud magis attemperat victus ratio, cum potus aquæ atque oriza, qua vescuntur, aliusque cibus modici nutrimenti, corpora eorum solida & dura reddat, ut vanus sit metus ne eos usus balnei debilitet. Gaudent præterea Turcæ vita sedentaria, raraque deambulatione, quo fit ut minus egestus sudor balneum eis commendatius faciat. Verum tamen, balneo & præcipue inunctioni, recte adhibitis inesse sanitatis & prolongandæ vitæ adminiculum. Sed hæc alibi inter experimenta Medica exspectant tractandi opportunitatem.

Experimentum unicum spectans chartam undulatam.

741. Turcæ egregij sunt artifices chartæ, quam vocamus undulatam; industria nostratibus ignota. Varios sumunt colores oleo tinctos, eosque singulis aquæ guttis inspergunt, & aquam leviter motitant, qua deinde chartam

crassiusculam humectant quæ venarum undantiũ ductus trahit, ut vestis aut marmor.

Experimentum unicum spectans sepiæ atramentum.

742. Mirari liceat, avibus, bestiisque omnibus & piscibus rubere sanguinem, soli sepiæ instar atramenti nigricare. Putet forte aliquis causam esse ex sanguine admodum percocto; cum videamus in farciminibus vulgati usus sanguinem ebullitione nigrescere. Sepia autem in deliciis est, avideque expetitur.

Experimentum unicum spectans incrementum ponderis terræ.

743. Referunt, quorum fidem nefas in dubium vocare, terram è locis Nilo adsitis sumtam, si & humectatio & consumptio præcaveatur, singulisque diebus ad pondus exploretur, eo constare usque ad decimum septimum Junij; qua die Nilus intumescit; pondereque augeri, donec flumen justam impleverit altitudinem. Si non laborat narrationis veritas, non aliunde nisi ab aëre causam habet, qui tum condensari incipit, atque ita mutatur in exiguo terræ, in humorem, ponderis incrementum. Exploratum quoque concisо & appensо Tabaco, decedere aliquantum prioris ponderis, si igne exsiccetur: aëri post expositum recuperare quicquid deperdidit. Videri potest, flumen augescens integro aëris corpori in vicinia circumflui, aliquam inferre mutationem. Nam (quod causas admirationis potiores habet) ex vero narrant, eo die, quo Nilus intumescit, graves plagas in Cairo exoriri solere.

Experimenta varia spectantia somnum.

744. Qui valde frigent, præsertim pedibus, iis somnus impeditur. Causa potuit esse, quia in somno requiritur libera respiratio, quam frigus prohibendo nocet. Videmus ex acri frigore nasci respirationis difficultatem. Altera quoque causa fuerit, quia frigus ciet in auxilium spiritus, ut tam collecti ascendere in caput nequeant, quod somnus semper requirit. Unde & dolor & strepitus totidem somni obstacula sunt, quem contra tenebræ conciliant.

745. Quidam strepitus (de quibus experimento 112. egimus) somno favent; ut flatus venti, aqua profluens, bombus apum, cantus mollis, lectio, &c. ratio, quia excitant in spiritibus lenem attentionem, & hanc quicquid promovet sine labore gravi, sedat spiritus naturali & discursivo motu actuosos.

746. Somnus nutrit, aut saltem corpora conservat diu sine alimento. Bestiæ quæ per hiemem valde dormiunt (quod de Ursis annotatum reperio) pinguescunt durante somno, etiam non pastæ. Vespertiliones in furnis reperti sunt, aliisque cavernis, compacti supra se mutuo, unde facta conjectura, totam illis hiemem dormiri, & nihil comedi. Inquire, an non apes hiemem somno traducant, mellique parcant? papiliones, aliæque muscæ, non tantum somno indulgent, sed velut mortuæ quiescunt, modico Solis aut ignis calore animandæ. Glires æstate aut hieme aliquot dies impasti dormiendo vivunt.

Experimenta varia spectantia dentes & duras substantias in corporibus animantium.

Si dentes instaurandi ratio suppeteret, detecto naturæ mysterio gloriari liceret; intendant homines in hanc rem cogitationes. Quicquid sit, natura dentis meretur inquisitionem, æque ac aliæ partes animantium.

747. Quinque sunt in corporibus animantium solidæ durioresque substantiæ: cranium, dens, ossa, cornua, ungues. Caput passim ostentat plurima istius soliditatis, quod & cranium habet ex integro osse, dentes, maxillaria ossa, & duriusculum illud auditus instrumentum, unde cornua prodeunt; ut fabrica animantium sit velut compages ædificij, cujus parietes & alia columnis trabibusque sustentantur, cum tecta elegantius elaborata constent ex imbricibus, plumbo aut lapidibus. Aves tria habent ipsis peculiaria, rostrum, ejusdem cum dente substantiæ (dentibus enim carent) testam ovi, & pennas, cum calcar nihil sit ab ungue diversum. Sed animantia nulla, quibus testa solidior (ut ostrea, conchæ, musculi, pectines, astaci, cancri, testudines fluviatiles, squilla gibba, & præcipue testudo) ossa habent interna, sed cartilagines tantum.

748. Ossa justi incrementi mensuram nacta manent in eadem magnitudine, cranium quoque, & cornua in quibusdam exuta renovantur; dentes in statu velut crescendi non augentur, nisi quod usus eos atterat. Ungues continuo crescunt, etiam rostra, adeo ut emineant, quæ in aquilis & psittacis mutantur.

749. Pleraque duræ substantiæ recesserunt ad extremas corporis partes; ut cranium, cornua, dentes, ungues, rostra. Ossa solummodo interiora sunt, carnis amictu prætexta. Viscera omnia carent ossibus; nisi quod aliquando os in corde cervi fuerit repertum, forte & in aliis animantibus.

750. Cranium cerebri receptaculum est, quod medullam refert. Spina dorsi medullam habet informem, magna cum cerebro affinitate, quæque aliis corporis ossibus diversa est. Mandibula non continent peculiarem medullam, sed parum pulposæ medullæ diffusum; denti quoque medullæ species per substantiam distributæ adscribitur, quam sensatio & dolor afficit, estque potius nervus, cum medulla sensus sit expers, ut sanguis. Cornua prorsus partes sunt similares, ut & ungues.

751. Inter substantias soliditate notabiles, nulla sensu prædita est præter dentes; neque doloris tantum sensu valent, sed & frigoris.

Sed alia, quibus substantiæ obdurescit compages, relegemus in suum locum, contenti instituta de dentibus inquisitione.

752. Dentes hominibus triplices sunt: acuti, ut primores sive principales; lati, ut molares; canini aut acuminati, prioribus interjecti. Sed inventi homines quibus os continuum pro dentibus fuit, exili nota discriminante singulos; quod de Pyrrho narratur. Animantia quædam oblongos aut eminulos habent dentes, qui brochi vocantur, ut Ursæ, Lucij, Salmones,

nes, Canes, sed raro; quædam dentes dentibus indivisim junctos, ut homo, equi; quædam dentes præcipue primores sive principales dentibus inferros instar serræ, ut Leones & Canes. Quibusdam piscibus varia dentium series, ut luciis, Salmonibus, trutis, &c. pluribusque aliis aquas salsas habitantibus. Angues aliique serpentes venenatis sunt dentibus, quos male videas aliquando sumi pro aculeis.

753. Cornuta animalia superiori dentium ordine carent, neque inferiori destituuntur, quæ superiorem habent. Sed tamen in illis ejusdem speciei animantibus non sequitur, si substantia dura in dentes superiores non mutetur, in cornua abire nec contra. Damis enim, qui non cornuti, desunt dentes superiores.

754. Equi trimi dentem ferunt, quem vocant gnomonem, quo dignoscitur trium amorum teneritudo, quadrimi dentem, quo ætas adulta 4. annorum, atque ille foramen habet pisæ capax, quotannis minui solitum; donec octenni dens lævis fiat, coalitumque foramen sui vestigium non relinquat; & tunc notam in ore equi evanuisse ajunt.

755. Dentiunt pueri, cum annum aut sesqui annum agunt. Septennibus primi dentes mutantur novis. In multis dentes molares prodeunt anno vigesimo, trigesimo & quadragesimo. Inquire generationis modum. Ferunt Desmondiæ Comitem, provectæque ætatis fœminam, utpote quæ ad centum & quadraginta annos vitam produxerit, bis terve dentiisse, totiesque veteres dentes novis succedentibus mutasse.

756. Dulcia dentibus noxam creant, ut & Mercurii inunctio, nimisque calida & nimis frigida atque catharri: dentium dolor acerbissimus censetur.

757. In dentibus hæc consideranda. 1. conservatio. 2. albedinis, ne depereat, cura. 3. exemtio eorum minori cum cruciatu. 4. Odontalgiæ levamen & medela. 5. artificialis insertio ubi defuerint elisi; & postremo illa magni momenti restauratio, ubi provectior eos ætas absumpserit. Instantiæ quæ in hoc ultimo aliquam præbent veri speciem, sunt, sera in nonnullis dentitio, rostrorum in avibus restauratio. Quæ eandem cum dentibus materiam habent, & cornuum. Accuratius hic igitur opera collocetur in explorando modo. Hactenus tamen latet dentes provocandi artificium. Quare tentetur cornuane elicere detur in bestiis, quæ illis carent, & quomodo? & largiora solito ut proveniant, efficere, velut quo liceat bovis aut vaccæ caput amplis cornubus reddere ornatius; & in subula ætate magis acuminata quæ fiunt cornua facere magis ramosa. Ex talibus experimentis constabit, quantum ars tam duræ substantiæ dominetur. Dispice etiam, in avibus adhuc tenellis adhiberi quid possit, ut longiora majoraque fiant rostra, ungueſque grandiores & longiores: & pueris tinctura parari aut simile quid, ut dentes eorum validiores melioresque generentur. Corallium commendatur tanquam dentientibus puerulis futurum adjumento,

Experimenta varia spectantia generationem & gestationem animantium in utero.

758. Animantia quædam certis anni tempestatibus generant, ut dama, ovis, cuniculi sylvestres, &c. aves pleræque & pisces. Alia quovis anni tempore ut homo, &c. & omnia domestica, ut equi, porci, canes, feles, &c. causa generationis qualibet anni tempestate, est copia, Redundantia enim generationem uniformem promovet; quæ gemino ex fonte fluit, vel natura animantis, si illud calidum, humidum, aut sanguineum fuerit, vel ex copioso nutrimento. Quoad primam, homo, equi, canes, &c. quibus ad generandum quælibet anni tempestas favet, calore & humore sunt auctioribus, columbæ avium calidissimæ & humidissimæ sæpissimæ fœtus edunt: cicures perpetuo fere. Dama melancholicum & siccum animal est, quod timiditas probat carnisque durities. Ovis animal est frigidum, ut apparet ex lenitate, & quod raro bibant. Plerisque avibus siccior, quam bestiis, substantia est. Pisces sunt frigidi quod ad secundam causam, quæ est alimenti copia: homo, vacca, sus, canis, &c. largius pascuntur; neque obscurum, animantes sylvestres raro generare, cicures sæpius: quod & calor & nutrimenti abundantia præstat. Coëundi tempus à feris observari Septembrem, certum est, quia quicquid alimenti & graminis confert æstas, cedit in hanc generandi facultatem. Quo maturius September pluvia madescit, eo citius catulciunt, siccitas retardat. Ovis quoque, modice calens, generat circa idem tempus aut paulo ante. Sed quibus stata & in circuitum recurrens generatio, verno fætui operam dant, ut aves & pisces; conferente, ad præparationem & hiemis deliquio & calore fomentoque veris. Alia quoque ratio est definitæ sua periodo generationis, estque relatio gestationis ad tempus generationis, cum nullum animal novo studeat partui, fæmella uterum gestante, nec parturiente, aut catulos in lucem edente. Ideo dictat experientia, sublatis è nido ovis aut catulis, redire ad Venerem, repetitis etiam vicibus.

759. Nonnullis animantium in utero gestandis tempus longius breviusve præfixit natura. Mulier novem plerumque menses explet; vacca & fæmella ovis, sex fere; damæ novem; equæ undecim; canis novem Septimanas, Elephas gestare uterum dicitur biennii spatio: fabulam enim sapit quicquid de decennio venditant. Duo se in avibus offerunt quæ figunt attentionem, quid dissideat à coitu, ovi exclusio, deinde ab ovo excluso, testæ ruptura. Atque in avibus minor est temporis diversitas, quam aliis animantibus; est tamen aliqua. Gallina enim incubatui tres impendit hebdomadas, Gallina Asiatica, anser, anas, mensem. De aliis quære. Causa tantæ quoad tempus differitatis inter animantia, aut natura speciei, aut constitutio uteri. Quoad prius, quæ tardius maturescunt, diutius gestantur in utero; ut doceamur exemplo hominis. Elephas longam requirit moram, ut justam adolescendi mensuram impleat. Sed in plerisque aliis speciebus constitutio uteri (id est, durities & siccitas) cum priori

causa concurrit. Pullus enim equinus quadriennio fere eget ut adolescat, sic & hinnulus, & vitulus, Catuli autem, quibus plerumque adolescendi periodus novem includitur mensibus, totidem septimanas in utero gestantur. Aves ut minori tempore partum distinguunt, ita & minori adolescunt; plerisque earum intra duodecim menses absolventibus incrementum.

760. Animalibus quibusdam unicus partus numerosam præbet sobolem; ut canibus, leporibus, cuniculis, &c. alia unipara sunt, ut mulier, leæna, &c. potest illud contingere ex quantitate spermatis requisiti ad unius productionem istius speciei; quod si minus exigatur, major admitti potest numerus, si plus, minor; aut ex partitis uteri cellulis, in quas divisum secernitur sperma.

Experimenta varia spectantia species visibilis.

761. Extra controversiam est, lucem ex refractione æque augeri ac res coloratæ. Ut enim solidi, in aquæ fundo crescit magnitudo, sic & candelæ, quæ sub aquis laternæ imposita tenetur. Audisse experimentum memini, cicindulas vitris insertas & sub aqua collocatas ad alliciendos pisces. Sed hactenus me latet, an urinator sub undis oculos apertos gerens, tergoque innatans, res in aëre constitutas auctas an diminutas conspiciat. Indubium enim, si oculus consistat in medio tenuiori, objectum in crassiori, increscere oblatam speciem. Contra, oculi radiis densius medium transeuntibus, si objectum constituatur in tenuiori, quid futurum sit, me latet.

762. Penitius scrutari expediat, an non reflexio magnam facere possit refractionem, quam radii recte emissi. Ex. gr. sume vacuam pelvim, eique aureum nummum impone, aut aliud quodcunque, tum longius à pelvi recede, donec evanescat nummi conspectus, utpote extra rectam lineam. Pelvis deinde aqua repleatur, illum loco non suo repræsentabit reflexio. Ut igitur procedas, insere speculum pelvi aqua repletæ, suppono, non conspiciendam directe imaginem, aut angulis æqualibus, sed obliqua. Ignoro, an hoc experimentum non possit eo modo institui, ut indeprenso oculis speculo prodeat in conspectum imago. Certat hic cum venustate novitas; imagine, spiritus instar, aerem occupatura & inde conspicua. Ex. gr. ex adverso cisternæ aut paludis collocetur diaboli pictura aut quicquid volueris, ne tamen aqua oculis percipiatur, aquæ imponatur speculum. Si ex obliquo, pictura diaboli, visum feriat, non aqua, diaboli instar obvium habebis. Jam à longo tempore apud Oxonienses fama tenet, Monachum Rogerium Baconium inter binos duorum templorum obeliscos transivisse per aërem, quod vitrorum ope tum credebatur factum, cum tamen terræ inambularet.

Experimenta varia spectantia impulsionem & percussionem.

763. Corpus grave, semel motum, facilius impellitur, quam prima vice cum quiesceret. Causa est, partim quia motus discutit torporem solidi corporis, quod præter motum gravitatis, habet præterea in se naturalem appetitum quiescendi; partim etiam, quia corpus quiescens, validiorem ex resistentia corporis in quo quiescit, patitur compressionem partium, quam ex se habeat; ut adhibenda sit vis major, quæ statu suo deturbet. Si enim corpus ponderosum sit pensile, etiam ex filo, impulsus erit æque facilis, ac si omnino moveretur.

764. Corpus ingens aut perpusillum tam longe projici nequit, quam aliud mediæ mensuræ, ut requiri videatur ad proportionis legem commensurata corpori moto vis, quæ moveat. Causa est, quia impulsio non fit sine virtute corporis moventis & resistentia moti; corpus autem si enormi sit magnitudine, tardius cedit; si exilitate, non satis valide resistit.

765. Innotuit vulgo, nullum pondus tam fortiter premere & dirumpere si alteri corpori imponatur, quam si superne in illud impellatur, aut percutiatur. Forte aëri aliquid tribuendum in promovenda percussione. Sed causa mihi videtur præcipua, quia partes corporis moti ex impulsu aut motu gravitatis continuæ in se æque habent compressionē deorsum, ac projectæ & emissæ per aerem, antrorsum. Concipio quoque, celerem istius motus impressionem prævenire resistentiam corporis inferioris; virium prioritate ubique efficaciam suam comprobante, ut in infinitis apparet instantiis.

Experimentum unicum spectans titillationem.

766. Titillatio maxime percipitur in planta pedis, sub axillis, & in costis lateralibus. Causa est, tenuitas cutis, quæ hasce partes vestit, rara quoque earum contrectatione. Omnis enim titillatio est levis spirituum motus, quem cutis tenuitas, repentinus & rarus contractus promovet. Sic penna aut juncus labiis aut malis leviter inerrans, titillationem ciet, non res obtusior aut durior contactus. Quod ad repentinum contactum, patet, neminem à se ipso titillari; palmam quoque æque tenui, ac jam dictæ partes, cute, titillationem non admittere, ex contrectationis frequentia. Titillatio quoque risum movet. Causa forte, emissio spirituum & sic animæ, fugâ titillationis, in qua semper notatur resultus & retrocessio partis ut eam declinet. In naribus quoque penna aut stramine interius titillatis sternutationem cient; quæ subitaria spirituum emissio est, & humorem expellit. Est & cum dolore conjuncta titillatio, ut tolerari nequeat.

Experimentum unicum spectans pluviæ penuriam in Ægypto.

767. Mirum, inundante Ægyptum Nilo, ut fieri consuevit, tenues aut nullas in ista regione pluvias sentiri. Causa referri possit, vel ad aquæ, vel aeris, vel utriusque naturam. Aquæ, si & longior attendatur procursus, cum pernici rapta defluxu minus exhalet quam stagnans; & ejus concoctio, cum probe concocta non adeo evaporet, ac cruda, ut aqua supposito igne ebulliens parcius emittit vapores modico à prima coctione interstitio, quam sub ipsum initium. Constat etiam, aquas Nili aliis dulciores gustu arbitro deprehendi; in calculo quoque & melan-

lancholia hypochondriaca commendari; unde virtus leniendi arguitur; & per clima calidum, plana nec sylvis aut montibus umbrosa regione, deferri; ut necesse sit Solem magna vi incumbentem fluvio adimere cruditates. Aëri imputari queat (partes ejus in hac pluviæ egestate primas esse concipio) quod tenuis ex se & siticulosus sit, aqueumque humorem avide absorbeat, perque integrum corpus ita dispergat, ut sub vaporum forma remanere non patiatur quibus in pluvias intumescat.

Experimentum unicum spectans clarificationem.

768. Diximus titulo de percolatione (illa nempe interna) albumen ovi & lac clarificandis adhiberi liquoribus. Ægyptii aquas Nili præparant & clarificant haustas cisternis vel vasis ex lapide, & agitatas cum paucis amygdalis contusis, quibus orificia vasorum inungunt, removentque, ubi paululum subsederint. Profuerit clarificationis hujus cum amygdalis experimentum transferre ad recentem cerevisiam aut mustum, ut acceleretur expurgationis opera.

Experimentum unicum spectans plantas foliis carentes.

769. Vix reperiuntur vegetabilia, quæ foliis destituta ramos habeant; nisi corallium excipiatur. Sed deserta S. Mocarii in Ægypto plantam alunt, longam, foliis carentem, nigri coloris, instar corallii ramosam, nisi quod vertice sit clauso. Illa ædibus excepta & aquæ imposita mirum in modum explicatur; invasitque populum confiniis adsitum superstitio, quod mulieribus in partu laborantibus opituletur.

Experimentum unicum spectans materiam vitrorum.

770. Vitris crystallinis apud Venetos materia est ex mixtis æqua proportione lapidibus, quos ex Pavia fluvio Ticino devehunt, & herbæ cujusdam noxiæ cineribus, apud Arabes dictæ Kall, nascentis in deserto inter Alexandriam & Rosettam. Ægyptiis hæc primo fomitis usum præbet, postmodum cineres in massam, velut lapidem, compressos, vendunt Venetis, futuros iis materiæ vitrariæ loco.

Experimentum unicum spectans prohibitionem putredinis & longam cadaverum conservationem.

771. Non tralatitiam meretur animadversionem illa cadaverum per annos complures conservatio, integris neque ulla ex parte fugientibus dimensionum notis; ut in mummiis Ægyptiis apparet; quarum nonnullæ perdurasse creduntur tria annorum millia. Perspecta quidem est ipsis ratio eximendi cerebrum, & quorum corruptionem vix arceas, viscera; sed id tanti non est, ut exprimat admirationem. Videmus enim quam mollis substantia sit caro, & facillime nata putredini præ cæteris corporis partibus. Sed videri posset ex nostra observatione & axiomate, quod centesimo experimento dedimus, putredo ex meo conceptu naturalis corporum periodus, tantum esse accidens; nec materia acceleratæ corruptionis causa. Unde statuitur, corpora in ambra splendenti, Mercurio, Balsamo (de quo jam egimus) cera, melle, gummis, & forte chionotamiis seu nivium conditoriis, &c. diu admodum servari. Neque opus est, si revocemus huc illo experimento dicta, repetitione eorum quæ spectant annihilationem. Nempe si tria putrefactionem causari solita prohibeantur, penitus arceri poterit corruptio. Primum est, ut excludatur aër, qui corpus tacite subruit, & cum spiritu ejus in dissolutionem velut conjurat. Secundum, ne, quod in ambitu corpus est adjacetque, ejusdem sit materiæ, sed heterogeneum plane quoad corpus conservandum; sic enim alterum recipere nihil, ex altero progredi nihil potest. Talia sunt Mercurius, succinum album in herbis, muscis, & ejusmodi corporibus. Tertium, ut corpus conservandum non sit ea mole, ut sponte diffluere queat in corruptionem, etiam nihilo ejus egrediente in adsitum corpus. Ideo tenue potius & parvum sit oportet, quam vastum. Datur & quartum adjumentum, ut si corporis conservandi ea sit magnitudo, qua plerumque conspicitur, tum corpus continens præditum sit facultate attrahendi & exsiccandi humidum corporis contenti, ne interius inchoata invalescat putredo, quamvis nihil egrediatur. Memini narrare Livium, repertos aliquando fuisse duos loculos plumbeos in quodam monumento; alterique corpus regis Numæ, alteri libros sacrorum rituum & Pontificum disciplinam fuisse inclusa. Loculus cadaver continens nihil exhibuit nisi paucos levesque cineres in extremitatibus; alter libros ita illæsos noxæque prorsus expertes, ac si recens Amanuensis scriptura fuisset. Erant autem in membrana scripti & candelis ex cera, quarum in sacris vigiliis usus est, tecti velut involucro ter quaterve repetito. Hinc colligas, Romanos regnante Numa non adæquasse Ægyptiorum industriam in condiendis balsamo corporibus; unde secuta fuerit corporis inventi consumptio. Notant Plutarchus & alii, cum Augustus Cæsar inviseret Alexandri Magni sepulchrum, cadaver integris inconfusisque repertum fuisse dimensionibus. Balsamum tamen, quod præstantissimum fuisse par est, nimiam cadaveris mollitiem adeo prohibere non potuit, ut ex solo nasi contactu Cæsar totum deformaverit. Auget hoc mihi admirationem, cum Mummiæ Ægyptiacæ dicantur velut lapidescere. Neque enim discrimen video, nisi unum, quod plurimum ad rem facit; nempe quod priscæ Ægyptiorum Mummiæ variis linteis, gummi inunctis, fuerint involutæ, instar cerati; quibus omnibus caruit Alexandri cadaver.

Experimentum unicum spectans copiam nitri in quibusdam littoribus.

772. Prope arcem Catiæ, puteosque Assanios in Idumæa, longo itineris tractu, mare, licet remotius, velut & propinquo percipitur; nitri ex alienis fulgore viciniam mentiente; tanta nitri copia littus illud exundat.

Experimentum unicum spectans corpora quæ aquæ innatant.

773. Mare mortuum, bitumen egerens, tanta est spissitudine, ut animantia manibus pedibusque ligatis injecta ei innataverint, nec

submersa fuerint. Quod docemur, depressionem sub aqua nihil esse præter corporis pondus, quo excedit aquæ pondus; adeo ut illa tam ponderosa validaque reddi possit ex Mercurio forte aut similibus, ut sustinendo ferro sufficiat: cujus rei nullum video usum, sed dandam imposturæ occasionem. Eadem ratio ostendit omnia metalla, aurum excipe, Mercurio innatare.

Experimentum unicum spectans fomitem qui parum aut nihil consumit.

774. Ajunt ad radicem collis prope mare mortuum, lapidem reperiri nigrum (habitum Eremitis in parandi ignis adminiculo) qui carbonis instar ardens imminui nesciat, sed splendore & candore augescat. Si res ita se habet, non equidem miror, cum ferrum ex calore rubescat, nec consumatur; sed quod perduret aliquamdiu, illud est quod admirari liceat: ferri enim ex igne sublati, protinus diffugit rubor. Res profecto esset haud exigui commodi & lucri, si excogitetur fomes, qui accensus & calefaciat & longiore vivat spatio. Neque prorsus abnuo, candelas dari ex lana Salamandri, quadam metalli specie, quod inflammatum candescat, nec consumatur. Quæstio est, flammam res alit, & plerumque corpus tangibile pondere constans. Sed fieri posse videtur ut spiritus aut vapor (uterque ponderis expers) in corpore eam excitet; qualis ignis fatui materia est. Regeres forte, vapor iste brevi exspiraturus marcescet. Respondebitur, olei & ceræ adminiculo alteriusve materiæ, parandis candelis destinatæ, flammam nutriri posse, ellychnio non consumpto.

Experimentum unicum Oeconomicum spectans fomitem vilis pretij.

775. Fossilis carbo diutius vivit quam ille ex lignis & carbo ex radicibus, magna in frustra dissectis, vulgo usitatis ex ligno longius durat. Cespes vulgaris & ille exerica & stercus bovinum exsiccatum pretii sunt vilis, & illanguidi diu fomitis. Carbo ex ramis & fruticibus vel spinis superinjectus carbonibus ex ligno vegeti longè ignis alimentum præbet. Carectum est fomes levis pretii, cujus frequens cerevisiariis & pistoribus est usus, cætera alioquin inutilis. Exploretur terra aut creta carboni fossili admixta. Hæc mixtura (qua carbonarii clandestine solent uti) si adhibeatur, ut auctior reddatur carbonis massa, impostura est, sin solum cognoscendi studium spectetur, compendii res fuerit.

Experimentum unicum spectans venti collectionem ad refrigerium.

776. Gazenses hodie testas aut vasa fictilia parietibus inserunt, ut captatum ex fastigio ventum porrectis siphunculis deducant in loca inferiora; opponi solitum magnis æstibus refrigerium. Italia quoque & Hispania dicuntur admoderandis anni fervoribus excogitasse, quæ placido derivati venti & aeris divortio refocillent. Sed illa nihil sunt præter compressiones venti, ejusque novas dilatationes, efficiuntque ut reverberatus in circulum magis eat, quam siphunculorum in parietibus artificium.

Experimentum unicum spectans judicia de aeris salubritate aut contra.

777. Non ignave oportet in hoc incumbere, ut quæcumque deligas corpora aut loca, exploretur aëris salubritas aut contra, tam quoad anni tempestates quam inhabitatam regionem. Certum est, in aliis ædibus magis, in aliis minus periculi esse conditis artocreis à mucore. Neque temere mihi persuaserim carnem aut piscem citius in hoc quam illo aëre sentire noxam. Egregia sunt experimenta, quæ rebus istiusmodi necdum perspectis facem allucent: commodant enim naturalibus tempestatum prognosticis, melius quam Astronomicæ solertiæ adminicula. Edocent præterea homines, quæ deligenda habitationi sedes, ut in tuto sanitas sit, meliusque ei consulatur.

Experimentum unicum spectans lactis incrementum in lac præbentibus animalibus.

778. Invenitur lapis circa Bethleëmum, qui in pulverem redactus, & aquæ, cujus haustu pecudes refocillantur, injectus, lacte aucto distendit ubera. Utilius profecto tentetur aquarum mixtura in stagnis pecudum commodo, ut lac copiosus præbeant, aut pinguescant, aut à lue defendantur. Forte creta & nitrum optime hanc miscelam constituant temperentque.

Experimentum unicum spectans arenam quæ vitri naturam referat.

779. Referunt, in valle prope montem Carmel in Judæa, arenam esse maximæ cum vitro affinitatis, adeo ut mineralia illic deprehensa vertat in substantiam vitri sine adminiculo ignis, & vitrum in arenam primigeniam. Res admiranda, si figmento non ludimur. Videturque pati similitudo veri, quod oriatur ex naturali fornace aut calore subterraneo. Nulla tamen flammæ erumpentis mentio fit. Sed expediret revocare illud ad materias vitrarias, utrum crudæ vitro jam excocto rursumque liquefacto admixtæ, minus requirant caloris facilitandæ vitri confectioni

Experimentum unicum spectans corallii germinationem.

780. Ad maris Siculi plagam meridionalem multa colliguntur corallia. Planta hæc est submarina, frondibus carens, sub aquis tantum ramosa, mollis & colore viridi, sed exposita aëri indurescit, mixto cum splendore rubore, ut constat. Ajunt & baccas ferre candidas, sed necdum cum coralliis transvectas; forte inter rejicula ibi habitas: sed exactius profundiorique indagine eruenda plantæ natura est.

Experimentum unicum spectans mannæ collectionem.

781. Mannam optimam & uberi proventu fert Calabria, quam ex frondibus mori colligit, longe diversi ab iis quæ in vallibus nascuntur. Manna velut alii rores, per noctem in frondes depluitur. Putet forte quispiam rores ejusmodi dissipandos ne subsistant, antequam arborum foliis in vallibus adhærescunt. Videri quoque posset, mori frondibus coaguli vim, quo ros inspissetur, quia in nulla arbore præter illam unicam conspicitur. Bombyces, foliis istis

istis nutriri solitæ, satis etiam ostendunt, delicato & æquabili esse succo. Adde, quod folia (mori præsertim nigri) paululum hirsuta sunt, eoque magis conservando rori accommoda. Foret sane operæ pretium, rores arboribus herbisque montanis insidere solidos accuratæ cognitionis sedulitate dignari. Forte multos dissipari contingit, antequam ad valles perveniant. Et omnino sic statuo, si in usus Medicos ros Majalis optimus colligendus sit, in montibus quærendum esse.

Experimentum unicum spectans vini correctionem.

782. Circumfertur modus quo vinum Græcum paretur, ne exhalet aut inebriet, pauxillo sulphuris vel aluminis addito; quorum prius est unctuosum; posterius astringens; neque dubitatur quin hæc duo optime exhalationem prohibeant. Traducatur illud ad alia vina & cerevisias melioris notæ, impositis quæ similis sunt substantiæ, dum fermentantur, ut & minus exhalent, & inflamment.

Experimentum unicum spectans materiam ignis artificialis ex sulphure, bitumine, & pulvere pyrio.

783. Excogitata quibusdam non improbabilis ratio, quare ignis artificialis (qui præcipue bituminosus) aqua exstingui nequeat, quod bitumen primo concrescat ex igne & aqua mixtis, non vero sulphur. Testatur id locus Puteolis proximus, aula Vulcani dictus, qui horribile aquæ & ignis mutuo se conflictu vexantium, tonitru refundit, cum aquarum ferventium per siphones eruptione. Magna autem ibi bituminis copia; cum Ætnæ & Vesuvij incendia similiumque montium, qui sulphurei, eructent fumum, cineres, pumices, non aquam. Perhibent quoque bitumen glutini permixtum & aquæ impositum, in artificiosæ rupis substantiam velut obdurescere.

Experimentum unicum spectans emplastrum instar marmoris indurescens.

784. Datur cæmentum, ex farina, albumine ovi, lapidibus in cineres redactis, quod marmoris instar indurescit, quo piscina miranda prope Cumas incrustatos habet parietes. Certe ex re cognitum, pulverem magnetis & silicis, addito ovi albumine, & gummi draconis, in pastam redactum paucis diebus lapidis acquirere duritiem.

Experimentum unicum spectans judicium de curatione quorundam ulcerum & vulnerum.

785. Memoriæ prodiderunt veteres, in corporibus succi plenis & impuris vulnera surarum ægre curari, capitis vero facilius. Causa est, quia ulcera & plagæ in suris requirant desiccationem; quam defluxus humorum versus inferiora impedit, cum ulcera & plagæ capitis illam non requirant, sed contra siccitas efficiat ne consolidari commode possint. Nostri temporis observatio similem deprehendit differentiam Anglum inter & Gallum; illum humida, hunc sicca corporis constitutione: ut plaga capitis in Gallo, suræ in Anglo curatu difficilior sit.

Experimentum unicum spectans salubritatem & insalubritatem venti Meridionalis.

786. Tradunt antiqui, ventos Meridionales diu continue impluvio cœlo spirantes morbosam anni lucem creare, sin pluviis quandoque interjectis madeant, cessare fatalis tempestatis suspicionem. Causa est, quia venti Meridionales ex se febrili qualitate aërem inficiunt, ex conjunctis imbribus refrigerium temperat calorem quasi suffocantem. Sed respuunt hæc regiones maritimæ, vaporibus ex mari, satis absq; imbre, æstui moderantibus.

Experimentum unicum spectans vulnera.

787. Eadem antiquitas literis ad nos transmisit, vulnera ære inflicta curari facilius, quam illa ferro. Causa, quod æs sanativa virtute polleat, & sic præsentaneam ferat medelam. Ferrum autem corrodendi vim habet, non sanandi; ut futurum sit utile, si instrumenta chirurgorum, curandis vulneribus adhibenda, ex ære potius quam ferro fiant.

Experimentum unicum spectans mortificationem ex frigore.

788. In Regionibus gelu & cœlo inclementiore asperis, nasi & aures mortificatæ & quasi gangræna & frigore correptæ si igni admoveantur statim putrescunt. Causa est, quia paucos spiritus, in affectis partibus residuos, ignis repente prolicit, ut ita absolvatur inchoata putredo. Nix autem illis applicata prodest, superstites enim spiritus conservat donec reviviscant. Præterea, occulto calore constat; uti Monachus ex sacro textu probabat; qui dat nivem sicut lanam, gelu sicut cineres spargit. Unde inferebat, quod nix instar lanæ calefaceret, & gelu instar cinerum eroderet. Profuerit etiam aquæ calidæ usus, quod sensim poros aperiat absque repentina in spiritus actione. Mutuari posset ab hoc experimento adjumentum curatio gangrænarum; sive sponte nascentium, sive quas nimia opiatorum applicatio induxit; in quibus vitandus est calor siccus, recurrendumque ad refrigerantia, internum calorem virtutemque fovendi continentia.

Experimentum unicum spectans pondus.

789. Seorsim exploretur ferri & aquæ fortis pondus, in qua dissolvatur ferrum; dissoluti examina de novo pondus, deprehendes idem, quod separatim appensi fuit corporis; cum tamen magnam partem specie crassi vaporis consumserit inter operandum exhalatio. Unde apparet, dissolutum corpus pondere augeri. Semel atque iterum id tentavimus, sed ignoro, an experimento latens error illuserit.

Experimentum unicum spectans corporum supernatationem.

790. Sume aquæ fortis uncias duas, Mercurij vivi drachmas totidem (illud enim pondus aqua fortis sustinere potest) si dissolvas, non feret filicem crassitie nucis myristicæ. Nihilominus tamen aucta pondere aqua vim vectionis auget; ut muria salis quantum satis habens, ovum vehet innatans. Memini à Medico usurpata fuisse balnea ex quodam minerali ad curationem podagræ, &c. corpus balneo impositum tam

facile

facile non descendebat, quam in vulgari aqua. Sed videtur pondus Mercurij vivi majus illo silicis, non magis compensare pondus silicis quam aquæ fortis.

Experimentum unicum spectans volatum corporis inæqualis in aere.

791. Corpus inæquali pondere (ut ligni & plumbi, aut ossis & plumbi) si projiciatur extremitate leviori antrorsum obversa, mutabit situm, extremumque gravius antevertet, nisi corporis longitudo nimia obstiterit. Causa est, quia densius corpus vehementiorem patitur partium pressionem ex prima impulsione; estque hæc causa (quamvis hactenus ignota, ut sæpe dictum) omnis violenti motus: cumque pars posterior celerius moveatur (quia minorem patitur compressionem partium) quam anterior loco cedere potest, necesse est corpus converti: conversum enim facilius partem leviorem antrorsum protrahere valet. Galilæus bene notat, si alveus patens, & aqua plenus, validius impellatur quam ut aqua subsequi possit, tum aqua in cumulum colligitur versus partem posteriorem, unde motus initium fuit. Hanc ille (confidenter supposito terræ motu) statuit causam fluxus & refluxus in mari, quia terra aqua celerius movetur. Quæ Theoria quamvis sit falsa, prius tamen experimentum est verum. Inæqualis partium pressio manifeste apparet, si sumas ferrum aut silicem, aliud vero corpus sit lignum, eadem magnitudine & forma; æquali virium nixu projectis, lignum à lapide aut ferro ulterius tendentibus, omninò deseretur.

Experimentum unicum spectans aquam ut medium sit soni.

792. Extra controversiam est (ut partim *Centur.* 2. ante diximus) quod aqua possit fieri medium deferendi soni. Collisio duorum lapidum sub aqua, sonum edit; ut & longa pertica sub aqua calculis illisa. Si quis ascendere mediante pertica sonum putet, observet anchoram rudente demissam sonare, cum tamen rudens non sit corpus solidum, quo interjecto ascendendus sonus communicetur.

Experimentum unicum spectans fugam spirituum ex objectis ingratis.

793. Objecta sensus admodum offendentia spiritus retrocedere cogunt, quibus in fugam sparsis partes destituuntur, unde trepidatio & horror. Quod ad sonos, compertum, reciprocatæ ferræ aut alio, qui retricus sit, sono, dentes hebetari, corpusque insinuato penitus horrore perfundi. Quod ad gustum; sentimus haustu medicatæ portionis sumptisve pilulis caput & collum horrescere. Idem faciunt odores ingrati; sed minus percipitur illud effectum, quia obturatis naribus remedium offensionis in promptu habemus. Sed equos, ubi locum non habet illa impediendi ratio, videmus quomodo fætor cadaveris, præsertim equini, in fugam præcipitet quasi furore correptos, quantum ad tactum, si ex Sole repente secedas in umbram, per totum corpus excitatur algor & horror: quin & visum, ut qui objecto vere ingrato non feritur, subitaneo in tenebrosa processu, horror eum percellat.

Experimentum unicum spectans super reflexam Echo.

794. Ticini in Italia templum est summa tantum parte fenestratum, longitudine centum pedum, latitudine viginti, altitudine circiter quinquaginta. In medio ejus janua est, vocem duodecies aut decies ter reflectens; si consistas ad parietem extremum ex adverso januæ, Echo evanescit & perit paulatim, ut illa ad (*Vide Exper.* 249.) Pontcharenton. Sonat autem vox quasi prodiret ex parte, qua janua superior est. Sin consistas in parte inferiori, aut ad januæ utrumlibet latus, non cessat. Si in janua stes, aut in medio è regione januæ, audiri se non patitur. *Nota*, quod omnis soni reflexio melius fiat versus parietes veteres, quam novos, utpote sicciores & magis cavos.

Experimentum unicum spectans vim imaginationis ad imitationem sensus.

795. Effecta illa, quæ perculsi sensus edunt, æque rebus actualibus manant, quodammodo etiam ex imaginatione dependent. Hinc qui alium acida & austera edentem conspicit, eaque quibus dentes stupidi fiunt & obtunduntur, imbutam hoc objecto imaginationem gerit, ut ex alieni facti conspectu suos sibi dentes hebetari sentiat. Sic qui alium diuturnos in gyros actum videt, aut rotas sæpe in circulum euntes, ipse vertigine rapitur; & in sublimi constitutus sine repagulis objectis, aut retinaculis (nisi assuetudo leve id fecerit) incertis vestigiis vacillans inhærebit. Multi etiam ex conspecto alterius sanguine, tortura, strangulatione, patiuntur animi deliquium ac si ipsorum flueret sanguis, & in se affligerentur.

Experimentum unicum spectans conservationem corporis.

796. Sume florem caryophillatum leniterque bacillo alliga. Utrumque vitro leviter circa os inclinato vel declivi impone, quod repleveris Mercurio vivo, adeo ut flos cooperiatur. Pondus modicum vitri orificio impone, ut bacillus deprimatur. Elapsis quatuor aut quinque diebus redi ut inspicias, deprehendesque flore vegeto, caule duriore minusque flexili quam fuit, si comparaturus juxta ponas alium florem, quem eodem tempore collegeris, manifestius erit discrimen. Unde apparet, corporibus servandis optime adhiberi Mercurium vivum, qui non tuetur solum, sed & frigore indurat. Quod ad vigorem floris; possit esse mera conservatio (quod eo magis observandum, quia Mercurius vivus florem deprimit) sed caulis durities, sine facultate indurante à frigore (ut videtur) Mercurij, esse nequit.

Experimentum unicum spectans germinationem & multiplicationem metallorum.

797. Ex veterum relationibus habemus, in Cypro inveniri speciem ferri, quod minutim concisum & in terra collocatum, si irrigetur, in majus excrescit. Illud quoque cerum, & antiquitatis testimonio munitum, plumbum multiplica-

plicari, & proventu augescere: ut in statuis vetustis ex lapide videmus, quę positæ in cellis & plumbeis pedum vinculis ligatæ ostenderunt lapsu temporis plumbum intumuisse, ut lapidi inhæreret tanquam verruca.

Experimentum unicum spectans submersionem vilioris metalli in pretiosiore.

798. Submersionem metalli voco, quando vilius pretiosiori ita incorporatur, ut prorsus separari nequeat. Species hæc versionis est, sed spuria: quasi argentum inseparabiliter incorporetur auro: aut æs aut plumbum argento. Electrum antiquum, respectu auri argento erat quintuplum: & metallum efficitur compositum, æque variis usibus accommodatum ac aurum, splendore majoris & nonnulla qualitatum prærogativa. Sed tum facilem admittebat separationem. Si quis clam huic rei operam det, aut compositione dissimulata pro simplici pretioso metallo obtrudat, adulterationis impostura est. Sin deliberato & sine fuco tentetur, magnum fuerit pretiosioris metalli compendium. Memini audivisse ex homini rei metallicæ peritissimo, decimam quintam partem argenti incorporati auro recuperari non posse ulla separationis aqua, nisi major argenti quantitas imponatur ut attrahat minorem, quod, ut ajebat ille, ultimum separationis refugium est. Sed hæc ratio tædiis complicatur, ut ad explorandum nemo fere sit accessurus. Exacte magis illud esset inquirendum, mutandaque quantitas decimæ quintæ partis in vigesimam: tenui insuper cum additamento, ut intrinseca incorporatio promoveatur. *Nota*, argenticum auro mixturam pondere explorare deprehendi, si comparetur cum dimensione. Sed plumbum in argento (cum sit metallum ponderosius) non potest detegi: si excessus ponderis in plumbo sit supra argenti pondus.

Experimentum unicum spectans fixationem corporum.

799. Aurum est substantia quæ nihil volatile contineat, & tamen sine ulla difficultate liquescit. Liquefactio ostendit non esse jejunum, aut spiritus egenum, ut ejus fixatio non sit defectus spirituum, ut exhalent, sed æqualis tangibilium partium distributio, arctaque earum coactio, unde minor illis appetitus, nec ulla exeundi ratio. Expediret itaque tentare, an vitro reliquefacto aliquid ponderis decedat, partes enim in vitro æqualiter sunt distributæ sed non tam arctæ, quales sunt in auro; uti ex eo patet, quod facile admittat lucem, calorem, frigus, & pondere sit exiguo. Alia sunt corpora fixa, paucis aut nullis prædita spiritibus; uti nihil exhalare possit. Qualis materia est, ex qua aurificum patellæ fiunt, quas fornacibus imponunt, ignis vi illæsas. Tres itaque sunt fixationis causæ, æqualis spirituum distributio, & tangibilium partium, earundemque arctatio, & jejunitas & extrema spirituum comminutio; quarum duæ priores consortium patiuntur naturæ liquefieri aptæ, ultima vero non.

Experimentum unicum spectans naturalium rerum inquietudinem in se, & appetitum mutationis.

800. Profunda est naturæ contemplatio, si consideretur egestas (ut ita dicam) & insatisfactio variorum corporum, atque appetitus alia admittendi. Aër lucem, sonos, odores, vapores imbibit; & manifestum est illud ab eo fieri cum quadam velut aviditate, quasi priore consistentia non sit contentus; alioquin enim nunquam illa tam facile & repente admitteret. Aqua & liquida subito recipiunt sicca & magis terrea corpora sibi proportionata; sicca vicissim imbibunt aquas & liquores; ita ut alterum (quod ille apud veteres dixit de terrestribus & aqueis substantiis) alteri sit gluten. Membrana, pelles, vestimenta, &c. liquores recipiunt intra se, quamvis continua sint corpore, minimeque partibus ita hiantibus, ut arena & cineres, nec ad sensum porosa. Ipsa metalla imbuuntur prompte aquis fortibus, & hæ non aliter penetrant metalla & lapides. Aqua fortis in aurum efficax, languet in argentum & contra. Aurum, quod ex pondere compactissimum & solidissimum corpus existimes, avide Mercurium imbibit. Neque receptio hæc aliorum corporum violenta videtur; sæpe enim reciproca est & quasi ex consensu. De causis horum omnium, & ad quod axioma referri possint, attente cogitandum. Venustulum illud, quia omnes formas desiderat, notio tantum est vaga: sola flamma, quodlibet corpus non admittit, sed aut superat, aut in suam naturam convertit tanquam triumphatrix, aut seipsum perimit ac exstinguit.

Finis Centuriæ Octavæ Historiæ Naturalis.

FRANCISCI BACONI DE VERULAMIO HISTORIAE NATURALIS CENTURIA NONA.

Experimenta varia spectantia perceptionem in corporibus insensibilibus, tendentia ad naturalem divinationem aut subtilia experimenta.

INter exploratissima est, omnibus corporibus, quacunque demum indole, sensu etiam destitutis, aliquam esse percipiendi facultatem. Corpus enim corpori cum applicatur, aliquid electioni cognatum deprehenditur in admittendis gratis, & excludendis rejiciendisq; ingratis. Prævia quoq; semper operationi perceptio, alterans alteratumq; corpus discriminat; indifferēti alioquin omniū inter se corporū respectu. Vis hæc percipiēdi lōge alibi excedit subtilitatē sensū, quē præ illa brutū cōparatio demōstrat. Sic thermometra vel psychiologion

aeris

aeris calorem aut frigus, levissime etiam variata, prodit, hominibus alioquin anxie se hic fatigaturis. Perceptio illa quandoque ad distantiam est, quandoque ad contactum, ut cum magnes trahit ferrum, aut flamma corripit naphtham Babylonicam ex magno intervallo. Non ingloria igitur occupetur pervestigatrix curiositas, quæ studio prehendat perceptionis subtilitatem; clavem reseranda natura alteram cum sensu, cui sæpe antehabetur. Fundus quoque rationis est, qua magiam naturalem animat, & quicquid hic ante se offert, in magnis postea rerum effectis patescit. Neque tam revelandis arcanis inservit, quam futurorum prædictiones juvat; ut plurium experimentorum subtilitas docet. Ex. gr. dubitantem semina vetustane sint an nova, destituit sensus fides. Si coquantur in aqua fervente nova dignosces ex celeriori germinatione. Aquæ melioris non gustus index, sed subitanea ejus consumptio, aliisque antea descriptis tutius creditur. In Physiognomicis lineamenta corporis prodent tacitos, quos natura ciet, impetus, quibus aut celandis dissimulatio prætextum obtendit, aut evincendis doctrina fuit magistra. Quare instituto nostro materiam præstruimus gemina solummodo perceptionis, qua utraque naturalis magia aut revelationi, favet; sejuncto nunc, & alibi reddendo, tractatu perceptionis quoad alia. Verum quidem est, abàs quoque patere vias, quibus in divinationis penetralia eatur; ut si causa non lateant, sin concomitantia cognoris, licebit de secuturo effectu judicium ferre; quod & de revelatione dicendum. Sed nostra præcipue opera versabitur in ista divinatione & revelatione, quam suggerit natura & subtilis perceptio.

Aer vel aqua occulte ad corruptionem & putredinem inclinans, inquirentis proculdubio examini velut sistenda, priusquam veniat manifesta arboribusque satisque lues & letifer annus. Sic in aliis. Proponemus itaque prognostica tempestatum peste & insalubritate laborantium.

801. De vento Meridionali diutius flante sine pluvia, aut vermibus in Gallia sive malis quercuum (*Vide Exper.* 734.) ante egimus; & quomodo ranarum, cicadarum, muscarum, similiumque animantium ex putredine natorum multitudo portendat annos pestilentes.

802. Æstus magni & temporis non sui, quos ver (præcipue Majus) fert sine ventis, idem præbent omen; & in genere anni raris ventis & tonitru.

803. Notabiles per æstatem siccitates, quæ in finem usque Augusti excurrunt, & modici, qui eas excipiunt, imbres, cœlo deinde iterum siccescente, sinistra anni sequentis æstati prænuntiant. Augusti enim exitus, suavem terræ vigorem, quo plantæ & arbores animantur, exhalatum absumit (eo magis quo siccior) ut terra nihil tum refundere possit nisi crassos vapores, certam aëris noxam. Vaporibus illis primi imbres, si modici fuerint, copiose erumpendi spatium dant. Unde qui paulo post delapsos imbres in publicum prodeunt, morbo plerumque corripiuntur, quo tempore Africani penitus abstinent publico. Sin largiores decidant imbres, terram aptius proluunt, replentque, quam statim exhalare permittunt. Si redeat cœli siccitas, tum figit quasi & continuat aëris corruptionem post priores imbres, insinuatque penitus in proximam usque æstatem futuri mali semen; nisi frigoris acrimonia discutiat, quam raro siccitates ejusmodi habent succedaneam.

804. Contagia infectionesque minores variolorum & purpurearum febrium & febricularum ex præcedenti æstate residua, si hiemem integram inexstincta duraverint, æstate proxima grassaturæ pestis indicia sunt. Neque enim inchoata simul & semel perfectaque putredo est.

805. Caro cruda aut piscis aëri nudo exposita si putredinem etiam contraxerint, aëris ad putrefactionem dispositi nota est: quia autem de celeritate tarditateve putredinis certus esse non potes, nisi experimento hujus & alterius anni juxta se posito, operæ pretium fuerit, eodem anno, eodemque tempore particulam carnis aut piscis alteram aëri aperto exponere, alteram eadem & specie, & crassitie, illi intra ædes. Statuo enim, si universalis aerem dispositio imbuit ad putredinem, carnem aut pisces citius putrescere foris, ubi aer efficacior, quam sub tecto, ubi minus valet; cum non uua ejus corrigendi ibi ratio detur. Experimenti hujus tempus est finis Martij, tempestas aptissima detegendis & elapsæ brumæ & æstatis venturæ effectis operationibusque in aerem. Ille etiam quia proculdubio magnas ex terra impressiones recipit, expediat tentare quid futurum, si caro aut piscis suspendatur in lignea pertica ad aliquam à terra distantiam, & in superficie terræ posita servetur.

806. Inquiratur, ros Majalis cito nec ne putrescat, cum non exiguum sit momentum ad indicandam qualitatem aeris aut vaporis ex terra magis minusve corrupta.

807. Siccitas Martij & Maij, interjecto Aprili pluvio, æstatis salubritati favet; alioquin pestis suspectam facit tempestatem.

808. Explorata aeris conditio prædictioni salubrium insalubriumque annorum conducit; majoris futura commodi in diligendo habitationis loco, saltem secessus sanitatis causa, cum in figenda mansionis sede æque spectemus, ut rationi commeatus ac sanitatis consulatur. Huic instituto experimenta, quæ in præcedentibus extant, servire poterunt.

809. Sed ubi habendus loci, cui penates inferantur, delectus est, non aeris tantum notanda propensio ad corruptionem, sed observanda humiditas & siccitas, caloris frigorisque temperies; quorum omnium non est unus & idem ad sanitatem respectus. [*Vide Centur.* 7. *Exper.* 777.] Aliæ enim ædes magis, aliæ minus dulces cibos emolliunt, coctosque mucescere faciunt; in quibusdam etiam opus tabulatum adeo exsudat, ut humore suffundatur. Causa procul dubio est aeris istis in locis humiditas. Sed quia melius est explorata hæc habere antequam ad condendas ædes accingaris, quam postea discere usu magistro, accipe sequentia experimenta.

810. Lanam, spongiam, aut panem eo, quem explorare cupis, loco pone, & instituta cum alio loco, &c. comparatione, dijudica an humectet, lanam aut spongiam, &c. & pondere augeat præ aliis? id si fiat, crassus humidusque aër arguitur.

811. Quia certum est, aliis in locis, sive sic geniata terra sit, seu adsitæ sylvæ montesve id præ-

præstent, aërem magis, in aliis minus esse inæquali temperie; cùm inæqualitas ejus sanitati adversaria sit, profuerit geminos thermometras vel thermoscopia, ex æquo sibi in omnibus respondentia; collocare eadem unius diei hora variis in locis, nihil umbræ sentientibus, sed undique patulis. Eos sic dispositos notetur quousque aqua impleat, ut rediturus compares cum eo, quem aqua tum tangit, gradu. Comperta inæqualitas certissimum erit signum calidioris aëris, ubi aqua fuerit depressior; ubi altior frigidioris quoque inæqualitas in ascensu & descensu aquæ major fuerit, eo magis est aëris inæqualis temperies & constitutio.

812. Par utilitas commendat prædictiones intensè frigidæ diuturnæque hiemis, & calidæ siccæque æstatis; tam ut in causas aditus detur, quàm ut aliter consulatur hominum commodis. De copia baccarum in spina alba, in vepri vel cynosbato inodoro & mororũ in rubis, in (*vide Exper.* 737.) præcedentibus egimus. Opus tabulatum, aut lapis exsudare solita, si sub adventum hiemis fuerunt sicciora; aut stellicidia ex suggrundiis assueto tardius decidant, acre gelu, rigidioremque brumam portendunt. Causa est, quia denotatur futura aëris serenitas, quam hiems cum gelu conjunctam habere solet.

813. Universim, humida & frigida æstas prænũtia est sæve hiemis. Causa est, quia quos æstas vapores ex terra attolit, calor Solis non dissipat, ut in adventum hiemis superstites recurrant.

814. Calida & sicca æstas, & autumnus, præsertim si provectior September eodem calore & siccitate aduratur, in propinquo esse significat hiemem, quæ in principium etiam veris inclinata frigore rigescit; cùm eousque antecedens calor & siccitas dominetur, neque vaporum quantum satis assurgat.

815. Calidior neque satis astricta hiems designat calidam & siccam æstatem, vaporibus in imbres hibernos abeuntibus, quos incumbens frigus & gelu cohibitos transfert in veris senium, æstatemque consecuturam.

816. Aves, quæ pro anni tempestate mutant regionis hospitium, solito maturius regressæ indicant temperiem cœli similem plagæ, ex qua advenæ deferuntur; ut aves hibernanti cœlo assuetas (gallinagines nempè, glauces, &c.) si septentrio citiùs dimittat, apud nos brumæ rigentis indices habentur: sub ejusdem autem regionis cœlo id si fiat, tempestas anni significatur pari temperie cum illa, quæ elicere eas solet; ut hirundines, vespertiliones, cuculi, &c. ad æstatis initium conspicuæ. Si tempus anticipient, nomen præbent fervoris in æstatem secuturam.

817. Prognostica variandi cœli minus remota ab eventu, iis certiora sunt, unde tempestas anni colligitur. Mare littori immurmurans, ventorum sibilus sylvis inerrans, vento cætera torpido, prædicunt flatus. Ejusmodi enim venti, quos præcipuè terra exhalat, non percipiuntur, nisi aqua & ligno compressi. Ideò emergenti è cavernis murmuri idem adscribitur.

818. Suprema aëris regio persentiscit materiam tempestate ventisque gravidam, antequam infima aëris nostri percipiat; ideò minusculæ stellæ incõspicuæ præmonstrant tempestates. Cõplures istius generis instantias suppeditabit nostra circa Ventorum naturam opella.

819. Vasti montes citius quam valles aut plana afficiuntur aëris tempestates parituri sensu. Ideò in Wallia, cum colles quidam pileis nocturnis induti sunt, mali ominis suspicionem movent. Causa est, quia tempestates, quas ut plurimum cœli plaga remotior generat, in media (ut vocant) aëris regione citius percipiuntur, utpote confiniis collectæ.

820. In aëre & igne subtilis, quo exoriturus cognoscitur ventus, modus, qui homines latet. Tremulo candelæ motu ventum prædiscimus, nobis alioquin indeprensum; flamma flexuosè oberrans monstrat tacitè sollicitari aërem; ut & carbones, ubi cineres citiùs discutiunt. Causa est, quia nullus ventus primò ad sensum est manifestus, nisi percusso agitatoque aëre; sed flamma aëre citius movetur. Quantum ad cineres, non mirum discuti eos vento impercepto, cum videamus quacunque venti flatus perrexerit, gramen paleam, aut ejusmodi levia in aërem attolli.

821. Ventus ex profundo mari assurgens, ut in aqua murmur ciet (de quo ante) ita & bullas excitat, aut albescentem coronæ formâ spumam. Causa, ventus sensum fugit, donec erumpens ex aqua quantitas prehensibilem faciat. Atque hac demum ratione corpus penetrat, cùum primo erumpens exiles tantùm protrudat in egressum particulas.

822. De carbonibus, qui cineres excutiunt, de gramine, palea, quæ agitata ventus spargit, (*Exper.* 820.) egimus; sic quicquid leviculum movetur, cùm alioqui ventus non percipiatur, imminentem ventum denotat, ut cùm plumas, aut lanuginem seu tribulorum pappos aër volitantes disjicit.

Quantum ad cœli prognostica ex animantibus, *notandum* occurrit, ea, quæ sub dio vivunt, acutiùs dignoscere futuras aëris mutationes, quàm homo sub tectis ferè degens; cæteraque animantia vincuntur ab avibus, illa (ut sic loquar) augurandi solertia, utpote quæ aërem maximè liberum & purissimum habitant, compertaque vocibus suis significare & administro volatus motu exprimere possunt.

823. Aves aquaticæ (ut lari seu Gaviæ, fulicæ) concursantes & gregatim à mari ad littora properantes, & vicissim, aves terrestres, (ut cornices, hirundines) à terra aquam petentes, eamque alis percutientes, pluviarum & venti prænuntiæ sunt. Causa est, delectatio, quam utriusque parit humidus & densus aër, ut ita in motu esse gestiant, & volando alas quatiant, cùm aliàs incedant quacunq; licet via. Mirum enim haud sit, quod avis aquatica gaudeat illo aëre, qui ad aquam proxime accedit; cùm avium terrestrium plurimæ balneo & aëris humido delectentur. Hæc quoque ratio est, cur volucres multæ plumas concinnent comantve, atque anseres gingriant vel strepant, cornicesq; pluviam quasi implorent; signis testantibus voluptatem, qua afficit aëris mollities.

824. Ardea solito altiùs volans, ut nubes quandoque supergressa conspiciatur, ventum significat. Milvi contra volatu in cessa evecti, serenitatem. Causa fortasse sit, quia utraque avis pervadit ejus temperiei aërem, quo maximè delectatur. Atque ardea, utpote aquatica, aere gaudet condensato; & alas cùm gerat graviores, aere indiget crassiore. Milvus non adeò hunc affectat, quàm ex illo refrigerium; nam cum avis sit prædatrix & calida, aerem petit frigidiusculũ, sæpiusque adverso obni-

titur vento, ut Salmones, & trutæ adverso flumine natant. Verum etiam tamẽ est, omnibus avibus captari profundum aërem, ut natatores profundis aquis recreantur. Ideò in sublimi volantes explicatis se alis sustinent, ut vix moveri videantur.

825. Pisces in superficie aquæ lascivientes pluviam prænuntiant. Ratio est, quia piscis fugitans sicci, non appropinquat aëri, nisi humido, siccum continuò declinat depressiore natatu.

826. Bestias in universum humidus aër in tantum recreat, ut lautiùs pascantur. Hinc ovis, pluviæ instantis præsaga, multo mane pratis immittenda evigilat. Pecudes, dama, cuniculi instante pluvia pascuntur plenissimè. Bucula quoque imminente pluvia captat patulis naribus aërem.

827. Trifolij caulis intumescit instante pluvia, ut rectior sic exsurgat; cùm humor caules erigat, folia deprimat. Flos est exiguus colore rubro inter campi demessi stipulas (quem agrestes vocant Wincopipe) qui se mane si explicet, serenandæ diei præsagium edit.

828. Instans pluvia aut gelu hominis dolores ex plagis aut aliunde intendit, quorum alterum humores copiosos colligit; alterum acriores reddit; quæ duo extrema podagram generant.

829. Vermes quoq; pluviæ secuturæ velut præludunt. Lumbrici enim se exerunt, talpæ plus effossæ terræ egerunt, pulices acriùs mordent cœlo imbres paturiente.

830. Ex solidis etiam corporibus habes imbrium præsagia, ut lapidibus, opere tabulato, cùm exsudant; pyxidibus & verticillis ligneis cum ægrè aperiuntur aut circumaguntur, quamvis prioris externa causa sit; cùm lapis & opus tabulatum aërem repellat in se: in posteriori verò interna velut corporis in ligno intumescentia detur.

Experimentum unicum spectans naturam appetitus in stomacho.

831. Frigida præcipuè & sicca valent excitando appetitui. Causa est, quia frigus quædam velut naturæ indigentia est, subsidium requirens; siccitas ei par. Hinc omnia acida (ut acetum, succus limonis, oleum vitrioli, &c.) famem provocant. Morbum, cui boulimia vel appetitus caninus nomen, gignit acidum & vitreum phlegma in orificio stomachi. Appetitus quoq; acidis excitatior fit, quia nervos orificio stomachi insertos contrahunt; ingens ad famem momentum. Quod cæpe, sal, piper in cibis excocta orexin invitant, oritur ex vellicatione nervorum, quos diximus; motus enim acuit. Absynthium, olivæ, capparides, & alia ejusmodi amarore valida, abstergendo appetitum excitant; ut quatuor præcipuè existant causæ appetitus, refrigeratio stomachi cum siccitate conjuncta, contractio, vellicatio & abstersio. Est & fames ex inanitione, diuturno tamen nimis jejunio sæpiùs eam tollente. Defectus enim cibi stomachum cogit attrahere humores, qui tenues & cholerici cùm sint, appetitum perimunt.

Experimentum unicum spectans suavem Iridis odorem.

832. Observarunt antiqui, quocunque Iris velut imminens aut incumbens devergit, suavem exhalari odorem. Causa est, quorundam corporum indoles, insita suavitate præditorum, quam placidus Iridis ros prolicit. Idem efficiunt modici imbres, qui terram suavitate perfundunt; sed nulli tam delicati sunt quam ros Iridis, quemcunque in locum deciduus forte, quod ipsi aquæ insit suavitas, cùm Iris nihil sit quàm agglomeratæ guttulæ, quæ deplui nequeunt nisi ex aere admodum humili, qui fragrantiam herbarum & florum, instar aquę destillatæ, retinere integram queat. Pluvia enim aliusque ros, ex alto delabens odorem servare non potest, quem in ascensu dissipatum perdidit exhalatio. Nescio etiam an non ipsa aqua suavitatis aliquod habeat rudimentum. Verum quidem, talem non inveniri in paludibus, fluminibus, fontibus; sed terra proba, recens subacta, vigorem gratumque odorem testatur, quo & aqua; nisi nimium æqualis sit (æqualia enim objecta nunquam movent sensus) constare potest. Certum est, quod sal niger aquæ tantum congelatæ species, quandoque violarum instar fragret.

Experimentum unicum spectans fragrantiam.

833. Fragrantia requirit & calorem materiæ concoquendæ, & humorem, illi per exhalationes dispergendæ. Quod ad calorem, ligna & aromata magis odora sunt in regionibus calidis quàm frigidis. Quod ad humorem, nimis sicca perdere suavitatem manifestum est; & flores, dum germinant, suavius mane quàm vesperi olere. Quibusdam destruit fragrantiam admotus ignis, ut violis, parietariæ, garyophyllo, veronicæ & in universum omnibus floribus, qui frigido & delicato constant spiritu. Aliis illibata manet in igne & ab eo remotis, ut aquæ rosaceæ, &c. quorundam fragrantia vix elicitur aut saltem nõ tam delicatè, nisi adminiculo ignis, ut juniperi, dulciũq; gummi, &c. omniumque odorum qui duris inclusi latent corporibus. Sed in genere odores gignit gratissimos tẽperatus calor, aut ubi acrimonia refringitur, cùm potiùs procentur, quàm exsaturent sensum. Hinc è violis rosisq; emanans odor suavitate excedit illum ex aromatibus & gummi; vehementiusque fragrantes odores interjecta loci, è quo deferuntur, longinquitas nobis ceu leviter neque cum toto impetu allabentes conciliat.

Experimentum unicum spectans corpoream odorum substantiam.

834. Extra controversiam est, nullum odorem nisi substantiæ corporeæ effluvio invehi; aliter quàm fit in luce, coloribus, & sonis. Videmus enim illud ab effuso odore non pertingi intervallum, ad quod illa alia progrediuntur. Verum quidem est, sylvas & plana locorum malis citriis & rosmarino crebris consita, odore magnis in mare spatiis trãsmisso sentiri, forte ad viginti milliaria; sed quantulum hoc est, præ eo, quod tormenti bellici sonus efficit, parvulo in ambitu moti; cùm sylvæ & planities sæpiùs vastè pateãt. Præterea odores duris adhærescunt corporibus, ut cùm manicas imbuunt, &c. Unde corporei intelliguntur & aliquamdiu subsistere, luce & sonis evanescentibus.

Experimentum unicum spectans fœtidos & fragrantes odores.

835. Excrementa plerorumque animalium fœtent, præsertim iis, quæ se exonerant; columbas enim & equos, hominem excipe, videmus optimè se habere, si stabula & quibus aluntur loca, serventur munda. Idem de avibus statuo, quæ caveis inclusæ victitant; felisque excrementia sua ab oculis recondita submovet. Habet id præcipuè locum in

in bestiis, quibus ex carne nutrimentum. Canes fere soli inter bestias, fœtidis delectãtur odoribus; quod in ipsorum odoratu peculiare quid arguit, ab aliarum animantium odoratu dissidens. Causa cur excrementa fœteant, in promptu est, quia ipsum corpus illa rejicit, quanto magis spiritus; neque ignoramus excrementa primæ digestionis pessimè olere, ut excrementa abdominis; illa secundæ, minus; & tertiæ tanto minus; sudor enim non tam malignæ naturæ ut altera duo; præsertim in hominibus calido abundantibus. Sic ex plerisq; putrefactis fœtor effluit, aut enim fœtent aut mucent. Causa possit esse, quia putrefactio consistentiam præstat contrariam consistentiæ corporis sanitate vigentis, cùm mera sit istius formæ dissolutio. Datur & alia ratio ex naturæ petita recessibus, quod objecta sensui grata habeant æqualitatem, & quasi ordinem in contextura sui; ubicunq; illa cessant, objecta fiunt ingrata. Sic pugnantium colorum miscela non blanditur oculis; neque discordium sonorum confusio aures capit; cibos varii saporis non ritè temperatos gustus damnat; corporis hirsuti asperitas tactum offendit. Jam verò non dubitatur, quin putrefactio, cùm prioris formæ ordinem turbet, mera sit confusio, & rudis indigestaq; partium moles. Nihilominus tamen mirum, & priori observationi adversarium, putrefactiones alias & excrementa probi esse odoris, ut moschum & Zibethum, atque, ut quidam censent, ambram; quam ex piscium spermate refundi, plurium, sed extra probabilitatis speciem, opinio est, muscus (intelligo autem malorum) excremento præferendus paululum. Ratio fortè sit, quia bonos spiritus excrementa ingressos putredo non relaxatos demittit præsertim si ab animantibus sint calidissimis. Sed accedat causa subtilior, nempè quod voluptatis excessum refugiat sensus, sed ingrati alicujus gestiat cõsortio. Sic musica repugnantes sonos in concentum temperans auribus gratissima accidit, sive ubi diaphona cum symphonis coincidunt, periodos musicas reddunt longè dulciores, & absurdus quandoque sapor gustui arridet, ut halec fumo indurata, cavearii cibus unctuosus ex sturionis spina confectus, caseus Parmensis, &c. Fortè idem in odoribus experiri liceat; quorũ illi ante à nobis propositi acrimonia pungunt, vellicantque sensum. Cõstat è locis, in quibus urina excernitur, violarum plerumq; odorem percipi; nucisq; myristicæ esus imbuit urinam odore suo.

Supinæ & in indefinitum vagæ contemplationes, notionesque de elementis eorumq; conjugationibus, de influentiis cœli, de calore, frigore, humiditate, siccitate, qualitatibus, activis, passivis, similibusve, everterunt verum ordinem, processus, affectiones, & quę materiæ naturaliumque corporum intimas spectant contexturas. Removenda ergò illa tanquam merę & malè definitæ notiones; atq; axiomata definita ex instantiis mensuratis depromenda sunt; atque ita gradatim exstructis generalibus præbendus assensus. De ejusmodi naturæ processibus & materiæ characterismis subjungemus jam quasdam instantias.

Experimentum unicum spectans causas putrefactionis.

836. Omnis putrefactionis, interni præsertim, spiritus causa sunt, partim ambiẽs corpus, sive aër, liquor aut quicquid fuerit. Ultimum hoc duabus fit rationibus, vel ingressu substantiæ ex ambienti corpore in corpus putrescens; vel excitatione & sollicitatione corporis putrescentis ejusque partium ex corpore ambiente. Recepta opinio, quod putrefactionem causetur frigus, aut internus & præternaturalis calor à nugis non abest. Frigus enim rerum inanimatarum putrefactioni inimicissimum, quamvis vivificationem exstinguat, quæ semper consistit in spiritibus attenuatis, quos frigus congelat & coagulat. Quod ad calorem extraneum, hactenus benè, si calor adventitius excessu proportionis prædominetur naturali & insito, corporisque spiritibus, in dissolutionẽ aut manifestam abire alterationem. Sed oritur id potius ex emissione, suppressione aut suffocatione spirituum nativorum; atque ex confusaneo ordine perversoque partium tangibilium situ, aliisq; inobservatis, quos natura insistit meatibus, non ex conflictu calorum.

Experimentum unicum spectans corpora imperfectè mixta.

837. Ubi versiones magnasque corporum alterationes natura molitur, datur corpus prius existenti & postmodũ emergenti interjectum; quod imperfectè mixtum est, transitorium nec permanens; ut nebulæ, fumus, vapores, chylus in stomacho, animantia in vivificationis exordio. Media actio, qua imperfecta ea producuntur corpora, aptè vocatur ab antiquis quibusdam inquinatio aut incõcoctio, quæ est instar putrefactionis; partes enim confusæ hærent, donec subsistant hac aut illa forma.

Experimentum unicum spectans concoctionem & cruditatem.

838. Vocabulum concoctio aut digestio præcipuè traductum ab animantibus eorumq; organis est ad liquores & fructus, &c. Sic cibum, urinam, excrementa concocta dicimus; & quatuor concoctionis modos in stomacho, jecore, arteriis & nervis, singulisque corporis partibus, audimus, & omnes quidem à calore esse. Has notiones peperit stupiditas ingenii vix ad pauca attenti; quæ maximè tamen in hominum observationes obvia incurrunt. Constantissima concoctionis notio est, qua significat gradus alterationis corporis unius in aliud ex cruditate ad perfectam concoctionem, actionis & totius processus metam. Corpus convertendum & alterandum dum conversionem aut alterationem molienti validè resistit, illibata priori forma & consistentia, toto illo tempore crudũ & incoctum est; processusque vocatur cruditas & incoctio; quam à calore valido perfici verum est, sed non solo; omnia enim, quæ concoctionis & alterationis studium promovent, quies, mixtura corporis concocti, &c, Media concoctionis absolvendæ sunt. Concoctio duas habet periodos; alterã, quæ assimilatio, aut absoluta conversio aut subactio; alteram, quæ maturatio dicitur: priori maximè in corporibus animantium conspicua, quæ perfectè assimilant nutrimentum corpori; & in plantis, metallisque completam transmutationem prodentibus; altera, maturatione scilicet, in liquoribus & fructibus, in quibus non requiritur aut intenditur ultima conversio, sed alteratio tantùm in eam formam, qua res usui humano accommoda evadat; ut in clarificatione potus, & maturatione fructuum, &c. Sed *notandum*, duas esse absolutæ & perfectæ

conversionis species; prior est, quando corpus in aliud corpus convertitur, ante memorata; ut cùm nutrimentum in carnem abit, assimilatio dicta. Posterior est, quæ corpus planè novũ producit, ante non proposita; ut si argentum mutari possit in aurum; aut ferrum in ęs. Atque hæc conversio, distinctionis gratia, vocatur transmutatio.

Experimentum unicum spectans alterationes, quæ vocari possint majores.

839. Præter eas quæ ad concoctionem & maturationem tendunt, datur non una & magna materiæ corporumque alteratio, quo nomine sic insigniri possit quicquid corpus sic alterat, ut ad priorem formam regressus prohibeatur; ut cùm cibus coquitur, assatur aut frigitur, &c. aut ubi panis & cibus coquuntur, aut caseus fit ex coagulo, aut butyrum ex lactis cremore; aut carbones ex ligno, lateres ex terra, plurimaq; alia. Sed si notiones philosophicæ popularibus applicentur rebus; aut si dicatur ubi notionum dissidia cõmodam non admittunt conciliationem, quod terminus deficiat, aut nomenclatura ejus (ut antiquis in more fuit positum) ignorantiæ tantum sunt refugia. Cognitio enim semper erit vaga & indigesta, si misceantur paucæ notiones obviæ, nec excitate ex sufficienti instantiarum numero, probè inter se collatarum.

Consistentia corporum varia est, densa, rara, tangibilis, pneumatica, volatilis fixa, determinata, indeterminata, dura, mollis, adhærens & contra, congelabilis, non congelabilis, liquefacere apta & non, fragilis, tenax flexilis & contra, tactilis aut in longum ductilis, intractilis, porosa, solida, æqualis & levis, inæqualis, venosa, fibrosa, granis plena, integra & complures aliæ. Si hæc omnia calori, frigori humiditati, siccitati adscribantur compendiosa, sed inutilis contemplatio erit. Sed super his consule nostrum Naturæ abecedarium, & passim hanc naturalium experimentorum sylvam. Indulgebimus tamen hic aliquantum vario earum scrutinio.

Experimentum unicum spectans corpora liquescere nata & contra.

840. Liquefactio est à detentione spirituũ, qui in corpore versantur, illudque aperiunt. Unde corpora maximè spiritibus turgida, aut ubi strictius incarcerantur, aut rursus placidi magis & inturbidi hospitantur, liquescere nata sunt; cum corpora tribus istis modis se habentia spirituum fugam ignorent. Exemplum utriusque prioris proprietatis est in metallis, posterioris in sebo, pice, sulphure, butyro, cera, &c. Inclinatio ad non liquescendum est à facili spirituum emissione, quæ partes crassiores contrahit. Hinc corpora jejuna spiritu, aut quæ spiritum suum facilius amittunt, non liquescunt, ut lignum, argilla, lapis cæsus, &c. horum tamen corporum plurima, liquescere nescia, penitùs vel citò mollescunt, ut ferrum in incude; & bacillus calidis cineribus abditus flexibilitatem majorem acquirit. Sunt & quæ liquescunt, aut igne dissolvuntur, ut metalla, cera, &c. Alia solvuntur in aqua, ut sal, saccarum, &c. causa in prioribus est dilatatio spirituum ex calore, in posterioribus, laxatio partium tangibilium, liquorem admittentium, Dantur & in quibus solvendis uterque valet modus, ut gummi, &c. Atque hæc aut copioso spiritu turgent, aut tangibiles partes habent, humoris indigas; prius expandendis inservit spiritibus ad recipiendum ignem; posterius stimulat partes, ut humorem admittant.

Experimentum unicum spectans corpora fragilia & tenacia.

841. Quædam corpora sunt fragilia, quædam tenacia & non fragilia; & dirumpere si coneris quædam eo loco secedunt; in quem vis ingruit; alia sic separantur, ut in varias partes dissiliant. Fragilitatis causa est impotentia, extẽsionem non ferens; sic lapis fragilior metallis; & fictile fragilius terra cruda; lignum siccum, viridi. Causa impotentiæ in extensione est exigua spirituum quantitas, qui extensionem & dilatationem corporum promovent, conjunctaq; solet esse cum porositate & siccitate in partibus tangibilibus. Contra, corporibus tenacibus spiritus sunt largiores & pori pauciores, partesque tangibiles humidiores. Hinc membrana aut corium extensionem patitur, charta non; lanea item vestis fert, linea vix.

Experimentum unicum spectans duas pneumaticorum species in corporibus.

842. Corpora solida constant partibus non unius naturæ sibique adversantis, pneumaticæ scilicet ac tangibiles; & benè *notandum*, substantiam pneumaticam in quibusdam corporibus nihil esse præter nativum corporis spiritum, in aliis merum, qui se insinuavit, aërem, ut in iis, quæ aut calor, aut ætas exsiccavit. Ex illis enim cùm spiritus nativus fugam parans comitem traxerit humorem, aer lapsu temporis poros subintrat. Suntque hæc eò fragiliora, spiritus enim ille magis cedit, extendique se patitur (præsertim ut partes sequatur) quam aer. Magna quoque spiritus nativi diversitas est, qui vel calidus, vel frigidus, activus, hebes, &c. unde virtus & qualitates (ut vocant) corporum. Sed intermixtus aer inefficax est, redditque res insipidas, obtusisque stimulis languidas.

Experimentum unicum spectans concretionem & dissolutionem corporum.

843. Concreta corpora plerumque à suis solvuntur contrariis, ut glacies, quam frigus parit, calore disperit; sal & saccarum, quæ ignis excoquens compingit, frigus & humor sejungit. Causa est, quia actiones illæ vocandę potius regressus ad priorem formam, quàm alterationes; ita ut à contrario hic adjumentũ fit. Oleum nec facilè frigus congelat, nec calor inspissat. Utriusq; effecti causa, cõtraria quamvis sibique repugnans, eadem videtur. Nempe quod spiritus olei utralibet ratione parum exhalet, reprimente frigore & calore (nisi intensus sit) eum non provocante. Frigus licet in partes tangibiles ingruat, tamen spiritus iutumescere potius facit, quàm congelat; ut cum poculo congliaciatur potus, glacies intumescit potius quàm contrahitur, & quandoque rimas agit.

Experimentum unicum spectans dura & mollia corpora.

844. Corpora quædã dura videmus esse, quędam mollia. Duritiem præcipuè cõciliant spiritus jejuni, eorumque cũ partibus tangibilibus imparitas. Duo hæc si plurium sint graduũ, non dura tantum; sed & fragilia reddunt corpora, & cõpressionem minus ferentia, ut chalybs, lapis, vitrum, lignũ aridum, &c. Mollitiem contra præstat major spirituum quantitas (unica cessionis causa) & æquabilior in partes tãgibiles distributio, unde & ductiles & lubricę magis fiunt, ut in auro, plumbo, cera, &c.

Sed

Sed *notandum*, duas esse mollium (nostra ratione) corporum species, primam eorum quæ facilè alteri corpori locum cedunt, neque mutata mole in extensiorem ambitum assurgunt. Sic cera à superimpositis nõ excrescit capacitate, sed cedit solùm; nec concipiendum, ceram universam à pressione attolli, sed pars tantùm depressa cedit, altera priorem situm servat. Secundam eorum, quæ cedendo mutant capacitatem, ut aqua aut liquores alii, injecto lapidi aut alii corpori cedunt profectò facilè, sed universim assurgunt; cessione spuria, cum in loco detur non in corpore.

Experimentum unicum spectans corpora ductilia & tensilia.

845. Omnibus corporibus ductilibus & tensilibus (ut metallis, duæ in chordas ductilia sunt; lanæ & stupæ, quæ in stamen & fila protrahi extensa possunt) validus inest appetitus non discontinuandi se; quo fit ut viribus producentis obsequatur; ne tamen discontinuentur, aut corpus suum deserant. Similis viscosorum natura, ut nimirum in fila duci se patiantur, qualia sunt pix, cera, viscum, caseus tostus. Discrimen verò inter fibrosa & viscosa manifestum est; cùm omnis lana, stupa, gossypium, sericum (præsertim crudum) præter appetitum continuationis, quoad tenuitatem filorum, desideret humiditatem, quæ conjungat, aliisq; filis incorporet, adhibito pręsertim modicæ contorsionis auxilio, ut apparet in filis torquendis, usuque conglomerationis in fusis. Neque aureum argenteumve filum sine torsione fieri manifestum est.

Experimentum unicum spectans alias materiæ affectiones, & characteres corporum.

846. Differentia impressibilium & contra; figurabilium & infigurabilium; fusilium & non fusilium; scissibilium & vicissim, aliæque materiæ affectiones, sunt notiones triviales, instrumentis & usibus hominum obviis applicatæ. Omnia autem illa sunt tantùm effecta ex causis enumerandis dependentia, non applicandis, ne prolixitatis nascatur fastidium. Prima causa est cessio aut non, quæ corporibus arctat loci spatium sine externæ capacitatis dispendio. Secunda est, validior languidiorve motus appetendi continuationem aut discontinuationem fugiendi. Tertia, dispositio corporum, ut se contrahant aut non contrahant, rursusq; extendant aut non. Quarta magna aut exigua copia pneumaticorum in corporibus. Quinta, ipsa pneumaticorum natura, sive sit nativus corporis spiritus, sive aër vulgaris & communis. Sexta, natura spirituum in corporibus, seu activi sint & acres, seu tardi & placidi. Septima, emissio aut detentio spirituum. Octava, dilatatio aut contractio eorundem, dum detinentur. Nona, collocatio spirituũ, æqualis aut inæqualis; & illi coacervati an diffusi sint. Decima, densitas & raritas tangibilium partium. Undecima, earundem æqualitas aut inæqualitas. Duodecima, illarum cruditas aut digestio. Decima tertia, natura materiæ, sulphurea aut mercurialis, aquosa an oleosa, sicca & terrestris, humida an liquida sit; ex quibus natura sulphurea & mercurialis videtur radicalis & principalis. Decima quarta, situs partium tangibilium, in longum an transversum (ut in stamine & opere textorio) magis externus an internus, &c. Decima quinta, porositas est aut non, partibus tangibilibus interjecta; pororumque magnitudo aut exilitas. Decima sexta, est collocatio pororum. Plures causæ dari possunt, sed hæ jam se ingerebant.

Experimentum unicum spectans indurationem ex sympathia

847. Sume plumbum & liquefac, atque in ejus medio, ubi incipit congelari, fac crenam exiguam aut foramen, cui impone Mercurium vivum, linteo involutum. Ille figetur, nec fluet ampliùs, malleabilisque fiet. Hæc nobilis instantia indurationis ex consensu corporis cum corpore, & motum excitationis imitandi. Sin adscribas tantum vapori ex plumbo, recedit magis à probabilitate. Inquire, utrum fixatio talis detur, quæ figurari possit, ut alia metalla. Hoc si deprehendatur, opera fierent in usus aliquos, ignem haud nimis passa.

Experimentum unicum spectans sal & saccarum.

848. Saccarum mellis usum sustulit; ut observationes & præparationes mellis antiquis usitatæ, cum majori esset in pretio, obsoleverint. Videtur tum temporis arboreum fuisse mel æquè ac illud apum, lachrymam aut sanguinem arboris; & veterũ aliquis narrat, Trebisonte ex buxo mel hominẽ ad insaniam redigere. Illa quoq; ætas mel norat, quod aut ex se, aut ab arte in saccari crassitiem cogeretur; sapore tamen infra nostrum. Vinum quoq; ex melle habebant hoc modo parandum. Melle in magna aquæ copia agitato liquorem percolabant, postea in cupreo vase coquebant, inde diffundendum in vasa fictilia ad aliquod temporis spatium, ligneis denique vasis exceptũ servabant multos in años. Hodie in Russia & regionibus Septentrionalibus simplicis melicrati usus est, quod ritè confectum & conditum salubres præbet haustus & liquidissimos. Wallia quoque usurpat potum melicrati, sed compositum additis herbis & aromatibus. Interim ut obsoletus mellis usus compensetur, utile fuerit propinari melicratum ex saccaro (sic enim vocare liceat) nullo tamen melle admixto, quod excoctum diu asservetur, ut in melicrato fieri solet. Profectò quamvis ea abstergendi, aperiendi, solvendiq; virtute non esset iste potus, qua melicratum, gratior tamen stomacho, magisque leniens, & accommodus acribus morbis sentiretur. Constat enim usum saccari in cerevisia cum & sine lupulo, tali corporis statu profuisse.

Experimentum unicum spectans purius metallum inter viliora.

849 Perhibent veteres, chalybem extitisse quibusdam in locis, qui politus & lævigatus argenti candorem & splendorem ferè æquaret; & Indiam tulisse æs, vix ab auro, si polires, distinguendum in usu naturali seu specie. Sed dubito, an homines metalla satis expurgent, quæ vilia vocamus; an ferro, æri, & stanno eam impendant operam, ut nitescere ulteriùs non possit. Cùm enim attigerunt eũ gradum, ut vulgo illa præbeant sui usum, cessat expurgationis propioris tentamentum.

Experimentum unicum spectans cæmenta & lapicidinas.

850. Cæmenta quædam tellus edit, admodum mollia, quæ Sol radiis suis obvia marmoris instar obdurat. Lapicidinas vulgares habet Somersettensis tractus, ubi saxa mollia, in quamlibet crassitiem efformari possunt, quæ structuræ ædificiorum adhibita indurescunt.

Experimentum unicum spectans alterationem colorum in pilis & plumis.

851. Animantibus in universum ætas mutat pilos, adeò ut canitiem inducat, ut patet in homine; licet in aliis citius, in aliis serius. In equis, qui subalbis maculis distincti, albi evadunt; & in annosis sciuris qui subcanos gerunt pilos, multisque aliis. Aves quoque nonnullæ, ut cygnorum pulli, cinereos mutant albis; accipitres nigros magis albescentibus. Reperiuntur & volucres, quæ pennis delapsis, alium induunt colorem, ut rubecula pennis mutatis, paulatim rubescit denuò; ut & carduelis, capite. Causa est, quia humiditas præsertim pilos & plumas colore imbuit; & siccitas canos & albos gignit; pennis quoq;, ceu pili, ætate siccescentibus. Quod ad pennas, ubi deciderunt novæ, succrescunt similes iis pullorum. Sic barba capillis junior, ut plurimum canescit serius. Ex hoc fundamento derivanda ratio alterandi calores avium, excogitandaque canorum retardatio. Sed de hisce vide quintum experimentum.

Experimentum unicum spectans differentiam animalium quoad sexum.

852. Sexus in quibusdam animalibus confunditur, nisi qua genitalia discrimen faciunt; ut in equis & equabus, canibus mare & fæmella, columbis itidem & in aliis. Sed quorundam differentiam constituit magnitudo, idque modo non uno; plerumq; enim mas est major, ut in hominibus, Phasianis, pavis, gallis Numidicis, & similibus, in quibusdam paucis, ut inter accipitres, fœmina. Alia & plumæ discriminant, quantitate, crispatione & coloribus; ut Leones hirsuti sunt, magnis insuper jubis, Leænæ læves, sunt ut feles. Bubalis magis quàm vaccis crispantur frontium pili. Pavo, Phasianus, & carduelis mares gerunt pennas fulgido colore, & tenues non fœminæ. In genere fœminis avibus pennarum pulchrior ornatus est. Quædam differunt variis formis, ut hirci habent cornua, damæ non; arietum cornua magis intorta sunt quàm fæmellis ovibus. Galli & cristati sunt & calcaribus armantur; gallinæ aut nulla, aut exigua crista est; verri grandiores sunt dentes, suibus multò minores. Gallis Numidicis branchiæ magnæ fiunt & tumidæ, Gallinæ minores. Maribus in genere vox gravior & robustior. Quædam differunt facultatibus, ut galli gallinacei inter aves cantatrices, optimè canunt. Præcipua horum omnium causa (procul dubio) quia mares quàm fœminæ intensius calent; quod vel ex eo colligas, quod mares tenella ætate similes sint fœminis. Sic eunuchi & animantia castrata cujuscumq; generis propiùs ad fœminas accedunt. Jam calor in genere proceritatis efficiens, si suppetat humor, in quem operetur. Sin animans aliquod (de rarò contingentibus hoc est) reperiatur, in quo caloris quoad humorem excessus sit; ibi fœmina præ mare grandescit; ut inter accipitres & passeres. Si calor humori exæquata proportione respondeat, nulla marem & fœminam differentia secernit, ut in instantiis equorum & canum. Boum quoque & vaccarum cornua illis Bubalorum ampliora sunt, ex abundantia humoris, qui in cornibus bubalorum exilescit. Porrò, à calore pilositas & crispatio est, ut & barba in viris; expellit quoq; residuum humoris tenuioris, quod à defectu caloris subsistit. Hinc causa petitur illius, quæ pennas commendat, pulchritudinis & varietatis. Rursum, calor multas protrudit excrescentias, solidiorem que materiam, in quibus elaborandis deficiens calor hebescit. Atq; hæc est causa cornuum, & cur ampla sint, magnæq; gallorum gallinaceorum cristæ & calcaria, branchiæ in gallis Numidicis, & in verre dentes. Calor quoq; dilatat meatus & organa, unde vocis gravitas; purgat spiritus, efficitq; ut aves maris cantu superent fœminas.

Experimentum unicum spectans comparativam magnitudinem animantium.

853. Invenuntur pisces quavis bestia majores; & cete magnitudine Elephantem longè superat. Bestiæ in universum avibus grandiores sunt. Quod ad pisces, causa fortasse, quia sub Dio non degunt, nec humor eorũ provocetur, nec aër eum radiive solares attenuent; sed perpetuo quasi quiescunt & a quis invehuntur, cùm motus & labor consumat. Quod aves mole vincantur à bestiis, est, quia hæ diutiùs in utero gestantur, ibiq; nutriuntur & crescunt, cùm avibus, excluso ovo, nihil pręterea quoad augmentum & nutrimentum præstetur à matre; incubatio enim vivificat, non nutrit.

Experimentum unicum spectans exossationem fructuum.

854. Ex parte in antecedentibus modum designavimus producendi fructus sine cicis & ossiculis. Hoc addimus, requiri humorem largiorem, quia ossicula succo è ficciore formantur; & fieri posse apparet, ut arbor flores tantùm producat, non fructus; ut in cerasis cum duplici flore, tanto magis in fructibus, qui ossiculis carent. Ajunt surculum mali insitum cauli brassicæ, proferre magnum malum sine ossiculo. Non excedit probabilitatem, si interna arboris medulla eximatur, ut solum per corticem succus ascendat, effectum secuturum. Observatio enim docuit in arbore amputatis ramis si qua supernè verticem ingressa excavet, felicioris esse proventus. Addo ab aliis pro certo traditum, si pars surculi tenuior inversa inseratur, producere fructus exiguis aut nullis omnino ossiculis.

Experimentum unicum spectans meliorationem Tabaci.

855. Tabacum merx est pretii non levis, si emptores sollicitet. Jugerũ enim vel area ejus (ajunt) ducentas nummorum libras quotannis valebit, ad reparanda impendia in soli culturam, & alia, quæ grandia quidem sunt, sed longè infra lucrum. Tabacum vero Anglicanum vili æstimatur, cùm sit languido & terreo sapore. Sanè tabacum Virginianum, cùm educetur cœlo sub calidiore, eadem ex causa in pretio esse nequit; ut spes sit ingentis lucri si per repetita tentamenta excogitetur ratio, quæ hic in Anglia tabacum reddat magis aromaticum & percoctius. Factum à quibusdam periculum macerando tabacum Anglicanum in infusione tabaci Indicani. Sed nugas & imposturas hęc sapiunt, cùm nihil admittat emendationem, quod jam in perfectionis (ut sic loquar) meta consistit; in melioratione enim semper ad rerum principia recurrendum. Tabaci maturandi ratio eadem sit oportet, quæ aliis plantis adhibetur, calor nempè seu terræ seu Solis. Videmus aliquod hujus rei experimentum in melonibus moschatis consitis in area calefactoria subtus stercorata, ad Solem meridianum obversa, ut reflectio intẽdat calorem instrata tegulis, augendo calori, & stramine tecta, ut frigus arceatur. Illius renovatio etiam ad vigorem facit.

Atque

Atque hæc adminicula præstant, ut Anglica non cedant bonitate Italicis, aut Provincialibus. Ista & similia in tabaco tentanda sunt. Progrediatur inquisitio ad macerationem radicum in ejusmodi liquore, qui vegetet ut lætius adolescat.

Experimentum unicum spectans varios calores eadem effecta producentes.

856. Calor Solis ad fructus percoquendos, & calor animantium, repræsentatur, & qua uterq; deficit, juvatur calore ignis. Sic calor Solis & vitæ mutuam sui gerunt imaginem. Arbores caminis extrinsecùs receptæ, anticipant maturitatem vineæ, intra cubiculi fenestras admissæ, toto mense prævertunt vindemiam. Calefactoria parietibus inserta malis citriis præstant maturescendi subsidium. Ova, ut testantur quidam, exclusit calor furni. Memoriæ proditum, struthionem ova sub arena deponere, excludenda calore Solis.

Experimentum unicum spectans intumescentiam & dilatationem in elixando.

857. Hordeum decoquendo non admodum intumescit; triticum magis, oriza magnoperè; adeò ut quadrans pintę crudę augeatur ad pintam decoctæ. Causa proculdubio, quod corpus quò arctius & compactum magis est, eò appetentius sit relaxationis. Hordeum igitur maximè cavum est, triticum illo solidius, oriza omnium solidissima: fortè & quod corpora nonnulla speciem lentoris habeant, & naturam magis fluxilem sive diffusibilem, quàm alia; ut in coloratione videmus, exiguum croci plus tingere quàm multum ligni Brasiliani, aut vini rubei sive tinctorii.

Experimentum unicum spectans dulcorationem fructuum.

858. Fructus volutando & manibus leniter premēdo dulcescit, ut pyra, pruna damascena, &c. putrescendo, ut mespila, sorba, pruna sylvestria, vepris, mora, vel fructus cynosbati inodori. Lapsu temporis, ut mala, pyra sylvestria, mala punica, &c. Peculiari maturandi ratione, ut imponendo stramini fœno, &c. igne, ut torrendo, macerando, coquendo, &c. Causa dulcoris ex volutatione & pressione est emollitio, leniter inducta, ut cùm percutitur asellus siccatus, caro, &c. ex corruptione est, quia spiritus in fructu ex putrefactione calorem contrahunt, & sic partes duriores digerunt; cùm omnis putrefactio aliquem caloris gradum habeat. Tempore & asservando, quia spiritus corporis continuò partes tangibiles depascuntur, easque attenuant variis maturandi modis, ob caloris quēdam gradum. Igne, quia propria caloris actio est purgare & incorporare: atque omnis aciditas consistit in quadam corporis crassitie; omnisq; incorporatio mixturam corporis reddit in omnibus partibus magis æqualem, quod sapori gratiam addit.

Experimentum unicum spectans carnem esculentam & contra.

859. Caro alia esui apta, alia nonnisi in fame editur. Carnium, quas esus refugit, causa est, nimius plerumque amaror; unde quę ferociunt & cholerica sunt animalia epulis abdicantur, ut leones, lupi, sciuri, canes, vulpes, equi, &c. vaccas, oves, capras, cervos, sues, cuniculos, lepores, &c. constat placida esse & meticulosa animantia. Verū est tamen ab equorum esu, quæ bestia est animosa, gentes quasdam non abstinere; & Schytas vocari hippophagos, & Chinēses hodie equina carne vesci; helluonesque quosdam carne pullorū in opere pistorio. Aves carnivoræ & prædatrices plerumque cibum non prestant probum; sed ratio potius est cholerica earum natura, quàm quod carne nutriantur. Buteones, mergi, vesplataceæ, pelecani, anates, carne aluntur, & tamen epulis gratæ. Adde, quod & aves prædatrices, ut ut carne alantur, palato probentur juvenculæ, ut accipitres, cornices è nido subreptæ, ululæ, &c. humana caro cibum præbere inepta tribus de causis. Prima, quia hominem aversari facit humanitas. Secunda, quia nullum animal ex se moriens, carnem præbet esculentam. Ipsi Cannibales non vescuntur carne hominum, quos mors sua perimit, sed violenta. Tertia, quia in genere aliqua disparitas sit necesse est inter nutrimentum & corpus nutritum, nec admodum affinia esse debent aut similia. In magnis tamen languoribus & consumptionibus hominem lacte fœmININO pastum fuisse scimus. Ficinus stolidè, mea sententia, consulit ad prolongationem vitæ, ut secta in brachio juvenis vegeta sanitate vena, sanguis exsugatur. Ajunt sagas avidè in ventrem demergere carnem humanam, quod si verum sit, præter diabolicum earum appetitum, videtur ex eo esse, quod caro humana suscitet graves & gratos vapores movendæ imaginationi, quæ præcipua moderatrix assidet felicibus veneficarum tentamentis, ut diximus alibi.

Experimentum unicum spectans Salamandram.

860. Omnium penè calculos tulit traditio de Salamandra, quod in igne vivat, eumque exstinguere valeat. Si non fallimur commento, duo requiruntur rei efficiendæ, priùs compacta admodum pellis, quam flamma, in medio minus calens, penetrare nequit. Videmus enim, palmam manus spisse inunctam albumine ovi, infusa illi aqua vitæ, & incensa, aliquamdiu flammam ferre posse. Alterum est summum frigus, visque exstinctiva in corpore illius animalis, quæ ignem suffocant. Compertum est lacte melius exstingui ignes artificiosos quàm aqua infusa, quia penetrat magis.

Experimentum unicum spectans contrariam operationem temporis in fructibus & liquoribus.

861. Temporis lapsu fructus (mala vulgaria, pyra, mala punica, &c.) ex acidis redduntur dulciores, liquores contra (etiam quos expressus fructuū succus dedit) ex dulcioribus acidi; (ut liquor cerevisiæ incoctus, mustum, recens omphacium, &c.) causa est congregatio spirituum; quos in utrisque tempus attenuat, sed ibi, magis sunt diffusi & in partium crassiorum dominio, quas tantùm spiritus digerunt; sed hic, in potibus scilicet, regnant spiritus, & resistentia partium minore invalescunt, unde in liquoribus vis & vigor; adeò ut, si spiritus magis incalescant, liquor reddatur inflammabilis, sin tempus acriores spiritus exhalando decoxerit, magis acescat.

Experimentum unicum spectans plagas & contusiones.

862. Antiquitatis sententia est, laminas ex metallis, præsertim ære, statim applicatas plagis, tumorē arcere. Causa est repercussio sine humectatione, aut ingressu alicujus corporis; lamina enim cōstat potentiali tantū frigore, quod in plagam se nō insinuat, cùm unguenta & emplastra penetrent. Causa certè quare ex plagis & contusionibus existat tumor, est, quia spiritus parti laboranti succurren-

tes simul humores attrahunt; à repulsione & regressu humoris ad partem eam læsam illud non efficiunt, manifestum, quia podagræ & dolores dentium tumorem producunt, ubi nulla prorsus percussio.

Experimentum unicum spectans radicem Orris dictam.

863. Radix Orris vocata, aliquam naturæ prærogativam habet, cùm radices paucæ sint odoriferæ & quodammodo dulces, fragrantia tantùm in ligno aut folio perceptibili. Sed Orris frondes non fragrant, neque flos ullatenus æquat suavitatem radicis; quæ tenerum & delicatum videtur fovere calorem, evanescentem protinùs ad Solis & aëris sensum. Calore enim admodum emollescit, sparso instar violæ odore.

Experimentum unicum spectans compressionem liquorum.

864. Antiquitatis ex observatione placitum est, vasculo repleto in lagenas diffuso, liquorem deinde vasculo rursus inditum non explere ut antea; sed ut plus admittere queat, & in vino magis quàm aqua illud esse conspicuum. Causa possit esse trivio digna, liquoris ex diffusione dispendium, qui fortè lagenarum adhærescit lateribus. Sed causa subtilior est, quod liquor in vasculis non ita comprimitur, ut in lagenis, & in vasculis liquor liquori præcipuè obvius est; & in lagenis exigua liquoris quantitas lateribus lagenarum occurrit, quæ illum ita comprimunt, ut se laxare rursus nequeat.

Experimentum unicum spectans operationem aquæ in aerem contiguum.

865. Aqua aëri contigua eum refrigerat, & non nisi emissis vaporibus humectat. Causa est, quia calor & frigus potentias tantùm in se invicem transitorias habent, incommunicata substantia; non sic humiditas, cùm requiratur in omni madefactione imbibitio. Sin corporum tam varia levitas & gravitas sit, ut commixtionem fugiant, imbibitio dari nequit. Ideò oleum aquæ impermixtum innatat, & gutta aquæ celeriter stramen percurrit, aut corpus læve, nec humectat.

Experimentum unicum spectans naturam aeris.

866. Noctes illustres stellis, neque illunes, frigidiores sunt noctibus nubilis. Causa est, siccitas & tenuitas aëris, quæ propterea magis penetrans & acris redditur; ut magna Continens Insulam frigore superat. Luna autem, in aëre licet rudimenta humiditatis excitet, tamen clarè splendens arguit aërem esse siccum. Sic aër compressus libero & aperto magis calet, fortassis quia vera frigoris causa est exspiratio ex globo terræ, quam loca patentia vehementiorem habent. Rursum, ipse aër, nisi turbet talis exspiratio, non est sine occulti caloris gradu, ut nec sine aliquo lucis. Feles enim & ululæ per noctem videre non possent, si aër modica luce careret, proportionata scilicet visualibus istorum animalium radiis.

Experimenta varia spectantia oculos & visum.

867. Oculi moventur eadem ratione & via; uno enim moto ad nares, alter abscedit. Causa est motus ex consensu, qui in spiritibus & partibus spiritalibus existit validus. Contrarium tamen usus doceat; quidam enim ex libitu strabones agunt; & vulgaris traditio est, si puerum in mensa colloces candela pone ipsum ardente; utrumq; oculum extrorsum moveri, quasi lucem videre affectet, & sic strabismum induci.

868. Exactius uno oculo clauso videmus quàm utroque aperto. Causa est, quia spiritus visuales uniunt se magis, & sic invalescunt. Docet enim speculum, altero oculorum clauso, pupillam alteri aperti dilatari.

869. Oculis in uno angulo non fixis objecta occurrunt duplicia. Causa est, quia si duę res spectentur, & una bis, idem producitur effectum. Hinc globulus duobus digitis transversim positis compressus, duplex apparet.

870. Lusciosus videt rectiùs in luce crepera; eique ex propinquo visus acrior, quàm nō lusciosō; ut & legere & scribere norit literas minusculas. Causa est, quia spiritus visuales in lusciosis, quàm aliis, tenuiores rarioresque, ut lux major illos dispergat. Unde & oculorum contractione indigent, quæ spiritus intendit supra vim eorum in oculis vulgaribus; ut cùm directus per dioptrępinnacidia visus roboratur. Idem experiri licet, contractis oculorum palpebris; quas à lusciosis plerumque coarctari videmus. Senex autem in lectione oculos à charta abducit Ratio, quia spiritus visuales in sene, ut in lusciosis, non uniuntur, nisi remoto ad justam distantiam objecto.

871. Homines exactiùs vident, oculis ex adverso Solis aut candelæ constitutis, & manu nonnihil oculis prętensa. Causa est, quia Sol aut candela, plena luce se ingerens, visum debilitat, quæ circumfusa perceptioni sufficit; nimio etiam calore oculos perstringente, ut pertinax in Solem obtutus excæcet. Præterea, si quis ex magna luce in locum tendat obscurum, aut contra, nebula oculis obversante caligat, pejusque videt, quàm si paulisper substitisset aut in luce, aut in tenebris. Ratio, quia spiritus visuales repentè mutantur, disturbantur, extraque ordinem rediguntur, neque officium faciunt nisi recollecti, & cùm tenebræ plurimum eos contrahant, subitò dilatari nequeunt. Excessus in utroque; dilatatione scilicet & contractione spirituum visualium, si diuturnus sit, destruit oculos; qui aut in Solem defixi aut ignem, ex dilatatione noxam sentiunt. Sic ad curiositatem minuscule elaborata scriptio in libellis, & frequentata similium literarum lectio obest oculis ex contractione

872. Observatum, ex dolore oculos rubescere, ex pudore nō oculos, sed aures & partes pone eas. Causa est, quia in dolore spiritus ascendunt & acriores fiunt; quod facilè in oculis patet, utpote translucidis; quamvis & in malas & infimas aures se diffundat rubor iste. In pudore autem verū quidem in ascensum tendere spiritus, ut succurrant tam oculis quàm faciei, partibus laborantibus, sed tum ab oculis repelluntur ascendentes spiritus, circumspicere abnuentibus. Nemo enim quem statu suo ille affectus dejecit, acri est visu, sed humili & demisso; spiritibus & calore per eam oculorum repulsionem divertentibus ad aures & partes circumvicinas.

873. Objecta visus, voluptate & recreatione spiritus perfundere possunt, nō pœna aut offensione torquere, nisi ex memoria, ut alibi diximus. Adamas rutilans oculos perstringit, insignes in pennis Indiciis colores, horti amœnitas, locus pretiosa suppellectile ornatus, formæ elegantia & similia exhilarant valdè spiritus Ratio (quæ in offensa locum non habet) est, quia visus præ cæteris sensibus maxi-

maximè spiritales, quo fit ut nullo objecto satis crasso offendatur. Sed causa princeps, quia nõ dantur objecta activa unde oculis malè sit. Soni enim harmonici & discordes simul & activi sunt & aliquid notant positivum; fragrantia quoque & fœtor quoad odoratum; amarum & dulce, quoad gustum; nimis calidum & frigidum in tactu; sed tenebræ sunt verè aliquid privativum, cum nulla aut exili activitate contristant, sed admodum parum.

Experimentum unicum spectans colorem maris & cujuscumque aquæ.

874. Aquam marinam aliamve quamlibet motus infuscatam offert, magis perspicuam quies. Causa est, quia motus radios lucis transire recta nõ patitur, unde obscurior tenebrescit; cùm quies radios exceptos recta transmittat. Est præterea in splendore gradus candoris præsertim si modica adsit repercussio. Speculum enim chalybeatũ magis candescit vitro simplici. Hoc experimentum meretur ut extendatur ulterius, tentando, qua ratione motus visum impediat.

Experimentum unicum spectans pisces squammatos.

875. Piscibus squammatis antiquitas inter insecta locum dedit. Facti ratio me fallit. Sexu enim distinguuntur ut alii pisces, nec generantur ex putrefactione, ii præsertim qui moventur. Ostrea, cochleas, musculos, motus expertes, illo discrimine non sejungi, certum est. Inquire, quo tempore & quomodo gignantur: ostrearum testæ nasci videntur, ubi nullæ ante reperiebantur; atque experientia fidem facit, musculos majores cum tenui testula, quos stagna edunt, intra triennium generari. Tum vel illud sine admiratione non transmittendum, quod non hient & claudantur, ut ostrea, sed & locum mutent.

Experimentum unicum spectans lævum aut dextrum latus.

876. Sensus efficacia in dextro sinistrove latere non variat, sed membra in dextro validiora sunt. Causa fortè, quod cerebrum, instrumentum sensus, utrique lateri ex æquo est; sed motus, quæque eum juvant facultates, aliquid à jecore mutuantur subsidii, cui in dextro latere sedes, vel quia sensus ad exercitia ducuntur indifferenter in utroque latere à tempore nativitatis. Membris autem dextri lateris magis utimur; ut tamen aliquod hic consuetudinis dominium agnoscamus. Ita constat nonnullos magis esse lævos, quod sinistra plurimum fuerint usi.

Experimentum unicum spectans frictionem.

877. Frictio partes reddit magis carnosas & plenas; uti patet in homine & equis depectendis, &c. Causa est, quia plus spirituum & sanguinis ad partes retrahitur; alimentum in exteriora validius elicitur; pororũ relaxatio faciliorem spiritibus, sanguini & alimento viam præbet; inutilis & excrementitius humor in carne hærens digeritur & dissipatur; omnia assimilationis adjumenta. Frictiones magis replent & impinguant corpus, quàm exercitia; causa, quia frictio partibus internis indulget quietem, quas exercitatio sæpè nimis agitat. Eadem est ratio, ut [*vide Exper.* 733.] ante notatum, cur remiges plerumque pingues & carnosi sint, quia membra exteriora magis in motu sunt, quàm internæ partes.

Experimentum unicum spectans globos quos distantia planos exhibet.

878. Omnes globi è longinquo apparent plani. Causa est, quia distantia secundarium visus objectum nõ discernitur nisi validiori vel debiliori luce. Hæc disparitas turbata omnium inducit æqualitatem, ut in genere in objectis non distinctè perceptis. Sic literæ, ad illud intervallum remotæ ut discrimen evanescat, infuscata videntur charta; & omnes sculpturæ & toreumata offeruntur plana eminus intuentibus.

Experimentum unicum spectans umbras.

879. Umbra extremitatibus suis conspicitur tremula. Causa est continuus atomorum in Sole motus, etiam vento ad sensum nõ manifesto. Ideò motus ille in confinio lucis & umbræ, ex luce in umbram, & ex umbra in lucem, repræsentat umbram tremulam, quia medio inest motus.

Experimentum unicum spectans undationem maris, & in eo brevia.

880. Vada & angustiæ undas magis refringunt, quàm maris profunditas, quaqua versum patens. Causa est, impulsio utrobique eadem; nisi quod ubi plus aquæ & spatii, illa tardiùs moveatur, inæquali minus ascensu & descensu, vel undatione minus montosa seu acclivi. Sed ubi minus & aquæ & spatii, & illa fundo magis illiditur, celerius movetur & in præcipitio, quod omnis gignit undarum refractio.

Experimentum unicum spectans dulcorationem aquæ salsæ.

881. Tradunt veteres, aquam salsam, si excoquatur, & cocta refrigeretur, potui aptiorem evadere, quàm si cruda fuerit; cùm tamen sal ignem destillatorium passus inter exhalatos vapores non ascendat, & aqua destillata sit dulcis. Causa fuerit, quòd pars aquæ salsa ascendat partim sub specie spumæ, partim in sedimentum abeat, fundumque petat; ut potius separatio dicenda sit quàm evaporatio. Sed crassities in vapores assurgere vetat, ut & ascendere negat amaror; simplicibus aquis absinthii & similium, ubi destillatæ fuerint, amarorem deponentibus.

Experimentum unicum spectans regressum salsedinis in puteos in littoribus effossos.

882. Diximus [*vide Exper.* 1.] ante, è puteis in littore effossis aquam hauriri dulcem, percolata per arenas salsugine maris. Sed notant veterum alii, in quibusdam Africæ locis, lapsu temporis, aquam in illis puteis salsescere. Causa est, quia post temporis spatium sale imbuuntur arenæ, aquis marinis pertransiti solitæ, atque ita percolatorii perdit officium. Remedio fuerit, continuo novos effodere veteribus salsescentibus; cùm perinde sit ac mutare percolatorium.

Experimentum unicum spectans attractionem ex similitudine substantiæ.

883. Testatur antiquitas, in aqua salsa citiùs dissolvi injectum sal, quàm in dulci. Causa fortassis, quod sal aquæ prioris trahit ad se injectum ex similitudine substantiæ, quo fit, ut citiùs in liquorem dispersus evanescat. Quantivis pretii experimentum, si non suspecta veritas; rationem enim designat, quæ infusiones & celeriores & faciliores præstet, simul egregia instantia est circa attractionem

neni ex similitudine substantiæ. Fac periculum saccaro in aquam conjecto, priùs saccaro imbutam, & in aquam saccaro ante non temperatam.

Experimentum unicum spectans attractionem.

884. Impone saccarum vino parte supra vinum extante, parte vino immersa. Miraberis prominēs saccarum citiùs mollescere & dissolvi, quàm vino tectum. Causa est, quia vinum intrat partem saccari vino immersam simplici infusione aut dispersione, sed pars extans fodicante suctione subruitur; cùm spongiosa corpora aërem expellant, & liquorem attrahant contiguum; quod spongiæ docent parte aquis superextante. Operæ pretium fuerit inquirere, quî infusiones fiant accuratiores ope attractionis.

Experimentum unicum spectans calorem subterraneum.

885. Aqua in puteis hieme magis calet, quàm æstate, ut & aër in cavernis. Causa, quia in partibus terræ non interioribus seu superficiei propioribus quidam caloris gradus est (ut ostendunt venæ sulphureæ, &c.) quem arctiùs conclusum hiems intendit, æstas perspirando relaxatum imminuit.

Experimentum unicum spectans volatum per aerem.

886. Narratum Scriptoribus, Leucadienses ex superstitione hominem ex alta rupe in mare dedisse præcipitem, circumligatis ei ad magnam distantiam multis magnisque avibus, & affixis corpori diversis pennis allevando lapsui expansis. Multæ profectò volucres fortioribus invehuntur alis (ut milvi, & similes) quibus in volatu etiam grande onus sustineant. Pennæ æqualiter dispositæ, neque ut hient, in latitudinem expanse, non exiguo etiam ponderi pares, sit modo in æquilibrio positum, neq; altrinsecus inclinatū. Fiat inquisitio ulterior quoad volatus adminicula.

Experimentum unicum spectans tincturam purpuræ.

887. Nascitur alibi (in Cephalonia nempè) exiguus frutex, quem vocant sacram quercum vel nanam, cujus frondes tumorem præferunt, instar pustulæ, ex quo collecto exeritur pulvis ruber, qui paulò post mutatus in vermes abit, vino enecandos (uti referunt) simul viviscunt. Pulvis ille purpuræ præstat tincturam.

Experimentum unicum spectans maleficationem.

888. Apud Santones percrebuit, viro inefficax reddere coitus cum uxore tentamentū. In Gasconia idem frequens est maleficium, ubi vocatur noüer l'eguillette; adhiberi plerumque solitum diebus desponsationis. Apud Santones matrum illæ partes esse solent, ut sic aliorum præveniant incantationes; cùm suas ex libitu facere possint inutiles. Ex legibus in illas animadvertitur, ut res levicula non sit.

Experimentum unicum spectans ascensum aquæ adjumento flammæ.

889. Experimentum in triviis decantatum, sed causa in abdito est. Ollam sume, aut potiùs vitrum, ut in eo motum conspicias, atque accensam candelam colloca in fundo labri aqua repleti, orificiumque ollæ aut vitri inverte super candelam, effecturus ut aqua ascendat: qui adscribunt attractioni caloris, à vero exorbitant, cùm pateat motum esse nexus, quem vocant, ne detur vacuum, qui sic procedit. Flamma candelæ cooperta cùm suffocari incipit ab aëre compresso, exilescit paulatim, & tum modicè ascendit aqua, flamma sensim minorem occupante locum, & detrimento æquatur aquæ successio. Sed in ipso instanti cùm candela exstinguitur, repentè ascendit aquæ magnæ pars, quia corpus flammæ nullum ampliùs replet locum; atque ita aër & aqua succedit. Idem eveniet, si loco aquæ farinam aut arenam labro imposueris; quod arguit, causam non esse attractionem liquoris velut nutrimēti, ut supponitur. Omnia enim corpora in eo cōveniunt, quòd in iis motus locum habeat; ut conspexerim vitrum manu comprehensum, labrum, cæteraque de loco sustulisse, tam validè motus nexus fundum labri affixit. Isti experimento, cùm labrum attolleretur, oleum non aqua adhibita fuit; neq; tamen eventus spem fefellit; cùm primò scilicet orificium vitri imponeretur fundo labri, modicè attollebatur aqua, deinde paululum subsistebat, donec candela ferè exstingueretur, ut diximus. Illud primo attractionem ostendit; cui largiorem operam destinamus inter attractiones ex calore.

Experimenta varia spectantia influentias Lunæ.

De virtute & actionibus corporum cœlestium, & quascunq; præterea occultas habēt influentias, præter duas manifestas, calorem scil. & lucem, agemus inter experimenta, quæ spectant corpora cœlestia. Interim quasdam præstruemus directiones ad plura experimenta de viribus & influentiis Lunæ, quæ proximum nobis inter planetas sidus est.

Influentias Lunæ quatuor imprimis celebrat observatio; provocationem caloris, inductionem putrefactionis, augmentū humiditatis, excitationem motus in spiritibus.

890. Quantum ad provocationem caloris, præscripsimus ante, ut aqua calida sumatur, cujus pars exponenda radiis Lunaribus, pars interpositæ umbellæ prętextu arcenda ab iis, ut explores, citiusne refrigeretur Lunæ exposita. Sed quia hæc interpositio parvi est momenti (licet in Sole umbra plurimum ad rem faciat) præstiterit tentare idē, splendente & non splendente Luna; in aqua calida in lagena vitrea æquè ac in patina, in cinders sive reliquiis duris ex carbone minerali & ferro candente, &c.

891. Putrefactionem experiri liceat carne aut pisce expositis Lunaribus radiis, & rursus expositis aëri, Luna nō splendente, utrobiq; pari temporis spatio, ut quid corruptionem acceleret, agnoscatur. Capone etiam aut alia volucri sub dio collocata ad examen revoca, citiusne mortificetur & tenerior evadat, ex muscis quoque emortuis & vermibus, superinfuso illis pauxillo aquæ, dignosces putredinis celeritatem, ut & ex malo vulgari aut citrio, si foramen vertici imprimas, patebit, quod putrescet mucescetq; citiùs. Idem fiat in caseo Hollandico, vino illi infuso, utrum generabit vermes ocyus & majores.

892. Quantum ad humorem, recepta opinio est, semina, capillos, ungues, sepes & herbas, &c. citissimè germinare & excrescere si plantentur, amputentur & præsecentur crescente Luna. Cerebrum quoque in cuniculis, gallinaginibus, vitulis, &c. maximè per plenilunium abundat. Tunc medulla in ossibus largior, ostreaque & cochleæ magis carnea; quæ postrema exploratu facillima, si in puteis asserventur.

893. Ca-

893. Cape semina quædam aut radices (ut capas, &c.) ex illis alia plantentur immediatè post Lunam decrescentem; alia ejusdem speciei immediatè post plenilunium, sed ut per omnia exactissimè, quantum licet, conveniant, quoad terram quoque, opera detur. Commodissimè id fit in ollis constituendis eo loco, quem nec pluvia, nec Sol penetrat, ne varietas cœli turbet experimentũ. Observa deinde, quo tempore semina Luna decrescente consita, ad quam altitudinem progerminent, & quomodo differant ab iis decrescente Luna consitis.

894. Verisimile est, cerebrum homini per pleniluniũ humoribus magis turgere. Unde illis humidiore cerebro & strennis potoribus conducit sumere lignum aloës, rosmarini, thuris, &c. circa plenilunii tempus. Probabilitatis quoque speciem habet, humores in corpore humano, Lunæ æmulos augescere & decrescere; ut non mutilis futura sit potio medica die uno aut altero post plenilunium; quia tum temporis humores tam citò non turgescunt.

895. Quod ad excitationem motus in spiritibus, *notandum*, quod sepes, herbæ, capilli, &c. meliùs excrescant, Lunę beneficio id fieri, excitante spiritus, & conferre huc incrementum humoris. Sed de spiritibus in particulari, magna datur instantia in Lunaticis.

896. Possunt & alia effecta, non passim obvia, ad Lunę influentias referri, sed nondum hic se probavit observantium diligentia Posset fieri, (sed casus in eventu est) ut septentrionali vento aut Cauro spirante per plenilunium frigus intendatur; & Austri flatus vel Africi aerem aliquamdiu inclinet ad calorem & pluviam. Quod *notandum*.

897. Neque abnuerim, infantes & pullos in lucem editos tempore plenilunii, validiores & majores esse iis, qui nati declinante Luna. De illis per plenilunium conceptis idem puto statuendum; ut agriculturæ pars sit non contemnenda, si arietes & tauri coeunt paulò ante plenilunium, ova quoque eodem plenilunii tempore excludi felicius. Plurima sunt istius generis, quę ad experimenta possent traduci. Observetur, an magna tonitrua & terræ motus plenilunium non causetur.

Experimentum unicum spectans acetum.

898. Mutatio vini in acetum putrefactio quædam est; & aceto parando solent vasa vino repleta exponi Soli Meridionali; qui provocando discutit oleosos magis spiritus, relinquitque magis acidos & austeros. Vinum etiam combustum magis austerum & astringens est, vino non combusto. Ferunt citram potam ex succo pomorum in navigationibus sub linea maturescere, cùm vinum & cerevisia acescit. Omphacii quoq; oracula per æstatem Soli exponenda, instar aceti, ut edoceamur nũ maturescat & dulcescat.

Experimentum unicum spectans animalia quæ totam hiemem dormiunt.

899. Varia sunt animalia, quibus tota dormitur hiems, ursus, erinaceus, glis, apis, &c. quæ somno pinguescunt, neque quicquam excernunt. Causa pinguedinis durante somno possit esse defectus assimilationis, cùm in sudorem aut pinguedinem mutetur quicquid non assimilatur. Hæc animalia per aliquod somni tempus deprehensa sunt prorsus non moveri, reliquo tempore moveri quidem, sed non loco; quæruntque calidos somno suo & conclusos recessus. Belgis in nova Zembla hibernantibus observatum, ursas obdormiscere circa medium Novembris, & tum vulpes prodire, antea exterritas. Priscis scriptoribus memoratum reperio ursam [*vide Exper.* 758. & 9.] gravidam esse & catulos suos parere per somni sui tempus gravidamque raro conspici.

Experimentum unicum spectans generationem animalium ex coitu & putrefactione.

900. Animalia quædam coitu fœcunda sunt, quædam nascuntur ex putrefactione. Atque ex illis, quæ putredo animat, plurima postmodum ex coitu generant. De causis utriusque generationis ut agamus, primò certum est, causam omnis vivificationis esse placidum calorem & proportionatum, qui operationem exerceat in glutinosam & ductilem substantiam. Calor enim in ea substantia excitat spiritus, quæ cum sit glutinosa, duo præstat; prius, ut spiritus detineatur, ne erumpere possit; alterum, ut materia placida & ductilis, postquam motu spirituum intumuit, formam & membra induat. Hinc omne sperma & menstruosa substantia, omnis materia, quę per putrefactionem gignit, habet semper soliditatem, lentorem & sequacitatem. Generationem igitur ex spermate duntaxat, & illam ex putrefactione geminæ causæ discriminant. Prima est, quod animalia determinatæ & accuratæ figuræ (qualia coitus prodit) non possunt produci languido & fortuito calore, nequa ex materia non exactè præparata convenienter speciei suæ. Secunda est, quod majus requiratur tempus absolvendis animalibus perfectis. Illud vivificationi requisitum si nimis diuturnum sit, spiritus exhalat ante introductam planè formam; nisi loco includatur, qui præstet continuationem caloris, ministret alimentum quo sustentetur, & receptaculum prohibendæ exhalationi. Talia loca sunt uteri & matrices fœminarum. Hinc omnibus ex putredine natis indeterminata magis figura & perficiendis brevior mensura temporis, nec tam accurato indigent formando receptaculo, quamvis plerumque aliquod requiratur. Ethnicorum sententiam, quæ statuunt, in magnis Mundi mutationibus perfecta animalia primò ex concretione extitisse, ut ranæ, vermes, muscæ producuntur, vanam esse constat. Tale verò quid si admittatur, ut ex sensuum cõsultis judicium feratur, revocandum pristinum chaos est, & rudis indigestaque cœli ac terræ moles. Ordinata enim semel mundi compages illud non permittit, ulla vel declinatione à statutis semel legibus vel fortuitos concursus moliente casu.

FINIS CENTURIÆ NONÆ HISTORIÆ NATURALIS.

FRAN-

FRANCISCI BACONI DE VERULAMIO HISTORIAE NATURALIS CENTURIA DECIMA.

Experimenta varia spectantia Transmissionem & Influxum immateriatarum virtutum & vim imaginationis

Philosophia Pythagorica dementata superstitionibus genuit illud imaginationis monstrum, quod Platonis aliorumque schola postmodum enutrivit; mundum scilicet esse unum, integrum & perfectum animal vita præditum; adeò ut Apollonius Thyaneus, ex Pythagoricorum tripode propheta, affirmaret; fluxum & refluxum maris esse respirationem mundi, haurientis aquam instar halitus, eamque rursus egerentis. Pergunt & isti effato superstruunt, si mundus vivat, habet animam & spiritum, qui ex ipsorum sententia est, vocaturque spiritus mundi. Neque hoc vocabulo Deum notant (quamquam non ignota ipsis Deitas) sed animam duntaxat, atque essentialem mundi formam. Hoc posito fundamento confingere ipsis liceret, quicquid obtruderet speciosus error. In animantibus enim, etiam vastæ molis (Ex.gr. in balæna) sensus & affectus cujuslibet partis in corpore in instanti per universum corpus diffunditur. Neque aliud insinuatum volebant illâ commenti insaniâ, quàm magicas operationes evincere quamlibet loci distantiam, neque hærere ad materiæ non prastructæ deliquium; sed quod (Ex gr.) Europæ rei in China gestæ sensum ingereret, effectumq; produci posset sine & contra quam pateretur materia, nulla angelorum aut spirituum ope, sed sola quam naturæ consensus parit, unitate. Fuerunt, quibus non huc usq; tantum error illuderet, sed ulteriùs de recto tramite rationis palantes ageret, dum sic statuunt; si spiritus in homine (què microcosmum vocant) commodam facturus impressionem influat in spiritum mundi, vim & efficaciam imaginationis, & firmam persuasionem, naturæ dominari posse. Paracelsus enim & ignobiles aliquod magiæ authores imaginationi exaltata tribuunt virtutem fidei miraculosæ. Vastæ illæ atque ex puridis ineptiis conflata nugacitas plurimos amabili afflavit insania.

Nos verò per Dei vestigia operibus impressa constanter incedentes; neque à sensu devii, qui est lucerna Dei (atq; hac spiraculum hominis) sobriè & severè inquiremus an natura usquam patiatur ejusmodi transmissionem & immateriatæ virtutis influxum, quæ vis imaginationis, sive in corpus unde ipsa oritur, sive in aliud. Labor profectò non dispar Herculeis molestiis in expurgando Augiæ stabulo, ut natura sui juris & repurgata à superstitiosis ac magicis observationibus consistat; si non cùm applausu excipiendus, certè non omninò damnandus erit. Et quamquam in hanc materiam excurrendo passim dabitur occasio; jam tamen aperire libet ad aliæ introitum.

Experimenta varia monitoria spectantia transmissionem spirituum & vim imaginationis.

901. Monendi sunt homines, ne fidem detrahant operationibus ex transmissione spirituum, & vi imaginationis, quia eventus quandoque fallit. Ut enim contagio de corpore in corpus transfusa sæpè recipitur, robur quandoque & bonus passivi corporis habitus repellit, antequam se morbus figat; ita & tantò magis impressio de anima in animam, aut de spiritu in spiritum victrix sæpè exultat, sed ut anima & spiritus patiens se recolligat, vinculisque eluctatus necdum solidati imperii, expugnet, priusquam revelli neget dominatrix lues. Vis illa maximè insolens in animos & spiritus languidos, quales fœminarum, ægrorum, superstitiosorum, puerorum & animantium tenella ætate.

Nescio quis teneros Oculus mihi fascinat Agnos.

Poeta loquitur non de ovibus, sed agnis. Quod Reges & terrarum Dominos fastigii sui reverentia tueatur adversus istas impressiones, tribui posset (præter rationem principem, Dei scilicet excubias, vicarios suos in plena securitate foventis) imaginationis impotentiæ imaginantem hic destituenti. Vix enim est ut veneficæ & sagæ fidem inveniant, cùm & istos in noxam sibi patère credi volunt.

902. Retrahendi rursus homines à credulitatis periculo, ne nimis huc temerè inclinata fide propendeant, quod respondere eventum operationibus sæpè videant. Causa enim successus non raro ad vires affectus & imaginationis in corpus agens referenda, quod secundaria quadam ratione agere potest in corpus diversum. Ex.gr. Si quis circumferat signum planetæ, aut annulum, aut particulam bestiæ, certo persuasus, adjumento sibi futurum in promovendis amoribus, aut ut conservetur à periculo aut vulnere in prælio, aut superior evadat in ambitu, &c. potest excitatius reddere ingenium, & stimulos subdere industriæ, aut fiduciam alere & fulcire constantiam, qua fortassis excidisset. Jam verò quis ignorat, quid industria & propositi tenax animus designet, præsertim in civilibus negotiis? videmus enim ad alienæ audaciæ impetus resilire homines tenerioris debiliorisque animi, & rerum in hoc mundo status tam facilè varianda conditione fluctuat, ut sæpè tentamenti urgendi pertinacia ad miraculum usq; felix sit. Erraret ergò & falleret fallereturque, qui adscriberet hæc viribus imaginationis in corpus alterius, quæ illa in proprium exercet; cum nobis indubium sit, imaginationem acrioresque affectus plurimum valere in corpus imaginantis, uti suo loco demonstrabitur.

903. Ut in operationibus illis earumque causis error cavendus est, ita quoque danda vel imprimis opera est, ne effecta nobis imponant, temerè judicantibus talia esse, quæ eousq; nondum processerunt. Sic prudentes judices, præscripta velut norma, fidem haberi temerè nolunt confessionibus Sagarum, nec etiam factorum contra illas probationi. Sagas enim turbat imaginationis vertigo, ut putent se illud facere, quod non faciunt; populumque hic ludit credulitas, ut naturæ opera imputent fascino. Observatione dignum, quod prisca & nostris

ſtris temporibus propiori ætate (de ſagis ſcilicet olim Theſſalis de prædicatiſq; non ita pridem veneficarum congreſſibus, quorum plurimæ meminerunt confeſſiones) quæ extant prodita ſcriptis miracula, ut ſublatio in aërem, transformatio ſui ipſius in aliud corpus, &c. non incantationibus aut magicis ceremoniis geſta narrentur, ſed corpore unguentis delibuto. Quæ merito ſuſpicionem movere poſſent ludibria hæc eſſe imaginationis, cum certum ſit unguenta, ubicunque applicata, obturare poros, vaporeſque cohibitos tranſmittere ad caput, & quod ad particularia ex quibus unguenta illa componuntur, veriſimile, opiata & ſoporifera eſſe. Inunctionem enim frontis, colli, pedis, ſpinæ dorſi novimus adhiberi conciliandis ſomnis lethalibus. Si quis exiſtimet, melius id fieri hauſtis potionibus, accipiat reſponſum, quod medicamenta, unguentorum materies, tantæ ſint efficaciæ, ut intra corpus ſumpta utentes enecare poſſent. Validè ergo operantur, ſed applicata extrinſecus.

Operationum ex tranſmiſſione ſpirituum & imaginatione, ſpecies aliquas dabimus, unde lux nõ parva experimentis ſequentibus affulgebit. Omnes autem illæ actiones hoc habent peculiare, quod ad diſtantiam ſe exerant, non ad contactum, euntq; ex diviſionis inſtituto.

904. Prima, quæ emittit tenuiores magiſque aërias corporis partes, ut in odoribus & infectionibus; atque hæc præ cæteris maxime corporea. Sed meminiſſe oportet multas dari emiſſiones iſtiº generis tam ſalubres quam inſalubres, nullo prorſus odore deprehendendas. Peſtis ubi transfuſa quempiam corripit, odore non dignoſcitur. Aërem etiam ſanitati accommodum habitatio aliàque experimenta demonſtrant, quem odor ab alio nequaquam diſcriminat. Ad hoc caput revocandi ſunt omnes aëris imbibitiones, ubi odor ſubſtantiæ materiali invehitur. Harum nonnullæ admirandæ, quę ocyſſime diffunduntur, ut alteratio aëris in Ægypto, fere immediate poſt incrementum Nili, de qua *Exper.* 743. 767. egimus.

905. Secunda eſt tranſmiſſio aut emiſſio rerum, quæ vocantur ſpiritales, ut ſpecies viſibiles & ſoni; in horum explicatione verſati *Centur.* 2. & 3. ſumus; illis pertractandis ſuus dabitur locus. Horum motus celerrime & ad magnam diſtantiam agunt, ſed medio prius rite diſpoſito; earumq; tranſmiſſio facile ad obſtaculum refracta ſiſtitur.

906. Tertia, eſt remiſſio, quæ corporum ex intervallo attractionem cauſatur. Sic licet magneti primus aſſignetur locus, viſum nobis eſt nunc illũ excipere, alteri capiti tranſcribendum. Sed attractionem ambræ & gagatis, aliorumque electricorum, attractionem auri, ſpiritus Mercurii vivi ad diſtantiam, caloris itidem, & ignis ad naphtam, quarundam herbarum ad aquam, eminus licet, aliasque varias dabimus non hoc titulo, ſed illo de attractione in genere.

907. Quarta, emiſſio ſpirituum & virtutis immaterialis iniis, quæ operantur ex univerſali congregatione & ſympathia mundi, non ex formis aut cœleſtium effluviis (ut vane & docetur & diſcitur) ſed ex primitiva materiæ natura & ſeminum genitalium. Talis eſt (ut ſupponimus) operatio magnetis, ex conſenſu cum globo terræ. Hujus generis eſt motus gravitatis, ex conſenſu itidem corporum dẽſorum cum eodem terræ globo; diſpoſitio quoque corporum ad rotationem, & particulariter ab Oriente in Occidentem. Sic concipimus magnum fluxum & refluxum maris, ex conſenſu univerſi, ut partem diurni motus. Immaterialis virtutis hæc, qua aliis ante habetur prærogativa eſt, quod ad nullam medii diverſitatem tardata reſiſtat, pervio ubiq; tranſitu; ſed determinata activitatis ſphæra. De his paſſim agemus, prout in varios ſpargenda titulos in occurſum ſe dabunt.

908. Quinta, emiſſio ſpirituum, huic præcipue loco delecta materies; nempe operatio ſpirituum animi humani in alios ſpiritus; quæ duplex, affectionum, ſi concitatiores ſint; & imaginationis, ſi valida. Sed facit illarum nexus arctior, ut in ſimultaneæ tractationis operam veniant. Cum enim malignus invidi oculus, aut amore accenſus, aliorum inficit ſpiritus, conjungitur affectio & imaginatio.

909. Sexta, influxus corporum cœleſtium, præter duos manifeſtos, calorem & lucem. Sed de hiſce, ubi de corporibus cœleſtibus & motibus.

910. Septima, operationes Sympathiæ, quas naturalis Magiæ ſcriptores in artis formam redigunt. Exercentur autem ſic, ſi ſuperinducenda virtus aut diſpoſitio in perſonam, ſumes corpus animatum, eminenti virtute & perfectioris gradus. Seligendæ ejus partes, quibus hæc virtus propria, & eo tempore cum in actu eſt, applicandæq; parti in homine, quæ præcipua hujus virtutis ſedes, Ex. gr. Si fortitudo & audacia ſupra inſitam excitãda, Leonis cor, dentem & palmam, aut galli cor, & calcar, immediate poſtquam illa animalia decertarũt, circumfer applicata cordi aut carpio. Haſçe ſimilesve ſympathias hoc titulo exequemur.

911. Octava & ultima eſt emiſſio immaterialis virtutis, cujus exempla proponere religio eſſet (tam prodigioſa nobis res videtur) niſi plurimorum fidem & aſſenſum impetraſſet, & mihi velut ex dictæ legis ſeveritate, ſumpſiſſem accurati examinis partes, nihil admittendo aut rejiciendo, cujus non excuſſa penitus foret probabilitas. Hæc eſt ſympathia individuorum (datur & ſpecierum) id eſt, talis, quæ in rebus aut earum partibus ſemel contiguis, aut integris tuetur reciprocam ſpirituum inter ſe tranſmiſſionem; ut inter arma & vulnus; unde deprædicatiſſima unguenti armarii operatio; inter particulam laridi & verrucas eo confricatas, aut bacillum ex alno, &c. ut ſi pars ejus conſumatur aut putreſcat, vim ſuam exerat in partem ſeparatam. Jam vero perſequemur inſtantias.

Experimenta varia ſpectantia emiſſionem ſpirituum ſub ſpecie vaporis, aut exhalationem ſub ſpecie odoris.

912. Peſtis ſæpe corripit aliquem ſine manifeſto ſenſu, ut *Exper.* 904. dictum eſt. Ajunt, ſicubi ulla exarſerit, odorem ſpargere pomorum mitium, aut (ex aliorum ſententia) florum majalium. Recepta quoq; opinio eſt, odores ex floribus nimium ſuavibus abſque contrariæ qualitatis temperamento peſtis tempore malignos eſſe, ut ex liliis albis, verbaſcula odorata, hyacinthis.

913. Minus eos peſtis invadit, qui continue verſantur cum peſte laborantibus; ut qui ægrotorũ curam habent, Medicos, aut qui ſe muniunt prophylagmate ſive intus ſumpto (ut mithridatio, grans

Juniperi, rutæ foliis & semine, &c.) sive externo (ut Angelica, Zedoaria & similibus ore contentis, picis liquidi, galbani suffitu) nec homines decrepitos sibi habet obnoxios, aut sicca & frigida complexione. Contra, pestis contagio citissime transit in illos, qui ex puro prodeunt aëre, qui jejunio indulgent, pueros: & si non fallit observatio, cognatos magis quam peregrinos.

914. Perniciosissimus est fœtor carceris, qui captivos diu arcte & squalide habuit; experientia apud nos bis terve notabili, neque supra memoriam meam; cum tam judicum nonnulli, qui in carcere consederant, quam plurimi ex iis qui negotio intererant, aut ex spectatoribus, ingruente morbo excesserunt è vita. Quare prudenter omnino, tali casu, carcer ventilaretur, antequam captivi producerentur.

915. Controversiam non patitur fœtores illos artificio paratos, cum præcipue ex carne humana & sudore putrefactis constent, non inferre pernitiem; utpote quos nares continuo aversantur expelluntque. Sed talis aura nocet, quam aliqua cum corpore humano cognatio penitissime insinuat, spiritusque proditorie afficit. Res esset cum magno conjuncta periculo, compositiones ejusmodi parare in ædibus, magno populi confluxu, in templis, judiciis publicis, ludorum solemnitatibus, & similibus; cum aëris intoxicatio non minus sit metuenda, quam aquæ, Turcis in bello frequentata, adhibita quoque ab Emmanuële Commeno in Christianos, cum transitu per regionem ejus peterent terram Sanctam. Atque artificiosa aëris contagio tanto est periculosior in Comitiis, quanto exundantior tunc populi halitus magis facit ad recipiendam infectionem. Expedit igitur loca publica istius malignitatis suspecta, suffitu purgare ante conventum.

916. Odorum veneficia in singulares homines, hauriuntur ex manicis odoratis & similibus; neq; à vero alienum videtur, venenum præsentaneum admisceri odoribus suavibus, ut citius receptum noceat. Pestem quoque excitavit januarum, rimarum, aliorumque inunctio, non tam ex contactu, quam quod homini in more positum, si quid humidi adhærescat digitis, naso illud admovere. Moneri se patientur, apud quos ea inolevit consuetudo, ut præcaveant. Interim consultum judicamus saluti nostræ vel ex eo, quod pestilens inficiendi aëris apparatus secum trahit discrimen vitæ eorum qui huc studium conferunt. Sed quid si antidotis se muniant? nemini securo esse licebit.

917. Magnam pestis luem alibi ediderunt putrefacta cicadarum & locustarum examina.

918. Sæpius eructant fodinæ vapores mortiferos, seu suffocatio sit, seu venenata mineralis natura. Qui occupantur expurgandis metallis aliisque circa illa operationibus, illis cerebrum lædunt & stupefaciunt vapores metallici. Notatum est, spiritum Mercurii vivi petere continuo cranium, dentes & ossa: adeo ut aurifices contenta in ore auri particula attractum colligant Mercurii spiritum, aurumque postea contraxisse albotem deprehendatur. Lacus & putei, ut avernus, volucres supervolantes pestiferis exhalationibus enecare dicuntur, aut homines diutius adstantes.

919. Vapor carbonum ex ligno atque ex carbone fossili conclusus multos perdidit, qui vel hoc nomine periculosior est, quod nullus fœtor cautionis admoneat, sed latenter subrepentem languorem, nullo manifesto suffocationis indicio in mortem continuet. Belgæ in nova Zembla hibernantes, cum struendo foco lignum deficeret, ignem excitarunt ex carbone fossili qui ad manum, magno prius refocillandi subsidio; sed quod mox, ubi paululum assedissent, ipsorum incōmodo vertebatur. Orto enim inter eos silentio & velut sermonis tædio, quidam infirmior animi deliquium passus est. Hærebant alii quid rei esset, apertaque janua cum aëri ingressum præbuissent, vitæ consuluerunt. Effectum proculdubio inspissati aëris, & sic halitus & spirituum. Idem experieris si in loco recens incrustato focum struas; eventus Imperatoris Joviniani morte nobilitatus.

920. Vide experimentum 803. spectans aëris contagium ex primis post diuturnam siccitatem imbribus.

921. Graves aliquando alvi fluxiones pharmacopolis concitavit solus ex contusa colocyntide vapor.

922. Piperis, quod vocant Ginni-peper, forte Guinense, tentata combustio, continuam adstantium provocavit sternutationem; cum acri valeat spiritu.

623. Ab ultima antiquitate derivata traditio est, aliena lippitudine sanos inficiocuios atque ex mulieris menstruo laborantis intuitu speculum inquinari. Circumfertur etiam quorundam sermonibus, sed à fabulosa narratione haud alienis, menstruosæ fœminæ per campos aut hortos incessum, frumento aut herbis conducere, quia vermes enecat.

924. Neque minus antiqua traditio hæc est, Basiliscum aspectu enecare; & lupum, si prius hominem conspexerit, solo intuitu reddere raucum.

925. Suffitus conveniens exsiccat & cerebrum corroborat, catharros & defluxiones sistit; ut patet in fumo rosmarini exsiccati, ligni aloës, & calami ore & manibus hausto. Neq; ignoramus dari & alios suffitus, humectantes & refocillantes, quorum insignis in febribus ardentibus, consumptionibus & nimis vigiliis est usus: quales sunt ex aqua rosacea, aceto, mali citrii cortice, violis, foliis vinearum conspersis pauxillo aquæ rosaceæ.

926. In repentinis languoribus & deliquiis animi sudarium aqua rosacea imbutum, aut acetum naso admovendum commendantur; quo spiritus mox alioquin resolvendi & in fugam disjiciendi recolligantur.

927. Tabacum roborat spiritus, languoremque tollit; operaturque aperiendo, sed virtute præsertim opiata, quæ spiritus condensat. Expediat igitur tentasse haustum fumi aliorum ex tubulis (ut in tabaco fieri solet) tam ad exsiccandum & confortandum, quam ad alias intentiones. Optem exploretur fumus exsiccandi vi præditus ex rosmarino, ligno aloës, antea propositis, quæ tubulis inserta usurpentur, &c. nec non ex nuce myristica & folio Indico.

928. Arandi interesse laboribus & stivam sequi facit ad refocillationem spirituum & excitandam famem. Id vero si fiat in colenda terra, quæ triticum & secale fert, obesse solet, quia tellus producendis æstate vegetabilibus consumpsit omnem

omnem halitus suavitatem. Præstaret ergo illud fieri dum hordeum sulcis mandatur. Sed quia excolendis agris commoda & stata tempestas suis includitur spatiis, extra quæ protrahi neget; captetur halitus terræ recens ligonibus versatæ, aut assistatur fossoribus. Nobiles fœminæ consulerent sibi optime si pulvinaribus stratis genua inflecterent, noxiasque herbas eradicarent. Sed invadenda esset temporis opportunitas, qualis esset adultum ver, priusquam vegetabilia producat. Et habendus quidem terræ suavissimo odore delectus. Neq; abnuerim etiam id fieri, ut ros nonnihil evanuit, ne vapor nimis sit humidus. Novi virum Amplissimum longævum, cui in lecto decumbenti mane gleba terræ pura offerri solebat, in quam inclinato aliquamdiu capite recumberet. Velim effodiendæ terræ nonnihil quoque vini milvatici & Græca infundi; ut ex terra & vino mixtus vapor spiritus magis recrearet. Cave tamen existimes, Ethnicum esse sacrificium aut libationem terræ religiose præstitam.

929. Medicina præbet pastillos odoratorios aut pilas pulvere aromatico refertas ad catharros exsiccandos, cor corroborandum, & somnum conciliandum. Quamvis enim suffitui efficacia cedant, manibus tamen circumferre licet; cum suffitus per intervalla adhibeantur. Adde quod complura sunt, quæ per se melius exhalant, quam igni admota, ut nigella Romana, semen melanthium, amomum, &c.

930. Duo sunt, quæ intra corpus sumpta, refrigerant, spiritusque condensant, & author essem ut idem tentetur per vapores externos; alterum est nitrum, dissolvendum (ex mea sententia) in vino malvatico aut Græco, ut emanans odor vini captetur; & majoris efficaciæ si expetatur, infundendum sartagini probe excalefactæ, ut aqua rosacea & acetum solet. Alterum aqua destillata ex papavere sylvestri, miscenda (ex meo conceptu) cum altero tanto aquæ rosaceæ; & sumenda additis garyophillis in ignitabulo suffitorio, simile quid tentandum per aquam destillatam ex floribus croci.

931. Odor moschi, ambræ, Zibethæ, Veneris stimulos excitare creditur, refocillando & provocando spiritus.

932. Thus & nidorosi odores (quales sacrificiis adhiberi solent) dicuntur intoxicare cerebrum & homines reddere devotos, inducendo mœstitiæ speciem, & contristationem spirituum, partim quoq; excalefaciendo eosque extollendo. Inter Judæos videmus, præcipuum Sanctuarii suffitum communi & vulgari usui fuisse abdicatum.

933. Magiæ naturalis scriptores tradunt quosdam suffitus, qui jucundos cient somnos; alios qui propheticos (ut ajunt) ut lini semina, psyllium, &c.

934. Certum est, odores parum nutrire, præsertim illos vini; & hominem famelicũ percepto panis calidi odore affici. Narrant Democritum, cum in agone mortis versaretur, & mulierem audivisset conquerentem quod festi solemnibus familiæ utpote præses non interesset (quod tamen ardentissime optabat) collyram panis recentis adferri jussisse, & apertæ infudisse pauxillum vini, & sic vitæ servatæ authorem sibi fuisse, hausto ejus odore; donec festi tempus præteriisset. Novi nobilem, qui per tres, quatuor, etiam quinque dies jejunaret, nec cibo nec potu gustato, sed illo magno herbarum fasciculo uti solebat, cujus odore frueretur; inserebatque illis herbis esculentas acris odoris, ut cœpam, allium & similes.

935. Tollendis uteri suffocationibus plumæ accenduntur, aliaque pessimi odoris, quorum fœtor malo reprimendo conducit.

936. Ex medicorum consultis aër aliquando ægris deligitur, in quem transferuntur aut in tabe, aut reconvalescentes ex morbis diuturnis. Plerumque hunc usum præstant camporum planities gramine vestita, non ericetis similibusve, aspera, aut umbræ arborum, ut in nemoribus, &c. notant arboreta ex lauro excludere aërem pestilentem; unde salubritas aëris Antiocheni colligebatur. Sunt & terræ quæ herbis odoratis virescunt injussis, ut quæ ferunt serpyllum vel thymum sylvestrem & majoranam talem, herbam nummulariam, camomillum; & ubi albæ veprium rosæ haud aliter quam moschatæ redolent, signa optime constituti aëris.

937. Consultum fuerit intra ædes salubrem excitare aërem. Sed fieri id nequit, ubi loca aut sunt humilia, aut fenestris & januis plena; altero aërem comprimente & refrigerante; altero inæqualem reddente; quod sanitati maxime adversatur. Fenestræ fornici (eleganter & ad pompam elaborando) ne propius admoveantur, sed humiles sint. Parietes lapidei insalubres; lignei plus ad sanitatem faciunt; sed imprimis lateritii. Quibusdam optime successit parietum crassities, creta lateribus interjecta, prohibendæ evaporationi.

Experimentum unicum spectans emissiones spiritualium specierum quæ sensus afficiunt.

938. Hujusmodi emissiones (ut ante diximus) in separatos & proprios digerendæ titulos, hoc est, visibiles & audibiles suum merentur tractatum singulæ. Hic sufficiet generalia & utriusque communia adferre. Primo videntur incorporeæ. Secundo celeriter operantur. Tertio ad magnam distantiam vis earum exeritur. Quarto curiosa sunt varietate. Quinto, nihil efficiunt ut opus post se relinquant, sed meræ sunt energiæ. Operationes enim earum in speculis & locis echo gignentibus nihil in hisce corporibus mutant: verum eadem est actio cum primaria, sed repercussa, quantum ad fenestrarum motum ex concussione; aut rarefactionem aëris ex ingruente grandium sonorum vi, & calorem ex vitris comburentibus, potius sunt talia quæ concomitantur species audibiles visibilesque, quam eorum effecta. Sexto, teneræ sunt debilisque naturæ, cum duntaxat afficiant exilem tenuemque substantiam, qualis est spiritus animantium.

Experimenta varia spectantia emissionem immateriatæ virtutis ex animis & spiritibus hominum, sive per affectus, imaginationemve, sive alias impressiones.

939. Historiæ memorant, pueros tenella ætate parentibus subtractos & expositos, si ignoti in conspectum parentum venissent, occulto eos gaudio aliave alteratione perfudisse.

940. Ægyptius Augur olim persuadere conaba-

tur Antonio, ipsius genium (magnanimum, alioquin & præsidentem) sub oculis Octaviani Cæsaris ignobilem & velut degenerem esse, consultũ fore ratus, subducere se, quantum liceret, & fugere ejus conspectum. Augurem hunc à Cleopatra suborna-tũ fuisse creditur, ut in Ægypti secessu viveret Roma procul. Quicquid sit, sententia de prædominante & imperioso alterius in alterum spiritu, vetus est, & evulgata penitus.

941. Homines melancholici putantur pravum & sui similem dispositionem transfundere in illud, cui intersunt, consortium; & contra, alios excitatioris ad festivitatem genii parere consimilem in aliis præsentibus affectum. Præterea, alii in negotiis felices, alii infelices. Sane ratio non abnuit, dari saltem leviuscula effluvia spiritus in spiritum, quos propior sociat conventus, æque ac de corpore in corpus.

942. Observatum, senes, qui juvenum congressui frequentes se miscuerunt, conversatione non interrupta, longævos evasisse; cum spiritus eorum ex tali consortio fuerint recreati. Tales antiqui Rhetores & Sophistæ fuerunt semper inter auditores & discipulos juvenculos versati, ut Gorgias, Pythagoras, Isocrates, &c. qui ad centesimum annum vixerunt; Grammaticorum quoque plurimi, ut Orbilius, &c.

943. Audacia & confidentia in negotiis civilibus admirandæ virtutis sunt, ut non sine ratione quis dubitare possit; an non audacia, industria, & importunitate sua urgens, dominetur occulta constrictione & inclinatione spirituum alterius in tales.

944. Ex [*Vide Exper.* 722.] affectu spiritus invalescere magisque reddi activos certum est, & præsertim eo, qui spiritus in oculos propellit. Tales sunt duo, amor & invidia, quæ vocatur oculis malus. Quantum ad amorem, ex Platonicis nonnulli eo usque deveniunt, ut statuant spiritum amantis transmissum cum spiritibus amati occulto hærere nexu; qui desiderium regrediendi in corpus; ex quo excessit, fovet; unde sequitur appetitus ille contactus & conjunctionis in amantibus. Usus præterea edocuit, aspectus, quos amor ciet nõ esse fixos, sed subitas scintillationes & vibrationes oculorum. Invidia emittit malignos & venenatos spiritus, qui spiritum alterius hærescendo impetunt: magna quoque virtute est, si ex obliquo intorqueat oculi ictum. Tempus, quod ictum & percussionem oculi invidi reddit validiorem & maxime noxium, notatur esse, cum gloriose triumphat, gaudiisque perfruitur, quem invidiæ pestis suis destinat spiculis. Ratio est, quia tum maxime spiritus personæ invisæ prodit exteriusque diffunditur in occursum percussionis, quam intentat oculus invidentis. Unde compertum, homines post magnos triumphos male se habuisse per aliquot dies. Opinio fascini duabus ex causis antiqua est, ob excitationem amoris, & morborum ex invidia; soletque in oculis sedem habere unde defluit. Si tamen infectio est ex spiritu in spiritum, dubium non est, quin ex præsentia operetur, nec solum ex oculo; quamvis ex eo vehementius.

945. Aliquod etiam pudoris & timoris contagium est; fuga unius alios quoque in fugam inclinante, & transeunte in alios pudore, qui unum suffudit ex illius respectu.

Explicare nunc aggredimur vires imaginationis in corpus alterius; quibus illa modis exaltata roboretur. Imaginationem intelligo, quæ sit repræsentatio cogitationis individualis; estque triplex. Prima est conjuncta, cum fide rei futuræ; secunda cum memoria, præteritæ; tertia est præsentis; aut quasi præsentis, qua complector quicquid imaginatio confingit & animi gratia fabricat; ut si quis imaginetur talem hominem pontificis ornamentis indutum aut alatum. Eximo, & ab hoc tractatu sejungo illam ex fide futuri. Opera hic collocanda ex methodi nostræ legibus (quæ constat inductione) maximis implicatur argumenti molestiis; cum illa quæ popularibus circumferuntur sermonibus, fabulis scateant, & nova vix fieri possunt, nisi cautissime, propter rationem post à nobis proponendam.

Vires imaginationis in triplici sunt differentia, vel in ipsum imaginantis corpus agunt, quo & fœtus in utero materno comprehenditur; vel tendunt in corpora inanimata, ut plantas, lignum, lapidem, metallum, &c. vel in spiritum hominis, vel quicquid vita præditum. Hanc ultimam tantum tractandam suscipimus.

Problema itaq; est, utrum constanter credendo tale quippiam futurum (ex gr. quod hic vel ille se amore prosequetur, aut petitioni annuet, aut recõvalescet, &c.) res efficienda felicius deducatur ad exitum; Atq; hic rursus varie distinguendum; neq; enim intelligitur (ut partim ante *Exper.* 902. & 910. audivimus) an quid conferat, quo audacior magisque industrius reddatur homo (ubi constans fides plurimum potest) sed mere occulta operatio, aut constrictio, aut mutatio spiritus in altero. Atq; hoc casu difficile est (ut dicere *Exper.* 945. cœpi) novum aliquod capere experimentum. Non enim mihi ipsi imperare possum, ut credam quicquid voluerim, atq; ita nullum potest fieri experimentum; imo pejus est.

Quicquid enim imaginatur quispiam dubitans aut timẽs, lædit, si ulla imaginationis virtus est: homo enim sæpiꝰ sibi repræsentat quod metuit, quam contrarium. Remedium itaque est, si ope alterius conetur efficere; cujus in animo fidem generare possit, non vero per seipsum; nisi experimentis ipsi fuerit perspectum, prævalere imaginationem; tum enim usu comprobata fidem in ipso excitant; si fides, tale scilicet quidpiam futurum esse, conjungatur cum fide, quod imaginatio illud efficere possit.

946. Ex gr. Narravi aliquando viro talium curioso, sed quem vana scientia haud modicè inflaret, vidisse me præstigiatorem, qui ex chartis lusoriis, quamcunque cogitationem conceptam ostenderet. Vir ille sua opinione eruditus respondit, me errare, non enim (inquit) fuit notitia cogitationis in altero (solius id Dei est) sed fuit compulsio cogitationis in se, & constrictio imaginationis, ut nullam aliam cogitare posset chartam. Tum unam & alteram mihi quæstionem proposuit; quod callide ab ipso fieri putabam, utpote cui omnino præstigiatorum artes essent cognitæ. Domine, inquit, an meministi utrum ipse chartam alterius cogitatione designatam indicaret, an vero rogaret, ut quis eam alteri significaret. Respondi (ut verum erat) rogasse ut alteri declararet eam. Tum ille, sic & ego rem concepi, ipse enim induere tam efficacem imaginationem non poterat; sed alteri chartam

tam indicatam (cum mira sibi de præstigiatore sponderet) alter firma apprehendit imaginatione. Arrectis adstabam auribus, delectatus vanitatis festivitate. Quærit deinde, meministi utrum prius rogaret hominem, ut chartam cogitationibus aliquam præfiguraret, postea vero alteri in aurem suggereret, quā mente concepisset, aut utrum prius homini chartam ostensuro insusurraret, quod hic vel ille talem concepisset, & deinde rogaret illum, ut chartam conciperet. Respondi rem sic se habere, prius scilicet alicui in aurem dixisse, talem quempiam ejusmodi chartam cogitaturum. Hic ille doctus magnopere sibi placebat, & vides, inquit, recte me sensisse: si enim alter prius concepisset chartam, cogitatio sua fuisset fixa: sed alterius prior imaginatio cogitationes ejus constringebat. Quanquam illud aliquantum apud me valeret, tamen rem minoris momenti esse repolui, etiam longe infra opinionem meam. Dixi enim versari me in ea opinione, quod præstigiator & bini famuli rem ex compacto gesserint, nulla licet ratione huc inductum. Patri enim uterque operam suam debebat, neque præstigiator unquam ante in ædibus fuerat versatus: qui periscelidem quoque attolli jussit, asserens se nosse, ab hoc vel illo contingendam tali loco, tot pollicum distantia ab extremitate longiori, tot à breviori: & continuo præstitit, prius suggerendo imaginatori, deinde rogando actorem ut cogitaret.

Expeditus hac narratione, non quod tanti sit momenti, sed quod dextre rem totam ob oculos ponat: regredior ad intermissa, quod experimenta imaginationis ab aliis essent præstanda, non à seipso. Tres enim modi sunt fidem muniendi: primo, experientia; secunda, ratio; tertia, authoritas: quæ præ cæteris maximi est ponderis, cum fides ex ratione aut experientia vacillet.

947. Fides ex authoritate duplex est, in artem & artificem. Res ex fide in artem, per nosmet exerceri possunt: fides in artificem, dependet præstanda ab alio: ut si quis fidem habeat Astrologiæ, & figuram prosperam inveniat; aut naturali magiæ, & quod annulus tali cum sigillo, aut talis pars animātis gestata conducat, imaginationem suam corroborat. Sed fides in artificem multo magis est activa. Quicquid sit, omnis authoritas nasci debet ex seipso, conversa (ut dictum) aut in artem, aut in hominem, ubi illa derivatur in alium, ille ignarus non eruditus, aut phantasticus sit oportet. Tales plerumque sunt veneficæ & superstitiosi, quorum fides doctoribus & traditionibus sic obstringitur, ut ratio aut experientia convincere nequeant. Unde magia plerumq; pueros & juniores adhibet, quorum spiritibus facile tradux fides aut imaginatio imprimitur.

Jam vero corroborandæ imaginationis triplex via est; authoritas, unde fides derivatur, rationes quibus excitetur confirmeturq; imaginatio, & media quibus illa repetatur & renovetur.

948. De authoritate egimus; quod ad rationes imaginationem corroborantes & excitantes, in magia adhiberi solent (si in horum usu quicquam sit mere naturale) vestimenta, characteres, verba, sigilla, partes quædam plantarum & animantium, horæ certæ, gestus & motus, thura, odores, consortium ex selectu, quod imaginationem intendit, diætæ & præparationes ad aliquod temporis spatium. Vocabula semper sunt aut barbara, nihil significantia, ne imaginationem turbent; aut similitudines significantia, quæ imaginationem fovere possunt. Atq; hæc tam usitatæ ethnicis incantationes suppeditant, quam illæ posterioribus temporibus. Admiscentur & voces ex sacris literis; at fides, textus religiosi, & quæ istius generis corroborare imaginationem possunt; ut eadem de causa voces Hebraicæ (quæ lingua nobis habetur sancta) & magis mysticæ sæpius usurpentur.

949. Ad renovandam imaginationem (tertia hæc illam exaltandi ratio) quæ à Magis adhibentur obvia sunt, ut imagines cereæ & similia paulatim liquescentia, aut alia fimo sepulta, sensim putrescentia, &c. quoties enim imagines illæ memoriæ quasi præsentes sistuntur, toties imaginationi occurrit effectus optatus.

950. Si virtus imaginationi tribuenda, haud pat est tam ab omni se juncta corpore & materiæ commercio exemta sit, ut & longum intervallum superet, & quodlibet medium, & nulla non corpora penetret; ne tamen distantia sit enormis, medium cōtrarium, & corpus patiens proportionatum. Si itaque rerum natura aliquam patiatur operationem in corporibus sibi non præsentibus, illa videtur transire de viro in virum, ut de fama dicitur. Ut venefica alicui procul remoto noxam creet, per naturam fieri nequit, sed agendo in spiritum ejus, qui veneficam convenit; virtute in imaginationem alterius traduce, & sic porro donec ad eum perveniatur cui cum homine designato familiaritas intercedit; atque ita tandem ad ipsum in quem faba cudebatur, ut ajunt. Quicquid garriant sufficere, si fibula sumatur, aut pars vestimenti, aut nomen ejus, &c. parce talibus habenda fides, utpote commento propioribus, nisi malignorum spirituum opera intercedat.

Experimenta, quæ vim imaginationis in corpora aliena solide probent; pauca aut nulla prorsus sunt; cum fascini exempla huc non faciant, quod dæmonum interventu fortasse non careant. Ideo cogemur in hac inquisitione ad nova experimenta confugere; ubi directiones tantum eorum præscribi possunt, non ulla positiva in medium adferri. Si quis putet subsistendum nobis fuisse, donec tentamentis res penitus innotuisset, (ut fecisse nos ubique probant alii tituli) sciat dubia nos fide amplecti quæcunq; imaginationis effecta circumferuntur, animum tamen esse illa per otium exigere ad Lydium veritatis lapidem, id est, experimentorum lucem.

951. Si quid coneris per imaginationem alterius, necesse est ille, qui operationi tuæ destinatur, præconceptam de te habeat opinionem, mira te posse, aut hominem esse versatissimæ industriæ, cū simplex affirmatio, hoc aut illud effectum iri, languidam tantum in ipsius imaginationem impressionem gignere queat.

952. Quia vires imaginationis intime cognitas discernere non potes in uno magis quam alio, foret operæ pretium imaginatione plurium uti, quod imaginatio comperiatur fortior; ut si medicus tribus aut quatuor ægri famulis indicet, fore ut dominus omnino convalescat.

953. Imaginatio ejus in quem actione tua collineas, semper æque constans & valida esse nequit, tam varie mens humana fluctuat; & successus nisi

ex voto acceleretur, labefactata concidet atque exarmabitur. Ut præcaveatur vacillatio, prætextus varii speciose obtendendi, ut inductus ille, cujus imaginatione uteris, perfistat donec consummetur intentio. Ex. gr. Si præscribas illi, per tres continuos dies dum spes successus in ambiguo est, aliam adhibeat radicem, partem bestiæ, aut annulum, &c. quasi efficaciæ majoris. Ea quoque si votum fallat, aliam, si illa quoq;, aliam, donec septies innovetur tentamenti adminiculum. Neq; coarctandus temporis spatio eventus est, ut promissi fides asseratur; ut si famulo ægri dicas, sanitatem domino restituendam; sed post elapsos demum quatuordecim dies. Illud videbitur veri speciem præferre, &c. Omnia hæc ne vacillet imaginatio, efficient.

954. Certum est, intra corpus sumpta, thura & suffitus natibus excepta, atq; inunctiones quarundam partium, naturaliter in imaginatorem esse valida, ejus sc. qui talibus utitur. Sed necesse est magnopere cooperetur ejus imaginationi, quem adhibere libet; ut si præscribas, antequam ex formula tentet summam voti, ut sumat talem pillulam, aut cochlear liquoris; aut comburat ejusmodi thus, aut tempora inungat, aut plantas pedum tali unguento aut oleo, atque ad compositionem talis pillulæ, suffitus, unguenti talia seligat ingredientia, quæ spiritus crassiores & limosiores reddant, ut imaginatio melius figatur.

955. Corpus passivum, & in quod operatio intenditur (non intelligo imaginantis) felicius operationem admittet quibusdam temporibus, ut ex parte diximus. Ut si suadeas famulo qui ægri ministeriis vacat (cui jam significasti dominum recuperaturum sanitatem) ut hero profundum dormiente, tali vel tali utatur radice. Imaginatio enim videtur melius operari in dormientem, quam vigilem, quod demonstrabimus ubi de somniis agemus.

956. Ars memoriæ testatur, imagines visibiles prævertere aliis conceptibus; ut si nolis excidere tibi vocem Philosophia, melius id fiet, imaginando hominem (homines enim loca sunt optima) qui Aristotelis Philosophiam evolvat, quam si repræsentes tibi, Philosophiæ operam do. Hæc observatio transferenda ad argumentum in manibus; quo enim imaginatio illustrior, eo figet rectius & imprimet. Quare existimo, te minus illo deceptum iri, si proponas experimentum, cujus ante facta mētio, figendi & constringēdi imaginationem; si dicas alicui, talem inter viginti homines unum aliquem nomine suo compellaturum facilius certiusve, quā unam ex viginti chartis lusoriis. Experimentum figendi cogitationes variari potest, & exactissime tentari; & observandum utrum fere plerumq; succedat, licet non semper.

957. Expediat considerare in quas res imaginatio maxime valeat. Regula (si recte concipio) est, vim exerere præcipuam in levissima, quæque facillime moventur, ideoque præ cæteris in spiritus humanos, atq; ibi in tales affectus qui non operose concitantur, ut in stimulando amore, libidine concitāda, ubi dominatur imaginatio. Homine timore perculso, aut mentis vacillantis, &c. Strictius deducatur inquisitio per omnia quæ hujus sunt generis. Possent hæc tentari in plantis, idque diligenter; ut si cuipiam significes hanc vel illam arborem hoc anno emoriturum, imperesque ut aliquo intermedio tempore inspectet quomodo vigeat. Quod ad res inanimatas, verum est, motus chartas lusorias miscendi, aut jactus aleæ, esse levissimos. Stoliditas quoque est frequens admodum, ex quibusdam adstantibus augurari lusus fortunam minus ex voto. Tentetur & per annulum ex filo pendulum, qui intra vitrum contineatur; & prædicas alicui annulum toties nec amplius latera vitri percussurum, aut si clavem duo contineant digitis suis sine incantatione, eisq; dicas, qui tale nomen gerit, digitis ejus excidet; duo enim hi motus levissimi sunt. Et quanquam rebus istis fidem prorsus derogo, tamen concipio verum esse, fortem imaginationem magis valere in animata, aut quæ fuerunt talia, quam prorsus inanimata; efficacioresq; esse leves & subtiles motus, quam vehementes & cum pondere.

958. Vulgatissimum est, cadaver in conspectu homicidæ de novo per inflictum vulnus sanguinē emittere. Quidam asserunt, cadaveri apertos oculos ad præsentiam occisoris; atq; ejusmodi motus extitisse æque strangulato aut submerso, ac in eo quem vulnus exanimasset. Posset hoc justo Dei judicio tanquam miraculum adscribi, qui plerumque homicidia latere non patitur; sin ad naturalem vim revocetur, imaginationi tribuendum.

959. Membri virilis ligatio (artificio inductus languor) tempore matrimonii, qua vir impotens redditur ad coitum, frequens admodum (ut *Exper.* 888. audivimus) apud Santones & in Gasconia; si naturam non excedit, vim habet ex imaginatione ligantis membrum virile. Putem ego illud ab incantatione alienum esse, quia non à certis tantum personis (quales incantatores) sed à quolibet fieri potest.

Experimenta varia spectantia secretam virtutem Sympathiæ & Antipathiæ.

960. Multa in spiritus humanos agunt ex Sympathiæ & Antipathiæ viribus. Vetus & universaliter recepta opinio est, lapides pretiosos in ornatu haberi solitos pollere facultatibus suspiciendis, & referri ad illos effecta curiosulæ vanitatis. Hactenus bene, quod lapides contineant tenues spiritus, quos comprobat eorum splendor, ut per consensum in spiritus humanos operari possint, refocillando & exhilarando, quorum in hoc genere testatissima virtus, sunt adamas, smaragdus, hyacinthus Orientalis, lapis aureus qui & viridis Topazius. Sed quod referunt speciales proprietates, ex vano est, neque fidem meretur. Manifestum est, lucis primas esse partes supra omnia alia in refocillando spiritus humanos, & probabile admodum est, variato lucis splendore idem produci effectum, & majori quidem cum novitatis gratia. Atque hæc una ex causis est, cur pretiosi lapides corroborent. Utile ergo fuerit laternas aut umbellas ex vitro tingere colore viridi, cæruleo, gilvo, coccineo, purpureo, &c. quibus insertæ candelæ noctem discutiant; aut habere vitra rotunda, non penitus colorata, sed coloribus inter crystalla sparsis, & ansata ut gestentur. Prisma quoque robur addit; ut & artificium Parisiense, quo specula fiunt prætexta amplis marginibus crystalli angusti, insigniter picta, ornata pretiosis lapidibus omnigeni coloris, quæ oculis gratissima, noctu præsertim, fulgent. Picturæ quoque ex pennis Indicis confortant, jucundumque sui conspectum indulgent. Etiam limpida & amœna stagna placidissime oculos & spiritus afficiūt; refocillantq;, præsertim ubi radii Solis nubibus

nubibus obductis, non penitus intercluſi emicant; aut ſplendente Luna.

961. Variæ armillarum ſpecies ſunt roborandis ſpiritibus accommodæ, ſerviuntq; tribus potiſſimum intentionibus; refrigerantes, corroborantes, & aperientes. Ad refrigerandũ faciunt illæ ex margaritis aut corallio vulgari; quod notant palleſcere ii male habet qui geſtat. Neque diſſentio, cum alia intemperies caloris perdat corallii colorem nativum. Commendo armillas, ex lapide lazulo, aut ex nitro ſolo, aut quibusdam cardiacis admixtis.

962. Ad corroborationem ſelige corpora aſtringentia ſine manifeſto frigore. Suaſerim adhiberi armillas ex ambra, quæ aſtringentior, & tamen unctuoſa eſt, ſine frigore, & geſtantes dicitur reddere pinguiores. Probaverim & armillas ex cornu cervi, ebore, & quæ ſimilem vim habent; itidem ex malo citro, ligno aloës, maceratis prius in aqua roſacea, deinde ſiccatis.

963. Ad aperiendum utiles (me authore) armillæ aut particulæ radicum cardui benedicti, nec non pæoniæ maris, oris calami aromatici, & rutæ.

964. Spaſmus proculdubio nihil aliud quam nervorum contractio, unde ex frigore & ſiccitate oriri colligitur; ut poſt emaciationes & diuturnas febres; cum frigus & ſiccitas contrahant & corrugent. Neq; dubium, ſi frices paulum ſupra partem laborantem, ceſſare ſpaſmum, dilatatis ſcilicet per excitatum calorem, quos frigus contraxerat, nervis, præcavendo ſpaſmo adhibentur, vel annuli ex equi marini dentibus geſtati in digitis, vel vincula ex viridi pervinca (herba) circundata ſuræ aut fæmori, &c. quibus locis præcipue imminet ſpaſmus. Sed mihi hæc neutiquam probantur, cum neutri inſit relaxandi vis, ſed potius contraria. Exiſtimaverim illa operari in ſpiritus nervis contentos, ut minus confligant, non in corpoream nervorum ſubſtantiam.

965. Duas alias armillarum ſpecies uſu tentari velim ad cor & ſpiritus corroborandum, alteram extrochiſco viperatum: cum enim plurimum juvent intra corpus ſumptæ (præſertim in febribus peſtilentibus) non improbandum videtur, exterius applicatas prodeſſe, ubi major quantitas adhiberi poteſt. Trochiſci etiam ex anguibus fiant, quorum caro exſiccata aperiendi & cardiaca virtute pollere dicitur. Alteram ex coronis ex pulvere purpureo confectis, quem vocant Kermes, qui præcipuum eſt ingrediens cardiacæ confectionis alkermes. Poſſint etiam armillæ ex ambragriſia & paſtillo odoratorio concinnari.

966. Pridem receptum eſt, & variis experimentis confirmatum, radicem pæoniæ, ſiccatam & collo alligatam epilepſiæ amuletum eſſe, nec non incubi. Cauſa utriusque morbi, & præſertim epilepſiæ, ex ſtomacho; qui craſſos vapores emittit repletque cerebri ventriculos. Operatio igitur eſt ad ſummam ſubtilitatem redacta attenuatio, qua ſimplex illud conſtat. Eandem eſſe ſtatuo in caſtoreo, moſco, ſeminæ rutæ, & agni caſti, &c.

967. Lapis qui hæmatites vocatur, geſtatus, ſanguinem è naribus fluentem ſiſtit; proculdubio ex aſtrictione & ſpiritum refrigeratione. Inquire nũ lapis ex bufonum capite non probet ſe virtute pari, cum bufo umbra delectetur & frigore.

968. Lucem præbere queat experimentũ ſumtum ex vinculo ex dentibus equinis, & vinculo ex cochleis marinis, quomodo illa, quæ ſpiritus à cõflictu in quietem componunt, morbis proſint contra intentionem expetitam. In curatione enim ſpaſmi, intentio eſt relaxare nervos, ſed contractio ſpirituum, ut minus prælientur, optimum eſt remedium. Sic ut partus facilitetur, intentio eſt, fœtum pellere deorſum, ſed cura maxime laudanda, ſiſtere nimiam fœtus depulſionem; cui rei conducere ajunt buſonis lapillum. In febribus peſtilentibus intentio eſt expellere contagium per ſudores & evaporationes; ſed optima, qua illud confieri poſſit, intentio eſt in nitro, diaſcordio, aliisq; frigidis; quæ ad tempus expulſionem remorantur, donec natura lenius id perficiat. Venuſte enim ille dixit, in extinguenda flamma febris peſtilentis natura ſimilis eſt populo, incendium domus exſtinguere conanti; qui adeo occupatur, ut alter alteri ſit impedimento. Egregium profecto axioma & uſus varii, ut quicquid ſedat ſpirituum contentionem, actionem eorum promoveat.

969. Naturalis magiæ Scriptores commendant exuvias anguis circumferendas ad conſervationẽ ſanitatis. Dubito an non ſit commentum, quia anguis renovare juventutem ſuam creditur, depoſitis exuviis. Roſtrum quoq; eadem de cauſa ſumere liceret, aut particulam cornu cervi, quia & hæc renovantur.

970. Et olim (ut Periclis Athenienſis exemplum docet) & nunc uſitatum, geſtare veſicas ex Mercurio vivo, aut tabellas ex arſenico, peſtis amuletum; non ut alii cenſent, corroborandis ſpiritibus; ſed, cum venena ſint, virtus ad ſe trahunt ſpiritibus infuſum.

971. Vide Experimenta 95. 96. 97. ſpectantia varias antipathias & ſympathias in uſus Medicos.

972. Dicunt exta aut pellem lupi applicatam abdomini, curare colicum dolorem. Verum eſt, jupum animal eſſe maximè vorax, & valide digerere; atque fieri poſſit, ut partes ejus corroborent ſpiritus.

973. Terriculamenta eriguntur abigendis, ne fructus & ſegetes deprædentur, avibus. Perhibent alii, caput lupi integrum, ſiccatum, & in columbario ſuſpenſum abſterrere vermes, ut muſtelas, martes, &c. Forte canis caput idem effecerit, cum vermes iſtius generis apud nos melius canibus quã lupis noti ſint.

974. Exemptum animantibus quibusdam cerebrum (ubi capita aſſantur) & in vino ſumptum, ajunt eſſe ex firmandæ memoriæ adminiculis; ut cerebrum leporum, gallorum, ferarum, &c. Et videtur proprie locum habere in animantibus meticuloſis.

975. Unguenta ſagis uſurpari ſolita dicuntur fieri ex pinguedine puerorum ſepulchris erutorum, ex ſuccis apii, vvolfebane, & quinquefolii, admixtis farinæ ex tritico optimo. Sed quantum ego cõcipio, medicamenta ſoporifera maxime huc fecerint, qualia ſunt hyoſciamus, cicuta, mandragora, moneshade, tabacum, opium, crocum, frondes populi, &c.

976. Teſtantur quidam, affectus beſtiarum dum vegetiores ſunt, indere quandam rebus inanimatis virtutem, ut pellem ovis à lupo devoratæ pruritum excitare, lapidem, quem canis ira flagrans momorderit, ſi in pulverem redactus ſumatur, choleram provocare.

977. Observatum est, diætam mulieris gravidæ esse in fœtu conspicuæ virtutis; ut si mater sæpius cotonea edat, & semen coriandri (cujus utriusque natura est reprimere vapores ne ad caput adscendant) fœtum reddi ingeniosum; contra si mater crebro cæpis, fabis vescatur, aut simili nutrimento vaporibus pleno; aut vinum potumque nimis efficacem ingurgitet, aut crebro jejunet, meditationibus indulgeat (quæ omnia mittunt aut trahunt vapores ad caput) verendum ne fœtus sit Lunaticus, aut labilis memoriæ. Idem efficere videtur tabacum, matri sæpius usurpatum.

978. Naturalis magia dictat, cor simiæ humano cordi applicatum corroborare illud & audaciam augere. Non negamus, simiam esse animal lepidum & audax. Simiæ item cor applicatum collo aut capiti, ingenio prodesse & facere adversus Epilepsiã. Simia est animal ingeniosum & sicco cerebro, unde forte attenuatio vaporum in capite. Sed & somnia provocare dicitur. Cor humanum plus juverit, si non usus ejus plus adversaretur humanitati; nisi apud eos qui circumferunt reliquias Sanctorũ.

979. Caro Erinacei si præparata edatur, valde exsiccare dicitur. Necesse est succus erinacei sit acidus & siccus, ob varios, quibus armantur, aculeos; cum plantæ aculeatæ in universum deprehendantur siccæ, ut rubus, spina, uva ursina. Hinc cineres erinacei fistulis adhibiti exsiccare admodum perhibentur.

980. Mummiæ in sistendo sanguine virtus est maxima; quæ ut ut referri possit ad mixturam balsamorum, quæ glutinosa sunt, tamen & occultæ indolis qualitas fuerit in eo, quod sanguinis attrahat humanam carnem. Usus comprobavit, muscum innascentem cranio cadaveris insepulti sanguinem sistere; fœces quoq; & pulverem sanguinis ab urina separati & siccati.

981. Ab experimento est, hirundines albas reddi si ova inungantur oleo. Forte quod occlusis testæ poris succus, qui in pennas postea secedit, fiat magis jejunus, fieriqueposit, ut inunctioni ovorum eadem vis tribuenda sit quæ corporis; de qua vide Exper. 93.

982. Referunt, albumen ovi, aut sanguinem aqua salsa mixtum, salsedinem colligere & aquam reddere dulciorem. Forte illud præstat adhæsio, in 6. exper. clarificationis, vel quod sanguis & albumen ovi (quæ animati materia est) habeat eum sale sympathiam; cum omne vivens habeat sympathiam cum sale; qui vulnerato quoq; digito applicatus sanat, ut sal æque videatur trahere sanguinem ac vice versa.

983. Inolevit apud veteres opinio, lepori marino antipathiam esse cum pulmonibus (si corpori approximet) eosque erodere. Cujus rei causa putatur qualitas calefaciendi halitum & spiritus; ut catharides agunt in aquosas corporis partes, ut in urinam & aquam hydropici. Regula est optima, quicquid in aliquas materiæ species agit, illud in corporis hamani partes eas maxime vim suam exerere, in quibus illa materia abundat.

984. In universum, quicquid mortuum, corruptum, excretum est, antipathiam habet cum rebus iisdem, dum vita constat & sanitas viget; cumque partibus excretioni destinatis. Cadaver hominis maxime contagiosum & odiosum est homini; cadaver equi equo, &c. purulenta materia vulnerum, ulcerum, carbunculorum, luis, pustularum, scabiei, lepræ, carni sanæ; excrementumque cujuslibet animantis (*Vid. Exper.* 835.) excernenti: sed excrementa minus noxæ inferunt quam corruptiones.

985. Vulgaris experientia persuadet, canes dignoscere eum qui in necem suam armatus grassatur; ut cum emissarius, aëre pestilenti, canes è medio tollit, quamvis nunquam ante conspexerint eum, omnes prodeunt, allatrant & impetunt.

986. Quæ de vi imaginationis, & secreto naturæ instinctu circumferuntur, tam dubiæ fidei sunt, ut maximam partem in examinis severi trutina castiganda sint, antequam exstruendis Conclusionibus servire possint; velim prius inquiri, an occulti dentur sympathiæ trãsitus inter consanguinitate & cognatione junctos, ut parentes, pueros, fratres, sorores, nutrices, patresfamilias, uxores, &c. Narrationes habemus plurimas, quomodo internus motus educeat alicujus ex cognatione mortem. Memini, cum Lutetiæ commorarer, pater viveret Londini, duos tresve ante ejus obitum dies somniasse, ædes nostras ruri sitas nigri fuisse cæmenti tectoria incrustatas; quod variis nobilibus Anglis memoravi. Sermonibus evulgatur (an vanis, equidem ignoro) viros uxoris amantes & benignos percepisse uxoris partum ex symptomate quodam in suo corpore.

987. Proximus post cognatione junctos, gradus occulti transitus & instinctus naturæ dari possit inter amicos & inimicos. Est & ubi tertio quid ex revelatione innotescit, non ex inimicis alteri. Recordor ex lectione Philippi Cominei (scriptoris gravis) Archiepiscopum Viennensem (præsulem prorsus reverendum) quodam die finita missa dixisse Ludovico undecimo regi Franciæ, ô Rex, capitalis tuus inimicus obiit, eo tempore quo Carolus dux Burgundiæ occisus est in prælio Gransoniensi adversus Helvetios. Tentari posset, an pacto aut conventioni hic quicquam liceat; ut si duo amici se obstringant, se tali cujuslibet septimanæ die, locis disjunctissimos; alterum pro altero preces concepturos, aut annulum aut monile gestaturos in gratiam alterius, utrum si à voto alter resiliat, promissumque rescindat, alter id persentiat absens.

988. Si vis imaginationi & affectibus singulorum tribuenda; probabilius est, majorem eam reperiri in conjunctis imaginationibus & affectibus multitudinis; ut in victoria aut strage disjunctissimus in terris edita, at non percipi queat in populo, cujus intersit, ex magno gaudio aut mœrore, qui multos sæpe uno temporis momento invadit? Pius Quintus, ipso puncto, quo Christianis obtigit memoranda victoria adversus Turcas navali ad Echinadas prælio, cũ in consistorio causis cognoscendis vacaret, repente exiliit, proximeque adsidentibus dixit, tempus requirit ut Deo gratias agamus pro insigni victoria nobis contra Turcas concessa: cujus hic velut sympathia cum ipsius spiritibus apparet, cum Soli ipsius operæ deberetur ista unio. Forte & revelationis divinæ negotium est. Sed quid respondebimus tũ ad exempla & Græca & Romana? cum populus theatris & ludis indulgens victoriæ & stragis certior factus est paucis ante nuncii adventum diebus.

Sed in hisce rebus generalis ex superstitione ratio locum sibi vindicat; nempe, quod homines ad animum

animum revocant facta ab eventu notanda, quæq; scopo non excidunt, languida attentione ad ea quę illudente fortuna aberrant; alterumq; memoriæ, alterum oblivioni traditur. Sed quantum ad divinationem & aberrationem sive defectionem, agemus de iis in generali de natura animorum, animarum, & spirituum tractatu.

989. In præcedentibus regulas quasdam robotandæ imaginationi (*Vide Exper.* 957.) præstruximus; propositis quoq; instantiarum paucis, & directione quoad vires imaginationis in bestias, aves, &c. in plantas, in corpora inanimata. Atq; in hisce omnibus observandum, ut experimenta fiant per leves & subtiles motus, non contra. Ope imaginationis enim facilius avem à cantu cohibeas, quam esu, & volatu, cuilibet deinde arbitrarium facio experimentorum selectum, ut quæ sibi videtur commodissima, traducat in aleam tentamenti. Nunc pauca tantum dabimus exempla singularum ex tribus istis specierum.

990. Adhibe imaginantem aliquem (observata præscripti norma) ut constringas avem ne cantet, canem ne latret. Experire imagitionem quorundam quos usui ac commodis robores, ut in conflictu gallorum gallinaceorum, ut alteri crescat audacia, alter reddatur imbellior. Tentetur idem in volatu accipitrum; dum venatis feras ut lepores; in canibus venaticis, in equorum cursu, similibusque motibus comparativis. Facilius enim ope Imaginationis acceleraveris aut tardaveris motum, quam excitaveris aut stiteris; ut facilioris operæ est, canis cursum lentescere, quam simul & semel hærere velut ligato motu.

991. In plantis quoq; vim imaginationis experiri licet, quoad motus leviores, ut repētinum marcorem, aut vegetam earum adolescentiam, aut inclinationem hac aut illac, aut constrictionem & explicationem, &c.

992. Vires imaginationis quoad res inanimatas ostendet inhibita cerevisiæ fermentatio, fæcibus illi admistis; aut butyri aut casei apparatus, agitato lacte & coagulo indito.

993. Prisca traditio est ab omnibus adducta loco exempli occultarum proprietatum & influxuum, de torpedine marina, quæ tangentis manum immisso per longum etiam bacillum stupore ligat. Est species operationis ad distantiam, si medium apte continuetur; sic impulso arcus nervo, tonus aurem feriet, si cornu eam admoveris.

994. Apud scriptores naturalis magiæ decantatissima virtus est partium ex animantibus, modo illibata eorum vita separentur, quasi vivum animal partibus separatis infunderet immateriatæ virtutis vigorem. Hactenus constat veritas, quod pars animalis recens mactati majore vi polleat, quam ex simili animali sponte mortuo; quia magis abundat spiritibus.

995. In Experimentum quoq; traducere liceat ad partes ex individuis plantarum & animalium; ut si partem taleæ resectam putrescere sinas, exploraturus reliquumne taleæ exarescat; aut partem ex cauda aut cruce canis felisve abscissam, an putrescendo obsit curationi partis relictæ.

996. Ferunt annulum, armillamve ex crinibus, amasiæ gestatam pascendo amori conducere. Forte quod excitet imaginationem; futura chirothecæ eadem vi, aut alterius rei favorem testaturæ.

997. Sympathia individuorum, quæ fuerunt integra, aut ex contactu, omnium maxime fidem superat. Quare in penitiori ejus examine versati libet ex methodi nostræ instituto. Triviale est, verrucas tolli, si quod affricueris, putredini permiseris. Fides mea hic minus vacillat, quia proprio experimento refragari nefas, puer admodum in digito verrucam habui, circa annum ætatis meæ decimum sextum cum Parisiis degerem, sensim in utraque manu sub nascentibus pluribus, ad minimum centum, mensis spatio. Angli oratoris uxor, fœmina minime superstitiosa, dixit quodam die, velle se quicquid verrucarū manus fœdabat, tollere. Post accepit lardi particulam, pelle non exutam, cujus pinguedine illevit omnes verrucas & inter eas quæ pene mihi eousq; fuerat coæva. Clavo deinde affixam lardi particulam ad postem fenestræ cubiculi sui, quod meridiem spectabat, Soli exposuit putrefaciendam. Successus fuit, quod omnes verrucæ intra septem menses prorsus evanuerunt; etiam illa, quæ reliquas ætate anteibat. Non miror brevi tempore natas brevi fuisse emortuas; sed illius interitus, quæ per tot annorum spatia superstes inhæserat manui, adhuc animo meo obversatur. Idem effectus tribuitur Sambuco, si perfricandis verrucis adhibeas viride ex ea bacillum, quod postea fimo impositum putrefaciat. Tentari posset in clavis pedum & strumis atq; ejusmodi excrescentiis; in partibus etiam animantium, quæ excrescentiis maxime sunt affines, ut cristis & calcaribus gallorum, bestiarum cornibus, &c. modus tentandi sit duplex, ut vel perfricentur partes lardo aut sambuco, ut in antedictis; aut partibus illis in minores resectis, habeas quæ consumendæ relinquantur, videasque quid consumptio particulæ separatæ valeat in aliquando conjunctam.

998. Invaluit apud plurimos opinio, ferro & quicquid vulnus inflixit inuncto, vulnus sanari. Ex relatu viri fide dignissimi (quanquam hactenus induci nequeo ut credam experimentis) hæc sequentia notabis. Primo, unguentū armarium constare variis ingredientibus, inter quæ admirandum maxime & comparatu difficillimum, muscus ex cranio cadaveris insepulti, pinguedo ursæ, & ursa in partu enecata. In duobus posterioribus facile suspicor quæsitum esse refugium ut, si non succederet curatio, prætendi posset, bestias non fuisse occisas suo tempore. Musci magnam copiam suppeditat Hibernia ex corporibus peremtis, in cumulum congestis, & insepultis. Reliqua ingredientia sunt, hæmatites in pulverem redactus, & alia quædā sanguinem sistentia, quod & muscus facit. Descriptio totius unguenti exstat in dispensatorio Chymico Crollii. Secundo, unguentum illud non vulneri sed ipsis armis applicatū exercere vim. Tertio (quod perplacet) ad confectionē unguenti non requirunt certam constellationem; usitato ignorātiæ latibulo in medicamentis magicis; si frustrētur, non præparata fuisse sub eo signo, quod in cœlo cōfectioni destinatur. Quarto, potest armis applicari, etiā ægro ad longa intervalla remoto. Quinto, non videtur necesse ut imaginatio sanandi concurrat; cum curari læsus possit etiam sine ulla ejus, quod intenditur, notitia. Atq; hactenus experientia testis est, unguēto ex. gr. abstersо ab armis ignorante vulnerato, recruduisse dolores, donec arma iterum inungerentur. Sexto asserunt, si armorum

copia

copia non detur, sufficere si instrumentum ferreum ligneumve, formæ non dissimilis, vulneri inseratur, ut sanguinem mittat; cujus inunctio æque ad curationem momentosa. Illud confictum puto, ut mira sanandi ratio magis expetatur, & usurpetur; cum sæpius arma desint. Septimo, vulnus prius expurgari debet vino albo aut urina hominis læsi, deinde arcte tenui linteo obstringendum, quod ante peractum curationis officium ne removeatur. Octavo, gladius rite involucro tegendus, ne pars inuncta vento exponatur. Nono, unguenti gladio abstersi & servati posse geminari ministerium; auctaque potius quam imminuta ejus virtute. Decimo, multo citius sanare quam alia unguenta vulneraria. Ultimo, curatio in homine & bestia futura est pari successu; quod præ cæteris mihi arridet, cum facilius res tota explorari possit.]

Experimentum unicum spectans occultas proprietates.

999. Velim homines sciant, quamvis reprehendatur à me supina in exquirendis rerum causis negligentia; dum illæ tribuuntur occultis facultatibus, & proprietatibus (remora & lethalis sopor institutæ ad ulteriorem scientiam indaginis) non statuere me tamen, quin multum relinquendum sit probationi per experimenta in practica cognitionis parte, quo tam exacte non penetrat judicatio; idque non solum in specie, sed in individuo. Sic in Medicina, si curare cupis morbum regium, non sufficit dicere non medicamentum sit refrigerans, cum deobstructionem impediat, quam morbus requirit: ne sit calidum, cum choleram exasperet, ut ad vesiculam fellis penetret, in ea enim obstructio hæret, morbi causa, &c. Sed ab experientia est recipiendum, quod pulvis chamæpytis aut similis sumptus in cerevisia morbo regio medetur. Rursum, prudens medicus non continuo idem medicamentum fallat successus spem. Remedia enim morbi regii, calculi, febrium, &c. quæ alibi prosunt, alibi obsunt; secundum eam, quæ intercedit medicamento cum corpore individuo, convenientiam.

Experimentum unicum spectans generalem sympathiam spiritus humani.

1000. Voluptas, quam in hominibus gignit popularitas, fama, honor, submissio, subjectioque animorum, voluntatum, affectuum (quanquam illis expetendis alius finis proponi queat) videtur res grata & indoli humanæ conveniens, neque admittere ulteriorem contemplationem latius patentis consequentiæ. Sed profecto attendenti occurrit profundior significatio, quasi omnes spiritus & animi humani ex uno limbo divino prodierint. Alioquin enim, qui homo tantopere afficeretur iis, quæ alii mente concepta proferunt? Optima animi temperies & constitutio expetit solide bonam famam & verum honorem; levior, popularem auram captat, & poplicolæ titulo applausuque fruitur. Pejor expetit subjectionem & tyrannidem molitur, ut patet in victoribus gloria affectata cumulatissimis, & mundi turbonibus. Magis tamen id dilucescit in Archi-hæreticis, cum introductio novitatis in doctrina salutis, species sit tyrannicæ dominationis in intellectum & fidem humanam.

Finis Centuriæ Decimæ & ultimæ Historiæ Naturalis.

Excogitatum Bacono remedium Podagræ, quo spectat Exper. 60. hoc ordine constat.

I. Pultis præscriptum.

RECipe panis similaginei circa tres uncias, medullam tantum minutim scissam; coquatur in lacte donec coalescat in pulticulam. Adde in fine drachmam & semi pulveris rosarum rubrarum, Croci decem grana. Olei rosarum unciam. Linteolo illinatur, & applicetur tepide, & continuetur ad tres horas.

II. Balneum aut fomentatio.

℞. Foliorum salviæ semi manipulum. Radicis cicutæ concisæ sex drachmas. Radicum Brioniæ semi unciam. Foliorum rosarum rubrarum duos pugillos. Coquantur in olla aqua repleta in qua chalybs exstinctus, donec liquor ad quadrantem consumptus fuerit. Post percolationem adde semi-pugillum salis nigri; admoveatur cum coccineo panno aut lana coccinea intincta in liquore calido tinctura septies repetita. Fiant hæc spatio quadrantis aut paulo plus.

III. Emplastrum.

℞. Emplastrum Diacalciteos quantum satis parti tegendæ. Dissolvatur in oleo rosarum tali consistentia ut adhæreat, illinatur linteolo tenui & applicetur.

FINIS.

NOVUS

NOVUS ATLAS,
Opus imperfectum.

LECTORI.
S.

FAbulam hanc Novæ Atlantidis eo animo confinxit honoratissimus auctor, ut in ea modulum quendam & descriptionem Collegii, ad interpretationem naturæ, & operum magnitudinem ac potentiam, instituti, exhiberet: idque nomine domus Salomonis, *sive* Collegii operum sex dierum, *insignirei. Atque eousque sermonis filum produxit, donec hoc conficeret. Modulus, (fateor) pro more Poëtices, grandior & celsior est, quam qui, in omnibus, imitationi pateat; verum tamen in pleriq; industria hominum sibi non diffidat. In animo etiam habuit, hac ipsâ in* fabulâ, librum de legibus, *sive de* optimo Civitatis statu, *exarasse; sed cum opus hoc prolixum futurum prævideret; nec non* Historiæ Naturalis colligendæ, *aliorumq; instaurationis partium contexendarum (quas longe potiores duxit) desiderio abriperetur; hic pedem fixit.*

FRANCISCI BACONI DE VERULAMIO
NOVUS ATLAS.

NAvigabamus è *Peruvia* ubi per annum integrum commorati sumus: petebamus autem *Chinam*, & *Japoniam*; commeatum in duodecim menses nobiscum portantes; atque per spatium quinque mensium, & amplius, ventis secundis ab Ortu flantibus, licet lenioribus & remissioribus, usi sumus. Tum vero vertit se ventus, & ab Occidente, per multos dies, constanter spiravit; adeo ut progredi lente admodum possemus, atque de reditu quandoque cogitaremus. Sed tunc rursus orti sunt Austri fortes & vehementes, cum inclinatione nonnulla in Orientem; qui nos (quantum fieri potuit) contra nitentes, versus Septentrionem compulerunt: quo tempore commeatus noster, (etsi parce admodum eum distribuissemus) penitus absumptus. Itaque, cum nos ipsos, in medio vastissimæ, per universum Orbem, aquarum eremi, positos videremus, absque commeatu, perditos nos plane putabamus, & mortem propinquam expectabamus. Attamen corda nostra, & voces, ad *Deum* in *Cœlis* levavimus; *Qui Mirabilia sua in profundis monstrat*; eum precantes, pro Misericordia sua, ut, quemadmodum in principio, *Congregationes Aquarum* mandavit, & *Aridam* apparere fecerat; ita tunc quoque terram nobis ostenderet, ne peritemus. Contigit autem, ut die sequente, sub vesperi, intra modicam distantiam, cerneremus, Septentrionem versus, tanquam Nubes spissas: quæ nobis de terra spem injecerunt, satis gnaris, tractum illum *Maris Australis*, penitus incognitum fuisse: atque Insulas, & Continentes, adhuc non detectas, complecti potuisse; itaque cursum, tota illa nocte, eo direximus, ubi terra se, ut conjiciebamus, ostenderat: atque illucescente die postero, manifestum fuit, id quod videramus, terram revera fuisse, depressam quidem & silvosam; quod eam magis obscuram monstraverat. Atq; post sesqui-horæ navigationem, Portum Tutum appulimus: Portum urbis cujusdam, non magnæ quidē, sed pulchre exstructæ, & quæ, ex qua parte Mare spectabat, elegantiam magnam præ se tulit. Nos vero singula momenta tarda æstimantes, quibus à terra abessemus, ad littus properavimus, & ad descensum in terram nos comparavimus. Confestim autem vidimus, nonnullos ex populo urbis, cum bacillis in manibus, qui nutu & signis, nos in terram descendere prohibuerunt: absque tamen clamoribus, aut ferocia. Unde, haud parum contristati, quid faciendum esset, apud nos deliberamus. Interim perrexit versus nos scapha haud magna, octo circiter viros vehens; quorum unus in manu gestabat baculum ex arundine lutea, ad utrunque finem cæruleo colore imbutum. Qui navem nostram fidenter conscendit. Cumque vidisset unum è nostris obviam illi prodeuntem, è sinu extraxit Rotulum quendam pergamenæ, (sed pergamenta nostra paulo flavioris, atque ad instar Foliorum Codicillorum splendentis, alias autem mollis satis & flexibilis.) Eique in manum dedit, qui primus è nostris se obtulerat. In quo Rotulo, Lingua Hebraica prisca, Græca quoque prisca, Latina satis pura, & Hispanica, scripta erant hæc Verba; *In terram ne descendatis; nedum quispiam è vestris. Quin & discessum ab his Oris maturate, intra sexdecim dies, nisi licentia vobis diutius morandi concedatur. Interea, si aqua vobis opus sit dulci, aut commeatu, aut Medicina & curatione pro agrotis, aut si navis vestra reparatione indigeat, singula, quibus caretis, in scriptis exhibete. Nos autem Officiis ullis misericordiæ vobis non deerimus.* Rotulus iste, sigillo firmatus erat, *ex alis Cherubim*, minime expansis, sed deorsum pendentibus, & juxta eas *Cruce*. Hoc tradito, *Minister* ille discessit, & unum ex famulitio suo nobiscum reliquit, qui responsum nostrum reportaret. Cum jam apud nos, de hacre deliberaremus, timidi & anxii hærebamus. Arceri à descensu in terram, & moneri de præpropero nostro discessu, male nos afflixerunt. Contra, cum videremus, populum illum *Linguas* externas callere, tantaq; humanitate præditum esse, consolationi nobis erat non exiguæ: ante omnia, signum *Crucis* instrumento appositum, singulari gaudio nos affecit, tanquam salutis augurium manifestum. Responsum à nobis est *lingua Hispanica; Navem nostram satis commode se habere, quandoquidem malacias, & ventos contrarios potius experti essemus, quam tempestates: quantum*

um ad ægrotos nostros, eos plurimos esse, quin & graviter laborantes, ita ut nisi descensus in terram illis permitteretur, de vita periclitarentur. Alia, quibus carebamus, speciatim exhibuimus, addentes; *Adesse nobis merces pauculas, quas si eis emere placeret, necessitatibus nostris subveniri posse, ne illis oneri essemus.* Obtulimus servo præmium exiguum in ducatis, & holoserici carmosini parcellam, quæ *Ministro superiori* offerretur; sed ille non accepit, imo vix aspicere sustinuit: atque ita, in alia parva scapha, quæ ad eum missa fuit, discessit.

Tribus plus minus horis elapsis, postquam servus responsum nostrum accepit, lembo versus nos devectus est. *Vir* (ut videbatur) ex *Magistratibus.* Indutus erat toga cum manicis amplis, ex cameloto, coloris cærulei pulcherrimi, splendidioris multo quam nos in *Europa* habemus: tunica interior viridis erat; & similiter galerus ejus, qui factus erat in figuram Turbani, eleganter compositi, neque prægrandis, qualia solent esse Turcica; atque capillorum suorum cincinni, infra oram Turbani dependebant. Vir sane aspectu venerabilis. Vectus est in lembo, aliqua ex parte inaurato, quatuor solummodo viris in eodem lembo, comitatus. Alius autem à tergo sequebatur, in quo erant viri circiter viginti. Quamprimum intra spiculi jactum venisset, signis quibusdam è lembo moniti sumus, ut aliquos è nostris ad illum mitteremus. Id quod statim fecimus, in navis nostræ scapha; virum ex nostris, (uno excepto,) primarium mittentes, & quatuor cum illo. Cumque circiter sex virgatas à lembo abessemus, jubebant ut nos sisteremus, nec propius accederemus. Quod & fecimus. Tum vero vir, quem modo descripsi, in pedes se erexit, & alta voce *Hispanice* interrogavit; *Num Christiani estis?* Respondimus; *Christianos nos esse:* minus metuentes, quia signum *Crucis* in instrumento illo videramus. Ad quod Responsum, dexteram ille versus Cœlum sustulit, & deinde leniter ad os suum adduxit; qui gestus, in usu illis est; cum *Deo* gratias agunt. Tunc autem perrexit; *Si jurabitis (Vnusquisque Vestrûm;) per merita Servatoris, piratas vos non esse; nec sanguinem humanum effudisse, sive jure, sive vi, intra spatium quadraginta dierum, ultimo elapsarum; licentiam obtinebitis in terram descendendi.* Respondimus; *Paratos nos omnes esse ad illud Iuramentum præstandum.* Unde unus ex comitatu ejus, qui videbatur *Notarius* esse, illud in scriptum redegit. Quo facto, alter è comitatu *Viri* illius primarii, qui in eodem lembo vehebatur, postquam *Dominus* in aurem ei quidpiam locutus esset, alta voce dixit: *Dominus meus, hoc vobis notum esse velit, non ex superbia, aut fastu esse, quo minus navem vestram conscendat; sed quia ex Responso vestro innotescit, plurimos inter vos se male habere, à conservatore sanitatis in urbe monitus erat, ut ad aliquam distantiam colloqueretur.* Submisso capite nos inclinavimus, & respondimus; *Servos ejus humillimos nos omnes esse; magnoque honori ducere, & singulari suæ humanitati tribuere, id quod jamdudum factum esse: sed sperare nos, morbum illum, quo ægroti nostri laborant, contagiosum minime esse.* Ita *Vir* ille primarius reversus est. Paulo post adfuit *Notarius*, & navem nostram conscendit; in manu sua fructum quendam ejus regionis tenens, Aurantio non absimilem, verum colore magis in coccineum vergente, qui odorem spirabat suavissimum. Illum, (ut videtur) gestabat, ut ei, contra contagionem, antidoti vice esset. Exhibuit autem nobis juramentum: *Per Iesum Dei filium, & merita ejus;* Ac deinde nobis dixit, postero die, ante Solis exortum, affuturum, qui nos accerseret, ac ad *Domum Peregrinorũ* perduceret, ubi præsto nobis esset, quæcunq; necessaria, sive pro ægrotis, sive pro sanis. Sic à nobis discessit: cumq; ei aureos aliquos obtulissemus, subridens dixit: *Se binum salarium, pro una opera accipere non debere.* Quorum verborum (ut arbitror) sensus erat, quod salarium è publico, ob operam suam, reciperet. Nam (ut postea intellexi) Officiarium, qui præmia accipit, *Hominem bini salarii* vocant.

Postero mane, diluculo, accessit ad nos *Minister* ille, qui primus, cum arundine sua nos adierat; & retulit: se venisse, ut ad domum peregrinorum nos deduceret: *Se autem horam anticipasse, ut commoditatem integri diei, ad negotia nostra haberemus. Si autem (inquit) mihi auscultabitis, primo mecum aliquos vestrûm mittetis, qui locum circumspiciant, & quomodo optime ad vos recipiendos accommodari possit, postea autem ægrotos vestros accersetis, & reliquos, quos in terram descendere vultis.* Gratias ei egimus, & diximus; *Curam hanc, quam pro peregrinis miseris suscepit, Deum pro certo remuneraturum.* Itaque sex è nostris eum comitati sunt. Præit ille, & respiciens ad nos, dixit perhumane certe: *Se servum nostrûm tantùmmodo commodo esse; & viæ ducem.* Duxit autem nos per tres plateas, pulchras admodum: atque per totam, quam pertransivimus, viam, haud pauci è populo, ad utrumque latus congregati sunt, ordine stantes; verum more adeo civili, ut viderentur non tam ad otiosum spectaculũ convenisse, quam ut adventum nostrum gratularentur. Multi autem ex iis, cum incederemus, brachia sua paululum aperuerunt: quo gestu utuntur, cùm adventum alicujus, sibi gratum esse, significare volunt. *Domus peregrinorum*, ædificium est speciosum & spatiosum, extructum ex lateribus nostris, colore paulo magis purpureis: cum fenestris decoris, aliquibus ex vitro, aliquibus autẽ ex panno linteo delicato, oleo intincto. Deduxit nos primo in cœnaculum satis elegans, super gradus locatum: tunc autem à nobis quæsivit; *Quot numero essemus?* Et; *Quot è nostris ægroti?* Respondimus: *Vniversum numerum, tam sanorum, quam ægrotorum, esse ad unum & quinquaginta homines: ex quibus ægroti erant septendecim.* Rogavit nos, ut aliquantisper præstolaremur, dum ad nos rediret. Quod post horam circiter fecit. Tum vero adduxit ad cubicula visenda, quæ nobis parata erant, numero novendecim: computatione scilicet inita, (quemadmodum videtur,) ut quatuor ex illis cubiculis, quæ reliquis nonnihil præstabant, quatuor ex Primariis nostris, exciperent, in quibus seorsim cubarent; reliquorum quindecim singula binis assignarentur. Cubicula elegantia erãt, & lucida, nec non suppellectili satis lauta ornata. Tum demum in porticum longam divertimus; qualia solent esse *Dormitoria Monachorum*; ubi ostendit nobis, per latus unum integrum, (nam latus adversum nihil aliud erat, quam paries, & fenestræ) cellas septendecim, nitidas, partitiones habẽtes ex Cedro.

Quæ

Quæ porticus, cum cellis, numero quadraginta, (multo scilicet pluribus, quam nobis opus erat,) instituta erat ad usum infirmorum. Simulque monuit, quod quamprimum aliquis ex ægrotis convalesceret, transferri posset è cella in cubiculum. Ad quem usum parata erant decem alia cubicula, præter illa, de quibus ante diximus. Hoc facto, in cœnaculum nos reduxit, & attollens paululum arundinem suam, (quod in more illis erat, quoties *Ministri* mandata Superiorum referunt,) ita ad nos locutus.

Notum vobis facio, consuetudinem Regni hujus postulare, ut post diem instantem, & crastinum, (quos vobis ad transferendos è navi homines, & res vestras, permittimus) contineatis vos ipsos, intra fores hasce, in triduum Veruntamen, hoc vos non perturbet, neque propterea intra carcerem vos compingi existimate; sed potius indultum hoc esse, quo ab itinere vestro spiritus recreetis & reficiatis. Nullius rei egebitis. Quin & sex famuli assignati sunt, qui vobis ministrent, & negotia vestra expediant. Gratias ei egimus, cum omni affectu, & humilitate: & diximus: *Deus procul dubio in hac terra manifestatur.* Obtulimus ei etiam viginti aureos, sed ille quoque subridens, hoc solum dixit: *Quid, vultis me esse hominem bini salaris!* sic abiit. Paulo post, prandium nostrum allatum est: quod certe satis lautum, & salubrem victum, tam respectu ciborum, quam potus, exhibuit: meliorem certe & uberiorem, quam pro modulo Collegii ullius, quantum novi, in *Europa*. Potus erat trium generum: unumquodq; eorum bonum & salubre: Vinum ex uvis: potus ex granis, qualis est apud nos cerevisia, sed clarus & limpidus: & siceræ, genus ex fructu quodam ejus *Regionis* confectum, potus sane gratissimus, & miri refrigerii. Allata etiam est nobis magna copia Aurantiorum illorum coccineorum, in usum ægrotorum: ajebant enim, ea præsens & efficax esse remedium contra ægritudinem in navigatione contractam. Præterea, pyxidem nobis tradidit, pillulis albescentibus sive cineritiis, plenam: monuitque, ut ægroti nostri, unam earum, singulis noctibus, in introitu lecti, sumerent: quas dixerat sanitatem eorum acceleraturas. Proximo die, cum à labore & opere, circa vecturam hominum, & rerum nostrarum è navi, requievimus, visum est mihi, socios nostros in unum convocare: cum autem convenissent, ita eos allocutus sum: *Amici mei charissimi, noscamus nos ipsos, & quo loco res nostræ sint. Viri sumus, in terram projecti è mari, sicut Jonas è ventre Balenæ, cum in alto veluti sepulti essemus. Iam vero, licet terram rursus calcamus, inter vitam tamen, & mortem, medii consistimus. Etenim fines, & veteris & novi Orbis, prætervecti sumus. Atque utrum nobis Europam rursus conspicere dabitur, soli Deo notum. Miraculo quodam huc advecti sumus, atque à miraculo prope aberit, si hinc abvehamur. Quocirca, Salutem præteritam ac pericula præsentia, & futura, animo recolentes, ad Deum nos convertamus, corda levemus, & vias nostras singuli corrigamus. Præterea, ad populum Christianum, pietatis & humanitatis plenum, venimus: curemus (quæso,) ne illam facies confusionem, super nos inducamus, ut coram illis vitia nostra, aut malos mores, palam faciamus. Adhuc restat amplius. Illi enim, (etsi sub humanitatis forma) nos hujusce domus claustris ad triduum conclusérunt, quis novit, num nam hoc faciant, quo morum nostrorum experimentum sumant: quos si repererint pravos, confestim exulare nos jubebunt; sin probos, moram hic longiorem indulgebunt: Quos enim assignarunt, famuli isti, quidni etiam speculatorum vices agant? Itaque, propter amorem Dei, atque si charum nobis sit bonum animarum & corporum nostrorum, ita nos geramus, ut & pacem cum Deo habeamus, & gratiam in oculis populi hujus inveniamus.* Socii nostri, una voce mihi, de iis quæ admonueram, gratias egerunt, promiseruntque sobrie se & modeste victuros, absque scandalo vel minimo. Itaque tres illos dies læti, & curis vacui, peregimus, nihil soliciti de eo, quod nobis post triduum illud, contingere posset: quo etiam dierum curriculo, assidue propter convalescentiam ægrorum nostrorum, exhilarati sumus. Qui se, velut in *Probaticam* aliquam divina sanandi virtute præditam, missus existimabant: tam celeriter siquidem, & constanter convalescebant.

Crastino post illud triduum elapsum, venit ad nos Homo novus, quem antea non videramus, veste cærulea amictus, quemadmodum & prior, nisi quod Turbanum ejus album esset, cum *Cruce* parva, rubea in vertice. Habuit etiam Liripipium circa collum, ex linteo purissimo. Sub introitum suum paululum se inclinavit, & brachia sua nonnihil explicavit. Nos vero eum resalutavimus, modo admodum humili & submisso, ab ore ejus sententiam, vel vitæ, vel mortis expectantes. Postulavit, ut cum paucis aliquibus hominum nostrorum colloqueretur. Itaque sex tantum manserunt, cæteri se subduxerunt. Tum ille: *Ego quidem* Domus *hujus* peregrinorum *officio Præpositus sum*; *Vocatione autem* Presbyter Christianus. *Itaque jam accessi, ut operam meam, vobis, in omnibus, præstarem, tanquam peregrinis. Sed præcipue tanquam Christianis. Nonnulla habeo quæ vobis referam, quæ (ut arbitror) non illibenter audietis. Status iste licentiam vobis dedit per sex septimanas ulterius commorandi. Neq; vos conturbet, siquidem negotia vestra spatium amplius postulent: nam neque lex ipsa Regni, in hac parte, rigida est; tum vero minime dubito, quin & ipse vobis comperendinationem temporis istius, prout res vestræ flagitabunt, procurare possem. Quin & insuper narro vobis domum hanc peregrinorum, isto tempore, sat ditescere, & pecunia numerata bene instrui: reditus enim suos accumulavit, jam per septem & triginta annos: tot enim effluxerunt, ex quo peregrinus aliquis ad has partes appulerat: itaque de impensis vestris solliciti ne sitis; sumtus, quamdiu hic manseritis: è publico ærario ministrabitur: neque vel punctum temporis, hujus rei caussa, de mora vestra decidet. Quantum vero ad merces, quas adduxisse dicitis, nullæ vobis imponentur conditiones duræ, sed justis pretiis eas vendetis, valorem earum accipientes, vel in mercibus aliis, vel in auro & argento: nostri enim nihil interest. Sin vero quicquam sit, quod à Statu isto petere velitis, illud nos ne celetis. Reperietis enim, nos responsum tale relaturos, quo vultus vester minime decidat, aut contristetur. Hoc tantum vobis edico, ne quis vestrum, Karannæ longius, (illa apud eos sesquimilliari æquivalet,) à mœnibus urbis abscedat, sine licentia speciali.* Respondimus, postquam nos vicissim intuiti essemus,

gratiosam hanc & quasi paternam benignitatem admirantes, non habere nos, quod diceremus, cum & gratiis agendis verba non suppeterent, & prænobilis ejus & inopinata munificentia, omnia, quæ à nobis petenda essent, præoccupasset. Nos certe cogitationem illam subite, quasi effigiem Salutis æternæ, in Cœlis, ante oculos haberemus: siquidem, qui paulo ante, in faucibus mortis constituti eramus, adductos jam esse in locum, ubi consolationes perpetuæ, & nil aliud, spirant. Quantum ad mandatum nobis impositum, obedientiam summam præstituros, etsi fieri non posset, quin corda nostra, ardentissimo, sanctam illam & felicem terram ulterius visendi, desiderio, inflammarentur. Adjecimus; *Linguas prius faucibus nostris adhæsuras*, quam nos mentionem, vel personæ ejus venerandæ, vel gentis hujus universæ, in præcibus nostris, omitteremus. Supplicavimus etiam ei, ut nos in numero sevorum suorum verorum merito, & fidorum, reputaret, jure non minore, quam quo unquam mortales mortalibus devincti fuerint: itaque nos ipsos, & omnia nostra, ad pedes ejus, humiliter projicere. Dixit; *Sacerdotem* se esse, & *Sacerdotis mercedem* expectare; id est, Fraternum amorem nostrum, & bonum animarum & corporum nostrorum. Ita à nobis discessit, non sine lacrymis, præ teneritudine animi, obortis, nos quoq; reliquit gaudio & affectu gratitudinis confusos, & perculsos, atque invicem dicebamus, nos venisse in terram quandam Angelorum, qui nobis quotidie apparebant, & consolationibus præveniebant, quas ne cogitare quidem potuissemus, nedum expectare.

Die proximo, horam circiter decimam matutinam, denuo nos invisit *Præpositus*: & post salutationes utrinque factas, dixit familiariter: *Se venisse, ut nos visitaret, & tempus nobiscum tereret.* Tum cathedram poposcit, & consedit. Nos autem, numero decem, (nam cæteri aut inferiores erant, aut foras abierant,) circa eum sedimus: ac deinde ita exorsus. *Nos de* Insula *hac* Bensalem, (*ita enim eam vocant* lingua *sua*,) *hoc habemus: quod ob situm Insulæ nostræ solitarium: & leges peregrinantibus è nobis impositas, de terra hac celanda, & raram exterorum admissionem in regionem nostram, nobis quidem maxima pars Orbis habitabilis nota sit, ipsi vero aliis penitus simus incogniti. Itaque cum Quæstiones illis aptiores sunt, qui minus norunt, consentaneum est magis, ut vos me interrogetis, quam ut ego vos.* Respondimus: *Nos illi gratias maximas referre, quandoquidem hanc nobis licentiam indulgeret: tum ex iis, quæ jam observavimus, facile nos conjicere, non esse rem in mundanis cognitu digniorem, quam statum & conditionē terræ hujus felicissimæ. Sed ante omnia* (*diximus*,) *cum ab extremis terræ oris jam convenerimus, nec non in Regno Cœlesti nos olim conventuros speramus,* (*eo quod utrinque Christiani simus*,) *scire avemus, quandoquidem terra ista in tantum dissita sit, & vastis & incognitis maris tractibus, divisa, à terra illa, in qua Servator noster, dum in carne fuit, versabatur: Quis tandem hujus gentis Apostolus, & quibus modis ad Fidem conversa fuerit?* Facile erat, ex vultu ejus perspicere, gratam illi imprimis fuisse hanc quæstionem nostram: (*or meum*, (*inquit*) *vobis merifice attraxistis, quod quæstionem hanc primo in loco proponitis: Indicat enim, vos quærere primum Regnum Dei: Atque libenter, & breviter, postulato huic vestro satisfaciam.*

Annos circa viginti, ab Ascensione Domini, *factum est, ut conspiceretur à populo* Renfusæ, (*urbis maritimæ ad Orientalem plagam* Regionis *nostræ* sitæ,) *noctu*, (*nox autem erat nubila, sed placida*,) *juxta mille passus à littore, columna Lucis prealta: non figura pyramidali, sed veluti cylindri, à pelago versus cœlum erecta, & in vertice ejus Crux Lucis ampla, corpore columnæ aliquanto splendidior. Ad spectaculum hoc tam mirabile, congregatus est* (*ut sit*) *populus urbis, super arenas maris, & stabat paulisper attonitus: Verum paulo post scaphis parvis plurimi se commiserunt, ut rem tanti stuporis propius inspicerent. Verum, postquam scaphæ intra sexaginta circiter à columna virgatas, advenissent, ecce omnes subito se sistebant, nec ulterius procedere poterant: ita tamen, ut in circuitu movere, sed non accedere propius liceret: adeo ut scaphæ veluti in Theatro starent, lucem hanc tanquam scenam cœlestem spectaturæ. Evenit autem forte fortuna, ut in scapharum una, adesset quispiam ex Sapientibus nostris;* SOCIETATIS NIMIRUM DOMUS SALOMONIS: *Quæ* DOMUS *sive* COLLEGIUM, (*fratres mei charissimi*,) *oculus plane est hujusce* REGNI. *Qui postquam aliquamdiu, columnam hanc, una cum Cruce, attente, & devote contemplatus esset, in faciem se prostravit, & dein se in genua erigens, manusque ad Cœlum attollens, hujusmodi preces fudit.*

Domine Deus Cœli & terræ; ex gratia tua speciali, Ordinis nostri hominibus, dignatus es, opera tua creationis, & eorum secreta, nosse; atque dijudicare, (*quantum generationibus hominum datur*,) *inter miracula divina, opera naturæ, effectus artis, & illusiones dæmonum, cum imposturis omnimodis. Agnosco & testor coram hoc populo, Rem hanc quam ante oculos intuemur, esse Digitum tuum, & Miraculum Verum. Quoniam autem è Libris nostris didicimus, Miracula nunquam à Te edita, nisi ob Finem aliquem Divinum, & excellentem,* (*etenim Leges Naturæ Leges tuæ sunt, à quibus nisi magnam ob Caussam minime recedis;*) *humillime obsecramus, ut signum hoc magnum nobis fortunes, atq; ejus Interpretationem & usum in Misericordia concedas; id quod, dum idem ad nos mittis, tacite & secreto polliceris.*

Postquam ita precatus est, continuo Schapham, in qua vehebatur solutam sensit & mobilem, ceteris adhuc veluti ligatis manentibus. Illud in signum certum licentiæ appropinquandi interpretatus, scapham fecit placide, & cum silentio, versus Columnam, remigio impelli. Verum antequam ad illam pervenisset, Columna cum Cruce lucis dissipata est, & se undiq; tanquā in firmamentum quoddam Stellarum multarum vertit: Quæ etiam & ipsæ brevi evanuerunt: neque aliud restabat spectandum, præter ARCAM *quandam parvam ex cedro, siccam quidem, neque æqua ullatenus madefactam, etsi natare.* In parte autem ejus priore versus Sapientem, ramus palmæ, exiguus quidem & viridis, crescebat. Is, postquam plurima cum veneratione ARCAM in scapham suam recepisset, ecce ARCA sponte se aperuit, in qua reperti sunt, LIBER ET

EPI-

EPISTOLA: *uterque in membrana pura scriptus, & sindonibus linteis involutus.* LIBER continebat CANONICOS LIBROS *universos* VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, *prout vos illos habetis, (etenim satis scimus quos* LIBROS ECCLESIÆ *apud vos recipiunt:) atque* APOCALYPSIS *ipsa, & nonnulla alia ex* NOVI TESTAMENTI *scriptis, quæ eo tempore edita non erant, nihilominus eo* LIBRO *continebantur.* Quod vero ad EPISTOLAM, illa in hæc verba scripta erat.

Ego Bartholomæus, Servus Altissimi, & Apostolus Iesu Christi, monitus sum ab Angelo, qui in visione Gloriæ mihi apparuit, ut Arcam hanc maris fluctibus committerem. Itaque testor, & annuntio, ei populo, ad quem Deus ordinaverit hanc Arcam appellere; eo ipso die ad eos venire Salutem, & Pacem, & bonam Voluntatem, à Patre, & Domino Iesu.

Præterea in duobus his scriptis, tam *Libro*, quam *Epistola*, operatus est *Deus* miraculum insigne, illi, quod *Apostolis* ostendit, (*Dono* originali *Linguarum*) non dissimile. Etenim, cum eo tempore, in hac terra viverent, *Hebræi*, *Persæ*, & *Indi*, præter ipsos indigenas singuli in *Libro* illo, ac *Epistola*, legerunt, ac si in *Lingua* cujusque propria scripta fuissent. Hoc pacto, (fratres mei,) servata est hæc teria, ab infidelitate (quemadmodum & reliquiæ mundi veteris servatæ fuerunt ab aquis,) per *Arcam*, ope Apostolicæ & miraculosæ *Evangelizationis sancti Bartholomæi.* Atque hic loqui desiit. Quando nuncius quidam venit, qui eum accersivit. Sicque eo colloquio nihil aliud intervenit.

Die postero, statim à prandio, rursus ad nos venit *Præpositus*; seque excusavit, dicens; *Se pridie à nobis subito & inopinato avocatum, nunc vero rediisse, ut illud compensaret, tempusque nobiscum una insumeret, si modo gratum nobis consortium ejus aut colloquium fuerit. Respondimus, imo illud tam gratum nobis accidit, ut nec miseriarum præteritarum, nec periculorum futurorum memores simus, quamdiu colloquio ejus fruamur.* Addidimus, *existimare nos, horam unam, sermones cum illo conserendo, insumptam, annis integris vitæ nostræ prioris præstare.* Inclinavit se paululum, & postquam consedissemus, dixit: *Bene habet, quæstiones vestræ sunt.* Tum unus è nostris, parva interposita mora, ita dixit: *essemus quandam, cujus cognoscendi quidem avidi, interrogandi autem timidi essemus, ne forte nimio plus præsumpsisse videremur. Veruntamen singulari ejus erga nos humanitate confirmatos, (cum nos vix pro exteris ducamus, qui servi ejus addictissimi & devotissimi sumus,) ejus proponendi libertate usuros, humillime obtestantes, ut si responsione vix dignaretur, quæstioni tamen ignosceret, licet eam rejiceret.* Dixit; *Nos observasse satis, & memoria adhuc tenere, verba illa ab ipso prolata, terram hanc fœlicem, in qua jam pedem figimus, paucis admodum cognitam esse, atque nihilo secius plerasque orbis nationes satis nosse: id quod verum esse plane perspiciebamus, quandoquidem Linguas Europæ callerent, & res nostras in plurimis intelligerent, cum nos è contra in Europa, post tot & tam remotas navigationes, hac ætate postrema susceptas, nihil prorsus de hac Insula inaudiverimus. Hoc mirari satis non posse, cum nationes omnes, aut per peregrinationes in partes exteras, aut per adventus exterorum ad eas, sibi invicem innotescant. Licet autem, qui in natione extera peregrinatur, plus notitiæ & informationis visu nanciscatur, quam domi manens à peregrinante, auditu solo, addiscere possit, attamen, utroque modo, notitiam mutuam, aliqua ex parte, haberi posse. Verum quantum ad hanc insulam, nunquam nova ad nos allata, de alicujus navis, ab ea, ad oras nostras, appulsu, nedum ad littora Europæ, neque ad littora Indiarum, Occidentalis aut Orientalis, neque aliquid accepisse, de navi ulla, cujuscunque ea populi sit, quæ à terra hac redierit. In hoc autem, illud quod admirationem movet, non consistere, situm enim ejus, (ut Dominatio sua dixerat,) in tam vasti pelagi conclavi secreto, huic rei in caussa esse posse: verum, ut illi contra notitiam linguarum, librorum, rerum haberent, gentium ab iis tam immensis spatiis dissitarum, id omnem admirationem superare, neque nobis quomodo fieri hoc possit, ullo modo in mentem venire: nobis siquidem Divinarum Mentium & Potestatum, non autem hominum quorumvis conditionem videri, ut ipsæ occultæ & invisibiles lateant, cæteris interim illarum visui patentibus, & velut in aprico positis.* Ad hæc verba, *Præpositus* placide subrisit, & dixit: *Non sine caussa, veniam nos hujus quæstionis petere, siquidem innuere, ac si terram hanc, non aliam, quam terram* Magorum *duceremus, quæ spiritus aëreos, in omnes partes, emitteret; quorum ope & famulitio, quæcunque in aliis regionibus gererentur, pernosceret.* Omnes uno ore humiliter respondimus, vultu tamen ita composito, ut eum non alias quam joco hoc dixisse, præ nobis ferremus: nos sane facile in eam cogitationem venire, esse aliquid, in hac natione, plane supernaturale; illud tamen, potius *Angelicum*, quam *Magicum*, ducere: verum perspicue apud *dominationem* suam eloqueremur, quid tandem illud fuerit, quod scrupulum hunc, ne quæreremus, injecisset, nihil ex hac re sapuisse, sed quoniam in sermone præterito eum innuisse memineramus, gentem istam, de silentio erga peregrinos, per leges cavisse. *Ad hoc respondit:* recte quidem meministis: itaque in iis, quæ proferre apud vos instituo, nonnulla reservanda sunt, quæ omnino revelare licitum non est, haud pauca tamen supererunt, quæ satisfactionem vobis abunde præstabunt.

Intelligetis igitur, (id quod vobis fortasse vix credibile videbitur, ter mille circiter abhinc annis, aut paulo plus, navigationes Orbis terrarum, (præsertim in Regiones remotas,) majores fuisse, & magis strenue susceptas, quam hodierno die. Ne existimetis, nescire me, quantum apud vos creverint navigationes, intra annos centum & viginti proxime elapsos: satis mihi hoc cognitum. Et tamen, majores (inquam) fuerunt, eo tempore, quam nunc. Sive conservatio illa reliquiarum humani generis, per *Arcam*, à *Diluvio universali*, hac navigandi confidentiam hominibus indiderit, sive aliud quid in caussa fuerit. Sed utcunque, hoc quod dico, verum est. *Phœnices*, ac præcipue *Tyrii*, magnas habebant classes. Similiter habebant & *Carthaginenses*; Colonia ipsorũ, quamvis ad Occidentem magis sita sit. Ab Oriente vero, classes *Ægyptiorum*, & *Palæstinæ*, potentes erant, & numerosæ. China autem, & *Atlantis* magna, (quam vos

Americam vocatis,) quæ nunc Yuncas tantum & Canoas, habent, vi magna abundabant, illis diebus, navium grandiorum. *Insula* hæc nostra, (ut ex fidelibus ejus ætatis Historiis plane liquet,) instructatum fuit navibus mille quingentis, iisque fortibus, & magnæ capacitatis. De hoc, quod loquor, apud vos, exigua admodum, aut nulla est memoria, at nobis pro certo cognitum est.

Eo etiam tempore, ad insulam hanc, naves & carinæ, earum omnium, quas modo nominabam, nationum, appulerunt. Atque, ut fieri solet, naves illæ præter populares suos, vehebant multos, ex aliis *regionibus*, quæ ipsæ maritimæ non erant; veluti *Persas, Chaldæos, Arabes*, ita ut omnes fere nationes potentes & celebres, locum hunc adierunt: ex quibus nonnullas habemus stirpes, & tribus, usque in hodiernum diem. Quod vero ad naves nostras attinet, in omnes propemodum oras navigarunt, tam ad fretum vestrum, quod *Columnas Herculis* appellatis, quam ad alias, tum *Mediterranei*, tum *Atlantici* Maris regiones: veluti ad *Paguinum*, (Civitatem in *China* antiquissimam) quæ eadem est cum *Cambalu*, & *Quinze*, ad Orientale pelagus sita, non procul à finibus *Tartariæ Orientalis*.

Eodem præterea tempore, & seculo integro insequente, aut amplius, populi magnæ *Atlantidis potentes* admodum erant. Etsi enim narratio & descriptio, à viro magno vestri Orbis facta, (scilicet, progeniem *Neptuni* sedes suas ibi fixisse) tum de magnificis, Templo, Palatio, urbe, & colle, quin & de multiplicibus pulchrorum & magnorum fluviorum spiris, quæ (tanquam totidem torques,) Templum illud & Urbem cingebant; ac denique de gradibus illis insignibus ascensus per quos ad eadem perveniebatur, veluti per Scalam quandam Cœli, sit fabulosa & Poëtica: hoc tamen veritatis immiscetur, regionem illam *Atlantidis*, tam illam *Peruviæ*, tunc *Coyam* vocatam, quam illam alteram *Regni Mexicani*, tunc dictam *Tirambel*, regna fuisse, armis, classe, & opibus, potentia & superbia. Tam (inquam) potentia, ut eodem tempore, (vel saltem intra spatium decem annorum,) duas magnas expeditiones navales susceperint: hi nimirum de *Tirambel*, per *Atlanticum* mare, usque ad *mare Mediterraneum*; illi autem de *Coya* per *mare Australe*, usque ad hanc *insulam* nostram. De priore autem expeditione, videtur *auctor* ille vester, aliquid à *sacerdote Ægyptio*, quem citat, hausisse. Pro certo enim expeditio talis fuit. Utrum vero *Athienses* antiqui illi fuerint, qui copias illas repulerunt & profligarunt, atque hæc eis gloria tribuenda, non habeo quid dicam: illud extra omnem dubitationem, nec navem, nec virum, unquam ab ea expeditione rediisse, neque meliore fortuna usa esset classis illa *Coya*, quæ nos invasit, nisi in hostes clementiores incidisset. Etenim *Rex insulæ* hujus, (nomine *Altabin*,) vir prudens, & Imperator in bello optimus cui tum hostium, tum propriæ vires, satis exploratæ erant, ita rem gessit, ut copias eorum terrestres, postquam in terram descendissent, à classe eorum intercluderet, atque veluti indagine utrasque copias cingeret, majori exercitu quam illorum fuit, & terrestri & navali, sicque eos ad deditionem, absque prælio, compelleret: cumque in potestate sua essent, haud duriores conditiones imposuit, quam jus jurandum ab iis exigendo, se in posterum, contra illum nunquam arma laturos: quo facto eos incolumes omnes dimisit. Veruntamen *vindicta divina*, non multo post, superbos illos ausus ulta est, siquidem, intra curriculum centum annorum, aut minus, *Atlantis* illa magna omnino perdita & destructa fuit, non terræ motu absorpta, ut Vir ille vester affirmat. (Etenim tractus ille totus, terræ motibus parum est obnoxius.) sed per particulare diluvium, sive inundationem: quandoquidem etiam hodierno die, regiones illæ, majores habeant amnes, atq; etiam montes altiores, qui aquas in planities effundant, quam alia pars quæcunq; Orbis veteris. Sed illud verum est, inundationem illam non fuisse profundam, non amplius forsan, in pluribus locis, quam ad quadraginta pedes, unde factum, ut licet homines, & bestias, undique demerserit, silvestres nihilominus habitatores quidam montium evaserint, aves quoque in tuto fere fuerunt, ad montes, aut arbores prælatas, convolando. Homines vero, licet in aliquibus locis ædificia haberent altiora quam quo aquæ pervenire possent; inundatio tamen illa, licet minime profunda, diuturna fuit. Unde; qui in valle degebant, propter penuriam cibi, & rerum aliarum necessariarum, fame & inopia, perirent. Itaque, ne miremini, si *America* habitatorum tam rara sit, neque si populus ejusdem adeo simplex & barbarus existat. Etenim rationem sic instituere debetis; *populum Americanum* novum esse, & recentem (inquam) præ cæteris orbis habitatoribus, annis non minus mille. Tantum enim temporis intercesserat inter diluvium universale, & illud *Americæ* particulare. Siquidem tenues illæ & raræ humani generis reliquiæ, quæ in montibus manserant, in inferiores regionis partes, tarde sobolem dederunt; cumque essent homines feri, & omnium rerum rudes, (neutiquam *Noacho*, & filiis ejus similes, qui familia erant, ex universo orbe electa,) ad literas, artes, & vitæ cultum, posteris transmittendum, non sufficiebant. Atq; insuper, cum in habitationibus suis montanis, (propter asperrimum frigus regionū illarum, pellibus ursorum, tigridum, & caprorum magnorum & hirsutorum, qui in illis partibus abundant, vestire se consuevissent, postea autem in vallē descendentes, intolerabiles ibi fervores ferre non possent, neq; vestium magis levium ulla copia eis præsto esset, coacti sunt mortem nude incedendi introducere, qui apud illos, usq; in hodiernum diem, in usu est. Solummodo magna voluptate, & desiderio afficiuntur, avium plumas gestandi; atque hoc proculdubio, à traditione, & exemplo majorum, qui in montibus habitabant, hauserunt; qui ad hūc forte usum allecti fuerūt, ex innumera avium multitudine, alta petentium, cum ima aquis stagnarent. Videtis, (fratres) per casum hunc majorem, & temporis quasi miraculum, commercium nostrum cum *Americanis* cessasse, cum ipsi amplius non essent: cum quibus, supra omnes mortales, commercium antea habuimus, utpote regioni nostræ proximis. Quantum vero ad alias orbis partes, manifestissimum est, seculis succedentibus, sive propter bella mota, sive ex periodo & vicissitudine temporum, navigationes ubiq; majorem in modum elanguisse: præcipue autem navigationes longinquas; propterea quod triremes, & ejusmodi carinæ,

quæ

quæ Oceanum vix tolerare possent, in usum venire cœperunt. Hinc igitur, quam ob causam, notitia illa regionis nostræ, quæ à navigantibus ad nos acquiri potuit, multis abhinc seculis defecerit, clare cernitis; nisi forsan raro eventu talis appulsus obtigerit, quemadmodum ante dies paucos vester. Jam vero, de navigationis nostræ, in alias partes, cessatione, aliam vobis caussam assignare oportet. Neque enim denegare possum, (si verum fateri cupiam,) quin apparatus & instructio nostra navalis, numero & robore navium, abundantia nautarum, peritia gubernatorum, & aliis rebus quibuscunque, æque hodie valet, ac olim valebat. Itaque, qui in re sit, quod domi jam sedeamus, separatim vobis declarabo: atque hoc propius accedet, ad quæstionem vestram, quam initio proposuistis, elucidandam.

Regnavit in hac Insula, ante annos mille nongentos, *Rex*, cujus memoriam, supra alios omnes, maxime colimus & veneramus: non superstitiose, sed tanquam divini cujusdam instrumenti, licet hominis mortalis. Nomen ei fuit *Solamona*. Eum autem pro *legislatore* hujus *gentis* dicimus. *Regi* isti cor *Deus* indidit latum, & in bonis inscrutabile: qui in illud totus incumbebat, ut regnum, & populum suum beatet. Itaq; cum secum reputaret, quã sufficiens, & (ut dicam) substantiva, terra hæc ex sese fuerit, ad seipsam sustentandam, absque opib⁹ aut copiis exterorum; quippe quæ in circuitu, quinquies mille & sexcenta milliaria, plus minus, contineret: & maxima ex parte ferax inprimis esset, & bonitate soli præstaret: atque rursus perpendens classem & naves regni, non segniter applicari & exerceri posse, tam per transportationem & vecturam de portu in portum: nec non per navigationes ad Insulas quasdã adjacentes, & imperio huic & legibus subditas: tum vero in memoriam revocant, quã felix & florens, eo tempore, regni hujus status fuerit: ita ut mille modis in deterius, sed vix ullo modo in melius, mutari posset, nihil omnino deesse putabat, quo fines suos nobiles plane & heroicos assequeretur, nisi ut, (quantum humana providentia efficere posset) res illas, quæ suo tempore tam fœliciter essent fundatæ & stabilitæ, perpetuitate donaret. Quocirca, inter leges alias suas fundamentales, leges plurimis sanxit, de introitu exterorum interdicendo; qui eo tempore, (licet post calamitatem *Americanam*,) satis frequens erat: is hoc instituto, quia à novitatibus, & mixturis morum, metuebat. Verum est, interdictum simile, de introitu exterorum, scito veteri apud *Chinenses* valuisse, atque etiamnum valere. Sed ibi res est despicabilis, eosque reddidit, gentem curiosam, imperitam, timidam, & ineptam. At *legislator* noster, in lege sua condenda, diversum longe adhibuit temperamentum. Primum enim, jura humanitatis omnia sacra tecta servavit, in institutis & fundationibus suis, pro levamine & solatio peregrinorum afflictorum; quod & vos experti estis. *Ad quod dictum, ut par erat, consurreximus omnes, noisque inclinavimus. Ille perrexit. Rex* idem, cupiens factis humanitatis consilia politica adjungere: atq; humanitati minime convenire putans, ut exteri inviti detinerentur, nec minus rationibus status non convenire, ut redirent, & *insulæ* hujusce arcana evulgarent, hanc viam init. Constituit, ut ex exteris, quibus permissum foret in terram hanc descendere, qui abire vellent, non prohiberentur; qui autem manere præoptarent, conditiones & vivendi facultates à statu reciperent, in qua re, visu tam acri polluit, ut post tot seculorũ spatia, à lege hac condita, memoriam nullam habeamus, ne vel unicæ duntaxat navis, quæ reditum prætulit; atque tredecim tantum virorum temporibus diversis, qui in nostris navibus reverti elegerunt. Quid autem pauci illi, qui sic redierũt, de *regione* hac propalarint, nos fugit. Facile autem ex stimare potest is, quicquid retulerint, non aliter quam pro insomnio quodam habitum esse. Navigationes autem nostras, ad partes exteras, visum est, *legislatori* nostro, penitus coërcere. In *China* hoc non fit. Etenim (*chinenses*, quo volunt, & possunt, navigant. Quod satis ostendit, legem illorum, de exteris arcendis, à pusillanimitate sola, & metu, provenire. Interdictio autẽ hæc nostra, unam tantum recipit restrictionem: eamq; certe admirabilem: Bonum enim, quod à communicatione cum exteris trahi possit, conservat, malũ autẽ evitat. Id vobis nunc aperiã. Atq; hic videbor aliquantisper, ab eo quod agitur, digredi: sed mox, hoc ipsum, ad rem pertinere perspicietis. Intelligetis itaq; (amici mei præchari) inter acta illius regis, unum maxime emineri. Illud est, fundatio sive institutio ordinis cujusdam & Societatis, quam nos *Domum Salomonis* vocamus. Nobilissimam dico (quantum nos arbitramur,) omnium, per terrarũ orbem, fundationem, atq; regni hujusce *Luminare magnum. Damus* hæc studiis & contemplationib⁹, operum & creaturarum Dei, dicata est. Putant nonnulli, nomen traxisse à fundatore, paululum corruptum: ac si deberet dici *Salomonæ Domus*: verum archiva ipsa authentica, sic scriptum habent, prout in sermone quotidiano nunc profertur. Itaq; nomen fluxisse arbitror, à Rege ille Hebræorum, qui apud vos celebris est, nobis autem non ignotus, habemus enim portiones aliquas operum suorũ, quæ apud vos desiderantur. *Historiam* illam *Naturalem dico*, quam conscripsit de *Plantis* omnibus, à *Cedro Libani*, usque ad *Hyssopum*, quæ de parieto egreditur, atque de omnibus rebus, quibus vita & motus inest. Hinc animum meum cogitatio illa subit, *regem* nostrum, quandoquidem se in multis cum *rege* illo *Hebræorum* consentire sensit, (qui multis ante eum annis vixerat,) ejus titulo fundationem hanc honorasse. Atq; in hanc opinionem præcipue adducor, quod in historiis admodum antiquis invenio, *Societatem* hanc, interdum *Domum Salomonis* vocari, interdum autem (*collegium Operum sex dierum*. Unde persuasum habeo, *regem* illum nostrum præcellentem ab *Hebræis* didicisse, *Deum*, Mundum hunc, & omnia quæ ei insunt sex dierum spatio creasse, ideoque cum domum illam institueret, ad inquisitionem & inventionem, naturæ veræ, & interioris, rerum omnium, quo Deus conditor majorem reciperet gloriam, ob fabricam earum: homines autem uberiorem perciperent fructum, in usu earum, indidisse etiam ei illud alterum nomen, nimirum, *Collegii operum sex dierum*. Verum, ut redeamus tandem ad id quod nunc agitur. Post quam *rex* omnem subditis navigationẽ interdixisset, præterquam in partes huic imperio subditas, hanc nihilominus ordinationem sancivit: nimirum, singulis duodenis annis mittendas ex hoc *regno* naves binas, in partes orbis diversas: in utraque navium harum, tres ex Fraternitate *domus*

Salomonis, seorsim vehendos: his in mandatis dandum, ut nos, de rebus, & statu locorum illorum, ad quos appellerent, certiores facerent, præcipue autem de scientiis, artibus, manufacturis, & inventionibus mundi universi, utq; in reditu, libros, instrumenta, exemplaria in unoquoq; genere, ad nos perferrent: navibus, postquam in terram *fratres* exposuissent, redeundum; *fratribus* autem, usque ad novam missionem, peregre manendum: naves hasce non aliis mercibus instruendas, quam commeatus copia bona, nec non thesauri satis larga quantitate, in usum *fratrum*, ad res eas coëmendas, & homines tales remunerandos, quibus opus esset. Jam vero, ut vobis proferam modos, quibus vulgus nautarum coërcentur, ne in terris, ad quas appellant, dignoscantur? aut quibus modis, in terram expositi, sub nomine nationum aliarum lateant: aut ad quæ loca navigationes nostræ designatæ sint: aut quæ loca novis rursus missionibus præfigantur, atque alias hujus generis circumstantias, quæ ipsam practicam partem spectant, mihi proloqui fas non est: neque multum certe ad quæstionem vestram conducet. Sic itaque videtis, commercium nos instituisse: non pro auro, argento, & gemmis, non pro sericis, aur aromatibus, neque pro aliis, quibusvis rebus crassis, sed tantum pro *Creatura Dei* prima, *Luce* scilicet: *Luce*, inquam, in quacunque tandem terræ regione, prorumpente, & germinante.

Cum hæc dixisset, conticuit: nos etiam aliquandiu silebamus. Revera enim omnes attoniti eramus, cum audiremus, res tam mirabiles, oratione tam probabili recenseri. Ille autem animos nostros, cogitationibus aliquibus gravidos sentiens, partui autem non maturos, civiliter admodum nos explicuit; & ad quæstiones de itinere, & fortunis nostris, deflexit: sub finem autem dixit; *Recte nos facturos, si consultationem inter nos iniremus de tempore, pro mora nostra, à statu petendo. In quo jussit minime verecundari nos; tempus enim quodcunque nobis postulare visum fuerit, ipse non dubitabat se impetraturum*: ad quod dictum surreximus omnes, & humiliter fimbriam Liripipii sui exosculati cœpimus. Ille autem renuit, & continuo à nobis discessit. Postquam vero, inter homines nostros evulgatum fuit, statum illum, conditiones exteris, qui manere vellent, largiri solere: vix ulli eorum persuadere potuimus, ut navem nostram curarent, aut quo minus, *Præpositum* mox adirent, ad conditiones petendas. Sed, non sine magna difficultate, tandem cohibuimus, donec ex consensu, quid faciendum esset, statueremus.

Jam autem, tanquam liberos nos tebamur, cum metum omnem extremæ ruinæ depulsum vidimus. Jucundissime item viximus: civitatem ipsam, nec non pomærium illud, quod nobis concessum erat, perambulantes: in quo, quæcunq; visu digna, aut grata erant, perquirebamus, & spectabamus. Interea familiaritatem cum plurimis ex civitate, iisque non ex inferiore ordine, contraximus: inter quos, humanitatem tantam perspeximus, adeoque consuetudinem tam jucundam & liberam, peregrinos veluti in sinu amplectendi, & fovendi; ut vix abesset, quin oblivionem nobis omnium eorum, quæ in patriis nostris chara antea erant, induceret. Quin & quotidie incidimus, in res observatu, & relatu dignissimas. Certe, si ullibi terrarum speculum sit, quod oculos hominum allicere debeat, & detinere, illud exhibet hæc *regio*. Evenit die quodam, ut duo ex nostris invitarentur ad *Festum* quoddam (quod vocant) *familiæ*. Mos autem celebrandi *festum* illud, censeri merito possit, maxime pius, ex ipsa naturæ lege depromptus, & veneratione dignus: monstrans proculdubio nationem illam omni Bonitate refertam esse. Qui talis est: Concessum est, per leges *regni*, cuivis, cui vivere contigerit, dum triginta è corpore suo prognatos, simul superstites, viderit; eosque omnes tertium ætatis annum egressos; festum hoc celebrare. Quod ex publico sumptu fit. *Pater familiæ* (quem *Tirsanum* vocant,) biduo ante *festum*, tres ex amicis suis, quos eligere placuerit, sibi advocat, ac insuper, Magistratus civitatis, aut oppidi, ubi *festum* celebratur, præsentia honoratur: omnes autem ex familia utriusque sexus adesse jubentur. Per dies hosce duos, *Tirsanus* cum amicis illis suis, & Magistratu, circa bonum familiæ, consultationem init. Tunc si quæ discordiæ, aut lites, in familia obortæ sint, terminantur, & sedantur. Tunc si qui ex familia, in paupertate redacti fuerint, aut quovis modo afflicti, iisdem subveniendi, & necessarium victum suppeditandi, ratio initur. Tunc si qui eorum vitiis addicti, aut genus vitæ iners & pravum agant, reprehenduntur, & censuram subeunt. Quin etiam circa nuptias, & vitæ conditionem alicui eorum maxime convenientem, consilium tunc capitur, & alia similia tractantur, & decernuntur. Magistratus ideo assidet, ut decreta & mandata *Tirsani*, si quis forte ex familia non pareat, auctoritate sua muniat, & executioni demandet: licet hoc raro admodum requiratur, tantam nimirum, ordini naturæ, obedientiam præstant, tunc etiam *Tirsanus*, ex filiis suis, unum eligit, qui cum eo, in domo sua, perpetuo vivat; qui exinde vocatur *Filius Vitis*. Ratio nominis postea patebit. Die *festo*, post *Liturgiam* divinam celebratam, progreditur *Tirsanus*, in aulam quandam amplam, ubi solennia *festi* peraguntur: quæ aula, à parte superiori gradum habet unicum ascensus. Illic ad parietem, in medio, collocatur cathedra, cum mensa, & peristromate super eam: supra cathedram extenditur conopæum, rotundum, vel ovatum, ex hedera; hedera certe, præ nostra, plurimum albescente colore, non absimili folio populi, quam vocamus argenteam: sed aliquanto magis splendido: viret enim per hyemem. Conopæum autem, filis argēteis, & byssinis, diversorum colorum, quæ hederam colligant, eleganter contexitur; atque opificium plerunq; est alicujus ex filiabus familiæ: in vertice, reticulo tenui, ex bysso & argento velatur: verum materia conopæi hedera vera est: ex qua, post solennitatem finitam, amici familiæ, folium aliquod, aut ramusculum, decerpere amant. Progreditur *Tirsanus*, prole sua universa stipatus, masculis præeuntibus, fœminis à tergo insequentibus. Sin mater familiæ fuerit, quæ prolem universū peperit, collocatur ad dextrū latus cathedræ, orchestra quædam cooperta cū ostio secreto, & fenestris, ubi illa clam sedet. *Tirsanus* postquam ingressus fuerit, in cathedra illa considet, universa familia, juxta parietem, tam à tergo, quam à lateribus aulæ, super gradum ascensus, secundū ordinem ætatis non habito sexus discrimine, se sistente, & super pedes erecta. Cum consederit, (aula interim frequētia haud

parva

parva referta, sed sine turba aut strepitu,) post moram nonnullam ingreditur, ab inferiori parte aulæ, *Taratannus*, (quod verbum apud eos significat, *Haraldum*;) cujus latera tegunt adolescentuli, duo; quorum unus rotulum gerit ex splendente illa lutea membrana, alter botrum uvarum aureum cum pedicillo sive caule longa. *Haraldus*, & uterq; adolescentulus, pallis sericis, coloris thalassini, vestiuntur; verum pallium *haraldi*, radios habet aureos, & dimittitur adeo ut terram nonnihil verrat. *Haraldus*, ter se aliquantulum inclinans, accedit usq; ad gradum ascensus, ibiq; primo in manum sumit rotulum. Rotulus iste; charta regia est, & redituum, privilegiorum complurium, exemptionum, & insignium honorificorum, *Patrisfamiliæ* concessorum, dona continet: inscribitur autem semper, *Tali, Amico nostro dilecto, & creditori*: qui titulus, à *Rege*, in hoc solummodo casu, tribuitur. Ajunt enim *Regem*, nulli debitorem esse, nisi ob propagationem subditorum. Sigillum huic chartæ affixum, est *Regis* effigies, auro insculpta: atq; quamvis hujusmodi chartæ, ex officio, & tanquam jure, expediantur, pro arbitrio tamen, secundum numerum & dignitatem familiæ, variantur. Hanc chartā perlegit *Haraldus*, voce alta; dumque legitur, *Tirsanus* se in pedes erigit, à duobus filiorum suorum, quos delegerit, supportatus. Tum *Haraldus* super gradum ascendit, & *Tirsano* chartam in manus tradit: quo facto, ab omnibus qui adsunt, acclamatio magna fit, lingua sua, quæ hoc significat; *Fœlices sunt populi Bensalem*. Deinde *Haraldus*, ab adolescentulo altero botrum uvarum recipit, qui (ut diximus) aureus est, tam caule, quam uvis ipsis, sed uvæ eleganter colorantur, atque, si masculi ex familia, numero excedant fœminas, uvæ purpureæ sunt, cum Sole parvo in vertice posito; sin feminę mares, uvę virides sunt, cum Luna crescente in vertice. Uvę autem numerum liberorum familiæ exæquant. Iste etiam racemus aureus, ab *Haraldo* traditur *Tirsano*; qui eundem statim filio illi, quem antea elegerat, ut secum in domo maneret, tradit: is autem perpetuo eum ante patrem gestat, quoties in publicum progreditur, tanquam insigne honoris: atquo inde nomen (ut dictum est.) *Filij vitis*, accipit. Peracta hac solennitate, *Tirsanus* se recepit, atq; post moram aliquam interjectam, rursus ad prandiū egreditur, ubi sedet sub conopæo solus, neq; cuivis ex liberis, cujuscunq; gradus aut dignitatis, una sedere cōceditur: nisi forte fuerit ex *Domo Salomonis*. Servitium mensæ præstant masculi ex familia, qui hoc faciunt, quoties ei aliquid dandum, in genua procumbentes: fœminæ autem, tantum juxta parietē, circumstant. Pars aulæ, quæ infra gradum est, mensas habet utrinq; sitas, pro convivis, quibus decore admodum, & ordine bono, ministratur: sub finem autem prandii, (quod apud illos, in maximis suis solennitatibus, non ultra sesqui-horam durat) cantatur hymnus, pro ingenio componentis variatus, (habet enim Poëtas optimos,) subjectum vero ejus, perpetuo sunt laudes, *Adami*, *Noachi* & *Abrahami*: quorum primi duo, universi generis humani parentes extiterunt, tertius, *Pater fidelium*. Concluditur tamen semper, cum gratiarum actione, propter nativitatem *Servatoris* nostri: *in quo universæ terræ generationes benedictionem consequuntur*. Finito prandio, *Tirsanus* iterum se recipit: atq; solus subducitur in locum interiorem, ubi preces secretas fundit: dein progreditur tertio, ut benedictionem suam impertiat universis liberis suis, qui eum circumstant, ut prius. Tum eos nominatim, ad se singulos vocat, prout ei placuerit, licet raro ætatis ordo immutetur. Persona quæ vocatur, (mensa prius semota,) continuo in genua, ante cathedram procumbit: *Pater* autem manus capiti ejus imponit, atque ei benedicit in hæc verba: *Fili Bensalem*, (*aut filia Bensalem*,) *pater tuus dicit: Ille, per quem auram vitalem hausisti, verbum loquitur: benedictiones patris æterni, principis pacis, & columbæ sanctæ, descendant super te, & dies peregrinationis tuæ, reddant multos & bonos*. Hanc benedictionem singillatim impertit. Quod si aliqui ex liberis masculis, virtute & meritis præcelluerint, (modo numerum duorum non excedant,) post benedictionem generalem, seorsim es vocat: manus autem super humeros eorum extendens, illis stantibus, sic infit: *Fili, bene habet quod natus es, da Deo gloriam, & in finem persevera*. Atque una ei monile tradit, in figuram spicæ frumenti, formatum: quod is semper postea, in fronte Turbani, aut Galeri sui, portat. Hoc peracto, ad musicam & saltationem, & hilaritates id genus alias, apud eos usitatas, pro residuo diei se accingunt. Atque iste modus *festum* illud celebrandi.

Intra paucos dies sequentes, amicitiam & familiaritatem cum mercatore quodam civitatis illius, cui nomen *Ioabin*, contraxi. Erat autem *Iudæus & circumcisus*. Paucas enim quasdam *Iudæorum* stirpes, inter eos nunc degentes habent, quibus religionē suam permittunt: quam veniam facilius indulgere possunt, quandoquidem *Iudæi* illi, à *Iudæis* in reliquis orbis partibus, moribus longe diversi sunt. Nam cum *Iudæi* alii, nomen *Christi* odio habeant, atq; adversus populum, inter quem degunt, secretam & inveteratam malitiam foveant, hi contra, Servatori nostro, attributa plurima sublimia reddunt, nationem autem *Bensalem* amant impensissime. Sane vir iste, de quo loquor, confiteri semper solebat, *Christum* natum fuisse ex virgine, atq; homine mero majorē extitisse: tum narrare solebat, quod *Deus* eum *Seraphim*, qui Thronum suum stipant, præfecit: vocabat eum etiam quandoq; *Viam lacteam*, quandoq; *Eliam Messiæ*, & aliis compluribus nominibus magnis eum insigniebat. Quæ omnia, licet divina *Christi* majestate longe inferiora sint, à stilo tamen *Iudæorum* cæterorum multum differunt. Regionis autem *Bensalem* laudandæ, idē nullum faciebat finem: quin & credi voluit, ex traditione quorundam *Iudæorum* illic degentium, populum *Bensalem*, ex stirpe *Abrahami*, per alium filium, quem *Nacharum* vocat, fuisse: quin & *Mosem*, per secretam quandam *Calabam*, leges illis, quibus populus de *Bensalem* hodie utitur, condidisse: atq; in adventu *Messiæ*, cum confessurus sit *Hierosolymis*, in throno suo, regem *Bensalem* ad pedes ejus sessurum; cæteris regibus ad distantiam longam amotis. Veruntamē, somnia ista *Judaica* si seponas, vir fuit admodum prudens, & doctus, & consilii profundi; quiq; legum & consuetudinum gentis illius *Bensalem* perquam gnatus extitit. Inter sermones alios die quodam, forte dixeram, me relatione illa, quam è quibusdam ex nostris acceperam, circa consuetudinem illorum, in celebrando *festo* quod vocant, *familiæ* magnopere delectatum esse; neque enim videbat mihi, unquam de

solemnitate aliqua inaudivisse, in qua natura tã insigniter præsideret. Quoniã vero familiarum propagatio, ex nuptiali copula procedit, cupiebam aliquid ex eo rescire, tum circa leges & consuetudines ipsorum circa nuptias; tum utrum Matrimonia intemerata conservarent; tum deniq; utrum polygamia inter illos interdiceretur? Quandoquidẽ nationes, quę subditorũ, propagationi tantopere studerent, polygamiã plerumq; tolerarent. *Ad hæc respondit:* Non sine causa certe, institutionẽ illam excellentem, *festi familiæ*, laudas. Quin & experientia apud nos comprobatum est, *familias* illas, quæ ex *festi* illius benedictione participarunt, mirifice postea semper floruisse. Verum arrige aures modo, & narrabo tibi quod scio. Intelliges, sub sole vix reperiri gentem ullam tam castam, quam hæc de *Bensalem*: nec ab omni labe, & pollutione adeo puram, Virginem mundi plane dixerim. Memini me legisse, in uno ex libris vestris *Europæis*, de sancto inter vos *Eremita*, qui spiritum fornicationis videre cupiit; atq; parvum, deformem, & turpem æthiopem illico ei apparuisse: quod si spiritum castitatis *Bensalem* videre expetiisset, procul dubio in forma *Cherub* alicujus pulchri & gloriosi, ei apparuisset. Nihil enim inter mortales pulchrum, aut admiratione dignum, præ gentis istius animis castissimis. Quãobrem, notum tibi velim, nulla inter eos esse lupanaria, prostibula nulla, nullas meretrices conductitias, neq; aliquid hujusmodi. Imo, non sine detestatione quadam mirantur, vos in *Europa* talia tolerare. Ajunt, vos nuptias de officio suo deturbasse: nuptiæ enim in remedium concupiscentiæ illicitæ institutæ sunt, concupiscentia autem naturalis, ad nuptias instar stimuli est. Verum, cum hominibus remedium, corruptis suis cupiditatibus, magis gratum adsit, nuptiæ fere expelluntur. Itaq; innumeros apud vos videre est, qui uxores non ducunt, sed cælibatum potius impurum, & libidinosum præoptant, quam jugum matrimonii honorabile. Multi insuper, qui uxores ducunt, sero hoc faciunt, cum juventutis & flos & robur evanuerint. Sin forte matrimonium contrahant, quid aliud est matrimoniũ illis, quam mercatura mera? In quo affinitas, aut dos, aut existimatio, quæritur, cum desiderio nonnullo, (sed tamen tanquam rei indifferentis,) sobolis: minime autem, fidelis illa, inter virum & fœminam, nuptialis unio, quæ in principio instituta est, in mentem venit. Neque etiam fieri potest, ut illis, qui tam magnam partem ætatis & roboris sui, adeo viliter consumpserunt, liberi, (pars nostri altera,) omnino in pretio sint. Quin & durante vinculo matrimonii, numnam res hæc in melius vertitur, ut fieri debuit, si excessus isti, necessitatis solummodo causa, tolerarentur? Nequaquam: manent autẽ desideria eadem etiam post matrimonium, in matrimonii ipsius dedecus & opprobrium. Neq; enim lupanarium frequentatio, aut consuetudines meretriciæ, in maritis magis, quam in cælibem vitam agentibus, puniuntur. Ad novos autem amores proclivitas & meretricium amplexuum delectatio, (ubi peccatum in artem conversum est) nuptias reddit rem insipidam, & veluti onus, aut tributum quoddã. Audiunt, hæc à vobis defendi, utpote ad majora mala evitanda, tolerata: veluti, adulteria, virginum constuprationem, libidinem contra naturam, & similia. Verum prudentiam hanc censent esse præposteram: eamq; vocant, conditiones *Lothi*; qui, ut hospites à contumelia eximeret, filias obtulit. Imo ulterius dicunt, ex hoc parum aut nihil lucri fieri, cum vitia eadem, & appetitus pravi usq; maneant, & abundent: quandoquidem libido illicita, instar fornacis sit, ubi flammam omnino contineas, illico extinguitur; sin exitus aliquis detur, furit. Quantum vero ad amores masculorum, istos ne fando quidem norunt, neq; tamen amicitias, per universum orbẽ, magis fideles, inviolatas, reperies. Atque, ut verbo, dicam, (sicut antea quoq; dixi,) non ullibi legi, tantam vigere castitatem, quantam in hac terra. Quin & sermo apud eos usitatus est; *Qui impudicus est, sui reverentiam perdit:* reverentia autem sui, secundum *Deum* & religionem, vitiorum omnium frænum potentissimum.

Hæc cum dixisset, *Iudæus* ille, vir egregius, paulisper tacuit. Atq; ego, licet audiendi, magis quam loquendi, cupidus, decorum tamen existimans, ut dum ille aliquantisper respiraret, ipse protinus non silerem, hoc tantum dixi. *Me ad eum, verbis illis usurum, quibus usa est ad Eliam vidua Sareptana, venisse eum, ad revocanda in memoriam nobis peccata nostra; quodq; ingenue confiteri oportet, abundare Iustitiam Bensalem plus quam Europæorum.* Ad quæ verba paululum se inclinavit, & sermonem hoc modo continuavit.

Leges etiam habent circa nuptias, complures prudentissimas sane, & honestissimas. Polygamiam non tolerant. Sanxerunt, ut nec nuptiæ celebrentur, nec contractus de nuptiis futuris fiant, nisi post mensem à tempore, quo uterq; mutuo se primum conspexerunt. Nuptias absq; consensu parentum factas, irritas quidem non habent, sed hæreditate mulctant: etenim talium nuptiarum liberos duabus tertiis hæreditatis privant. Equidem, in libro cujusdam è vestris, de Rep. quadam Imaginaria, legi, ubi matrimonium contracturis, se invicem nudos conspicere, permittitur. Hoc illi non probant. Etenim contumeliæ loco dicunt, ut quis, post notitiam tam familiarem reijciatur: veruntamen, propter defectus in viris & mulieribus complures secretos, qui matrimonium postea infœlix reddere possint, more utuntur magis civili: prope oppida singula, stagna duo habent; quæ vocant stagna Adami & Evæ; ubi permissum est, uni ex amicis viri, atq; itidem alteri ex amicis fœminæ, spectare eos separatim in balneo lavantes.

Dumq; hoc modo colloqueremur, venit quidam, qui nuncius videbatur, indutus tunica picta & inaurata; qui *Iudæum* allocutus est. Unde ad me vertit, & dixit; *ignoscas mihi, obsecro; sine mora hinc accersor.* Postridie mane, rursus ad me venit *Iudæus*, lætabundus, ut videbatur, & dixit: *Perlatus heri est nuncius ad præfectum urbis, intra dies septem accessurum huc unum ex Patribus domus Salomonis. Duodecim jam anni elapsi sunt, ex quo nullum eorum hic vidimus. Adventus ejus solennis futurus, causa in occulto. Curabo, ut tibi & sociis tuis, locus commodus apparetur, unde celebritatem ingressus ejus spectare possitis.* Gratias ei egi, & dixi, nuncium hunc de accessu ejus, mihi pergratissimum esse.

Die constituto ingressus est *Pater*. Vir fuit staturæ, & ætatis, mediocris, aspectu decorus, vultum præ se ferens quasi miserantis. Vestitus erat togã, ex panno nigro, sincero, cum manicis largis, & Capa. Vestis interior ex lino erat, elegantissimo certè

certé & albissimo, usq; ad pedes dimissa, cum balteo itidem candido, ex lino Liripipium etiam gestabat circa collũ, ex lino purissimo. Chirothecas habebat sũptuosas, & gemis ornatas. Calceos hyacinthinos ex holoserico. Collum usq; ad humeros nudum. Galerus, figura galeæ erat, aut *Montera*, ut vocant *Hispani:* sub qua propendebant cincinni ejus, subcrispi, & modo decenti compositi. Color eorum subniger, quemadmodum & barbæ, quæ in figuram rotundam tonsa erat. Vehebatur autem in cathedra splendida, sine rotis, lecticæ more: binis equis, magnifice phaleratis, ex holoserico cæruleo, auro intexto, cathedram ad utrunq; finem supportantibus: una cum duobus cursortibus, ad utrumq; cathedræ, pari ornatu. Cathedra ex cedro erat, inaurata, atque crystallo ornata: nisi quod pars anterior, quadras haberet ex sapphiris, auro interstinctis, posterior autẽ similes ex smaragdis coloris Peruviani. Etiam in medio verticis cathedræ, Sol erat, ex auro radians: & in fronte ejus *Cherub parvus*, alis expansis ex auro itidem. Operimentum cathedræ erat pannus, ex filis aureis, cum serico cæruleo. Cathedram præibant quinquaginta Juvenes, in tunicis laxis, ex serico itidem albo, calceis autem ex holoserico cæruleo & galeris ex eodẽ, cum plumis elegantibus, diversorum colorum, galerum ambientibus, in formam chordæ. Proxime ante cathedram incedebant duo viri, capitibus nudis, vestiti linteo albo, usq; ad talos demisso, & succincti calceis itidem ex holoserico cæruleo: qui gestabant, alter crucem, alter pedum pastorale: neutrum ex metallo, sed crucem ex Xylobalsamo, pedum ex cedro. Equites comitabantur nulli, nec ante, nec pone cathedram, eo (credo) ratione, ut tumultus omnis, & strepitus, evitarentur. Post cathedram sequebantur Magistratus & Fraternitates urbis. Sedebat solus, super pulvinar, ex holoserico quodam hirsutiore, coloris cærulei: sub pedibus autem vestem stragulam habebat, ex serico item, colorum diversorum, similem Persicæ quidem, sed elegantiorem. Dextram, qua ibat, sustulit nudam, populo benedicens, sed cum silentio. Plateæ ita erant ordinatæ, ut via ampla pateret, nullibi interclusa: neq; (credo) acies unquam in exercitu, ordinata melius fuit, quam populus, eo tempore, in plateis. Quin & intra fenestras ipsas, non indecenter stabant spectatores, sed quisq. velut ordine suo locatus. Celebritate finita, *Judæus* mihi dixit: *Per aliquot jam dies, detinebor, quo minus vobiscum, pro solito, & ut cupio, versari possim: eo quod à præfecto urbis, munus mihi demandatum est ut viro huic summo inservirem.* Triduo post, *Judæus* ad me reversus est, & dixit: *Bonis avibus huc advenistis: Pater enim domus Salomonis, de vestra in hac urbe mora, certior factus est: mihiq; mandavit, ut renunciem vobis, se universam societatem vestram ad conspectum suum admissurum, seorsim etiam, cum uno aliquo vestrũm, quem ad hoc deligetis, collocuturum. Cui rei diem perendinum designavit. Quoniam autem vos, benedictione sua impertire, in animo habet: tempus ante meridianum præstituit.* Die & hora præfixis venimus: ego autem, à sociis meis, ad privatum illud colloquiũ, deputatus sum. Inveniamus eum, cubiculo speciosso, aulæis splendentibus instructo, & tapetibus, strato, absq, ullo gradu ascensus ad cathedram ubi sedebat. Sedebat super solium humile, magnifice ornatum, supra caput autem habebat conopæum, ex serico cæruleo, auro eleganter intertexto. Conclave hominibus vacuum erat, nisi quod ab utroq; latere solii, honoris ergo, stabat servus, albis vestibus indutus. Vestis ejus interior similis fuit illi, qua amictum eum vidimus in platea. Sed loco Togæ, indutus erat pallio, cum Capa, ex panno nigro, admodum sincero, circa humeros revincto. Sub ingressum nostrum, prout edocti fueramus, inclinavimus nos submisse: cumq; prope solium accessissemus, erexit se in pedes, dextrã ejus exuta chirotheca attollens, in modum benedicentis: nos autem singuli, fimbriam Liripipii sui, proni, exosculati sumus. Hoc facto, reliqui ex sociis meis recesserunt, ego autem solus mansi. Tunc innuit adolescentulis, ut illi quoq; se subducerent, meq; juxta assidere voluit, atque *lingua Hispanica*, ad hunc modum, exorsus est.

Benedicat tibi *Deus*, fili mi, gemma præcipua, ex iis quas habeo, te impertiar: etenim haud gravabor, propter *Dei* & hominum amorem, statum verum *Domus Salomonis* tibi revelare. Fili, ut perspicue cognoscas statum verum *Domus Salomonis*, hoc ordine procedam. Primo declarabo *finem fundationis* nostræ: Secundo *apparatum & instrumenta*, quibus ad *opera* instruimur: Tertio *officia distincta, & functiones*, quæ sociis nostris assignantur: Postremo, *ordinationes, & ritus*, quibus utimur.

Finis fundationis nostræ, est cognitio caussarũ, & motuũ, ac virtutũ interiorum in natura, atq; terminorũ imperii humani prolatio, ad omne possibile.

Apparatus autem, & *instrumenta* nostra, hæc sunt. Habemus *cavernas* amplas, & profundas, diversarum altitudinum. Profundissimæ earum deprimuntur usq; ad sexcentas orgyas. Atq; nonnullæ ex iis effossæ sunt subter magnos montes, adeo ut si altitudinem cavernæ simul conferas, profunditatem habent aliquæ earum trium milliarum. Reperimus enim altitudinem montis, usq; ad planum, & altitudinem *cavernæ* à plano, idem revera esse, utrumq;, æque à Sole, & radiis cœlestibus, & aëre aperto, remotum. Has *Cavernas Regionum infimam* vocamus. Iisdem autem utimur, ad omnes coagulationes, indurationes, refrigerationes, & conservationes corporum. Utimur etiam iis, ad mineras naturales imitandas; atq; ad productionem novorum metallorum artificialium, ex materiis & cæmentis, quæ ibi præparamus, & in multos annos sepellimus. Utimur illis quandoq; (quod mirum videri possit.) ad curationem quorundam morborum, & prolongationem vitæ, in aliquibus *Eremitis*, qui illic vivere præoptant, bene instructi omnibus rebus necessariis, qui certe vivacissimi sunt; à quibus etiam multa addiscimus.

Habemus etiam alias *sepulturas* corporum naturalium, & materiarum, non in concavo aliquo, sed in ipsa terra contigua, ubi complura cæmenta condimus, ut *Chinenses* condunt *porcellanam* suam. Sed nos ea habemus majori varietate, & nonnulla ex iis elegantiora, quam *porcellana Chinensis*. Quin & habemus *stercorationum, & fimorum* varietatem magnam, item *congestionum* & massarum aliarum, quæ terram impinguant, & fertilem reddunt.

Habemus *Turres* præaltas, quarum altissimæ, usque ad altitudinem semi milliaris, linea perpendiculari, insurgunt. Nonnullæ vero earum supra montes excelsos sitæ, ita ut, si altitudinem montis & altitudines *turris* simul componas, extenditur

altitudo

altitudo in aliquibus earum, usq; ad tria milliaria ad minimum. Hæc autem loca *Regionem supremam* appellamus, æstimantes aeris tractum universum inter supremam & infimam, pro *Regione aeris media*. Utimur his *turribus*, prout altitudinibus & situbus earum diversis convenit, ad insolationes, refrigerationes, conservationes, & ad meteora diversa spectanda, veluti ventos, pluvias, nives, grandidines, & aliqua ex meteoris ignitis. Atq; etiam, supra eas, in aliquibus locis, sita sunt habitacula *Eremitarum*, quos quandoq; visitamus, atq; insuper, quid observare debeant, edocemus.

Habemus *lacus* magnos, tam salsos, quam dulces, utimur autem iis, ad suppetendos nobis pisces, aves item palustres & aquaticas, omnis generis. Utimur etiam iis ad sepulturas corporum nonnullorum naturalium. Differentiam enim operationis invenimus, in rebus, quæ in terra sepeliuntur, aut in aere subterraneo, & iis quæ in qua submergantur. Habemus *stagna*, in quorum nonnullis, aqua dulcis percolatur ex salsa, in aliis autem, per artem, aqua dulcis in salsam mutatur. Habemus insuper *rupes*, in medio Maris, & loca quædam aprica ad littora ipsa, pro quibusdam operibus efficiendis, in quibus Aura Maris requiritur. Habemus quoq; *gurgites* rapidos, & *cataractas*, ad usum compluriumm motuum violentorum, ad similem usum, habemus *Machinas* complures, quæ ventos excipiant, multiplicent, & roborent.

Habemus etiam *puteos* multos, & fontes artificiales, ad imitationem naturalium scaturiginũ, & balneorum, factos, vitriolo, sulphure, calybe, ære, plumbo, nitro, & aliis mineralibus, tinctos: habemus insuper *puteos*, & receptacula parva, ad rerum multarum infusionem; ubi aqua, (currens scilicet) virtutem corporum, melius & vivacius, quam in vasis, & catinis, excipit. Inter quos habemus aliquos, in quibus conficitur *Aqua*, quam vocamus, *Paradisi*, per præparationes quasdam nostras, valde salubris & efficax facta, ad sanitatem, & longævitatem.

Habemus etiam *ædificia* ampla & spatiosa, in quibus *imitamenta & repræsentationes meteororum* exhibemus: veluti, nivis, grandinis, pluviæ, pluviarum artificialium ex corporibus mistis non aquis, tonitruum, fulgurum, coruscationum, & generationum insectorum & animalculorum in aere, veluti ranarum, muscarum, locustarum & aliorum.

Habemus etiam *cubicula* nonnulla, quæ *cubicula sanitatis* vocamus, ubi aerem ad libitum tingimus, & temperamus, prout ad curationes complurium morborum, & conservationem valetudinis, conducere, & proprium esse, judicamus.

Habemus etiam *balnea* pulchra, & ampla, ex diversis mixturis, ad curationem complurium morborum, & corporis humani restaurationem ab arefactione; alia item ad roborationem, & confortationem nervorum, partium vitalium, atque ipsius corporis succi & substantiæ.

Habemus etiam *pomaria*, & *hortos* amplos & varios, in quibus, non tam nobis cordi est, pulchritudo ambulacrorum & similium, quam varietas terræ, & soli, diversis *arboribus* & *herbis* proprii. Aliqui autem eorum, *arboribus & baccis* consiti sunt, ad potuũ complura genera conficienda, præter vineas. In his etiam experimenta facimus, insitionum, & inoculationum, *arborum*, tam silvestrium, quam fructiferarũ, quæ multos & magnos effectus producunt. Atq; efficimus per artem, in iisdẽ *pomariis* & *hortis*, ut fructus & flores proveniant citius aut serius, quam pro tempestate sua: item, ut minoribus intervallis pullulent, germinent, & fructum ferant, quam natura sua consueverunt. *Arbores* etiã & *plantas* grandiores efficimus, quam pro natura sua; & fructus earum majores & suaviores; atq; sapore, odore, colore, & figura differentes à specie sua: & multos ex iis ita præparamus, ut ad *usus Medicinales* valeant. Habemus etiam modos, per quos *plantæ* complures, per solas terræ mixturas absque semine, exurgere, & crescere faciamus: atq; etiam novas, & cognitas *plantas* educimus, à vulgaribus differentes, atq; *plantas*, ex una specie, in aliam transmutamus.

Habemus etiam *septa*, & *vivaria*, pro *bestiis*, & *avibus*, omnigenis: quibus, non tam propter novitatem & raritatem, quam ad dissectiones, & experimenta anatomica, utimur, ut ab iis, quid fieri possit, circa corpus hamanum, lucem accipiamus. In quibus, mirabiles multos effectus repe imus, veluti viræ in iis continuationem, licet nonnullæ partes, quas vos pro vitalibus habetis, perierint, aut extractæ fuerint; resuscitationẽ nonnullarum, quæ specie tenus, mortuæ erant, & similia. Experimentum etiam sumimus super illas, venenorum omnium, in antidotorum, & aliorum medicamentorum, tam Chirurgicorum, quam Medicinalium, ut corpori humano melius caveamus. Arte etiam reddimus alias majores, & proceriores, quam pro natura sua, è contra, alias vanas facimus, & statura justa privamus: Præterea alias feraciores, & partu numerosiores reddimus, quam natura earum fert, è contra, alias steriles, & generationi ineptas. Etiam colore, figura, & animositate, eas multis modis variamus. Procuramus etiam mixturas & copulationes animalium diversarum specierum, quæ novas species produxerunt, neq; tamen eas steriles, prout communis fert opinio. Insuper, complura genera serpentum, vermium, muscarum, piscium, ex putrefactione producimus, quorum nonnullæ in perfectas species maturantur, sicut aves, aut bestiæ, aut alii pisces: & sexu discriminantur, & generant. Neq; tamen casu hoc facimus, sed satis novimus, ex quali materia, quale animal sit pruducibile.

Habemus etiam *piscinas* particulares, ubi similia experimur in piscibus, quæ prius de bestiis, & avibus diximus.

Habemus etiam *loca* proptia, ad generationem ejusmodi *vermium*, & *muscarum* quæ vobis incognitæ, & inprimis utiles sunt: quales sunt apud vos *bombyces*, & *apes*.

Non te remorabor, commemorando quales habemus *domus*, pro conficiendis, *vino*, *sicera*, *cerevisia*, & aliis *potibus*, aut pro *panibus* omnimodis conficiendis: aut *culinas*, in quibus conficiuntur & præparantur jura, cibi rari & inusitati, ad effectus speciales. *Vina* habemus ex uvis: *potus* item ex aliis succis, fructuum, decoctionibus granorum & radicum & mixturis mellis, sacchari, mannæ, fructuum multorum (sicut in uvis faciunt) passorum, etiam ex lacrymis arborum, & medullis arundinum. *Potus* autem isti sunt ætatum diversarum, nonnulli usque ad annum quadragesimum servati. Habemus etiam *potus medicatos* ex infusionibus & mixturis diversarum radicum, herbarum, aromatum, quin

quin & additis quandoq; carnibus, ovis, lacticiniis, & aliis esculentis, ex quibus nonnulli sunt instar cibi & potus conjunctim, adeo ut complures, præsertim ætate decrepita, ex iliis solis vivant, cum ex guo, aut nullo usu cibi, aut panis. Atq; ante omnia contendimus, ut *potus* tenuissimarum partium conficiamus, quo facilius in corpus se insinuent, sed absque omni mordacitate, acrimonia, aut corsione: adeo ut nonnulli eorum, super dorsum manus impositi, post exiguam moram, insensibiliter ferme ad palmam penetrabunt; qui tamen linguam, aut palatum, non mordebunt. Habemus etiam *aquas* quas ita maturamus, ut nutritivæ plane fiant, & in potus excellentes evadant; unde complures alio potu uti nolint. *Panes* habemus ex diversis granis, radicibus, nucibus, & glandibus, aliquos etiam ex carnibus, & piscibus arefactis, cum fermentorum, & salitionum generibus variis, quorum alii, mirum in modum, appetitum excitant, alii ita nutritivi, ut ex iis solis, absq; alio cibo, complures vivant, qui tamen longævi plerumq; sunt. *Cibos* habemus, quos ita tundimus, inteneramus & mortificamus, sed tamen absque aliquo gradu putredinis, ut calor stomachi debilis eos facile in chylum bonum vertat, non minus quam calor stomachi fortis operari possit in cibos communes. *Genera* quædam *cibi, panis, & potus*, habemus, quæ sumta diutius quam pro consueto, jejunium tolerare facient: alia item, quibus qui insuescunt, carne fiunt duriore, & solidiore, quam antea: tum & robur ipsorum; ad motum quemlibet, augetur & intenditur.

Habemus etiam *dispensatoria*, vel *officinas pharmacorum*: in quibus facile est existimare, cum nos tanta copia & varietate plantarum, & animalium, præ vobis in *Europa* abundamus, (etenim satis novimus quid apud vos inveniatur, *Simplicia* item, *Pharmaca*, & *ingredientia* ad *Medicinas*, tanto debere esse magis varia, & multiplicia. Ita quoque *pharmaca* habemus, ætatum diversarum, & fermentationis diuturnæ. Quantum vero ad *medicinarum præparationes*, non solum *distillationes* omnigenas exquisitas, & separationes, habemus, præcipue autem per calores lenes, & percolationes, per diversa lintea, lanea, ligna, imo & substantias solidiores, sed multo magis componendi modos excellentes, per quos compositorum incorporationem talem assequimur, ut videantur ferme simplicia naturalia.

Habemus etiam *artes* complures *mechanicas*, vobis incognitas, & materias per eas confectas, veluti *papyros, lintea, serica, textilia, consuta* ex *plumis* elegantissime splendoris mirabilis, *tincturas* & *infectiones colorum* pulcherrimas, & alia complura. Quin & *officinas* etiam aliquarum artium prædictarum, tam earum, quæ in usum communem receptæ non sunt, quam earum quæ sunt. Etenim scire debes, ex iis quæ jam recensui, complura per universum regnum in usu esse, quamvis, si ab inventione nostra fluxerint, eorum quandoq; exemplaria, tanquam primigenia, & optime elaborata, in domo nostra retinemus.

Habemus etiam *fornaces* valde diversas, quæque gradus *calorum* diversos exhibent & servant, *caloris* scilicet acris & celeris, robusti & pertinacis, lenis & moderati, sufflati, tranquilli, humidi, sicci & similium. Sed ante omnia *calores* ministramus, ad imitationem *caloris Solis*, & cœlestium, qui pertranseunt in æ qualitates multiplices, & veluti orbes, progressus, & periodos, per quas opera mirabilia educimus, nec non habemus imitationes *caloris* fimorum, & ventrium animalium, atq; sanguinis & corporum ipsorum: fœnorum, & herbarum dũ humidæ sunt congestarũ & conclusarũ: calciũ vivarum, & rerum aliarum. Item habemus *instrumenta*, quæ *calorem* excitant, per motum tantum: atq; insuper *loca* ad *insolationes* fortes, & rursus *loca subterranea*, quæ vel natura, vel arte, *calores* excitant. Hos *calores* diversos exhibemus, prout natura operationis, quam designamus, postulat.

Habemus etiam *Domus perspectivæ*, ubi experimenta exhibemus omnium *Luminum* & *Radiationum*; Omnium quoq; colorum; atq; ex corporibus diaphanis & incoloratis, repræsentamus *colores* singulos: non in forma iridum gliscentes, (ut fit in *gemmis*, & *prismatibus*,) sed per se; simplices & constantes. Præterea exhibemus omnem *radiorum multiplicationem*, adeo ut *lumen* ejaculemur, ad distantias magnas, illiq; eam virtutem, & fortitudinem indimus, ut per hujusmodi *lumen*, cerni possint lineæ & puncta tenuissima. Exhibemus omne genus *luminum* tinctorum, & coloratorum, atq; omnes elusiones & deceptiones visus, in figuris, magnitudinibus, motibus, coloribus; omnes *demonstrationes umbrarum*, & *imaginum* in aere volitantium. Invenimus quoq; media complura, apud vos ignota, *luminis* originalis producendi, ex diversis corporibus. Rursus, *artificia* invenimus, per quæ objecta valde remota, in oculos incurrant, veluti, in Cœlo, & aliis locis remotis. Imo etiam quæ prope sunt tanquam ex longinquo ostendimus, & quæ ex longinquo tanquam prope fictas ad libitum exhibentes distantias. Præterea habemus *oculorum adminicula*, quæ bisoculis vestris, & speculis, usu, longe præstant. Habemus etiam *artificia*, & *perspicilla*, quibus corpora minuta & pusilla, distincte & perfecte cernimus; veluti membra, & colores; muscarum exiguarum, & vermium grana & glacies in gemmis alias non visibiles; plurima in urinis, & sanguine, alias item non visibilia. Porro exhibemus *artificiales irides*, *halones*, *circulos*, *vibrationes* & *trepidationes luminis*. Denique exhibemus omnes *modos reflectionis*, *refectionis*, & *conduplicationis* objectorum.

Habemus etiam *gemmas* omnium generum, multasque earum pulcherrimas, & vobis incognitas: item *crystalla*, & *vitra* diversorum generum inter ea autem quædam ex *metallis vitrificatis*, & nonnullis materiis aliis, præter eas, ex quibus apud vos *vitra* conficiuntur. Tum complura etiam *fossilia*, quæ vos non habetis. *Magnetes* item virtutis prodigiosæ, & *lapides* alios raros, tam naturales, quam artificiales.

Habemus etiam *Domos sonorum*, ubi experimur & demonstramus sonos omnes, eorumq; generationes. Habemus *harmonias*, quæ apud vos in usu non sunt, miscentes non tantum *beta* illud acutum & molle, ut vos, sed *quadrantes sonorum*, & sonos tremulos aliquos dulcissimos. Habemus *instrumenta* complura *musica*, quæ vobis nondum innotuerunt, aliqua eorum melodiam exhibentia suaviorem, quam vestra. *Campanas* quoque & *tintinnabula* soni jucundissimi. Exhibemus *sonos* exiles tanquam magnos & graves: similiter tanquam extenuatos, & acutos. Deinfingimus *trepidationes* plurimas ex *sonis*, qui in ortu suo primo integri sunt. Exhibemus atq; imitamur, *sonos* omnes articulatos, & literas, item *Voces*, & *Cantus*, quadrupedum, & avium. Ha-

um. Habemus quoq; *adminicula auditus*, quæ auribus apposita, majorem in modum sensum ipsum, & *sonorum* delationem, promovent. Habemus vocum reflexiones, (quas *Echo* dicitis,) complures mirabiles, & artificiales, vocem non tantum multipliciter repercutientes & jactantes, sed earum alias vocem augentes, alias extenuantes: nonnullas autem earum vocem articulatam reddentes differentem ab originali. Habemus ultimo, *Modos deferendi sonos*, in *tubis*, & *concavis* aliis: ad magnam distantiam, atque in lineis tortuosis.

Habemus etiam *Domos suffitiuum & odorum*, ubi & experimenta *saporum* adjungimus. *Odores* ibi, (quod mirum videri possit,) multiplicamus & fortificamus. Imitamur *odores* naturales, efficientes ut *odores* omnigeni ex aliis mixturis expirent, quam ex genuinis. Similiter etiam *sapores* imitamur, ita ut gustum, quamvis accuratum, plane fallant. In *domo* hac continetur insuper *confectionarium*, ubi conficimus *bellaria*, *placentas*, & hujusmodi alia, tam humida, quam sicca: imo & condimus ea cum rebus aliis dulcibus, gravissimis, præter saccharum, & mel. *Vina* ibi conficimus jucundissima, *lacticinia*, *jura*, *salsamenta*, & *acetaria*, grata certe ad gustum, & vobis minime in usu.

Habemus etiam domus *Machinarum*, ubi præsto sunt *machina*, & *organa*, ad omnia genera mortuum. Ibi tentamus celeriores educere *motus*, quã apud vos nullos habetis, sive ex sclopetis vestris minoribus, sive alia quacunque *machina*. Tentamus item *motus* reddere faciliores, & intensiores, eos multiplicando per rotas, & modos alios. Tum *motus* educimus fortiores & potentiores, quam vos habetis, in majoribus vestris bombardis, & basiliscis quibuscunq;. Exhibemus *tormenta bellica*, & *machinas*, omnis generis; novas *mixturas pulveris pyrii*; *ignes Græcos* in aqua ardẽtes, & inextinguibiles: *ignes missiles* in omni varietate, tã ad voluptatem, quam ad usum. Imitamur ibi *avium volatus*; gradus quosdam habemus, & commoditates *vectura per aerem*, instar animalium alatorum. *Naves* habemus, & *scaphas*, quæ subter aquas navigare possint, & pelagi furores melius perferre: *cingula* etiam ad natandum, & sustulcimenta. Habemus *horologia* complura exquisita, & alios *motus* aeris & aquarum, in orbem, & vices, revertentes; item *motus* nonnullos perpetuos. Imitamur *Motus* Animalium, in *simulachris* eorum: veluti, in simulachris hominum, quadrupedum, avium, piscium, & serpentum. Alios denique habemus *motus*, æqualitate insignes, & subtilitate.

Habemus etiam *Domum Mathematicam*, ubi *instrumenta* omnia, tam *Geometrica*, quam *Astronomica*, exquisitissima, repræsentantur.

Habemus etiam *Domum præstigiarum*, ubi omnimodas *præstigias*, *imposturas & illusiones*, & earum *fallacias*, exhibemus. Facile autem credetis, nos qui tot habemus vere naturalia, quæ admirationem moveant, posse etiam infinita hominum sensibus imponere; sit ea in miraculum ornare, & exaltare vellemus, Verum nos omnem *imposturam*, & *mendacium*, odio habemus. Quinetiam sociis omnibus domus nostræ, sub pœna ignominiæ & mulctæ, severe interdiximus, ne quid ex naturalibus artificioso apparatu ementitum, ostentent, sed purum solum, & omni fuco, & affectatione miraculi, immune. Atq; hæ sunt, (fili,) *Domus Salomonis* divitiæ.

Quantum ad *functiones & munera sociorum* nostrorum; duodecim habemus, qui in regiones exteras navigant, sub aliarum *nationum* nomine, (nostram enim terram non revelamus:) qui libros, materias & exemplaria experimentorum, ad nos perferunt. Hos *Mercatores lucis* vocamus.

Tres habemus, qui experimenta, quæcunq; in libris inveniuntur, colligunt. Hos *Depradatores* vocamus.

Tres habemus, qui experimenta artium omnium mechanicarum; atq; etiam scientiam liberalium, insuper & practicarum omnium, quæ in artem non coaluerunt, colligunt. Hos *Venatores* appellamus.

Tres habemus, qui ad nova experimenta se accingunt, prout ipsis expedire visum fuerit. Hos *fossores*, sive *Operatores in mineris*, vocamus.

Tres habemus, qui experimenta reliquorum supradictorum, in titulos, & tabulas, digerunt, ut intellectus in ea melius agere possit, ad eliciendas ex iis observationes, & axiomata. Hos *Divisores* vocamus.

Tres habemus, qui adhoc ordinantur, ut in experimenta *sociorum* suorum introspiciant, & ex iis extrahant, & comminiscantur inventa, quæ ad usum vitæ, & practicam spectent, nec non quæ inserviant scientis, non solum quoad opera, sed etiam ad liquidas caussarum demonstrationes, modos eliciendi naturales divinationes, aut facilem & manifestam informationem, quæ sint in corporibus singulis partes latentes, quæ virtutes: Hoc *Fuergetas* appellamus.

Tum vero post multos *sociorum* universorum conventus & consultationes, qui labores & collectiones priores penitus introspiciunt, & quasi ruminantur; tres habemus, quibus curæ est, exiis quæ jam sub oculis sunt, nova experimenta, lucis sublimioris, atq; in naturam altius penetrantia, excitare, & dirigere. Hos *Lampadas* vocamus.

Tres habemus, qui experimenta ita injuncta & mandata re exequuntur, eorumq; successus referunt. Hos *Insitores* vocamus.

Postremo, tres habemus, qui inventiones & revelationes priores in natura, per experimenta, in *observationes majores*, *axiomata*, & *aphorismos*, erigunt, & promovent, quod faciunt, non nisi consultatione, & colloquio, prius habitis, cum *sociis* universis. Hos *Interpretes naturæ* appellamus.

Habemus etiam, (ut res ipsa postulat,) novitios quosdam, & tyrones, ut successio hominum ad experimenta & axiomata designatorum, non intercidat, præter famulos multos & ministros, tam viros, quam mulieres: hoc etiam apud nos in more est, ut accurate deliberemus, quæ ex inventis & experimentis nostris, in lucem eductis, evulgari conveniat, quæ autem minime. Quin etiam jurejurando nos omnes astringimus, ad ea celanda, quæ celari decrevimus: etsi nonnulla ex iis, cum consensu, interdum *Regi*, aut *Senatui*, revelemus: alia autem omnino intra notitiam nostram cohibemus.

Quantum ad *ordinationes*, & *ritus* nostros, habemus *porticus* duas spatiosas, & pulchras. In quarum una, ordine collocamus, *exemplaria* rariorum omnium & præstantiorum *inventionum*, in altera autem, *statuas inventorum* insigniorum, ibi statuam videre est *Columbi* vestri, qui primus *Indias Occidentales* aperuit. Itidem *fabricatoris primi navium*. Item *monachi* vestri, qui primus *tormenta* invenit *ignea*, & *pulverem pyrium*. It. *inventoris musicæ & literarũ*. It. *inventoris imprimendi typu*. Item *inventoris phænomenorum Astronomiæ*. Item *inventoris operandi in metallis*. Item *inventoris vitri*. Item *inventoris fili bombycini*. Item *inventoris vini*. Item *inventoris segetum & panis*. Item *inventoris sacchari*. Atq; inventores hosce omnes, apud nos servamus, ex traditione magis certa & fideli, quam apud vos habetur. Deinde habemus *statuas inventorum* complurium insigniorum ex nostris, qui res, & opera nobilia invenerunt: Quæ cum ipsi non videritis, descriptiones eorum facere, nimis longum esset tum in iisdem recte intelligendis, proclive erit errare. Etenim *inventori* rei cujusque digniori, *statuam* mox erigimus, eiq; *honorarium* satis liberale elargimur. *Statuarum* istarum, aliæ ex ære sunt; aliæ ex marmore, & lapide lydio; aliæ ex cedro, & aliis lignis quibusdam pretiosis, inauratis, & adornatis; ex ferro aliæ; aliæ ex argento, quædam ex auro.

Habemus etiam *hymnos* quosdam, & *liturgiarum* formas, quas quotidie cantamus, & recitamus; quibus laudes ac jubilæa, & gratiarum actiones resonamus *Deo*, propter mirabilia opera sua: *precum* item formulas quasdam, quibus auxilium & benedictone ejus imploramus, ut labores nostros dirigere & illuminare dignetur, atque in bonos usus, & sanctos convertere.

Postremo, apud nos in usu est, præcipuas in *regno urbes*, subinde adire, & visitare in quibus, (prout occasio se offert) talia *inventa* utilia revelamus, qualia vobis visum fuerit. Prædicimus etiam, antequam adveniant, (id quod ad *naturales divinationes* pertinet) *morbos epidemicos*, *pestes*, *animalium noxiorum examina*, *famem*, *tempestates & procellas*, *terræ motus*, *inundationes aquarum*, *cometas*, *anni temperaturam*, & alia: quin etiam consilia super rebus hisce damus, & quid populo facere conveniat, ad præventiones, & remedia, hujusmodi *malorum*.

Dumq; hæc dixisset, se in pedes erexit: ego autem, ut edoctus fueram, in genua procubui, unde dextram capiti meo imponens, dixit: *Benedicat tibi Deus, fili mi, huic itidem relationi, quam feci. Deus benedicat. Licentiam tibi concedo, in bonum gentium aliarum eandem evulgandi. Siquidem nos hic in sinu Dei vivimus, natio aliis penitus incognita.* Hæc locutus discessit: Assignaverat autem bis mille circiter Aureos, muneris loco, mihi & sociis meis numerandos. Largiores enim magni sunt, ubicunque venerint, &c.

F I N I S.

FRANCISCI BACONI, BARONIS DE VERVLAMIO, VICE-COMITIS SANCTI ALBANI, AC SUMMI ANGLIÆ CANCELLARII,

HISTORIA REGNI HENRICI SEPTIMI, ANGLIÆ REGIS.

OPUS VERE POLITICUM.

Impensis Johannis Baptistæ Schônvvetteri.

Anno clɔ Iɔc LXIV.

Vv

Illustrissimo & Excellentissimo PRINCIPI

CAROLO,

PRINCIPI WALLIÆ, DUCI CORNUBIÆ, COMITI CESTRÆ, &c.

Excell. Princeps!

UT *in parte recognoscerem Debitum infinitum, quo* Celsitudini *vestræ obstrictus sum, operam dedi, ut Honorem exhiberem, Memoriæ* Regis *illius* Angliæ, *qui ex Progenitoribus* Regis Patris vestri *& vestri ipsius fuit postremus: Cui* Regi *utrq;* Unio *quodammodo attribui possit: Quandoquidem illa* Rosarum *in ipso consummata fuit, illa vero* Regnorum *fundata inchoata. Quin etiam, Tempora ejus celebrari merentur. Vir enim Prudens fuit, & Rex Egregius: Tempora nihilominus sua turbida, & Mutationum & Eventuum rariorum plena. Etenim in* Temporibus *idem usuvenit; quod in* Viis: *ut alia sint magis Acclivia & Declivia, alia vero magis Plana & Æquabilia. Quorum alterum Genus* Temporum *Viventibus commodius, alterum Scribentibus gratius. Neutiquam eum assentatione colui, sed Imaginem ejus ad vivum excepi; quantum fieri potuit, stando tam procul, & luce paulo obscuriore. Verum est,* Celsitudinem *vestram ante oculos habere, Exemplar Incomparabile,* Regis Jacobi Patris vestri: *Attamen, non abs re vobis fuerit, unum ex Antiquioribus etiam Exemplaribus intueri,* Deus Opt. Max. Celsitudinem *vestram conservet incolumem.*

Celsitudinis vestræ Servus
Humillimus & Devotissimus
FR. S. ALBAN.

HISTORIA REGNI HENRICI SEPTIMI, REGIS ANGLIÆ.

Aspta Bibliotheca Roberti Cottoni multum auctori in scribendo hac historia ipse pro suffuit ejus Reg. 1084.

POstquam *Richardus* ejus Nominis *Tertius*, de facto *Rex*, sed Titulo & Regimine *Tyrannus*: atque ita hucusque appellatus & habitus, Ultione divina, exulis Expeditionē fortunante, in prælio apud *Bosvvorth*, victus fuisset & interfectus: successit ei in Regno, *Comes Richmondiæ*, exinde *Rex*, *Henricus Septimus* appellatus. *Rex* statim à Victoria, ut qui sub Matre admodum pia, & devota, educatus fuisset atq; Naturæ suæ ductu, Sacris operandis deditus esset; Canticum *Te Deum* cantari solenniter jussit, toto exercitu præsente, in Loco ipso, ubi pugnatum fuerat. Ipse autem, magno Applausu, & lætis Acclamationibus, Militari quadam electione, aut Recognitione, *Rex* est salutatus. Interim, Corpus *Richardi*, post multas Injurias & Contumelias, (quæ pro Commemorationibus Funebribus, & Exequiis, plebi, versus Tyrannos, esse consueverunt) obscure sepultum est. Etsi enim *Rex* ipse, qua fuit Nobilitate, *Fratribus Monasterii* de *Leicestria* mandasset, ut honorifice humaretur, attamen Religiosi ipsi (à Vulgi affectibus haud immunes) hoc facere neglexerunt: Neq; tamē propterea ullius Reprehensionem aut Censuram subierunt: Cum nemo ullum Ignominiæ aut Contumeliæ Genus, in eum Virū injuriosum fuisse existimaret, qui propriis Manibus *Henrici Sexti* (Principis innocentissimi) Carnifex fuisset; Qui necem etiam Fratris sui *Clarentiæ Ducis* procurasset; Qui *Nepotes* suos, primo Juventutis flore (quorum Alter eo tempore Rex ejus erat Legitimus: Alter quoq; in futuro, si aliquid Fratri humanitus contigisset) occidisset; Qui deniq; gravi infamia laborasset, quod *Vxorem* suam veneno sustulisset; ut ad Incestuosas cum *Nepti* sua Nuptias lectum sterneret. Quanquam autem Princeps fuisset in Militari Virtute probatus, atq; Honoris Anglici Assertor strenuus, Legislator item bonus, in Levamen & Solatium Vulgi; tamen omnium Opinione, longe, Virtutib. & Meritis ejus, præponderabant Parricidia & Scelera; Quin & Opinione Prudentium, ipsæ illæ Virtutes habitæ sunt potius, pro Rebus Affectatis & Fictis, ut Ambitioni suæ velificaret, quam pro Dotibus Naturæ suæ aut Judicio insitis. Itaque notatum est, à Viris perspicatioribus (qui priora Gesta ejus ad posteriora trahebant) cū, etiam tempore Regni Fratris sui *Edvvardi Quarti*, in hoc callide & secreto incubuisse: ut Fratris Regimini Invidiam & Odiū conflaret: Cum expectaret, & quasi divinaret, Regem, propter Luxum & Intemperantiam, diu non victurum, sed Filios suos, tenera adhuc ætate, relicturum: Tum vero satis noverat, quam facilis esset Ascensus à fastigio *Protectoris*, & primi Regii sanguinis Principis, ad ipsam Coronam. Atq; ex hoc Ambitionis profundæ Fonte promanasse, quod, tam sub Tractatum illum Pacis & Fœderis, inter *Edvvardum*, & *Ludovicum Undecimum Galliæ Regem*, icti, & colloquio utriusque Regis apud *Pigueneam* firmati, quam alias, *Richardus* tunc *Glocestriæ Dux*, Pacem pro viribus impugnasset, & à parte Honoris stetisset, Existimationem suam in Fratris contumeliam attollens, oculos omnium (præsertim Nobilium & militum) à Fratre in seipsum convertere cupiens: quasi Rex, vita sua luxuriosa, & minus nobili conjugio, effœminatus factus esset, minusque Honoris sensu, & Reipublicæ cura, quam Regem deceret, tangeretur. Quatenus vero, ad Leges illas Salubres, & Politicas, quæ ejus tempore introductæ erant & sancitæ, interpretabantur Homines, eas nihil aliud fuisse, quam Tyranni inescationes, & Lenocinia, quibus se Populo ostentaret, eorumque benevolentiam captaret: cum sibi ipsi conscius esset, quod plane deesset sibi verum Obedientiæ Subditorum Vinculum; Jus scilicet ad Regnum, Legitimum. At *Henrico*, in Introitu in Regnum suum, & in ipso Momento, quo Corona ad ipsum delata est, occurrit res perplexa prorsus & nodosa, nec facile solubilis: quæq; posset Regem vel prudentissimum, præsertim in Regni sui Novitate, perturbare, & in diversas partes trahere; Atque eo magis, quod erat hujusmodi Res, quæ moram & Deliberationem non pateretur, verum necesse foret, de ea, simul & deliberare, & statuere. Evenit, ut in ejus Persona, tres Tituli diversi, quibus Regnum sibi vendicare posset, concurrerent. Primus erat Titulus *Reginæ suæ Elizabethæ*; Cui etiam accesserat Pactum illud, quo se Proceribus,

quorum

quorum auxiliis Regnum adeptus est, obstrinxerat, de Nuptiis cum illa contrahendis, Quod illum in jure ejus regnaturum, haud obscure subinnuebat. Secundus, vetus ille, & tam Jure quam Armis disceptatus Titulus, inter *Familias Lancastriæ* & *Eboraci*; Quarum alteri, *Lancastriæ* scilicet, ipse se pro Hærede gerebat. Postremus erat Titulus *Gladii* & *Armorum*, quod Victoria sibi aditum fecisset, & quod *Rex*, qui in possessione Regni fuit, in pugna fuisset occisus. Horum Titulorum Primus, maximè erat favorabilis, quique animos Subditorum sibi potissimum conciliare posset; qui per spatium viginti duorum Annorum, quibus *Edvvardus Quartus* regnarat, opinionem penitus imbiberant, de Jure *Rosæ Albæ* sive *Familiæ Eboracensis*; atq; in eam Stirpem, propter benignum & gratiosum ejusdem *Edvvardi*, præcipue posterioribus vitæ suæ Annis, Regimen, propendebant. Attamen observabatur ei ante oculos cogitatio illa, quod sibi huic Titulo inniteretur precario fere Rex futurus fuisset, atque Matrimoniali potius Jure, quam vere Regio imperaturus; Jure Regni in Persona *Reginæ* suæ permanente: quę si decessisset, vel Prole relicta, vel sine Liberis, necesse illi fuisset Regno cedere, & in Fortunam privatā redigi. Et licet magna Spes subesset, quod Comitiorum suffragiis, Regnum in Persona sua, durante Vita sua, continuare, & stabilire posset: Attamem reputabat secum Rex prudentissimus, haud parum interesse, si quis Actorum Civiliū Auctoritate, in Regnum ascitus esset, & si quis Regnū Jure naturali, & Jure Sanguinis, obtineret. Neque defuerunt, eo tempore, Rumores & Susurri secreti (qui postea vires nacti sunt validas, & magnas perturbationes pepererunt) quod scilicet, duo illi *Edvvardi Quarti* Filii, (aut saltem ex illis Alter) qui in Turri Londinensi dicebantur esse sublati, revera Mortui non essent, sed clanculum è Custodia emissi, & adhuc viverent. Quod si verum fuisset, actum esset de Titulo *Uxoris* suæ *Elizabethæ*. Ex altera parte, si Juri proprio & in Persona sua inhærenti, tanquā *Hærede Familiæ Lancastrensis*, insisteret, satis sciebat, Titulum illum, à Comitiis Parlamentariis, jampridem damnatum fuisse, & totius Populi præjudicio exclusum: Quodq; hæc Res ad Exhæredationem *Familiæ Eboracensis*, tunc pro indubitatis Regni Hæredibus habitæ, manifesto tendebat: Animoq; providebat fore, ut si nullos ex *Elizabetha* Liberos progigneret, in quibus Jura utriusq; *Familiæ* coalescerent, tunc veteres illæ Discordiarum & Bellorum intestinorum Flammæ & Incendia, iterum redire, & redivivæ factæ, per omnia grassari possent. Quatenus vero ad Jus *Victoriæ* & *Armorum*, quamvis *Guilielmus Stanlejus*, post Militum à prælio Acclamationes, *Coronam* (nō imperialem illam, sed quam Ornamenti & Ominis caussa, *Richardus* secum in bellū attulerat,) tunc forte inter Spolia repertam, Capiti *Henrici* imposuisset, ac si Jure Belli Regno potitus esset; haud tamē oblitus erat, quibus Pactis & Legibus ad imperium vocatus esset; Quodque si Jure Armorum regnare se prædicasset, non minus suæ Factionis Homines, quam alios omnes, in magnos metus conjecturus fuisset; Utpote quod ei potestatem fecisset, Leges, pro libitu suo, abrogandi, & de Fortunis ac Opibus omnium statuendi, & cæterarum Rerum quæ absoluti sunt Imperii. Quæ Res tam asperæ & odiosæ visæ sunt, ipsi *Guilielmo Normanno*, *Angliæ Regi*, (quem vulgo vocant *Conquestorem*) ut licet Victoris Jura re ipsa exerceret, ad *Normannos* scilicet suos renumerandos, verbo tamen abstinuerit: Neq; hoc jure se regnum tenere unquam professus sit, sed illud titulari quodam Prætextu velaverit, in Testamento, & Designatione *Edvvardi Confessoris* fundato.

Verum *Rex*, pro Animi sui Magnitudine, Aleam statim jecit: Et incommodis se ex omni parte prodentibus, recte appensis: & satis gnarus, inter regnum aut Tituli suspensionem, Leges Regni non permittere; sive Amori erga Familiā suam reliqua post habens: Sive Titulū illum præoptans, qui sese sisteret maxime liberum, & independentem: Quin & Natura, atque Animi Constitutione, minime in longum prospicere solitus, sed veluti Fortunam, ut apud seper diem mereretur, conducere: Titulo *Lancastriæ* tanquam Principali niti decrevit: Reliquis autem duobus, (videlicet *Nuptiarum* & *Armorum*) pro Adminiculis tantummodo uti: Priore, ad secretam Invidiam leniendam, Posteriore, ad Murmura & Contradictiones apertas compescendas: Minime oblitus, ipsum illum Titulum *Lancastriæ*, per tres continuas Regnum Successiones valuisse, atq; plane perpetuari potuisse, nisi per Judicii Debilitatem, in Principe postremo regnante, defecisset. Unde ipso Prælii Die, qui fuit *Augusti* vicesimus secundus, suo nomine, nulla facta Uxoris mentione, Regnum assumpsit. In quo consilio, ad extremum usq; perstitit, quod multarum ei Seditionum & Turbarum telam quandam texuit.

Rex harum Cogitationum plenus, ante suum à *Leicestria* Discessum, *Robertum VVilloughbejum* Equitem Auratum, ad Castrum de *Sherry Hutton*, in Comitatu *Eboracensi*, misit, ubi in salva custodia, jussu *Richardi*, detinebantur, tam Domina *Elizabetha Regis Edvvardi* Filia, ad nuptias *Henrici* destinata, quam *Edvvardus Plantagenista*, Filius & Hæres *Georgii* nuper *Clarentiæ Ducis*. *Edvvardus* iste, traditus fuit à Castri Præfecto, per Mandatum *Regis* expressum, in Manus *Roberti VVilloughbeii*; Et per eum, magna cura & diligentia, Turri Londinensi inclusus, ubi in arcta custodia servatus est. Quod Factum *Regis* (Imperio mero, & Politicis Rationibus tantūmodo subnixum) non ex eo proveniebat, quod Rex alicujus momenti putarat esse Fabulā illam, quam *Doctor Schavvus*, ad *Crucem D. Pauli*, in concione publicavit, de Natalibus illegitimis Liberorum *Regis Edvvardi*, in quo casu *Edvvardus* iste proximus fuisset Regni Hæres, (illa enim Fabula jampridem explosa fuit) sed quod in Animo fixum & constitutum apud se haberet, Personas quascunque eminentiores, ex Linea Eboracensi oriundas, deprimere. In quo instituto, Rex perpetuo, sive Affectus sui pertinacia, sive ex Judicii imbecillitate, potius se Partibus addictum præbuit, quam Regii Decoris memorem.

Quatenus ad Sponsam *Elizabetham*, Literas ad eam misit, ut quam primū *Londinum* se conferret, ibiq; cum Regina vidua, Matre sua maneret. Quod paulo post illa præstitit, multis ex Proceribus & Fœminis Nobilioribus, comitata. Interea *Rex* itineribus exiguis *Londinū* versus contendit, Populi Plausibus & Acclamationibus eum ubiq; deducentibus, quæ proculdubio fuerunt sinceræ, & minime simulatæ: Quod in eo cernere erat, quia tanta Alacritate, & impetu fundebantur. Recipiebant enim

eum, veluti Principem cœlitus demissum, qui inveteratis, inter duas illas *Familias*, Discordiis finem imponeret; Quæ, licet temporibus *Henrici Quarti*, *Henrici Quinti*, & aliquibus Annis *Henrici Sexti*, ex una parte, & *Edvvardi Quarti* ex altera, lucidis Intervallis, & felicibus Cessationibus, gavisæ essent: nihilominus perpetuo, veluti Nubes procellosæ, Regno imminebant, novos Motus & Calamitates minantes. Et sicut ex *Victoria* ejus, flexa sunt Hominum Genua, ita ex *Nuptiis Elizabethæ* destinatis, etiam & Corda.

Ipse interim, pro summa sua prudentia, (Affectuum & metuum populi non ignarus) ut Opinionem & Terrorem de Regno debellato dissiparet, præceperat, ut Profectio sua nihil Profectionis Militaris simile haberet, sed potius Itineris pacifici, quali Reges, Animi causa Provincias suas peragrantes, uti solent.

Civitatem *Londini* Die Saturni ingressus est, sicut & in Die Saturni Victoriam obtinuerat: Quem Diem Septimanæ, primum, ex Observatione Eventuum, dein ex Memoria & Opinione, præ cæteris, tanquam sibi faustũ & prosperum subinde delegit.

Major Londinensis, Comitatus Fraternitatibus Civitatis, solenni pompa, apud *Shore-ditch*, eum recepit: Ex quo loco, magna Procerum & Virorum primariorum caterva stipatus, Urbẽ ingressus est: Ipse, non Equo, aut aperto aliqua Sella, aut Throno, sed Curru clauso vectus est, utpote qui Regni universi quondam Hostis publicatus, & Proscriptus, satius sibi duxit, Majestatem suam tueri, & Reverentiam sui Populo incutere, quam Favorem ejus ullatenus aucupari.

Primum omnium Templum *D. Pauli* adiit; ubi minime volens populum citius, quam oportebat, oblivisci, ipsum Prælio Regnum adeptum, Vexillũ suum in Templo obtulit, & reposuit, precibusq; pro more solennibus interfuit, Hymnumque *Te Deum*, iterum cantari fecit: Deinde, ad Palatium Episcopi Londinensis, ubi Hospitium ei paratum erat, se contulit, atque illic per aliquot dies mansit.

Dum ibi moraretur, Sanctius Consilium suum, adhibitis etiam aliis magnæ Dignitatis Viris, convocavit, in quorum præsentia Pactum suum, de ineundo cum *Elizabetha* Matrimonio, renovavit. Quod ut faceret, illud eum maxime impulit, quia sub discessum suum è *Britannia*, spem nonnullam summo cum artificio injecerat, (prout tunc Res suæ postulabant) se, si in Regno Angliæ obtinendo sibi Res feliciter cederent, *Annam Ducatus Britanniæ* Hæredem, (quæ paulo post *Carolo Octavo Franciæ* nupsit) in Uxorem ducturum. Itaque suspicio nonnulla oborta est, eum minus sincere aut minus constanter se gerere, in Tractatu Matrimonii cum *Elizabetha*, omnium votis vehementer expetiti: Quæ etiam Fama, licet Sermonibus tantum Hominum jactata, miseram *Elizabetham* miris modis afflixerat. Verum ille, optima fide agebat; Quin & hoc ab omnibus credi expetebat (ut hoc modo, Invidiam & Contradictiones, ad ea quæ animo volvebat, facilius restingueret) cum tamen apud se secreto statuisset, ad Consummationem Matrimonii nõ procedere, donec solennis sua inauguratio, & Comitia Parlamentaria, celebrata essent. Quorum primum eo spectabat, ne Coronatio Sui ipsius, & Reginæ conjunctim (ut par erat) facta, speciem aliquam participationis in Jure Regni, præ se ferret; Alterum, ne in Jure Coronæ stabiliendo, in persona sua, (id quod Comitiorum Auctoritate se consecuturum confidebat) vota Ordinum ullatenus in *Elizabetham* reflecterent.

Circa hoc tempus, in *Autumno*, versus Finem *Septembris*, grassari cœpit, tum in ipsa urbe Londini, tum in aliis Regni Partibus, Morbus quidã Epidemicus, tunc temporis novus: Cui, ex natura & Symptomatibus ejus, Febris Sudorificæ nomen indiderunt. Morbus iste, breves sortitus est Periodos, tam in Morbi ipsius Crisi, quam in Tempore Durationis ipsius: Quippe, qui eodẽ correpti erãt, si intra spatium viginti quatuor Horarum non morerentur, securi fere & sine metũ erant. At quoad spatium temporis, per quod Malitia Morbi duravit, incœpit quidem circa vicesimum primum *Septembris* diem, cessavit autem sub finem *Octobris* sequentis: Adeo ut Festum Regiæ Coronationis, quod celebratum est ultimo *Octobris*, neutiquam procrastinaverit aut impediverit: Neque itidem Comitia Parlamentaria, quæ intra septem à Coronatione dies successerunt. Fuit iste Morbus, Febris pestilentis genus quoddam; Neq; tamen (ut videtur) in Venis aut Humoribus sedem occupans, cum non Pustulæ, non purpureæ aut lividæ Maculæ sequerentur, (Massa scilicet Corporis intacta:) Tantũ malignus quidam Vapor, & Aura, ad Cor advolavit, Spiritusq; Vitales petebat & occupabat; unde Natura excitabatur ad eundem per Sudores emittendum & exhalandum, Patuit autem per Experientiam, quod Morbus iste, Naturæ potius insidiator erat, eamq; imparatam opprimebat, quam adversus Remedia obstinatus, si in tempore subventum foret. Etenim si Ægrotus, inæquabili temperamento, quoad Vestes, & Focum, detentus esset, tepidumque bibisset, & Cordialia etiam temperata sumpsisset, unde Naturæ ipsius Opus, nec Calore irritaretur, nec Frigore repelleretur, plerumque Sanitas sequebatur. Verum innumeri Homines ex eo subito occubuerunt, antequam Curationis Modus, & Regimen Ægroti innotesceret. Opinio erat, Morbum istum, neutiquam ex Epidemicis illis, qui simul contagiosi sunt, & de Corpore in Corpus fluunt, fuisse: sed à malignitate quadam, in ipso Aëre: ex Prædispositione Tempestatum, & Mutationibus Cœli crebris & insalubribus, impressa, manasse: Atque brevis ejus Mora hoc ipsum indicabat.

In Vigilia Sanctorum *Simonis* & *Judæ*, pransus est *Rex*, apud Ædes *Thomæ Bourchieri*, *Archiepiscopi Cantuariæ*, & *Cardinalis*: Et à *Lambitha*, per Prata profectus est, (Pontem transiens,) ad *Turrim Londinensem*: Ubi die sequenti duodecim Equites Vexillarios (quos vocant: *Banarrettos*) creavit. At Creationes Nobilium parca manu dispensavit: Etenim, licet Prælium nuper commissum fuisset, & Coronationis Celebritas prope instaret, tres tantùm evexit. *Jaspar Comes Pembrochiæ*, *Regis* Avunculus, promotus est in *Ducem Bedfordiæ*, *Thomas Baro Stanlejus*, *Regis* Socer, factus est *Comes Derbiæ*, *Edvvardus* autem *Courtnejus*, *Devoniæ*. Quamvis *Rex* etiam tunc apud se statuisset, tempore Comitiorum, in plures Nobilitatis gradum conferre; Ita rem distribuens, ut civiliter admodum & decore, hujusmodi Magnificentiis, partim Festum Coronationis suæ, partim Conventum Comitiorum, ornaret.

Sequuta post biduum Coronatio ipsa, tricesimo die *Octobris*, *Anno Salutis* 1485. Quo tempore, sedit

sedit *Innocentius Octavus Papa Romanus*: *Fredericus Tertius, Imperator Alemanniæ*; fuit *Maximilianus* autem Filius ejus nuper electus in *Regem Romanorũ*, *Carolus Octavus* in *Galliis* regnavit, *Ferdinandus* & *Isabella Hispaniis* imperarunt; *Jacobus Tertius Scotiæ* Regnum tenuit; Inter quos omnes Principes, & Regem, Pax & Amicitia, eo tempore intercessit. Quo insuper die (quasi Corona Capiti inposita, etiam Formidines Animo instillasset) instituit, ad majorem Securitatem, *Cohortem quinquaginta Sagittariorum*, sub Præfecti Regimine, qui corpus ejus stiparent, per Nomen *Satellitii Inferioris*. Veruntamen, ut hoc se fecisse putaretur, potius Majestatis suæ augendæ gratia, atq; imitatione Moris illius, quem in Partibus transmarinis observaverat, quam metu, quasi rebus suis diffideret, ordinavit hoc pro instituto non temporaneo, sed quod etiam apud Successores suos retineretur.

Septimo *Novembris*, *Rex* Comitia Regni sui inchoavit, quæ immediate post adventum suum Londinum summoveri fecit. Consilia ejus & Fines, in Comitiis tam propere convocandis, fuerunt præcipue tres. Primus, ut Regnum in persona sua, Suffragiis Ordinũ, stabiliretur. Secundus, ut Condemnationes & Proscriptiones eorũ, qui à partibus suis steterant (quæ fuerunt plurimæ) rescinderentur; & facta quæcunq; Hostilia, quæ ab illis, in causa ejus, fuerunt perpetrata, à pœna eximerentur, plenaq; iis venia fieret: Atque ex altera parte, ut præcipui ex Hostibus suis, & potentissimi, judicio Ordinum damnarentur. Tertius, ut inferioris Conditionis Homines, qui *Richardo* adhæserant, (ne forte novis Motibus materiam præberet) Remissionem generalem, qualis in fine Comitiorum à Rege emanare solet, consequerentur: Haud immemor, quantum *Regi* periculi immineat à Subditis suis, cum maxima pars eorum sibi conscia sit, periculum sibi imminere à *Rege*. Accedebat & alia caussa Comitiorum non parva. Nimirum quod ipse, tanquam Princeps Prudens & Moderatus, secum reputabat, rebus suis convenire, ut mora omissa, manifestum Populo suo fieret, sibi in animo esse, ex norma Legũ suarum regnare, licet in ore Gladii ingressus esset. Nec minus, ut assuefaceret Subditos, pro *Rege* eum venerari & recognoscere, quem modo pro Hoste & Exule ducebant. Quod ad stabilimentum Coronæ, præterquã quod illud mordicus tenebat, ne sponsæ suæ ulla prorsus fieret mentio (imo nec quod minimum erat permittẽs. *Ut Liberi ex ea suscepti primi ante omnes succederẽt*) alias magna prudentia & moderatione, rem tractavit. Neq; enim illud urgebat, ut per viam Declarationis, aut Recognitionis Juris sui, Statutum perscriberetur: Sicut ex altera parte, ut tanquam Lex nova sanciretur, minime volebat; Sed potius media viu instituit, simplicis scilicet stabilimenti, idque verbis tectis & utrinq; nutantibus; His scilicet, *Ut Hæreditas Coronæ sideret, remaneret, & continuaretur in Rege, &c.* Quæ verba, in utrumq; sensum trahi poterant: Illud commune habentia, ut scilicet Corona in eo stabiliretur; Sed, utrum hoc ex Jure præ existẽte, (quod in dubiũ vocabatur) an quod de Facto, in possessione Coronæ erat, (quod nemo negabat) in medio relinquebatur, ut utramlibet Interpretationem reciperet Quinetiam in Propaginis, quæ ad Successionem admittebatur, limitatione, eam non ultra personam suam, & Hæredes ex Corpore suo, extendi volebat: omissa Hæredum Generaliũ mentione, sed illud Legis Decisioni, qualis ex verbis antedictis elici poterat, subjiciebat. Ita ut Stabilimentum istud, potius gratiam personalem sibi, & Liberis suis factã, quam *Familiæ Eboracensis* Exhæredationẽ totalem, saperet. Atq; tali temperamento Lex condita & sancita est: Quam legem *Bulla Papali*, proximo Anno, muniri procuravit; Mentione nihilominus facta per vitam *Recitationis*, Reliquorum titulorum, tam *Sanguinis*, quam *Victoriæ*, Ita ut jam Triplex ille *Titulus* suus factus esset Quintuplex: Addita scilicet tribus illis, quibus initio nitebatur, Auctoritate *Papali*, & *Parlamentaria*.

In iisdem quoq; Comitiis, Rex, in rescindendis eorum, qui à partibus ejus steterant, Convictionibus, iisdemque ab omnibus Criminibus, & pœnis, propter ea quæ in sua causa commiserant, eximendis, quod voluit, obtinuit: Sancitaq; sunt Statuta in eam sententiam. Cum vero Statutum illud esset sub Incude, intervenit Quæstio Juris satis subtilis. Dubitatum est enim, utrum Suffragia Complurium, in inferiori Consessu tunc existentium, valida essent & legitima, eo quod, Proditionis, tempore *Richardi*, damnati fuissent: Unde incapaces, & inhabiles redditi essent, in summo gradu. Incongruum enim quiddam videbatur, ut illi Leges conderent, qui ipsi Ex-leges essent. Sic autem se res habuit, Plurimi ex iis, qui temporibus *Richardi*, in *Regis Henrici* partes, maxime inclinarant, pro Equitibus & Burgensibus Parlamenti, electi & delegati fuerunt: sive hoc Rex secreto procuraverit, sive ex mero Populi Affectu processerit: Quorum plerique, temporibus *Richardi*, damnati fuerant, & proscripti. *Rex* Quæstione ista nonnihil commotus est. Etsi enim gravi & specioso prætextui inniteretur, *Regis* tamen partes haud obscure perstringebat. Sed prudenti admodum consilio se reprimens, Quæstioni illi satis æquum se præbuit, quasi nihil aliud esset, quam Controversia quædam de Apicibus Juris. Ideoque Judices de ea consulebant, qui in eum finem *Sacchariii Camera* (ubi haberi solet Judicum Conciliũ) cõvenerunt. Illi autem, re maturius deliberata, gravem & sobriam Sententiam tulerunt, ex Legum Norma, & Æquitate Naturali temperatam: Pronunciarunt enim, ut Equites & Burgenses illi damnati & proscripti, à Conventu Parlamentario abstinerent, donec perlata esset Lex, de Convictionibus eorum revocandis.

Eodem quoque tempore, mota forte erat Quæstio, inter Judices (dum de priore Quæstione consultarent) quid fieri deberet circa *Regem* ipsum, qui, ut cæteri, condemnationem subierat. Sed fuit unanimi Judicum consensu conclusum & firmatum; *Coronam ipsam omnes Sanguinis Oppilationes, quæ Descensum Coronæ ullatenus impediunt, deobstruere*, Itaque à quo tempore *Rex* Coronam assumpserat, Fontem Sanguinis fuisse expurgatum; Omnesque Sanguinis Corruptiones & Impuritates sublatas, ut *Regi* opera Parlamentaria non fuisset opus. Veruntamen, Honoris caussa, ab *Ordinibus* Regni tunc mandatum est: ut quæcunque Archiva, & Memoriæ, Condemnationis *Regis*, aliquam facerent mentionem, obliterarentur, cancellarentur, & penitus abolerentur.

Ex parte autem hostium *Regis*; Parlamento condemnati sunt, nuper *Dux Glocestriæ*, *Richardum Tertium* se appellans; *Dux Norfolciæ*; *Comes Surriæ*

Vicecomes Lovellus; *Baro Ferrerius*; *Baro Zouchus*; *Richardus Ratcliffus*; *Guilielmus Catesbeius*; Et alii complures eminentioris conditionis Homines. In quibus Statutis Condemnatoriis, complures insertæ sunt Clausulæ, justæ admodum & temperatæ Reservationis, & Limitationis, liquido indicantes & præmonstrantes, qualis esset prudentia *Regis*, qualis temperantia & moderatio ejus; quæ spem etiam in futurum facere poterant, Imperii Æquabilis & Mansueti. Quatenus vero ad cōdonationem generalem, qua cæteris, qui contra *Regem* Arma tulerāt, indulgere in animo habebat, *Rex* secundis usus cōgitationibus, minus convenire putabat, ut à Parlamentaria Auctoritate promanaret: Sed potius, ut cum esset Res gratiosa & honorifica, integrā Beneficii gratiam in seipsum transferret: Usus tantum opportunitate consessus Parlamenti, quo melius in Venas universi Regni, Fama rei spargeretur. Itaque durante adhuc Parlamento, *Edictum Regium* promulgavit: Veniam præteritorum, & Restitutionem Fortunarum, impertiendo iis, qui contra eum Arma tulerant, aut Hostilia machinati erant, modo, intra Diem præfixum, Misericordiæ suæ se submitterent, & Juramentum fidelitatis susciperent. Unde multi ex *asylis* emigrarunt, Plures autem ex Metu, non minus nocentes, quam ii, qui intra septa *Asylorum* se receperant.

Quod vero ad *Pecunias* attinet, judicavit *Rex* tempestivum non esse, & minus convenire, ut ab ordinibus, his comitiis, aliquas postularet; Tam quia in Rebus tanti momenti, Subditi ejus sibi gratificati erant, Quam etiam, quod eos remunerare nequiverat Remissione generali, (qualis in Parlamentis concedi solet) quia hanc Munificentiam sibi præripuerat similis remissio, quæ sub coronationē ejus paulo ante, de more exiit: Maxime autē, quia ante oculos omniū observabatur, quantas foris facturas & Confiscationes tunc temporis obtinuerat, quæ thesauris suis replendis sufficeret: Unde Casualia illa Coronæ, merito possent contributionibus subditorum parcere, tempore præsertim, quo pacem cum omnibus Principibus Vicinis coleret. Paucæ admodum Leges in iis Comitiis latæ sunt, quasi pro Forma tantum: Inter quas, una fuit, ut Exteri, licet civitate donati, nihilominus Vectigalia, qualia imponi solent meris Exteris, solverent: Altera, ut Mulctæ Mercatorum *Italorum*, propter Pecunias, quæ proveniebant ex Mercibus suis venundatis, in Nativas Regni Merces non impensas, *Fisco Regio* applicarentur. Utraque Lex ad Pecunias corrogandas spectabat, Cujus rei, jam à principio Regni sui. Rex immemor non erat, atque ad finem Regni felicius ei cessisset, si Providentia ista matutina (quæ ab Indigentia omni, propter quam necesse haberet subditos suos gravare, eum muniebat) potuisset una Ingenium ejus, in hac parte, frænare & temperare. Durante tempore Comitiorum, addidit & alias creationes Nobilium, ut supra innuimus. *Baro Chandos de Britannia* factus est *Comes Bathoniæ Ægidius Daubenejus* Eques Auratus, factus est *Baro Daubenejus*: & *Robertus VVillough-bejus*, Eques itidem Auratus, *Baro Brokus*.

Præterea *Rex*, summa cum Magnanimitate & Munificentia, (quæ Virtutes adhuc per vices in eo valebant) *Edvvardum Staffordum*, (Filium Primogenitum *Henrici Ducis Buckinghamiæ*, tempore *Richardi* condemnati) restituit, non solum Honoribus & Dignitatibus Paternis, verum etiam fortunis & possessionibus, quæ amplissimæ fuerunt. Ad quam Rem, summæ certe Liberalitatis & decoris, inter cætera eum movit, grati & generosi animi sensus quidam, quod præfatus *Dux* is fuisset, qui primum Lapidem contra tyrannidem *Richardi* moverat, Et revera, pontem *Regi* ad Regnum super Ruinas proprias straverat. Atque his peractis Comitia Parlamentaria soluta sunt.

Solutis Comitiis, *Rex* confestim pecunias misit, ad *Marchionem Dorcestriæ*, & *Johannem Bourchierum* Equitem Auratum, redimendos: quos pignorū loco *Parisiis* reliquerat, pro pecuniis quas mutuo sumpserat, cum Expeditionem in *Angliam* susceperat. Atque hac occasione arrepta, Literas misit ad *Majorem*, & *Cives Londinenses* per manus *Domini Thesaurarii*, & *Magistri Braii*, (quem Consiliarii loco habuit) quibus petebat, ut ab iis mutuaretur Summam quatuor mille Librarum. Cujus Summæ, post varios sermones utrinque habitos, Dimidium tantum impetrare potuit. Quod tamen eorum Responsum, *Rex* in bonam partem accepit, ut facere solent, qui Pecunias mutuantur, antequam eos premat necessitas. Sub hoc tempus, *Rex* in Concilium suum sanctius ascivit, *Johannem Mortonum*, & *Richardum Foxum*, alterum *Eliensem*, alterum *Exoniensem Episcopum*, Homines exsomnes, & multi silentii, quique una cum eo, excubias quasdam agebant, in aliosomnes. Uterq; Negotiis suis admotus fuerat, antequam ad Regnum ascendisset, & Fortunæ illius adversæ participes. *Mortonum* istum, paulo post diem suum obeunte *Burchiero*, ad *Episcopatum Cantuariensem* evexit. *Foxum* autem *Custodem privati sui Sigilli* constituit, Et postea, gradatim eum transtulit, à sede *Exoniensi ad Bathoniensem*, dein ad *Dunelmensem*, & postremo ad *VVintoniensem*. Etsi enim *Rex*, ad Negotia sua tractanda, consueverat *Episcoporum* opera uti, quia cum magnis Reditibus gauderent, Præmia sua secum portabant: attamen per Gradus hoc facere amabat, ut *Primitias Episcopatuum* sibi accumularet, quæ per hanc graduum seriem multiplicabantur. Licet enim tunc temporis *Reditus* ille ex *Primitiis*, *Reditibus Regiis* non fuisset annexus, sed *Tributo Papali* cesserat: Attamen, ipse ita cum *Collectoribus Papæ* se gerere solebat, ut haud parvum inde commodum sibi redundaret.

Verum tandem aliquando, Decimo Octavo die *Januarii*, secutæ sunt Nuptiæ, tam diu expectatæ & expetitæ, inter *Regem*, & *Dominam Elizabetham* ei antea desponsatam. Qui quidem *Dies Nuptiarum*, majori populi favore, & Lætitia celebratus est, quam fuerant aut *Regis* in civitatem ingressus, aut ejusdem coronatio: Quod *Rex* notavit potius quam probavit. Verissimum enim est, quod per totā deinceps vitam suam, quamdiu *Regina* in vivis esset (nam illa prior diem suū obiit) haud quaquam se pro marito nimis indulgente gessit, licet illa forma amabilis, obsequio facilis, & Puerperiis insignis fuisset. Verum pertinax illa sua, à *Familia Eboracensi*, animi Abalienatio, tantum apud eum poterat, ut locum reperiret, non solum in Bellis suis, & consiliis, verum etiam in cubili & Thoro.

Jam autem *Rex* fiduciæ plenus, ut Princeps qui Prælio Victor fuisset. Neque à Comitiis suis ullam omnino repulsā tulisset: Quemque adhuc Acclamationes & plausus populi recentes circūstrepebant:

Impe-

Imperium suum in futurum, nihil aliud nisi Ludum fore, & Regni tautummodo Fruitionem sine molestiis, pro certo sibi persuaserat. Nihilominus, ut Princeps Cautus & Vigilans, constitutum apud se habebat, nihil omittere eorum, quæ ad Præsidium & Securitatem suam pertinerent: Cum ea tamen opinione, quod in posterum, Administrationem Regni sui potius cum Voluptate & Alacritate, quam Labore & Anxietate, exercere posset. Itaque indiciis certis edoctus, *Partes* Regni sui *Septentrionales*, non tantum affectu in *Familiam Eboracensem* propensas esse, sed etiam Memoriæ ipsius *Richardi* Regis devotissimas, cogitabat Ætatem proximam melius insumi non posse, quam si Provincias illas ipse perlustraret, Præsentiaq; sua, & Majestate simul ac Comitate, Populi illarum *Partium* Animos sanaret. Verum *Rex* in Fortunæ suæ Supputatione & Calculis, judicio suo magnopere falsus est, quæ, per multos annos continuos, variis fluctibus & tempestatibus agitata est & quassata. Quamprimum enim *Lincolniam* venit (ubi *Festum Paschatis* celebravit) certior factus est, *Baronem Lovellum*, *Humphredum* & *Thomam Staffordos* (qui antea apud *Colcestriam*, Asyli privilegio se muniverant) ex Asylo erepsisse; sed quem locum petiissent, neminem scire. Quem Nuncium *Rex* aspernatus est, & *Eboracum* usq; iter perrexit. *Eboraci* cum esset, recentior & certior accurrit Nuncius, *Baronem Lovellum*, cum Copiis magnis, prope adesse. *Staffordos* autem in *Comitatu Wigorniensi* Arma cepisse, & ad Urbem *Wigorniæ* prope accessisse, eamq; oppugnare in animo habere. *Rex* utpote Princeps magni & profundi judicii, non multum his Nunciis commotus est: Putabat enim, illas Copias, Prælii apud *Bosvvorthum* reliquias quasdam esse, neq; ad Caussam *Familiæ Eboracensis* quicquam pertinere. Magis autem solicitum eum habuit Copiarum Delectus, quibus resisteret Rebellibus, quam ipsorum Rebellium Debellatio, cum in medio Populi sibi suspecti veluti obsessus esset. Sed cum Res moram non pateretur, magna celeritate Copias coëgit (quæ contra *Lovellum* mitterentur) ad tria Millia, male armatas, sed bene animatas (Paucis eorum ex ipsius Aula & Comitatu delectis, Reliquis vero ex Colonis & Famulis illorum, quos sibi fidos expertus est) sub ductu *Bedfordiæ Ducis*; Et pro more suo, quo veniam & gratiam, potius ante Pugnam quam post, impertire solebat, eidem *Duci* potestatem dedit, Condonationem præteritorum promulgandi, iis qui statim Arma deponerent, & se dederent: Quod *Dux*, quamprimum ad Castra *Lovelli* appropinquasset, præstitit. Nec *Regem* fefellit expectatio sua, Heraldi enim pro Tormentis Bellicis erant. Siquidem *Baro Lovellus*, hac re perculsus, & Militibus suis diffisus, in Comitatum *Lancastriæ* fugam cepit; & ad tempus apud *Thomam Broughtonum* Equitem Auratum latitans, in *Flandriam* ad *Ducissam Burgundiæ Margaretam*, post trajecit. Milites autem ejus, à *Duce* suo deserti, confestim *Duci Bedfordiæ* se submiserunt. *Staffordi* quoque, & eorum Copiæ, audito quo loco Res *Lovelli* essent, (in cujus successu spem maximam collocarant) etiam ipsi plane desperarunt, & fugam capessiverunt: Fratribus duobus ad *Colnhamiam*, Oppidulum prope *Abingtoniam*, in Asylum se recipientibus: Sed inspecta ejus loci Chartæ Privilegii, per Judices de *Banco Regis*, atque ad Proditores minime extendere judicata, *Humphredus* apud *Patibulum* de *Tiburne*, supplicio affectus est: *Thomæ* autem, utpote à Fratre natu majore allecto, ignotum est. Sicque Rebellio hæc, ut Nubecula quædam transiit: Atque Rex, Fœcibus & fermento *Partium Septentrionalium* aliquantum expurgatis, quæ prius in eum non bene animatæ erant, *Londinum* rediit.

Septembri sequenti, *Regina* Filium suum Primogenitum peperit; cui Rex (in Honorem Stirpis veterum *Brittonum*, à qua ipse erat oriundus) *Arthuri* Nomen indidit; Prænomen secutus illius prisci *Regis Brittonum*; In cujus Rebus gestis asserendis, satis invenitur in Historia vera, & Monumentis antiquis, quod illum, demptis Fabulis, magna gloria regnasse testetur. Infans robustus erat, & corpore validus, licet octavo Mense editus esset, de quo Medici & Astrologi male ominantur.

SEcutum est hoc Anno, qui erat *Regis* secundus, mirum quoddam Facinus, & audacia plenum; quodque Statum *Regis* & *Regni* vehementer perturbavit: De quo, Narrationes, quas in manibus habemus, adeo nudæ sunt & jejunæ, ut rem relinquant vix credibilem: Non tam, ob Eventus naturam (Ejusmodi enim Accidentia in Rerum Memoria non raro reperiuntur,) sed propter peculiares quasdam Rei circumstantias; præsertim sub initiis. Judicium igitur faciemus, de hoc Negotio, ex Rebus ipsis, quatenus sibi invicem Lucem præbeant, Veritatem tanquam ex Minera effodientes. *Rex* in Regno suo novus erat, contraque opinionem suam, etiam & meritum, magna apud populum Invidia, & Odio, flagrabat. Radix hujus Invidiæ plane erat, sedula ejus & continua *Familiæ Eboracensis* Depressio, quam Corpus totius Regni favore adhuc prosequebatur. Hoc animos Populi indies à *Rege* magis magisque avertebat; præsertim cum viderent, *Regem*, post Nuptias suas, & Filium ex illis Nuptiis natum, nihilominus Coronationem *Reginæ* suæ (quæ conjunctim cum Coronatione propria ab omnibus prima erat expectata) adhuc distulisse; ne Matrimonialis quidem Coronæ Honore eam dignatum. Neq; enim secuta est Coronatio *Reginæ*, ni sipost duos Annos; postquam scilicet Pericula *Regi* pro Præceptis fuerunt, quid agendum sibi esset, edocentia. Invaluerat autem Invidia multo magis, postquam rumor increbuerat (sive casu volitans, sive Malitia Hominum male animatorum sparsus) *Regem* constituisse *Edvvardum Plantagenistam*, clanculum, in *Turri Londinensi*, necare: Cujus casus tantam habebat, cum casu Liberorum *Regis Edvvardi*, similitudinem; cum Sanguinis ipsius Propinquitas, par Ætas, Locusque ipse Turris, illius crudelitatis Memoriam refricarent, ut in *Regem*, odiosissimam quandam Opinionem, & Famam concitaret, ac si ipse alter *Rex Richardus* futurus fuisset. Etiam illud Murmur, adhuc sopitum non erat ex *Regis Edvvardi* Filiis saltem alterum superstitem esse. Qui quidem Rumor, ab iis qui rebus novis studebant, artificiose & occulto fovebatur. Neque vero in *Regis* Ingenio & Moribus inerat aliquid ad dissipandas istiusmodi Caligines commodum, verum è contra, ita se gerere consueverat, ut Dubitationes potius injiceret, quam compesceret. Atque ex his, Fomes præparatus est Scintillæ. Quæ quidem tantum

tum rerum omnium datura Incendium, ab initio despicabilis fuit.

In *Oxonia* vivebat *Sacerdos* quidam, astutus & vafer. *Richardus Simon* vocatus, cui erat Pupillus, pistoris Filius, dictus *Lambertus Simnellus*, Ætatis circiter quindecim annorum: Puer quasi venerabilis, multum in Ore & Aspectu præ se ferens Majestatis, & Decoris. *Sacerdos* iste in Cogitationem quandam male-sanam incidit, dum Sermones Hominum avide imbiberet, & in Episcopatum aliquê amplum se promotum iri speraret) ut Adolescentulum illum, ad Filii Secundi *Regis Edvvardi* (de quo opinio erat eum in Turri fuisse trucidatum) personam induendam & simulandam, subornaret: Et paulo post (nam inter Rem agendam, Consilium sunm, quatenus ad Personam, mutavit) ad *Edvvardi Plantagenistæ*, tum in Turri detenti, Personam repræsentandam: Et in omnibus, quæ ad fidem faciendam conduceret, eum egregiè instruxit. Hoc erat illud incredibile, de quo prius diximus: Non quod fictarum Personarum Ludibria, ad Regnum adipiscendum subornarentur; (Etenim Temporibus antiquis, & recentioribns, hoc interdum contigerat) Neque quod in Mentem venire potuisset, Homini tam vili & abjecto, ut tantam Rem susciperet, & amplecteretur; (Etenim magnæ Cogitationes, & sublimes quandoque in infimæ Conditionis, Homines influunt, præsertim quando inebritati fuerint Vulgi sermonibus:) Sed hoc (inquam) illud est, quod minime videtur probabile; *Sacerdotem* istum, cui omnino ignota erat Persona vera, ad cujus exemplar Persona falsa efformanda esset, ullo modo in Animum inducere potuisse, ut Actorem Fabulæ suæ edocere speraret, vel Gestu externo; vel in præteritis Vitæ suæ & Educationis Actis & Accidentibus recensendis; vel in idoneis Responsis ad Quæstiones, quas verisimile erat ei propositas fore; vel similibus; ulla ex parte, ad vivum, Imaginem ejus, quem personandum susceperat, commode exprimere. Etenim Puero isti, personare non contigit eum, qui è Cunabulis diu ante subreptus fuerat, aut in prima Infantia asportatus; verum Adolescentulum talem, qui usq; ad Ætatem decem fere annorum, perpetuo in Aula Regia fuerat educatus, ubi Oculi innumeri eum conspexissent. Rex enim *Edvvardus*, Cædis Fratris sui *Ducis Clarentiæ* conscientia morsus, Filium ejus (de quo nunc loquimur) in integrum restituere sane noluit, ut *Dux Clarentiæ* esset, sed tamen eum Comitem *VVarvvici* creavit; Honore, qui ex parte *Matris* ad eum pertinebat, resuscitato: Eumq;, dum vixit, honorofice admodũ tractavit; Licet *Richardus Tertius* eum postea in Custodia habuerat. Adeo ut plane fieri nequiverit, quin aliqua Persona ex Eminentioribus, cui *Edvvardus Plantagenista* specialiter & familiariter notus fuisset, negotio præsideret, à qua *Sacerdos* Mandata reciperet. Quod vero maxime probabile est, (si quis ex Actis præcedentibus & subsequentibus Rem recte æstimet) huc redit, ut Persona quæ telam illam ordiretur & texeret, statuenda sit *Regina Vidua*, Fœmina Negotiatrix, & Pragmatica, quæq; Civilibus rebus tractandis insueta erat. Sane in illius Conclavi, felix illa Conjuratio in *Richardum Tertium*, pro Rege HENRICO, inita, tracta; & agitata est; (Id quod Rex optime noverat, & fortasse nimis alte recõdiderat.) Illa etiam, hoc tempore, Regi erat infensissima, eo nomine, quod putaret Filiam suam (ea qua Rex insistebat via) non promotam, sed depressam. Nemo autem proculdubio, tanta cum rerũ notitia, scenam istam totam ornare, æq; ac illa, poterat. Neq; tamen Consilium ejus erat, nec etiam cæterorum ex prudentioribus, qui huic Machinationi, favebant, & vires subministrabant, ut Idolum istud revera Corona potiretur, sed illius periculo, viam ad ruinam *Regis* aperire: Quo peracto, singuli diversas intra se spes & Consilia fovebant. Huic conjecturæ maxime illud suffragatur, quod quamprimum Conjuratio ista maturuerat, & eruperat, Rex ita afficiebatur, ut *Reginam* illam repente in Monasterio de *Bermondsey* concluserit; omnesque Fortunas ejus & Reditus Fisco applicarit; Hoeque ordinavit, per Concilium & Conventum quendam, ostiis clausis habitum, absq; Processu aliquo legali, exili admodum & longe petito usus Prætextu; *Quod nempe Filias suas, ex Asylo, in potestatem* Regi RICHARDO, *contra promissum suũ, tradidisset*. Ex quo genere procedendi, etiam à principio, pro nimis severo, & plane irregulari habito, tam quoad materiam, quam quoad formam, valde probabiliter concludi possit, Accusationes graves contra illam *Reginam* prodiisse, quas Rex, propter Rationes Status, & ad vitandam Invidiam, publicare noluit. Non levi etiam Argumento fuit, Secreti aliquid latuisse, & Examinationes suppressas & cohibitas fuisse, quod *Sacerdos* ipse *Simon*, postquam comprehensus esset, ad supplicium nunquam palam productus fuisset, imo nec in publicum Judicium tractus, (sicut compluribus ex clero, ob proditiones minus atroces, contigerat) sed tantum in Gurgustio quodam incarceratus mansisset. Accedit, quod post mortem *Comitis Lincolniæ* (ex *Familia Eboracensi* Viri principalis) qui in prælio *Stokensi* occisus fuerat, Rex hoc Pectoris sui Arcanum, quibusdam ex Consiliariis suis, aperuit; Se mortẽ *Comitis* ægre ferre, quod ab illo, si vixisset, Intima Periculi sui, & Conjurationis contra, se factæ rescire potuisset.

Verũ ut ad Narrationem Rei ipsius revertamur, Primo *Simon*, ut diximus, Discipulum suũ edocuit, Personam RICHARDI *Ducis Eboracensis*, imitari: Hoc verò factum est, sub idem tempus, quo Fama illa sparsa est; Quod Rex constituerat, *Edvvardum Plantagenistam*, tum in turri detentum, neci tradere: Quo divulgato, magnum secutum est Populi Murmur. Sed non multo post, diverso Rumore ingruente; quod nimirum *Edvvardus* ille *Plantagenista*, è Turri aufugisset; Atq; simul Callidus iste *Sacerdos*, audiens, illum charũ vulgo fuisse, tantamque ob ejus Periculi depulsionem, lætitiã, conceptam, Personam Larvæ suæ mutavit, & in personã *Plantagenistæ*, tanquam magis idoneam, transformavit; Quippe qui in ore Populi magis erat, & Sermonibus tum præcipue jactatus: Simul concinnius erat, ut post Famam Fugæ *Edvvardi*, hoc quod struebat subsequeretur. Attamen, cum secum reputaret, minus sibi tutum futurum, & Hominum Curiositati & Inquisitioni magis obnixum, si Fabulam istam hic in *Anglia* egisset, consultius fore putavit, si more Scenarum, in Tragœdiis & similibus, magis è longinquo Rem ostentaret: Itaque cum Discipulo suo in *Hiberniam* transfretavit, ubi Favor erga *Familiam Eboracensem*, majorem in modũ, fervebat. Rex sane, in Rebus *Hibernia* constituendis, minus impiger & providus fuerat; neque Magistratus & Con-

Consiliarios suos, in illo regno, mutaverat, aut alios sibi probatos & fidos cæteris immiscuerat, ut facere debuerat; Præsertim cum Inclinationem ejus populi, erga *Familiam Eboracensem*, satis nosset: Quamque etiam lubricus esset ejus Regni status, & ad res novas amplectendas pronus, magis multo quam ipsa *Anglia*: Sed Victoriis suis, & Successibus in *Anglia* confisus, per otium Res *Hibernia*, in ordinem se redacturum, minime dubitabat.

Quamobrem hac *Regis* socordia factum est, ut sub adventum *Simonis*, cum falso suo *Plantagenista*, in *Hiberniam*, omnia ad Defectionem & Seditionem parata invenirentur, ac si ex composito fere Res transacta fuisset. Primo omnium, adiit *Simon Thomam Fitz*, *Gerardum Comitem Kildariæ*, & *Hiberniæ* tum *Præsidem*; Cujus oculos tanta caligine perstrinxit (partim Sermonum suorum vi & insinuatione partim Habitu & Gestu Pupilli sui, cujus etiam ori Majestas quædam *Regia* insidebat) ut illecebræ illæ, Fumis fortasse quibusdam Ambitionis adjutæ, ita *Comitem* affecerint, ut persuasissimũ ei esset, verum prorsus illum *Plantagenistam* fuisse. *Comes* negotium statim communicavit cum proceribus nonnullis, & aliis; Primo quidem, occulto. Eos autem similiter secum affectos perspiciens, de industria rem in publicum exire & spargi permisit; veritus, id quod destinaverat, patefacere, priusquam Populi animos tentasset. Sed si Potentiores alacriter, certe Plebs furiose agebat; Aërium istud Phantasma, incredibili Gaudio & Favore excipiens; partim quod essent in *Familiam Eboracensem* propensissimi; partim ex Gentis ipsius Superbia, ut Regem *Angliæ Regno* dedisse & imposuisse viderentur. Neq; vero Scrupulus ille, de Damnatione *Georgii Ducis Clarentiæ*, istius *Edvvardi* Patris, apud eos quicquam valebat; Cum nuper *Regis* HENRICI exemplo didicissent, Damnationes illas legales, Titulo & Prætensioni ad Coronæ fastigium, nullo modo officere. Quatenus vero ad *Edvvardi Quarti Filias*, facile innitebantur Repulsæ quam à *Rege Richardo*, Hæreditate Regni summotæ, tulissent; Easque etiam, tanquam HENRICI factionis portionem quandam, æstimabant, cum in ejus Manu omnino essent. Adeo ut mirabili consensu, & plausu, & magna omnium ordinum frequentia, *Plantagenista* iste Fictitius, ad *Castrum Dublinense* adductus esset, atq; ibi tanquam Rex salutatus, stipatus, & honoratus; Puero satis decore se gerente, nihilque committente, quod Ignobilitatem Generis sui argueret. Quin & paucis diebus elapsis, Rex proclamatus est, per Nomen *Edvvardi Sexti*, ne Gladio quidem uno, pro Caussa *Regis* HENRICI, evaginato.

Rex nunciis perlatis de Rebellione ista, tam repentina & inexpectata, plurimum commotus est, duas præcipue ob caussas: Prima erat, quod Motus iste illud tentabat, à quo sibi maxime metuebat; Tituli scilicet *Eboracensis Familiæ* Resuscitationẽ: Secunda, quod Motus idem contigerat tali loco, quo tuto Personam suam transferre non poterat. Nam partim ex Fortitudine innata, partim ex Suspicione quadam universali, (Nescius & hæsitans cui fidere secure posset:) Personam suam propriã, ad omnes Motus reprimendos, transferre amabat. *Rex* igitur Concilium suum convocavit, apud *Cœnobium Carthusianorum* ad *Shinam*. Quod quidem Concilium admodum secreto habitum est; At decreta ejus, quæ in publicum statim prodierunt, tria fuerunt.

Primum erat, ut *Regina Vidua* (sicut antea obiter dictum est) eo quod contra Pactum, & Fidem suam iis præstitam, qui cum ea, de Matrimonio Filiæ suæ *Elizabethæ* cum HENRICO ineundo, contraxerant, eam nihilominus ex Asylo in manus *Regis Richardi* tradidisset, *Cœnobio Monialium* de *Bermondsey* includeretur, utque Fortunæ & Reditus ejus omnes Fisco cederent.

Secundum erat, ut *Edvvardus Plantagenista*, tũc temporis in Custodia Turris arcta habitus, modis omnibus, qui excogitari poterant, maxime publicis & notoriis, Populo monstraretur. Hoc eo spectabat, partim ut Rex illa, quam apud Populum subierat, Invidia exoneraretur, de nece clandestina *Edvvardi*: Sed præcipue, ut omnibus liquido detegerentur, eorum quæ in *Hibernia* acta sunt, Levitas & Impostura; quodque revera *Plantagenista* quem colebant, Idolum & Res Fictitia tantummodo esset.

Tertium erat, ut denuo publicaretur *Remissio Generalis Anteactorum*, iis, qui intra diem præfixum, delicta sua revelare vellent, & se *Regiæ Clemẽtiæ* submitterent: Utque *Diploma Remissionis*, verbis tam largis & amplis perscriberetur, ut nullum prorsus Genus Altæ Proditionis (vel in *Regis* ipsius Personam) exciperetur. Quod licet mirum videri posset, attamen *Regi* prudenti & sagaci probabatur; Qui satis sciret, maxima sibi Pericula, non à Proditionibus levioribus, sed ab atrocioribus imminere. Ista vero *Regis* & *Concilii* sui Decreta, statim executioni mandata sunt. Ac primo *Regina Vidua*, in *Cœnobio Monialium* apud *Bermondsey* conclusa erat, & Fortunis omnibus exuta. Quod res mirabilis Populo visa est: Fœminam infirmam & calamitosam, quod Tyranni Minis & Promissis succubuisset, idque post tantum temporis spatium elapsum, (quo Rex nullum Offensæ, aut Animi exulcerati Signum ostendisset) multo autem magis, post tam felix Matrimonium inter *Regem* & *Filiam* suam, cum Prole Mascula suscepta, è Rege tam subito mutato, aut tam tarde Sensus suos aperiente, tanta cum severitate tractari.

Regina ista, inter Exempla Fortunæ insigniter inconstantis, & Adversa cum Prosperis sæpe alternantis, reponi possit. Primo à Supplice afflicta, & Vidua desolata, assumpta est in Thorum *Regis*, *Regis*, inquam, *Cœlibis*, quique inter viros Ætatis suæ fuerat pulcherrimus. Etiam, in ipso *Regni Edvvardi* Curriculo, miseram subierat Fortunæ aleam, & Felicitatis suæ Eclipsim, ex Fuga Regis, & Coronæ suæ amissione temporaria. Insuper, eo nomine fortunata censeri posset, quod Prolem ei pulcherrimam egregia cum fœcunditate peperit, atque Amorem ejus Maritalem (Patientia, & Obsequio, & Amorum *Regis* Dissimulatione, aliquantulum adjuta) usque ad finem retinuit. In Cognatos suos, & Sanguinis propinquitate conjunctos, etiam ad Factionem usq; propensa fuit: Quæ res apud Proceres ex parte *Regis*, qui *Regium Sanguinem* mixtura illa quasi pollui existimabant, magnam ei Invidiam conflaverat: Quibus Proceribus *Regii Sanguinis*, se adjunxerat *Dominus Hastingius*, magna apud *Regem* Gratia florens, qui licet *Regi* tam charus esset, putabatur per vices, Malitia & Artibus hujus *Reginæ*, non absque periculo Ruinæ vixisse.

Post

Post Mortem *Regis* Mariti sui, veluti Subjectũ aliquod Tragœdiæ facta est; Cum vitam cousq; produxisset, ut videret Fratri suo caput amputatum; Utrosq; Filios suos Regno privatos, Spurios declaratos, & crudeliter interfectos. Attamen inter has tam acerbas Calamitates, Libertate sua dignitate, & Fortunis fruebatur. Verum postea demũ, Rota aliquantulum in prosperum versa, cum *Regem* in *Generum* nacta esset, & facta *Avia Nepotis Masculi*. Nihilominus (ob Caussas obscuras & incognitas, & sub Prætextibus non minus admirandis) præcipitata est, & mundo exulavit, in Monasterio clausa, ubi periculosum pene erat eam invisere. In quo paulo post vitam finivit. *Regis* tamen jussu, juxta *Regem* Maritum suum, *Windesoriæ* honorifice sepulta fuit. *Collegium Regimale* apud *Cantabrigiam* fundavit. Hoc rigore, *Rex* magna apud populum suum incurrit obloquia; Quæ tamen, tam ob Rationes status, quam ob Confiscationem tam amplam, ei reddita sunt dulciora.

Sub idem tempus, *Edvvardus Plantagenista* verus, in die Dominico, per universas *Londini* Plateas principales, ductus est, ut à Populo spectaretur. Et post Spectaculum Populi in Plateis, solenni Processione Templum *D. Pauli* ingressus est, ubi & frequens Populi Multitudo convenerat. Atq; simul apposite & decore provisum est, ut complures ex Nobilitate, & alii Gradus Eminentioris (maxime ex iis qui *Regi* suspecti essent, quique Speciem & Personam *Plantagenistæ* optime nossent) Sermones cum Adolescente, inter eundum, familiariter conferrent. Atque hoc *Regis* prudentissimum Remedium, Malum illud *Hiberniæ* plane discussit, apud Populum *Angliæ*; Præsertim eam Populi partem, quæ Errore, non Malitia, Toxicum illud hauserat; In *Hibernia* tamen, ubi non dabatur à Facinore in tantum aucto Receptus, parum aut nihil valuit: Sed contra, ultro Imposturam totam in *Regem* retorserunt; Et sermones serebant, *Regem*, ut verum *Regni* Hæredem depelleret, & Mundo Fucum faceret, & Hominum imperitorum Oculos fascinaret, Adolescentulum suppositiũ, in similitudinem *Edvvardi Plantagenistæ*, ornasse, eumque Populo monstrasse, ne abstinendo quidem à sacris Processionis Ritibus, quo majorem Fabulæ fidem conciliaret. Circa idem quoq; tempus, Edictum de *Remissione Generali* promulgatum est: Simul etiam *Rex* multã adhibuit diligentiam, ut Portus Regni clauderentur, ne Fugitivi, Rebus præsentibus intensi, aut suspecti, Mare trajicerent, in *Hiberniam* aut *Flandriam*.

Interim Rebelles *Hiberniæ*, nuncios, tam in *Angliam*, quam *Flandriam* clam miserant, qui utrobiq; loci res haud parvi Momenti transegerant. In *Anglia* enim, in partes suas pertraxerant, *Ioannem Comitem Lincolniæ, Ioannis Poli Ducis Suffolciæ* Filiũ, ex *Elizabetha Edvvardi Quarti* Sorore, *Comes* iste Spiritus altos & elatos gerebat, simulque strenuus erat & ingenio pollens, & sublimibus jampridem Cogitationibus insueverat. *Richardo* enim *Tertio* constitutum erat, odio Fratris ejus utriusque, *Regis Edvvardi*, & *Clarentiæ Ducis*, atque eorum Stirpis (cum scilicet Sanguine amborum Manus suas imbuisset) Posteros eorum, sub variis & falsis Prætextibus (de quibus antea diximus) Successione in *Regnum* privare, atque *Comitem* istum (si ipse sine Liberis discederet) in *Regem* destinare. Neq; hoc *Regem* latuerat, qui propterea Actiones ejus secreto observabat. Verum cum Populi Invidiam, ob Incarcerationem *Edvvardi Plantagenistæ*, jam degustaverat, consultum non putabat, hujusmodi Invidiam accumulare, per Incarcerationem *Comitis Lincolniæ*; Quin & rebus suis conducere putabat, illum tanquam alterius Rivalem conservare. *Comes* autem *Lincolniæ*, Rebellionis *Hiberniæ* ut particeps fieret, movebatur, non quod leviter inniteretur iis, quæ ibi gesta erant, instar Bullæ fragilis evanida, sed Literis à *Margareta* de *Burgundia* receptis; In cujus Suppetiis auxiliaribus, atq; ipsa Declaratione, quod in partes descendisset, plus longe Ponderis erat, tum quoad Famam, tum quoad vires ipsas. Neq; *Comes* Negotium repulit, quod sciret prætensum *Plantagenistam* Idolum merum, & nihil amplius esse: Sed contra lætabatur, eum falsum potius, quam verum *Plantagenistam* fuisse: Quod cum satis sciret falsum *Plantagenistam* sponte in Fumos abiturum, verũ autem *Regis* Consiliis pessum iri, secum reputaret, aditũ sibi ad Regnum proprio Titulo & Jure patefieri posse. Hæc animo agitans, secreto in *Flandriam* transfretavit, quo paulo ante appulerat *Dominus Lovellus*, qui Consiliorum suorũ veluti Procuratorem in *Anglia* reliquerat *Thomam Broughtonum*, Equitem Auratum, qui in *Comitatu Lancastriæ* magnas Clientelas, & multos Sequaces habebat. Nam paulo ante (ut supra diximus) cum prætensus *Plantagenista* primo in *Hiberniam* receptus fuisset, Nuncii clandestini ad *Margaretam* missi fuerant, eam de Rebus jam in *Hibernia* gestis certiorem facientes; ejus Auxilium in Caussa (ut ipsi dicebant) tam pia & justa, & cujus initiis Deus tam manifesto affuisset, implorantes; Cum promissis & Protestatione, omnia deinceps Arbitrio ejus permissa fore, tanquam supremæ ejus Actionis Patronæ & Protectricis. *Margareta, Edvvardo Quarto* Soror fuit secunda; Etiam *Carolo Burgundiæ* Duci, *Strenuo* Cognominato, secunda Uxor; Ex quo cum nullos Liberos suscepisset, magnam curam, cum insigni Benevolentiæ Affectu, *Philippi* & *Margaretæ* (prioris Mariti Nepotum) Educatione impendit. Id quod magnum ei Amorem & Auctoritatem apud Belgas conciliavit. Princeps hæc Animo virili, Malitia autem Muliebri, prædita; Thesauris quoque non exiguis affluens, propter Dotis suæ Amplitudinem, providamque ejus Dispensationem: Et ipsa Liberorum exors curisque aliis fere soluta; pro fine Consiliorum suorum sibi proposuerat, ut videret in Solio *Regni Angliæ Familiam* suam iterum collocatam; HENRICUM autem, tanquam Metam sibi posuerat, ad cujus Ruinam, omnes Actiones suæ tenderent, & collimarent: Adeo ut ex ejus Consiliis, (tanquam ex pharetra,) Turbæ per multos Annos excitatæ in *Regem*, emissæ fuerint. Tanto autem flagrabat, adversus *Familiam Lancastriæ*, & præcipue in *Regis* Personam, odio, ut neutiquam per *Familiarum*, in Nepti sua, tam Honorificam Conjunctionem, mitigaretur; Sed contra, ipsam Neptem suam odio haberet, quod suis Nuptiis, *Regi* ad Regnum adipiscendum, & in se stabilendum, aditum patefecisset. Magno igitur & vehementi Animi Impetu, oblatam à Rebellibus Occasionem arripuit, eorumque Postulatis annuit: Et Consilio habito cum *Comite Lincolniæ*, & *Domino Lovello*, & aliis, decretum est, ut Proceres illi duo, cum Cohorte bis Mille

Ger-

Germanorum, (qui omnes erant Veterani,) sub ductu *Martini Svvarti* (Duce forti & in Militia experto) in *Hiberniam* se conferrent, ad novũ *Regem*: Magna siquidem in spe erant, quando Actio illa Regalitatis planæ constitutæ & fixæ speciem habuisset, & *Comitis Lincolniæ*, veluti Secundæ Personæ, nec non Copiarum exterarum in auxilium submissarum, reputatione aucta esset, fore ut harũ rerũ fama animos adderet illis, qui in *Anglia* partibus suis favebant, ut præsto essent cũ Auxiliis, quo tempore Exercitus in *Angliam* transvectus esset. Insuper, & de hoc decretum est, ut si res successisset, Suppositititius ille *Plantagenista* deponeretur, & verus reciperetur. In qua tamen Actionis Periodo, *Comes Lincolniæ* privatas suas spes fovebat. Postquam Copiæ istæ, ex *Flandria* in *Hiberniam* venissent; & Partium Confidentia, ex conspectu mutuo, & Exercitus justi jam in unum Corpus coacti facie, mirum in modum crevisset, de Successu minime dubii, sibi magna pollicebantur, ac secum Sermonibus & Colloquiis jactabant, se copiis multo majoribus instructos, ad Regnum HENRICI subvertendum proficisci, quam idem HENRICUS, ad *Regis Richardi* Regnum subvertendum subfecisset: Quodque, si nullus adversus se Gladius strictus esset in *Hibernia*, Conjectura ex eo recte capi posset, Gladios etiam in *Anglia* cito aut vaginis conditos, aut repulsos fore. Primo autem jactantia quadam, ob tantas copiarum Accessiones, *Regem* suum novum, in *Ecclesia Cathedrali Dublinensis*, coronaverunt; qui antea Proclamatione tantum Rex declaratus erat; Tum vero Concilium habuerunt de iis quæ ulterius agenda erant. In quo Concilio, etsi opinabantur nonnulli, quod Consultissimum foret, res in *Hibernia* primum constituere, illamque Regionẽ pro belli Sede deligere, eoque *Regem* ipsum HENRICUM, necessitate Belli compulsum, pertrahere; (Ex cujus absentia sperabant, haud parvos Motus & Mutationes in *Anglia* secururos:) nihilominus, quia Regnum *Hiberniæ* inopia laborabat, unde Exercitum alere, & *Militibus Germanis* Stipendia solvere, nullo modo possent; Quia etiam studia & Vota *Hibernicorum* atque generaliter militum (Qui in statu rerum tumultuario, potius Duces suos regere, quam ab illis regi consueverunt) magno impetu & cupiditate multa ferebantur, Spoliis *Regni Angliæ* se ditandi; in eam sententiam itum est, ut Copias suas, quanta fieri posset celeritate in *Angliam* tranferrent. *Rex* interim, qui cum primum audierat, quid in *Hibernia* gestum esset, haud multum commotus est, sed sperabat se nullo negotio Copias *Hibernicas* (tanquã Avium gregem) Lapidis jactu dispersurum, atque Examen istud Apum, cum *Rege* suo, veluti Tinnitu & Cymbalis abacturum; Cum postea certior factus esset, *Comitem Lincolniæ* se partibus adjunxisse, atque *Ducissam Margaretam* Factioni præsidere, periculum vere æstimare cœpit; atque tanquam ea, quæ oculis cernuntur, prospiciebat, Regnum suum iterum in Discrimen venturum, Sibique necesse fore rursus de eo dimicare. Ac primo, antequam audisset *Comitem Lincolniæ*, è *Flandria* in *Hiberniam* profectum, conjiciebat fore, ut à duabus simul Regni partibus oppugnaretur: videlicet ad Orientalem *Angliæ* Plagam, facta Invasione à copiis è *Flandria*; atque ad Occidentalem Plagam versus Septentrionem, à Copiis ex *Hibernia*. Itaq; postquam mandasset, ut Delectus Militum in utriusque Partibus haberentur, & duos constituisset Strategos, *Jasparum Ducem Bedfordiæ*, & *Joannem Comitem Oxoniæ*, (in Animo habens, etiam in propria Persona adesse, ubi Occasiones ejus præsentiam maxime requirerent) nullam tamen eo ipso tempore Invasionem exspectans (cum Hyems jam adulta esset) Iter suum instituit versus *Suffolciam* & *Norfolciam*, ut eas Provincias confirmaret. Postquam autem ad *Sancti Edmundi Burgum* venisset, accepit, *Thomam Marchionem Dorcestriæ* (qui unus ex Pignoribus fuerat in *Gallia*) ad ipsum properare, ut se à quibusdam Accusationibus, contra se exhibitis, purgaret. At licet *Rex* Aurem ei benignam reservaret, erat tamen Conditio Temporis tam periculosa, ut statim miserit *Comitem Oxoniæ*, qui obviam ei factus, ad *Turrim Londinensem* illum perduceret: Verbis tamen gratiosis eum permulceret, & postularet, ut Ignominiam illam non ægre ferret, quia nihil à *Rege* periculi ei imminebat; Quin & hanc rem ei præsidio fore, ut nec Rebus *Regis*, nec Fortunis propriis quicquam nocere posset: Et quod in *Regis* Manu semper futurum esset (postquam ab iis, de quibus insimulabatur, se purgasset) Honorem ejus resarcire.

A *Burgo Sancti Edmundi*, ad Civitatem *Norvvici* perrexit. Inde tanquam in Peregrinatione quadam sacra *VValsinghamiæ* Templum, *Virgini Mariæ* dicatum, & multis miraculis celebre, visitavit; & vota pro Salute sua nuncupavit: Atque inde, per *Cantabrigiam*, *Londinum* reversus est. Post paucos dies, Rebelles *Hibernici* cum *Rege* suo (sub ductu *Comitis Lincolniæ*, *Comitis Kildariæ*, *Domini Lovelli*, & *Svvarti* Præfecti Cohortis) ad *Fouldriam* in Comitatu *Lancastriæ*, appulerunt; Ad quos statim se contulit *Thomas Broughtonus* Eques Auratus, cum exigua admodum Manu *Anglorum*. *Rex* per hoc jam certus, Procellam istam non diruptam iri, sed in unum Locum casuram, Copias satis amplas coëgerat; Atq; ipse, assumptis etiam duobus quos delegerat, Strategis, (nempe *Duce Bedfordiæ*, & *Comite Oxoniæ*) *Conventriam* usq; manum cum iis conserturus, advenerat, Unde turmam Equitum, ad Hostium res explorandas, emisit, utque simul aliquos ex Exercitu coram palantes interciperet, ex quibus melius scire posset, eorum & Progressus, & Consilia; Quod & factum est: Etsi *Regi*, in ipso Rebellium Exercitu, Exploratores non deessent.

Rebelles versus *Eboracum* iter ceperunt, vastatione Agrorum, & alia violentia Hostili, abstinentes, ut melius in gratiam Populi se insinuarent, & *Regis* sui decus tuerentur; Qui scilicet, ex vero sensu Animi Regii, calamitatibus Subditorum indoleret. Verum Globulus iste Nivalis, inter volvendum, augmenta nulla suscipiebat. Neque enim Populus ad illos ex ulla parte cofluxerat: Neque etiam, in aliis Regni partibus, Motus ullus in eorum favorem factus est; Cui rei in caussa erat, partim Experimentum, quod jam exhibuerat *Rex*, moderati Regiminis sui, cum opinione Felicitatis conjunctum; Partim, quod odiosa admodum res esset Populo, *Angliæ*, *Regem* accipere, humeris *Hibernorum* & *Germanorum* gestatum, & introductum, Ex quibus Nationibus, maxima pars Copiarum Rebel-

Rebellium erat conflata. Neque ab ipsis Rebellibus satis prudenter factum est, ut primo in partes Boreales Exercitum suum ducerent; Nam licet, præteritis temporibus, fuissent illæ Regiones amicorum suorum Altrices; Tamen iisdem locis Exercitus *Domini Lovelli* dispersus fuit; Atque ibidem, *Rex* ipse præsentia sua, Populi Animos paulo ante leniverat. At *Comes Lincolniæ* spe sua frustratus, (Populum enim ad se certatim confluxurum sibi promiserat, in quo casu in animo ei erat Bellum protrahere) remq; jam sine receptu esse satis sciés, decreverat cum *Regis* Copiis, qua poterat celeritate, confligere; Itaque versus Oppidum *Nevvarci* Exercitum duxit, Oppidum sperans se, subito suo adventu, in potestatem suam redacturum. Sed *Rex* paulo ante *Nothinghamiam* venerat, ubi Concilium Castrense convocavit; In quo deliberatum est, an tempus protelare, aut Hostes statim odoriri oporteret? In quo Concilio, *Rex* ipse (qui multas Animo Suspiciones agitabat, quarum Nemo conscius esset) manifesto in eam sententiam propendebat, ut prælio quamprimum decertarent. Verum hanc Dubitationem repente eximerunt magna auxilia, quæ in ipso Articulo hujus Consultationis se adjunxerant, partim Literis missis excitata, partim sponte à multis *Regni* Partibus venientia.

Principales autem Personæ, quæ tum in *Regis* Auxilium advolarunt, fuerunt, ex Nobilitate quidem, *Comes Salopiæ*; & *Dominus Strange*; Ex Equitibus autem; & Nobilibus minoribus, ad Septuaginta Homines, cum Cohortibus suis numerum sex mille Armatorum, implentibus, præter Copias, quæ *Regi*, ante eorum adventum, præsto fuerant. Quocirca *Rex*, cum cerneret Copias suas in tantum auctas, magnamq; in omnibus, ad pugnam, alacritatem, in eo, quod prius decreverat, confirmatior erat; atq; propere Exercitum duxit, ita ut inter Castra Hostium, & Oppidum *Nevvarci*, se medium sisteret; Nolens eorum Exercitum illius Oppidi Commoditate gaudere. *Comes* neutiquam tertius, eo ipso die, ad pagum quendam, *Stoke* dictum, perrexit, ibiq; illa nocte castra metatus est, super Clivum cujusdam Colliculi. *Rex* autem, die sequente, Aciem instruxit in Campestribus. Nec minus animose *Comes* de Colle descendit, & Prælium cum eo conseruit. De quo quidem Prælio, Narrationes, quæ nunc extant, tam exiles sunt & nudæ, (etsi fuerit Res tam recentis memoriæ) ut potius Successum Prælii, quam Modum Pugnæ declarent. Ajunt *Regem* Copias suas in tres Acies divisisse; Quarum prima Acies tantum, Alis utrinq; bene roborata, reapse pugnaverat, totumq; Exercitus Hostilis impetum sustinuerat: Pugnam fuisse atrocem & obstinatam, & per tres horas durasse, antequam Victoria in aliquâ partem inclinarit; nisi quod, quandoquidem prima tantum *Regis* Acies pugnaverat (duabus reliquis Aciebus veluti otiose stantibus) judicium fieri possit, qualis in fine successus Pugnæ expectandus esset: *Martinum Svvartum* cum suis Germanis, egregie pefunctos esse: Itemq; *Anglos*; Neq; etiam *Hibernos* officio defuisse, Animis aut Ferocia; Sed cum essent fere inermes; Spiculis tantum & Ensibus instructi, in eos potius Occisionem, quam Pugnam fuisse: ita furiosa eorum trucidatio, reliquo Exercitui, magno terrori fuisset: Universos autem Duces in Acie cecidisse: Nempe, *Comitem Lincolniæ*, *Comitem Kildariæ*, *Franciscum* Dominum *Lovellum*, *Martinum Svvartum*, & *Thomam Broughtonum*, omnes fortiter prœliantes, nec terga vertentes, aut retro cedentes: Tantum de *Lovello* exiit Sermo, quod è prælio fugerit, & *Flumen Trenti* equo transnataverit, sed adversum Littus propter ripæ præcipitium conscendere non potuit, undè in Fluvio submersus est. At alius Sermo eum in Fluvio non relinquit; Sed refert, quod diu post, in Caverna quadam subterranea, vitam produxerit. Numerus Occisorum, ex parte *Hostium*, fuit ad minimum quatuor Millium: Ex parte autem *Regis*, primæ Aciei circiter Dimidium cecidit, præter multos saucios, sed minoris Conditionis Homines. Inter alios Captivos, fuerunt Suppositititius ille *Plantagenista* (iterum *Lambertus Simnellus* factus) unaq; versutus ille *Sacerdos*, ejus Pædagogus. *Lambertum* quod attinet, *Rex* vita eum privare noluit; Sive ex Animi Magnitudine, reputans illum instar imaginis tantum Cereæ fuisse, quam alii temperarant, & finxerant; Sive ex alta quadam prudentia, putans eum, si capite plecteretur, nimis propere in Oblivionem iturum; Sin in vivis maneret, futurum eum assiduum spectaculum, & instar Remedii aut Exorcismi adversus ejusmodi Spectra, & Incantationes, temporibus venturis. Itaq; receptus est in Famulitium *Regis* in Aula sua, sed vili admodum Loco, in Culina; Adeo ut, insigni humanæ Fortunæ Ludibrio, Veru circumageret ille, qui Coronâ gestarat; (Cum tamen Fortuna, post Tragœdiam minime soleat Comœdiam, aut Exodium introducere;) Postea autem promotus est, ut esset ex Falconariis *Regis*. Quod vero ad *Sacerdotem*, in Gurgustium quoddam obscurum inclusus est, neq; quid de eo postea factum esset, innotuit: Cum in Natura *Regis* penitus insitum esset, Pericula sua veluti sub Sigillo obsignare.

Post Prælium, profectus est *Rex Lincolniam*, ubi Preces solennes, & Gratiarum Actiones, celebrari fecit, pro Salute sua & Victoria. Utq; Devotiones ejus plenum suum Circulum complerent, misit Vexillum suum ad Templum *Beatæ Virginis VValsinghamiæ*, in Oblationem; ibi vota solvens, ubi nuncupasset. Atq; hoc modo, ab ista tam insigni Fortunæ Machina (quæ in eum intentata fuerat) liberatus, ad pristinam Animi Confidentiam rediit; Secum cogitans, universa sua infortunia simul in eum irruisse. Verum id contigit, quod Sermo Vulgi, in principio Regni sui, ei ominatus est; Futurum scilicet, *Ut laboriose regnaret, quod Regnũ suum, à Morbo Sudorifico initium cepisset*. Sed quamvis *Rex* se jam in portu navigare putaret, tamẽ tanta fuit prudentia, ut Fiducia sua providentiam neutiquam obfuscaret, præsertim in rebus non remotis. Itaque tam recenti & inexspectato periculo expergefactus, animo volvebat, quibus modis, tam Rebellionis præteritæ Participes & Fautores eradicaret, quam similium Periculorum Semina in futurum extingueret: Simulque Hominum, male erga res suas Animatorum, Receptacula omnia & Refugia, ubi Rebellionibus suis paulo post vivificandis incubabant, amoveret. Primo igitur, Profectionem novam à *Lincolnia*, in Partes Septentrionales, instituit, quamvis revera hoc iter potius Curiam quandam Judicialem Itinerariam saperet, quam alias. Nam ubicunque se contulit,

magna

magna cum Severitate, & stricta Inquisitione; partim Jure Militari, partim via Justitiæ ordinaria, animadvertebat in eos, qui Rebellioni præteritæ adhæserant, eique vires præbuerant. Neque morte plerosq; afficiebat, (cum ipsum prælium haud parum cruoris profudisset) sed Mulctis pecuniariis; Vitæ parcens, Thesauros autē corrogans. Inter alia ejus generis Crimina, sedulo inquisitum est, de iis, qui rumorem quendam excitarunt & sparserunt, paulo ante Prælium commissum; *Rebelles Prælio vicisse, Regisq; Exercitum debellatum fuisse, Regemque ipsum fugisse.* Unde opinio erat, complures, qui aliter in *Regis* suppetias venturi fuissent, isto Artificio detentos fuisse, & perterritos. Quæ quidem Accusatio, licet Fundamento non penitus caruerit, attamen callide & avide à nonnullis arrepta erat, qui cum ipsi, ad *Regis* partes tuendas, socordes fuissent, & negligentes, hoc prætextu utebantur, ad Teporem eorum & Inertiam tegendam. Quam nihilominus Calliditatem, *Rex* deprehendere noluit, etsi eam animé reconderet, quatenus ad Personas quasdā particulares, ut sui moris erat.

Verum quoad Extirpationem Radicū, & Caussarum Motuum similium, temporibus futuris, cœpit *Rex* sentire, ubi eum Calceus suus urgeret; Quodq; Depressio *Familiæ Eboracensis*, in omnibus tanquam Unguis in Ulcere esset. Factus igitur jam cautior, neque Pericula amplius contemnere, aut Remedia eorum dedignatione quadam rejicere volens; atque aliquid, quod in hac re Animos hominum sanare posset, præstare cupiens, (præsertim in cæremonia quapiam externa) decrevit tandem Coronationem *Reginæ* maturare. Postquam igitur *Londinum* reversus esset, quo magna cum pompa, & tanquam Triumphali, ingressus est, victoriamq; suam, per biduum, sacris obeundis celebrasset; (priore enim die Templum *D. Pauli* adiit, & Hymnum *Te Deum* cantari fecit; Crastino autem, solennem Processionem habuit, & Concioni apud *Crucem Divi Pauli* interfuit) Regina, summa cum magnificentia, & splendidissimo apparatu, apud *Westmonasterium* coronata est, *Novembris* vicesimo quinto, Anno autem Regis tertio; Quæ Coronatio, duos circiter Annos, Nuptias suas insecuta est; *Tanquam Baptisma serotinum, quod Compatres diu expectasset.* Quæ mira & inexpectata Temporis Protractio, si nota est ab omnibus, ac si Res Stomacho Regis minime grata erat, sed necessitate quadam, & propter Rationes Status, ei fuisset imposita. Paulo post, ut omnibus palam fieret, Serenitatem quandam jam factam, quodque Incarceratio *Thomæ Marchionis Dorcestriæ*, Temporis potius Res quam Hominis esset, idem *Marchio* Libertati restitutus est, absq; Examinatione aliqua, aut alia quavis Formula. Sub idem tempus, *Rex* Legationem ad *Innocentium Pontificem* misit, quæ de Nuptiis suis eum certiorem redderet: atque insuper referret, *Regem* jam (sicut al· rum Æneam) ex Fluctibus & diutinis Erroribus Fortunæ suæ emersisse, atque in portum securum appulisse: ac simul Gratias *Sanctitati* suæ ageret, quod Celebrationem Nuptiarum suarum, præsentia Nuncii sui, honorasset, Atq; tam Personam suam, quam Vires Regni, ad Mandata sua exsequenda prolixe offerret.

Legatus autem *Regis*, Orationem habens coram *Papa*, in præsentia Cardinalium, *Regem Reginamque* tanta Verborum grandiloquentia extulit, ut Fastidio eos qui aderant prope enecaret. At postquam ad *Papæ* laudes pervenisset, ita eum ad cœlos usque elevavit, deificavit, ut omnia quæ de *Rege* & *Regina* jam modo dixerat, moderata viderentur & tolerabilia. A *Papa* sane honorifice admodum exceptus est, & multa cum gratia dimissus. Cum enim *Papa* sibi conscius esset socordiæ suæ, quodq; Orbi Christiano prorsus inutilis haberetur, magna affectus est lætitia, quod Nomen suum & Laudes, apud Regna remotiora tam feliciter resonare cerneret. Obtinuit etiam à *Papa*, justam admodum & honorificam *Bullam*, ad Privilegia *Asylorum* (quæ *Regi* tantas molestias pepererunt) in tribus Articulis moderanda.

Primo, ut si quis ex Asylo noctu, aut alias clanculum, exiisset, & Maleficii aliquid vel Transgressionis commisisset, ac deinde se in Asylum recepisset, Asyli jure in perpetuum decideret. Secundo, ut licet Corpus ejus, qui in Asylo degebat, à Creditoribus immune esset, tamen Bona, quæ extra Asylum inventa essent, Legi subjicerentur. Tertio, ut si quis ad Asylum, propter Crimen læsæ Majestatis, confugisset, bene liceret Regi, Custodes ei intra Asylum ipsum apponere, qui ejus Dicta & Facta observarent.

Rex quoq;, in majorem Regni sui securitatem, contra seditiosos & malevolos Subditos, (quibus Regnum abundare sciebat) qui in *Scotiam* ad libitum aufugere possent; Quippe quæ non sub clavibus erat, quemadmodum erant Regni Portus; Hujus rei Caussa, magis quam quod Hostilia ab eo Regno metueret, ante adventum suum *Londinum* (dum apud Oppidum *Novi Castri* maneret) Legatos solenniter miserat ad *Jacobum* Tertiæ *Scotiæ Regem*, qui de Pace cum eo tractarent & concluderent. Fuerunt autem Legati, *Richardus Foxus Episcopus Exoniensis*, & *Richardus Edgcombus Eques Auratus, Regij Hospitij Contra-rotulator*, qui honorifice apud eum *Regem* excepti fuerunt. Verum *Rex Scotiæ*, eodem, quo *Rex Angliæ*, Morbo laborans, (licet, ut postea apparebat, magis Atroci & Lethali,) hoc est, Subditis malignis, ad tumultus ciendos idoneis, etsi affectu proprio, in pacem cum *Rege* componendam, multum inclinaret; tamen Proceres suos in hac re cognoscens aversissimos, (quos irritare timebat) Inducias tantum in Septennium concessit; In secreto tamen pollicitus, eas Inducias de tempore in tempus renovatas iri, quamdiu uterque *Rex* in vivis esset.

HUcusque *Rex* occupatus fuit; in rebus domi constituendis; Verū circa hoc tempus oblata est occasio, ut foras prospiceret, atq; ad res exteras Animū applicaret. *Carolus Octavus Galliarum Rex*, Virtute & Fortuna Patris & Avi sui, (*Caroli* Septimi, & *Ludoci* Undecimi,) Regnum *Franciæ* acceperat, & opibus florentius, & ipso Territorio amplius, quam multis retro Annis fuerat: Cum redintegratio facta esset, in illis Membris principalibus, (quæ olim, Portiones Coronæ *Franciæ*, postea autem ab ea avulsæ fuissent; Ita ut jam diu, sub Homagio tantum Coronæ, non in Dominio tenerentur; cum à Principibus propriis, Jure tanquam Regio, administrarētur) *Andegavia* scilicet, *Normannia, Provenza, & Burgundia.* Restabat tantum *Britannia*, quæ cum Corona *Franciæ* uniretur; ut sic Monarchia *Franciæ*, ad veteres Terminos & Limites proferretur.

Rex Carolus, haud parva flagrabat Ambitione &

cupiditate, illum *Ducatum* recuperandi & re-annectendi. Quæ quidem ejus Ambitio prudens admodum fuit, & pondus insigne habebat; minime certe similis Ambitioni Expeditionum suarum sequentium in *Italiam*. Sub initiis enim Regni sui, Paternis Consiliis regebatur (Consiliis inquam, non Consiliariis) cum Pater ejus Consiliariis fere non usus sit, sed ipse sibi pro Conicilio esset; nec Virum quenquam prudentiorem juxta se haberet. Atque illum *Regem* Patrem suum, satis sciebat *Carolus*, Bellis *Italicis* aversum fuisse, & in *Britanniã* oculos suos conjecisse. Multæ erant Res, quæ Animum *Caroli*, spe prosperi Successus, in hac re pascerent. *Dux Britanniæ* ævo confectus, & Lethargicus, & Mercenariis Consiliariis innitens, duarum tantum Filiarum Parens, ex quibus altera valetudinaria erat, nec diu superstes futura. At *Carolus* in ipso ætatis flore & Robore jam erat; Et Populus *Regni Franciæ* pro ratione ejus temporis, Bellicis Copiis, tam quoad Duces, quam quoad Milites, satis instructus; Viris Militaribus, qui in *Bellis Burgundicis* meruerant nondum absumptis: Pacem etiam cum omnibus vicinis Principibus se colere non ignorabat. Quatenus veroad illos, qui Consiliis suis perficiendis se opponere possent; *Maximilianum Romanorum Regem*, qui sibi Rivalis futurus esset, (tam pro *Ducatu*, quam pro *Nuptiis Filiæ*) Pecuniarum indigum sciebat; *Regem* autem HENRICUM, tam sibi nonnihil devinctũ ob Favores & officia ejus præterita; quam domesticis Turbis implicatum. Erat ei insuper præbita Occasio pulchra & speciosa, quæ Ambitionem suam tegeret, & Belli ansam adversus *Britanniam* porrigeret; Eo scilicet nomine, quod *Dux Britanniæ Ducem Aurelianensem*, & alios ex Nobilitate *Franciæ*, (qui contra *Regem Carolum* Arma sumpsissent) ad se recepisset. Quo circa *Rex Carolus*, de Bello *Britanniæ* inferendo certus, satis cognoverat à nullo tã potenter sibi opponi posse, quam ab HENRICO: (sive Ratione Status permoto, ne Regnum *Franciæ* in nimiam potentiam excresceret; Sive gratitudine quadam adducto, quod ipse *Duci* etiam *Britanniæ*, non minus quam sibi, ob ejus in rebus suis adversis merita, obstrictus fuisset) si modo ille partibus se adjungere vellet. Itaque quamprimum *Carolus* audisset, *Regem* victoria sua in tuto collocatum, statim Legatos ad eum misit, qui Auxilium ab eo peterent, aut saltem ut ne alterutri Parti se addiceret, Legati illi *Regem* apud *Lancastriam* offenderunt, & Legationem in hanc sententiam declararunt: Primo *Regi* impertiti sunt Successum *Caroli*, quem paulo ante contra *Maximilianum* habuerat, in Oppidis quibusdã, quæ invaserat *Maximilianus*, recipiendis. Istud autem genus Sermonis, familiariter præmissum fuerat, ac si *Carolus* HENRICUM, non pro Amico aut Fœderato exteriore haberet, sed intimo, suorumq; tum Affectuum, tum Fortunarum Participe. Post istam Insinuationem, ac deinde Gratulationẽ *Regi* ob Victoriam suam in Rebelles factam, ad rem de qua missi erant pervenerunt; significantes HENRICO, *Regem* suum compulsum esse ad justum contra *Britanniam* Bellum, quod *Dux* Rebelles suos & Hostes declaratos recepisset, & Auxiliis juvasset. Non esse eos, humiles aut Calamitosos Supplices, qui in *Britanniam* ad Auxilia imploranda aufugerint, sed tam eminentes Viros, ut liquido pateret, Consilia eorum, non ad Fortunarum propriarum præsidium, sed ad *Regis* Fortunas infestãdas & invadendas, spectare: Cum Caput eorum esset, *Dux Aurelianensis*, primus *Regis Sanguinis* Princeps, & Persona ab ipso *Rege* secunda. Ideoq; si res recte perpenderetur Bellum merito judicari posse, ex parte Domini sui, potius Defensivum, quam Offensivum; utpote quod omitti non poterat, si status proprii cõservatio sibi curæ esset; Neque profecto primum Ictum, Bellum constituere Invasivum (quem Princeps prudens nullus expectare vellet) sed primam Provocationem, aut saltem primam Præparationem. Imo Bellum hoc, magis Rebellium Suppressionem sapere, quam Bellum cum Hoste legitimo; Cum Res huc redierit, quod Subditi *Regis* (Proditores) à *Duce Britannis Regis* Feudatario, protegerentur. Satis scire *Regem* HENRICUM, quã pernicioſi Exempli res sit, si Principes vicini Rebellium patrocinia susciperent, contra Jus Gentium & Fœderum. Neq; tamen ignorare *Regem* suum, quod *Rex* HENRICUS, in Rebus suis Adversis, multis & opportunis Ducis *Britanniæ* officiis, nonnihil obligatus fuisset; Neque ex altera parte dubitare, quin *Rex* HENRICUS non oblitus esset, quam promptus *Rex* suus fuisset, in Auxiliis ei submittendis, cum *Dux Britanniæ*, & Consiliariis ejus Mercenarii eum destituissent, & tantum non prodidissent: Quodq; haud parvum subesset discrimen, inter Officia quæ *Rex* suus, & ea quæ *Dux Britanniæ* præstiterat; Cum *Ducis Britanniæ* Consilia, ex rationibus utilitatis, & emolumenti, manare possent; contra vero ea, quæ Dominus suus contulerat, nulli alii caussæ, quam Amori, & sincero Affectui tribui possint; Eo quod, si res hæc, ad amussim politicam examinata esset, longe fuisset rebus suis consultius, ut Tyrannus in *Anglia* regnaret, odio populi & turbis expositus, quam talis *Princeps*, cujus virtutes non poterant non magnum & potentem eum reddere, quandocunque eum Rerum suarum compotem fieri contigisset Sed quomodocunque se res haberent, quoad Obligationis respectum, quem *Rex Duci Britanniæ* debere videtur: tamen *Regem* suum adduci non posse, ut crederet, *Regem* HENRICUM, ab eo quod justum est declinaturum, aut in caussam tam iniquam descensurum. Itaque cum Bellum istud, quod *Regi* suo gerendum erat, nihil aliud esset, quam ut se à periculis iminentibus liberaret, sperare *Regem* suum, HENRICUM, non minore studio & Affectu, ad Conservationem Status ejus concursurum, quam ipse HENRICO, ad adeptionem Regni sui, concurrisset. Saltem non dubitare, quin Rex HENRICUS, pro sua in pacem propensione, quam semper præ se tulerat, Spectator tantum Belli futurus esset, & inter partes Neutralis; Neque enim posse Dominum suum, nisi iniquus foret, à *Rege* postulare, ut partem Belli capesseret, qui tam nuper à Seditionibus & Motibus intestinis cœperat respirare. Verum de Mysterio illo Reunionis *Britanniæ* ad Coronam *Franciæ*, sive per Bellum, sive Nuptias cum Hærede *Britãniæ*, ne verbum quidem; Legati enim hoc, veluti Scopulum quendam, exhorruerunt. Satis scientes illud postulatis suis maxime obfuturum. Sed è contra Sermonibus suis, quasi obiter inseruerunt; *Regem* suum, apud se omnino constituisse, Filiã *Maximiliani* in uxorem ducere: Simul & Henricum cre-

cedere voluerunt, *Regem* suum totum in eo esse, ut Expeditionem in persona propria, in *Italiam*, ad Jus suum ad Regnum Neapolitanum armis vindicandum, susciperet; Quæ omnia eo spectabant, ut HENRICUM, ab omni suspicione abducerent, *de Bello Britannico*, nisi quatenus ad restinguendam Flammam, quam in Regnum proprium alias grassaturam merito formidaret, conduceret.

Rex negotio, cum Concilio suo sanctiore, communicato, Legatis in hunc modum Responsum dedit. Primo autem, (quod Legati fecerant,) comitatem quandam verborum præmisit, inquiens; Se magna lætitia affectum, quod *Regem*, Oppida illa è manu *Maximiliani* recepisse, ab illis didicisset. Deinde familiariter eis commemorabat particularia nonnulla; de rebus suis, quamdiu in periculo fuisset, & de victoria postea secuta. Quod vero ad negotium *Britanniæ*, Rex paucis respondit; *Regem Galliæ*, & *Ducem Britanniæ*, duos esse viros, quibus ante omnes plurimum deberet; Quodque pro magno sibi ipsi infortunio duceret, si res ita inter eos procederent, ut ei non liceret Gratitudinem Animi sui erga utrumque demonstrare. Quodque nulla alia sibi pateret via, tanquam Principi Christiano, & utriusque Amico communi, qua Fidem suam erga Deum & Homines exsolveret, quam ut se Pacis & Concordiæ inter eos Intercessorem offerret; Eaq; inita via minime se dubitare, qui *Regi* eorum Status & Honos, minore cum Periculo, minore etiam cum Invidia, conservari possint, quam Bello: Neque ulli se impensæ, aut labori, parsurum esse (imò se veluti in Peregrinationem aliquam sacram paratum esse proficisci) ut tam pium assequeretur Effectum. Ita autem sermonem clausit; Se in re tanti ponderis, quæ sibi hærebat in medullis, Animum suum, per Legatos proprios fusius declaraturum; Quos, omni mora seposita ad *Regem Galliæ*, in eum finem missurus esset. Ita Legati *Galliæ* domum remissi sunt. Noluit autem Rex, de Re-unione *Britanniæ* ad Coronam *Franciæ*, quicquam intelligere videri; quemadmodum & Legati nullam de ea mentionem fecissent; Nisi quod Rex, verbo illo *Invidia*, aliquid de hac re subinnuisse visus est. Res autem ita se habuit; Rex neq; Judicio tam imbecilli fuit, neq; negligenter informatus, ut *Regis Galliæ* Consilium, de *Britannia* in Ditionem suam redigenda, eum fugeret. Sed primum, (utcunq; simulabat) à Bello contra *Regem* illum ineundo, aversissimus fuit. Fama de ejusmodi Bello ei grata erat, sed res ipsa minime: Ex altera enim cernebat se locupletiorem fore, ex altera pauperiorem; Etiam adhuc metuebat sibi à Populo suo, quem idcirco armare nolebat. Veruntamen, ut Princeps prudens & animosus, non in tantum à Belli Consiliis abhorrebat, quin decretum ei esset Bellum eligere, potius quam ut *Gallum* sibi *Britanniam* subjicere permitteret: Quod tam amplus & opulentus fuisset *Ducatus*, & tam opportune situs, ad *Angliam* infestandam, sive Bello, sive impediendo Commercium. Sed spes has fovebat Rex, quod partim negligentia, (quæ *Gallis* vulgo imputari solet) partim viribus *Ducatus Britanniæ* propriis, quæ parvæ non erant, præcipue autem, ob potentem Factionem, *Ducis Aurelianensis* in Regno *Galliæ*, (qui plurimis modis Motus in *Gallia* intestinos suscitare possit, ad *Regis Galliæ* Consilia circa *Britanniam* discutienda;) Postremo autem, ob potêtiam *Maximiliani*, qui ei erat Rivalis; Res aut ex sese solvi, aut ad pacem flecti posset. In quibus omnibus, Rex trutina non justa res perpendebat, ut postea patuit. Misit igitur confestim Rex Legatum ad *Regem Galliæ*: Is erat *Christophorus Ursvvicus*, Capellanus suus; Vir cujus Fidem & Prudentiam in multis obcūdis Negotiis perspexerat, Eum potissimum eligens, quod cum Ecclesiastica Persona esset, eo magis ad Legationem Pacificatoriam idoneus videretur; Eique etiam in mandatis dedit, ut, si *Rex Galliæ* Tractatum Pacis inire non abnueret, in *Britanniam* quoque ad *Ducem* proficisceretur, Tractatumque Pacis utrinque ad maturitatem perduceret. *Ursvvicus*, ad *Regem Galliæ*, verba fecit, quæ, cum *Regis* HENRICI ad Legatos Responso, ut plurimum convenirent; Instillando, sed molliter, nonnulla, quæ spumarent ad Reconciliationem *Ducis Aurelianensis* cum *Rege*, & quædam de concordia inter omnes partes sarcienda. At Rex *Galliæ*, ex altera parte, non sincere in hoc Negotio versatus est, sed summo cum Artificio, & simulatione insigni, ad eam Metam collimans, ut tempus lucraretur, Auxiliaque *Anglorū*, sub spe Pacis retardaret, donec *Britanniam* Armis suis occupasset. Respondit igitur Legato, se prorsus in manu & potestate *Regis* HENRICI fore, eumque Pacis Arbitrum constituturum; Et facile, ut Legatus in *Britanniam* proficisceretur, consensit, qui in hac re consensum suum declararet, Animumque *Ducis* super hac re cognosceret; satis gnarus, *Ducem Aurelianensem*, (cujus Consilio Res *Britanniæ* omnino regebantur) secum reputantem, nullis se Conditionibus *Regi* conciliari posse, Pacem prorsus disturbaturum. Itaque hoc modo sperabat se, simul ambitionem suam apud omnes velaturum, & existimationem justi & moderati Animi assecuturum; atque etiam, Gratiam apud *Regem Angliæ* summam initurum, utpote, qui omnia ejus Abitrio permisisset: Imo (callidissimo consilio usus) fore providebat, ut licet Bellum actu prosequeretur, tamen *Regem Angliæ* in opinione perstiturum, eum illud solum agere, ut Gladium in manu ostentaret, quo contrariæ partis pertinaciam, ad pacem recipiendam inflecteret; Atque hoc modo HENRICUS, nihil prosecutione Belli commoveretur, sed fore ut tractatus Pacis ad ultimum usque continuaretur, donec ipse rem Armis confecisset.

Quæ cum *Rex Galliæ* recte admodum & prudenter æstimasset, omnia ex voto ejus successerūt. Nam cum Legatus *Anglus* ad Aulam *Ducis Britanniæ* venisset, *Dux* ipse vix sanæ memoriæ fuit, omniaque *Ducis Aurelianensis* nutui parebant; qui Legum *Ursvvicum* mandata perferentem audivit, & quasi commotus, & elato Animo respondit; *Ducem Britanniæ*, qui *Regi* HENRICO Hospes olim fuisset, imo Parentis loco, in tenera ejus Ætate, & afflicto rerum Statu, expectasse illo tempore, ab HENRICO (Glorioso illo *Anglorū Rege*) potius Copias Equitum & Peditum validas, quam inanem de Pace Legationem. Quod si Rex præterita *Ducis* Merita oblivioni mandasset, sciebat tamen *Regem*, quâ erat prudentia, provide consulturum, & solide reputaturum, quantum ejus & Securitatis, & Famæ, tam apud Exteros, quam apud populum suum interesset, non pati, ut *Britanni* (veteres *Angliæ* Fœderati) à *Gallia* absorbe-

rentur; utque tot Portus commodi, & Oppida maritima munita, Imperio tam potentis *Regis* vicini, & Inimici tot per Sæcula inveterati, adjicerentur. Itaque humiliter se *Regem* obsecrare, ut de hac re, tanquam de re sua, cogitaret. Atque hoc modo sermonem abrupit, & negavit se de ea re amplius tractaturum.

Ursvvicus primum ad *Regem Galliæ* rediit, atque ei, quid in *Britannia* factum esset, retulit. Qui cum res, secundum expectationem suam, cedere videret, occasionem arripuit dicendi; Legatum jam cernere potuisse, id quod, pro sua Parte, ipse partim præviderat. Quando scilicet *Dux Britanniæ*, in potestate *Ducis Aurelianensis*, & suæ Factionis esset, nullam Pacem sequi posse, nisi ex Tractatu mixto ex Armis & Argumentis. Itaque se alteram partem suscepturam, *Regem* autem rogare, ne alteram desereret. Se utcunq; sibi constare, *Regiq;* fideliter promittere, se semper in *Regis* potestate futurum; ut eas Leges subiret in negotio Pacis, quas *Rex Angliæ* præscriberet. Hæc quemadmodum acta essent, *Ursvvicus Regi* retulit; ea tamen adhibita moderatione, ac si Tractatus pacis pro re desperata minime haberi deberet, sed tantum Horam magis propitiam præstolaretur, donec Malleus incudem sæpius percussisset, atque *Britannos* & eorum Sequaces emollivisset. Ex quo factum est, ut perpetuo inter *Reges Anglum* & *Gallum*, Literæ & Nuncii volitarent, ab altero *Rege* cupide sed candide, ab altero per simulationem, super Negotium Pacis. Interea *Rex Gallus Britanniam* cum magnis Copiis invasit, & Urbem *Nantiæ* arcta obsidione cinxit; Atque ut Princeps, non magni certe Judicii, sed tamen qui simulationum Artes in sinu Patris optime perdidicerat, quo magis Bello instabat, eo magis Tractatum Pacis urgebat. Adeo ut, durante *Nantiæ* Obsidione, post multas retro citroque commeantes Literas, & Nuncios, *Gallus* ad *Henricum* miserit *Bernardum Daubenejum* (virum spectatum & eminentem) qui ab eo enixe peteret, ut Negotio Pacis, sub quacunque Conditione, finem imponeret.

Neque *Rex* minus alacris & promptus fuit, ad Tractatum Pacis instaurandum, & accelerandum. Itaque tres Legatos in *Galliam* misit, *Abbatem Abingdoniæ*, *Richardum Tunstallum* Equitem Auratum, & Capellanum suum *Ursvvicum*, quem prius miserat; Mandans, ut totis viribus, in Tractatum Pacis strenue incumberent.

Circa hoc tempus, *Baro de Woodvilla* (*Reginæ* Avunculus) Vir animosus, & Gloriæ appetens, à *Rege* petiit, ut Copias aliquas Evocatorum secreto cogeret, atque absque Commeatu, aut Fide publica, in Auxilium *Britannorum* duceret. Rex petitioni ejus minime annuit, (aut saltem ita credi voluit) eique pro imperio suo injunxit, ut nihil moveret, eo quod Rex, in Jacturam Honoris sui fieri putaret, durante Tractatu Pacis, Auxilia summittere. Attamen *Baro* iste, (aut Impetu effræni, aut Opinione temeraria, *Regem* clam ei rei favere, quam tamen palam agnoscere refugiebat) secreto in *Vectum Insulam* trajecit, cujus erat Præfectus, & Copias electas, ad numerum Quadringentorum Virorum coëgit, & cũ illis in *Britanniam* perrexit, easque Copiis *Ducis* adjunxit. Cujus rei Nuncii postquam in Aulam *Franciæ* allati sunt, ita nonnullos juvenili sanguine ferventes, veluti Furiis conciverunt, ut *Legati Angli* non sine periculo essent, ne Motu aliquo repentino violarentur. Verum *Rex Carolus*, tum quod Jus Legatorum inviolatum servare volebat; tum conscius sibi, quod in hoc Negotio Pacis, ad *Regem Angliæ* collatus, ipse Simulationis Palmam mereretur, severe edixit, ne ulla fieret, aut verbo, aut facto, in *Anglos Legatos*, aut eorum Comitatum & Famulitium, Contumelia. Statimque à *Rege Henrico* Nuncius advolavit, qui eum de Baronis *Woodvillæ* facto purgaret; Eo principali usus Argumento, *Regem* minime illius Facti notitiam habuisse, quod Copiæ tam exiguæ fuissent, ut neque Auctoritate publica aliqua, emanasse eas verisimile esset, neque Res *Britannicas* quicquam promovere possent. Cui Nuncio, etsi *Rex Galliæ* non prorsus Fidem adhiberet, tamen cum Serenitate quadam *Regi* respondit, sibique satisfactum esse de ea re, significavit. Paulo post, Legati illi tres domum redierunt: Quorum duo etiam in *Britanniam*, ad res inspiciendas, profecti fuerant, neq; negotium ullo modo in melius provectum invenerunt. Post Reditum suum, *Regem* de statu Rerum plene informarunt, quamque longe *Rex Galliæ* à Consiliis Pacis abesset, edocebant: Itaque videndum *Regi*, ut alia quapiam via insisteret, & negotiũ Pacis desereret. Neque tamen Rex, in universo hoc Pacis Negotio tractando, credulitate mera peccarat, (ut vulgo ei imputabatur) verum Error ejus ortum habuit, non tam ex Facilitate credendi, quam ex Copiis alterius Partis (quod antea innuimus) male mensuratis.

Ita enim Rex cogitaverat; Primum de rebus *Britannicis* judicabat eas, propter Urbium & Oppidorum munitorum, & Copiarum etiam vires, haud celeriter accisas fore. Etenim Consilia, quæ à *Rege Galliæ*, eo tempore cælibe & sine Liberis, contra Regni Hæredem agitata essent, lenta admodum & enervia futura existimabat: Neq; etiam fieri posse, quin Status *Galliæ*, Motibus & Turbis in *Ducis Aurelianensis* favorem conquassaretur. *Maximilianum* etiam *Regem Romanorum* ut Principem bellicosum & magnæ potentiæ æstimabat: Quem ad *Britannorum* Auxilium propere accursurum minime dubitabat. Itaque, cum rem haud parvæ moræ futuram putaret, ejus moræ Usuram & Fructum, ad se & res suas, trahere destinabat. Primo autem, hoc apud *Ordines Parlamenti*, sibi emolumento futurũ num dubitabat; quia satis sciebat, eos in Favorem Rerum *Britannicarum* propensissimos, larga manu Pecunias collaturos. Quos quidem Thesauros, ut Fama Belli elicere potuit, ita Pax secuta eos in Impensas Belli erogari, non permissura erat. Quoniam autem norat Populum suum erga res *Britanniæ* optime affectum, prorsus videri volebat, quoad præterita se potius *Gallorum* Artibus deceptum, & veluti in soporem conjectum, quam ex motu proprio ad Bellum minus alacrem fuisse: Cum sciret Subditos suos, rationum Status, quæ ipsum merito retardare potuerunt, minus capaces esse. Itaque ad hæc, quæ animo disposuerat, nihil magis conducibile judicabat, quam ut Tractatum Pacis perpetuo continuaret: eum intermittendo, aut renovando, prout Rerum Progressus postularet. Neque oblitus erat, lucrifacturum se sibi haud levem Honorem, Personam *Beati Pacificatoris* assumendo. Etiam illud non

infimo

infimo loco ponebat, quod prospiciebat, se posse nonnullum ex Invidia, quæ in *Regem Galliæ*, propter *Britanniam* occupatum redundatura esset, fructum capere, in novis Amicis & Fœderatis sibi adjungendis; veluti *Ferdinando Hispaniarum Rege*, quocum semper etiam Natura & Moribus Sympathiam quandam habebat; *Maximiliano* item, cujus res manifesto agebatur. Itaque in summa, sibi Pecunias, Honorem & Decus, Fœderatos, & in fine Pacem qualem optabat, satis indulgenter promiserat. Verum istæ Cogitationes nimis subtiles erant, quam ut fortunatæ esse possent, & Successum in omnibus sortiri. Etenim res magnæ, fere magis rigidæ & contumaces esse solent, quam ut callidioribus consiliis, figi & affabre efformari possint. Rex etiam, in duobus illis Fundamentis jaciendis, quæ ei pro principalibus erant, magnopere deceptus est. Etsi enim probabiliter judicabat, Concilium *Franciæ* magna cautione usurum, ne *Regem* in bellum, contra Hæredem Regni proximum conjicerent; tamen oblitus fuerat, *Carolum*, à Viris è Concilio primariis, minime regi, sed à quorundam Virorum Ignobiliorum Consiliis pendere; Qui illud maxime spectarent, sibique & Honori & gratiæ futurum putabant, si Senatores fortes viderentur, & ad animosa, licet perniciosa Consilia, *Regem* impellerent; Qualia nemo è Potentioribus aut Prudentioribus, dare aut auderet, aut vellet. Quod vero ad *Maximilianum* attinet, majore tum is existimatione agebat, quam postea; Neque enim Mores ejus instabiles, & Conatus ob Indigentiam suam semper fere inutiles, adhuc noti erant.

Postquam cum *Legatis* deliberasset, qui revera nihil Novi ei retulerunt, sed quæ ipse prius secreto expectaverat (licet ab iis rem totam perdidicisse præ se ferret) Parlamentum statim convocavit; Et primo Parlamenti die, Ordinibus simul ex more congregatis, *Britanniæ* caussam, per *Cancellariũ* suum *Mortonum*, *Cantuariæ Archiepiscopum*, proposuit; Qui in hunc modum locutus est:

DOmini *mei*, & Magistri: Rex *Supremus Dominus noster, mihi mandavit, ut vobis Caussas declararem, quibus adductus fuit, ut Ordinum hunc Conventum convocaret: Quas paucis perstringam, veniam à* Celsitudine *sua, & à vobis omnibus, humiliter petens si hoc pro tenuitate mea, & non pro rei dignitate, præstiterim.*

Celsitudo *sua, primo omnium vobis notum facit, quam altamente reposuerit, Amorem, & Fidelitatem, quam in ultimo Conventu, ei egregie exhibuistis, in* Regali *sua* Auctoritate *stabilienda, Hominibus Partium suarum periculo eximendis, & Hostibus ac Proditoribus suis ulciscendis: Quibus plura à Subditis, erga* Regem *suum in unica Actione cumulari non potuerunt. Hoc in tam bonam partem à vobis accepit, ut apud se decreverit, communicare & deliberare cum Subditis, à quibus tanta ei tributa sunt Amoris & Fidei Pignora, de omnibus Negotiis, (quæ quidem ejus generis sint, ut publicari debeant) tam domi, quam foras.*

Duæ igitur sunt Caussæ præsentis Conventus: Una, circa Negotium magni momenti, in Partibus Exteris: Altera, circa Reipub. Administrationem Domesticam.

Rex Galliæ *(ut proculdubio audistis) Bello* Ducem Britanniæ, *hoc tempore, acriter invadit. Exercitu ejus jam* Nautesiam *oppugnat, & arcta Obsidione premit; Principalem scilicet (si minus Cæremonia & Præ-eminentia, at certe Robore & Opulentia) ejus* Ducatus *Urbem. De Spe ejus conjectura recte capi potest, quod difficillimam Belli partem, primo loco aggressus est. Hujus Belli Caussam ipse* Rex Gallus *optime novit. Prætexit receptos, apud* Britannos, *Ducem* Aurelianensem, *aliosque* Galliæ *Proceres, (quos* Rex *Hostium suorum loco numerat) eisque Auxilia subministrata. Alij aliter divinant. Utraque Pars, à* Rege *nostro, non semel, per* Legatos *suos, Auxilia petierunt.* Rex Gallus *sane, Auxilia aut Neutralitatem:* Dux Britannus *Auxilia simpliciter; Hæc enim Res sua postulant.* Rex *tanquam Princeps Christianus, & Filius Ecclesiæ pius, se medium interposuit, ut Pax componeretur.* Rex Gallus *de Tractatu annuit, at Belli prosecutionem intermittere recusat.* Britanni *autem, qui Pacem maxime optant, consiliis de Pace minus auscultant; Non Confidentia aliqua, aut etiam Contumacia, sed suspicione & diffidentia, de* Regis Galli *sincera Intentione, cum videant Bellum non refrigescere. Ita ut* Rex, *post tantam Curam & Diligentiam; quantam unquam in alia re quavis insumpserat, adhibitam, cum neq; ex una parte Bellum, neque ex altera parte Suspiciones propter Belli prosecutionem magis magisque impressas, compescere posset, Tractatui finem dedit; Non pœnitentia motus, sed plane desperatione. Itaque ex hac Narratione, Statum Quæstionis percipere potestis, super qua* Rex *à vobis Consilium poscit: Quæ huc redit; Utrum* Rex *suscipere debeat Bellum Defensivum & Auxiliare, à parte* Britannorum, *contra* Regem Gallum?

Atque ut Judicium vestrum melius de hoc Negotio informetur; jussit, ut nonnulla apud vos proponerem, de Personis, *quæ in hoc Negotio intercedunt; Nonnulla autem de Negotij* Consequentiis, *quatenus in hoc Regnum reflectere possint; Nonnulla denique, de* Exemplo *ejus in genere: Neq; tamen, in alteram partem concludendo, aut judicium faciendo, donec* Celsitudo *sua, fidele & politicum Consilium vestrum, de hac re intellexerit.*

Primo, quantum ad Regem *Dominum nostrum, (qui Persona principalis est, quam in hoc negotio intueri debetis) plane profitetur* Celsitudo *sua; Se ex Animo & constanter cupere, ut in Pace regnet. Sed simul ait, se neque jactura Honoris sui Pacem emptum, neq; Conditiones Pacis sub fœnore periculorum accepturum; Sed pro felici Rerum suarum conversione habiturum, si Deo visum fuerit, intestinas Seditiones, quibus hactenus exercitus fuit, cum Bello Externo Honorabili commutare.*

Quod vero attinet ad reliquas duas Personas, quas hæc Actio complectitur (Regem *nimirum* Gallum, & Ducem Britanniæ) Celsitudo *sua notum vobis facit, eos esse Principes, quibus, ex omnibus amicis suis & fœderatis, plurimum debet: Cum alter, Manu sua Protectrice, à malitia Tyranni eum conservasset; Alter ei Manum Salutarem, ad Regnum suum obtinendum, porrexisset. Ita ut affectus suus, quatenus ad naturalem Personam suam, neutro inclinet. Atque si forte audieritis* Celsitudinem *suam compulsam fuisse, è* Britannia *in* Galliam *fugere, Metu Proditionis, hanc Rem, nolle* Celsitudinem *suam, ullo modo* Duci Britanniæ *imputari, in Beneficiorum ante collatorũ Obliterationem, quod* Rex *plene se informaverit, eam rem, ad Mercenarios quosdam* Ducis *Consilia-*

rios tantum pertinere; qui, cum Dux *ipse graviter ægrotaret, ejusmodi consilia,* Duce *prorsus inscio, agitarunt.*

Se utcunque istæres, Celsitudinem *suam, si privatam Personam tantum gereret, devincire possent, satis tamen novit, superiorem illam Obligationem, quæ se ad illa procuranda, quæ subditis suis præsidio & commodo esse possint, obstringit, se itidem inferiore hoc Obligationis genere exsolvere; Nisi forte hoc sibi relinquat, ut si ad Bellum* Celsitudo *sua compulsa sit, illud sine Acerbitate, aut Ambitione, prosequatur.*

Quantum ad Negotij hujus Consequentias, *quoad* Regni Angliæ *statum, ea tales esse possint, quales fuerint* Regis Galli *Fines & Intentiones. Quæ si ulterius non tendant, quam ut Subditos suos in ordinem redigat, nihil ad nos. Quod si* Regi Gallo *in animo sit, (vel licet non fuerit, tamen si sponte secuturum sit) ut* Britanniam *in Provinciæ Formam constituat, &* Coronæ Franciæ *eam reuniat, tum digna est res, quæ magna cum sollicitudine, & anxio judicio perpendatur; Quantum scilicet hac Innovatio* Angliæ *intersit, tam propter insigne* Regni Franciæ *Augmentum, (amplissima adjecta Regione, quæ in oras Maris nostri, per Tractum non parvum, porrigitur;) Quam quod inde privetur hac Natio, & nudetur, tam firmis & fidelibus Fœderatis, quales* Britones *se semper præstiterunt. Tum enim fore, ut Regnum hoc nostrum, cum olim etiam in continente potens esset, primum Territorio postea Affinitatibus,* Bungundia *scilicet &* Britannia, *(quarum Principes fœderati nostri tantum erant, sed tamen fœderati ex hujus Regni Consiliis pendentes;) Altera jam nuper disjecta, partim in Augmentum potentiæ* Gallorum, *partim* Austriacorum *cedat; Altera jam prope sit, ut in* Galliæ *potentiam coalescat; Atque exinde Regnum hoc, intra Aquas salsas cohibeatur, cinctum maritimis Provinciis potentissimorum Monarcharum.*

Quantum ad Exemplum, *quod inde promanare possit, illud (ut de* Consequentiis *dictum est) ita se habet prout se habent* Regis Galli *intentiones. Nam si* Britanniam Gallia *devoraverit, quemadmodum Vulgi Sermones (parati semper Actionibus* Regum *Ambitionis notam inurere) divinant, tum vero, Res profecto esset* Exempli *perniciosi, ut Minus Status à Majore opprimeretur. Ex hoc enim periculum imminere possit,* Scotiæ *ab* Anglia, Lusitaniæ *ab* Hispania, *minoribus* Italiæ *&* Germaniæ *Statibus à majoribus: imo etiam (Si parva magnis componere liceat) perinde esset ac si Aliquibus ex vobis Minoris Ordinis, tuto vivere non liceret, in vicinitate aliquorum ex his Proceribus potentioribus Hujus autem* Exempli *Introductionem,* Regi *potissimum imputatam fore verisimile est, ut Principi, qui illud, etiam cum Bono Reip. suæ, impedire maxime potuisset. Verum contra, tam speciosus se offert, ex parte* Regis Galli, *prætextus, (at Prætextus potentiæ nunquam defuit) propter periculum Regno suo imminens, quod Bellum hoc ex necessitate gerat, non Ambitione, ut* Periculum *ab Exemplo nonnihil corrigat & mitiget. Siquidem,* Periculum *ejus Belli, quod solum in defensionem propriam suscipitur, nullum esse potest, quia penes quemlibet est illud pro libitu devitare. Verum in hoc Negotio universo,* Rex *se vestris gravibus & maturis Consiliis permittit, in quibus acquiescere decrevit.*

Atque in hanc sententiam, *Cancellarius* locutus est, quantum ad Res *Britanniæ.* Rex enim ei mandarat, ut tali orationis moderatione uteretur, quæ Ordines ad *Britanniæ* Auxilium accenderet, *Regem* autem aperta aliqua Declaratione non obstringeret.

Cancellarius ad *Domestica* orationem transtulit.

Quantum ad Administrationem Domesticam, Rex *mihi in mandatis dedit, ut hæc dicerem: Credere se, nulli unquam* Regi *(tam brevi Regni spatio emenso) majores & justiores causas fuisse, duarum contrariarum passionum, Gaudij & Doloris, quam sibi. Gaudij, ob immensos & manifestos* Dei Omnipotentis *favores; qui eum gladio* Regio *cinxerat, eidemq; Gladio contra Hostes suos universos semper adfuit, Sequè tot probis & fidelibus Servis & Subditis beavit, qui nunquam destiterunt fidelibus Consiliis, prompta Obedientia, & animosa Defensione, eum prosequi: Doloris, quod nondum* Deo *placuerit permittere ei, ut Gladium conderet, (quod maxime expetebat, præterquam in administratione Justitiæ) Sed quod toties compulsus sit Ensem stringere, ad proditorios & seditiosos Subditos resecandos; Quos (ut videtur)* Deus *reliquit (inter multos bonos, aliquos malos) tanquam inter* Israëlitas, Cananæos, *veluti* Spinas in Lateribus suis, *ad eos tentandos, & probandos: Etsi is semper fuerit rerum Exitus (sit Nomen* Domini *ob hoc benedictum) ut malitia eorum in Caput proprium reciderit.*

Quamobrem Rex *ait, se jam admonitum esse; quod Sanguis in Acie effusus, neutiquam Sanguini in Civitate parcere possit; Neq; gladius Martialis sit satis validus ad Regnum hoc in plena Pace constituendum: Sed quod vera via huc tendat, ut Rebellionum Semina & Origines sub initiis eorũ comprimantur: Et ad hoc obtinendum, Leges bonæ & salubres excogitentur, confirmentur, & acuantur, contra vim omnem, & illicitos Hominum Cœtus, eorumque Confœderationes & Combinationes omnes, per vestium scilicet distinctiones, tesseras, & alia hujusmodi Factionis Symbola; ut pax Regni, talibus Statutis, veluti Cancellis ferreis, solide muniatur & stabiliatur; omnisque violentia, & in Aula, & in Agris, & in Domibus privatis, reprimatur. Cujus rei curam, quæ ad vosmetipsos tam prope pertinet, quamq; Temporis Ratio summopere flagitat,* Celsitudo *sua Prudentiis vestris commendat.*

Quoniam vero Regi *Cordi & Curæ est, ut Pax hæc, in qua regnare, & subditos suos tueri cupit, non tantum vobis Folia producat, sub quarum umbra securo recumbere possitis, verum etiam Fructus vobis edat, Divitiarum & Opulentiæ, Rogat vos* Celsitudo *sua, ut Cogitationẽ suscipiatis, de* Mercatura & Commercio *regulando; nec minus de* Manufacturis Regni *promovendis, unaque spurium illum & sterilem* Pecuniarum *usum, in* Fœnus & illicita Excambia *jam erogari solitarum, coërceatis; unde ad naturalẽ suum usum, Mercatura, & Commercij Legitimi, & Nobilis, applicentur. Similiter, ut Populo nostro copia fiat, se in* Artibus Mechanicis *exercendi, quomodo Regnum ex se, & Nativis suis Mercibus subsistere possit, ut in otio non degant, atque Thesaurus noster, propter Manufacturas forinsecas, non exhauriatur; Quin & ulterius providere debetis, ut quæcunque* Merces *à Partibus exteris, in Regnum introducta fuerint, prorsus ad* Merces Nativas *nostras coemendas convertantur; unde Sors Regni non minuatur, ex Super-Importatione Mercium Exterarum.*

Po-

Postremo, quoniam Regi *certo persuasum est, vos eum Pauperem nolle, qui vos Divites esse cupit, minime dubitat, quin curæ vobis futurũ sit, ut Reditus sui, tam ex Vectigalibus, quã aliàs, conserventur, & augeãtur; Atq; insuper, ut Subsidia Pecuniaria, si postulet occasio, alacriter conferatis. Eo magis, quod satis nostis* Regem *frugi esse, atq; pro Dispensatore tantũ se gerere in Commodum Regni; Quodq; ea Pecuniæ, quæ à vobis conferuntur, sint tantũ instar Vaporum, qui è Terra in sublime attrahuntur, & in Nubes coëunt, quæ rursus in Terram imbres refundunt. Quin & probe scitis, vicina vobis Regna magis magisq; amplificata, atq; Tempora ista variis Motibus obnoxia: Itaq; minime convenire, ut* Regem *à pecuniis imparatum offendant. Plura non habeo quæ dicam: Optarem autem, ut quæ dictæ sunt melius fuissent declarata: Illud vero Prudentia, & Benvolentia vestra supplebit.* Deus *Consiliis vestris aspiret.*

Hanc Orationem *Cancellarius* habuit non comptam certe, sed solidam & perspicuam.

Res difficilis non erat, *Parlamentum* ad istud *Britanniæ* Negotium disponere, & afficere tam propter Æmulationẽ inter Nationes *Angliæ* & *Galliæ*, atq; Invidiam recentẽ quod Regnũ *Galliæ* nuper Incrementa acceperat; quam propter periculum, quod *Angliæ* imminere poterat, si *Galli* tam amplam Provinciam maritimam acquirerent, ut supra diximus. Commovebatur etiam *Parlamentũ* Oppressionis Intuitu; Etsi enim, quæ afferebat Rex *Gallus*, essent satis probabilia, tamen apud Multitudinẽ impares semper sunt Congressus Argumentorum & Suspicionum; Itaq; Consilium *Regi* dederunt, ut Caussam *Britanniæ* strenue amplecteretur, & auxilia celeriter mitteret; Magnaque Alacritate *Regi* amplum Pecuniæ Subsidiariæ Modum concesserunt, horum auxiliorũ contemplatione. Verum Rex, tum ut decorũ servaret erga *Regem Gallum*, cui se devinctũ profitebatur; tum quod revera Belli potius ostentãdi, quam gerendi erat cupidus; iterum solennes Legatos ad *Regem Gallũ* misit, qui ei intimarent Decretum *Ordinum*; & verbis dulcissimis Intercessionem suam, prius factam, renovarent; Ut scilicet *Rex Gallus* à Bello *Britannico* desisteret; aut si necessario Bellum habendum esset, in bonam partem acciperet, si Populi sui precibus motus, (qui Caussæ *Britannorum*, tanquam veterũ Amicorum & Fœderatorum suorum, impense favebant) Suppetias eis mitteret; protestando nihilominus, se quo Leges Amicitiæ & Fœderum cum *Gallia* religiose servaret, Copiis suis imperare in animo habere ut *Britannis* quidẽ succurrerent, ad *Gallos* autem Bellũ minime extenderent, nisi quatenus ad Possessionẽ *Britanniæ* tuendam. Verũ antequã ista speciosa Legatio advenisset, *Ducis Britanniæ* Res haud leviter perculsæ sunt & manifesto declinare cœperunt. Nam prope Oppidum *Sancti Albani* in *Britannia*, Prælium cõmissum fuerat, in quo *Britanni* profligati sũt, *Duxq; Aurelianensis* & *Princeps Aurasionensis* capti, cæsis ex Copiis *Britannorum* sex Millibus, atque inter eos, Domino de *VVoodvilla*, & Cohorte ejus propè universa, dum fortissime dimicarent. Ex parte autem *Regis Galli*, Mille & ducenti ceciderunt, cum Duce suo *Iacobo Galleotto*, viro in rebus Bellicis spectato.

Postquam Nova de hoc Prælio in *Anglia* audita essent, expergefactus est Rex, qui nullum jam Subterfugium habebat, sub quo Tractatum Pacis honeste continuare posset. Jam enim plane tanquam oculis cernebat, *Britanniã* rapide perditã iri prorsus contra spes suas. Cum autẽ conscius sibi esset, se tam apud Populũ suũ, quam apud Exteros magnam sustinere Invidiam, imo & Infamiam, propter priores moras; statim Auxilia, quanta potuit cum celeritate, in *Britanniam* misit. Quod fecit sub Ductu *Roberti* Domini *Brooks*, ad numerum octo Millium, Virorum lectorũ, & bene armatorũ; qui propitio usi vento, intra paucas horas *Britanniam* tenuerunt, & se Copiarum *Ducis* Reliquiis adjunxerunt, statimq; perrexerunt ad Hostes, atque prope eos castrametati sunt. *Galli* possessione victoriæ sobrie utentes atq; Animos & Alacritatem *Anglorũ* probe cognoscentes, præsertim sub initiis militandi, se intra vallum continuerunt, Castris optime munitis, certi manum non conserere. Sed interim, ut Copias *Anglicas* sursum deorsum jactarent & defatigarent, eas, levis Armaturæ Equitibus, adoriebantur & vexabant; In quibus Certaminibus tamẽ, plerumque detrimenta acceperunt, potissimum Sagittarios *Anglorum*.

Verũ, hoc rerum Statu, *Franciscus Dux Britanniæ* obiit: Quod quidem Accidens Rex facile prævidere potuerat, & debuerat certe hoc ipsum supponere, & huic Evẽtui Cõsilia sua aptare; nisi quod Honoris contemplatio, propter Nova de prælio facto allata, quæ *Regem* ad aliquid prõpere exequendum extimulavit Belli Rationes pervertisset.

Post *Ducis* Obitũ, primarii *Britanniæ* Viri, partim empti, partim factionibus imbuti omnia permiscuerunt: Adeo ut *Angli*, nec Caput nec Corpus reperientes, quibus se adjungerent, atq; non minus à Sociis quam ab Hostibus sibi metuentes, Hyeme jam ingruente, domum, post quinq; Menses ab eorum Trajectu, redierint. Atq; hoc modo, Prælium *Sancti Albani*, Mors *Ducis Francisci*, & Auxiliorũ *Anglorum* Recessus *Britanniam* tandem perdiderunt. Quam rem, alii ut Judicii *Regis* Maculam, alii ut Temporum ejus Infortunium, acceperunt.

Sed utcunq; Fructus *Parlamenti* horarii circa res *Britannicas*, male cesserant, nihilominus Fructus illi durabiles, & *Parlamentorũ* proprii, (bonæ scilicet & salubres Leges) prospere se habuerũt, atq; in hunc diem permanent. Nam ex Monitis *Cancellarii*, eo *Parlamento*, Leges nonullæ egregiæ, circa ea quæ Rex proposuerat, latæ fuerunt.

Primo, Auctoritas *Cameræ Stellatæ*, quæ antea Legi Regni cõmuni tantũ nitebatur, in aliquibus Casibus, robore Statuti suffulta est. Curia autem ista, ex maxime prudentibus & generosis hujus *Regni* Institutis, censeri possit. Nã in Distributione Tribunaliũ *Regni*, (excepta Curia suprema *Parlamenti*) in qua Curia *Banci Regis*, Criminibus quæ contra *Coronam* cõmittuntur; Curia *Banci Communis*, Litibus civilibus; Curia *Scaccarii*, Caussis quæ ad Reditus & proventus *Regis* spectant; & *Curia Cancellariæ*, Caussis, quæ Mitigationẽ Rigoris Juris, ex Arbitrio boni Viri, ad Exemplum Juris Prætorii, merentur, politice admodũ assignatæ sunt; semper tamen reservata est, magna & præeminens Jurisdictio, Cõsilio sanctiori Regis, in Caussis, quæ vel Exẽplo, vel Consequẽtia, Regni statum publicum oppugnare & convellere possent: Quæ si Criminales fuerint, consueverũt Consiliarii in *Camera* (quæ vocatur) *Stellata*, Sin Civiles, in *Camera* vel *Aula* (quam vocant) *Alba*, convenire. At quemadmodũ

Cancellaria Jus Prætorium, ita *Camera Stellata* Jus Censorium, (demptis tamen Rebus Capitalibus) imitatur. Ista autem Curia *Cameræ Stellatæ* ex bonis composita est Elementis. Ex quatuor enim Generibus Personarum commissa est; *Consiliariis Regis, Proceribus, Prælatis, & Judicibus* aliarum Curiarũ *principalibus.* Etiam quatuor Caussarũ Genera præcipue tractat, *Vim illatam; Fraudes, Crimina* varia *Stellionatus* & *inchoamenta* sive *actus medios*, qui vergunt ad *Crimina Capitalia*, aut alias Atrocia, licet nunquam actualiter commissa & prepetrata fuerint. Sed quod præcipue in hoc statuto Rex volebat, erat Suppressio Turbarum illicitarum, una cũ caussis earum præcipuis, hoc est, Multitudinis Combinationibus, & Potentium Patrociniis.

Ab universali *Regni* Pace, descendit *Regis* Cura, ad Pacem Aulæ & Famulitii ipsius *Regis*, & Securitatem Consiliariorum suorum, ac Magistratuum eminentium. Verum hoc Statutum miri cujusdam erat temperamenti. Nam in hanc sententiã perscriptũ est: Ut si quis ex *Regio Famulitio* (qui tamen infra gradum *Baronis* sit) in vitam alicujus Consiliarii *Regis*, aut *Baronis* Regni, conjurasset, factum est Crimen, licet res peracta non fuerit, Capitale. Ista Lex à *Cancellarii* suspicionibus fluxisse existimata est; Qui cũ Vir austerus, & imperiosus esset, atq; in Aula *Regia* Inimicos nonnullos sibi infensissimos degere cognosceret, suæ Securitati prospexit; Invidiam generali Legis Ordinatione obruens, præsidium nempe hoc cum omnibus Consiliariis & Nobilibus communicando: Neq; tamen ausus est, Legem ulterius extendere, quam ad Famulitium conscriptum ipsius *Regis*, ne minori Nobilitati & Plebi *Regni*, nimis dura rés videretur. Quæ merito credere possent, libertatem suam antiquam, & Clementiam Legum *Anglicarum*, sensim invadi; *Si Voluntas mera, alias quam in* Criminibus Læsæ Majestatis *pro Facto reputaretur.* Attamen Caussa, quæ in Statuto ipso inserta est (nimirum quod, *Qui in vitam* Consiliariorum *conspirat merito censeri possit, oblique & meditate, ipsius* Regis *mortem moliri*) æq; omnibus Subditis ac Aulicis communis est. Verum hæc Legis Angustia, ad id quo *Cancellarius* tetenderat, satis erat: Sed tamen vitam eo usq; produxit, ut ei etiam Legi generali opus fuisset, cum non minus Populo, quam *Aulæ Regiæ* postea odio fuerit.

A Pace Aulæ, & Familiæ *Regiæ*, rursus Cura *Regis* descendit, ad Pacem Familiarum privatarum. Lata est enim Lex justa & moralis, per quam Asportatio Fœminarum per vim, contra voluntatem suam, (exceptis Pupillis Femellis & Ancillis,) Capitalis facta est: Parlamento prudenter, & merito censente, Crimen abripiendi Fœminas per vim, in possessionem Extraneorum, (licet postea per Illecebras aut Astutias concilietur earum Assensus) nihil aliud esse, quam Raptum in longum productũ, quia prima Vis reliqua traxisse præsumitur.

Sancita est alia quoq; *Lex*, ad Pacem Subditorũ in genere, & Cædium & Homicidiorum repressionem, atq; in emendationem Legum Antiquarum. Ea fuit; ut cum per *Legem Communem* Prosecutio Homicidiorum in nomine *Regis*, Annum & Diem expectaret, quod spatiũ Uxori aut Hæredi Occisi datũ est, ut nomine proprio Accusationẽ peragerent: Cumque Experientia monstraret, quod Pars aggravata sæpius pretio aut variis modis inducta, aut Lite ipsa defagitata, Accusationem desereret; atque eo temporis tractu Res quasi in Oblivionem transiret; & hoc modo prosecutio in nomine *Regis*, (quæ semper, *Flagrante Crimine*, vivacior est) neglecta esset; ordinatum fuit prudentissime: Ut Prosecutio in Nomine *Regis*, etiam intra Annum & Diem, admitti possit, absq; præjudicio tamen Prosecutionis in Nomine Partis læsæ.

Tum quoque Rex cœpit, non minus prudenter quam juste, clericis privilegia nonnihil amputare, facta ordinatione, *Ut Clerici Capitalis Criminis cõvicti, candente ferro in manu signarẽtur*, tam ut aliquo corporali Supplicio afficerentur, quam ut Ignominiæ notam secum ferrent. Verum hujus Salubris *Legis* gratia, Rex postea *Perkini Edicto* laceratus est, tanquam Privilegiorum sanctæ Ecclesiæ immanis & execrabilis Violator.

Etiam alia *Lex* lata fuit, *Paci Regni* consulens: qua puniebantur *Officiarii* & *Firmarii Reges*, amissione Officiorum & Firmarum suarũ, si Famulitiis Nobilium, aut aliorum, nisi Domestici essent, se aggregarent, aut illicitis Cœtibus participarent.

Atque hæ *Leges*, ad vim, & Turbas reprimendas ordinatæ sunt, quibus Tempora illa maxime indigebant; Et adeo prudenter constitutæ sunt, ut in hunc usque diem Temporis ipsius Suffragiis confirmatæ, durent.

Latæ sunt etiam *Leges* bonæ & politicæ, contra Fœnus, quod est Usus Pecuniæ spurius: Et contra illicita Excambia, & Contractus fictos, qui sunt item instar Fœnoris spurii. Aliæ etiam pro securitate Vectigalium *Regis*: Atque Conversione Pecuniarum, ex Mercibus externis provenientium, in Merces Regni nativas: Una cum aliis minoris Momenti *Legibus.*

Verum, quamvis *Leges* in iis Comitiis latæ, bonum & salubrem ediderint Fructũ: *Subsidium* tamen *Pecuniarũ*, iisdem Comitiis concessum, Fructum exhibuit acerbum. Sane, universa Messis in fine in Horrea *Regis* coacta est, sed post Procellam grandem. Cum enim Deputati cœperunt taxare *Subsidiũ*, in *Comitatu Eboracensi*, & *Episcopatu Dunelmẽsi*, Populus ex improviso in Seditionẽ erupit, aperte loquens, se hisce añis proximis, innumeras miserias perpessos esse; Quare nec posse se, nec velle *Subsidium* conferre. Neque tamen proculdubio, hæc Contumacia ex Indigentia mera illius Populi manavit, sed etiam ex inveterato studio Partium, quod illis Regionibus penitus insederat, ubi Memoria *Richardi Tertii* adhuc in tanto vigore erat, ut tanquam Fæces quædam acres in Animis Hominũ, veluti in Fundo Vasis subsiderent; quæ si Vas paululum agitaretur, in sursum ascendebant. Accedebat etiam (ut credere par est) instigatio alicujus Malevoli, & Rebus præsentibus infensi, ex iis qui apud eum populum maxime erant gratiosi. Hoc Accidente tam inopinato, Deputati fere attoniti, rem ad *Comitẽ Northumbriæ* detulerunt, qui Vir erat Auctoritate primarius in iis Partibus. Ille statim ad *Regem* Literas misit, aperte significans, quale incendium obortum esset in Populo, simulq; petens, ut Rex, quid fieri vellet, mandaret. Rex Responsum dedit peremptorium, se ne Obolum quidem remittere velle, ex Summa, quæ in Comitiis concessa fuerat; Tum quia exemplum ejus alias Provincias animare possit, ad similem mitigationẽ poscendam; Tum præcipue, quia nunquam esset passurus,

passurus, ut vulgus ignobile, Ordinum munificentiam frustraretur, in quorum cõsensu etiam Plebis ipsius vota concluderentur. His Literis à Rege acceptis, Comes Principales illius Comitatus Justiciarios, & Liberos Tenentes, convocavit; & eos allocutus, verbis æque imperiosis ac Rex scripserat, (quibus nihil opus fuit, nisi quod Negotium asperum infeliciter in Virum etiam asperum inciderat) non solum animos eorum irritavit, sed etiam suspicionẽ injecit, ex acerbitate verborũ ejus, quæ tanquam *Regis* ipsius verba retulerat, ipsum *Comitem*, aut Auctorẽ fuisse, aut Suasorem principalem ejus Consilii. Quo factum est, ut Turba vilis cœtus miscuerit; & insultum in *Comitem* ipsum faciens, eum, cum compluribus ex Servis suis, trucidaverit. Neq; hic destiterunt Seditiosi illi, sed *Joannem Egremondum* Equitem Auratum, Virum turbidum & factiosum, (quiq; diu ante *Regi* infensus erat) in Ducem suum cooptarunt: Atque animati & extimulati à quodam ex infima Plebe, vocato *Joanne Chamberio*, tanquam Face Seditionis, qui apud Vulgus multum poterat, in apertam Rebellionem eruperunt: Quin & frementes disertis verbis dixerunt, se contra *Regem Henricum* ituros, & cum eo pro Libertate sua pugnaturos.

Postquam Rex certior factus est, de nova hac Insurrectione, (similibus enim Motibus tanquam Febre anniversaria, quotannis corripi solebat) suo more, parum aut nihil commotus, *Thomam Comitẽ Surriæ*, (quem paulo ante, non solum è Turri liberaverat, eiq; præterita omnia condonaverat, verũ etiam in gratiam suam specialem receperat) cum Exercitu satis valido, contra Rebelles misit; Qui cum Copiis eorum conflixit, eosque Acie vicit, & *Joannem Camberium* Antesignanum eorum vivum cepit. *Ioannes* vero *Egremondus*, fuga se eripuit, & in *Flandriam* transfretavit, ad *Margaretam Burgundiæ*: Cujus Palatium, Asylum & receptaculum fuit proditorũ omniũ, qui *Regẽ* infestabant. *Ioannes Camberius Eboraci* supplicio affectus est, magna pompa: Suspensus est n. in Patibulo prælto, extructo in medio Furcarũ quadratarũ, tamquam Proditor transcendens: Atq; magnus Numerus ex Complicibus suis, super trabem Patibuli inferiorem, circa eum itidem suspensus: Cæteris autem generaliter venia facta est. Neque Rex consuetudinem suam interrupit, ut vel primus, vel inter primos esset, in omnibus Bellicis suis Expeditionibus: Juxta id quod familiariter dicere solebat, cum de Rebellibus quid nunciatum esset: *Se nihil amplius cupere, quam ut eos aspiceret.* Nam statim, postquam *Comitem Surriæ* in eos misisset, ipse subsecutus est: & licet Nuncium de Victoria accepisset in via, tamen usq; ad *Eboracum* perrexit, ut eas Regiones componeret & pacaret; Postea vero *Londinum* reversus est, *Comitem Surriæ*, Locũ tenentem suum, in *Partibus Borealibus*, relinquens, & *Richardum Tunstallum*, Militem Auratum, principalem suum Commissarium constituens, ad *Subsidium* levandum, cujus ne Dodrantem quidem remisit.

Eodem autem tempore, quo Rex Servum tam bonum, quam fuit *Comes Northumbriæ*, amiserat: etiam Amicum & Affinem fidelem, *Iacobum* tertiũ *Scotiæ Regem*, similiter amisit, qui miserabili Fato functus est. Iste enim Princeps infelix, post diuturna, tam Procerum suorum, quam magnę partis Populi, odia, quæ subinde in Seditiones, & crebras Aulæ Mutationes eruperant, tandẽ ab iis oppressus est. Siquidẽ Arma contra eum sumpserunt, & *Iacobi Principis* filii sui personam, ex improviso, intra potestatẽ suam redegerunt, partim Vi, partim Minis: Interminantes se aliter Regnum in manus *Regis Angliæ* tradituros. Eo autem Consilio hoc moliebantur, ut Rebellionem suam obvelarent, sicque *Princeps* titulare & pictũ quoddã Caput Rebellionis fieret. Unde Rex *Scotiæ* (se viribus minimè parẽ cogitans) à *Rege Henrico*, etiã à *Papa*, & *Rege Gallo*, poposcit, ut res inter se & subditos suos componerẽt. *Reges*, prout petiit, mediationẽ suam, modo honorifico, & qui *Reges* magnos deceret, interposuerunt: Non tantum postulando, & suadendo, verum etiam protestando, & minando; Rebellibus denunciantes, se, cõmunem *Regum* Caussam agi, censere, *Si Subditi permittantur Leges Regibus suis imponere.* Seq; in ultionem ejusmodi sceleris prorsus ituros. At Rebelles, qui jam ante obedientię jugum majus excusserant, facile modestiæ Vinculum minus abjecerunt: & Furore Metum superante responderunt: Inanem esse de Pace mentionem, nisi Rex se Imperio abdicaret. Quocirca (Tractatu Pacis abrupto) ad Arma ventum est, Prælium que ad *Bannochiæ* Rivulũ, juxta *Sterlinam*, cõmissum est. Quo Prælio Rex, Iracundia & Indignatione licet justa, exæstuans, pugnam temere iniens, & manum præcipitanter conferens, antequam universæ ejus Copię convenissent, interfectus est, (nihil obstante expresso & præciso Mandato *Principis* Filii sui, qui hoc interdixerat) dum ad Molendinum quoddam fugisset, in Campo, ubi pugnatum est, situm.

Quatenus vero ad *Legationẽ Papæ*, quę per *Adrianum de Castello, Italum*, missa est, (quæq; illis temporibus, magis forsitan futura fuisset efficax) sero illa advenit, si *Legatio* ipsa spectetur, sed satis in tempore, pro commodo *Legati*. Nam cum per *Angliam, Scotiã* peteret, & honorifice admodũ à *Rege Henrico* exceptus esset (qui perpetuo se erga *Sedẽ Romanam* officiosum præbuit,) *Regis* favorẽ majorem in modum assecutus est, simulque magnam cum *Mortono Cancellario* familiaritatem contraxit. Adeo ut Rex moribus ejus delectatus, & eum rebus suis utilem fore credens, eundem ad Episcopatum *Herefordiensem* promoverit, & postea ad *Episcopatum Bathoniensem*; Ejusque opera usus sit, in complurib. negotiis, quæ ad *Curiam Romanã* pertinebant. Certe Vir magnus fuit *Adrianus*, & multa Eruditione, Prudentia, & in rebus civilibus dexteritate præditus: Et non diu post in Honorem *Cardinalis* evectus, largum *Regi* tributum ob beneficia sua rependit: *Regẽ*, magno cum Judicio, & Diligentia, de rebus *Italiæ* subinde per Literas informans. Nihilominus, sub finem Vitæ suæ, Particeps fuit Conjurationis, quam *Cardinalis Alphonsus Petruccius*, & alii quidam *Cardinales*, in vitam *Leonis Pontificis* inierunt, Atq; hoc ejus Crimen, per se atrox valde, aggravatum est, propter Caussam, quæ eum impulerat: Quæ Malitia sane aut Odio minime nitebatur, sed ambitione fœda adipiscendi *Papatum*. Atq; in hoc impietatis excessu, non defuit tamẽ levitatis & vanitatis mixtura quædam. Nam (ut apud omnes increbuerat) ad *Papatum* expectandum, fatali quodam Ludibrio inductus est, scilicet Prædictione Harioli cujusdã, quæ talis fuit: *Successurum* Leoni, *cujus nomen esset* Hadrianus, *Senem, humili loco natũ, sed doctrina & prudentia eminentem.* Quo

Chara-

Charactere & Schemate se describi putavit; Etsi hoc Vaticinium impletum postea fuerit, in *Adriano Belga*, (Filio Cerevisiarii ex eadem *Belgia*, *Cardinale de Torsa*, & *Caroli Quinti* Præceptore) qui postea, mortuo *Leone*, Nomine proprio non mutato, *Adrianus Sextus* vocatus est.

Verum ista anno sequente, quinto scilicet *Regis*, contigerunt. Sed in fine Anni quarti, Rex iterum *Ordinum Conventus* egit; Non (ut videtur) ob aliquam Occasionem tum emergentem, sed pricipitatis & abruptis *Comitiis* præcedentibus, propter Apparatus Belli *Britannici*, Rex cogitavit se non satis ampliter Subditos suos Legibus bonis hactenus remuneraſſe; Que semper ei fuerunt pro retributione erga Subditos, propter Pecunias ab ipsis collatas; Cumq; Alienationis Subditorum, ex iis quæ in Borealibus Partibus gesta erant, memor esset, visum est ei, eo magis Subditos suos solatiis reficere. Sane Tempora ejus, in bonis Legibus condendis, excelluerunt. Ita ut merito censeri possit, inter *Reges Angliæ*, post *Edvvardum Primum*, Legislator optimus. Leges enim ejus, (si quis attentius eas introspiciat) ex Prudentia profunda ortas inveniet, neq; vulgaris esse naturæ; non occassione aliqua præsente stimulante latas, sed vere ex Providētia futuri, ut status ejus *Regni* indies fieret magis florens & beatus; Ex more *Legislatorum* Temporibus Antiquis & Heroicis.

Primo igitur Legem tulit, quæ cū Temporibus & Actis suis optime conveniebat. Quemadmodū enim ipse, in Persona sua & Nuptiis, finalem introduxerat Concordiam, in Lite illa magna, quæ de Titulo Coronæ tamdiu pependerat: ita & hac Lege (de qua loquimur) similem Pacem & Tranquillitatem, circa privatas Subditorum terras, & Possessiones, stabilivit. Ordinatum est enim, ut *Fines*, quos vocant (quod Genus est Transactionis cujusdam solennis) revera finales essent, ad Jura non Partium tantum, sed aliorum omnium, extinguenda: Ita tamen, ut post *Fines* hujusmodi levatos, & solenniter proclamatos, haberet Subditus spatium quinq; Annorum, post Titulum suum devolutum, ad Jus suum recuperandum, aut saltem vindicandū; Quod si prætermisisset, Jure suo in perpetuum excluderetur; Cum exceptionibus tamen nonnullis, Ætate minorum, Nuptarum, & similium Personarum, Juris sui persequendi, incapacium. Hoc Statutum aliud *Regni* Statutum antiquum tantum restituit; quod & ipsum latum fuerat, juxta tenorem Legis Communis. Mutatio Legis intervenit; per Statutum quoddam vulgariter dictum de *non Clameo*, factum tempore *Edvvardi Tertij*. Atq; ista Lex, de *Finibus* levandis, instar Prognostici cujusdam erat boni, de Pace illa, quæ in hunc usq; diem, à temporibus ejus, ut plurimum secuta est. Statuta enim de *non Clameis*, Belli temporibus cōveniunt, cum animi Hominum inquietantur, ita ut rebus suis domesticis prospicere nequeant: Statuta vero quæ possessionibus favent, temporibus Pacis maxime sunt accommodata, ut Lites & querelæ extinguantur, quæ Pacis sunt Fructus perniciosi.

Aliud Statutum latum est, Prudentiæ, & in Rebus politicis Peritiæ singularis; Incrementum populi *Regni* manifesto, & (si quis acutius inspexerit) Militiam etiam, & vires *Regni* Bellicas promovens.

Cœperunt eo tempore, magis quam retro solitum, fieri Septa & Clausuræ in Agris; Ex quo Terra arabilis (quæ sine populo & familiis coli non poterat) versa est in Pascua, quæ Armentariorum paucorum opera tantum indigebant; Etiam *Firmæ* & *Tenementa* ad terminum vitæ, Annorum, & ad voluntatem Domini, (in quibus Coloni complures habitabant) versa sunt in *Dominicum*. Hoc infrequentiam & diminutionem peperit Populi, & (per consequentiam) Oppidorum, Ecclesiarum, Decimarum, & similiū: Probe etiam noverat Rex, neq; ullo modo oblitus erat, sequi etiam ex hoc Diminutionem *Subsidiorum* & Census: Quanto enim major numerus fuerit generosorum, tanto semper *Subsidiorum* Summæ decrescunt magis. In qua re medenda, prudentia *Regis* & *Parlamenti* enituit. Clausuras Agrorum prohibere noluerunt: Hoc enim fuisset, Soli Culturam fructuosiorem, atq; inde secuturam patrimonii *Regni* Meliorationem, prohibere: Neq; etiam Arationes Hominibus jussu Legis imponere consultum putarunt: Hoc enim fuisset cum Natura ipsa, & Rebus, pugnare. Sed tale temperamentum adhibuerunt, ut Clausuras tantum & Pascua, quæ Depopulationem liquido invehebant, tollerent: neque tamen expresse, aut Interdicto aliquo imperioso, sed solummodo per Consequentiam. Ordinatio fuit talis; ut omnes Domus Agricolationis, quibus fuerunt annexa viginti Jugera Terræ, aut amplius, in perpetuum sustentarentur & conservarentur, absque Decasu; una cum Portione Terræ competente, quæ à Domibus illis nullo modo separari possit: ut & per Statutū aliud quoddam, Successoris sui tempore factum, fusius declaratum fuit. Neque tamen, si quis deliquisset, sancitum erat, ut populari Actioni subjiceretur, sed ut Terræ ipsa in Manus *Regis*, aut *Domini*, caperetur, quoad dimidium Proficuorū, donec Domus ac Terræ reparatæ forent, & restitutæ. Hoc modo Ædificia sustentata necessario Habitatorem traxerunt: & Portio Terræ iisdem annexa necessario etiam poscebat, ut Incola is non esset Mendicus, aut Tuguriastes, sed ex paulo Opulentioribus, qui familiam alere, & Aratrum in opere ponere posset. Hoc populi numerum miris modis augebat, quin & potentiæ Regni militaris intererat: ut scilicet Firmæ & Tenementa, certum Terræ Dimensum sortirentur, quod Virum non infimæ conditionis, citra penuriam, sustentaret: Eademq; res quodammodo magnam partem Fundi *Regni*, Agricolis & mediæ sortis Hominibus, mancipabat, & perpetuabat: Mediæ (intelligimus) cōditionis, inter generosos & Operarios Rusticos. Jam quantum hæc Res militarem Regni potentiā (ut occœpimus dicere) promoveat, liquet, tum ex Militaris Disciplinæ principiis, tum ex aliarum Nationū Exemplis. Etenim opinione fere generali, Virorum maximi circa Res Bellicas Judicii, (etsi pauci quidam aliter senserint, quum revera Casuum distinctionem hęc Quæstio subire possit) Robur præcipuum Exercitus alicujus in Peditatu maxime consistit. Pedites autē ut fortes & bellicosi evadant, opus est, ut in Conditione aliqua non servili, aut inopi, sed libera & copiosa degant. Itaq;, si quod Regnum, aut Status, in Nobiles & Generosos potissimū excrescat: Agricolæ autem & Aratores loco tantum, & Conditione Operariorum illis inserviant, aut forte Tuguriastri meri existant, (qui pro Mendicis tecto cooperti tantum haberi possunt) *Equitatu* certe pollere possit, sed *Peditatu* minime: Tanquam

Sylvæ

Sylvæ cæduæ, quæ si Arboribus grādioribus abundent, Dumos & vepres progignent, Ligna autem Puriora non educent. Atq; hoc cernere est in *Gallia, Italia*, & aliis nonnullis *Europæ* Partibus, ubi Populus universus, vel ex Nobilibus, vel ex Rusticis vilioribus, componitur (De populo in Agris degente loquor, non in Urbibus,) Mediocris autem sortis Populus fere deficit: Quo fit ut *Copiis pestribus* parum polleant: Adeo ut, ad *Peditatum* suum constituendum, roborandum, mercenarias Cohortes *Helvetiorum*, aut *Germanorū*, adhibere fere consueverint. Unde etiam fit, ut Nationes illæ, Populum quidē numerosum, Milites autem paucos edant. *Rex* autem videbat, ex contraria parte, *Anglos* suos, quamvis Territorio multo angustiores, tamen Militibus, & Copiis nativis, præ illis (quas diximus) Nationibus, longe magis abūdare. Hoc Consilio atq; Instituto, *Rex Hydræ Dentes* occulto serebat; ex quibus (juxta *Fabulas Poetarum*) Milites armati exurgerent, in Regni sui Præsidiū, & Amplificationem.

Iisdem etiam Comitiis, *Rex* (curam adhibens, ut Regni potentia, non minus Mari quam Terra, augeretur) in Classis sui Adornationem, & Incremētum, ordinavit, ut Vina & Glastum, ex partibus *Gasconiæ* & *Languedociæ*, allata, non nisi Navibus *Anglicis* importarentur; Inflectens paulatim politiam *Regni Angliæ*, ab Intuitu Ubertatis & Utilitatis rerū venalium, ad Intuitum potentiæ Militaris. Antiqua enim statuta, fere omnia, Mercatores exteros invitant, ut Merces omnigenas in *Regnum Angliæ*, importent; pro fine habentia Vilitatem & Copiam earundem Mercium, neutiquam respicientia ad Rationes politicas, circa *Regni* potentiam Navalē.

Tulit etiam Legem illis *Comitis Rex*, & Monitoriam, & Minatoriā, erga Justiciarios Pacis, ut munus suū diligenter exequerentur, Delationes contra eos Auctoritate sua Regia invitās, & Neglectus eorū primo Sociis sui Justificiariis comittēs, postea Justiciariis Assisarū, postremo, *Cancellario*: Mādando simul, ut Edictum, (quod in eam Scientiam promulgaret,) quotanis quater *publicis Sessionibus* legeretur, ne forte Justiciarii obdormiscerēt: Hoc modo fore putabat, ut Leges suæ pœnales, executioni demandarētur; utq; inde, vel Obedientiæ, vel Mulctarum Fructum perciperet: In qua re versus finem Vitæ suæ, declinavit nimis in partem sinistrā. Hunc ad finem etiam cohibuit *Pragmaticam* quandam, nuper ortam, qua Informationes veræ, super Legibus pœnalibus exhibitæ, Informationibus aliis Illusoriis suffocabantur, exhibitis scilicet, per quosdam, quos Delinquentes subornarant, ut ad libitum eorum fieret, Litis vel Prosecutio, vel Desertio atq; hoc modo, veras prosecutiones (scilicet ne duplex foret vexatio) regerebant.

Legem etiam tulit de re Monetaria reformanda, & Nummorum exrernorum (Eorum scilicet qui Edicto Regio essent in usum Regni recepti) adulteratione punienda: Utq; in Pecuniis persolvēdis, nulla fieret Solutio in Auro, quibuscunq; Mercatoribus alienigenis; ut hoc modo Thesaurus *Regni* intra *Angliam* melius asservaretur: Quandoquidem Aurum ejus generis Metallum sit, quod facillime, & in occulto transportari possit

Statutum etiam fecit, de re pannaria, & Lanis intra *Regnum* conservandis: Neq; hoc tantum, sed de preciis etiam Pannorum limitandis, & moderandis; Pretio uno, Pannis tenuioris fili, alio crassioris, imposito. Quod eo libentius refero, tum quia rarum sit, Pretia per Statutum aliquod imponeret, præsertim Mercibus Regni Nativis: Tū propter hujus *Legis* prudēs Tēperamētū, quod Pretia præcise Pañorū diversi generis non præscriberet; Sed sanciret tantum, ne Pretium à Statuto limitatum pannarii excederent; ut liberum esset Pannario pannos suos ita conficere & accommodare, ut jacturam nullam in eis faceret.

Fuerunt & alia Statuta his Comitiis ordinata, sed hæc præcipue. Hic vero petendum videtur, ab iis, in quorum manus hoc Opus nostrum inciderit, ut in bonam partem accipiant, quod tam diu in Legibus, quæ hujus *Regis* tempore latæ sunt commemorandis imoremur. Cujus rei has Caussas habemus, Primo quoniā virtus illa præcellens, & Meritum proprium in hoc *Rege* fuit (cujus Memoriæ honorem deferimus) ut optimus Legislator esset; Dein quod cum Vitæ nostræ Genere, & Instituto conjunctū sit; Præcipue vero quod (nostro quidē Judicio) hoc ipsum, optimis Historiæ Scriptoribus desit, quod scilicet non satis crebro, summarie referant Leges maxime memorabiles, quæ temporibus, de quibus scripserint, perlatæ sunt; cum sint Leges revera Acta Pacis principalia. Etsi enim, in Voluminibus Legum ipsarum, maxima ex parte, reperiri soleant, neutiquā tamen non hoc tā bene informat Judicium, *Regum*, & Consiliariorum, & Virorum Civilium, quam si videant eas descriptas, & veluti depictas, in Tabulis Temporum.

Circa id tempus, *Rex* quater mille Libras à Civitate *Londini*, mutuo sumpsit; Quæ summa, priori quam crediderunt, dupla erat, & fuit debite & præcise ad diem præfixum, repensa, quemadmodum etiam prior Summa fuerat: *Rege* præoptante semper, potius mutuari citius quam egebat, quam solvere tardius quam debebat; Id quod ei Fidem admodum conciliavit.

Neq; abjecerat adhuc *Rex* Curam, aut spem de Rebus *Britannicis*, verum Occasiones Consilio & Arte vincere aptius est, (quamvis Arma sua infeliciter cesserant) atq; Regem *Gallum*, licet victoria ipsa non potuisset, tamen Victoriæ Fructu privare. Summa *Regis* Consilii fuit, *Maximilianum Regē* ut in Nuptiis *Annæ Britanniæ* Heredis ābiendis persisteret, extimulare, atq; ad earum Confirmationē adjuvare. Verum Res *Maximiliani*, eo tempore, in magna Perturbatione, & Combustione fuerunt, propter Rebellionem Subditorum suorum in *Flādria*. Nam populi *Gaudavi* præsertim, & *Brugarū*, (presente ipso *Maximiliano*) arma subito ceperāt & nonnullos, ex officiariis ejus principalibus, interfecerant, eique ipsi custodiam circumdederant: usq; quo, & ipsum, & aliquos ex Consiliariis suis, jure jurando obstrinxissent, ut veniam omnium Ante-actorū concederet; Neq; ea in posterū quæstioni subjicere, aut vindicare vellet. Attamen *Fredericus* Imperator, *Maximiliani* pater, permittere noluit, ut Contumelia hæc, & Indignitas, Filio suo illata, maneret impunita, sed acriter Bellū *Flandris* intulit Sed *Dominus Ravēstonnus*, vir magnæ apud *Maximilianū* Auctoritatis, (qui & ipse Juramentum Abolitionis simul cum *Domino* suo sumpserat) Religionem in ea prætexens, sed revera privata motus Ambitione, (atq. (ut credebatur) incitatus & corruptus à *Gallis*, (*Imperatorem* & *Maximi-*

Maximilianũ Dominũ suum deseruit: Seq; Partibus Populi Ducem & Caput præbuit: Oppidaq; *Hyprarum*, & *Slusiæ*, cum Castellis, occupat: Statimq; ad Dominum *Cordesium*, *Picardiæ* sub *Rege Gallo* Præsidem, misit, ad Auxilia ab eo petenda: Atq; insuper postulans, ut ipse *Cordesius Regis* sub nomine, Unitorum Oppidorũ Protector esse, & Armis reliqua subigere, vellet. *Dominus Cordesius* ad Occasionem arripiendam paratus erat, (quam partim ipsemet instruxerat,) & cõtinuo Auxilia summisit ampliora, quam, si res ex improviso gesta fuisset, tanta festinatione cogere potuisset: Præfectis Copiarum mandans, ut Oppida inter *Gallia* & *Brugas* caperent. Copiæ *Gallorum*, oppidum parvum, vocatum *Dixmeum*, obsiderunt, ubi *Belgicarũ Copiarum* pars se cum eo conjunxerat. Dum illa Obsidio duraret, *Rex Angliæ*, sub prætextu Præsidii Finium suorum juxta *Caletum*, sed revera minime volens, ut Maximilianus contemptui exponeretur, & propterea Matrimonio *Britannæ* decideret: *Baronẽ Morlejũ*, cum Mille Militibus, ad *Dominum Daubenejũ Caleti* Præfectũ, misit, cum mandatis secretis, ut *Maximiliano* auxiliarẽtur, & Obsidione *Dixmeũ* eximerẽt. *Daubenejus*, (sparsis vocibus hæc omnia ad securitatem Finium Anglicorum fieri) ex Militibus Præsidiariis *Caleti*, *Hamnesiæ* & *Guinesiæ*, alio Mille eduxit: Ita ut cum recentibus Auxiliis conjuncti, duorũ ad minimum Millium, numerum explerent. Quæ Copiæ, una cum aliis nonnullis *Alemannorũ*, *Dixmeum* clanculum ingressæ sunt, insciis Hostibus; atq; Oppidũ pertranseuntes (additis nonnullis ex ipsius Oppidi Copiis) Castra hostium, negligenter custodita, (utpote qui nihil tale metuebãt) adortæ sunt, ubi magna cædes facta fuit. *Angli* autẽ, & eorũ Socii, victoria potiti sunt, interfectis octo Hostium Millibus, *Anglorum* vero centum tãtum, aut circiter, desideratis; Inter quos fuit *Dominus Morlejus*. Ceperunt etiam Tormenta Hostiũ majora, cum Spoliis haud exiguis, quæ omnia ad Oppidum *Novi portus* asportarunt. His peractis, *Dominus Daubenejus Caletũ* reversus est, saucios suos, & alios nonnullos sponte manentes, apud *Novum Portum*, relinquens. At *Dominus Cordesius*, ad *Hypras* cum magnis Copiis sedens, Jacturã & Ignominiam Pugnæ ad *Dixmeum* sarcire sperans, statim advolavit, & *Novum Portum* Obsidione cinxit; Et post aliquorum dierum Obsidionem, Oppugnationis Fortunam tentare statuit; Quod etiam die quodam fecit, eo successu, ut *Turrim* Oppidi principalem ceperit, & Vexillum *Gallorum* super eam erexerit. De qua tamen, paulo post ab *Anglis Galli* dejecti sunt, ope recentium quorundam Auxiliorum, ex Sagittariis; qui feliciter in ipso Pugnæ Articulo, in Portum Oppidi appulerunt. Unde perterrefactus *Cordesius*, atq; Auxilia *Anglorum* (quæ parva erant) ex successu Rei (qui erat magnus) metiens, Obsidionem solvit. Hoc modo, res inter *Hericum* & *Regem Gallum*, nonnihil exacerbatæ sunt, quia in hoc *Flandriæ* Bello, Auxiliares Copiæ utriusq; *Regni*, sanguine mutuo haud exiguo, se conspersérunt. Quæ Acerbitas aucta est ex inani Jactatione *Cordesii*, qui se aperto *Anglorum* Hoste gerebat, magis certe quam *Regis* sui rebus conducebat. Solitus enim erat dicere, Se libenter in Inferno, per Septennium jacere velle, ea conditione, ut *Caletum* è manibus *Anglorum* recuperaret,

Rex, postquã res & existimatio nonẽ *Maximiliani* hoc modo sustentasset, consilium ei dedit, ut jam Nuptias cum *Britãna* acceleraret. Quod & *Maximilianus* fecit, & eo usque, tum apud Principissam ipsam, tum apud Consiliarios ejus principales, prævaluit, ut Matrimonium per Procuratorẽ consummatum fuerit, cum Cæremonia, tunc temporis, in his partibus, nova. Neq; enim solum publice desponsata est, sed etiã tanquam Nupta per omnia tracta, atq; in Thalamo collocata: Postquam autem decubuisset, ingressus est Legatus *Maximiliani* cum Litteris Procurationis, & astantibus multis, tam Viris, quam Fœminis, primariis, Tibiam suam ad Genu usq; nudatam, inter Lintea nuptialia inseruit; ut Cæremonia illa, Consumãtioni, & Cognitioni actuali, æquipollere putaretur. Hoc facto, *Maximilianus* (cujus moribus penitus insitũ erat, ut negotia semper semiperfecta relinqueret, & reliqua Imaginatione tantum forti consummaret: tanquam Sagittarius malus, qui sagittas ad cuspidẽ usq; attrahere non solet: Cui etiam tam facile fuisset Sponsam suam præsens amplexari, quam hujusmodi Ludibria instituere) omnia jã pro certis ducens, neglexit ad tempus cogitationem de Nuptiis, & Bello totus incubit. *Carolus* interim (postquam Theologos suos consuluisset, atque ab iis edoctus fuisset, istiusmodi fictitiam Consumãtionem, potius Inventum quoddam Aulicum esse, quam apud Ecclesiã receptam) magis solide rem aggressus est; & secretis & callidis Instrumentis, (tam Matronis scilicet, quàm Consiliariis,) primo Conscientiæ & Honoris scrupulũ amovere conatus est; Qua in re duplex erat labor. Neq; enim solum *Maximilianus* cum *Britanna*, sed etiam *Carolus* ipse cũ *Filia Maximiliani* contraxerat: Ita ut Nuptiæ, ex utroq; pede claudicarent, & ex neutra parte dubitatione carerent. Verum quatenus ad Contractum, cum *Rege Carolo*, exceptio erat justa & liquida, eo quod *Filia Maximiliani* infra Annos consensus esset, ideoque Lege non teneretur. Sed quoad Contractum *Maximiliani* ipsius, duriores sustinebat partes *Carolus*, cum nihil adducere posset, nisi quod Contractus ille, sine consensu *Domini Capitalis*, *Caroli* scilicet, (cujus Pupilla, & Vasalla erat, atque ipse erga eam Parentis loco) initus esset; Ideoq; ob Defectũ hujusce Consensus prorsus irritus. Qui Defectus (dixerunt) licet Matrimonium ipsum, post Cohabitationem & actualem Consumãtionem, dirimere nõ posset, tamen ad Contractum invalidandum sufficiebat. Nam quoad Consumãtionem illam Ludicram, risu eam excipiebant, inquientes; argumẽto esse quod *Maximilianus* Viduus esset, & Procus admodum tepidus, qui Sponsi partes per Deputatũ præstare contentus fuerat; neque laborem Itineris parvi adire sustineret, ut omnia extra controversiã statuerẽtur. *Britanna* igitur, hisce rationibus permota, artificiose instillatis, ab iis, quos *Rex Gallus* (qui Præmiis & Promissis non pepercerat) in suas partes traxerat; & illecta proculdubio presẽte gloria, & potentia *Regis Caroli* (præsertim cum in Flore ætatis esset, & cœlebs,) atq; Patriam suam, Sedem diuturni & Calamitosi Belli constituere verita, secreto in Matrimoniũ *Caroli* consensit, Sed durante hoc Tractatu secreto, *Carolus*, ut rem, ab adversis Oppositionis & Dissuasionis Auris, illæsã servaret, ad solidas Artes confugiens; & sperans se Nuptias, sicut antea Bellum, posse tecte conficere, si *Regem Angliæ* inani spe lactasset; solennem Legationem in *An-*

in *Angliam* misit, per *Franciscum Dominum de Luxemburgo*; *Carolum Marignianum*, & *Robertum Gaguienum* Generalem Ordinis *bonorum Hominum* (qui appellantur) de *Trinitate*; qui Pacem & Fœdus cum *Rege* componerent, intermiscendo veluti preces, ut *Carolo* liceret cum Henrici *Regis* bona voluntate (pro jure suo tanquam Domino Feudi, atque insuper Tutori) de Nuptiis *Britannæ* ad arbitrium suum disponere. Suscipiebat autem in se, Nuptias *Maximiliani* per viam Juris se dirempturum. Atque hoc ipso tempore, ut Hominum oculos averteret & perstringeret, Filiam *Maximiliani* in Aula sua habere non destitit; quæ diu ante ei commissa fuerat, ut in *Gallica* educaretur; Eam minimè dimittendo aut remandando, sed contra, constanter asserendo & declarando, sibi in animo esse, Nuptias illas tempore idoneo perficere: Atque quoad *Britannam*, se nihil aliud cupere, quam ut jus Dominii sui retineret, eamque alicui Affini, sibi fideli & observanti, nuptam traderet.

Postquam tres *Legati* in Aulam Henrici venissent, Legationem *Regi* retulerunt, qui eos ad Concilium suum remisit, ubi post aliquot dies auditi sunt; Orationem autem habuit *Prior Trinitatis* qui, licet loco ultimus esset, eloquio tamen cæteris præstare putabatur. Is locutus perhibetur in hunc modum:

DOmini *mei*; Rex *noster maximus & potentissimus inter* Reges Galliæ *universos, qui à tempore* Caroli Magni *regnarunt, (cujus etiam Nomen gerit;) Attamen à Magnitudine sua nihil alienum se facturum putavit, si hoc tempore pacem iniret cum* Rege Angliæ, *imò etiam peteret. In quem finem, nos Legatos suos misit, cum plena Potestate, pacem & tractandi, & concludendi; Nobis simul in mandatis dans, ut secreta Consiliorũ suorum, in aliquibus, vobis impertiremur. Hæc sunt demum illa, quæ inter* Reges *magnos, pro certissimis Amoris Pignoribus & Tesseris, meritò censeri possunt; Communicatio scilicet & Participatio mutua Negotiorum status, prætermissis Honoris Cæremoniis curiosis, quæ affectui alicui insigni postponit debẽt. Hoc pro certo apud* Dominationes *vestras testari possum; Fieri vix posse ut animo planè concipiatis, cordialem illum & verum amorem, quo* Rex Dominus *noster*, Regem *vestrum prosequitur, nisi præsentes cum eo essetis, ut nos solemus; Nominis ejus, cum magno Honore, mentionẽ semper facit; Familiaritatis ipsorum & Convictus* Parisiis, *sæpè cum delectatione quadam & voluptate, meminit; Imò nunquam de illo loquitur, quin statim excurrat in sermones de* Regum *magnorũ miseriis, quod non cum Æqualibus suis; sed tantùm cum Servis, conservari eis concedatur. Hunc affectum insignem erga* Regem *vestrum, proculdubio* Numen Divinum *cordi* Regis *nostri indidit, ad Bonum Reip. Christianæ, & ad Fines nobis omnibus hactenus incognitos. Neque enim alia ejus possit esse radix, quãdoquidem eodem animo fuerit olim erga* Comitem Richmondiæ, *quo nunc est erga* Regem Angliæ. *Primus igitur Motor, ad pacem, à* Rege *vestro petendam, iste, (quem diximus,) est affectus, & cordis sui sensus genuinus. Atq; affectus idem, Rationibus Status armatus est. Audite enim jã (si placet) occulta Consiliorum* Regis *nostri, quæ summo candore & libertate vobis intimat. Constituit ei est, Expeditionem honorificam & sanctam, in Partes à* Regno *suo remotas, suscipere: Itaque ipse secum reputat, nõ exigui momenti fore, ad existimationem Sui, & Expeditionis suæ augendam, si ubique innotescat, eum pace cum omnibus* Principibus *vicinis suis perfrui, & præcipue cum* Rege Angliæ, *quem merito plurimi facit.*

Iam vero (Domini *mei*) *veniam à vobis peto, si paucis verbis nonnulla complectar, quæ scrupulos omnes & interpretationes sinistras, inter* Reges *nostros, circa Actiones quasdam nuperas delere possint; Quæ si minime amoveãtur, pacem hanc fortasse sint disturbatura; sperans fore, ut his rectè intellectis, quatenus ad præterita, neuter* Rex, *quæ ab alterutro gesta sunt, aut in malam partem accipiat, aut in malã partẽ accipi suspicetur. Actiones illæ duæ sũt; Altera* Britanniæ, *altera* Flandriæ. *In quibus duabus Actionibus, negari non potest, Subditorum utriusq;* Regis *enses strictos fuisse, & sanguinem utriusq; hausisse, Atque simul intentiones & affectus utriusq;* Regis, *quatenus ad Confœderatos & affines suos, longè diversos extitisse.*

Quatenus ad Actionem Britanniæ, Rex *Vester optimè novit, quæ in illa intervenerint. Bellum erat illud, ex* Domini *nostri parte, necessitate mera cõflatum. Attamen quamvis stimuli & provocationes ejus belli acriter* Regem *nostrũ pupugerint: nihilominus potiùs Oliva, quam Laureæ ramum in manu gestant, illud transegit. Præterea, indies ferè ad* Regem *vestrum mittebat, veluti chartas abrasas & puras, in quibus* Rex *vester, pro arbitrio suo, pacis & belli Leges conscriberet. Licet enim, & Honor* Regis *nostri, & Securitas, in ea Actione sita essent; tamen neutrã eorũ tam charum aut pretiosum duxit, quod in manus* Regis *vestri non committeret. Neque* Rex *noster ex sua parte, ad iniquam aliquam interpretationem trahit, quod* Rex *vester auxilia* Duci Britanniæ *præstiterit: Satis enim novit* Rex, *multa à Regibus, ad populo suo complacendum, fieri necesse esse: neq; difficile est distinguere in rebus hujusmodi, quid à* Regis *mero motu emanaverit. Verum hæc Actio* Britannica *jam (Decreto divino) transacta est & finita; Et (sicut* Rex *noster sperat) est tanquam* Via Navis in Mari, *nullo relicto vestigio & impressione in animis alterutrius* Regis: *Ipse certe sibi conscius est, nihil hujusmodi in animo suo residere.*

Quod vero ad Actionem Flandriæ *attinet; Quẽadmodum Bellum* Britannicum Regi *nostro necessitas imperabat: ita & Bellam* Flandriæ *Munus & Debitum Justitiæ: Quod* Regi *bono perinde est, ac ipsa necessitas, aut periculum status sui; Aliter enim* Rex *esse desineret. Subditi* Burgundiæ, *Coronæ* Franciæ, *quatenus ad Jus* Domini Capitalis, *etiam subditi sunt:* Duxq; *eorum,* Franciæ *Feudatarius & Vasallus est. Soliti certè erãt* Burgundi, *subditos se bonos & fideles* Duci *suo præstare, utcunq; eos* Maximilianus *nuper in intemperiem quandam confecerit. Ad* Regem *confugerunt, ut Justitiam, & ab oppressione vindicationem impetrarent. Justitiam eis denegare non poterat: Emolumentum aliquod sibi ipsi minimè expetebat. Hoc etiam ipsi* Maximiliano *utile erat, si rem rectè perpendisset, nempe, ut in populo commoto, furori obviam iretur, & desperatio ultima prohiberetur His, quæ dixi (*Domini *mei) fortasse opus non erat, nisi quod* Rex *noster, tenero quodam affectu & anxio, quicquid in* Angliæ *amicitiã reflectere possit, amplectatur. Amicitia proculdubio inter duos* Reges *stat sarta, tecta & inviolata. Quod vero ẽses subditorum collisi sint, nihil ad pacem publicam: Cũ usita-*

usitatissimum sit copias auxiliares Fœderatorum inter se cõmitti, sanguine utrinque effuso. Quin etiam quandoque fit, ut auxiliares copiæ ejusdem Nationis ex utraque parte in acie stent & dimicent: Neque tamen propterea, Regnum in se divisum, *dici potest.*

Superest (Domini mei) *ut vobis nogotiũ impertiam, quod satis scio vos magna cum lætitia & gaudio audituros. Quippe quod* Reipublicæ Christianæ *magis interfit, quam Actio ulla post nostram memoriam.* Rex, Dominus *noster, in animo habet, Bello* Regnum Neapolitanum *recuperare, hoc tempore usurpatum quidem à Spurio Vitulamine* Arragonum *sed Jure evidente & indubitato ad* Regem *nostrum devolutum: Quod nisi armis vindicare anniteretur, neq; honorem suum illæsum conservare, neque caussam hujusmodi desidiæ populo suo probare possit. Sed cogitationes ejus generosæ, & verè Christiana in hoc non acquiescunt. Spe enim haud levi nõ inflatur quidem, sed fulcitur, Expeditionẽ pro* Regno Neapolitano *recuperando, instar Pontis fore, ad copias suas in* Græciam *transportandas. Quin etiam constitutum ei est, neque sanguini, neque sumptui parcere (non si* Coronam *suam oppignorare, &* Franciam *ipsam desolare compelleretur) antequam aut* Tyrannidem Ottomannorum *debellaverit, aut hac via in* Paradisum *aditum sibi patefecerit. Neque tamen nescit* Rex, *hoc incœptum nulli* Regi *in mentem venire potuisse, nisi qui ad* Deum *præcipuè oculos attolleret, Cujus caussa agitur, & à quo, &* Velle, *&* Posse *datur. Certè congruit illud cum persona, quam* Rex *sustinet, (licet indignus,)* Regis Christianissimi, *&* Filii Ecclesiæ Primogeniti. *Quinetiam invitatus est exemplo prænobilis illius* Regis Angliæ, Henrici IV. *[qui primus Sceptrum tenuit ex* Familia Lancastrensis *Præcessor quidem, licet non Progenitor* Regis *vestri,] Qui sub finem vitæ (ut vos melius nostis) similem Expeditionem in* Terram Sanctam *destinabat. Nec non exemplo præsenti inductus est belli illius pii & honorifici, quod nunc gerit, & ferè ad exitum perduxit* Rex Hispaniæ, *pro* Regno Granadæ *à* Sarracenis *recuperando Etsi autem* (Domini mei) *hoc incœptum primo intuitu vastum videri possit & immodicum, ut* Rex *propriis copiis illud aggrediatur, quod conjunctæ copiæ toi* Principium Christianorum *non sine magnis laboribus & diuturno bello olim confecerunt; Attamen* Celsitudo Sua *prudenter secum reputat, interdum copias minores, sub uno Imperio unitas, successu feliciores evadere, (etsi fama & opinione minus jactentur) quam copias multò ãpliores, variè commistas, & vinculo fœderum & societatum tantùm colligatas, quæ plerunque paulò post principa vertuntur in dissidia & dissociationes. Verum* (Domini mei) *id quod, tanquam vox de cœlo,* Regem *ad hoc incœptum vocat, est scissura hoc tempore insignis in* Familia Imperatoria Ottomannorum. *Non dico quin* frater contra fratem *ante hac in illa Familia arma sumpserit, & pro Imperio decertarit: Verum nunquam prius factum est, ut aliquis fratrum ad arma* Christianorum *confugeret, quemadmodũ nunc facit* Gemes (Bajazethi, *qui jam regnat, frater) virtute Germanum suum longè superãs.* Bajazethus *siquidem ingenio & moribus, veluti medius est inter Monachum & Philosophum, Ac potius in* Alchorano, *aut Philosophia* Averrois Arabis *instructus, quàm habilis ad gubernacula tractanda Imperii tam bellicosi. Tale igitur est* Regis *Domini nostri memorabile & Heroicum Institutum circa bellum sacrum. Et quia in hac re personam gerit non minus* Militis Christiani, *quam* Regis potentis, *ab humilitate auspicatur, Et in caussa tam religiosa pacem ab aliis* Principibus Christianis *emendicare non detrectat. Superest tantum civile quoddam potius postulatum, quam Legationis nostræ pars essentialis, quod* Dominus *noster* Regi *vestro commendat.* Rex (*ut omnes norunt*) *Dominus est Capitalis* Ducatus Britanniæ. *Nuptiæ Hæredis ad eum, tanquam Tutorem & Gardianum, jure spectant. Est q; hoc genus Juris, Privatum Jus & Patrimoniale, non* Regium. *Attamen, (ut amanter & ingenuè cum* Rege *vestro agat, quem tanquam alterum se efficere cupit, & una eademque res cum eo fieri) hoc petit, ut bona* Regis *gratia & consensu de Nuptiis ejus disponere possit, prout sibi commodum videbitur; Et Matrimonium* Maximiliani *prætensum & intrusum, per viam Juris, irritũ facere. Hæc habui* (Domini mei) *quæ apud vos dicerem, veniam petens, si minus ornatè, & pro rerum dignitate dixerim.*

IN hunc modum, *Legati Regis Galli,* verbis suavissimis & planè mellitis, *Regis* sui propensionem in Henricum *Regem* repræsentare, & aspera quæque inter *Reges* duos lenire & dulcorare conati sunt: duas res ex hoc sperantes. Quarum altera erat, ut *Regem* consopirent, donec *Nuptiæ Britannicæ* essent consummatæ: Hoc vero æstimabant, Rem esse unius tantùm æstatis, & tanquam fructum jam propè maturum, & cito decerpendum: Altera vero instar fructus plurium annorum erat, ut scilicet *Regis* Henrici animum ita temperarent, ut Expeditioni *Italicæ* neutiquam esset impedimẽto. Consiliarii *Angli* silebant: illud tantummodo dicentes, se scire, *Legatos* Responsum minimè expectaturos, antequam rem *Regi* suo retulissent. Atque ita Concilium dimissum fuit. Rex interim animi dubius erat, quid de Nuptiis *Britannæ* judicaret. Liquido cernebat, *Regis Galli* ambitionem eo ferri, ut *Ducatu* eo potiretur: Sed res prorsùs mirabilis ei visa est, *Gallum* in Familiam suam introducere velle, Nuptias controversas & litigiosas, præsertim cũ talem haberet Successorem. Sed omnia simul perpendendo, *Britanniã* quidem ut rem perditam æstimabat: Verum negotium hoc *Britanniæ,* ut ansam belli cum *Gallia,* arripere constituit; Et *Expeditionem Neopolitanam* in promptu habere, pro ansa pacis, quando opus foret: Probè siquidem informatus erat, quãto Rex *Gallus* Expeditionis illius flagaret desiderio. Postquam igitur sæpiùs cũ Concilio suo de re deliberasset, animi autem sui sensum parcè aperuisset, *Cancellario* in Mandatis dedit Responsum quoddã formale, quod *Legatis* redderet, idque præsentibus reliquis Consiliariis fecit. Sed postea *Cancellarium* solum ad se vocans jussit eum tali Stilo verba facere, quæ convenirent Tractatui, qui in Fœderis ruptura desiturus foret, Utque ante omnia caveret, ne ullo modo Expeditionem in *Italiã* averteret. Paulo post *Legati* ad *Concilium* accersiti sunt, ubi *Cancellarius* in hunc modum locutus fertur.

DOmini *mei* Legati, *ex Mandato* Regis, *respondeo Orationi* Domini Prioris, *eloquenti admodum & ornatæ, paucis & perspicuis verbis.* Rex *minimè*

nime oblitus est veteris sui amoris & familiaritatis cum Rege *vestro. Commemoratione autem ejus non est opus, Nam si res inter eos eodem maneant loco, benè habet; Sin aliqua inter venerit mutatio, ea verbis in integrum restitui non potest.*

Quatenus ad Actionem Britanniæ; *miratur* Rex, Regem *vestrum ejus rei mentionem facere, ac si illam meriti loco apud* Regem *nostrum duceret. Illud enim meritum huc tantùm redit, quod* Regis *nostri opera usus sit, ad decipiendum unum ex optimis suis Fœderatis. Quoad* Nuptias *verò*, Rex *ei rei se immiscere minimè vellet, si* Rex *Dominus vester, Liturgia non gladio, Matrimonium contraheret.*

Quatenus verò ad Actionem Flandriæ, *si* Burgundiæ *Subditi à principio per viam Supplicationis vestrum* Regem *appellassent, ut* Dominum *supremum, illud demum speciem quandam justitiæ præ se ferre visum esset. Sed nova prorsus erat Processus forma, ut Subditi* Regem *suum primò in custodiam darent, & Officiarios ejus interficerent, & postea querimoniam instituerẽt.* Rex *ait, sibi è memoria non excidisse, quando ipse cum* Rege Gallo *ad* Scotos *(qui contra* Regem *suũ arma sumpserant) Legatos suos misisset, se alio stilo locutos, atq; prout* Reges *decebat, populares istos Motus contra Principes suos detestatos esse. Verùm* (Domini mei Legati) *has duas Actiones in hoc statu* Rex *noster relinquit. Profitetur quidem sibi, ex iis, quæ à vobis dicta sunt, nullo modo satisfactum; Sed tamen se ea non tam graviter ferre, ut eorum respectu de pace tractare recuset, modo alia conjunctim tractentur. Quantum verò ad* Bellum Neapolitanum *& incœptum contra* Turcas, Rex *expresè mihi mandavit, ut dicerem; Se ex animo optare, suo bono Fratri* Regi Galliæ, *ut fortuna, ejus spes, & consilia honorifica exaquet: Et quandoq;* Regi *audire contigerit*, Regem *vestrum in* Græciam *trajicere paratum esse, sicut hoc tempore placuit* Domino *vestro dicere, se pacem à* Rege *emendicare, ita tunc* Regem *nostrum à vestro partem belli emendicaturum.*

Jam verò, (Domini mei *Legati*,) *habeo insuper, quæ vobis ex parte* Regis *nostri proponam.* Rex *vester* Regem *nostrum, quod ei proponendum aut petendum esset, docuit. Dicis* (Domine Prior) Regi *vestro decretum esse, Ius suum in* Regnium Neapolitanum *injustè detentum, persequi. Quod si non faceret, neque honorem suum illæsum conservare, neque caussam talis desidiæ populo suo probare possit. Hæc fuerunt ipsissima verba vestra, quæ non aliis verbis meliùs exprimere possum. Putate*, (Domini mei,) Regem *nostrum eadem verba vobis regerere, circa* Normanniam, Gasconiam, Andiam, *imò circa* Regnum Galliæ *ipsum. Si igitur* Rex *vester consenserit, ut in hoc Tractatu Ius* Regis *nostri ad* Franciam *(aut saltem tributum eo nomine rependendũ) simul in deliberationem veniat*, Rex *de cæteris quoq; deliberare non abnuit; alias Tractatum longius producere recusat.*

Legati hac re nova attoniti, non sine indignatione quadam responderunt: Se minimè dubitare, quin gladius *Domini* sui Sceptrum suum facilè possit defendere: Ac pro certo scire, *Regem* suum nec posse, nec velle aliquid de Juribus *Coronæ Franciæ* imminuere, sive in Territorio, sive in Regalibus. Sed utcunque, res illas nimio majoris momenti esse, quam ut ipsi de illis differerent, cùm nihil ejusmodi haberent in Mandatis. Ad quæ Consiliarii dixerunt tantùm, *Regem* ab ipsis nullum aliud Responsum expectasse, sed Legatos proprios ad *Regem Gallum* propediem missurum. Injecta autem, tanquam obiter, est Quæstio à quibusdam ex Consiliariis; Num fortè *Rex Gallus* consentire vellet, ut nuptias *Britannæ* pro arbitrio disponeret; cum exceptione tamen sive exclusione, ne ipse eam in uxorem duceret. Cui interrogationi *Legati* prudẽter & cautè responderunt: Rem illam à *Regis* sui cogitationibus tam procul abesse, ut de ea nihil dederit in Mandatis. In hunc modum *Legati* dimissi sunt, præter unum *Priorem*. Secuti autem sunt confestim *Regis Angliæ Legati* in *Galliam*; videlicet, *Thomas Ormondiæ Comes*, & *Thomas Goldenstonus Prior Ecclesiæ Christi Cantuariensis*. Interea *Lionellus, Episcopus Concordiæ*, ad utrumque *Regem* à *Papa Alexandro* VI. missus est Nuncius de pace. *Alexander* enim se in arctum compulsum esse, & quasi obsessum sentiens à fœdere quodam & societate inter præcipuos *Italiæ Status* inita, ut nullus ei aditus ad Familiam suam evehendam (cujus rei cupiditate immani flagrabat) pateret, aquas in *Italia* turbare expetebat, ut in turbido feliciùs piscaretur: Rete scilicet jaciens, non ex *Petri*, sed ex *Borgiæ* navi. Atque dubitans, ne metus ab *Anglis* Expeditionem *Galli* in *Italiam* remorari posset, *Episcopum* hunc misit, ut res inter duos *Reges*, si posset, componeret. Qui primùm ad *Regem Gallum* se contulit, eumque benè animatum (ut ipse arbitrabatur) offendens, versus *Regem Angliæ* perrexit, & *Legatos Anglos* apud *Calletum* reperit. Postquam cum iis collocutus esset, honorificè in *Angliam* transvectus est, ubi apud *Regem* Mandata exposuit. Attamen licet boni ominis nomen ad pacem componendam sortitus esset, nihil inde secutum est. Etenim jam consilium *Regis Galli*, de desponsanda Hærede *Britanniæ*, diutiùs dissimulari non poterat. Itaque *Legati Angliæ*, quo in statu res essent, satis perspicientes, domum redierunt. *Prior* etiam *Trinitatis* monitus est hic in *Anglia*, ut discederet. Qui postquam tergum vertit, more *Pedantii* potiùs quàm *Legati*, petulantissimum Libellum, versibus Latinis, contra *Regem* sparsit; Cui *Rex* (licet nihil haberet è Pedantio) Responsum tamen Versibus similiter Latinis, scribi jussit; in persona quidem *Regis* ipsius, magno tamen cum vilipendio Prioris: Cujus genio & petulantia, tanquam facetiis scurræ, se oblectabat. Circa hoc tempus etiam natus est *Regi* filius secundogenitus Henricus, qui postea regnavit. Secuta est paulo post Nuptiarum Solennizatio, inter *Carolum* & *Annam Britanniæ Ducissam*, cum qua *Carolus Ducatum Britanniæ*, nomine dotis, accepit; *Maximiliani* Filia paulò ante domum remissa. Quod postquam ad aures *Maximiliani* pervenisset, qui illud nunquam crediderat, antequam peractum esset; Quiq; in seipso decipiendo principales semper partes obtinebat: (etsi hoc quidem in negotio *Rex Gallus* partes secundas eleganter sustineret) atque cogitationibus suis sursum deorsum agitans & revolvens: quale hoc esset, ut ipse uno ictu, duplici autem ludibrio, tam Nuptiis propriis, quàm Nuptiis Filiæ suæ dejiceretur, (ex quarum utrisque magna sibi & sublimia auguratus erat) patientiam omnem amisit: atque abjiciens reverentiam illam atque decus, quod magni *Reges*

(etiam cùm Sanguis eorum maximè effervescat) mutuo servare debent, *Regis Galli* personam & facta acerbissimis convitiis proscidit. Et quanto factis minus poterat, tanto verbis intemperantior, quascunque poterat excogitare contumelias, in *Regem Carolum* effudit; ajens: Eum inter omnes sub Sole homines esse maximè perfidum: Illumq; monstrum quoddam Nuptiarum peperisse, ex raptu & adulterio commistum: Quod justissimo *Dei* Judicio (ut ajebat) decretum erat, ut (nullitate hujus Matrimonii toti mundo conspicua) posteri personæ tam indignæ in *Gallia* non regnarent. Et statim *Legatos* tam ad *Regem Angliæ*, quàm ad *Regem Hispaniæ* expedivit, qui eos ad bellum & fœdus offensivum ineundum contra *Gallum* excitarent: Se cum magnis copiis in bellum adfuturum pollicitus. Hinc *Rex Angliæ* (etsi propria insistens via) Parlamentum suum convocavit. *Regni* scilicet Anno septimo & in primo Solennitatis die (in Solio suo sedens) ipse ad hunc modum in Conventu Ordinum locutus est.

PRoceres *mei, & vos Populi* Deputati: *Cùm bellum* Britannicum *instituissem, per* Locum-tenentem *meũ gerendum, allocutus sum vos per* Cancellarium *meum*; *Nunc verò, cùm decreverim bellum* Franciæ *inferre, in persona propria rem vobis ipse exponam. Bellum illud ad Fœderati nostri ius defendendum spectabat; Hoc verò ad Ius proprium nostrum vindicandum & recuperandum. Illud casu fortuito terminatum est; Hoc in victoriam desiturum speramus.*

Rex Gallus *Orbem Christianum perturbat. Quæ possidet sua non sunt, & tamen ulteriora appetit.* Britanniam *in Ditionem suam redegit. Rebelles* Flandriæ *contra* Regem *suum fovet*; Italiæ *minatur. Quatenus ad nos ipsos, à dissimulatione exorsus ad neglectum processit, à neglectu ad contumeliam, Fœderatos nostros invasit: Tributum nostrum solvere renuit: Ut verbo dicam, bellum quærit. Non sic* Pater *ejus, sed pacem à nobis petiit: Quod etiam* Rex *iste fortasse faciet, postquam Consilium sanum, aut tempus ipsum, eum prospicere rebus suis docuerit, quemadmodum Pater fecit.*

Interim ambitionem ejus in commodum nostrum convertamus: neque nummulis paucis, Tributi *aut* Recognitionis *nomine, contenti simus; sed (divino favore innisi) de Jure nostro ad* Regnum *ipsum* Galliæ *armis experiamur; Memores planè,* Regem Franciæ *in* Anglia *quondam captivum*; *Rursus,* Regem Angliæ *in* Gallia *coronatum, Majores nostros vidisse.* Fœderati *nostri nullatenus sunt diminuti.* Burgundia *hodie potẽtiore manu regitur, quam unquam antehac, neque magis unquam irritata fuit.* Britannia *quidem nobis auxilio esse non possit, eis tamen nocumento futura est. Novæ* Provinciæ *Imperio additæ, oneri magis sunt, quam robori. Qui res novas moliti sunt, in* Regno *ipsius non ignobiles, plebeii, aut titularii impostores extiterunt, sed gradus sublimioris.* Rex Hispaniæ *(ne dubitetis) nobiscum conjunctus erit, incertus quo* Regis Galli *ambitio progressura sit.* Sanctus Pater *noster* Papa *Transmontanos in* Italia *non libenter videt. Verum hic de Fœderatis sermo in considerationem rectè venire debet, in computationem autem minimè. Absit enim, ut* Angli *Ius suum in* Galliam *asserere non valeant, nisi aliunde adjuti.*

In prælii Cressei, Pictavii, Agincurti, *ipsi absque auxiliis stetimus.* Gallia *populo maximè abundat, militibus haud item. Stabiles peditum phalanges & cohortes nullas habent. Equitatu certè utuntur bono, verùm copiæ equitum in bello defensivo minoris sunt usus; ubi actiones belli ab invadentis electione pendent. Discordiæ nostræ solæ in caussa fuerunt, quod* Regnum Galliæ *perdiderimus: Atque* (Deo *annuente*) *Pax, qua nunc domi fruimur, idem restituet.* Deus *hucusque gladio meo affuit. Hoc tempore, quo* Regnum *tenui, malos Subditos extirpare, & bonos probare, mihi contigit. Populus jam meus, & Ego, satis nos invicem novimus, quod confidentiam parit. Quod si Sanguis aliquis pravus aut infensus in Regno reliquus sit, honorificum bellum externum, remedium fuerit optimum, ad eum expurgandum aut rectificandum. In negotio hoc magno & arduo consilio & auxilio vestro me juvate. Si cui vestrûm, filium suum in Equitem Auratum cooptari, contigerit, auxilium illi, à Tenentibus suis, Lege debetur. Hæc verò, quæ agitur, res, ad honorem & calcaria* Regni *spectat, cujus ego Parens sum, atque ad illud non solùm tuendum, verùm etiam amplificandum* Regio *munère obligatus. Quantam verò ad pecunias, illæ hominibus tenuioris fortunæ non imponantur, sed iis, ad quos belli ipsius commoda aliquatenus pervenire possint.* Gallia *Eremus non est: Ego verò, qui me* Regem *frugi profiteor. Spero me effecturum, ut bellum post initia se ipsum alat. Ite in Consilium in* Dei *nomine, neque temporis jacturam facite; Etenim hujus negotii gratia solius hoc* Parlamentum *convocavi.*

IN hunc modum Rex locutus est. Veruntamen, etsi magnam alacritatem ad bellum inferendum, non solùm *Parlamento* & *Aulæ* suæ, verùm etiam *Concilio* suo *sanctiori*, (exceptis duobus *Episcopis* & paucis aliis) ostendisset, nihilominus in secreto suo ad *Bellum Gallicum* animum non adjecit. Veritas autem rei sic se habuit: Mercaturam quandam instituebat *Rex*, belli famas cum pecuniis permutandi. Satis sciebat *Galliam* hoc tempore in omnibus suis partibus fuisse redintegratam, neque à multis retro annis tanta potentia floruisse. Vidit etiam, experientia edoctus, atque exemplo copiarum in *Britanniam* paulò ante missarum, *Gallos* non ignorare, qualis optima res belligerandi cum *Anglis* ratio; nimirum, ut prælii aleæ rem non committerent; sed eos obsidione oppidorum & castris metandis, in locis opportunis & munitis, fatigarent. *Jacobum* III. *Scotiæ Regem* sibi fidissimum periisse meminerat, *Jacobum* autem *Quartum*, qui successerat, *Gallis* addictissimum, adversus se malevolum noverat. Conjunctionibus autem *Ferdinandi Hispani* & *Maximiliani* parum fidebat. Alteri enim copiæ aderat, voluntas deerat; Alteri contra voluntas aderat, deerant copiæ. Præterea *Ferdinandus* tunc noviter respirare cœperat à bello *Granadæ*; Et cum Gallia hoc ipso tempore negotiabatur circa restitutionem *Provinciarum, Russigniani* & *Perpigniani*, paulò ante oppignoratarum. Neque etiam penitus sine metu erat, à motibus intestinis, quos cum semper præsens compescere solitus esset, minimè volebat, ut se in Partibus transmarinis bello implicatum

tum deprehenderent. Quare, cum belli difficultates & incommoda rectè perpendisset, secum animo volvebat, qua tandem ratione duo, quæ expetebat, obtinere posset. Primum erat, quomodo ex bello denunciato & inchoato utilitati suæ inserviret; Alterum, quomodo se à bello, cum opportunum foret, salvo honore, subduceret. Utilitatem & emolumentum duobus modis aucupabatur. A *subditis* suis propter bellum, ab *hostibus* propter pacem, tanquam mercator prudens, qui lucrum facit tam ex mercibus exportatis, quàm ex importatis. Quantum verò ad honoris considerationem, ne fama sua paulo ad metas hæreret, si à bello desisteret, rectè secum cogitabat: Quod sicut auxiliis *Ferdinandi* & *Maximiliani* fidere securè non posset ad belligerandum, ita alterius impotentiam, alterius verò duplicitatem & minus sincera Consilia semper præsto habiturus esset ad pacem excusandam. Hæc omnia prudentissimè prævidit, nec minus artificiosè executus est; Unde omnia ex voto, veluti in gremium suum, placidè delapsa sunt.

Interea *Ordines Parlamenti* sine mora flammam conceperunt, inde ab antiquo belli *Gallici* cupidi, atque etiam præsente occasione excitati, ut honorem *Regis* & *Regni*, ex amissione *Britanniæ* (ut putabant) imminutum, repararent. Itaque magna cum alacritate consilium *Regi* dederunt, ut bellum cum *Gallis* susciperet. Quamvis autem *Parlamentum*, ex prima & secunda Nobilitate, unà cum civibus & Burgensibus principalibus consisteret; attamen justè admodum & cum dignitate, potius ad populum (cujus deputati erant) quam ad privatas suas fortunas respicientes; quin & *Regis* moniti memores in hoc consenserunt, ut Contributio, (quam *Benevolentiam* appellabant) ab opulentioribus tantùm exigeretur. Hoc Contribuendi genus, (dictum *Benevolentia*;) ab *Edvvardo IV.* excogitatum fuerat; Ob quod invidiam magnam sustinuit; Postea verò à *Rege Richardo III.* per suffragia Ordinum damnatum fuit & abolitum, quo gratiam apud populum iniret; Jamque à *Rege* denuò introductum est, sed tamen accedente auctoritate *Comitiorum*: Hoc enim tempore *Edvvardi IV.* defuit. Hac autem ratione Summas pecuniarum ingentes corrogavit: Ita ut *civitas Londini* (etiam illa ætate) novies mille Libras & ampliùs contribuerit; præcipuè à locupletioribus collatas: Traditur *Mortonũ Cancellarium* Dilemma quoddam excogitasse, quo *Benevolentiam* istam in majus augeret: Quod alii *Furcam* ejus, alii *Hamum* nominabant: Etenim Mandatis *Commissariorum ad Benevolentiam* exigendam assignatorum inseri voluit; ut si incidissent in homines frugi & parsimoniæ deditos, illos monerent; Fieri non posse quin illi pecuniis abundarent; quod magnos sumptus non facerent: Si verò in eos, qui liberaliùs viverent; itidem dicerent; Illis pecunias proculdubio suppetere ex impensis, quas faciebant, conspicuum esse: Ita utrosque captabat.

Hæc *Comitia* merè erant militaria: Neque enim aliud tractabant, quam Declarationem belli contra *Galliam* & *Scotiam*, cum aliquibus Statutis eò tendentibus. Veluti circa severam animadversionem in Capitaneos, qui aut stipendia militum mortuorum, vel absentium, in rationes suas referrent, aut etiam stipendia militum detinerent. Severè etiam sancitum est contra milites, qui post delectum habitum, nisi licentia se subtraherent. Etiam Protectiones, quæ priùs Lege Communi in usu erant, pro iis, qui militabant, Statuto roboratæ sunt. Atque alio Statuto porta patefacta est omnibus, qui terras suas vendere, vel oppignorare vellent, ne aliquid inde pro earum alienationibus *Regi* solverent; ut sumptui in militiam & usus belli sufficerent. Postremò edictum est, ut omnes *Scoti* ex *Anglia* abscederent. Lata etiam est Lex, ut Exemplar Ponderum & Mensurarum, quod in *Scachario Regis*, ut authenticum, repositum est, in universum Regnum dispergeretur; & Pondera atque Mensuræ ubique ad eam normam examinarentur & reducerentur. Aliæ etiam nonnullæ minoris momenti similiter latæ.

Postquam *Parlamentum* finitum esset (quod ad breve tempus duraverat, *Rex* se accinxit ad apparatum in omnibus instruendum pro bello *Gallico*. Neque tamen interea Res *Maximiliani* neglexit, pro motu *Flandriæ* sedando, & auctoritate *Maximiliani* inter subditos suos restituenda. Eo enim tempore *Dominus Ravenstonus*, non tantùm Subditus rebellis, sed & Servus Proditor, (eoque malitiosior & violentior) adjutus copiis *Brugarum* & *Gandavi*, oppidum atque castella ambo *Slusiæ* ceperat, ut superius diximus. Et postquam (opportunitate usus Portus illius,) naves quasdam & lembos coëgisset; cœpit Piraticam quandam exercere, prædando & spoliando, & in captivitatem abducendo, naves & rates omnium Nationum, quæ per illas Oras navigabant versus Nundinas *Antvverpiæ*, vel aliquam partem *Brabantiæ*, *Zelandiæ* & *Frizlandiæ*; Commeatu semper adjutus ex *Picardia*, præter eum, quem percipiebat ex *Slusia*, & Regionibus circum jacentibus, & ex præda propria. *Galli* eum perpetuo, sed in occulto adjuvabant; Ipse quoque (ut omnes solent, qui partes subinde alternarunt) se securum minimè putabat, nisi in tertiæ alicujus personæ protectionem se reciperet.

Fuit autem oppidum quoddam parvum, duobus miliaribus distans à *Brugis*, versus mare, dictum *Damnum*; Quod propugnaculum fuit *Brugarum*, & ad eam aditum præbebat, & ad *Slusiæ* quoque res utile esse poterat. Hoc oppidum *Rex Romanorum* sæpius tentarat (non quod oppidum ipsum tanti erat, sed ut *Brugas* suffocaret, & maris commoditate privaret) atqui irrito semper conati. At sub idem tempus *Dux Saxoniæ* in *Flandriam* advenerat, pro arbitro se gerens, ad res inter *Maximilianum* & subditos suos componendas; revera tamen *Maximiliano* impensè favens; Sub hoc Neutralitatis & Tractatus prætextu ad *Brugas* profectus est; à Magistratibus *Brugarum* petens, ut in urbem ei pacificè ingredi liceret cum comitatu tali armatorum, qualis Dignitati suæ conveniret; Quos eo plures secum adducere par erat ob securitatem suam in loco, ubi omnia armis strepebant: Simul etiam eis intimans, se multa habere magni prorsus momenti, quæ cum illis cõmunicaret in commodum ipsorum. Quod postquam impetrasset, Impedimenta sua & Epistathmos ante se misit, qui hospitium ei apparârent;

rent; Ita ut milites sui ordine instructi urbem intraverint, ipse autem sequeretur. Qui agmen ducebant, de diversoriis & hospitiis percontabantur, ac si in aninmo haberent, in ea urbe pernoctare; Atq; hoc modo perrexerunt ad portam urbis, quæ versus *Damnum* rectà ducebat; Cives autem *Brugarum* mirabundi tantum, eos spectabant, neque transitu arcebant. Præfecti etiam & inhabitantes apud *Damnum* nihil mali suspicabantur, ab aliquibus, qui à *Brugis* venerant, atque copias à longè aspicientes, eas in auxilium suum à *Gallis* submissas credebant, qui pericula aliqua nova illis intenta nossent. Itaque nil hostile, nisi serò nimis, metuentes, eos in oppidum suum admiserunt. Quâ certè fraude potiùs quàm stratagemate oppidum *Damnum* captum est; & urbs *Brugarum* damno affecta, magna cũ civium contristatione.

Dux Saxoniæ, capto *Damno*, statim ad Henricum *Regem* misit, certiorem eum faciens, *Slusiæ* maximè, & *Domino Ravenstono* imputari debere, quod rebellio *Flandriæ* adhuc arderet: Quodque si *Rex Slusiam* ex parte Maris obsidere vellet, se certè Terra illàm obsidere paratum esse, atq; hoc modo medullam ipsam belli se extracturos.

Rex Auctoritatem *Maximiliani* apud Subditos suos munire cupiens, (ut fræno *Galliæ* esset) atque etiam mercatorum suorum querelis commotus, eò quod Mare navibus *Ravenstoni* multum infastaretur, *Edvvardum Poyningum*, Equitem Auratum, virum strenuum, & qui anteà bene res gesserat, confestim misit, cum duodecim navibus, Militibus & Tormentis bene instructis, ut Mare liberarent, & *Slusiam* ab ea parte obsiderent. *Angli* his copiis non tantùm *Ravenstonum* veluti in Ergastulum compulerunt, ita ut se nullam in partem commovere poterat; & similiter maritimam *Slusiæ* partem obsidione cinxerunt; verùm etiam unum ex *Castellis Slusiæ* adorti sunt, atque insultum per dies viginti subinde renovarunt, (sub reflexum Maris semper è navibus excuntes) ita ut magnam cædem eorum, qui castellum defendebant, facerent, qui assiduè, ut eos repellerent, pugnabant, licet ex parte etiam *Anglorum* quinquaginta viri cecidissent, inter quos fuit Frater *Comitis Oxoniæ*.

Sed obsidione *Slusianos* arctiùs quotidie premente: & utroque Castello (quæ præcipua Oppidi robora fuerunt) afflicto, altero per *Saxoniæ Ducem*, altero per *Anglos*, & Ponte quodam Scapharum, quem *Ravenstonus* inter utrumque Castellum extruxerat, ut alterum alteri suppetias ferre possit, noctu ab *Anglis* incenso, *Ravenstonus* ampliùs oppidum se tenere posse planè desperabat: Itaque tandem Castella *Anglis*, Oppidum autem *Duci Saxoniæ* per compositionem dedidit. Quo facto, *Dux Saxoniæ* & *Poyningus* cum *Brugensibus*, ut se *Maximiliano* Domino suo submitterent, egerunt, Quod paulo post *Brugenses* fecerunt; solventes magna ex parte belli impensas, unde *Germani* & *Angli* dimissi sunt. Exemplum *Brugarum* reliqua Oppida, quæ defecerant, secuta sunt: ita ut *Maximilianus* à periculo jam liber esse, ab indingentia autem (prout ipse res suas administrabat) nũquam: *Poyningus* verò (postquam aliquot dies apud *Slusiam* moratus esset, donec res in tuto essent) ad *Regem*, tunc *Bononiam* obsidentem, reversus est.

Circa hoc tempus venerunt Literæ à *Ferdinando* & *Isabella Regibus Hispaniæ*, quæ significarant debellatum jam esse cum *Mauris* apud *Granadam*: Quod facinus per se tam memorabile *Ferdinandus* (cui in more erat, nullam ex virtutibus suis malè repræsentando obscurare) Literis suis fusè admodum & magno verborum ornatu depinxerat, cum omnibus circumstantiis, & religiosis Ceremoniis, & Magnificentiis, quæ in receptione ejus *Regni* fuerant adhibitæ. Inter alia commemorabat, quod ab ingressu suo in urbem abstinebat, donec Crucem super altissimam *Granadæ* Turrim erectam à longe vidisset, unde Solum ipsum redditum fuisset *Christianum*: Quodque etiam, antequam ingressus esset, Homagium fecisset *Deo* è fastigio Turris, per Patrem patratũ proclamando: Se recognoscere & confiteri, *Regnum* illud se recuperasse auxilio *Omnipotentis Dei*, & *Gloriosæ Virginis*, & *Beati Apostoli Jacobi*, & *Sancti Patris Innocentii VIII*. Egregiam sibi insuper operam præstantibus *Prælatis*, *Nobilibus*, & *Populis* suis: Quodque è castris pedem non movisset, donec exercitum exiguum *Martyrum*, ad numerum septingentorum, & amplius, *Christianorum* (qui in vinculis & crudelissima servitute *Maurorum* per multos annos vixerant) ante oculos suos transire vidisset, pro redemptione sua gratias agentes, & Hymnum canentes; Atque unà Tributum Deo solvisset pro Eleëmosynas, quas singulis largitus esset propter suam in *urbem* receptionem. Hæc in Literis inserta erant, cum aliis multis Ceremoniis, plenis sacræ cujusdam ostentationis.

Rex, qui semper in omnibus Actionibus religiosis, Consortio & Choro eorum, qualis celebrabant, se libenter adjungere consueverat, & ex genii sui inclinatione *Regi Hispaniæ* addictus erat, (pro modulo amoris, quo *Reges*, alter alterum prosequi possint) partim ob *virtutes* ejus, partim ad potentiæ *Gallorum* libramentum, his Literis receptis, statim *Magnates* & *Prælatos* suos, qui circa *Urbem* & *Aulam* manebant, unà cum *Majore* & *Senatu Londinensi*, magna cum solennitate, Ædem *D. Pauli* audire jussit, ut ibidem Declarationem à *Cancellario*, jam *Cardinale* facto, audirent. Postquam convenissent, *Cardinalis* in supremo gradu Ascensus ad Chorum stans; *Nobiles* omnes, *Prælatos* & *Magistratus Civitatis*, juxta gradus in imo manentes, allocutus est; declarans eos, illo consecrato loco, ex *Regis* Mandato, convenisse, ut *Deo* cantarent Canticum novum. Nam per plures jam annos, *Christianos* ajebat nullas Provincias novas, aut Territoria à *Sarracenis* & *Mahumetanis* eripuisse; Neque *Christiani Orbis* Terminos protulisse: Hoc verò jam factum esse virtute & auspiciis *Ferdinandi* & *Isabellæ Regum Hispaniæ*; Qui (nominis sui decus immortale & gloriam) *Regnum* magnum & opulentum *Granadæ*, una cum *urbe* populosissima & & potentissima ejusdem nominis, recuperassent à *Sarracenis*, qui possessionem ejus per septingentos annos & amplius usurpaverant. Itaque ab hoc cœtu & *Crhistiano Orbe* universo gratias maximas *Deo* agendas esse, Ac celebrandum etiam nobile hoc & insigne facinus *Regis Hispaniæ*, Qui certè hoc nomine, non tantum illustrem victoriam obtinuisse, sed etiam Apostolico munere

munere perfunctum esse, merito censeri posset; quod scilicet Provincias novas *Christianæ Fidei* aggregasset: Tanto magis, quod victoria hæc absque multa sanguinis effusione parta esset. Unde benè sperare liceret, lucrum demeti posse, non tantum Territorii, sed innumerarum Animarũ *Ecclesiæ Christi* augmentum, quandoquidem tam multos *Deus* pro sua bonitate vivere voluisset, ut demum converterentur. Tum verò *Cardinalis* retulit res maximè memorabiles, quæ in victoria potiunda intervenerunt. At Oratione finita, cœtus universus solenni Processione *Hymnum, Te Deum*, cecinerunt.

Non multis diebus ab hac Solennitate *Rex Festum Sanctorum Philippi & Jacobi*, apud Palatium suum de *Shine*, nunc *Richmondium* dictam, celebravit; ubi, ut Sanguis Aulicorum & Juventutis nonnihil incalesceret, spectacula edidit magnifica *Hastiludiorum* & *Turneamentorum*, & hujusmodi Pugnarum umbratilium per totum illum mensem. In quibus Ludis contigit, ut *Jacobus Parkerus* Eques Auratus, & *Hugo Vaughanus* (unus ex *Regis* Ostiariis) inter se altercantes de Insignibus quibusdam, quæ *Rex Ceremoniarum* dederat *Vaughano* gestanda, hastis decertare consenserunt. Et infortunio quodam Galeæ pravæ, quam *Parkerus* portabat, primo cursu in ore percussus est, ita ut lingua ejus gutturi ferè affigeretur, unde subitò in ipso loco animam efflavit. Quod factum, propter controversiam præcedentem & mortem secutam, habitum est vulgo, ut Monomachia pro Decisione Juris. *Rex* sub finem æstatis, postquam copias suas, quibus *Galliam* esset invasurus, præparasset (sed minimè congregasset) misit *Vrsvvicum* (jam factum ejus *Eleemósynarium*) & *Joannem Rislejum* Equitem Auratum ad *Maximilianum*; qui significarent ei, *Regem* jam arma cepisse, & ad trajiciendum in *Galliam* paratum esse, solum que expectare, ut ab eo certior fieret, quo loco & tempore copias suas cum copiis *Regis* cõjuncturus foret, prout promiserat per Legatum suum *Countebaltum*.

Legati Angliæ, cùm ad *Maximilianum* adventassent, facultates ejus & pollicitationes longo intervallo inter se disjunctas repererunt; Cùm omnino ei deessent pecuniæ, milites, arma, quæ tantæ Expeditioni sufficerent. *Maximilianus* enim, cum neutram Alarum suarum integram haberet, (quoniam *Patrimonium* suum *Austriæ* ad eum nondum devenerat, Patre siquidem adhuc vivo; Atque ex altera parte, *Territoria* sua *Matrimonialia*, partim *Ducissæ Viduæ* in dotem cesserant, partim recentibus rebellionibus exhausta erant) copiis ad bellum necessariis planè destitutus erat. Neque hoc non viderunt *Legati*, sed prudente consilio satius esse duxerunt, *Regi* hoc per Literas significare, quam ab Aula *Maximiliani* discedere, antequam *Regis* mentem circa hanc rem cognovissent; eo magis, quod *Maximilianus* ipse nihil de magniloquiis suis detrahebat, sed eos Responsis, quæ rem indies differebant, detinebat; Adeo ut moræ justam caussam habere viderentur. *Rex* (qui hoc fore præsenserat, & eventum negotii sui usque à principio præceperat) ad *Legatos* rescripsit, discretionem eorum in reditu differendo laudans; simulq; jubens, ut quo in loco *Maximiliani* res essent, sedulo occultarent, donec ab ipso ulteriora Mandata recepissent. Ipse interim ad Expeditionem suam *Regalem in Galliam* accingebatur; Nuncium hunc de inopia & pusillis viribus *Maximiliani* ad tempus supprimens.

Jam exercitus magnus & potens *Londini* convenerat: In quo erant, *Thomas Marchio Dorcestriæ*, *Thomas Comes Arundeliæ*, *Thomas Comes Derbiæ*; *Georgius Comes Salopiæ*, *Edmundus Comes Suffolciæ*, *Edvvardus Comes Devoniæ*, *Georgius Comes Cantii*; *Comes Essexiæ*, *Thomas Comes Ormundiæ*, cum magno numero *Baronum*, *Equitum Auratorum*, & aliorum virorum eminentiorum; Inter cæteros autem memoratur *Richardus Thomas* merito celebratus, ob cohortes pulcherrimas, quas adduxit è *Wallia*. Universus exercitus numerum viginti quinque millium peditum, & mille sexcentorum equitum complevit. Quibus copiis *Rex* (constanter se gerens in delectu *Ducum* suorum) præfecit *Jasparum Ducem Bedfordiæ*, & *Ioannem Comitem Oxoniæ*, sub persona sua propria. Nono *Septembris*, octavo *Regni* sui anno, à *Grenovico* movit, versus Mare: mirantibus omnibus, quod tempestatem illam anni elegisset (cùm jam hyems adesset) ad bellum inchoandum: Quidam autem hoc in signum trahebant, bellum minimè diuturnum futurum. Attamen *Rex* contrarium credi voluit, inquiens: Se, cùm bellum ejus generis instituisset, quod non opus unius æstatis futurum esset, sed absque termino præfixo, *Regni Galliæ* subjugationem, pro periodo haberet, non curare, quo anni tempore inciperet, præsertim, cùm *Caletum* à tergo haberet, ubi, si ratio belli postularet, hyemare possit. Sexto *Octobris* apud *Sandovicum* naves conscendit, eodemque die *Caletum* appulit, qui locus designatus erat, ubi copiæ universæ convenirent: Verùm in itinere versus Mare (in quo, ob caussam quam nunc memorabimus, hærebat diutiùs) literas à Domino *Cordesio* recepit: Qui, quo violentior fuisset in negotio belli contra *Anglos*, eo in tractanda pace sincerior habebatur; Qui etiam aliàs homo verax, & pectoris aperti existimabatur. His literis Pacis Conditiones à parte *Regis Galli* proponebantur, quæ *Regis* Henrici gustui non prorsus erant ingratæ: Verùm negotium istud Pacis à principio mirabili artificio occultatum est. Quamprimùm *Rex Caletum* venisset, Pacis auræ lenes flare cœperunt. Primùm enim *Legati Angli* ad *Maximilianum* missi è *Flandria* redierunt; *Regemque* certiorem fecerunt, eum à *Maximiliano* auxilia neutiquam sperare posse, quod ad bellum prorsus imparatus erat. Voluntatem sanè ei adesse, pecunias deesse. Hæc autem, quæ ferebant *Legati*, nota facta sunt exercitui, & undiq; sparsa. Quamvis autem *Angli*, eo nuncio allato, animos nihil demiserunt; Nec non moris sit apud milites, ex malis Nunciis, magis viri alacres & erectos; & magnificentiùs loqui; nihilominus loco Præparativæ erant ad Pacem. Hunc nuncium è *Flandria* excepit Nuncius ex *Hispania*, (ita enim *Rex* rem disposuerat) *Ferdinandum* & *Isabellam Hispaniæ Reges* Pacem cum *Rege Carolo* fecisse;

cisse; *Carolumque* iis Provincias *Russigniani* & *Perpigniani* restituisse, prius à *Ioanne Rege Arragoniæ*, Patre *Ferdinandi Hispaniæ* pro tercentũ mille Coronatis oppignoratas; Quæ Summa per hanc pacem gratis ei remissa esset. Hoc etiam, ad pacem Henrici cum *Gallo* promovendam, eleganter viam stravit; tum quia Fœderatus tam potens (qualis fuerit *Ferdinandus* (se subtraxerat, tum quia pacis emptæ præclarum exemplum exhiberet, ita ut *Rex* pacis non futurus esset mercator solus. Inter has auras Pacis *Rex* se non difficilem præbuit ad pacem tractandam; Consensitque, ut *Episcopus Exoniæ* Dominus *Danbenejus* Præfectus *Caleti* collequerentur cum *Domino Cordesio* super Tractatum Pacis. Ipse tamen cum exercitu suo decimo quinto *Octobris* à *Caleto* movebat, & post quatuor dies *Bononiam* obsidere cœpit.

Durante obsidione *Bononiæ*), quæ ad mensem ferè producta est) nil memorabile intervenit: Solummodo *Ioannes Savagius* Eques Auratus, vir fortis, dum muros urbis inspiciendi gratia circũequitaret, interfectus est. Oppidum & bene munitum erat, & militibus abundabat: Attamen in arcto res ejus erant, & omnia ad insultum aggressoribus erant parata. Qui si factus fuisset, opinio erat, multo sanguine constiturum; se tamen in fine oppidum captum fore. Interea Pax per *Legatos* utriusque *Regis* firmata est, ad terminum vitarum amborum *Regum*. In qua videre minimè erat Articulum alicujus momenti; Nec mirum, cum Mercatura quædam potius esset, quam Tractatus: Omnia enim in statu relinquebantur, in quo tunc fuerunt, nisi quod *Regi* Henrico persolvi deberent à *Rege Gallo* septingenta quadraginta quinque millia Ducatorum præ manibus, pro impensis in ea Expeditione factis; Et viginti quinque millia Coronatorum annuatim pro impensis, circa res *Britannicas* erogatis: Pro qua Summa posteriore, licet *Maximilianum* ante ei obligatum haberet, tamen debitoris mutationem non minus, quàm si debitum ipsum esset persolutum, æstimabat; Etiam hujus Summæ annua solutio nullo Termino præfixo definita est: Id quod *Angli* in eam partem accipiebant, ac si pro Tributo penderetur, sed specioso tamen obtentu. Atque verissimum est, Pensionem illam & *Regi* Henrico, & Filio ejus Henrico, *VIII.* diutius persolutam esse, quam ex ulla Impensarum supputatione continuari possit. Insuper, præcipuè *Regis* Consiliarii, magnis Pensionibus annuis à *Rege Gallo* donati erant, præter munera larga in præsenti. Quod utrum *Rex* ideo permisisset, ut propriæ munificentiæ parceret; an ut invidiam negotii apud populum ingrati communicaret; diversam interpretationem subiit. Pro certo enim *Rex* hujus pacis auctor videri detrectavit. Itaque paulo ante multos è Ducibus suis & Viris militaribus primariis secretò subornarat, ut in Scriptis ad pacem eum hortarentur, idque obnixè contenderent perviam supplicationis. Veritas autem rei ita se habet; Pacem hanc utrique *Regi* pergratam fuisse; *Carolo* quidem, quod ei possessionem *Britanniæ* confirmarent, Expeditionem *Neapolitanam* ab omni Impedimento liberaret; Henrico, quod arcas suas pecuniis implevit: quodque hoc ipso tempore prævidit, Procellam quandam motuum intestinorum ingruentem, quæ non ita multo post erupit. At contra, Nobilitatem & viros in exercitu primarios (utcunque nonnulli ex illis ad ejus nutum se accommodassent) malè admodum habebat; quorum plurimi fortunas suas aut vendiderant, aut oppignorarant, in bello spes collocantes. Neque veriti sunt dicere: *Regni nihil pensi esse, Nobilitati & populo suo plumas detrahere, modo seipsum benè plumatum redderet.* Alii autem ridebant ea verba, quę *Rex* apud *Comitia* protulerat; Nempè, *Se minimè dubitare, quin bellũ post principia seipsum compensare posset*; Eum promisso suo stetisse dicentes.

Cum movisset *Bononia*, *Caletum* rediit, ubi per aliquod tempus mansit. Unde etiam literas scripsit (quo genere comitatis interdum utebatur) ad *Majorem* & *Senatum Londinensem*, gloriando ferè de pecuniis, quas propter pacem receperat; Satis gnarus, arcas *Regis* plenas *Londinensibus* rem suavissimam auditu esse. Magis tamen lætati fuissent illi, si Contributio ipsorum, (Benevolentia dicta,) mutuatio sola fuisset. Verum decimo septimo *Decembris* sequentis *VVestmonasterium* rediit, ubi *Festum Nativitatis Domini* celebravit.

Haud multo post *Regis* in *Angliam* reditum, misit ad *Alphonsum* Filium primogenitum *Ferdinandi Regis Neapolitani*, *Ducem Calabriæ*, Insigne Ordinis Periscelidis; Honorem quidem à *Duce* ipso petitum, qui eum in oculis *Italorum* eveheret: Siquidem arma *Caroli* expectans; plurimi æstimabat amicitiam *Angliæ*, utpote quæ frenos ambitioni *Caroli* injicere possit. Illud insigne ab *Alphonso* maxima cum celebritate & pompa receptum est: ut solet fieri in iis, quæ existimationis gratia procurantur. Missum autem fuerat per *Ursevicum*, in quem *Rex* hanc Legationem contulit, ut ei post multas Legationes, unde nihil lucri percipi poterat, propter liberalitatem *Ducis Alphonsi*, præmii loco esset.

SUb hoc tempus *Rex* rursus Spiritibus malignis obsideri & infestari cœpit; Per Magicam scilicet & Artes curiosas *Ducissæ Margaretæ*; Quæ ab Inferis evocavit umbram *Richardi*, *Ducis Eboraci*, Filii secundo-geniti *Edvvardi IV.* ut obambularet, & *Regem* vexaret. Gemma ista, (licet adulterina,) splendidior tamen erat, oculosque fulgore magis perstringebat, & in digitis Principum majorum gestata est, quam *Lambertus Simnellus*: Quippe quam non solum *Ducissa Burgundiæ*, sed & *Rex Gallus*, etiam & *Rex Scotiæ* in prætio habuerunt. In *Simnello* certè parum erat, nisi quod puer erat venustus, quemque vestimenta sua Regalia non dedecerent: verum adolescens iste (de quo nunc loqui occœpimus) tam versutus erat, & veluti Mercurialis, ut similem vix ferè reperias; Isque, qui, si fortè in Scena partibus suis excidisset, eas acumine proprio promptè supplere possit. Itaque cùm inter Exempla Pseudo-Principum, quæ vel recentibus, vel antiquis temporibus extiterunt, hoc ipsum emineat, narrationem certè pleniorem & accuratiorem meretur, Etsi *Regis* inveterata consuetudo, res per obscuram lucem & partes divulsas & disjectas monstrandi, hanc rem tanta caligine involverit, ut ad hodiernum usque diem ferè instar Mysterii se habeat.

Ducissa

testari possint, cum falsis, ad fidem faciendam: verum cavendo semper, ut personæ, quam jam acturus esset, omnia congruerent. Instituit eum insuper, quomodo quæstiones quasdam captiosas & tentantes, de quibus verisimile esset alios eum interrogaturos, evitaret. Verũ in hoc, eum indole propria, ita instar anguillæ lubricum, & ad elabendum promptum repperit, ut ingenio ejus & dexteritati facilè consideret; Ideoque minus in eo laboravit. Postremo animos ei, nonnullis in præsens præmiis, & ingentibus in posterum promissis addidit, Ante oculos illi proponens opes & gloriam Regni, si res successissent; sin secus evenissẽt, certissimum in sua Aula refugium. Postquam eum Documentis suis satis instructũ perspexisset, cœpit secum cogitare, à qua cœli plaga Cometa iste se primo ostendere deberet, & quo tempore. Cõstituit autem hoc fieri oportere ab Horizonte *Hiberniæ*. Illic enim hujusmodi Meteororum potentem antea emiserat influxum. Tempus autem apparitionis maximè opportunum fore, cum *Rex Bello Gallico* implicaretur. Hoc autem satis noverat, quicquid à se profectum esset, suspicionibus obnoxium futurum. Ideoque si *Perkinus* cõtinuò è *Flandria* in *Hiberniam* pergeret, ipsa se ei rei immiscere putaretur. Præterea tempus nondum maturum erat, quod Reges duo tunc de pace tractarent. Itaque circumrotabat *Ducissa*, atque ut omnes suspiciones tolleret, & metuens eum diutius apud se retinere, (satis gnara, Arcana brevis ævi plerunque esse) clam eum misit in *Lusitaniam* cũ *Domina Bramptona*, *Angla*, quæ illo tempore in *Lusitaniam* navigavit: una cum homine fido ex famulitio proprio, qui facta ejus sedulo observaret; ubi morari eum voluit, donec nova Mandata ab ea acciperet. Interim non omisit ea parare & instruere, quæ adventum ejus acceptiorem & magis prosperum redderent, non solum in *Regno Hiberniæ*, verum etiam in Aula *Galliæ*. In *Lusitania* circiter annum unum mansit: quo tempore *Rex* Henricus (ut jam dictum est) Comitia sua convocaverat, & bellum *Gallis* apertè indixerat. Jam itaque Signum benevolum regnare, & Constellatio advenisse visa est, sub qua *Perkinus* oriri deberet. Itaque Mandata à *Ducissa* accepit, ut *Hiberniam* sine mora proficisceretur, secundum quod primo destinaverat. In *Hibernia* ad urbem de *Corke* appulit. Postquam illuc venisset (si quis propriæ Ralationi & Confessioni, quam postea exhibuit, credere velit) *Hiberni* eum satis splendidè vestitũ reperientes, ad eum undique frequentes convolarunt, ei imponentes, quod *Dux Clarentiæ* esset, Idem qui antea apud illos manserat; & postea mutata opinione, quod Filius esset Nothus *Richardi III.* postremo hanc etiam opinionem aspernati, eum pro certo *Richardum Ducem Eboraci*, Filiũ secundogenitum *Edvvardi IV.* esse volebant, & affirmabant: Se vero (ajebat) ista omnia (pro virili) abnegasse, & Jusjurandum, tactis *Evangeliis* obtulisse, quod ipse nihil tale esset: donec in fine vi quadam ad quicquid illi vellent agnoscendum eum adegissent, unde jusserunt eum bono animo esse, & sine metu. Sed revera compertum est, quod ipse statim ab adventu suo in *Hiberniam*, personam *Ducis Eboracensis*, in se suscepisset, sibique, quibus potuit modis, socios & conjuratos adjunxisset: Adeo ut Literas expressas ad *Comites Desmondiæ* & *Kildariæ* miserit, petens, ut in auxilium suum properarent: Quarum Literarum Chartæ Originales adhuc extant.

Circa idem tempus *Ducissa* ad se pellexerat unũ ex servis *Regis* interioribus (cui nomen erat *Stephanus Frionus*) Secretarium *Regis* pro Lingua *Gallica*; hominem industrium, sed turbulentum & *Regi* infensum. *Frionus* iste confugerat ad *Carolum Regem Gallum*, seque in ejus famulitiũ insinuaverat, sub ipsum tempus, quo bellum inter *Reges* apertè pullulare cœpisset. At *Carolus*, postquam de persona & incœptis *Perkini* audiisset (satis ex sese promptus ad occasiones quascunque arripiendas, in detrimentum *Regis Angliæ*; atque à *Friono* instigatus, & antea *Ducissæ Margaretæ* artibus allectus) statim misit quendam *Lucam* una cum *Friono* isto, (de quo diximus) tanquam Legatos ad *Perkinum*, qui eũ, de *Regis Caroli* bono in eum animo, certiorem facerent; Quodq; auxilia ei abundè mittere decrevisset, ad recuperandum *Regnum* suum è manibus Henrici, Coronæ *Angliæ* usurpatoris, & *Galliæ* hostis: Iuvitans eum, ut ad se, in Regnum *Galliæ*, veniret. *Perkinus* se in cœlo jam collocatum existimabat, cum à tanto *Rege* tam honorifica *Legatione*, accersitus esset: Atque amicis suis in *Hibernia* narrans, quomodo à fortuna ipsa vocatus esset, quantaque spe ageret, continuo in *Franciam* navigavit. Cum ad Aulam *Regis Galli* pervenisset, *Rex* magno cum honore eum excepit, eumque salutavit & appellavit per nomen *Ducis Eboracensis*, hospitium & alia ei assignans, quæ magnum Principem decerent. Etiam, quo magis ad Principis magni imitationem accederet, Satellitium ei circumdedit, cujus *Dominus Congressallus* erat Præfectus. Aulici etiam (licet apud *Gallos* Ludos facere in proclivi non sit) ad *Regis* nutum se componabant: Satis gnari Rationes status ab ea parte stare. Eodem quoque tempore nonnulli ex *Anglia* viri primarii ad *Perkinum* profecti sunt; *Georgius Nevillus*, *Joannes Taylerus*, Equites Aurati; Et circiter centũ alii: Et inter cæteros *Frionus* iste; Qui fortunis *Perkini* se totum tradidit, & tunc, & diu post: Et revera ei fuit præcipuus Consiliarius, & ad omnia Instrumentum benè efficax. Verum hæc omnia ex parte *Regis Galli* artificiosè tantum facta sunt, quo facilius Henricum ad pacem flecteret. Itaque à primo usque Thuris Grano, super Altare Pacis, apud *Bononiam* incenso, *Perkinus* veluti fumo abactus est: Attamen eum *Regi* Henrico in manus tradere *Carolus* renuebat, (licet ab eo de hoc interpellatus) honoris sui gratia, sed eũ liberum dimisit. Etiam, ex sua parte, *Perkinus* discessum suum acceleravit, veritus ne subito & occulto interciperetur. Itaque in *Flandriam* ad *Ducissam Burgundiæ* properavit, narrans se variis fortunæ fluctibus jactatum, ad ejus Aulam, veluti Portum securum confugisse; Dissimulans prorsus, se unquam antea illic mansisse, sed tanquam jam primum se eo recepisset. Nec minus ex altera parte, *Ducissa* ipsa tanquam rem novam & miram, ejus adventum videri voluit; A principio egregia cum simulatione verba injiciens, quod edocta fuisset, & prudentior facta, ab

Exem-

Ducissa Margareta (quam *Regis* amici *Iunonem* appellabant, quia talis erat versus eum, qualis fuit *Iuno* versus *Æneam*, *Superos & Acheronta movendo*, in perniciem ejus) loco basis machinarum suarum, quas contra *Regem* extruebat, perpetuò, omnibus viis & modis alebat, confirmabat & spargebat famam illam volitantem, nimirum, *Richardum Ducem Eboraci*, Filium secundo genitum *Edvvardi IV.* minimè fuisse in *Turre Londinensi* (prout ferebatur) necatum, sed vivum emissum: Quoniam Carnifices illi, qui operam suam præstiterunt ad barbarum illud facinus, postquam Primogenitum trucidatum vidissent, horrore & misericordia perculsi, *Richardum istũ* clam emiserunt, sortem suam experturum. Hanc escam & illecebram undique projecit, credens hujus rei famam & fidem (unà cum recente exemplo *Lamberti Simnelli*) aliquas volucres fortè aliquando tracturam, quæ eam captarent. Alia quoque diligentia usa est, non omnia casui permittendo. Adhibuit enim occultos quosdam Emissarios (similes *Turcæ* ministris, qui puerorum tributum exigunt) qui adolescentulos venustos & formosos conquirerent, unde *Plantagenistas* & *Duces Eboraci* effingeret. Tandem verò incidit in quendam, in quo omnia, quæ requiri videbantur, concurrebant, ad *Ducem Eboraci* repræsentandum.

Iste fuit *Perkinus* ille *VVarbeckus*, cujus facinora & labores jam narrabimus. Primò enim ætas in utroque benè conveniebat: Secundo, Adolescentulus erat, oris elegantia & corporis lineamẽtis cum dignitate quadam amabilis. Atque insuper mores & gestus ejus tam erant vafri, & quasi veneficiis quibusdam obliti, tam ad misericordiam commovendam, quam ad fidem imprimendam, ut fascini cujusdam & incantationis loco essent iis, qui eũ aut videbant, aut audiebant: Tertio tam egregius, usque à pueritia, Erro fuerat, aut (ut *Rex* eum appellare solebat) Terrarum calcator, ut difficile admodum esset nidum ejus, aut parentes reperire. Neque etiam potuisset aliquis per diuturnam cum eo conversationem, aut familiaritatem plenè conjicere, aut detegere quis esset; Solum siquidem tam crebro mutabat. Postremo contigerat etiam res quædam levis (à Scriptore ejusdem temporis memoriæ tradita) quam tamen probabile est, ad ea, quæ postea gesta sunt, nonnihil attulisse, eisque tanquam ansam præbuisse; Ea fuit, quod *Rex Edvvardus IV.* Compater hujus *Perkini* fuisset. Quod sicut suspiciosum valdè erat in *Rege* tam lascivo, quod in Familia tam ignobili Compater esse non dedignaretur, atque opinionem cuivis facile injicere poterat, *Perkinum* Sanguinis illegitimi *Familiæ Eboraci* aliquid in se habuisse; Ita (licet illud minimè fuisset) occasionem saltem puero ministrare poterat (quod scilicet subinde *Regis Edvvardi* Filius lustricus, aut joco fortasse Filius vocaretur) cogitationes tales arripiendi & fovendi. Tutorem enim nullũ nactus est, (ut *Lambertus Simnellus*) donec ad *Ducissam Margaretam* venisset, quæ eum in omnibus egregiè instruxit

Ad hunc igitur modum hæc fabula peracta est. Fuit Oppidanus quidam in *Civitate Turnacensi*, qui Magistratu in eo Oppido perfunctus erat, cui nomen erat *Ioannes Osbeckus*: Judæus ad Fidem conversus, qui in *uxorem* duxit *Catharinam* de *Faro*, cujus negotiorum procuratio eos traxit, ut ad tempus *Londini* habitarent, temporibus *Edvvardi IV.* Hoc spatio Filium ex ea genuit; Cumque in Aula *Regis* notus esset, *Rex* aut pietate quadam motus, quod *Iudæus conversus* esset: aut privata quadam notitia adductus, eo honore eum dignatus est, ut filium ejus è Fonte susciperet, eumque *Petrum* nominaret; Postea autem, cum puer delicatus & effœminatus fuisset, vulgò vocatus est, Diminutivo Nominis sui, *Peterkinus*, aut *Perkinus*. Etenim nomen *VVarbecki* ei ex conjectura tantum impositum erat, antequam examinationes de eo negotio habitæ fuissent. Attamen ita invaluerat nomen *VVarbecki*, ut etiam post verum nomen ejus cognitum retineretur. Dum adhuc infans erat, parentes cum eo *Turnacum* reversi sunt. Paulo post commissus est cuidam ex cognatis suis, *Ioanni Stenbecko* dicto, qui *Antvverpiæ* habitabat, unde sæpiùs, *Antvverpiam* & *Turnacum* inter, & circa alia *Flandriæ* Oppida cursitabat; ut plurimum cum *Anglis* versatus, quo pacto etiam Linguam *Anglicam* ad unguem callebat. Tandem, paucis annis elapsis, postquam in adolescentem formosum crevisset, à quodam ex *Ducissæ Margaretæ* exploratoribus ad eam deductus est. Quæ eum accuratè intuita, & cernens eum vultu & corpore fortunam sublimem posse sustinere; ac simul perspiciens eum ingenii acumine & morum elegantia eiminere, putabat se jam reperisse marmor quoddam pretiosum, ex quo imago *Ducis Eboraci* exsculpi posset, eumque apud se diu detinuit, sed prorsus in occulto. Quo temporis spatio multis secretis colloquiis eum instruxit. Primò quidem edocens, quomodo personam Principis aspectu & gestu imitaretur: atque qualiter majestatem suam, cum sensu tamen infortunii sui, tueretur. Tum vero diligentissimè eum informavit de omnibus circumstantiis & notis particularibus, quæ ad *Ducem Eboraci* (cujus persona ei agenda esset,) pertinerent. Descripsit enim effigiem, faciem, & lineamenta corporis, *Regis* & *Reginæ* Parentum suorum; Etiam Fratrum, & Sororis ipsius, & famulorum, & aliorum, qui pueritiæ ejus præcipuè affuerunt: una cum rebus multis, aliis vulgo notis, aliis secretioribus, quæ *Duci* obtigerunt, (& tales videbantur, quas puerili captui & memoriæ inhærere verisimile erat,) usque ad mortem *Edvvardi IV.* Addidit & particularia omnia, quæ à tempore mortis *Regis* insecuta sunt, donec ipse & frater ejus in Turrim conclusi essent; tam cum libertate frueretur, quam postea cum in asylo degeret. Quod vero ad tempus detentionis suæ in Turre, & modum fratris sui necis, atque emissionis suæ: satis sciebat illa omnia tam clandestina fuisse, ut pauci admodum, quæcunque tandem ei confingere liberet, arguere possent: Itaque libero prorsus mendacio se uti posse. Quamobrem tersam *Perkino* & probabilem earum rerum narrationem contexuit: jubens, ut ne hylum quidem ab ea abscederet. Convenit etiam inter eos, qualis adolescenti ratio reddenda esset peregrinationum suarum: miscendo multa vera, & quæ alii abundè

testari

Exemplo *Lamberti Simnelli*, ne merces adulterinas reciperet; Licet (ut ajebat) etiam de illo ipso *Lamberto Simnello*, ei non planè adhuc constiterit. Prætendebat autem, (verũ hoc semper fuit astantibus aliis) se contendere, ut *Perkinum interrogationibus* satis captiosis tentaret & implicaret, ut experiretur, num verus *Dux Eboraci* fuisset; Verùm quando Responsis suis sibi magnoperè satisfactum fuisse affirmaret, tum verò se quasi attonitam, & in Ecstasim raptam fingebat, propter mirabilem adolescentis è periculis emersionem: eum amplexa, ac si è morte in vitam rediisset: Atque argumenta, *Deum*, qui modis tam miris eum ab interitu eripuisset, simul reservare eum constituisse ad prospera fortunæ & magnum aliquod facinus. Quod verò ad ejus è *Francia* dimissionem; nolebat eam interpretari, ac si fraudes *Perkini Gallis* suboluissent, aut propter neglectum aliquem; sed contra, hoc pro signo certo astruebat, eum pro viro aliquo magno habitum fuisse; Quoniam caussæ ejus destitutio & desertio revera tanti erat, ut si quis rectè animadvertat, pacem confecisset: Immolando scilicet Principis innocentis & calamitosi fortunas, utilitati & ambitioni duorum potentium *Monarcharum*. Neque sibi *Perkinus* ipse defuit; aut majestate & comitate quadam *Regia*; Aut promptis & appositis Responsis; Aut se benignum & gratiosum præbendo, favorem ejus ambientibus: Aut indignatione & vilipendio quodam modesto versus eos, qui de veritate rerum suarum subdubitare videbantur; sed in omnibus mirabiliter se gessit. Ita ut non solùm apud Eminentiores constanter creditum sit, eum verum fuisse *Ducem Richardum*: Quin & ipse ex diuturna & assidua simulatione, & mendacium sæpiùs narrando, versus ferè est in habitum ejus rei, quam simulabat: quasi quæ fingeret simul & crederet. *Ducissa* igitur, tanquam in re explorata, honoribus pluribus *Perkinum* cumulavit, eum perpetuò Nepotem suum compellans, eique tribuens Titulum illum delicatum *Alba Rosa Angliæ*, & ad corporis ejus custodiam satellites ei assignavit, ad numerum triginta hominum, cum bipennibus, tunicis variegatis, ex purpureo & cærulco, indutos. Aulici quoque universi, & generaliter tam *Flandri*, quàm peregrini, eum magno honore prosequebantur.

Hæc nova, veluti Fulgura & Tonitrua, in *Angliam* pervenerunt, *Ducem* scilicet *Eboraci*, pro certo vivere. Nomen autem *Perkini* eo tempore incognitum fuit, sed rumores de *Duce Eboraci* tantùm volitarunt; Eum in *Hibernia* agnitum, in *Gallia* venundatum, jamque in *Flandria* receptum & in magno honore esse. Rumores isti plurimum prævalebant: Apud nonnullos quidem propter malevolentiam; Apud alios propter ambitionem; Apud aliquos propter levitatem, & rerum novarum studium. Apud paucos fortasse propter conscientiam & credulitatem: Apud plurimos autem propter imbecillitatem Judicij; Et apud haud paucos propter obsequium, erga viros quosdam primarios, qui his rumoribus in secreto favebant, eosque alebant. Neque magno post intervallo secuta sunt hos rumores rerum novarum murmura & scandala, contra Regem & regimen suum; quæ infamiam ei inurebant, quod magnus esset Exactor, & Nobiles *Regni* deprimeret. Amissio *Britanniæ*, & Pax cum *Gallis* facta, neutiquam silentio prętermissa. Sed ante omnia injuriarũ urgebant, qua *Rex Reginam* suam afficiebat, quod in ejus Jure nõ regnaret. Dicebant igitur, *Deum* jam tandem ramum Masculum *Familiæ Eboracensis* in lucem produxisse, qui precario regnaturus nõ esset, utcunque *Rex* uxorem suam miseram Regno spoliaret. Nihilominus, (ut fieri solet in iis, quæ apud vulgus fidem obtinent, quæque illi libenter audiunt) famæ istæ ita invalescebant, ut Auctores, inter multitudinem loquentium, caput conderent; Similes herbis quibusdam serpentibus, quæ radicem certam non habent; Aut vestigiis ultro citroque impressis, quæ sequi non licet. Sed paulò post maligni isti humores in ulcus confluxerunt, atque occultò in viris aliquibus magnæ dignitatis, veluti in partibus nobilibus, sedes repererunt. Quorum præcipui erant *Guilielmuus Stanlejus Hospitis Regii Camerarius*; *Dominus Flitzvvalterus*, *Simon Mountfortus*, *Thomas Thvvaitus*, Equites Aurati; cum aliis. Hi in occulto conjutarunt, promittentes se *Ducis Richardi* Titulum promoturos. Nihilominus nemo Conjuratorum apertè fortunas suas periculo objecit, præter duos; nempè *Robertum Clifordum* Equitem Auratum, & *Guilielmum Barlejum*, qui duo in *Flandriam* trajecerunt, missi à Conjuratis in *Anglia*, ut veritatem earum rerum, quæ in *Flandria* agitatæ sunt, diligenter inquirerent & explorarent; unà cum bonæ pecuniæ Summa, sed sub conditione, ne eam distraherent, nisi illa, quæ ferebantur, vera esse, & sine fuco, perspicerent. Adventus *Roberti Cliffordi*, quod ex magna Familia oriundus, & fama celebratus esset, gratus supra modum *Ducissæ* erat. Quæ postquam cum eo collocuta esset, eum in conspectum *Perkini* adduxit, cum quo sermones crebro conseruit. Adeo ut in fine (sive à *Ducissa* adductus, ut conatibus suis faveret; sive à *Perkino*, ut fabulæ crederet,) rescripsit in *Angliam*, se personam *Ducis Eboraci* æque nosse, ac suam propriam; atque proculdubio adolescentem istum verum esse *Ducem*. Hoc modo factum est, ut omnia hic in *Anglia* ad defectionem & seditionem spectarent; & conjuratio foveri cœpit mutuo tractatu inter *Flandriam* & *Angliam*.

Rex, ex suaparte, non dormiebat: verùm arma sumere, aut copias cogere, adhuc intempestivum putabat: ne metum proderet, aut idolo isti cultum nimium exhiberet. Attamen Portus *Regni* clausit; vel saltem Ministros præfecit, qui commeantes ultro citroque observarent, & suspectos examini subjicerent. Quoad reliqua vero, fraudẽ fraude propellere elegit. Duo autem erant, quæ animo destinaverat. Unum, ut imposturam *Perkini* omnium oculis subjiceret: Alterum, ut conjuratos inter se cõmitteret. Ad impostura convincendam, duæ tantummodo patebant viæ, Prima, ut liquido appareret, *Ducem Eboraci* revera trucidatum fuisse: Altera, ut sive mortuus esset, sive vivus, *Perkinum* utcunq; Impostorem esse omnibus constaret. Quantum ad primam, ita se res habebat: Quatuor tantùm erant Testes, qui ex notitia propria de nece *Ducis Eboraci* affirmare aliquid poterant; Ii erant *Iacobus Tirrellus*, qui à *Rege Richardo* Mandata de ea re acceperat;

Ioannes

Joannes Dightonus, & *Milo Forrestus*, Servi *Tirrelli*, Carnifices ipsi; & Capellanus *Turris Londinensis*, qui eos sepelivit. Ex quibus quatuor, *Milo* & *Sacerdos* jam mortui erant. In vivis autem supererat solùm *Tirrellus* & *Dightonus*. Hos duos in Turre incarcerari jussit *Rex*, & strictè examinari, de nece Principum illorum innocentium. Qui duo cõfessionem exhibebant (ut *Rex* ipse publicabat) per omnia consentientem, in hanc sententiam: Nimirum, *Regem Richardum* primò mandata dedisse *Brackenburio*, *Locum-tenenti Turris Londinensis*, ut Principes interficeret, eum autem munus illud recusasse: Itaque *Richardum* similia mandata *Jacobo Tirrello* renovasse; Nempe ut claves *Turris* à *Locum-tenente* reciperet, in unam noctem, ad obeunda *Regis* jussa specialia: *Tirrellum* igitur, noctu, se ad *Turrim* contulisse unà cum duobus servis prænominatis, quos ad facinus delegerat: *Tirrellum* ipsum in imo graduum mansisse, & servis suis negotium commisisse, ut illi homicidium patrarent: Illos autem in lecto decumbentes Principes suffocasse: Quo facto, *Dominum* suum vocasse, ut corpora mortuorum nuda, quæ idcireò exposuerant, videret: Postea verò, Principes in terram defossos sub gradibus fuisse, & acervum lapidum in fossam injectum: Quando verò ad *Richardum Regem Tirrellus* retulisset Mandatum suum jam peractum esse, eum magnas eidem gratias egisse, locum solummodò sepulturæ eorum improbasse, quod vilis nimium esset, cùm è *Rege* nati essent: Unde nocte alia, ex Mandato *Regis*, per *Capellanum Turris* corpora eorum translata fuisse, & alio loco sepulta: qui (per mortem *Sacerdotis* paulò post defuncti) penitùs incognitus esset. Hanc examinationum earum fuisse Summam in vulgus publicatum est. *Rex* tamen Henricus, ipsarum examinationum & confessionum luce, in nullis suis Declarationibus, quas edidit, usus est: unde (probabile est) eas negotium reliquisse obscurum & perplexum. Quantum verò ad *Jacobum Tirrellum*, ei caput paulò post abscissum est, in Turre ipsa, propter alia læsæ Majestatis crimina. *Joannes* autem *Dightonus* (qui, ut videbatur, ad Regis votum optimè locutus est) statim liber dimissus est: atque hujus Traditionis evulgandæ principale erat Organum. Itaque quanto hoc prius testimonium & probationis genus magis nudum & jejunum apparebat, tanto majorem adhibuit *Rex* diligentiam, in posteriore enucleando: De vita scilicet & vestigiis *Perkini*, Ad hunc finem, in diversas partes, præcipuè autem in *Flandriam*, nonnullos secretos & industrios exploratores misit: Alios, quasi ad *Perkinum* cõfugissent, eique adhærere constituissent: Alios autem, sub variis aliis prætextibus: Qui omnes speciales quasque circumstantias & eventus rimarentur, circa *Perkini* Parentes, Natalia, Personam, Peregrinationes: ut verbo dicamus, qui Diarium conficerent, ejus vitæ & factorum. Hos exploratores suos liberaliter pecuniis instruxit, ut homines, qui notitiam hujusmodi rerum haberent, ad se traherent, eosq; remunerarẽtur: dans etiam eis in Mandatis, ut quę repererant, sibi subinde significarent, & nihilominùs in inquisitione pergerent. Et perpetuo evocante alium alio nuncio, novos homines adjunxit, ubi Negotii Ratio hoc postulabat. Alios autem emisit cum interioribus Mandatis, & clariore Consiliorum suorum participatione, qui in rebus, quas in interruptionem & dissipationem incœptorum *Perkini* struebat, operam navarent. His commissum est, ut se in familiaritatem eorum, qui à partibus *Perkini* stabant in *Flandria*, penitùs insinuarent, eoque modo expiscarentur, quos jam socios & consiliorum participes illi sibi asciviſsent, tam hîc in *Anglia*, quàm foràs, & quousque singuli eorum, de se, fidem aut pignus dedissent; Quosq; insuper tentare, & allicere, in animo haberent. Neque de Personis tantummodò, ut inquirerent, sed etiam de actionibus, spe & machinamentis *Perkini* & *Conjuratorum*, quantum fieri posset, se informarent. Hi exploratores pro fidelioribus habiti, (aut saltem ex his aliqui) secretiora mandata receperunt, ut principales *Perkini* amicos & servos occultè ab eo abalienarent, & averterent, proponendo & intimando eis, quàm futili & debili res ejus niterentur fundamento, & quàm prudente & potente cum *Rege* illis res essent, eosque *Regi* reconciliarent, venia promissa necnon præmiis, prout mererentur. Ante alios autem omnes ut constantiam *Roberti Cliffordi* invaderent & subruerent, eumque ad *Regis* partes, si possent, traherent: Cum ille vir intima arcanorum adversæ Partis optimè nosset: Quique, si eas Partes deseruisset, reliquos maximè deterrere, & mutuis suspicionibus implere posset.

Mirum etiam quiddam traditur, *Regem* nimirum Sylva immani suspicionum circumdatum & involutum, neque cui fidem haberet, satis certum, cum *Confessoribus* & *Capellanis* complurium virorum primariorum secretò egisse, ut ex iis de Consiliis adversariorum suorum edoceretur: Quinetiam, quo exploratoribus suis transmarinis, plus fidei apud exteros conciliaret, *Regem* sæpiùs jussisse, illos ipsos exploratores, inter cæteros suos hostes, pro more illis temporibus usitato, in *Templo Divi Pauli*, nominatim diris devoveri. Isti autem utriusque generis exploratores officio suo tam diligenter perfuncti sunt, ut *Rex Perkini* licet vivi Anatomiam jam reciperet, & simul de plurimis in *Anglia* Conjuratis benè informatus esset, atque illa insuper Mysteria ei essent revelata. *Robertus* autem *Cliffordus* imprimis in *Regis* partes attractus fuit, atque ad res *Regis* promovendas jam factus est Minister industrius & officiosus. *Rex* igitur (diligentiæ suæ proventum largum metens, & de plurimis rebus, quas eum scire intererat, ampliter informatus) primò per universum *Regnum* Relationes de impostura & præstigiis *Perkini*, cum omnibus, quæ eò spectabant, fusè & plenè divulgavit & sparsit. Hoc autem fecit, non per Edictum (quandoquidem examinationes nondum essent perfectæ, ideoque magis & minus recipere possent) sed per Famas Aulicas, quæ ut plurimum altiùs penetrant, quàm Edicta Typis excusa. Tempestivum quoque jam putavit, *Legationem* in *Flandriam* mittere, ad *Archi-Ducem Philippum*; cum eo acturam, ut *Perkini* causam desereret, ipsumque è Territoriis suis dimittere vellet. In hac *Legatione* usus est *Rex* opera *Edvvardi Poyningi*, *Equitis Aurati*, & *Guilielmi Warhami*, *Equitis* itidem *Aurati*, & *Iuris Canonici Doctoris*, *Archi-*

Archi-Dux tum in minore Ætate erat, & à Consiliariis suis regebatur; In quorum præsentia *Legati* Mandata sua declararunt, & *Warhamus* in hunc modum locutus fertur:

DOmini mei; Rex *noster ægre admodum fert, quod, cum* Anglia & Ducatus *vester* Burgundiæ *habiti sunt tamdiu instar Mariti & uxoris, jam Regio ista vestra veluti Scena facta sit, super quam vilis Præstigiator partes* Regis Angliæ *ageret: Non solum ad* Celsitudinis *suæ Molestiam & Dedecus, verum etiam in Contumeliam & Opprobrium, quotquot sunt,* Regum & Principum: *Adulteratio Imaginis* Regis *alicujus in Moneta sua, capitale, omnium Legum consensu, judicatur: Verum,* Regis *vivi Imaginem, in persona sua adulterare, super omnia Impostorarum crimina merito palmam fert: Nisi forte excipi debeat, Impostura* Mahometi *alicujus aut* Antichristi, *qui Majestatem divinam simularunt.* Rex *Dominus noster, meliora de Concilio hoc gravissimo ominatur, quam ut credere possit, aliquem ex vobis, hac fabula captum esse: (etsi fortasse Passio alius Personæ particularis vos aliquatenus inflectere possit:) Res ipsa per se tam est incredibilis: Ut testimonia omittam, de morte* Ducis Richardi, *quæ* Rex *Instrumentis Authenticis descripta habet (quoniam ea in potestate Regis propria esse quispiam putare possit) res ipsa pro se loquatur: Rationi enim & Argumentis Nemo imperat. An fieri posse creditis, ut* Richardus Tertius, *Animam suam damnare, & Nomen suum maculare, tam nefando Homicidio vellet, absque tamen ullo rerum suarum in melius profectu? Aut etiam existimare potestis, Homines Sanguinarios (qui Carnifices ei erant) in medio Facinoris, ad misericordiam conversos? Cum contra in Feris ipsis, nec minus in Hominibus Ferinæ Naturæ, primus Sanguinis Gustus, eos magis in furorem agere & rabiosos reddere soleat. An nescitis, Tyrannorum Ministros cruentos, ad hujusmodi scelera perpetranda, veluti cum Laqueis in collo semper missos? Adeo ut, si mandata non perfecerint, certæ morti addicti sint: Et putatis hosce Sceleratos, vitæ propriæ periculo, alienam salutem redimere voluisse? verum esto, ut* Duci *pepercerint, ubi gentium eum exponerent? Numnam in Plateas* Londini *immitterent, ut Vigiles scilicet eum prehenderent, & coram aliquo ex* Justiciariis Pacis *sisterent, unde omnia, quæ egerant, per Examinationem proderentur? An autem secreto eum servarent? Atqui hoc certe, multæ curæ, sumptus, & assidui periculi, res fuisset. Verum* (Domini mei) *in Re non dubia, Argumentis utor non necessariis.* Rex *prudentia adeo abundat, necnon Amicis fidelibus in partibus exteris, ut jam* Ducem Perkinum, *etiam à Cunabulis, pernoverit. Et quoniam, magnus profecto est Princeps, si apud vos inveniatur aliquis Poeta idoneus, Memorias ei suppeditare possit, ad vitam ejus conscribendam; introducendo eum, veluti parallelum* Lamberto Simnello, *nunc uni ex* Regis *Accipitrariis. Quamobrem (ut nihil apud* Dominationes *vestras dissimulem) omnem Admirationem certe superat,* Ducissam Margaretam *(ignoscite, obsecro, si eam nominem, cujus in* Regem *odii nulla est Caussa, nullus finis) jam seniorem ætate qua Mulieres aliæ à puerperiis cessare solent, duo ejusmodi Monstra peperisse: non novem aut decem Mensium, sed Annorum complurium Partu, Cumque aliæ Matres Naturales, Infantes pariant infirmos, quique seipsos attollere & juvare nequeant: Illa contra Adolescentes proceros pariat, qui non multo postquam in lucem prodierint, cũ* Regibus *potentibus præliari possint.* Domini mei, *non libenter huic parti immoror. Utinam tandem* Ducissa *illa gustare sibi in animum induceret Gaudia, quæ* Deus *Omnipotens, manu benigna, ei porrigit, tuendo Neptem suam tanto in honore regnantem, & tam numerosa sobole* Regia *beatam: si ei placeret, possit illa pro propria ducere.* Regis *certe postulatum,* Archi-Duci & Dominationibus *vestris jam à nobis exhibendum, possit tale esse: ut secuti* Regis Caroli *Exemplum, qui jampridem eum abegit, Nebulonem istum è Territoriis vestris eliminare velitis: Verum quoniam* Rex *Majus expectare merito possit, à Fœderato antiquo, quam ab Hoste nuper reconciliato, petit à vobis; ut eum in Manus suas tradatis: præsertim cum Piratæ, & Impostores hujus generis, pro communibus Generis Humani Hostibus haberi debeant, nec juris Gentium præsidio inniti possint.*

Post nonnihil Temporis, ad deliberandũ, interpositum, *Legati* hoc breve Responsum tulerunt.

ARchi-Ducem *in* HENRICI *gratiam, nullatenus* Ducis Eboraci *prætenso, auxilia aut favorem præstiturum, sed in omnibus Amicitiam, quæ ei cum* Rege *erat, conservaturum. Quatenus vero ad* Ducissam Dotariam, *illam in Terris Dotis suæ, plenam habere potestatem: Ideoque in manu* Archi-Ducis *non esse, quo minus re sua pro Arbitrio suo utatur, eam impedire.*

REx, post reditum *Legatorum*, neutiquam sibi hoc responso satisfactum esse judicavit. Satis enim sciebat, Dotem Matrimonialem, nihil quod absoluti Imperii esset, (quale est Copiarum Administratio,) secum transferre. Quin & *Legati* disertis verbis ei retulerunt, *Ducissam* in Consilio *Archi-Ducis* magna Auctoritate pollere: Et quod utcunque *Archi-Dux* ad res *Perkini* connivere tantum simularet, secreto tamen ejusdem Incœpta promoveret; Itaque (partim Animum explere cupiens, partim Rationibus politicis inductus) statim *Burgundos* omnes è Regnis suis exulare jussit, tam Homines, quam Merces ipsorum; Mandans Subditis suis, (& nominatim Mercatoribus vulgo vocatis Adventurariis) qui *Antuerpiæ* residebant, ut statim domum redirent: Emporium (quod plerunque pannos *Anglicos* sequebatur) *Caletum* transferens; Omne etiam commercium in futurum cum *Burgundis* interdicens. Hoc *Rex* faciebat, partim ut nihil Honore suo indignum fieri permitteret; qui haud parum perstringi posset, si quis ad Coronam *Angliæ* Prætensor, eum ex tam propinquo lacesseret; atque interim ipse cum Natione, in qua Prætensor ille se ostentaret, amicitiam non interrumperet. Sed simul prudentissimo Consilio secum reputabat, subditos *Flandriæ* tanta lucra ex Commercio *Anglorum* percipere; ut, eo Interdicto publicato, cito tædio Rerum *Perkini* affici possint: Quodque tumultus *Flandriæ*, tam recentes & graves fuissent, ut Principi Populum irritare intempestivum esset. Nihilominus, *Archi-dux*, quasi per Talionem quandam, *Anglos* etiam è *Flandria* exulare jussit: In quo, si quis rem recte introspiciat, solummodo actum agebat.

Rex bene jam & certo informatus, quod spes *Perkini*, magis à Conjuratis intra *Angliam*, quam ab Armis transmarinis, penderent, judicabat Remediũ, Malo eo optime applicari, ubi Fomes Morbi erat; Itaque consultissimum existimavit in Judicium adducere, præcipuos aliquos ex conjuratis in *Anglia*; unde & malignos Humores in *Anglia* expurgaret, & spes in *Flandria* ebullientes redderet tepidiores. Jussit itaque apprehendi (eodem quasi temporis momento) *Joannem Ratcliffum*, Dominum *Fitz vvaterum*, *Simonem Mountfortũ*, *Thomam Thvvaitum*. Equites Auratos; *Guilielmum Daubenejum*, *Robertum Ratcliffum*, *Thomam Cressenorum*, & *Thomam Astvvodum*. Hi omnes, læsæ Majestatis impetiti, convicti, & damnati, quod *Perkino* adhæsissent, eique Auxilia polliciti essent. Ex his, *Dominus Fitz-vvaterus Caletum* transvectus est, ibique arcte custoditus, spe etiam vitæ ei facta, donec paulo post, (aut impatiens custodiæ, aut astu proditus) cum custode suo de fuga egisset, unde statim decollatus est. At *Simoni Mountforto*, *Roberto Ratcliffo* & *Guilielmo Daubenejo*, immediate post Sententiam in eos prolatam, capita abscissa sunt. Cæteris gratia facta est, tam *Clericis*, quam *Laicis*; inter quos fuerunt duo *Fratres Dominicani*; Necnon *Guilielmus Worslejus*, *Ecclesiæ D. Pauli Decanus*: *Clerici* autẽ, Examinationem quidem subierunt, sed in Judiciũ publicum adducti non fuerunt.

Camerarius Hospitij Regij, illo sane tempore, intactus permansit: Sive quod *Rex* Humores varios simul movere metuerit, more *Medicorum* prudentium, qui caput ultimo loco expurgant; Sive quod *Cliffordus* (ex cujus Literis plurima de Conjuratis *Rex* didicerat) hanc partem in adventum suum, ut rem maximi meriti, reservarat; *Regi* tamen interim significans, suspicari se aliquos ex Potentioribus, huic Conjurationi nomina dedisse; de qua re *Regi* coram satisfacere in animo haberet.

In *vigilia omnium Sanctorum*, decimo autem *Regis* Anno, Filius *Regis* secundo-genitus HENRICUS, *Dux Eboraci* creatus est; Et simul, tam *Dux* ipse, quam alii complures Nobiles, Equites Aurati, & Generosi Eminentiores, in ordinem *Equitum de Balneo*, pro ritu usitato, cooptati sunt. Crastino *Epiphaniæ*, *Rex* à *Palatio* suo *Westmonasterij* (ubi *Festum Nativitatis Domini* celebraverat) ad *Turrim Londinensem* se contulit; Hoc fecit, simul ac audivisset *Cliffordum* (in cujus sinu aut capsula plurima *Perkini* Arcana reposita erant) in *Angliam* appulisse. Mansio autem *Regis* apud *Turrim* eo consilio delecta est, ut si *Cliffordus* ullos ex Potentioribus accusaret, possint illi sine suspicione, aut strepitu, aut Mandatis huc illuc mittendis, statim comprehendi: Cum tam Palatium, quam Carcer, unica muri cinctura clauderentur. Post diem unum aut alterum elapsum, convocavit Concilium secretum, & electum, atque *Cliffordum* ad conspectum suum admisit: Qui primo pedibus *Regis* advolutus, humillime ejus veniam & gratiam imploravit: quam *Rex* ei tunc non gravate concessit, etsi occulto antea securitatem de vita sua accepisset. Tum jussus, ut quæ sciret, referret, inter complures alios (ex motu proprio, neutiquam interrogatus) *Guilielmum Stanlejum Camerarium* impetivit.

Rex ad nomen hujus Viri prænobilis visus est obstupescere, ac si de Prodigio aliquo miro ac formidabili nuncium accepisset. Fieri ne posse, ut vir, qui eum tanto officio obligasset, quale fuit, Vitam ejus servasse, & Coronam capiti imposuisse: Vir qui tam splendida & copiosa fortuna frueretur, favore ejus, tam Opibus, quam Honoribus auctus: Vir, qui etiam tam propinquo Affinitatis gradu devinctus esset, cum Frater ejus germanus *Matri Regis* matrimonio junctus esset: Denique vir, cujus fidei *Rex* personam suam commiserat, eum constituendo *Camerarium* suum: ut Vir iste, adhuc apud *Regem* gratia florens, nec ullo modo gravatus, nec etiam metu aliquo perculsus sibi infidus esset: *Cliffordus* jussus est, ut iterum atque iterum Capita Accusationis suæ adversus *Stanlejum* recenseret: Admonitus subinde, ut in re tam incredibili, & quæ tantum Virum impeteret, veritatis limites nullo modo excederet. At *Rex* videns moderationem & constantiam ejus, in iis quæ affirmabat asserendis absque hæsitatione aliqua aut vacillatione, & cum iis potestationibus quæ decebant: Cum etiam Testimonium suum, Vitæ & Animæ suæ periculo, se defensurum recipiebat, eum semoveri jussit: Et multum prius questus de Fortuna sua apud Consilium, mandavit, ut *Stanlejus* in Cubiculo ejus proprio, intra *Turrim Quadratam*, ubi prius manserat, custoditetur. Die autem sequente examinatus est *Stanlejus* à Consiliariis. In Examinatione sua, nihil fere eorum, quæ objiciebantur, negavit, neque Delictum suum magnopere excusare aut extenuare conatus est. Ita ut (haud satis prudenter) dum culpam suam elevare speraret ingenue confitendo, ita rem in liquido ponebat, ut ad condemnationem suam sufficeret. Opinio erat, eum multum superioribus Meritis suis confisum, atque Intercessioni *Fratris* ejus. Verum iis adjumentis præponderabant complura, quæ contra eum faciebant, & in *Regis* Ingenio & Animo prædominabantur, Primo Meritorum ejus exuperantia; Etenim *Regibus* grata est Meritorum mediocritas, quibus Præmia paria esse possint. Deinde, Apprehensio Potentiæ ejus: Subiit enim *Regem* ea Cogitatio, ab eodem qui ipsum extulisset, periculum sibi imminere, ne rursus dejiceretur. Tertio, confiscationis magnæ expectatio; Etenim, omnium *Regis* Subditorum *Stanlejus* erat ditissimus; quod postea patuit, inventis, in *Castello* suo de *Holt*, quadraginta Millibus Marcarum in Pecuniis Signatis, & vasis Aureis & Argenteis, præter Jocalia, Suppellectilem lautam, Pecorum Greges & Armenta, & alia Bona mobilia, ingenti copia. Quod vero ad Reditus ejus attinet in Terris & Feudis, illi ad tria Millia Librarum, antiqui census, annuatim ascendebant; pro ratione temporũ illorum, res mira, & fere inaudita. Postremo Temporis ipsius Conditio; Si enim *Rex* à metu, quoad statum proprium, plane immunis fuisset, verisimile est *Regem Stanlejo* vitæ gratiam fuisse facturum: Verum impendente tam atrocis rebellionis tempestate, securitati suæ consulere necesse habuit. Itaque post sex Hebdomadarum spatium elapsum (quam moram *Rex* honorifice interposuit, tam ut Fratris Intercessioni spatium daret, quam ut palam fieret, se non sine conflictu quodam

dam Animi ad hoc compulsum,)altæ Proditionis condemnatus est,& statim post decapitatus.

Attamen usque ad hodiernum diem, incertæ memoriæ est,tam crimen ipsum hujus prænobilis Personæ, propter quod morte mulctatus est; quam caussa Defectionis suæ à *Rege*, & infensi sui erga *Regem* animi. Casus ejus talis fuisse perhibetur; Quod scilicet, in Colloquiis suis cum *Roberto Cliffordo* dixisset; *Se, si exploratum sibi esset, Adolescentem illum, verum fuisse Edvvardi Quarti Filiũ, nunquam contra eum arma gesturum.* Casus iste videtur, primo intuitu, paulo durior; tam propter Particulam conditionalem, quam propter verba reliqua. Sed quantum ad Clausulam illam conditionalem, videntur *Judices* illius temporis (qui viri fuerunt in Legibus apprime eruditi, quorũque tres primarii à Concilio sanctiori *Regi* erant) censuisse, periculosam admodum rem futuram, si Conditionalia admitterentur ad verba Proditiora qualificanda: Fore enim, ut cuivis liceret Malitiam suam proferre, Periculum vero vitare. Fuit autem Casus ille non absimilis Casui, qui posterioribus temporibus emerserat *Elizabethæ Bartonæ*, dictæ *sanctæ virginis Cantij*: Quæ dixerat; *Si Rex Henricus Octavus, Catharinam repudiatam, rursus ad se non recepisset, futurum ut à Regno suo dejiceretur, & mortem canis obiret.* Possunt autem Casus innumeri hujus generis adduci. Quos (ut videtur) Iudices illi gravissimi in memoriam revocantes, noluerunt prorsus Proditionibus cum Clausulâ Conditionali patrocinari. Quantum vero, ad Verba positiva illa, *Stanlejum* nunquam contra *Regis Edvvardi Filiũ arma gesturum*; etsi verba illa sene quidem sonarent, nihilominus hoc dixisse, diserta & directa fuit Oppugnatio, & Abnegatio Tituli *Regis*, sive per *Lineam Lancastrensem*, sive per *Auctoritatem Parlamenti.* Quod Proculdubio *Regem* altius pupugit, quam si *Stanlejus*, in Acie hastam suam contra eum vibrasset. Si enim *Stanlejus* eam Opinionem defenderet, Filiũ *Edvvardi* aliquem, Titulo ad Regnum, *Regis* Titulo potiore inniti, cum ipse tanta auctoritate, & gratia apud *Regem* floreret; nihil aliud hoc fuit, quam universæ *Angliæ* verbis præire, ut idem affirmarẽt. Itaque si quis temporum illorum conditionem recte introspiciat, verba illa ad vivum usque persecarunt. Verum Scriptores nonnulli extra dubium rem ponunt. Ajunt enim, *Stanlejum* & Promisso expresso, & Pecuniarum missarum pignore, se *Perkino* obstrinxisse.

Jam vero, quantum ad Caussam Defectionis suæ à *Rege*; Verum est, *Regem* in Prælio de *Bosvvorth*, Turmis Hostium undique circumseptum in extremo vitæ suæ periculo fuisse; cum *Stanlejus* iste à Fratre missus fuit, cum tribus millibus Armatorum, ad *Regem* eripiendum; Quod tam fortiter & fœliciter præstitit, ut *Rex Richaradus*, in eo ipso loco, occisus esset. Adeo ut vita Mortalium majus Beneficium accipere nequeat, quam *Rex* à manu *Stanleji* acceperat. Cum quodammodo *Christi* Beneficio simile quiddam esset, simul & *Servare* & *Coronare.* Pro quo tam insigni Merito *Rex* ei maximam gratiam habuit: Eumque *Consiliarium* & *Camerarium* suum constituit; atque etiam, (nonnihil contra Ingenium suum) ad Spolia illa ingentia Prælii de *Bosvvorth*, connivetat, quæ universa fere in hujus Viri commodum cesserunt, adeo ut inde supra modum ditaretur. Attamen tanto merito inflatior, sibi gratiam à *Rege* relatam minime existimavit; Saltem non ex mensura pressa, & reduntante, ut expectabat. Itaque Ambitio ejus in tantum exorbitavit, & modum omnem excessit, ut à *Rege* se *Comites Cestriæ* creari peteret. Qui Honor, cum semper ut Appennagium *Principatus VValliæ* reputaretur, & *Filio Regis primo genito* ex more cedere soleret, Petitio illa, non solum à *Rege* repulsam tulit, sed etiam Animum ejus secreto offendit: Cum ex hoc, *Rex* satis perspiceret, Cupiditates *Stanleji* immoderatas esse, & Cogitationes ejus vastas, & irregulares; atque Beneficia priora *Regis* ei sordescere, nec prout decuit, æstimari. Cœpit itaque *Rex* ei intra animum suum minus favere. Et quemadmodum modicum Frementi, totam Massam corrumpere solet, *Regis* sagacitas jam passioni suæ ex nova offensa irritatæ suggerere cœpit, *Stanlejum*, in Prælio de *Bosvvorth*, licet satis celeriter advenisset, ad vitam *Regis* servandam; contrà tamen, satis diu moratum esse, ut de vita *Rex* periclitaretur. Nihilominus, cum nihil haberet accusatione in eum dignum, cum Honoribus suis frui, usque ad præcipitium istud extremum permisit.

Post eum factus est *Camerarius Hospitij Regis Ægidius Dominus Daubenejus*, Vir magnæ prudentiæ & fortitudinis: Quæ virtutes magis in eo enituerunt, quod simul humanus fuerit & moderatus.

Invaluerat Opinio, quod *Robertus Cliffordus* (qui jam factus erat veluti Delator *Regius*) etiam ab initio fuisset Emissarius, & Explorator *Regis*: & quod in *Flandriam* confugisset non sine *Regis* notitia & consensu. Verum hoc minus est probabile: tum quia nunquam Mensuram illam gratiæ apud *Regem* recuperavit, qua ante discessum suũ fruebatur: tum præcipue, quia Delatio ejus circa *Stanlejum* (quod ei pro maximo merito erat) minime processit ex iis, quæ in *Flandria* didicerat, sed ei res illa ante Discessum suum ex *Anglia* innotuerat.

Supplicium *Stanleji* & cæterorum (præcipue vero *Stanleji*, qui Robur fuerat Patrium) & Defectio *Cliffordi*, qui omnium erat apud Rebelles intimus, *Perkini* & Conjuratorum incœpta iniris modis turbavit, tam metum injiciendo, quam Suspiciones & Diffidentiam: Adeo ut jam, instar Arenæ essent sine calce, male inter se cohærẽtes; præcipue qui ex *Anglis* essent: Qui jam attoniti, se mutuo oblique intuebantur: incerti, quis Partibus suis fidus esset, quis secus, sed existimabant plane *Regem*, partim præmiis inescando, partim Arte irretiendo, omnes, qui alicujus essent pretii, in suas partes tracturum. Et revera factum est, ut plurimi sigillatim recederent, alii post alios. *Barlejus* (qui una cum *Cliffordo* missus fuerat) ex iis fuit, qui diutissime in fide erga Rebelles permansit, donec *Perkinus* fere attritus esset; attamen etiam *Regi* ad extremum reconciliatus est. Sed ruina hujus Viri magni, (*Stanleji* scilicet,) qui tanta gratia & auctoritate (ut credebatur) apud *Regem* floruerat: Atque Modus ipse quo *Rex* Negotium illud tractavit, unde liquido patebat, Inquisitionem occultam ei diu, antequam in ju-

dicium adductus fuisset, incubuisse: simul & Caussa, propter quam supplicio affectus est, quæ vix alia fuit, quam quod affirmasset, *Titulum familiæ Eboracensis Titulo familiæ Lancastrensis fuisse potiorem*: In quo Casu omnes fere includebantur, saltem quoad opinonem internam. Hæc omnia (inquam) res fuerunt incredibilis Terroris universis Regis servis & Subditis: Adeo ut nemo fere tutum se reputaret: Quinetiam eo res processerat, ut vix sermones inter se conserere Homines auderent, sed universalis cunctos invaderet Diffidentia: Ex quo factum est, ut *Rex* magis absoluto certe, sed minus tuto Imperio frueretur: *Nam, Sanguis in interiora fluens, & vapores intus conclusi, opprimunt & suffocant magis.*

Hinc orti sunt innumeri famosi Libelli (qui Libertatis sermonis cohibitæ Eruptiones sunt, & Seditionum quasi Femellæ) infinita in *Regem*, & aliquos ex Consiliariis suis intimis, Scandala & Invectivas ejaculantes. Pro quibus componendis & spargendis, post multam & diligentem Inquisitionem, quinque tantum tenuis conditionis Homines apprehensi sunt, & morte mulctati.

Rex interea res *Hiberniæ* non neglexit: Is enim Ager erat, in quo Fungi illi (qui nocte una se attollunt) maxime vigere solebant. Misit igitur ex *Anglia* (quo res suas in eo Regno melius componeret & stabiliret) utriusque Togæ Delegatos: *Priorem* nempe de *Lanthony*, ut *Cancellarii* munere ibi fungeretur: & *Edvvardum Poyningum* Equitem Auratum, cum Copiis Militaribus, & Potestate Imperatoria: Atque una Diploma dedit, Auctoritatem in eum conferens *Locumtenentis* sui, in Regimine Civili. In qua Clausula erat, *Ut etiam Kildariæ Comes tunc Hiberniæ Deputatus ei pareret.* Verum *Hiberni* agrestes (qui maxime deliquerant) more suo, in Sylvas & Paludes fugerunt; quique in pacato *Hiberniæ* similis Criminis conscii sibi erant, ad eos se receperunt: Adeo ut *Poyningus*, erga Erraticos *Hibernos*, Erraticam quandam Expeditionem suscipere compulsus fuerit: In qua propter Montes & Saltus, parum profecit: Quod (sive ex Melancholia quadam suspiciosa, quod res ei male successerunt: sive ut Conatus suos ab infamia vindicaret) imputari prorsus voluit favori, quo *Comes Kildariæ* secreto Rebelles prosequebatur Levissima quaque suspicione locum habente in eum, propter *Kildariæ Comitem* illum, qui *Lamberto Simnello* adhæserat, & in *Prælio Stokensi* occubuerat. Itaque *Comitem* comprehendi jussit & in custodiam dari, eumque in *Angliam* misit: qui examine debito facto, ita se purgavit, ut in Munus pristinum *Deputati Hiberniæ* restitutus fuerit. Sed *Poyningus* (quo Meriti sui, in Rebus Bellicis, exilitatem, Actis pacis compensaret) *Parlamentum* convocavit. In quo Lex lata est illa memorabilis, quæ etiam hodie *Lex Poyningi* vocatur: per quam, *Statuta Angliæ* universa, etiam in *Hibernia*, recipi & obtinere sancitum est. Antea siquidem *Hibernos* minime obligabant: neq; similiter ullum Statutum in *Anglia* ordinatum, post tempora illa, scilicet Annum decimum *Regis Hibernos* obligat.

Circa hoc tempus cœpit in *Rege* notari, Inclinatio illa, quæ postea à Consiliariis & Ministris pravis excitata & aucta, Macula plane facta est Regiminis sui. Illa erat Industria & Artes, pecunias à subditis suis emungendi, per Mulctas & Foris facturas ex Legibus Pœnalibus. Id quod Hominum Animos magis hoc tempore perculsit, quoniam facile erat cernere, hoc in Ingenio *Regis* penitus insitum fuisse, cum nullæ eum premerent Rei pecuniariæ angustiæ: sed contra, Thesauro ubertim abundaret. Etenim, pecunias à *Gallo* propter Pacem nuper receperat: à Subditis item eæ, quæ nomine *Benevolentiæ* collatæ fuerant, solutæ jam erant. His Casualia amplissima, ex confiscatione *Stanlejana*, accesserant: præter alia Lucra diversa. Primus Casus in hoc genere memorabilis, fuit ille *Gulielmi Capelli Equitis Aurati, Aldermanni Civitatis Londinensis*: Qui vigore diversarum Legum Pœnalium mulctatus est, ad Summam bis mille & Septingentarum Librarum: Et pro mille Sexingentis libris, cum *Rege* transegit: A quo tamen *Capello*, diu post, *Empsonus* novas pecunias extorquere annisus est: idq; fecisset, nisi *Rex*, sub ipsum tempus, mortuus fuisset.

Æstate sequente *Rex*, ut Matrem suam consolaretur, quam semper unice dilexit & reveritus est: atque ut fidem apud omnes faceret, Severitatem contra *Stanlejum* (quam imposuit ei Necessitas, & Ratio status) nihil prorsus Amori suo, erga *Thomam* Fratrem ejus, detraxisse: profectus est, ad *Lathamam*, ut cum *Matre* & *Comite*, hilares aliquot ageret dies, ibique: moram nonullam fecit.

Durante adhuc hac *Regis* profectione, *Perkinus* videns tempus & moram, quæ (dum incœpta sua occulta fuissent, nec in lucem prodiissent, & in *Anglia* satis prospere successissent) rebus suis conducebant; nunc vicissim, cum Consilia sua patefacta essent, contra eum potius facere (propterea quod cum Res in declivi positæ sint, non facile sustinentur, aut sistuntur, absque novo impetu) constituit fortunam suam, per novam aliquam, in Angliam ipsam, Impressionem, experiri; spem adhuc ponens in populi Inclinatione, & Favore erga *Familiam Eboracensem*. At Corpus illud Vulgi, neutiquam similibus artibus tractari oportere, ac Personas eminentes, judicabat. Sed nullũ aliud Affectuum vulgi Experimentum capi recte posse, quam Vexillo in Campis expanso. Delegit autem, ex locis, in quibus Invasio fieri deberet, Oras *Cantij*.

Interea vero *Regis* Prudentia & Providentia, ad tale Opinionis & Famæ Culmen ascenderunt, ut quicquid prospere evenerat, de industria, & ex composito ab eo factum esse, existimaretur. Itaq; creditum est, etiam hunc particularem *Perkini* de *Cantio* invadendo conatum, *Regi* prævisum & præcognitum fuisse. Ideoque, quo facilius *Perkinum* in *Cantium* alliceret, eum in partes *Septentrionales* procul Profectionem suscepisse: Luctatorum more, latus apertum *Perkino* ostendendo, ut irrueret, & incaute dejiceretur; cum *Rex* eam *Cantii* Provinciam, jam antea sibi fidam, & erga se bene animatam, effecisset.

Perkinus autem, eo tempore, Colluviem quandam, ex omnibus Nationibus, collegerat: Nec numero certe, nec Animis aut Fortitudine contemnendam: Sed qui tali essent Ingenio & Fortuna, ut non minus Amicis, quam Hostibus essent formidabiles: Cum plurimi eorum ex-leges essent

essent, & facinorosi, quique ex rapto vivere solerent. Hos in naves imposuit, iisque comitatus *Sandvvicum* & *Dealam* Oppida Provinciæ *Cantii* circa *Mensem Iulii* appulit.

Illic Anchoras jecit, atque ut animos Plebis tentaret, aliquos ex suis in littus exposuit, multa jactando de Copiis, quæ præsto essent, statim subsecuturis. At populus *Cantii* (cum satis perspexissent, in Copiis *Perkini*, neminem comparere ex *Anglis* melioris notæ, sed Exteros tantum, eosque infimæ Conditionis Homines, ac fere Latrones, longe magis idoneos ad oras maritimas depopulandas, quam ad Regnum Domino suo recuperandum) ad primarios *Cantii* viros contulerunt; studium suum & fidem versus *Regem* professi, & operam suam ultro offerentes, & præcipi sibi petentes, quibus modis *Regi* maxime utiles esse possint. Primarii illi Viri, consilio inter se habito, jusserunt, ut Copiæ nonnullæ, numero haud exiguo, se circa Littora ostenderent: aliquæque ex ipsis Copias *Perkinianas* signis allicerent, tanquam se cum illis conjuncturæ: Aliiq; nonulli, à Littore se in Interiora recipere & aufugere simularent, quo *Perkinum* ad Homines suos in terram exponendos animarent; At *Perkinus* (qui in partibus *Regis* agendis jam peritus, aut fortasse à *Friono* Secretario instructus, didicerat Milites imperio parentes, primo stare, postea ordine incedere: Rebelles contra confuse omnia agere & miscere) omnia sedate & sine tumultu agi, observans, rem in duriorem partem interpretabatur. Itaque quo erat Ingenio subdolo, pedem è Navi movere noluit, priusquam omnia in tuto videret. Quamobrem, Copiæ *Regis* animadvertentes, se plures allicere non posse, quam eos qui primo in terram expositi fuerant, Rebelles statim adortæ sunt, & consciderunt, priusquam in naves se recipere potuissent. Qua pugna (præter occisos, eos & qui fuga se eripuerunt (capti sunt circiter centum quinquaginta Homines: Quos omnes (quoniam *Rex* judicabat, Morem illum paucos ad Terrorem reliquorum supplicio afficiendi melioris notæ Hominibus competere; verum fæcem Populi protinus interneccioni dandam, præsertim in principio Rebellionis; Simulque animo prospiciens, Copias *Perkini* posthac, ex Colluvie & Sentina Hominũ projectorum, compositas iri) in patibulo suspendi jussit, ad majorem terrorem ejusmodi Nebulonibus incutiendum. Omnes *Londinum* perducti sunt funibus utrinque alligati, ut Equi in plaustro, & morte affecti, alii *Londini* & *VVappingi*, alii circa Oras Maritimas *Cantii*, *Sussexiæ* & *Norfolciæ*, ut loco Signorum Nauticorum & Laternarum essent, quæ *Perkini* Asseclas à Littoribus *Angliæ* absterrere possent. *Rex* cum primum de Rebellium in *Cantium* impressione certior factus fuerat, profectionem suam abrumpere cogitavit; Sed proximo die, nuncio accepto, quod partim devicti partim fugati fuissent, Iter suum continuavit; *Richardum Guilfordum* Equitem Auratum in *Cantium* misit; Qui populum convocãs, eos, (ex parte *Regis*) Laudibus cumulavit: quod non solum in fide permansissent, sed operam suam tam prompte & prudenter præstitissent: atque universis gratias egit, præmia etiam aliquibus privatim pollicitus.

Decimo sexto *Novembris*, Anno autem *Regis* undecimo, Electio *Servientium ad Legem*, in Ædibus *Episcopi Eliensis* celebrata est: qua novem in eum ordinem cooptati fuerint. *Rex* Solennitatem illam præsentia propria, & Reginæ suæ honoravit utpote Princeps, qui semper Jureconsultos ornare & decorare consueverat: Id agens, Ut *Subditos Legibus suis, Leges autem Jure-consultis regeret & flecteret.*

Hoc etiam Anno, Fœdus iniit *Rex* cum Principibus *Italis*, pro Defensione *Italiæ* contra *Gallos*. *Carolus* enim *Regnum Neapolitanum* subjugaverat, & paulo post amiserat: quasi per Somnium fœlix. Universam Longitudinem *Italiæ* pervaserat, nusquam Arma expertus: Adeo ut verum esset, quod *Alexander Papa* dicere solitus est; *Gallos in Italiam venisse, cum creta in manibus, qua diversoria sua notarent, potius quam cum Armis, quibus pugnarent.* Etiam ipso Regno Neapolitano universo potitus est, gladium vix stringendo. Verum statim post, tot & tantos Errores cumulavit, ut iis nulla fortuna, licet optima, par esse posset: *Barones Neapolitanos* Partium *Angeovinarum* minime demeruit; sed præmia sua, pro Arbitrio quorundam Famulorum suorum, qui lucra captabant, dispersit. *Italiam* universam contra se excitavit, eo quod *Ostiam* cepisset, & tenuisset, & libertatem *Pisanorum* protexisset: Quæ suspicionem omnibus injecerunt, Ambitionem ejus ultra *Regnum Neapolitanum* extendere. Nimis propere Amicitiam cum *Ludovico Sforza* dirupit; qui revera Claviger fuit, *Gallumque* introduxit, & exclusit. Nonnullas etiam Belli Reliquias, in *Regno Neapolitano* adhuc fumãtes, extinguere neglexit, Postremo, qui *Italiam* sine oppositione pervaserat, Arma *Italorum* nimis despicere cœpit; Unde *Regnum Neapolitanum Italorum* Copiis minus instructum reliquit. Ita ut, paulo post reditum ejus, universum *Regnum* ad *Ferdinandum Iuniorem* defecerit, & *Gallos* expulerit. Nihilominus *Carolus* cum ingentibus Minis, & magno Copiarum Apparatu, novam Expeditionem in *Italiam* destinabat. Itaque ad instantiam *Statuum Italiæ* complurium (& maxime *Papæ Alexandri*) Fœdus ictũ est, inter eundem *Alexandrum Papam*; *Maximilianum Romanorum Regem*, HENRICUM *Regem Angliæ*, *Ferdinandum* & *Isabellam Regis Hispaniarum* (ita enim in Tractatu Originali Nomina *Principum* illorum constanter collocantur) *Augustinum Barbadicum Ducem Venetiarum* & *Ludovicum Sforzam Ducem Mediolani*: pro Communi defensione *Statuum* suorum singulorum. In quo Tractatu, licet Nomen *Ferdinandi Iunioris*, ut Partis principalis, non fuisset insertum, nihilominus *Regnum Neapolitanum*, proculdubio erat inclusum, tanquam Feudum *Ecclesiæ Romanæ.*

Mortua etiam est hoc Anno *Cecilia Duciſſa Eboraci*, *Edvvardi Quarti* Mater, apud *Castrum* suum de *Barckhamsted*, Ætate extrema: Quæque eo vitam produxerat, donec vidisset, tres *Principes* ex Sobole sua, coronatos: quatuor autem trucidatos. Sepulta est apud *Foderinghamiam*, juxta *Ducem* Maritum suum.

Hoc etiam Anno, *Rex* Comitia Ordinum cõvocavit: In quibus complures Leges latæ fuerunt, naturæ magis privatæ & vulgaris, quam ut Historiæ Lectorem detinere mereantur. Atque merito

rito quis suspicari possit, ex iis quæ postea secuta sunt *Regem*, sicut in salubribus Legibus ordinandis præcelleret: ita, in secreto, apud se constituisse, ex Legibus suis fructum percipere, non minus ad colligendas pecunias, quam ad corrigendos Mores: atque in hunc Finem eas in majus accumulasse.

Lex Principalis, quæ his Comitiis perlata est, fuit mirę cujusdam Naturæ: Justa potius secundum æquitatem naturalem, quam ex norma Juris: & Magnanima magis: quam Cauta. Statuit hæc *Lex*, ut nemo, qui *Regis* partes tunc de facto regnantis secutus fuerat, propter ejusmodi crimen, unquam impeteretur aut condemnaretur, vel processu Legis, vel per Actum Parlamenti: Atque insuper, si tale aliquod Actum Parlamenti condemnatorium fieri post contigisset, irritum & invalidum prorsus foret. Ista Constitutio in hoc fundabatur, quod rationibus Status magnopere conveniret, ut Subditi de Jure *Regni* minime inquirerent: Atque rursus. Conscientiæ Leges hoc postularent, ut (quicunq; Belli exitus foret) Subditi obedientiæ suæ pœnas non darent. Genius hujus Legis pius & nobilis certe fuit: cum id in Bello statueret, quod *David* in peste à Deo petiit, qui dixit: *Si peccavi, percute me, istæ autem oves quid fecerunt?* Simul occulto sapiebat ista *Lex* providentiam & prudentiam quandam profundam: Nam omnem occasionem sustulit, cur Subditi in *Regis* Titulum curiose inquirerent: cum ipsorum Securitati, quæcunque esset Belli fortuna, cautum jam esset Præterea, non potuit non Corda & Amorem Subditorum sibi conciliare, quoniam magis videbatur prospicere illis, quam *Regi* ipsi. Attamen interea Milites hæc Lex exuebat & exolvebat, magno illo vinculo, & calcari Necessitatis (quæ illis alias incumbebat) pugnandi, & non, nisi parta victoria, abscedendi: Quandoquidem vitæ Militum & fortunæ in tuto essent, sive fortiter pugnarent, sive terga verterent. Verum quoad partem *Legis* secundam, vis ipsius plane vana fuit. & illusoria; cum scilicet per Statutum præcedens, Statutum aliquod futurum frustrari posse quis cogitet? Absoluta enim, & suprema potestas, seipsam constringere non potest: Neque, quod Natura revocabile est, figi potest: Non magis, quam si quis Testamento suo declaraverit, quod si Testamentum novum conderet, illud irritum esse. Et quantum ad Casum Acti Parlamenti, memorabile prorsus accessit Exemplum temporibus *Henrici Octavi*: Qui se, durante minore Ætate Filii sui, mortem obire posse prævidens, Statutum condi fecit: *Ut nullum Statutum, durante minore Ætate Regis, latum, Regem aut Successores eius teneret, nisi a Rege, postquam ad plenam Ætatem pervenisset, sub Sigillo magno Angliæ confirmatum foret.* Verum primum Statutum, quod tempore *Regis Edvvardi Sexti*, tunc minoris, inactitatum fuit, illud prius Actum prorsus rescidit. Verum, res quæ non sunt peremptorię ad obligandum, possint tamen esse commodę, pro tempore, ad satisfaciendum populo.

Lata est etiam *Lex*, in Adminiculum & Firmamentum *Contributionis* ejus, quæ dicta est *Benevolentia*. Quæ sancivit, ut pecuniæ summa, in quam aliquis consenserat, neque tamen soluta esset, Legis processu exigeretur. Quod Statutum, sicut Pecuniarum detentarum Solutionem acceleravit, ita Rei ipsi Auctoritatem addidit: Lata autem *Lex* est (ut prætendebatur) ad Instantiam ipsorum, qui jam antea solvissent.

His etiam Comitiis lata est *Lex* illa bona, quæ Breve *de Attincta* vocatum introduxit, per quod Judicia Juratorum (quæ Veredicta vocantur,) falsa rescindi possint; quæ ante illud tempus *Evangelij* cujusdam instar erant, atque plane irrevocabilia. Ad Caussas Capitales hæc *Lex* se non extendit; tam quia plerumque *Regis* nomine eæ Caussæ aguntur, quam quia illæ (si per viam *Indictamenti*, quod *Regis* nomine semper procedit, tractentur) duplici *Veredicto* transiguntur; Nimirum eorum qui inquirunt, & eorum qui Quæstionem terminant: unde fit, ut non duodecim Viri tantum, sed viginti quatuor Viri de re pronuncient. Verum (ut videtur) non fuit id solum in caussa, quod ad Capitalia *Lex* non extenderetur, Ista enim ratio, ubi Caussa Capitalis à Parte gravata peragitur, non tenet: Sed illud in primis, in Consideratione venerat, ne forte Juratores in Caussis Capitalibus timidius se gererent, si obnoxij essent novis Litibus & periculis, ubi favor vitæ contra eos faceret. Neque etiam extenditur ista *Lex* ad Litem aliquam infra valorem quadraginta Librarum, quia in Litibus, tam exigui valoris, superaturæ essent impensæ Summam principalem, si retractarentur.

Lex alia sancita est, contra ingratitudinem Fœminarum, quæ à Maritis suis, aut Maritorum suorum Parentibus, aut Cognatis, ad Terras promotæ eas alienarent, in Præjudicium, & Exhæredationem Hæredum, aut eorum ad quos, post mortem ipsarum, Terræ illæ redire deberent. Huic malo Remedium porrigebat Lex, ut scilicet liceret Hæredibus, & cæteris, in Terrarum possessionem, nomine Foris facturæ, non expectata morte Mulieris, continuo venire.

Lata est etiam illa *Lex*, Charitatis plena: ut scilicet Homines egeni, Lege agentes, admitterentur *in Forma pauperis*: Hoc est, ut nihil solvant Advocatis, Procuratoribus, aut Scribis: Unde tamen factum est, ut Homines egeni, sicut *Lege* experiri melius possent, ita ad alios Litibus vexandos promptiores essent. Fuerunt & aliæ, iisdem comitiis, *Leges* introductæ, bonæ & sanæ, ut prius dictum est. Sed moro nostro, eas excerpimus, quæ naturæ sunt minime vulgaris.

Rex interim, licet Comitiorum Negotiis incumberet, tanquam in plena pace; viderique vellet Consilia *Perkini* (qui jam in *Flandriam* redierat) veluti Floralia quædam, despectui habere: tamen *Regis* prudentissimi Constitutionem nactus (foris Animosi, intra providi) mandavit, ut Phari ad Oras maritimas vigiliis custodirentur; Et plures etiam Phari erigerentur, ubi nimium inter se distarent. Et diligenter observabat, ubi tandem Nimbus iste erraticus erupturus foret. Sed *Perkinus* à suis monitus, ut Ignem suum (qui hactenus tantum in viridi ligno depasceret) vivum servaret, follibus veluti assiduis, iterum in *Hiberniam* navigavit, unde prius, propter spes præbitas à Gallis, potius quam propter aliquod Impedimentum, aut Tepiditatem, quam in illo Populo expertus esset, discesserat. Verum tempus ipsum, cum *Regis* ipsius Diligentia, & *Poyningi* prudente Administra-

ſtratione, ita res *Hiberniæ* compoſuerat, ut nihil reliquum fieret *Perkino*, præter turbulentos impetus ſylveſtrium & nudorum Hominum. Itaque qui res ejus curabant, conſilium ei dederunt, ut à *Rege Scotorum* Auxilia peteret; Principe Juvene, & Animoſo, & Populo ſuo ac Proceribus acceptiſſimo, & erga *Regem Henricum* male affecto. Hoc etiam ipſo tempore, tam *Maximilianus Rex*, quam *Carolus*, cœperunt à *Rege Henrico*, averſo animo eſſe. Alter in malam partem accipiens prohibitionem Commercii cum *Flandria*: Alter *Regi* jam diffidens propter Fœdus nuper ictum cum *Italis*. Itaque præter Auxilia aperta *Ducissæ Burgundiæ*, quæ tanquam velis & remis contenderat, ut *Perkini* Conatus promoverentur; non deerant ſecreti quidam Favores à *Maximiliano* & *Carolo*: Adeo ut, occultis literis, & Nunciis, res ejus *Regi Scotiæ* commendaſſe putentur.

Perkinus igitur, hujuſmodi Fiducia fultus, in *Scotiam* adveniens, cum Comitatu decente, à *Rege Scotiæ* (ad hoc antea bene præparato) honorifice exceptus eſt: & paulo poſt adventum ſuum ad *Regis* conſpectum admiſſus, ritu ſolenni. Etenim *Rex* eum excepit, in Camera Præſentiali, aſtantibus multis ex Proceribus *Scotiæ*. *Perkinus* autem, cum ſatis ſplendido Comitatu, tam eorum quos ipſe adduxerat, quam eorum quos *Rex* adverſum miſerat, ingreſſus eſt Cubiculum; ubi *Rex* aſſederat; Et ad *Regem* accedens, ſeq: aliquantum incurvans, eum amplexurus; retro ſe aliquot paſſus recepit; Atque voce clara (ut à præſentibus omnibus exaudiretur) tali Declaratione uſus eſt.

REX *Excelſe, & potens*; Celſitudo *veſtra*, & Proceres *hi veſtri, qui adſunt, benigne (ſi placet) aures præbeatis Tragicæ Narrationi Adoleſcentis, qui Jure debuerat Pilam Regni in Manu ſua geſtare, ſed Fortunæ Iniquitate factus eſt ipſe Pila de Calamitate in Calamitatem, & de Regione in Regionem jactatus. Conſpicitis ante Oculos veſtros poſitam* Plantageniſtæ *Effigiem: qui à Gynecæo abreptus fuit in Aſylum: ab Aſylo, in dirum Carcerem: à Carcere in Manum cruenti Carnificis: abque ab ejus Manu expoſitus in Deſertum: Sic enim Orbem Terrarum nobis vocare par eſt. Ita ut ille, qui in ſpem, & jus* Regni *potentis, natus eſt, ne Palmam quidem Terræ, in qua pedem ſiſtat, poſſideat: præter eam, in qua nunc Regio veſtro favore admiſſus.* Edwardus Quartus, *nuper* Angliæ Rex (*Quod* Celſitudinem *veſtram fugere non poteſt*) *duos reliquit Filios*, Edwardũ Principem, & Richardum Ducem Eboraci, *utrũq; Ætate tenera. Primo-genitus, in* Regnum *Patris ſucceſſit*, Edwardus Quintus *dictus. Verum* Richardus, Dux Gloceſtriæ, *Patruus eorum crudelis, primo per Ambitionem, Regnum, deinde Nepotum Sanguinem, ad Status ſui ſecuritatem ſitiens, cuidam ſcelerato, & ſibi (ut putabat) fido, mandavit, ut utrumque jugularet. Verum Carnifex ille, qui ad hoc factus missus eſt, poſtquam* Edwardum *Primogenitum crudeliter trucidaſſet, motus eſt, partim Conjunctione quadam, partim aliis modis (de quibus ſilemus) ut* Richardum, *Iuniorem Filium, ſervaverit. Tyranno tamen referens, ſe Juſſa ejus, in utroque interficiendo executum. Iſti Relationi à Tyranno fides adhibita eſt, eademque publicis Declarationibus eſt confirmata: Ita ut generalis invaluerit Opinio, utrumque ſublatum fuiſſe, etſi Veritas fere ſemper quoſdam Igniculos habeat, qui paſſim volant, donec tempore ſuo manifeſtetur & emicet; quod etiam in hoa negotio contigit. Verum* Deus Omnipotens, *omniaque diſponens, qui* Leonum ora obturavit, parvumque Joam conſervavit à Tyrannide Athaliæ, *cum Regis Liberos neci mandaſſet: Atque etiam* Iſaacum *liberavit, in ipſo temporis articulo, in quo manus ad eum jugulandum extenſa eſt: Fratrem Iuniorem conſervavit. Ille enim ego, qui coram adſum, verus ſum* Richardus, Dux Eboraci, *infelicis Principis* Edwardi Quinti *Frater, Legitimuque Hæres Maſculus Inclyti illius* Regis Edwardi Quarti, *nuper* Angliæ Regis. *Quod ad modum Emiſſionis meæ è Turre attinet, conſentaneum eſt, ut ſilentio prætermittatur; aut ſaltem Relatione ſecretiore tradatur; Quoniam nonnullorum adhuc ſuperſtitum intereſſe poſſit, atq; etiam memoriæ aliquorũ, qui jam fato functi ſunt. Satis ſit memoraſſe, me Matrem eo tempore in vivis habuiſſe,* Reginam *illam quidem, quæque indies Mandatum à Tyranno, de nece Filiorum expectaverat. Hoc modo, Ætate mea adhuc tenera, ſumma* DEI *Miſericordia, a* Londino *migrans, in partes tranſmarinas occulto tranſvectus fui: Ubi, qui mei curam habebat (utrum novis Timoribus, aut animi Inconſtantia, aut aliorum Artibus & Sollicitatione adductus, novit* Deus) *ſubito me deſeruit. Unde huc illuc errare & tenues conditiones ſubire, compulſus ſum, ad vitam ſuſtentandam. Quare diverſis paſſionibus diſtractus, ex altera parte, Metu, ne res palã fieret. Tyrannicq; inſidiis rurſus exponerer: Ex altera parte, dolore & indignatione, quod ignotus in tam vili & abjecta vitæ conditione degerem, decrevi mecũ mortem Tyranni opperiri, & tunc me in manus Sororis meæ, quæ proxima* Regni *Hæres eſſet, committere. Verum interea venit, ut quidam* Henricus Tidderus, *Filius* Edmundi Tidderi, Comitis Richmondiæ, *è* Gallia *appelleret in* Angliam, *atq; modis ſubtilibus & turpibus, Coronam* Angliæ *acquireret, quæ jure mihi debebatur. Adeo ut res meæ nõ proveherentur in melius, ſed tantũ Tyrannum mutarent.* Henricus *iſte, Hoſtis meus infenſiſſimus & Capitalis, quamprimum me vivere intellexerat, omnibus viis & modis perniciem meam machinari cœpit. Nam Capitalis ille Hoſtis meus, non ſolum me falſo, & impudenter criminatus eſt, quod Perſona ficta & ſuppoſititia eſſe, mihi nomina imponens contumelioſa, ut Mundo illuderet; verũ etiam, ut Reditus meus in* Angliam *prohiberetur; amplas obtulit pecuniarũ ſummas, quibus Principes, apud quos receptus fueram, aut ſaltem eorum Miniſtros corrumperet; Quinetiam importune, cum quibuſdam ex Famulis meis interioribus egit, ut veneno, vel alio modo, me è medio tollerent; Cum aliis autem, ut à Cauſſa mea juſta deſciſcerent, atque ex Servitio meo abſcederent; quemadmodum* Robertus Cliffordus *& alij, à* Tiddero *ſeducti, fecerunt. Ita ut quivis animi compos, facile perſpicere poſſet,* Henrico *iſti, ſe dicenti* Regem Angliæ, *non opus fuiſſe tantas pecuniarum Largitiones & Impenſas profundere, neq; tam indefeſſo labore & ſollicitudine, necem meam & ruinam moliri, ſi ejuſmodi ficta Perſona fuiſſem. Verum Cauſſæ meæ Juſtitia, tam liquido apparens,* Chriſtianiſſimum Regem Carolum, *nec non Nobiliſſimam Heroinam,* Ducissam Dotariam Burgundiæ, *Amitam meam charisſimam, permovit, ut non ſolum Cauſſam meam probarent ſed etiam Auxiliis benigne juvarent. Verum (ut videtur)* Numini *Cœleſti complacet (ad Bonum commune* Insulæ *hujus univerſæ, quo hæc* Regna

potentissima Angliæ & Scotiæ, *melius & arctius, Amicitiæ fœdere, ex tanto merito conglutinarentur) Collocationem mei in Solio Avorum meorum* Regum Angliæ, *Armis & Auxiliis* Celsitudinis vestræ *reservare. Neq; hæ primæ visæ sunt, quibus* Rex Scotiæ, Reges Angliæ, Regno *exutos restituit: sicut recente Memoria factũ est in Persona* Henrici Sexti. *Itaque, cum* Celsitudo *vestra jam pridem Specimen egregium ediderit; se, nulla virtute* Regia, *Progenitoribus suis esse inferiorem, ego afflictus & calamitosus* Princeps, *veluti divino nutu monitus, ad vos accessi; Meque fortunasq; meas in Manus vestras* Regias *trado; Opem vestram implorans, qua in* Regnum *meum* Angliæ *restituar; Fideliter vobis pollicitus: me erga* Celsitudinem *vestram, non aliter affectum iri, quam si Frater vester essem germanus; Atque post* Regni *mei Adeptionem, grate omnia pro viribus meis præstiturum, quæ tanta Me obligatione exsolvere possint.*

Postquam *Perkinus* hanc Declarationem suam finiverat, *Rex Jacobus* generose & prudenter respondit; *Quisquis tandem ille fuerit, fore; ut eum nunquam pœniteret, quod se in manus ejus tradidisset.* Atque ab illo tempore, etsi non deessent, qui persuadere ei conarentur, hæc omnia meras esse præstigias, tamen sive *Perkini* blandis Obsequiis captus; sive in gratiam magnorum illorum *Principum* Exterorum; sive promptus ad arripiendam Belli contra *Henricũ* occasionem, eum excepit in omnibus ac si verus fuisset *Dux Eboracensis*; Caussamque ejus suscepit; Atque (quo magis fidem faceret, se pro magno Principe eum habere, minime autem pro Persona ficta) consensit, ut *Dux* iste *Perkinus*, in Matrimonium duceret, Dominam *Catharinam Gordanam*, prænobilem Fœminam, *Comitis Huntleii* Filiam, *Regique* ipsi Sanguine conjunctam; Virginemque in flore Ætatis, eximiæ formæ, & virtutis.

Non diu post, *Rex Scotiæ* in persona propria, *Perkinum* secum ducens, *Northumbriam* Exercitu magno invasit; licet ex Limitaneis, quos subito coëgerat, maxima ex parte conflato: *Perkinus* autem, pro Suffitu quodam, in locis ad quæ venerat, promulgari fecit Edictum, in tenorem sequentium, sub Nomine *Richardi Quarti, Angliæ Regis.*

P*Lacuit* Deo Omnipotenti (*qui Potentes de Solio eorum dejicit, & Humiles attollit, neque spes Justorum, in exitu perire sinit*) *Nobis tandem benigne indulsisse, ut Armatos nos, Subditis nostris* Angliæ, *ostenderemus. Verum absit, ut eorum Damnum aut Nocumentum cogitemus, aut Bello illos impetere in animo habeamus, aliter, quam ut illos nobiscum una, à Tyrannidæ & oppressione vindicemus. Etenim, Capitalis Hostis noster*, Henricus Tidderus, *falsus Coronæ* Angliæ *usurpator*, (*quæ Jure Naturali & Hæreditario ad nos devoluta est*) *satis sibi conscius de Jure nostro indubitato*, (*cum simus verus* Richardus Quartus Angliæ Rex; *utpote Hæres Masculus, Inclyti & gloriosi* Edvvardi Quarti, *nuper* Regis Angliæ) *non solum Regno nostro nos dejecit, sed omnibus modis pravis, & sceleratis, nos prodere, & vita privare, conatus est. Attamen, si Tyrannis ejus ad Personam tantummodo nostram se extenderet* (*etsi sanguis noster* Regius *Injuriarum sensum adaugeat*) *minus dolore afficeremur. Verum* Tidderus *iste, qui se de Tyranni Excidio jactat, nihil aliud fere ab Introitu in* Regnum *suum maleficio usurpatum, exercet, & executus est, præter Tyrannidem, & Tyrannidis Artes, & Facinora.*

Richardus *enim, Patruus noster impius, etsi Regnandi Cupiditas eum occœcaverit, tamen, in aliis rebus & Actis suis* (*ut verus* Plantagenista) *generosi Animi fuit, & honorem* Gentis Angliæ *adamavit, atque Procerum & populi sui Solatia & Commoda procuravit. Verum Capitalis iste Hostis noster* (*pro Generis sui Ignobilitate*) *Honorem* Gentis Angliæ *conculcavit, Fœderatos nostros charissimos vendendo & Mercaturam quandam Sanguinis & Fortunarum, Nobilium & aliorum Subditorũ nostrorum, exercendo, per Bella ficta & Paces ignominiosas; Non alium ii finem, quam ut Arcas suas thesauris impleret. Neque dissimile extitit odiosum suum Regimen, & malæ versationes domi. Primo enim (ut Caussam suam injustissimam crudelitate muniret) plures ex* Nobilibus Regni, *quos suspectos habebat, sibique infensos, atrocissime necari jussit; veluti charissimum Consanguineum nostrum* Guilielmum Stanlejum *Camerarium*, Simonem Mountfortum, Robertum Ratcliffum, Guilielmum Daubenejum, Humphredum Staffordum; *& complures alios, præter eos, qui vitas suas immani pretio redemerunt: Ex quibus, haud pauci jam in Asylis degunt. Etiam diu in Carcere detinuit, & adhuc detinet, excellentissimum & præcharissimum Consanguineum nostrum*, Edwardum, *Filium & Hæredem patrui nostri*, Dulcis Clarentiæ, *& alios; Eos Possessionibus eorum spolians, in eum finem, ut opibus destituti, nobis, in Caussa nostra justissima, pro Ligeantia & Fidelitate ipsorum, auxiliari non possint. Etiam, per vim & minas, aliquas ex* Sororibus *nostris, necnon* Sororem *prædicti* Consanguinei *nostri*, Comitis Warwici, *atque complures alias prænobiles Fœminas, sanguinis* Regii, *nuptas dedit nonnullis ex Cognatis & Amicis suis, humilis conditionis Hominibus; atque sepositis* Nobilibus, *quibus Patria sua Cordi est: nullos circa se habet, quibus fidit, præter* Foxum Episcopum, Smithum, Brajum, Lovellum, Oliverum Kingum, Davidem Audoenum, Riselejum, Turbervillum, Tilerum, Cholmejum, Empsonum, Jacobum Hobartum, Joannem Cuttum, Garthum, Henricum Wiatum, *& hujusmodi alios Villanos, & Terræ Filios, qui callidis Inventis, & expilatione Populi, præcipua extiterunt Instrumenta, Consiliarij, & Caussæ Malorũ & Calamitatum, quæ nunc ubique regnant in* Anglia.

Nos in memoriam revocantes præmissa, necnon immania & execrabilia Maleficia, assidue perpetrata, per Hostem istum nostrum Capitalem, ejusque Complices, violando libertates & immunitates Sanctæ nostræ Matris Ecclesiæ, *sub Prætextibus mundanis, & quæ* Hominem mere Animalem *sapiunt, non sine summa* Omnipotentis DEI *Indignatione: Cui accedunt multiplices* Proditiones, *nefandæ* Murdra, Homicidia, Latrocinia, Concussiones, Extortiones, *Perpetuæ Populi* Expilationes, *per* Decimas, Tributa, Tallagia, Benevolentias, *& alias à Lege prohibitas* Impositiones, *& graves* Exactiones; *cum multis aliis Factis odiosis, quæ Ruinam & Desolationem* Regno, *in propinquo, minantur; Gratia divina fulti, atque ope & auxilio illustrium Procerũ*, Regij *nostri* Sanguinis, *adhibitis*

etiam

etiam aliorum Hominum prudentium Consiliis, providebimus in posterum, atque ita Rempublicam ordinabimus, ut Merces Regni *nostri nativæ maximo cum lucro impendantur: Commercia* Regni *cum Partibus Exteris ita administrentur, ut in majus emolumentum cedant subditis nostris: & omnes illa (quas recensuimus)* Decimæ, Tributa, Tallagia, Benevolentiæ, Impositiones *& graves* Exactiones, *penitus aboleantur, & in desuetudinem veniant, neque unquam posthac resuscitentur, nisi in illis casibus in quibus Inclyti* Progenitores *nostri* Reges Angliæ, *ab antiquo, Subsidia & Collationes Subditorum, & fidorum Ligeorum, recipere consueverunt.*

Atque ulterius, ex Gratia & Clementia nostra, per præsentes simul promulgamus & promittimus, omnibus subditis nostris, plenam & gratuitam Remissionem & Condonationem, omnium præteritorum Delictorum, & Offensarum, cujuscunque Generis, contra Personam, *aut* Coronam *nostram in adhærendo* Hosti *illi nostro Capitali, à quo satis scimus eos fuisse seductos, si intra tempus conveniens se nobis submittant. Quantum vero ad eos, qui cum primis nobis se aggregaverint, in Defensionem & auxilium Juris nostri, eos tam ampliter sentire faciemus* Regiam *nostram Gratiam, & Munificentiam, ut in magnum solatium cessurum sit, tam illis ipsis, quam suis, & durante ipsorum vita, & post mortem suam. Atque insuper, omnibus viis & modis, quæ* Deus *in manus nostras dederit, ita Sceptra tractabimus, ut omnibus Hominum Gradibus & Ordinibus, Solatia & Beneficia præstemus. Immunitates sanctæ* Ecclesiæ *illæsas conservando, Honores, Privilegia; & præeminentias Nobilitatis nostræ pro dignitate Natalium eorum, à Contemptu & vilipendio vindicando: Item Juga solvemus Subditis nostris universis, Onerum & Gravaminum omnigenum: civitatibus quoq; nostris, Burgis & Oppidis Chartas suas & libertates confirmabimus, & amplificabimus etiam, si merebiuntur. Denique, in omnibus rebus, Subditis nostris occasionem præbebimus, existimandi, fœlix illud & clementissimum* Edvvardi *Inclyti Patris nostri, posterioribus vitæ suæ Annis,* Regimē, *in nobis revixisse.*

Quoniam vero, Mors, aut Captivitas, prædicti Hostis nostri Capitalis, multæ Sanguinis Effusioni parcere possit, aliter proculdubio secuturæ, si Terrore, aut Promissis, complures ex subditis nostris in Partes suas contra nos pertraxerit, quod protinus evitare cupimus (etsi pro certo informemur, prædictum Hostem nostrum, decrevisse, jamque in procinctu esse, quo è Regno aufugiat, magnis Thesauris Coronæ *nostræ, in exteras Partes, jamdudum transmissis, ut copiosius vitam in exilio sustentare possit) per præsentes edicimus, si quis Hostem illum nostrum ceperit, aut afflixerit, (qualiscunque demum fuerit Conditionis qui hoc fecerit) eum remuneratum iri, mille Libris Pecuniæ, in manus suas statim numerandis: atq; insuper centum Mercis Redituum per Annum; sibi & Hæredibus suis concedendis in perpetuum: præterquam quod* DEO, *& omnibus Subditis bonis, rem gratam faciet, ejusmodi Tyrannum tollendo.*

Postremo omnibus notum facimus, Deumque *omnipotentem testamur: Cum* Deus *Cor charissimi* Consanguinei *nostri,* Regis Scotiæ, *excitaverit, quo huic causæ nostræ justissimæ, in propria Persona sua adesset: Hoc ab eo factum esse absque aliquo pacto, & promisso, aut etiam postulato, in præjudicium* Coronæ, *aut Subditorum nostrorum: sed contra, Fide data, ex parte dicti* Consanguinei *nostri, se, quandocunque nos invenerit, satis virium habere, ad Hostem nostrum debellandum, (quod speramus brevi futurum) confestim, pacifice in* Regnum *suum reversurum: Gloria tantum tam egregij Incœpti contentum, una cum vero & fido nostro Amore & Amicitia. Quam, (Gratia divina aspirante) ita semper dispensabimus, & fovebimus, ut magno solatio futura sit utriusq;* Regni subditis.

Hujus *Edicti* Originale Scriptum, reponitur in Bibliotheca *Roberti Cottoni*, Equitis Aurati, Eximii saue Conservatoris & Thesaurarii Antiquitatum rariorum: Cujus Manuscripta magnam nobis præbuerunt Informationis Lucem, ad hoc Opus conficiendum.

Verum *Edictum Perkini* Populum *Angliæ* parum permovit: Neque gratior erat ejus adventus, propter Consortium illius, cum quo venerat. Itaque *Rex Scotiæ*, animadvertens, neminem ad *Perkinum* venire, neque alicubi in favorem causæ eius se armare, Bellum in Incursionem vertit, & Provinciam *Northumbriæ*, Gladio & Incendiis vastavit, & diripuit: Verum, postquam audisset, Copias contra se venire; neque volens Homines suos spoliis onustos, & graves deprehendi, in *Scotiam*, cum præda ampla rediit: Incœpti prosecutionem in aliud tempus differens. Traditum est, *Perkinum*, personam Principis probe imitantem, cum videret *Scotos* Regionem illam depopulantes, queribundum, ad *Regem* accessisse, eumque obsecrasse: *Ne Bellum in eum modum gereretur: Sibi enim nullam Coronam tam charam esse, ut eam Patriæ suæ sanguine & Ruina, redimere vellet.* Cui *Rex Scotiæ* fere per *Ironiam* respondit: *Se multum vereri, quod de re non sua sollicitudinem susciperet: Quodque ipse nimis providus villicus Hosti futurus esset, si Regionem in usus ejus servasset.*

Per hoc tempus, Annum scilicet *Regis* undecimum, Interruptio Commercii inter *Anglos* & *Flandros*, cœpit Mercatores utriusque *Nationis* graviter pungere. Majorem igitur in modum cōmoti, omnem Lapidem moverunt, ut *Principes* suos respective flecterent, ad Commercium illud denuo aperiendum, qua in re Tempus iis favit. Cœperunt enim jam *Archi-Dux* & Consiliarii sui, cernere, *Perkinum* Erronem, & Colmopolitam inventum iri: Quodque puerorum esset, circa pupas, rixari. Quin & *Rex* ipse HERRICUS, post Impressiones illas *Perkini*, in *Cantium* & *Northumbriam*, factas, & frustratas, *Perkini* Negotium minus æstimare cœpit: Adeo ut, aliquo Consilio status, ejus rationem habere, consentaneum non putaverit. Verum, quod eum maxime movit, illud fuit, Quod cum *Rex* esset, Thesauri & Opum appetentissimus, pati non potuerit, Commercium tanquam Atrophia languescere; Aut ullam manere Obstructionem in *Vena porta*, per quam Sanguis ille flueret. Attamen Majestatem suam eo usque tuebatur, ut se rogari primum vellet. Quinetiam *Mercatores, qui Adventuarij*, dicebantur (Quorum Societas tunc opulentiâ floruit, & magno Locupletum numero, & bonis Contributiónibus corroborata erat)

erat) nihil humile fecerunt, sed Nativas Regni Merces coëmerunt, etsi in manibus suis, veluti mortuæ, jacerent, Exportatione cessante. Tandem *Londini* convenêre Delegati ex utraque parte, qui de negotia tractarent. Ex parte *Regis Foxus Episcopus Privati Sigilli Custos; Vice Comes Wellensis; Kandallus Prior Sancti Iohannis; Warrhamus Custos Rotulorum*, qui in *Regis* Gratia, & bona opinione, indies magnopere proficiebat; *Ursvvicus*, qui in omnibus fere negotiis adhibitus est; & *Riselejus*. Ex parte *Archi-Ducis, Dominus Beverus Admirallius* ejus: *Dominus Verunsellus Præses Flandriæ*: & alii. Hi Tractatum ad Exitum perduxerunt, tam de Amicitia, quam de Commercio, inter *Regem* & *Archi-Ducem*; Articulos complectêtem, tum Status, tum Commercii, & liberæ Piscationis. Hic est ille Tractatus, quem *Belgæ*, in hodiernum diem, vocant *Intercursum magnum*; Tam quia omnibus numeris suis magis esset absolutus, quam Tractatus præcedentes: tertii & quarti Annorum *Regis*; Præcipue vero, ad discrimen alterius Tractatus, qui secutus est, Anno vicesimo primo *Regis*, quem *Incursum malum* vocant. In hoc Tractatu continebatur Articulus expressus (Ne alteruter *Princeps* alterius Rebelles reciperet) in hunc tenorem; *Ut si alter ex Principibus, à Fœderato suo, Rebellem aliquem suum, sibi tradi petiisset, statim Fœderatus ille, eum è Territoriis suis excedere Edicto juberet. Cui nisi Rebellis intra quindecim dies paruisset, statim pro Proscripto esset.* Verum in isto *Articulo*, *Perkinus* nominatus non est, nec fortasse inclusus, quia Rebellis non erat; Sed tamen per hoc, Alæ ejus succisæ erant, quatenus ad Sequaces suos ex *Anglia*. Quin insuper, in *Tractatu* disertis verbis insertum erat, ut hæc Prohibitio, ad Territoria *Ducissæ Viduæ*, extenderet. Post Commercium redintegratum, *Mercatores Angli*, in Sedem suam *Antvverpiæ*, redierunt; ubi *Solenni Processione*, & insigni lætitia excepti sunt.

Hyeme sequente, nimirum Anno duodecimo *Regis*, *Rex* Comitia sua iterum convocavit, in quibus majorem in modum questus est, de malitia *Regis Scotiæ*, & de crudeli ac prædatorio Bello, quo *Angliam* invaserat. *Regem* illum, qui Fœdere sibi junctus esset, & nulla re à se provocatus, tanto erga se odio arsisse, ut Fæces *Perkini* Intoxicationis epotaverit; quos jam cæteri omnes ubique abjecerant, & despexerant; Cumque vidisset, supra vires suas esse, ut *Regi* noceret, Arma sua in Inermes & Imperatos vertisse, spoliando & depopulando Agros; contra Jura, & Pacis, & Belli: Orationem autem suam claudebat, se non posse, absque Honoris sui jactura, & Subditorum suorũ periculo (quibus Protectionem debebat) Injurias illas inultas pati. *Comitia*, quid *Rex* sibi vellet, satis intellexerunt, eique *Subsidium* concesserunt, limitatum certe, sed tamen amplissimum, ad Summam videlicet centum & viginti Mille Librarum, una cum Quindecimis duabus. Bella enim *Regis* HENRICI, ei semper fuerunt instar Mineræ cuiusdam admirabilis, quæ Ferrum habebat in summo, Aurum vero & Argentum in Fundo. His *Comitiis*, (quia Anno superiore tantum temporis in ferendis Legibus impensum fuit; atque etiam, quia hæc *Comitia* ob *Scotiæ* Bellum solummodo convocata erant) nullæ *Leges* memoria dignæ sancitæ sunt: Præter unam, quæ perlata est, ad Instantiam *Mercatorum Adventurariorum* per *Angliam* sparsorum, contra *Mercatores Adventurarios Londinenses*, propter Monopolim quoddam, & Exactiones novas, Mercibus impositas. Quod, ut videtur, à *Londinensibus* factum est, ut sibi paulum subvenirent, post dura tempora, quæ sustinuerunt, ob Defectum Exportationis. Verum Novitates illæ à *Parlamento* sublatæ sunt.

Sed *Regi* fatale erat, pro pecuniis suis dimicare. Etsi enim pugnam cum Hostibus exteris devitaret, tamen semper pugnare compulsus est cum Rebellibus domi. Quam primum enim cœpit *Subsidium* exigi in *Provincia Cornubiæ*, Populus confestim murmura, & verba odiosa jactare cœpit: Cum *Cornubienses*, Genus hominum essent, Animis obstinatum, Corporis compage, & viribus robustissimum, quique duriter in terra sterili degerent; Quinetiam complures ex iis (si necessitas postularet) sub terra vivere poterant, cũ Stannarii essent. Illi immaniter frendebant. Rem esse prorsus non tolerabilem, ut propter pusillos motus *Scotiæ*, cito dissipatos, ipsi ad pulverem usque Exactionibus permolerentur: Quin & vociferabantur, Solutiones ejusmodi iis competere, qui haberent quod solvere possent, quique vivebant otiose; Se vero panem, quem in sodore vultus parassent, plane comesturos: neque quenquam eum ipsis erepturum. Quemadmodum autem accidit, ut cum Æstus Populorum sævire incipiant, non desint plerunque venti turbidi, qui eos majorem in modum exagitent; ita Populus iste, in duos incidit Antesignanos, & Rebellionis Faces, Alter erat, nomine *Michael Josephus*, *Faber Ferrarius*, ex villa *Bodmini*: Nebulo audax & loquax, & qui Infirmorum Sermonibus celebrari gestiebat. Alter erat *Thomas Flammockus*, Jureconsultus, qui multum apud vicinos suos poterat, quia scilicet, cum de Jure consuleretur, Legem ab eorum parte stare, fere semper responderet. Iste Sciolus erudite loqui volebat: quasi modum teneret, quo Rebellio possit iniri, absque violatione Pacis. Populum autem magno cum supercilio edocuit, Subsidia in hoc præsenti casu, jure concedi non potuisse: hoc est, propter Bella *Scotiæ*, (quia *Lex* aliud excogitaverat Remedium, nimirum *Servitium Scutagij*; pro hujusmodi Expeditionibus) multo minus, cum rebus satis pacatis, Bellum tantum prætexebatur, ad expilandum Populum. Itaque consentaneum esse, ut neutiquam starent tanquam Oves coram Tonsore, sed se armarent, & Tela arriperent: Ita tamen, ut nulli creaturæ nocumentum infligerent, sed tantum *Regis* petitionem, valida manu, porrigerent: ut ejusmodi graves Exactiones revocaret: Atque eos, qui Consilii ejus Auctores fuerant aut Suasores, supplicio afficeret: quó cæteris metus incuteretur, ne similia in tempus futurum auderent. Atque pro sua parte, non videre se, quomodo officio *Anglorum* fidelium, & bonorum Ligiorum, satisfacere possent, nisi *Regem* à tam perniciosis Consiliariis liberarent, qui tam ipsum, quam Populum suum protinus eversuri essent. Innuebant *Cardinalem Mortonum*, & *Reginaldum Brajum*, qui *Regi* Umbellæ in hujusmodi rebus erant.

Postquam isti duo *Flammockus*, & *Faber Ferrarius*, garrulitate sua, partim publice, partim secreto, aures Populi implessent, & Animos vulgi inclinatos, & promptos ad Consilia sua, invenissent,

sent, se pro Ductoribus populo offerebant, donec alii viri eminentioris gradus, à partibus suis se declararent, quod brevi fore dixerunt: Se vero nihil aliud quam servos ipsorum futuros; in periculis tantum primos: Minime vero dubitare, quin Fines extremi, Occidentales & Orientales *Angliæ*, in tam justa caussa concursuri sint: quodque universa ista (si quis recte rem intelligeret,) pro *Regis*, servitio, & bono, facerent. Populus hujusmodi seditiosis sermonibus instigatus, Arma sumpsit (plurimis eorum, Arcus & Sagittas, & Falces, atque hujusmodi Agrestium Tela gestantibus) & continuo sub Imperio *Ductorum* suorum (quod Imperium in hujusmodi casibus semper tenetur ad bene-placitum populi) è *Cornubia*, per *Devoniam*, usque ad Oppidum *Tauntoni*, in *Provincia Sommersettensi* perrexerunt, sine ulla cæde, violentia, aut Præda. Apud *Tauntonam* autem cœstro perciti, unum ex Exactoribus Subsidii rigidioribus, qui appellatus est *Præpositus Perkini*, trucidarunt. Inde profecti sunt *VVellesiam*, ubi *Baro Audlejus*, (cum quo Ductores Rebellium Consilia antea secreto miscuerant) Vir nobilis, ex antiqua prosapia, sed Ingenio turbido, & in ruinam propiam aspirante, se cum illis conjunxit; atque ab illis lætis clamoribus, pro *Imperatore* ipsorum, agnitus fuit; Animos jam novos sumentibus ipsis; cum senserint se ab uno ex Proceribus duci. *Dominus Audlejus*, *VVellesia Salisburiam*, *Salisburia VVintoniam*, eos duxit. Inde Stultus Populus, (qui scilicet *Ductores* suos ducebat) omnino in *Cantium* duci volebat; secũ fingentes Populum *Cantij* sibi hæsurum, insulsissimo prorsus Consilio: Cum *Cantiani* nuper magnam Fidelitatem & Animi promptitudinem erga *Regem* ostendissent. Verum fatuus ille Populus audierat *Flammockum* dicere, *Cantium* nunquam fuisse subjugatum; Atque *Cantianos* fuisse homines, inter *Anglos*, in Libertate asserenda acerrimos. Atque his frivolis sermonibus, magna de iis sibi promiserant, in Caussa, quam pro libertate Subditorum susceptam credi volebant, Sed cum in *Cantium* venissent, *Provincia* illa adeo bene composita erat, & sedata, tam recenti *Regis* erga eos Comitate, quam Auctoritate & Existimatione *Comitis Cantij Baronis Abergavenny* & *Baronis Cobham*, ut ne unus quidem, sive ex Eminentioribus, sive ex Inferioribus, ad eos accederet. Quod haud parum terruit, & fregit multos ex iis, qui minus erant contumaces: Adeo ut ab exercitu aufugerint, & domum redierint. Verum Pertinaciores, quique se promptissimos in caussa declaraverint, persistebant; & superbiebant potius quam Animos submittebant. Quemadmodum enim illud nonnihil eos terrebat, quod nemo se iis adjungeret; ita & spiritus addebat, quod Copiæ *Regis* minime eos invaserant; cum ab Occidentali ad Orientalem Extremitatem *Angliæ* pertransissent. Itaque Profectionem suam continuarunt, & castrametati sunt super *Blackheath* inter *Grenovicum* & *Elthamam*: minantes se, aut cum *Rege* prælium conserturos (jam enim Fluctus se altius quam ad *Mortonum* aut *Brajum* extulerunt) aut *Londinum*, in Conspectu ejus, capturos: Sperantes se in *Urbe* inventuros, non minus Formidinis, quam Opulentiæ.

Sed ut ad *Regem* revertamur. Cum primum certior factus esset, de Insurrectione *Cornubiensium*, propter Levationem *Subsidii*, majorem in modum commotus est: Non rei ipsius ergo, sed propter aliorum periculorum, quæ eodem tempore ei impendebant, concursum. Metuebat enim, ne bellum è *Scotia*, Rebellio illa ex *Cornubia*, & conjuratio *Perkini*, ejusque sequacium, simul in eum ingruerent: Satis gnarus, periculosam esse eam Monarchiæ Triplicitatem, cum Bellum Externum, Rebellio Intestina, & Competitor Titularis, simul impendeant. Attamen, Occasio eum ex parte invenit paratum, Simul ac enim *Comitia* soluta fuissent, *Rex* potentem Exercitum coëgerat, quo *Scotiæ* Bellum inferret. Quin & *Rex Scotiæ Jacobus* similiter magnas Copias instruxerat: vel quo Regnum suum defenderet, vel quo Regnum *Angliæ* iterum invaderet. Verum *Regis* HENRICI Copiæ, non solum præparatæ erant, sed plane in procinctu, sub Ductu *Daubeneij*, *Camerarij* sui. Sed audita rebellione *Cornubiæ*, *Rex* eas Copias apud se tenuit, ad Præsidiũ suum proprium. Attamen interea *Comitem Surriæ* in partes *Boreales* celeriter misit, ad Defensionem, & Robur earum Regionum, si forte *Scoti* aliquid molirentur. Verum quoad modum suum cum Rebellibus procedendi, is longe diversus erat, à præcedente sua consuetudine, & Practica, quæ semper fuit, cum magna alacritate, & celeritate conjuncta; solebat enim eis sine mora resistere, aut etiam eos adoriri. Hoc ei prius in more fuerat. Verum nunc, præterquam quod erat ætate provectior, minusque periculorum appetens, propter diutinam fruitionem *Regni*, tempus ejus generis fuit, ut varia periculorum facies, diversæ Naturæ, & à Partibus diversis, eum in hoc consilium adduceret, ad vires suas unitas conservandas, in Sede & Centro *Regni*: Secundum vetus illud *Indorum* Emblema, in rebus tam tumidis: *Manum in medium vesicæ imponere, ut neutrum latus insurgeret.* Præterea, nulla ei incumbebat necessitas, propter quam ab hujusmodi Consilio decederet. Neque enim Rebelles Regiones depopulabantur, quo casu parum ei honorificum fuisset Populo non succurrere: Neque, ex altera parte, eorum Copiæ ulla accessione augebantur; Quæ eum moveret, ut properaret, & rem præcipitaret, antequam in vires nimias excrescerent. Postremo, & status, & Belli Rationes, ab hoc constare videbantur; quia Motus populares plerunque magis furiosi sunt in principio. Atque insuper, hoc modo, eos plus in arcto habebat, & magis sibi obnoxios, cum longe à Patria sua remoti essent; ideoque fieri non poterat, ut domum se reciperent, & Motus fortasse renovarent.

Cum igitur Rebelles (ut dictum est) super Collem de *Blackheath*, castrametati essent, unde conspicere possent Urbem *Londini*, & pulcherrimam Vallem circumjacentem: *Rex* secum reputans, plurimum honoris sui interesse, ut quo magis in iis adoriendis rem hactenus distulisset, eo citius Prælium consereret, ne Cunctatio illa ex aliqua tepiditate, sed ex prudentia, & opportuna temporis electione, provenisse videatur; decrevit, omni mora seposita, cum iis congredi; hocq; nihilominus, ea cum providentia, & circũspectione,

ut

ut parum Fortunæ relinqueret. Cumque amplissimas Copias coëgisset, quo magis omnia Accidentia in ordinem redigeret, eaque veluti superior regeret, illas trifariam divisit. Atque exercitus primus, à *Comite Essexiæ & Suffolciæ*, ducebatur. His datum est in Mandatis, ut cum Turmis aliquot Equitum, & Peditum Cohortibus, & Tormentorum firmo apparatu, collem circumirent, ubi Rebelles castrametati fuerunt, seque ultra eos sisterent; Omnesque Collis Fimbrias, & Declivia obsiderent; præter ea, quæ versus *Londinum* patebant; ut Feræ istæ, tanquam indagine, clauderentur. Secundum exercitum (qui maxime in pugnam venturus esset; & in cujus Manu fortuna prælij ejus diei maxime sita foret) *Domino Camerario* attribuit: Cui præceperat, ut à fronte Rebelles invaderet, ex ea parte, quæ *Londinum* prospiciebat. Tertium Exercitum, maximum certe & instructissimum, circa se retinuit; ut in omnes Eventus paratus esset, vel ad pugnam instaurandam, vel ad victoriam consummandam, atque interim, ut *Urbs* in securo esset. Atque in eum finem, castrametatus est ipse, in *Campis S. Georgii*, ut se medium poneret, inter Rebelles, & *Urbem. Civitas* autem *Londini*, præcipue sub initiis, cum Rebelles tam prope castrametatos cerneret, magno tumultu egit: Ut fieri solet in opulentis & populosis *Civitatibus* (præsertim iis, quæ Regionum suarum tanquam Reginæ sint) quæ raro admodum ex fenestris aut turribus ipsarum, Hostilem Exercitum vident. Verum, quod maxime eos pupugit, illud erat, quod cum incondita turba rem habituri essent, cum qua nulla erat Compositionis, aut Conditionum, aut legitimi alicujus Tractatus spes, si opus esset; sed quæ in rapinas, & prædam, ruitura videbatur. Etsi enim audiissent, Rebelles in Itinere suo, se pacate & modeste gessisse; tamen male metuebant, hoc ipsorum temperamentum, non diu duraturum: sed potius hoc ipsum eos acuere posse, ad spolia in fine captanda. Itaque Populus *Londinensis*, perpetuo huc illuc cursitabat, alij ad Portas, alij ad Muros, alij ad littora Fluvii; sibi ubique metus, & *Panicos Terrores* injiciendo. Nihilominus *Prætor Civitatis Tatus*, nec non *Shanus & Haddodonus Vice-Comites*, officio suo strenue & fortiter functi sunt, in populo armando & instruendo. Quibus *Rex* adjunxit nonnullos ex viris Militaribus, qui Cives consilio & opera juvarent. Verum haud multo post, cum intellexissent Cives, *Regem* ita rem administrasse, ut necesse foret Rebelles ter Victores evadere, antequam ad Civitatem appropinquarent; Quodque Personam suam propriam, inter eos & Rebelles, mediam stitisset; Quodque cura major esset Rebelles circumcludendi, ne aliquis eorum effugeret, quam quod de victoria in ipsos omnino dubitatio subesset, tumultuari destiterunt. & se in tuto esse credebant. Eo magis, quod magnam fiduciam habuerunt, in tribus Ductoribus, *Comitibus Oxoniæ*, & *Essexiæ*, & *Daubenejo*, qui omnes celebrati & gratiosi fuerunt apud populum. Quantum vero ad *Iasparum Ducem Bedfordiæ* (quem *Rex* Bellis suis præficere solebat) tunc temporis ægrotabat, neque diu superstes uit.

Dies Prælii insecuti fuit vicesimus secundus *Junii*, & *Dies Saturni*, (quem Diem Hebdomadæ *Rex* pro fausto ducebat) etsi *Rex* qua poterat Arte, falsum Diem in vulgus jecerat; Ac si in animo haberet, Rebelles proximo *Die Lunæ* invadere, quo magis eos imperatos, & Ordinibus solutos, deprehenderet. Nobiles illi, quibus ea pars Belli assignata erat, ut Collem circumsepirent, aliquot ante dies in locis opportunis sestiterunt. Rebelles intercepturi. Tempore autem pomeridiano, Die paulum declinante, (quod factum est, ut Rebelles certius crederent se eo die non conflicturos) *Daubenejus* contra eos Copias duxit: Ac primo Cohortes aliquot à Ponte *Detfordiensi*, retro se recipere compulit, licet fortissime & acerrime pugnassent. Sed cum Numerus eorum haud magnus esset, se ad Aciem ipsam, quæ in colle morabatur, receperunt. At Exercitus Rebellium, audito quod Copiæ *Regis* jam adessent, Ordines suos instruebat, sed non sine magna confusione. Verum neque Copias, ut ratio Belli postulabat, in primo Collis ascensu versus Pontem collocaverunt, quæ iis Subsidio essent, quæ Pontem custodirent: neque Exercitum suum promoverunt, ad acclivia Collis, ubi iniquo loco, à *Regis* Copiis, pugnam conseri, necessum fuisset; : sed in planitie Collis procul instruxerunt. Ita ut *Daubenejus* Collem ascenderet, & æquo loco se sisteret, antequam ei resisteretur. *Daubenejus* eos ferociter admodum adortus est, ita ut Fortuna ejus Diei periclitaretur. Etenim cum in fronte Copiarum suarum, oblitus salutis suæ, temere dimicaret, à Rebellibus captus est, sed statim ereptus. Rebelles pugnam, in breve tempus, sustinebant, neque ignave rem gesserunt: Sed cum male armati essent, & sub *Ducibus* imperitis, neque ab Equitatu aut Tormentis instructi, absque difficultate magna devicti, & in fugam conjecti sunt. Quantum vero ad tres illos *Ductores* suos, *Audlejum* scilicet, *Fabrum Ferrarium*, & *Flammockum* (ut fere Popularium Motuum Auctores ignavi sunt, & semifortes) illi se vivos capi sustinuerunt. Numerus Occisorum, ex parte Rebellium, fuit circa bis mille hominum, cum totus eorum Exercitus numerum sedecim Millium, (ut dictum est) complesset. Reliqueplerique omnes capti sunt, cum Collis, undiquaque, *Regis* Copiis obsessus esset. Ex *Regis* parte trecenti circiter occubuerunt: Plurimi eorum Sagittis confixi, quæ Sagittæ, ut fama ferebat, longitudinis erant virgæ scissoriæ; Tam potentibus scilicet Arcubus *Cornubiensis* usi sunt.

Victoria in hunc modum parta, *Rex* complures *Equites Banarettos* creavit; Tam in Colli de *Blackheath*, ubi *Locum-tenens* ejus prælio vicerat, (quo ipse Equo vectus est, ut Ceremoriam illam præsens præstaret;) Quam in *Campis Georgianis*, ubi ipse castrametatus fuerat. Quantum vero ad Munificentiam, aut Donativa, edixit, ut omnia Prælio-Captorum Bona, iis, qui illos ceperant, cederent: sive in specie, sive per viam Redemptionis. Honores & Munificentiam Severitas & Supplicia secuta sunt. *Baro Audlejus* à Carcere de Porta nova, ad Collem *Turris* ductus est; In Tunica papyracea, Insignibus suis depicta; Insignibus autem reversis, & Tunica lacerata; ibique decapitatus est. *Flammockus*, & *Faber Ferrarius* ad

ad Furcas de *Tiburne* super crates tracti, suspensi, & deartuati sunt: *Fabro* etiam super Cratem, ut ex verbis ejus nonnullis perspicere licebat, gestiente, se temporibus futuris memorabilē fore. *Rex* paulo ante constituerat, *Flammockum* & *Fabrum* in *Cornubiam* remittere, ut ibi in majorem terrorem supplicio afficerentur: Sed certior factus, Provinciam illam adhuc intumescere, secunda usus cogitatione, populum neutiquam irritare, consultius putabat. Reliquis omnibus Edicto *Rex* veniam largitus est: cujus Diplomata sub magno Sigillo procurare poterat, qui vellet. Ita ut, excepto Sanguine, quem prælium hauserat, *Rex* sibi satisfieri passus sit, trium tantummodo hominum supplicio, ad tantæ Rebellionis expiationem.

Erat profecto res mira, *Regis* illa inæqualitas & Alternatio, in infligendis Suppliciis, & spargendis Gratiis. Ac primo quidem Intuitu, rem quis sorte aut casu gubernari putaret? Verum si magis à prope introspiciat, reperiet magna ratione factum fuisse: Majore fortasse, quam post tantum temporis Intervallum, notari jam queat. Motu *Cantiano*, (cum Manipulus tantum Rebellium esset,) ad numerum centum & quinquaginta morte mulctati sunt: At in hac Rebellione tam numerosa, homines tres tantum; Sive illud in caussa fuerat, quod *Rex* satisfactum in parte putaret, sanguine in Acie effuso; Sive quod in Caussa populari severius agere inconsultum arbitraretur; Sive quod Populi istius Innocentia quædam, (cum Longitudinem *Angliæ* emensi essent, fere absque maleficio, vel præda,) Cor *Regis* aliquantum emollisset, & ad Misericordiam flexisset; Sive deniq;, quod res magni discriminis putaret, Rebellionem ex Lascivia, & Rebellionem ex Inopia.

Post *Cornubienses* devictos, venit *Caleto* ad *Regem* honorifica Legatio, à *Rege Galliæ*; Quæ *Caletum* accesserat ante mensem; Ibique propter perturbationes Regni remanserat, sed honorifice admodum, & impensis *Regis* HENRICI, excepta.

Rex, sub primum eorum ad *Caletum* Adventum, ad eos misit; Rogans ut ibi paulisper manerent, donec Fumus pusillus, qui in Regno suo excitatus erat, dissiparetur: Quod propediem fore non dubitaret: More suo illud palam contemnens, cui nihilominus serio incumbebat.

Legatio ista negotium alicujus magni Momenti non ferebat, sed tantum procrastinationem petebat Diei, ad solutionem pecuniarum, præfixi; Una cum aliis quibusdam particularibus, quæ ad *Limitaneos* spectabant. Et revera, nihil aliud fuit ista Legatio, quam Blanditiæ, ad *Regem* Comitate deliniendum, ut amice erga *Gallum* affectus esset: Sed nihil in ea tractatum est, ad præjudicium Fœderis cum *Italis* icti.

Verum, durante tempore Profectionis *Cornubiensium*, versus *Londinum*, *Rex Scotiæ* (bene de Rebus *Anglicis* informatus, certusque sibi Bellum instare ab *Anglis*, quamprimum illæ turbæ consedissent) opportunitatem non amisit: Sed *Regem*, satis implicatum credens, Fines *Angliæ*, iterum cum Exercitu, ingressus est; Atque ipse præsens Castellum *Norhami* obsedit, cum parte tantum Copiarum, reliquis ad Agros depopulandos immissis. Verum, *Foxus Episcopus Dunelmensis*, (vir prudens, quique per præsentia ad Futura, acri Judicio, penetrare poterat,) hoc ipsum previdens, Castrum illud suum *Norhami*, Tormentis atque Apparatu Bellico omnigeno instruxerat atq; muniverat; Quinetiam Præsidium Militum fortissimorum, magno numero in eo collocaverat, magis quam pro Castri magnitudine; Expectans potius Insultum acrem, quam obsidionem longam. Populum præterea Regionis, cum Pecoribus & Bonis suis, in loca tuta, & prærupta, se recipere, ante jusserat: Et equis citatis, ad *Comitem Surriæ*, (qui, in Provincia Eboracensi, non procul aberat,) literas misit, ut celeriter subveniret. Ita ut, *Rex Scotiæ*, & Incœpto suo contra *Castellum*, intercideret, & Militibus prædam satis jejunam compararet. Ac postquam intellexerat *Comitem Surriæ*, cum magnis Copiis adventare, in *Scotiam* rediit. *Comes*, cum Castrum liberatum, & Hostem retrocessisse comperisset, in *Scotiam* celeriter perrexit: sperans se *Regem Scotiæ* assecuturum, ut prælio cum eo decertaret. Verum cum tarde venisset, *Castrum Atoni*, (quod inter *Barwicum* & *Edingburgum* pro munitissimo habebatur) obsedit, illudque intra paucos dies cepit. Sed paulo post, *Rege Scotiæ*, in Interiora *Regni* sui se recipiente, cumque tempestas Anni esset præter modum procellosa, & aspera, *Comes* in *Angliam* reversus est. Adeo, ut Summa Expeditionum utrinque, nihil aliud esset, quam Castrum captum, & Castrum oppugnatum. Sicque Res gestæ, nec Copiarum Viribus, nec Odiorum Fervori, nec Expectationis Magnitudini, respondebant.

Inter hos Tumultus, & intestinos, & exteros, ex *Hispania* in *Angliam* venit, *Petrus Hialas*, (nonnulli eum *Eliam* dixerunt;) Sane Præcursor fuit Fœlicitatis, qua hodie *Anglia* fruitur. Legatio enim ejus Inducias inter *Angliam* & *Scotiam* induxit; Induciæ Pacem; Pax Matrimonium; Matrimonium vero Regnorum Unionem. *Hialas* iste vir prudens fuit, atque (pro ratione temporum illorum) non ineruditus: Fuit autem à *Ferdinando* & *Isabella*, *Regibus Hispaniæ*, missus ad *Regem* HENRICUM; ut tractaret de Nuptiis, inter *Catharinam* Filiam eorum secundo-genitam, & *Arthurum Principem*. Tractatus iste, dexteritate Legati, non segniter promotus, quin & fere ad Maturitatem perductus fuit. Verum contigit interim, ut Colloquio quodam, quod ei cum *Rege* circa Negotium *Hispaniense* intercessit. *Rex* (cui proprium erat in Sinus Legatorum, Principum exterorum, illabi, si viri ipsi ei placuissent: Ita ut, haud raro, de Negotiis propriis, cum illis deliberare soleret; Quin & eorum nonnunquam opera uti;) obiter inciderit in sermones, de Rebus componendis cum *Scotia*. Etenim *Rex*, naturaliter, sterilia illa cum *Scotis* Bella, non amabat; etsi commodum interdum, è fama eorum, eliceret. Neque defuerunt ei in Concilio *Scotiæ*, qui parati erant *Regi* suo vicissim persuadere, ut eandem viam iniret, & Bellum cum *Anglia* finiret; Amorem Patriæ prætexentes, sed secreto Rebus HENRICI faventes. Solummodo, spiritus nimis altos gerebat HENRICUS, quam ut primus pacis mentionem facere sustineret. Ex altera parte, Affinem talem comparaverat, *Ferdinandum* scilicet *Arragoniæ*, qualem optare poterat. Postquam enim ille *Rex*, certus jam Matrimonii conficiendi, Personam Fraterni affinis in se suscepisset, non dubitabat (*Hispanica cum gravitate*) *Regi*, in rebus suis propriis, consilia

præbere. *Rex* quoque, ex altera parte, sui non immemor, sed aliorum Mores in rem suam vertere consuetus, usus est hoc, quo diximus. *Arragoniensis* Ingenio, ad negotia, quæ HENRICUS ipse, aut se minus decere, aut apud alios minus grata fore, cognoverat. Itaque libenter assensit, ut *Hialas* (tanquam in re, ex motu proprio nata,) de Concordia cum *Scoto* tractaret, eamque ob caussam in *Scotiam* proficisceretur. *Hialas* negotium suscepit, atque ad *Regem* profectus, postquam multa Arte id effecisset, ut *Rex Iacobus* ad consilia saniora propenderet, scripsit ad *Regem* HENRICUM, se minime dubitare, quin pax facile coalescere & coagmentari possit; si *Rex* aliquem ex Consiliariis suis, prudentem & moderatum, ad *Regem Scotiæ*, de Conditionibus Pacis tractandis, mitteret. Itaque *Rex Episcopum Foxum*, (tunc apud Castrum suum *Northami* manentem,) misit, ut cum *Hiala* colloqueretur; Atque post, uterque cum Delegatis *Regis Scotiæ*, tractarent, Delegati utrinque convenerunt: Sed post multas Disceptationes de Conditionibus Pacis, modo ab uno ex *Regibus*, modo ab altero propositis, de Pace quidem concludere nequiverunt. Præcipua causa, propter quam transigi non potuit de pace, fuit *Regis* HENRICI postulatum, ut *Perkinus* in manus suas traderetur, tanquam *Regum* omnium Contumelia, & Persona *Iure Gentium* non privilegiata. *Rex Scotiæ*, ex altera parte, hoc facere constanter recusavit, dicens, se pro sua parte, de Titulo *Perkini*, Judicem non esse competentem; Verum se eum recepisse ut Supplicem; protexisse ut Profugum; Cum Consanguinea sua desponsasse; Atque Armis suis juvasse, cum crederet eum verum Principem fuisse. Itaque nunc prorsus non posse, salvo suo Honore, ita dissuere; & quodammodo mendacii arguere, omnia quæ ante à se dicta & acta essent, ut eum in manus Hostium traderet. *Episcopus* similiter, (qui Mandata quædam à *Rege* superba acceperat, saltem in fronte eorum, etsi in pede inserta fuisset clausula mollior, quæ omnia ad *Episcopi* Arbitrium rejiceret, etiam dissertis verbis præcipiens, ut nullo modo pacis spem abrumperet,) postquam Traditio *Perkini* ei denegata fuisset, alterum Articulum, quem in mãdatis habebat, proposuit: Ille fuit, ut *Rex Scotiæ*; cum *Rege* HENRICO, apud *Novum Castrum* congredi, & in Colloquium venire vellet. Hoc ubi *Regi Scotiæ* relatum est, respondit; *Se pacem tractare velle, non emendicare. Episcopus* etiam, (ut ei insuper erat in Mandatis) Restitutionem urgebat spoliorum per *Scotos* captorum, vel saltem compensationem eorum. Verum Delegati *Scotiæ* responderunt: *Ea esse instar Aquæ in Terram effusæ, quæ recolligi non posset; quodque Subditi* HENRICI *facilius possent Damna illa tolerare, quam* Rex Scotiæ *ea persolvere*. Attamen in fine (ut Homines moderati & Rationi non recalcitrantes,) Recessum potius quendam ad tempus fecerunt, quam Tractatum interruperunt, & in Indicias, pro certis Mensibus, consenserunt. Sed *Rex Scotiæ*, etsi Judicium suum formaliter de *Perkino* retractare recusasset, quod tantis pignoribus obstrinxerat: Tamẽ, intra secreta animi sui, frequentibus *Anglorũ*, quos circa se habebat, Sermonibus, & aliis diversis Relationibus motus, cœpit eum pro *Impostore* ducere. Quamobrem honorifice certe, & more Regio, eum ad se vocavit; Et Beneficia sua & Favores in eum collocatos recensuit; Quod Consanguineam ei in Matrimonium dedisset, quodq; potentem & opulentum *Regem* Bello offensivo, in caussa ejus, per spatium duorum Annorum lacessisset. Imò etiam, quod Pacem honorificam, ultra oblatam, si eũ dedere voluisset, omnino rejecisset: Quodque etiam *Nobiles*, & *Populum* suum, non mediocriter, dũ promissis suis erga eũ stare vellet, offendisset, quos diutius sibi infensos persistere, tutum sibi non esset. Itaq; monuit, ut Fortunis suis consuleret, & locum exilio suo magis opportunũ deligeret: Simul inquiens, illum negare non posse, quin *Angli*, prius quam *Scoti* eum deseruissent; Cum facto bis Experimento, nemo *Anglus* ad eum accessisset. Nihilominus, se quod sub primum Adventum ejus dixerat, confirmaturum; Nimirum, *Eum pœnitentiam minime acturũ, quod in manus suas se commisisset*: Quandoquidem eum minime ablegare protinus constituisset; sed Navibus & Pecuniis adjuvare, ut quo vellet, tuto transpotaretur. *Perkinus*, nihil omnino de Theatrali suo fastigio descendens, paucis respondit; *Se satis videre tempus suum adhuc non venisse; Sed quacunque tandem Fortuna usu foret se honorifice, & sentire de Rege, & loqui non destiturum*. Itaque à *Rege* dimissus, de *Flandria* amplius non cogitavit, utpote Loco minus tuto, post Tractatum cum *Archi-Duce*, superiore Anno conclusum; sed Uxore & Amicis, & Servis, qui eum deserere nolebant, comitatus, in *Hiberniam* trajecit.

Hoc Anno duodecimo scilicet *Regis*, *Alexander Papa* (qui maxime solitus est amare eos Principes, qui remotiores erant; & cum quibus minimum ei intercederet Negotii,) grato animo recolens, *Regis*, ad Fœdus *Italorum* Accessionem, propter Defensionem *Italiæ*, eum, Gladio consecrato, & *Pileo*, quem vocant, *Manutentionis*, per Nuncium suum remuneratus est. Idem ante eũ, fecerat *Papa Innocentius*, sed minore cum solennitate & gloria recepta sunt. Etenim *Rex* nunc mandavit *Majori*, & *Aldermannis Civitatis*, ut *Oratori Papæ*, ad pedem *Pontis Londinensis*, obviam fierent; Atq; plateæ universæ, inter *Pontem*, & *Palatium Episcopi Londinensis* (ubi *Rex* tunc hospitabatur) Civium Fraternitatibus, in Sagulis suis vestitis, utrinq; claderentur. Quin & ipse *Rex*, die crastino, (in quem inciderat *Festum omnium Sanctorum*,) magna stipante Caterva, Prælatorum, Procerum, & Aulicorum, solenni cum Processione, ad *Ædem D. Pauli* perrexit, Insignibus illis, *Gladii*, & *Pilei*, ante se gestatis. Et Processione illa finita, *Rege* in *Choro* sedente, *Archiepiscopus Cantuariensis* super Gradus ante *Chorum* stans, longã habuit Orationem; Amplitudinem & sublimitatem Honoris illius extollens quo *Papa*, per hæc Ormenta, & Insignia Benedictionis, *Regem* decoravit: Etiam quam raro, quamq; eminentium Meritorũ contemplatione, illa concedi consuessent. Deniq; præcipua *Regis* Acta & Merita rencensuit, quibus *Papa* motus, eum tali Honore dignatus esset.

Usq; ad hoc tempus, Rebellio *Cornubiensis* (de qua jam diximus.) nihil affine habere visa est cum rebus gestis *Perkini*; Nisi forte quod *Edictum Perkini* promisso innuisset, se Exactiones & Tributa deinceps aboliturum; Eoq; effecisset, ut interdum erga illum non pessime animati essent. Jam vero

Bullæ

Bullæ hæ frequenti agitatione concurrere cœperunt, ut in superficie Aquarum facere solent. *Regis* Clementia Rebelles *Cornubienses*, postquam domum rediissent, sine pœna dimissi, verum (ut diximus, solidi unius aut duorũ pretio redempti,) magis animaverat, quam sanaverat. Adeo ut apud Vicinos & populares suos, jactare nõ dubitarent; *Regem in iis ignoscendis prudenter sibi consuluisse, quoniam satis sciebat, sibi paucos Subditos in Anglia reliquos fore, si omnes suspendisset, qui cum iis sensissent.* Atq; alii alios acuẽtes Motum renovare cœperũt. Quidam autem ex iis astutiores, clam ad *Pernikum* in *Hiberniam* miserunt, qui ei intimarent, se, si ad illos venisset, ei præsto futuros.

Cum *Perkinus* hunc Nuncium accepisset, cœpit iterum se erigere, & cum Consiliariis suis rem communicavit; Ex quibus tres plurimum apud eũ poterant; *Hernus* Sericorum Propola, qui obæratus profugerat; *Skeltonus* Scissor; & *Astlejus* Notarius; Etenim *Frionus* Secretarius discesserat. Hi apud eum disserebant, illum magnopere errasse, cũ in *Cantium*, & iterum cum in *Scotiam* profectus esset: Quandoquidem Locus alter tam prope *Londinum* esset, & quasi sub oculis *Regis*, Alter autem locus, Nationis esset, populo *Angliæ* tam invisæ, ut quamvis cum summa Benevolentia complexi fuissent *Angli*, nucquam tamen ei ita comitato adhærere vellent: Verum si Fortuna in tantum arrisisset, ut in principio motus *Cornubiensis* adesse ei contigisset, ante hoc tempus, eum *VVestmonasterii* coronatum iri. *Reges* enim istos, (ut ipse jam satis expertus esset) *Principes* calamitosos, pro Calceamentis vendere, nihil pensi habere; Ejus vero Rationes postulare, ut se totum Populo committeret; Itaque ei Consilium dederunt, ut, cum qua poterat festinatione, in *Cornubiam* trajiceret. Quod & fecit, secum ducens quatuor Naviculas, quæ circiter centum & viginti Milites vehebant. *Mense Septembri* appulit ad Oram *VVhitsandi*: & continuo *Bodminum*, oppidũ *Fabri Ferrarii*, de quo ante diximus, profectus est: quod ad eũ confluxerunt circiter tria Millia Agrestium. Illic novum *Edictum* promulgavit, Populũ bellis promissis demulcẽtes; & Favorem eorũ Invectivis in *Regem*, & Regimẽ suum, prensans. Et ut fit in Fumo, qui cũ in altissimum pervenit, se perdit, magnifice admodum de seipso loquebatur. Cõsiliarii ejus, ante omnia, eũ moverunt, ut in potestatem suam redigeret Oppidum aliquod opulentum & munitum; Quo & Milites suos Dulcedine prædæ devincirẽt, & Homines perditos, & sine Lare, undiquaque, simili spe lucri, alliceret; Et rursus, ut Copiis suis, Oppidum illud præsidio & receptui esset, si forte in Acie aliquid adversi cõtigisset. Itaq; animos sumentes processerunt, & *Exoniam* obsidione cinxerunt; Urbem, in illis partibus, tam Munitionibus, quam Opulentia, florentissimam.

Circa *Exoniam* castrametati, vi primo abstinuerunt, sed assiduis Clamoribus & vociferationibus instabant, ut Oppidanos terrerent. Præterea Populum, sub Muris stantes sæpe interpellabant, ut se illis adjungerent; Dicentes, *Regẽ* RICHARDUM illud oppidum *Londini* æmulum effecturum, si primum in suas partes descendissent. Sed pro sua Insulsitate, viros nullos delectos, ad eos miserunt, qui animos eorum tentarent & cum iis tractarent. Cives *Exoniensis*, ex sua parte Subditos se fidos & fortes præstiterunt. Neque inter eos erat Tumultus aut Dissensio ulla; sed unanimi Consensu, se ad Defensionem Oppidi compararunt. Nam viderunt, Rebelles adhuc non tantis viribus pollere, ut ab iis metuere deberent; Ac rursus superabant, antequam numerus Rebellium augeri possit, sibi à *Rege* Auxilia submissa fore. Atq; utcunque eventus foret, Extremum malorum putabant, se illi famelicæ & inconditæ turbæ permittere. Quare cum res Oppidi bene ordinassent, nihilominus, Nuncios diversos de Muris, per Funiculos, clam demiserũt, (ut si unus interciperetur, alius evaderet,) qui *Regem*, de statu Urbis, certiorem facerent, ejusq; Auxilia implorarent. Similiter & *Perkinus* metuebat sibi ab auxiliis à *Rege* celeriter mittendis; Ideoq; constituit ultimas suas vires experiri, ad Oppidum expugnandũ. Quamobrem admotis scalis ad Muros, in diversis locis, simul Insultum fecit in unam ex Portis. Cum autem nec Tormenta, nec Machinæ ei suppeterent; Et comperiens se Arietatione Truncorum Ligneorum parum proficere; Cumq; etiam per Claves aut Rostra ferrea, ac per alia similia Instrumenta, quæ præsto erant, nihil ei reliquũ fuisset, nisi ut ex Portis unam incenderet; Illam rem adortus est, ut Portam incenderet. At Cives periculũ prævidentes, priusquam Porta integra flamma corripi & consumi posset, Portam ipsam ex interiore parte, & spacii nonnihil adjacentis, fascibus ligneis obstruxerunt: Quos similiter incenderunt, eo pacto, Ignem Igne propulsantes. Atque Interea, propere Aggeres Terræ congesserunt, cum fossis profundis, ut loco Muri & Portæ essent. Quantum vero ad Aggressiones per scalas, eæ tam perperam Rebellibus cesserunt, ut non sine Jactura Hominum Ducentorum, à Mæniis pulsi essent.

Rex, cum de Obsidione *Exoniæ*, per *Perkinum*, nuncium accepisset, lusu rem excepit, ajens ad eos, qui circa eum erant; *Regem Nebulonum in Angliam Occidentalem appulisse; Seque jam tandẽ in spe esse, honore Conspectus ejus fruendi, quod hactenus facere nequiverat.* Atque re vera præsentibus Aulicis facile constabat, *Regem* magnopere lætari, ob nuncium, de *Perkini* in *Anglicum* solum adventu, ubi nulla ei spes erat per terram elabendi: Sperans jam, se liberatum in posterum iri, secretis illis Convulsionibus, quæ diu Cor ejus obsederant, & interdum Somnos suos, in medio Fœlicitatis, abruperant Itaq; quo omnium Animos & Studia accẽderet, cunctis quibus poterat modis, palam fecit eos, qui nunc alacriter ei adessent, ut Finem his perturbationibus imponerent, nõ minus ei gratos & acceptos futuros, quam ii, qui Horâ Diei undecima accesserant, qui tamen integræ Diei Mercedem acceperunt. Itaq; nunc veluti sub finem Ludi, complures simul in Scena astantes, spectare erat. *Camerarium* suum, & *Baronem Brookum*, & *Ricium Thomasium* Equitem Auratum, cum expeditis Militibus, *Exoniam* misit, ad Oppidum Obsidione liberandum; Et una ad Famam spargendam, de celeri suo Adventu, cum *Copiis Regiis*, *Comes Devoniæ* & Filius suus, cum *Carois*, & *Fulfordiis*, & aliis ejusdem Provinciæ Viris eminentibus, (non accersiti, sed audientes *Regẽ* huic Expeditioni tãto Animi impetu incumbere,) cum Turmis & Cohortibus, quas conscripserant, festinabant, ut primi Urbi *Exoniæ* auxiliarentur, & *Regis* ipsius Copias præverterent: *Dux* eitam *Buchinghamiæ*, cum

multis Viris fortibus, & primariis, Arma sumpserat; Neque ipse adventum *Regis*, aut *Camerarij* profectionem opperiens, sed Corpus quoddam Copiarum, ex sese conficiens, quo meritum suum extolleret; *Regi* significans, se paratum atq; in Armis esse, & ejus Mandata expectare. Ita ut, juxta Adagium; *In Descensu omnes Sancti manum admoverent.*

Perkinus hos Armorum Sonitus & Tonitrua audiens, & tantas undiquaque Copias illi minari, obsidionem suam solvit, & *Tauntoniam* profectus est; Jam tum incipiens alterum oculum, instar strabonum, in Coronam, alterum in Asylum flectere: Etsi *Cornubienses*, instar Metallorum sæpe ignitorum & vicissim extinctorum, facti essent obstinati; Et potius frangi, quam flecti sustinerent; Jurantes & voventes, se nunquam eum, usque ad ultimam Sanguinis guttam, deserturos. Copias habebat circa se, cum ab *Exonia* discederet, fere septem millium Hominum: Multi enim ad eum, postquam ad *Exoniæ* oppugnationem se comparasset, confluxerant, tum propter tanti incœpti famam, tum etiam ut ex spoliis participarent. Etsi sub Obsidionis solutione, nonnulli dilapsi essent. Cum autem ad *Tauntoniam* appropinquasset, metum egregie dissimulavit, atq; diem integrum absumpsit, in præparandis iis, quæ ad prælium necessaria futura essent. Verum circa mediam noctem, cum sexaginta Equitibus aufugit, ad *Bevvlejum*, in *Nova Forresta*, ubi ipse cum nonnullis ex Comitibus suis, nomina dederunt in Asylũ; *Cornubienses* autem suos, in quamcunque Fortunæ Aleam, exposuit Hoc tamen modo, eos à votis suis solutis reddidit, & solita sua scilicet Misericordia *Regali* usus est; *Ut neutiquam præsens esse vellet, cum Sanguis Subditorum suorum effunderetur.*

Rex, audita *Perkini* fuga, confestim Equites quingentos expeditos misit, qui eum comprehenderent, antequam vel mare repeteret, vel ad Insulã illam exiguam, (*Asylum* scilicet) appelleret. Sed quatenus, ad posterius ex his, tarde venerunt. Itaq; quod potuerunt, fecerunt: Hoc est, *Asylum* magno præsidio, & vigilia diligentissima, cinxerunt, donec *Regis* de ea mandata accepissent. Quantum vero ad Rebelles cæteros, illi (jam à Duce suo destituti) se *Regis* Clementiæ universos submiserunt. *Rex* autem, qui (Medicorum more) Phlebotomia uti solebat, potius ad vitam conservandam, quam eripiendam; Neque unquam sanguinarius erat, cum esset securus; postquam jam periculum transiisse cerneret, omnibus tandem ignovit; præter paucos ex profligatissimis, quos supplicio destinavit, ut Clementia ejus erga reliquos magis elucesceret. Missi sunt etiam, quanta fieri poterat celeritate, nonnulli Equites ad *Montem Sancti Michaelis* in *Cornubia*, ubi *Perkini* Uxor, Domina *Catharina Gordana* à Marito suo relicta erat, quem in utraq; Fortuna unice semper dilexit: virtute Nuptiali alias suas virtutes cumulans. *Rex* autem tanto diligentius ad eam mittere festinavit, nesciens utrum gravida ex *Perkino* forte esset, unde Turbæ istæ, in Persona *Perkini* desituræ non videbantur. Cum illa ad *Regem* perducta esset, traditum est, eum illam, non solum misericorditer, sed etiam cum nõnullo Amoris affectu, excepisse: Misericordia Formæ ejus, qua erat, singulari, decus addente. Itaque solatus eam, (ut simul & aspectui suo, & Famæ inserviret,) ad *Reginam*, illam misit, ut cum ea maneret; Honorificos ei Reditus assignans, quibus Dignitatem suam sustentaret: Quos etiam retinuit, tam durante vita Regis, quam multos annos post. Nomen certe *Rosæ Albæ*, (quod falso Mariti sui Titulo applicatum erat) veræ suæ Pulchritudini remansit.

Rex profectionem suam nihilominus continuavit, & magno cum Jubilo & Lætitia *Exoniam* ingressus est: Ibi Civibus ingentes gratias egit, eosq; miris Laudibus cumulavit. Quinetiam, Gladium ipsum, quo accinctus erat, à latere suo solvit, & *Majori* Civitatis dedit; statuens, ut semper postea, coram *Majore* gestaretur. Ibi quoque è *Cornubiensibus* præcipuos aliquot, supplicio affici jussit, uti Piacula quædam; quæ Cives pro formidinibus & molestiis ipsorum placarent. Apud *Exoniam*, *Rex* cum Concilio suo deliberavit, utrum *Perkino*, si sponte ex *Asylo* exiret, seque *Regiæ* clementiæ submitteret, de vita sua securum reddere oporteret. Consiliarii autẽ inter se opinionibus discrepabant. Alii *Regi* consilium dederunt, ut vi eum ex *Asylo* extraheret, & morte mulctaret, utpote in causa necessitatis; Quæ ipso facto cum Locis & Rebus Sacratis dispensat. Qua in re, minime dubitabant, quin *Rex Papam* facilem reperturus esset, in facti sui Rati-habitione: Aut per viam Declarationis, aut saltem per viam Indulgentiæ. Alii autem opinabantur, postquam jam *Rex* in portu navigaret, & pericula omnia prætervolassent, non opus esse *Regi*, novo Scandalo, aut Invidia. Tertium Genus erat eorum, qui *Regem* diserte præmonebant, eum neque de Impostura Certitudine mundo satisfacere posse, neque Conjurationis Latebras & Anfractus penitus excutere, nisi *Perkinum*, promissis vitæ & veniæ, & aliis modis suavibus, in manus suas pertraxisset. At nemo ex Consiliariis erat, qui non in præfatione sua, *Regis* Fortunæ magnopere indolere visus est, una cum Indignatione quadam: Quod *Rex* tantus, & tam insigni prudentia & virtute præditus, tam diu, & tam crebro, Idolis ejusmodi vexatus fuisset. Verum *Rex* intulit, *DEI omnipotentis* proprium esse, ut *Idolis* vexaretur; Ideoque illud, nullum ex Amicis suis male habere debere. Quodque ipse pro sua parte, ea semper despexisset; Se tamen multo dolore affectum fuisse, quod populo suo tantas Calamitates inflixissent. Verum, in fine Deliberationis, tertiæ opinioni *Rex* se adjecit; Ideoque quosdam misit, qui cum *Perkino* tractarent. Qui se Captivum videns, & ab omni spe destitutum, jam Principes & Populos, summos & infimos, expertus, quos infidos, Meticulosos, aut infelices, deprehenderat, lætanter Conditionem accepit. *Rex* etiam, dum *Exoniæ* moratus est, Commissarios deputavit, *Baronem Darcium*, & alios, qui omnes, qui *Perkino*, aut *Cornubiensibus*, sive in prælio, sive in fuga adhæserant, pecuniis mulctarent.

Commissarii autem isti, tanto cum Rigore & Severitate processerunt, ut Clementiam *Regis* in parcendo sanguini multũ obscurarent, quod Thesauri sanguinem tamduriter emunxissent. *Perkinus* ad Aulam *Regis* adductus est, ad conspectum ejus minime; etsi *Rex* (quo curiositati suę satisfaceret,) spectaverit eum interdũ in Transitu. Specie tenus jam liber *Perkinus* erat, sed secreto magna diligentia & cura custoditus; Et in Comitatu *Regis Londinum*

num proficisci jussus est. Verum sub primum hunc *Perkini* in Scenam conscensum, in persona sua nova, Sycophantæ scilicet & præstigiatoris, deposita persona sua priore, quæ erat Principis, facile quivis existimare poterit, quantæ Irrisioni & Ludibrio expositus fuerit, non solum Aulicorum, verum etiam vulgi, qui circa eum ubique convolabant; Adeo ut quis conjicere posset, ulula ubi esset, ex congregatione Avium: Aliis irridentibus, mirantibus aliis, aliis execrantibus, aliis Os ejus & Gestus curiose intuentibus, ut materiam, Sermonum captarent: In tantum, ut falsus ille Honor, quo tamdiu gavisus esset, abunde repensus fuerit, Contemptu & Contumelia. Quam primum *Rex Londinum* venit, etiam horum Ludorum Floraliũ, Civibus spectaculũ, & solatiũ exhibuit. Etenim *Perkinus* Equo insidens, lentis passibus, (sed absq; habitu aliquo ignominioso,) perductus est, per plateas de *Cheapside*, & *Cornhill*, ad *Turrim Londinensem*; atque exinde revectus est ad *VVestmonasterium*, cum Choro mille Maledictionum & Contumeliarum. Verũ, ad spectaculi ornatum majorem secutus est, parvo à *Perkino* intervallo, unus ex intimis ejus Consiliariis: Qui *Faber Ferrarius Regi* fuerat. Iste Erro, cum *Perkinus* profugisset ad Asylum, optavit potius Habitum Sacratum sumere, quam loco Sacrato se munire; Atque vestitum *Eremitæ* induit, & illo Habitu per Regiones obambulabat, donec detectus & conprehensus esset. At præstigiator iste, manibus pedibusq; super Equum vinctus fuit, neque cum *Perkino* rediit, sed paucis post diebus morte mulctatus est. Paulo post, cum *Perkinus* se, quis esset, melius cognovisset, stricte examinatus est, & capta ejus Confessione, factum est Breve vel Extractum earum rerum; quas divulgari consentaneum foret: Quod typis commissũ, & publicatum est. Qua in re, *Rex* Famæ suæ minus consulit. Quemadmodum enim Narrationem cõtinebat laboriosam, Particularium de *Perkini* Patre & Matre, & Avo, & Avia, & Avunculis, & Cognatis, per Nomina, & Cognomina sua, & in quibus Locis sursum deorsum erraverat: Ita parum, aut nihil proferebat, de Consiliis ejus, aut de iis, cum quibus Consilia communicasset: Neque ipsa *Ducissa Burgundiæ*, (quam omnes noverint instar Animæ fuisse universi Negotii,) vel nominata est, aut descripta, sed prorsus silentio prætermissa. Ita ut Homines, quod expectabant, non reperientes, multa desiderarent, & majore dubio essent, quam prius. Verum *Regi* magis placebat, vulgo non satisfacere, quam Grandium animo irritare. Neque etiam eo tempore, conjicere erat, ex novis aliquibus Examinationibus, aut Incarcerationibus, aliquem alium præter eos, qui jam pridem innotuerant, detectum aut accusatum fuisse; Etsi *Regis* Animus abditus hoc ipsum indubio diu reliquisset.

Circa hoc tempus, noctu, magnum coortũ est Incendium, apud *Regis Palatium* de *Shine*, prope Cameras *Regis* ipsius: Quo incendio magna pars Ædium conflagravit, nec non multa lauta supellex absumpta est: Id quod *Regi* occasionem dedit, usq; à solo ædificandi nobilem istam structuram *Richmondiæ*, quæ hodie cernitur.

Etiam paulo ante hoc tempus, evenit Accidens quoddam memorabile: Fuit quidam *Sebastianus Gabatus* patria *Venetus*, qui *Bristojæ* habitabat: Vir Cosmographiæ, & Navigationis peritus. Iste vir, Successum videns, & fortasse fortunæ *Christophori Columbi* æmulatus, in illa Fortunata Expeditione versus *Zephyro-Austrum*, ante sex Annos, facta, cogitavit secum, etiam novas terras detegi posse, versus *Zephyro Boream*. Atque sane probabile est, ejus opinionem magis firmis & prægnantibus conjecturis fultam fuisse, quam fuerat ea *Columbi*. Cũ enim duæ illæ magnæ insulæ, veteris & novi Orbis, sint versus Septentriones, ipsa Fabrica, latæ & exporrectæ, versus *Austrum* autem, acuminatæ; verisimile est, illic primum innotuisse Terras novas, ubi minore Intervallo à veteribus disjunctæ essent. Quin & memoria extabat aliquarum Terrarum ad *Zephyro-Boream* ante discoopertarum, & pro Insulis habitarum, quæ tamen revera essent pars Cõtinentis *Americæ Borealis*. Fieri autem possit, ut aliqua Notitia de hac re ad *Columbum* postea perveniens, & ab eo suppressa, (cupido fortasse, ut in hujusmodi Incœpto primus videretur) ei pro firmiore Argumento fuerit, ad credendum, universum illud spatium ad Occidentem *Europæ* & *Asiæ* pelagus perpetuum non fuisse, quam aut *Senecæ* Prophetia, aut *Platonis* Antiquitates, aut currentium Maris & Ventorum à Terra spirantium Natura, & similia; quæ, ut fama spargebatur, eum maxime moverunt. Etsi non sim nescius imputatum fuisse illud *Columbi* Incœptum fortuitæ, & tempestate actæ Novigationi, (paulo ante) gubernatoris cujusdam *Hispani*, qui in Ædibus *Columbi* mortuus dicebatur. *Gabatus* autem iste, *Regi* fidem faciens, se *Insulam* quandam Mercibus pretiosis abundantem, reperturum, adduxit *Regem* Navem apud *Bristojam*, Commeatu & Nautis, instrueret, pro ea *Insula* detegenda. Quam Navem Regiam comitatæ sunt tres Naviculæ, à Mercatoribus *Londinensibus* missæ, mercibus quibusdam vilibus & levibus oneratæ, quæ essent Commercio cum *Barbaris* exercendo idoneæ: Navigavit autem *Gabatus*, (ut ipse post Reditum suum referebat, adducens etiam Navigationis suæ universæ chartam,) longe admodum versus Occidentem, cum quarta parte Septentrionalis plagæ, juxta Boreale latus, *Terræ de Labrador*, usque dum ad latitudinem pervenisset Sexaginta septem Graduum cum dimidio, Mare continuo reperiens apertum & perviũ. Certum est etiam *Regis* fortunæ, oblationem porrectã imperii illius amplissimi *Indiæ Occidentalis*. Neque renuit ipse *Rex*, sed mora fortuita, res disturbata est. Etenim *Christophorus Colũbus*, à *Rege Portugalliæ* repulsam ferens, (qui & *Occidentales* & *Orientales Indias* simul complecti consultum nõ putabat,) *Bartholomæum Columbum*, Fratrem suũ, ad HENRICUM *Regem*, Nuncium misit, ut cum eo de suo Incœpto negotiaretur. Contigit autem, ut *Bartholomæus* à Piratis, in mari, captus fuisset: quo fortuito Impedimento detentus, non nisi diu post ad *Regem* pervenit: Tam diu, ut priusquam cum *Rege* HENRICO trãsegisset. Expeditio illa à Fratre suo *Christophoro* suscepta esset: Quo pacto, providentia divina, *Indiæ Occidentales*, Coronæ *Castiliæ*, ut tunc, reservatæ fuerunt. Attamen hæc *Regem* acuerũt, ut non solum *Gabati* Expeditionem promoveret, verum etiam postea decimo sexto Anno Regni sui, atque iterum decimo octavo, nova Diplomata cõcederet, ad Terras adhuc incognitas detegendas, & occupandas.

Hoc etiam Anno, decimo quarto scilicet *Regis*, (admirabili *Dei* providentia qui *Res* ad Bene-placitum suum flectit, & in minimis maxima suspendit,) occurrit Accidens quoddam leve, ac etiã perversum, quod magnos & fœlices effectũ post se traxit. Durantibus cum *Scotia* Indiciis, quidam Juvenes Nobiles ex *Scotia*, ad Oppidum *Norhami* venerunt, ibiq;, cum quibusdam ex Familiaribus suis *Anglis*, se exhilararunt. Cumq; in Otio essent, interdum ex Oppido deambularunt, & *Castellum* curiose spectarũt. Quidam autem ex Præsidiariis *Castelli*, cum hoc bis aut ter animadvertissent, cumq; animos adhuc exulceratos gererẽt, ex Hostilitate, quæ paulo ante intercesserat, eos pro Exploratoribus, aut habebant, aut calumniabantur. Unde Jurgia inter eos orta sunt; Et à Jurgiis manus conserebant: Adeo ut complures ex utraq; parte vulnerati essent: *Scotis*, uti verisimile erat, cum in Oppido essent peregrini, dutiores partes sustinẽtibus. Quinetiam nõnulli ex iis interfecti sunt, reliquis, citato gradu, in *Scotiam* redeuntibus. Hæc res, postquam inter Custodes Limitaneos, ex utraque parte tractata est, nec finis Controversiæ impositus, *Rex Scotiæ* in suam Contumeliam factam esse interpretatus est, & Fecialem ad *Regem* HENRICUM misit, qui hujus Injuriæ reparationẽ postularet, cum protestatione, eum alias Bellum denunciaturum. *Rex* autem (qui Fortunæ Aleam sæpius expertus erat, & ad pacem inclinabat) respondit; Quod hactenus factum esset, prorsus contra voluntatem suam, & sine consensu aut notitia, contigisse: Verum si Præsidiarii in culpa fuissent, se in eos servere animadversurum, atque Inducias in omnibus conservaturum. Verum hoc Responsum *Regi Scotiæ* Dilatio quædam visa est, ut Querela, interposito spatio elanguesceret: Itaque eum magis irritavit, quam placavit. At *Episcopus Foxus à Rege* audiens, quod *Rex Scotiæ* adhuc exæstuaret, & impatiens esset, turbatus, Occasionem Rupturæ Induciarum, à suis Hominibus ortam esse, quamplures humiles & deprecasorias Literas ad *Regem Scotiæ* misit, quibus eum placaret; Unde *Rex Iacobus Episcopi* mollibus & blandi Literis deinitus, ad eum rescripsit, se, licet haud parum Literis suis tribuerit, tamen plenam Satisfactionem non recipere posse, nisi cum eo colloqueretur; Tam circa præsentis Controversiæ Compositionem, quam circa Res alias, quæ ad bonum utriusque *Regni* spectarent, *Episcopus* Mandata à *Rege* accipiẽs, in *Scotiam* profectus est. Convenerunt apud *Melrosse*, *Abbatiam Cisterciorum*, ubi *Rex* tum morabatur. *Rex* primo, disertis verbis *Episcopo* significavit, quam inique tulerat insolentem illam Rupturam Induciarum, ab Hominibus ejus, apud Castrum de *Norhamo* factam. Quibus *Foxus* respondit tam humiliter, & tam blande, ut instar olei esset vulneri infusi, unde sanari cœpit. Atque hoc factum, est *Rege* & *Concilio* suo præsentibus. Postea, *Rex* cum *Episcopo* collocutus est solus; Atq; intima animi sui exprõpsit, dicendo; Temporarias istas Inducias & Paces, cito conclusas, cito etiam ruptas esse solere; Se autem arctiorem cum *Rege Angliæ* Amicitiam cupere: Ideoq; si *Rex* HENRICUS, Primo-genitam Filiam, Dominam *Margaretam*, in Matrimonium ei dare vellet, ita demum Nodum fore indissolubilem. Se satis nosse, quantum *Episcopus* Auctoritate & gratia, apud *Regem* suum merito possit. Itaque si ipse huic rei studiose incumbere vellet, se minime dubitare, quin pro voto suo successura esset. *Episcopus* sobrie respondit; Quod se potius fœlicem, quam dignum reputaret, qui in tali Negotio Minister esset: Operam vero suam libentissime collaturum. *Episcopus* igitur ad *Regem* HENRICUM reversus, quæque acta essent referens, *Regemq;* propensum, & fere cupidum inveniens, *Regi* Consilium dedit; Ut primum pacem stabiliret; deinde Tractatum Matrimonii gradatim cõsummaret. Pax itaque facile conclusa, quæ paulo ante *Natalem Domini* promulgata est, decimo quarto *Regis* Anno, duratura in viam amborum *Regum* simul, aut eorum Superstitis, & Annum unum deinceps. In hac Pace, continebatur Articulus; Ut nullus *Anglus Scotiam*, aut *Scotus Angliam* ingrederetur, nisi cum Literis Commendatoriis sui *Regis*. Hoc, primo intuitu, videri posset eo spectare, ut Familiaritas inter Nationes abrumperetur: sed factum est ad Limitaneos coërcendos, qui Dissidiorum caussa esse consueverant.

Hoc etiam Anno, natus est *Regi*, Filius Tertius, *Edmundus* nominatus, qui paulo post obiit. Circa idem fere tempus, allatus quoque est nuncius, de Morte *Carolis Regis Galli*; Cujus nomine celebratæ sunt Exequiæ solennes & Regiæ.

Nec multum Temporis intercessit, quin *Perkinus* (qui ex Argento vivo compositus erat, quod nõ facile contineri aut incarcerari potest,) turbare cœperit. Etenim Custodibus delusis, se in Fugã dedit, & versus Mare properavit. Verum statim omnes Anguli excussi, tamq; sedula facta est Inquisitio, ut redire compulsus esset, & ad *Domũ* de *Bethleem*, dictam *Prioratum* de *Shine*, (quæ *Asyli* privilegio gaudebat) confugere, Seque *Priori* illius *Monasterij* in manus tradere. *Prior* iste pro sancto admodum viro habitus est, quem omnes, eo tempore, multum reverebantur. Ille ad *Regem* accessit, & pro vita tantum *Perkini* deprecatus est, eum alias *Regis* Arbitrio relinquens. Multi apud *Regem*, ardentius etiam quam antea institerunt, ut *Rex* eum sine mora ex *Asylo* abriperet, & suspenderet. Verum *Rex* (qui elati erat Animi: neque odisse quendam poterat, quẽ despiceret;) jussit: *Ut Nebulo ex Asylo extraheretur, & in cippis poneretur*: Atque ita vitam ejus, *Prioris* precibus largitus, *Perkinum* educi fecit. Et intra duos aut tres dies, super pegma, in Area *Palatii Westmonasteriensis* erectum, compedibus vinctus & cippo clausus, per integrum diem sedit. Dieque sequente similiter, cum eo, ad Crucem de *Cheapside* actum est. Aque in utroque loco Confessionem suam, (de qua supra mentionem fecimus) perlegit: Exinde autem in *Turrim Londinensem* perductus est. Verum (ut paulo ante notavimus) *Rex*, talem Societatem cum Fortuna inierat, ut nemo distinguere possit, quæ actiones Fortunæ, quæ autem *Regis* Industriẽ, deberentur. Creditũ enim est ubique, *Perkinum*, proditum fuisse; eumq; non sine *Regis* notitia elapsum; Qui eum, toto tempore Fugæ suæ, veluti injecta chorda, tenuisset: *Regemque* hoc fecisse, ut caussam haberet eum Morte mulctandi, & Finem illis rebus imponendi. Verũ hoc minus probabile est; Quandoquidem iidem Ministri, qui eum in Fuga sua observabant, etiam ab *Asylo* intercludere potuissent.

Verum fatale erat, ut Hedera ista serpens *Plantagenista*,

tagenistæ, veram *Plantagenistæ* Arborem, necaret, *Perkinus* enim, haud diu post se in Gratiam; & Favorem Custodum suorum, Servorum *Iohannis Digbeij Equitis Aurati*, Præfecti Turris, numero quatuor, (*Strangvvay*, *Blevveit*, *Astvvoodi* & *Rogeri Longi*,) insinuaverat. Atque Nebulones istos, promissorum Montibus corrumpere annisus est, ut Carcere se eximeret. Sed satis gnarus, Fortunam suam tam contemptibilem redditam, ut nullius spes pascere possit; (Spe autem perficienda res erat; Nam præmia deerant;) apud se vastum & tragicum Facinus machinatus est: Illud fuit, ut in societatem Consiliorum suorum, *Edvvardum Plantagenistam*, *Comitem Warvvici*, tum in Turre detentum, pertraheret; Quem, tædium diuturnæ Incarcerationis, & recurrentes subinde Metus, ita emolliverant, ut ad quamlibet Impressionem, de libertate sua recuperanda, recipiendam, apus esset. Hunc Principem Juvenem, arbitrabatur *Perkinus*, servos illos, quos supra memoraverimus, officiose revertituros, licet ipse iis despicatui esset. Itaq; postquam per nuncium unum aut alterum, per aliquos ex illis servis missum, *Comitis* consensum degustasset; constitutum inter eos fuit, ut quatuor hi, Dominum suum, *Præfectum Turris*, Noctu, secreto obtruncarent; & pecunias & Bona ejusdem Præfecti, quæ commode exportari possent, eriperent; Clavesque *Turris* caperent, & *Perkinum* cum *Comite* statim emitterent. Verum, hæc conjuratio detecta est, priusquam perpetrari possit. Atque in hac quoque re, *Regis* præalta prudentia eum gravi Invidia onerabat; *Perkinum* ei tantum instar escæ fuisse, ad *Comitem* captandum. Atque eodem Temporis momento, dũ Conjuratio ilta iniretur, (quasi etiã illud ipsum *Regis* Industria effectũ esset,) in Fatis erat, ut adulterinus quidam *Comes Warvvici* prodiret, *Calcearij Filius* cui nomen erat *Radulphus Wilfordus*; Adolescens autem edoctus & instructus erat à *Fratre* quodam *Augustiniano*, *Patricio* dicto. Uterque horum à partibus *Suffolciæ* in *Cantium* pervenerunt; ubi non solum clam, & per Susurros, Rumores spargebant, *Wilfordum* istum verũ *Comitem Warvvici* esse; Verũ etiam *Frater* ille Populum ad credendum propensiorem expertus impudentissime Conciones de ea re ad Populum habuit, eosq;, ut in Auxilium suum properarent, hortatus est; unde uterq; comprehẽsus est, & suppositius *Comes* morte affectus, *Frater* autem perpetuo carceri damnatus. Hoc vero opportune admodum accidit, ad repræsentandum periculum, quod *Regi* à *Comite Warvvici* imminebat, & ad velandam *Regis* Severitatem, quæ secuta est: Eaq; ipsa Opportunitas, accedente vesania *Fratris*, qui tantam proditionem, antequam ullas nacta esset vires, publicare esset ausus; Quin & ejusdem *Fratris* vitæ condonatio, (cujus tamẽ revera, nihil aliud in caussa fuit, quam ordinis sui Privilegiũ:) Deniq; Misericordia vulgi, (quæ si Gurgite rapido fluat, semper cœnum Invidiæ & Scandali excitat,) effecerunt, ut ubiq; potius Sermone hominum jactatum, quam plane creditum esset, omnia Artificio *Regis* instructa fuisse. Sed utcunque hoc fuerit, *Perkinus* (qui jam tertio contra Gratiam peccarat) tandem in judicium adductus est, apud *Westmonasterium*, & coram *Commissariis* de *Audiendo & Terminando*, impetitus, de diversis Proditionibus commissis & perpetratis, post ejus in *Angliam* Adventum, (ita enim Judices consuluerunt, quoniam extraneus esset,) denique condemnatus est, & intra paucos dies, apud *Tiburne*, capitali supplicio affectus. Ubi rursus Confessionem illam suam perlegit, & veram esse, jam sub ipsam Mortem, agnovit. Atque is exitus fuit Basilisci hujus, qui potis erat eos necare, qui eum primi non aspexissent. Fabula erat certe ex hujus generis Fabulis, quę memorantur, longissima; Et aliũ fortasse finem sortita esset, nisi res incidisset, in *Regem* prudentem, animosum, & fortunatum.

Quantum vero ad tres *Perkini* Consiliarios, ii se *Asylarios* registrari fecerunt, cum *Perkinus* id ipsum fecisset. Verum, sive quod iis ignotum esset, sive quod intra privilegium se continuissent, in Judicium minime adducti sunt. Una cum *Perkino* suspensi sunt, *Major Civitatis* de *Corke*, in *Hibernia*, & Filius ejus; Qui proditionum *Perkini*, inter præcipuos, Fautores fuerant. Paulo post, similiter Morti adjudicati sunt octo alii, propter Conjurationem factam in *Turre*; Quorum quatuor *Præfecti Turris* Servi erant. Et statim post in Judicium adductus, coram *Comite Oxonia* (*Senescallo Magno Angliæ* ea vice facto,) infelix ille Princeps *Comes Warvvici*, non propter Conatum è *Turre* evadendi, (hoc enim peractum non est; Atq; etiam, cum Incarceratio propter proditionẽ minime fuisset, Evasio pro Proditionis crimine, lege haberi non debuit;) Sed propter Conjurationem cũ *Perkino* initam, Seditiones in *Regno* excitandi, & *Regem* destruendi *Comes* autem *Warvvici* Accusationem Confessione sua firmavit, & paulo post, apud *Collem Turris*, decapitatus est.

Sic etiam finivit, non solum Nobilis istius, & vere commiserabilis Personæ, *Comitis Warvvici*, Primo-geniti *Ducis Clarentiæ*, Tragœdia; verum etiam Stirps & Linea mascula *Plantagenistarum*, quæ tanto cum splendore & gloria floruerat, usq; à temporibus celeberrimæ memoriæ *Regis* HENRICI *secundi Regis Angliæ*. Fuerat autem hæc Stirps, sæpe sanguine proprio intincta. Manet autem adhuc Progenies illa, sed in alias Familias, tam Imperiales, quam Nobiles, transplantata. Verum nec Criminis Reatus, nec Rationes Status Invidiam extinguere poterant, quæ *Regi*, ob hanc Executionem incumbebant. Itaque consultum putabat *Rex*, Invidiam istam, ex *Anglia* exportare; eamque, in novum suum Affinem, *Ferdinandum Regem Hispaniarum*, exonerare; *Regibus* enim istis duobus, vel solo nutu se mutuo intelligentibus, res ita se habuit, ut literæ ex *Hispania* reperirentur, atque ostenderentur, quibus inter alios Sermones, circa Tractatum Matrimonii, *Ferdinandus* ad *Regem* HENRICUM, disertis verbis scripserat: se securitatem nullam de Liberorum *Regis* in Regnum Successione videre, quamdiu *Comes Warvvici* in vivis esset; Seque Filiam suam, in manifesta pericula & turbas mittere, haud libenter sustenturum. Verum hoc facto, etsi *Rex* aliquatenus Invidiam à se ipso amoliretur; tamen non animadvertit, se simul Maledictionem quandam, & omen infaustum, Nuptiis ipsis impingere. Quod quidem eventu ita completum est; ut & *Princeps Arthurus* uxore sua ad breve tempus potiretur: Atque ipsa *Principissa Catharina* (Fœmina tristis & Religiosa,) diu post cum *Regis* HENRICI *Octavi*, de ea repudianda, consilium ei primum nunciatum est, diceret; Se

quidem culpa vacare: Sed hoc justo Judicio DEI factum esse, quod nuptiæ suæ in sanguine fundatæ fuissent: Intelligendo Sanguinem *Comitis Warvvici.*

Hoc Anno, *Regis* decimo quinto, magna grassata est pestis, tam *Londini*, quam in aliis *Regni* partibus Itaque *Rex*, post loca crebro mutata, (sive ut à Contagione tutior esset; sive ut occasionem Colloquii cum *Archi-Duce* præberet: sive ob utrunque:) *Caletum* cum *Regina* sua transfretavit. Postquam *Rex Caletum* venisset, *Archi-Dux* statim ad eum Honorificam Legationem misit: Tam ut de Adventu *Regis* in eas partes gratularetur, quam ut significaret se præsto esse, (si *Regi* placeret,) præsentia sua obsequium ei deferre. Sed simul Legati *Regi* intimarunt, ut Locum Congressus designaret, extra aliquod munitum Oppidum, aut Castellum; quoniam, hoc *Regi Gallo*, simili occasione, denegasset. Quamvis autem (ut ajebat) non exiguum discrimen inter illos duos *Reges* agnosceret; tamen ab exemplo se metuere, ne forte illud ipsum, à *Rege* quopiam, in posterum, cui minus quam *Regi* HENRICO fideret, postularetur. *Rex* Comitatē *Archi-Ducis* sibi gratam esse, excusationem autem probatam esse ostendit; Et locum ad *Ædem Sancti Petri* extra *Caletum*, colloquio designavit. Simul etiam *Archi-Ducem* Legatis à se missis honoravit: Hi fuerunt, *Baro* de *Sancto Joanne*; & unus ex *Secretariis Regis*: Quos *Archi-Dux* eo honore excepit, ut (ad *Missam* celebrandam *Sancti Audomari* profectus:) medius inter *Baronem* de *Sancto Joanne* à Dextra, & *Secretarium* à Sinistra, equitaret. Die ad colloquium assignato. *Rex* Equo vectus, ad nonnullum ab *Æde Sancti Petri* Intervallum, in occursum *Archi-Ducis*, perrexit. Cū appropinquassent, *Archi-Dux* propere de Equo descendit, & ad Stapedem *Regis* tenendum, se obtulit: Id *Rex* nullo modo permittere voluit, sed cum & ipse ab *Equo* descendisset, magnis cū Amoris Indiciis se mutuo complexi sunt; Atque in locum, in Templo ad hoc ornatum, ad longum Tempus collocuti sunt; Non solum tractantes de Fœderum præteritorum confirmatione, & Comerciorum libertate; Sed etiam de Nuptiis reciprocis, inter HENRICUM *Ducem Eboraci*, Filium *Regis* secundo-genitum, & *Archi-Ducis* Filiam; Et rursus inter *Carolum Archi-Ducis* Filium primo-genitum, & *Mariam* Filiam secundo-genitum *Regis*. Verum Gemmulæ istæ immaturarum Nuptiarum, nihil aliud erant, quam vota quædam *Principum* Amicorum, & Auræ Benevolentiæ, etsi alterum Matrimoniū postea Tractatu conclusum, sed minime consummatum fuerit. Verum toto illo tempore, quo *Principes* isti, inter se conversabantur, in *Suburbiis Caleti*, mira fuit inter eos Cordialis & intimi Amoris Demonstratio: præcipue ex parte *Archi-Ducis*. Qui (præterquam quod esset *Princeps* humanissimus, & moribus suavissimis,) conscius sibi; quam morose & parum amanter *Rex* à Concilio suo tractatus fuisset, in negotio *Perkini*, omnibus modis contendit, ut pristinum in *Regis* Benevolentia locum recuperaret. Atq; insuper Patris & Soceri sui Monitis, perpetuo obsessus erat, qui (propter odium suum & suspiciones adversus *Regem Gallū*,) semper *Archi-Ducis* Aures obtuderunt, ut super amicitiam *Regis Angliæ*, veluti Anchoram jaceret: hac data occasione, eorum monita & præcepta exequi gauderet: *Regem* appellans Patronum suum, & Patrem, & Protectorem: (Nam hæc ipsa verba *Rex* Literis suis postea inseruit, ad Civitatem *Londini* missis: Quibus Humanitatem *Archi-Ducis* prolixe commendavit,) cum aliis verbis Honorificentissimis, quæ Amorem suum, & observantiam erga *Regem*, testarentur. Venerunt etiam *Caletum* ad *Regē Præses Picardiæ, & Balivus Amieni*, à *Ludovico Rege Gallo* missi: Tam ut honorem ei exhiberent; quam ut certiorem eum facerent, de victoria sua, & subjugatione *Ducatus Mediolanensis*. *Rex* visus est sibi complacere in honoribus, qui illi, durante mora sua *Caleti*, ab Exteris exhibiti erant. Etenim *Caleto* fuse de iis scripsit ad Majorem & Senatum *Londinensem*: quod (haud dubie) caussam multis sermonibus in urbe præbuit. *Rex* enim, etsi Cives sibi conciliare non poterat, modis ab *Edvvardo Quarto* usitatis: tamen Affabilitate, & aliis Favoribus Regiis, eos semper devinciebat, seq; illis multum dabat.

Hoc etiam Anno mortuus est *Joannes Mortonus, Archi-Episcopus Cantuariensis*, & *Cardinalis*, summusq; etiam *Angliæ Cancellarius*. Vir prudens erat, & eloquens, sed ingenio aspero, & imperioso; *Regi* acceptissimus; sed Nobilitati invisus, Populo itidem odiosus. Neque ex Benevolentia aliqua, nomen ejus omissum est, in Catalogo Adulatorum *Regis*, quos Edictum *Perkini* perstrinxit; Sed eum noluerunt reliquis admiscere, quoniam *Imaginem* & *Superscriptionem Papæ* in se habuit: *Cardinalatus* scilicet Honore impressam. *Regem* sibi obstrinxerat, Consiliorum Occultatione, & Diligentia: sed præcipue, quod *Regi*, in Fortuna sua minore, fidum se præbuit: Et simul, quod (affectu suo secreto) inveterata malitia non vacabat, adversus *Familiam Eboracensem*, sub qua Calamitates nonnullas subierat. Quinetiam, libenter Invidiam à *Rege* in se derivabat, etiam plus quam *Rex* vellet. *Rex* enim, subterfugia non quærebat, sed Invidiæ in os se objicere solebat, & cupiditates suas aperte preferre: Id quod Invidiam contra eum auxit sane, sed minus audere effecit. Verum, quatenus ad duras illas *Regis* Exactiones, Tempus postea prodidit, *Episcopum* istum *Regis* Ingenio obsequendo, illi potius temperavisse. Sub *Richardo Tertio*, custodiæ commissus fuerat, in Domo *Ducis Buckinghamiæ*. Quem ad Defectionem à *Richardo* secreto impulit. Sed postquam *Dux* Negotio se implicaret, *Episcopumq;* præcipuum sibi in Tempestate Gubernatorem Navis fore sperasset, *Episcopus* in Scapham transiliverat, & trans mare profugerat. Verum, utcunque iste Vir laudandus, aut reprehendendus occurrat, certe felicissimam Memoriam meritus est: Eo quod principale fuerat Instrumentum in Conjunctione duarum Rosarum. Grandævus admodum mortuus est: Sed corpore validus, & Animi Facultatibus integris.

Anno sequente, qui fuit Sextus Decimus *Regis*, Annusque Domini millesimus quingentesimus, Jubilæum *Romæ* celebratum est. Verum *Papa Alexander*, quo Impensis & Periculo longi Itineris, ad *Romam* usq; parceret, consultum putavit, Gratias eas Spirituales, per viam permutationis transferre, ad eos, qui certas pecuniæ summas solvissent: cum minus grave esset, eas in Patria quemque sua recipere. Quo nomine, in *Angliam* missus est, *Jasper Pons Hispanus, Papæ* Commissarius. Meliore

Judicio

Judicio electus, quam fuerant illi, qui nonnullis Annis post in *Germaniam*, à *Leone Papa* missi sunt. Etenim negotium, magna cum Prudentia, & specie Sanctitatis, *Pons* iste gessit. Ita ut amplissimas pecuniarum summas, intra hoc *Regnum Angliæ*, in usum *Papæ* corrogaverit, exiguo aut nullo Scandalo. Opinio prava increbuerat, *Regem* pecuniæ participasse. Verum apparet ex Literis *Cardinalis Adriani Regis* Pensionarii, ad *Regem* post aliquot Annos missis, hoc minus verum fuisse. Etenim, *Cardinalis* iste, à Rege adhibitus, ut *Papæ Julio* persuaderet, Bullam Dispensationis pro Matrimonio inter HENRICUM *Principem* & Dominam *Catharinam* ineundo, expedire, *Papamq;* in ea cōcedenda difficiliorem expertus, pro principali Argumento, merito *Regis* erga eam Sedē, usus est: Quod pecuniæ illæ, quam *Pons* intra *Angliam* collegit, ne Denarium quidem tetigerat. Verum, quo clarius elucesceret, (ad populo satisfaciendū,) pecuniam istam sacram fuisse: Idem Nuncius *breve Regi* à *Papa* detulit: Per quod *Rex* excitatus, & summonitus fuit, ut in Persona propria *Bello Sacro* contra *Turcam* interesset. Quoniam *Papa* (ex Sollicitudine *Patris Universalis*,) quasi sub oculis cernens Successus & Progressus magni illius Fidei Hostis, multas consultationes in *Conclavi*, præsentibus *Legatis Principum* exterorum, circa *Bellum Sacrum*, & generalem *Principum Christianorum* in *Turcam* Expeditionem suscipiēdam, habuisset. In quibus cōsultationibus decretum fuisset; ut *Hungari*, *Poloni*, & *Boemi*, *Thraciam* Bello invaderent: *Galli* & *Hispani*, *Graciam*: *Papa* vero (promptus ad se immolandum pro caussa *Christiana*,) in Persona sua, & Comitatu *Regis Angliæ*, *Venetorum*, & aliorū Statuū, qui Mari pollerent, navigaret cum Classe potentissima, per *Mare Mediterraneum*, usque ad *Constantinopolim*. Quodq;, in hunc finem, *Sanctitas Sua*, Nuncios ad omnes *Principes Christianos* misisset; Tam ut Cessatio fieret omnium Dissidiorum & Querelarum inter se, quam ut Apparatus Bellici, & Contributiones pecuniarum, sine mora fierent, ad sacrum hoc Incœptum ad exitū perducendum.

Huic *Papali Legationi Rex*, (de Animo & Consiliis *Papæ* bene informatus) Responsum dedit, magis solenne, quam serium, significans:

Nullum in Terra *Principem* seipso promptiorem, aut obsequentiorem futurum, tam Persona, propria, quam universis suis Copiis, & Fortunis, ad *Bellum* hoc *Sacrum* ineundum. Verum, tantam esse Locorum distantiam, ut nullæ maritimæ Copiæ à se apparandæ & cogendæ, nisi duplici sumptu, instrui possint, & duplici etiam (ad minimum) mora, quam posset fieri à *Regibus*, quorum Territoria magis essent in propinquo. Præterea, neque structuram navium suarum, (cum nullas haberet Triremes,) neque Experientiam *Navarchorum* & *Nautarum* suorum illi Maribus tam apte convenire posse, quam Nationum illarum. Itaque consultius facturam suam *Sanctitatem*, si ab uno ex *Regibus* illis, qui commodius posset impetraret, ut se Mari comitaretur; Quo pacto, omnia & minore Impendio, & majore celeritate, confici possint. Quinetiam, Æmulatio & Divisio, circa Imperium Exercitus, quæ inter illos duos *Reges*, *Gallum* & *Hispanum*, intervenire fortasse possint, si uterque in Bello terrestri super *Graciam* procederet, prudenter evitaretur. Se vero, pro sua parte, Auxiliis & pecuniis non defuturum. Nihilominus, si uterq; *Rex* hoc facere recusaret, se potius, quam *Sanctitas* sua sola navigaret, quam primum posset, eidem inserviturum. Sub Conditione tamen, ut primo discordias omnes inter *Principes Christianos* depositas, & sedatas videret; Quemadmodum, ipse ex sua parte, nullis omnino implicatus esset: Atque simul, Oppida aliqua munita ad Littora *Italiæ*, in manus suas traderentur, quæ hominibus suis, & præsidio & Receptui esse possint.

Cum hoc responso reversus est *Jasper Pons* neutiquam tristis. Attamen hæc *Regis* Declaratio (utcunq; superficialis) ei talem, apud Exteros, Existimationem peperit, ut non diu post, ab *Equitibus Rhodi* electus esset Ordinis illius Protector: Omnibus rebus in multiplicationem honoris cedētibus, *Regi* qui tantam obtinuerat Famam, Prudētiæ, & in rebus Civilibus peritiæ.

His duobus posterioribus Annis, in Judicium vocati sunt, quidam Hæretici; Quod tempore hujus *Regis*, rarum admodum erat: & si aliquando contigerat, Pœnitentiis potius, quam Igne luebāt. *Rex* (licet Scholasticus non esset,) tamen honorē sortitus est, ut *Cantuariæ*, unum ex iis convinceret, & ad Sanitatem perduceret.

Hoc etiam Anno, licet *Rex* à Spiritibus & Illusionibus non esse texatus: Quos aspersione partim Sanguinis partim Aquæ abegerat: Attamen, Apparationibus quibusdam inquietabatur: semper ab eadem Regione se ostendentibus, *Familia* scilicet *Eboracensi*. Evenit, ut *Comes Suffolciæ*. Filius *Elizabethæ*, (Sororis natu majoris, *Edvvardi Quarti*, ex *Ioanne Duce Suffolciæ*, secundo ejus Marito) & Frater *Joannis Comitis Lincolniæ*, qui apud prælium de *Stoke* occubuerat, vir iracundus & cholericus, hominem in Iræ fervore occideret. Cujus criminis *Rex* ei gratiam fecit. Verum, aut ut ei Nubem quandam Infamiæ impingeret: Aut ut sensum Gratiæ suæ majorem incuteret; Eum palam in Judicium produxit, & *Diploma Condonationis* suæ aperte allegare voluit. Hoc in *Comite* illum effectum peperit, quem similibus caussis, in animis elatis parere consuevit. Nimirum, ut Ignominia altius insideret, quam Gratia. Itaque infensus animi, clam in *Flandriam* aufugit ad Materteram suā *Ducissam Burgundiæ*. *Rex*, hac de re turbatus nonnihil est. Sed prioribus periculis edoctus, ut lenibus & tempestivis uteretur remediis, Nunciis benignis ita eum emollivit, (*Ducissa* etiā *Margareta*, tot in Alchymia sua frustrationibus, fatigata: ideoque à novis experimētis facta aliena; partim etiam nonnihil dulcorata, quod ejus Nominis, in Confessione *Perkini*, nulla facta fuerat mentio: (ut *Comes* placatus rediret *Regiq;* reconciliaretur.

Principio Anni sequentis, qui erat *Regis* Decimus Septimus, Domina *Catharina*, *Ferdinandi* & *Isabellæ*, *Regis* & *Reginæ Hispaniæ*, Filia quarta, *Angliam* appulit, apud *Portū Plimmouthi*, secundo die *Octobris*: Et decimo quarto *Novembris* insequētis, *Principi Arthuro* nupsit; Matrimonio in *Templo D. Pauli* solenniter celebrato. *Princeps*, tunc Annorum erat circiter quindecim, Sponsa autem ejus circiter octodecim. Modus eam in *Angliam* recipiendi; Modus ingressus ejus in *Londinum*; Atque Nuptiarum ipsarum Celebritas, magna & vera cū Magnificētia peracta sunt; sive sumptus spectetur,

sive

ſive Splendor, ſive Ordo. Præcipuus vir, qui univerſum apparatum curavit, erat *Foxus Epiſcopus*; Qui non ſolum prudens erat Conſiliarius, in Negotiis tam Belli, quam Pacis, verum etiam bonus Præfectus operum, bonus itidem *Magiſter Cæremoniarum*; Deniq; omnia erat, quæ competerent parti Activæ, & pertinerent ad Servitium Aulæ, aut ſtatus, *Magni Regis*. Nuptiarum harum Tractatus ſeptem Annorum Opus erat; cujus partim cauſſa erat ætas tenera *Principis*, præſertim ipſius *Arthuri*. Sed vera cauſſa ſuberat, quod hi duo *Reges*, prudentiſſimi ſcilicet, & profundi Judicii, ſtabant diu alter in fortunam alterius intuëtes: ſatis gnari, tractatum ipſum interea, Opinionem ubique creare arctè inter illos Conjunctionis, & Amicitiæ; Quod ipſum utrinque utile erat rebus amborum *Regum*, licet liberi adhuc manerent. Verum in fine, cum utriusq; *Regis* Fortuna, indies magis proſpera & ſecura evaderet; atq; cum circumſpectantes, nullam invenirent Conditionem meliorem, Tractatum Matrimonii concluſerunt.

Summa Dotis (quæ in *Regem* translata erat per viam Renunciationis,) fuit Ducenta Millia Ducatorum. Quorum centum Millia ſolvi debebant, poſt decem dies à Solennizatione Matrimonii: Altera vero centum Millia, æquis portionibus, proximis duobus Annis. Pars tamen poterat per Jocalia, aut per Vaſa aurea & argentea, repræſentari: Et Ratio inita eſt, quo pacto juſte & indifferenter æſtimarentur. Reditus autem Principiſſæ aſſignatus, fuit tertia pars *Principatus Walliæ* & *Ducatus Cornubiæ*, & *Comitatus Ceſtriæ*, poſtea per Metas ſeparanda. Verum, ſi contigerit eam *Reginam Angliæ* fore, indefinitus relinquebatur: Ita tamen, ne minor foret, quam ulla *Regina Angliæ* ante hac fruceretur.

In Spectaculis & triumphis Nuptialibus, multa ex *Aſtronomia* deſumpta ſunt. Sponſa enim per *Heſperum* adumbrata eſt, Princeps autem per Arcturum: Sed & vetus *Rex Alphonſus*, (qui inter *Reges* maximus fuerat *Aſtrologus*, atque ſimul ex Progenitoribus *Principiſſæ*,) introductus eſt, ut Fortunam Nuptiarum prædiceret. Certe, quisquis is fuerit, qui iſtas Nugas continuaret, ultra Pedantium ſapuit. Sed pro certo ducas, *Arthurum* illum *Regem Britannum*, ad *Fabulas* uſq; celebrem, atq; Proſapiam *Principiſſæ Catharinæ* à *Familia Lancaſtrenſi*, extractam, nullo modo oblivione præterita fuiſſe. Verum, (ut videtur) non fauſta res eſt, Fortunam ex *Aſtris* petere. Nam *Princeps* iſte Juvenis, (Qui, eo tempore, in ſe trahebat, non ſolum Spes & Affectus Patriæ ſuæ, verum etiam Oculos & Expectationem Exterorum) poſt paucos Menſes, incunte *Aprile*, apud *Caſtrum* de *Ludlovv* obiit, quo miſſus erat, ut cum Aula ſua reſideret, tanquam *Princeps Walliæ*. Hujus *Principis*, eo quod cito mortuus eſt; Et quia in more Patri erat, Liberos ſuos modice illuſtrare, exigua manet Memoria. Illud tandem traditur, eum bonarum Literarum ſtudioſiſſimum fuiſſe & magnos in iis profectus feciſſe, ſupra Annos ſuos, & ſupra Conſuetudinem *Principum* magnorum.

Dubitatio quædam temporibus ſequentibus oborta eſt, cum Divortium HENRICI *Octavi*, & Dominæ *Catharinæ*, tantas turbas in orbe concitaverat, utrum *Arthurus* carnaliter cognoviſſet *Catharinam* uxorem ſuam: Quo iſta pars, de Cognitione carnali, caſui inſereretur. Verum autem eſt, *Catharinam* ipſam rem negaſſe; vel ſaltem Advocatos illius ei rei inſtitiſſe, & ut firmamentum cauſæ non contemnendum omitti noluiſſe; Etſi plenitudo Poteſtatis *Papalis* in diſpenſando, Quæſtio fuiſſet primaria. Iſta autem Dubitatio per longum tempus duravit, reſpectu duarum *Reginarum* quæ ſucceſſerunt, *Mariæ* & *Elizabethæ*; Quarum Legitimationes erant inter ſe incompatibiles, etſi Succeſſio ipſarum, vigore *Actus Parlamenti*, ſtabilita fuiſſet. Tempora autem quæ *Mariæ Reginæ* Legitimationi favebant, credi volebant: nullam fuiſſe carnalem cognitionem. Non quod videri vellent abſolutæ *Papæ* poteſtati quicquam derogare, vel eo caſu diſpenſandi; Sed Honoris tantum cauſa, atque ut Caſus magis eſſet favorabilis, & mollius laberetur. E contra, Tempora, quæ Legitimationi *Reginæ Elizabethæ* favebant, (quæ & longiora, & recentiora fuerunt,) contrarium defendebant. Illud certæ Memoriæ eſt, interceſſiſſe tempus ſemeſtre, inter Mortem *Principis Arthuri*, & Creationem *Henrici*, in *Principem Walliæ*; Quod eo pertinere Homines interpretabantur, quo ſpatiũ illud temporis, in certo poneret, utrum *Catharina* ex *Arthuro* gravida facta fuiſſet. Quin & *Catharina* ipſa, novam à *Papa Bullam* procurari fecit, ad Matrimonium melius corroborandum, cum clauſula illa, (*vel forſan cognitam*) quæ in priore *Bulla* comprehenſa non erat. Datum etiam in evidentiis fuit, dum Cauſa Divortii tractaretur, Scomma quoddam facetum; Nimirum quod *Arthurus* mane cum è lecto *Principiſſæ* ſurrexiſſet, potum poſtulaſſet, præter Conſuetudinem ſuam; Cumq; Generoſus quidam è Cubiculo ſuo, qui potum ei porrigeret, ſubrideret, remq; notaſſet; *Princeps* jocans, ad eum diximſet, *Se in medio Hiſpaniæ, quæ calida eſſet Regio, fuiſſe*. Iter autem ſuum ſitibundum eum reddidiſſe; Quodq; ſi Adoleſcens ille, è tam calido Climate veniſſet, potum avidius hauſiſſet. Quinetiam *Princeps* fuerat Annorum circiter ſexdecim, cum mortuus eſt, & Corpore ſanus & rubuſtus.

Februario ſequente, *Henricus Dux Eboraci* factus eſt *Princeps Walliæ*, & *Comes Ceſtriæ* & *Flintæ*; Etenim *Ducatus Cornubiæ*, ſtatuto ad eum devolutus eſt. At *Rex* Ingenio tenax, & non libenter Reditus novos, ſi alibi nupſiſſet *Henricus*, aſſignaturus; ſed præcipue propter affectum ſuum, quo & Natura, & propter Rationes politicas, *Ferdinandum* proſecutus eſt, affinitatis prioris continuandæ cupidus, à *Principe* obtinuit, (etſi non abſque aliqua Reluctatione, qualis ea Ætate, quæ Duodecimum Annum nondum complevit, eſſe poterat,) ut cum *Principiſſa Catharina*, contraheretur: Secreta Dei Providentia ordinante, ut Nuptiæ illæ, magnorum Eventuum & Mutationum Cauſa exiſterent.

Eodem Anno, celebratæ ſunt Nnptiæ, *Jacobi Regis Scotiæ*, cum *Margareta*, Filia HENRICI Primo-genita: Quæ per Procuratorem contractæ ſunt, & apud *Crucem Divi Pauli* publicatæ, Viceſimo quinto *January*, & *Hymnus Te Deum* ſolenniter ibi cantatus eſt. Verum hoc certum eſt, Lætitiam Civium *Londinenſiũ*, per ſonitum Campanarum, Ignes Exultationis, & hujuſmodi Plebis ſuffimenta, monſtratam, majorem fuiſſe, quam quis expectare in animum induxiſſet, cum tam gravia & recentia, inter Nationes odia extitiſſent; præſer-

præsertim *Londini*, quod tam longe fuerat à sensu Periculorum & Molestiarum ex bellis præcedentibus. Ideoque vere attribui poterat, secreto Augurio & Inspirationi, (quæ sæpenumero influit, nõ tantum in Corda *Regum*, verum etiam in pulsas & venas Populorum,) de Fœlicitate, ex eo Conjugio, temporibus futuris secutura. Matrimonium hoc, Mense *Augusti* sequentis, consummatum fuit apud *Edenburgum*. *Rex* Filiam suam, usque ad Oppidum de *Collivveston* comitatus est; Ibique eam Curæ & Famulitio *Comitis Northumbriæ* commisit. Qui magno cum Comitatu Virorum, & Fœminarum Nobilium, eam in *Scotiam*, ad Maritum suum perduxit.

Hoc Matrimonium, per tres fere Annos, tractatum erat; à tempore scilicet, quo *Rex Scotiæ*, cum *Episcopo Foxo*, Arcanum animi sui communicasset. Summa dotis, à *Rege* HENRICO data, fuit Decem Mille Librarum. Reditus autem annui, à *Rege Scotiæ*, in Sustentationes Uxoris suæ, assignati, fuerunt bis Mille Librarum, post Mortem *Jacobi*; & Mille Librarum in præsenti. Qui Reditus separandi erant, ex precipuis & certissimis Reditibus. Traditur, cum de hoc Matrimonio deliberaretur, *Regem Concilio* suo *sanctiori* Negotium remisisse; Quosdam vero ex Concilio, usos Consiliariorum libertate, (Rege tum præsente) suppofuisse; Si duo *Regis* Filii, sine Hęredibus Masculis defuncti essent, *Regnum Angliæ* ad Lineam *Scotiæ* devolutum iri, quod *Monarchiæ Anglorum* præjudicio esse possit. Cui Objectioni *Rex* ipse, nihil moratus respondit; Id si contigerit, *Scotiam* Accessionis *Angliæ* futuram, non *Angliam Scotiæ*: Majus enim Regnum minus ad se tracturum. Ideoq; Unionem istam tutiorem futuram, quam fuerat illa *Franciæ*. Hoc Responsum *Regis*, instar Oraculi habitum est; & Silentium de ea re secutum.

Annus item fatalis erat, tam Funeribus, quam Nuptiis: Idque æquali temperamento. Gaudia enim & Festa Nuptiarum duarum, compensata erant, Luctibus & Funeribus *Principis Arthuri*, (de quo jam diximus,) & *Reginæ Elizabethæ*, quæ ex puerperio mortua est, apud *Turrim*; *Infante* nõ diu superstite. Mortuus est etiam eodem Anno *Reginaldus Brajus*, *Eques Auratus*, qui notatus est, majorem habuisse, apud *Regem* consulendi libertatem, quam aliquis alius Consiliarius: Verum id genus Libertatis erat, quod Adulationem redderet magis sapidam. Attamen plus justo ex Invidia participavit, circa *Regis* Exactiones.

Hoc tempore Status *Regis* fuit florentissimus; Amicitiis *Scotiæ* munitus, *Hispaniæ* roboratus, *Burgundiæ* ditatus, universæ Urbę intestinę siluerunt; Atque omnis Belli strepitus, (tanquam Tonitru ex longinquo,) in *Italiam* delatus. Itaque Natura, quæ sæpenumero vinculis Fortunæ feliciter constringitur, & frænatur, cœpit prævalere, & prædominari effrænis, in Animo *Regis*; Affectus suos & Cogitationes (tanquam Gurgite forti) impellendo, ad corrogandos & accumulandos Thesauros. Sicut autem *Reges*, multo facilius, Ministros & Instrumenta inveniunt, qui Cupiditatibus eorum inserviant, quam qui Rebus suis & Honori; Nactus est duos Ministros, ex voto suo, aut etiam ultra votum suum, *Empsonum* & *Dudlejum*, (quos Populus æstimabat pro Sangui-sugis & Expilatoribus) ambos Audaces & Famæ Contemptores; Quiq; ex Domini sui mulctura, haud parum ad se ipsi trahebant. *Dudlejus* bona Familia ortus fuit. Vir eloquens, & qui Negotia aspera bonis Verbis condire poterat. Sed *Empsonus*, qui filius fuit Rudiarii, factum semper urgebat, deq; eo triumphabat, missis aliis quibuscunque respectibus, tanquam inanibus. Hi duo, scientia Jurisperiti, authoritate Consiliarii, (quemadmodum Corruptio rerum optimarum est pessima,) *Legem*, & *Justitiam* in *Absynthiam* & *Rapinam* verterunt. Primo enim, mos illis erat, efficere ut plurimi ex Subditis diversorum criminum rei peragerentur, atq; eousq; juxta formam Legis procedere; Cum vero *Bullæ Impetitionis*, quæ vim tantũ Accusationis, nõ Decisionis habebant, veræ repertæ fuerint, statim eos Custodiæ tradere. Neq; tamen causam Juridica via prosequebantur, aut eos tempore cõvenienti ad se defendendum producebant, sed in Carcere languere permittebant, & diversis Artificiis & Terroribus, plurimas ab illis mulctas & redemptiones, extorquebant, quas Compositiones & Mitigationes vocabant.

Quinetiam, usu audaciores facti, tandem tam contemptim & incuriose processerunt, ut ne dimidiam illam partem, (de qua diximus,) Faciei Justitiæ retinerent, ut per viam *Indictamenti* procederent; Sed Præcepta sua & Missivæ passim volitabãt, ad homines comprehendendos, & coram seipsis, & aliis, in ędibus suis privatis, colore scilicet Commissionis suæ, sistendos; Ibique via quadam Justitiæ sumaria, & irregulari, per Examinationem solam, absq; duodecim virorum Judicio, caussas terminabant, potestatem sibi assumentes, in his Justitiæ latebris, tam Caussas Coronæ, quam Controversias civiles dirimendi.

Præterea, mos illis erat, Terras & Reditus Subditorum, *Tenuris Feudalibus*, (quæ in *Capite* vocantur,) onerare, & captivare; falsas *Inquisitiones* procurando, atque inde Custodias & Matrimonia *Minorum* captando; Atq; etiam *Liberaturas*, *primas seisinas*, & mulctas pro *Alienationibus*, (hujusmodi Tenurarum fructus scilicet,) exigendo; Recusantes, sub variis prætextibus & procrastinationibus, Subditos admittere ad tales falsas Inquisitiones, juxta normam Legis, evincendas. Quinetiam *Pupillis Regis*, cum ad majorem Ætatem pervenissent, non licebat Restitutionem Terrarum suarum obtinere, nisi immanes Pecuniarum Summas persolverent. Rursus mos illis erat, Subditos, Informationibus, de Intrusione in Terras *Regias*, vexare, ex meris calumniis, & prętextibus vix probabilibus.

Cum vero Subditos, ob causas aliquas civiles, exleges fieri contigisset, eos chartam Condonationis suæ, de more, procurare non passi sunt, nisi magnas & intolerabiles Pecuniarum Summas dedissent; Rigori Legis innisi, quæ *Ut-legatorum* Bona Fisco applicat. Quinetiam, de proprio addebãt, absque aliquo omnino Juris adminiculo, *Regi*, nomine Mulctæ, in casu *Ut-legationis*, dimidiam partem Terrarum & Redituum Subditorum deberi, durante spatio duorum Annorum integrorum. Etiam cum *Duodecim-Viris*, & Juratoribus *Grandioribus*, minaciter agere solebant, eosq; compellere, ut quod sibi libitum esset, renunciarent: Quod si minus fecissent, in Quæstionem eos adducere, incarcerare, & mulctare consueverunt.

Has,

Has, cum multis aliis, oppressiones, & concussiones exercebant, Oblivione potius sepellendas, quam memoriæ tradendas; Tam sicut Accipitres Domestici, pro *Domino* suo, quam sicut Accipitres Sylvestres, pro seipsis, prædantes; In tantum, ut Opes amplissimas sibi comparaverint. Præcipuum autem eorum Flagellum erant *Foriefacturæ*, exactæ super Leges pœnales: In quibus processibus nulli pepercerunt; neque eminentioris Ordinis neque Inferioris: Neque distinguendo, num Lex possibilis fuerit, aut impossibilis; In usu, aut obsoleta: Sed statuta omnia, tam antiqua, quam nova, tanquam rastris percurrendo: Etsi complura ex illis, magis in Terrorem condita essent, quam ut summo jure ageretur. Habebant autem semper circa se catervam Delatorum, Calumniatorum, & Juratorum pragmaticorum; Ita ut quidvis pro Arbitrio suo *Vere-dicto* exhiberi & confirmari efficerent, sive de Facto, sive de valore.

Manet etiam in hodiernum diem Narratio; Regem, quodam tempore, fuisse à *Comite Oxoniæ*, (qui præcipuus ei erat Servus, tam Bello, quam Pace) magnifice & sumptuose exceptum, apud *Castrum* suum de *Hevenningham*. Sub discessu autem *Regis*, stabant Servi *Comitis*, ordine decente, Tunicis suis, Famulitiis, cum Insignibus *Comitis*, utrunque latus *Regis* prætereuntis claudentes. *Rex Comitem* ad se vocavit, & dixit; *Domine mi, multa audiveram de Hospitalitate tua, eam autem video Fama esse majorem. Isti generosi, & probi homines, quos ab utraque manu aspicio, sunt certe servi tui Domestici, Nonne?* Comes autem subridens respondit: *Si placet Celsitudini vestræ, hoc opes meæ non ferrent. Sunt certe illi plerique Famuli Extraordinarij, suis viventes Impensis, qui hoc tempore venerunt, ut Familiam meam decorarent, præcipue autem, ut Celsitudinem vestram spectarent.* *Rex* ad hæc paulum subsiluit, & dixit; *Medius fidius (Domine mi) de lauto & splendido apparatu, quo me excepisti, gratias ago, sed pati minime possum, Leges meas sub Conspectu meo, violari. Procurator meus tecum aget.* Atque simul traditur *Comitem* eo Nomine, cum *Procuratore Regis*, non minoris quam triginta mille Ducatorum, & amplius transegisse. Atque ut *Regis* incredibilis Diligentia, in ejusmodi Rebus, manifestius appareat, memini me, multis abhinc Annis, vidisse Librum Rationum *Empsoni*, cujus singulas fere Paginas *Rex* propria manu subsignavit, & in aliquibus locis, postillæ erant etiam ex manu *Regis*. In quo libro fuit Memoriala ista *Empsoni*.

Item receptæ (à tali) quinque mercæ, propter Condonationem A. B. *impetrandam; & si Condonatio non concedatur, pecunia est rependenda, nisi eidem alias satisfactum fuerit.*

In margine autem hujus Memoriolæ per manum *Regis* propriam, apposita sunt hæc verba.

Alias satisfactum.

Cujus ideo potius mentionem facio, quod in *Rege* magnam parsimoniam ostendit, sed tamen cum Justitia conjunctam. Itaque pusillæ istæ Arenulæ, & Granula, Auri & Argenti (ut videtur) haud parum fecerunt ad mirabilem illam Struem Thesauri constituendam.

Verum interea (ne *Rex* obdormisceret) *Comes Suffolciæ*, in Nuptiis *Arthuri Principis*, propter splendidas vestes, & alios Sumptus obæratus, animum iterum adjicit, ut fieret Eques Erraticus, & ut Regionibus exteris nova Facinora experiretur; unde cum Fratre suo in *Flandriam* rursus aufugit. Quod animos ei addidit, fuit procul dubio universalis Murmur populi, contra Regimen HENRICI. Cumque esset vir levis, & temerarius, cogitavit ille, Vapores quosque in Tempestates versos iri. Neque defuit ei Factio nonnulla intra *Regnum*; Etenim Murmur Populi etiam in Nobilibus novarum Rerum studium excitat; Idque rursus, caput aliquod Seditionis evocat. *Rex* ad solitas Artes confugiens, *Robertum Cursonum, Equitem Auratum, Castelli de Hammes Præfectum* (tum trans Mare degentem; Ideoque minus suspectum, qui cum *Rege* Consilia misceret.) Præfecturam suam deserere jussit, Seque Servum *Comitis* profiteri. Eques iste postquam in Arcana *Comitis* se sedulo insinuasset; atq; ab eo explorasset, in quibus hduciam præcipue reponeret, *Regem* de omnibus, quam fieri potuit occultissime, certiorem fecit: Et nihilominus, eundem locum in Confidentia *Comitis*, retinuit. Literis & Nunciis à *Cursono* acceptis *Rex* motus, comprehendi jussit *Guilielmum Courtnejum, Comitem Devoniæ*, arctissima Affinitate cum *Rege* conjunctum (quippe qui in Matrimonium duxerat, Dominam *Catharinam Edvvardi Quarti* Filiam:) *Guilielmum Polum Comitis Suffolciæ* Fratrem, *Jacobum Tirellum, & Johannem Windhamum*, equites Auratos; Et nonnullos alios gradus inferioris Homines, & in custodia habuit. Eodem quoque tempore comprehensi sunt, *Georgius Baro Abergavennius*, & *Thomas Greenus* Eques Auratus; Sed sicut ob leviorem suspicionem comprehensi erant, ita solutiore custodia habiti, & paulo post Libertati restituti. Ex his, *Comes Devoniæ*, qui cum sanguine *Familiæ Eboracensis*, tam alto gradu, commixtus erat; ideoque à *Rege* metuebatur sane, licet omnino insons fuerit; Nihilominus tanquam illa Persona, quæ pravorum Consiliorum, in aliis Objectum esse posset, in custodia *Turris* detentus est, durante vita *Regis*. *Guilielmus Polus* similiter, diu incarceratus fuit, etsi minus arcta custodia. Sed quantum ad *Jacobum Tirrellum* (contra quem Sanguis *Principum Innocentium Edvvardi Quarti*, & *Fratris* ejus *sub Altari clamabat*) & *Iohannem Windhamum*, & alios Inferiores, illi in Judicium adducti, & supplicio affecti sunt; Equites autem duo decollati. Nihilominus, ut *Cursono* Fides confirmaretur, (qui, ut verisimile est, nondum omnes Artes suas deprompserat, neque quæ ab eo agenda erant, perfecerat;) publicata est, apud *Crucem D. Pauli*, tempore Executionum prædictarum, *Bulla Papalis Excommunicationis & Anathematis in Comitem Suffolciæ & Thomam Cursonum*, & alios quosdam nominatim; Ac generaliter in omnes Fautores ejusdem *Comitis*: In qua re, fatendum certe est, Cœlum ad Terram nimis incurvatum fuisse, & Religionem Rationibus politicis. Verũ, haud diu post, *Cursonus* (Opportunitatem nactus) in *Angliam* venit, & simul in pristinam apud *Regem* gratiam, sed majore cum Infamia apud Populum. Cujus reditu *Comes* haud parum territus est, Seque videns spe omni destitutum, (*Ducissa* quoque *Margareta*, Tractu temporis, & infœlicibus successibus, facta tepidiore,) post vagas quasdam Peregrinationes, in *Gallia* & *Germania*; Et pusilla quædam Incœpta, nihilo meliora, quam Ignes Exulis missiles, defessus tandem in *Flan-*

in *Flandriam*, in Protectionem *Archi-ducis* se demum recepit; Qui per mortem *Isabellæ*, eo tempore *Rex Castiliæ* esset, in Jure *Ioannæ* uxoris suæ.

Hoc Anno (decimo nono scilicet *Regni* sui) *Rex Comitia Ordinum* convocavit. Facile autem conjicere erat, quam absolutam potestatem se crederet *Rex* habere apud *Ordines* suos, ex hoc, quod *Dudlejus*, odiosus ille Minister *Regis*, factus esset *Prolocutor inferioris Consessus*. In hoc *Parlamento* paucæ admodum latæ sunt Leges memorabiles, circa Administrationem *Regni* publicam. Quæ vero latæ fuerunt, *Regis*, ut semper, prudentiæ, & Artis imperandi, Imaginem impressam habuerunt.

Lata est *Lex*, qua irritæ factæ sunt omnes Dimissiones aut Concessiones *Regis* adversus eos, qui rite citati, ad serviendum *Regi* in Bellis suis, sive contra Hostes, sive contra Rebelles, non venirent, aut, sine *Regis* licentia discederent; Cum Exceptione tamen quorundam virorum Togatorum: Ita tamen, ut quisque stipendia *Regis*, à primo die Profectionis suæ, usque ad Reditum in domum suam reciperet. Simile *Statutum*, quatenus ad Concessiones Officiorum Civilium, ante ordinatum erat; Hoc vero Sanctionem illam *Regis*, etiam ad Terras extendebat. Certe, per plurimas *Leges*, hujus *Regis* tempore conditas, liquido aparet, *Regem* tutissimum judicasse, Leges Militares, Legibus Parlamentariis, roborare.

Alia *Lex* condita est, quæ prohiberet Importationem alicujus Manufacturæ, ex byssо, vel simpliciter, vel cum mixtura alterius fili, textæ. Verum ad pannos integros sericos non extendebat, (quoniam, eo tempore, Ars hujusmodi Manufacturas conficiendi in usu apud *Anglos* non erat,) verum ad byssum textilem tantum, veluti Teniolarum, Astrigmentorum, Reticulorum; Ligularum, & Cingulorum, &c. quas Manufacturas Artifices *Angliæ* satis callebant. *Lex* hæc veræ Regulæ nixa est, videlicet; Ubi *Materialia extera superflua sint, ibi Manufacturas, earum apud exteros prohibendas*. Hoc etenim aut superfluitates illas arcebit, aut Manufacturam lucrabitur.

Lata est etiam *Lex* alia, qua Chartæ Regiæ de peculiaribus Carceribus revocarentur, illiq; Muneri *Vice Comitis* reannecterentur. Peculiaribus scilicet, & privilegiatis Officiariis, non minus ad Interruptionem Justitiæ facientibus, quam Locis privilegiatis.

Lata est insuper *Lex*, quæ *Leges* Municipiorum restringeret; quæ sæpenumero impugnare solebant *Prærogativam* Regis, Legem communem Regni, & Libertatem Subditorum; Hujusmodi Municipiis & Collegiis, nil aliud existentibus, quam *Fraternitatibus in Malo*. Ordinatum igitur est, ne hujusmodi *Leges* peculiares, Executioni demandarentur, nisi recognitæ fuissent, & approbatæ à *Cancellario* & *Thesauro Angliæ*, ac duobus *Capitalibus Iusticiariis*: sive eorum tribus; Aut etiam à duobus *Iusticiariis itinerantibus*, in Locis ubi Municipium situm esset.

Lata est etiam Lex alia, quæ hoc revera agebat, ut Argentum Regni, in Monetarinm *Regis*, adduceretur. Ordinabat autem, ut omnes Nummi Argentei tonsi, aut diminuti; in Solutionibus Pecuniarum, minime reciperentur; Ne grani quidem facta gratia, quam Remedium vocant, sed tantum cum Exceptione Attritionis Competentis, quæ ob Incertitudinē Exceptio, erat quasi Illusoria: Adeo ut per Consequentiam, omnes Nummos Argenteos in Monetariam *Regis*, iterum recudendos, adduci necesse fuerit, unde *Rex* propter novam cusionem, fructum perciperet.

Ordinatum est etiam *Statutum* prolixum, contra Mendicos, & Errones; In quo duæ Res occurrunt, notatu dignæ. Prima, Comitiis displicuisse hujusmodi Erronum Inearcerationem; utpote quæ Populo sumptui esset, Carceres superoneraret, neq; publicum Exemplum, quod in oculos Hominum incurreret, exhiberet. Altera, quod in Statutis hujus *Regis*, (Neque enim hoc *Statutum* Anni decimi noni solum est in eo genere,) semper copulantur Erronum Supplicia, cum Interdictis de Alea, aut Chartis pictis, & hujusmodi Ludis illicitis, à Servis & Plebeiis utendis. Atque una de Cauponulis sive Cervisiariis supprimendis: Cum hæc Fibræ sint unius Radicis, atque ac si alterum absque cæteris extingui posse, vana opinio esset.

Quod vero ad turbulentas Hominum Coitiones, & illicita Famulitia, vix fuit *Parlamentum*, tempore hujus *Regis*, absque Statuto aliquo contra eas lato; *Rege* semper excubias quasdam agente, contra Magnatum Potentiam, & populares Cœtus.

Concessum etiam *Regi* fuit, eo *Parlamento* Subsidium Pecuniarum tam à Laicis, quam à Clero. Nihilominus, ante finem Anni, exivit Commissio, ad Benevolentiam generalem colligendam: Etsi nullum esset Bellum, nulli metus. Eodem quoque Anno, Civitas *Londini*, quinque Millia Mercarum *Regi* dedit, pro Confirmatione Immunitatum suarum; Res certe, quæ magis Initiis *Regis* conveniret, quam Temporibus ultimis. Neq; paulum lucri *Regi accessit*, Occasione *Statuti* recentis, de reducendis Drachmis, & Semi-drachmis, hodie Solidos, & Monetam sex Denariorum, æquantibus. Quantum vero ad Molendina *Empsoni* & *Dudleii*, illa etiam nunc magis, quam unquam antea, molebant. Ita ut res esset plane stupenda, videre quot Imbra Aurei, in *Regis* Thesauros, simul descenderint. Nam primo, *Solutiones posteriores Dotis Nuptiales ex Hispania* in illud tempus incidebant; *Subsidium Parlamentarium* exigebatur: *Benevolentia* colligebatur: Adde Commodum ex *Monetis recusis*: *Immunitatum Londini Redemptiones*: *Casualia* undique emergentia. Hæc autem Pecuniarum congeries, eo magis fuit mirabilis, quod *Rex* eo tempore, nullis omnino Bellis aut Motibus implicabatur: Quin & unicum tantum Filium habuit: Filiam etiam unam innuptam: Præterea *Rex is* fuit, qui prudentia excelleret; Altosque itidem Spiritus gereret: Adeo ut Gloriam ei ex Divitiis petere opus non esset: Cum aliis Rebus plurimis, (Nisi quod certum est, Avaritiam sibi Materiam Ambitionis semper proponere) emineret. Ita ut, unde tanta Pecuniarum Cupiditas Regem obsederit, non facile quis habeat, quod conjiciat. Forsitan Amor Filii, hanc Cogitationem animo suo suggessit,

se tam potens *Regnum*, & Tantos Thesauri cumulos, relicturum, ut Filius Arbiter Fortunæ propriæ futurus esset.

Hoc etiam Anno, Festum *Servientium ad Legem* celebratum fuit Quod fuit tempore *Regis* hujus Secundum.

Circa hoc tempus, *Isabella*, *Regina Castiliæ*, decessit: Fœmina Heroica, ac. Ornamentũ, & Sexus sui, & Temporum: Quæque Magnitudinis *Regni Hispanici*, quæ secuta est, *Lapis Angularis* fuit. Hoc Accidens, *Rex*, non ut nova, peregrina accepit, sed tanquam illud, quod magnum haberet cum rebus suis Consensum; Idque duplici respectu præcipue. Nimirum, tam propter Exemplum, quam propter Consequentiam. Primò secum reputabat, Casum *Ferdinandi Arragoniæ*, post mortem *Isabellæ*, eundem prorsus esse, cum Casu suo, post mortem *Elizabethæ*. Casumque *Ioannæ*, *Hæredis Castiliæ*, convenire cum Casu Filii sui, *Principis Henrici*. Etenim si uterque *Rex*, *Regnumque* teneret, in Jure uxoris suæ, descendebat utiq; ad hæredem, neque marito accrescebat. Et licet Casus suus proprius, magis quam ille *Ferdinandi*, & Ferro, & Membrana, firmatus, (hoc est Victoria in Acie, & Actu Parlamentario) nihilominus, naturale illud Jus Sanguinis ita (etiam in animo Viri prudentis) præponderabat, ut Dubitationem injiceret, num reliquis duobus, tuto & solide quis niti posset. Itaque diligentissime observabat, quomodo cũ *Rege Arragoniæ* actum foret in Retentione *Regni Castiliæ*; Atque insuper, si forte retinuisset; utrum in Jure proprio, vel ut Administrator Bonorum Filiæ suæ, se illud tenere profiteretur. Secundo, animo volvebat Statum *Europæ*, per hanc mortem, conversionem quandam pati posse. Cum enim, temporibus anteactis, conjunctio sui ipsius cum *Arragonia* & *Castilia* (quæ Res una fuerant,) Amicitiaque *Maximiliani*, & *Philippi* Filii sui, *Archi-Ducis*, Potentiam *Gallorũ* longe superarent; Metuere jam cœpit, ne forte *Rex Gallus*, (qui in Affectibus *Philippi Regis* Juvenis *Castiliæ*, Locum insignem obtinebat, & *Philippus* ipse, jam *Castiliæ Rex*, (Cui inimicitiæ intercedebant cum Socero suo circa præsens Regimen *Castiliæ*,) Nec-non & ipse *Maximilianus Philippi* Pater, (qui mobili esset Ingenio, & de quo Conjectura illa fere sola merito capi poterat, eum non diu eundem futurum, qui paulo ante fuisset,) Hi res potentissimi *Principes*, in arctam aliquam Amicitiam & Fœdus, inter se coirent. Quo facto, licet Periculum minime sibi ab aliis immineret, tamen Amicitiæ *Arragoniæ* nudæ, relinqueretur. Unde fieret, ut cum ipse prius velut Arbiter Rerum *Europæ* extitisset, jam Potestate minus foret, & tanta conjunctione in ordinem redactus. Quin & *Rex* HENRICUS (ut videtur) de nuptiis secundis cœpit cogitare, & circumspicere, quales Conditiones Matrimoniorum, in *Europa*, tunc se ostenderent. Inter alias audiverat, de Pulchritudine & Moribus suavissimis, *Reginæ* Juvenis *Neapolitanæ*, Viduæ *Ferdinandi* junioris, tunc temporis Matronali Ætate, Annorum circiter vinginti septem. Per quas Nuptias existimabat *Regnum Neapolitanum* (de quo tam diu, inter *Regem Arragoniæ*, & *Regem Gallum*, certatum fuerat, quandoque noviter tandem tranquillitatẽ sortitum est,) posse saltem in parte, deponi intra suas manus, qui pignus tam tuto tueri possit: Misit igitur tanquam Legatos aut Nuncios, tres Viros, quibus multum fidebat; *Franciscum Marsinum*, *Iacobum Braybrokum*, & *Ioannem Stilum*, revera ad Inquirendum potius, quam Negotiandum; idq; super duas Materias. Prima erat, de Persona, & Fortunis *Reginæ* Juvenis *Neapolitanæ*: Altera, de omnibus Rebus, quæ Relationem quampiam habebant ad Fortunam & Consilia *Ferdinandi*. Cum autem ii commodissime observare possint, qui ipsi minime observantur, eos misit, sub prætextibus speciosis, tradens iis in manus Literas Amoris & Comitatis à *Catharina Principissa* ad Amitam suam, & Neptim, Seniorem, & juniorem, *Reginas Neapolis*: Etiam commisit iis librum Articulorum novorum circa Pacem; Qui liber, licet antea datus fuisset *Doctori* de Puebla Legato *Hispano*, in *Anglia* Residenti, ab illo in *Hispaniam* mittendus: Tamen visum est *Regi*, quia plusculum temporis intercesserat, ex quo nihil ab *Hispania* accepisset, ut illi Nuncii, postquam duas illas *Reginas* visitassent, recta ad Aulam *Ferdinandi* pergerent, atque secum Exemplar Libri perferrent. Mandata circa *Reginam Neapolis* juniorem, tam accurata erant, & exquisita, cum Articulos continerent, adeo præcisos, ut veluti Tabulam quandam conficerent personæ ejus, quoad Complexionem, Aspectum, Lineamenta Corporis, Staturam, Valetudinẽ, Annos, Mores, Gestum, Fortunas; ut si *Rex* Juvenis fuisset, eum quis facile Amoribus deditum judicaret; cum vero Ætate provectior esset, interpretari potius quis debeat, eum proculdubio castum insigniter fuisse, utpote qui omnia in una Fœmina conjuncta desideraret, quo Affectus suos ab Amoribus vagis contineret. Verum in his Nuptiis *Rex* cito refrixit; postquam à Legatis suis accepisset, *Reginam* istam juvenem, pulchris quidem & Amplis Reditibus, in Regno *Neapolitano*, dotatam primo fuisse, quos integros recepit, durante vita *Friderici* Patrui sui: Etiam durante tempore *Ludovici*, *Regis Galli*; Intra cujus Limites Proventus illi jacebant: Verum postquam *Regnum* ad *Regem Ferdinandum* pervenisset, omnes Reditus illius *Regni*, Exercitui & Præsidiis assignatos fuisse: Illam autem pensionem tantum, aut Exhibitionem ex Arcis ejus recipere.

Alteri Inquisitionis parti Relatione gravi & diligenti satisfactum est, quæ *Regem* plene informabat de præsenti statu *Regis Ferdinandi*. Ex hac Relatione, *Regi* constitit, Ferdinandum Regimen *Castiliæ* retinere, in jure *Administratoris* Filiæ suæ *Ioannæ*; Adminiculo etiam Testamenti *Isabellæ Reginæ* defunctæ, & partim ex consuetudine *Regni*, ut *Ferdinandus* prætexuit. Quodque omnia Mandata & Chartæ *Regiæ* expediebantur nomine *Ioannæ* Filiæ suæ, suique ipsius tanquam Administratoris, nulla facta mentione *Philippi Mariti* ejus. Quodq; *Rex Ferdinandus*, licet nomine *Regis Castiliæ* abstineret, constitueret tamen apud se *Regnum* tenere, absoluta potestate, absque reddendis rationibus.

Referebant etiam, *Regem Ferdinandum* se spe nonnulla pascere, *Philippum* ei permissurum Regimen *Castiliæ*, durante vita sua; Quod *Ferdinandus* certe ei persuadere vehementer conatus est, tam opera Consiliariorum quorundam ipsius *Philippi*

quo

quos *Ferdinandus* sibi devotos habuit, quam præcipue Protestatione, quod si *Philippus* in hoc non acquiesceret, se Juvenem aliquam uxorem ducturum; unde eum Successione in *Regnæ Arragoniæ* & *Granadæ* privaret, si forte ipsi Filius natus foret: Postremo intimando ei, *Imperium Burgundorum* ab *Hispanis*, nullo modo toleratum iri, antequam *Philippus*, mora & Tractatu Temporis, factus esset tanquam *Hispanus* Naturalis. Sed in iis omnibus rebus, (etsi prudenter positis & captatis) *Ferdinandus* spe sua frustratus esset; Nisi quod Pluto erga eum magis fuit propitius, quam Pallas.

Eadem autem Relatione, Legati, qui homines erat mediocris conditionis, ideoque majore apud *Regem* Libertate gaudebant, rem tetigerunt, de qua tutum vix videbatur, apud *Regem* disserere. Etenim non dubitarunt *Regi* apertis verbis narrare, Subditos *Hispaniæ*, tam Proceres, quam populum, melius affectos esse erga Partes *Philippi*, (si modo Uxorem secum in *Hispaniam* adduxisset,) quam *Ferdinandi*; & caussam simul adjunxerunt, quoniam *Ferdinandus* magnis Exactionibus eos gravaret: Quæ certe simul repræsentata, ipsissimum Casum exprimebant, inter *Regem* & Filium suum.

Complectebatur etiam ista Relatio Declarationem, de propositione quadam Matrimonii; quam *Amason*, *Ferdinandi Secretarius* Legatis intimavit, (sed tanquam magnum Secretum) inter *Carolum Principem Castiliæ*, & *Mariam Filiam Regis* Secundo genitam; *Regi* pro certo referentes, Tractatum de Matrimonio tunc agitatum, inter *Principem* præfatum, & Filiam *Regis Galli* ruptum iri; Filiamque *Galli* proculdubio nuptam iri Angolesmio, qui Hæres erat apparens *Regni Galliæ*.

Etiam dispersum erat quidpiam, de Matrimonio *Ferdinandi*, cum Domina de *Fois*, Fœmina Nobili, ex Sanguine *Regis Galliæ*, quod postea certe completum est. Verum hoc referebant, tanquam Rem, quam in *Gallia* perdidicerant, in *Hispania* autem Silentio cohibitam.

Rex hac Relatione, quæ magnam suis Rebus Lucē præbebat, bene informatus, & edoctus fuit, quomodo se gereret, inter *Ferdinandum Regem Arragoniæ*, & *Philippum* Generum ejus, *Regem Castiliæ*. Decrevit autem apud se, omnem navare operam, ut illi inter se bene congruerent: Sed utcunque hoc successisset moderatis Consiliis, & personam Amici communis præ se ferendo, neutrius amicitia se privare: Ita tamen, ut interiori Affectu *Ferdinandi* Rebus faveret: Externis vero Demonstrationibus & officiis *Philippum* magis demereretur. Sed ante omnia maxime delectatus est, Propositione Matrimonii Filiæ suæ *Mariæ*, cum *Principe Carolo*: Tum quod matrimonium esset, inter omnia *Europæ Christianæ*, celsissimum: Tum quod ex utraque affinitate participaret.

Verum ad corroborandam Affinitatem suam cum *Philippo*, venti colloquium ei detulerunt. Etenim *Philippus* Hyemem potius eligens, ut *Regem Arragoniæ* imparatum offenderet, cum magna Classe è *Flandria* in *Hispaniam* solvit, Mense *Januarii*, Anno *Regis* HENRICI Vicesimo primo, Coorta autem est, dum navigaret, atrox Tempestas, quæ Naves ejus in diversas *Angliæ* Oras dis-jecit. Navis verò, in qua *Rex* & *Regina* vehebantur, (cum duabus aliis naviculis solis,) lacerata, & vix à furore Tempestatis elapsa: *Waimoutham* appulit, *Philippus* ipse, (utpote Mari & Navigationibus insuetus) defessus & Æger, in Terram prorsus ascendere voluit, ut vires suas reficeret, licet Consiliarii ejus contrarium suaderent: Moram metuentes, cum Res ejus celeritatem potius requirerent.

Fama Classis potentis, ad *Angliæ* Littora visæ, Populum Arma sumere adegit. *Thomas* autem *Trenchardus*, *Eques Auratus*, cum Copiis quas subito coëgerat, nesciens quid rei esset, *Waimontham* venit. Ubi intellecta, summa cum humilitate & humanitate, *Regem* & *Reginam* ad ædes suas invitavit; Statimque Equites expeditos ad Aulam misit, Paulo post, supervenit *Ioannes Carous*, *Eques Auratus*, cum magno Comitatu Armatorum, qui simile obsequium *Regi Philippo* præstitit. *Philippus* autem merito dubitans, hos Equites, utpote Subditos, non ausuros cum, absque Notitia & Licentia *Regis* sui, demittere, eorum postulatis annuit, donec ex Aula mandata acciperent. *Rex*, quamprimum nova de hoc eventu accepisset, jussit statim, ut *Comes Arundeliæ*, suo nomine, *Regem Castiliæ* visitaret; Atque ei significaret, se, sicut dolebat de Infortunio ejus, ita lætari, quod periculum maris evasisset; Quodque sibi Occasio daretur eum honore debito prosequendi; Et ab eo petere, ut ipse se, quasi in suo esse Regno existimaret, Ipsumque *Regem* HENRICUM, qua poterat celeritate, in ejus amplexus festinare. *Comes*, insigni cum magnificentia, ad *Regem Philippum* accessit, cum Turma splendida Equitum trecentorum; Et ad majorem pompam, Noctu, Tædis accensis, *Regem* adiit. *Philippus*, postquam *Comes* mandata retulisset, *Regis* animum satis perspiciens, quo citius abiret, equis citatis ad HENRICUM *Winteforiæ* perrexit, *Regina sua*, parvis itineribus, subsequente. *Reges* duo in occursu suo, summis Amoris & Charitatis Indiciis, se mutuo exceperunt. *Rexque Castiliæ* urbane HENRICO dixit; *Se pœnas jam solvere, quod intra munitum Oppidum Caleti ingredi refugisset, cum prius collocuti essent*. Cui Rex respōdit; *Muros & Maria pro nihilo esse, ubi Corda aperta essent; Quodque hic ad nihil aliud adesset, quam ut honore afficeretur*. Post unius aut alterius diei Intermissionē, otio, & levamento datæ, *Reges*, sermones de renovando Tractatu, cōtulerunt; Allegante HENRICO, quod licet Persona *Philippi* eadem esset, tamen Fortuna ejus & status altius evecta essent. In quo casu Tractatuum Renovationes in more apud *Principes* erant. Verum dum ista tractarentur, HENRICUS, Opportunū Tempus deligens, *Regemque Castiliæ* in interius Cubiculum adducens, ubi nemo præter ipsos *Reges* aderat, manuq; leniter super brachium *Philippi* posita, vultuq; nonnihil ad serium composito, ei dixit: *Rex optime; Tu ad oras meas salutem reperisti; spero te minime permissurum, ut ad Oras tuas ego naufragium faciam*. Quæsivit ab eo *Rex Castiliæ*; *Quid sibi vellet is Sermo? Loquor (inquit Rex* HENRCUS) *de temerario illo & cerebroso Subdito meo, Comite Suffolciæ, qui in ditione tua protectus est, & partes Fatui jā arripit, cum alii omnes eas fastidierint. Rex Castiliæ* respondit; *Putaram (Domine mi) Felicitatem tuam supra*

tales Cogitationes sitam; Verum si hoc molestum tibi sit, Finibus meis eum ejiciam. Replicavit *Rex*, *hujusmodi crabrones in nido proprio minus damni facere, atqui pessimos esse, cum circum volitent. Se autē postulare, ut in manus suas traderetur. Rex Castiliæ* hoc postulato nonnihil confusus, & tanquam in se descendens dixit; *Hoc, salvo honore meo, facere non possum; Minus etiam salvo honore tuo; Videberis enim me tanquam Captivum habuisse.* Cui *Rex* HENRICUS subito respondit: *Tum vero res peracta est. Ego enim illā Honoris mei jacturā perferam quo honor tuus illibatus servetur. Rex Castiliæ*, qui *Regē* plurimi faciebat: Non immemor etiam in quo loco esset: Neq; sciebat quanto usui amicitia *Regis* ei esse posset, quandoquidem ipse in *Regno Hispaniæ* novus esset: Atque nec Socero suo, nec Populo ipsi adhuc gratus, vultu sedato, dixit; *Legem tu quidem mihi imponis, ego itidem vicissim tibi: Habebis eum: Sed honorem tuū obligabis te vitam ei minime adempturum. Rex, Philippum amplexus*, dixit: *Adsentior.* Addidit *Rex Castiliæ: Neque tibi displicebit, si ad eū mittam, tali modo, ut partim sponte redire possit. Rex* HENRICUS respondit: *Regē Philippum rem bene disposuisse: Seque, si ei placeret, in hoc cooperaturum, & Nuncium ad Comitem, in eum finem missurum.* Ambo *Reges* separatim miserunt, atque interea, Conviviis, & Triumphis, tempus protrahebant. *Rege* hoc agente, ut *Comes* in ejus potestate esset, antequam *Philippus* discederet: *Rege* etiam *Castiliæ* in hoc conveniente, ut Res manifestius à se extorta putaretur. *Rex* itidem HENRICUS, multis prudentibus & egregiis Monitis & Argumentis, *Philippo* suadebat, ut Soceri sui Consiliis se regeret, *Principis* scilicet tanta prudentia, tanta experientia, tanta felicitate. *Rex Castiliæ* (qui à *Ferdinando* animo alieno erat,) respondit: *Quod si socer ejus ei permitteret, ut Regna sua, sicut par erat, regeret, ipse etiam ab illo libenter regi vellet.*

Confestim Nuncii, ab utroque *Rege*, missi sunt ad accersendum *Comitem Suffolciæ*: Qui blandis verbis facile incantatus fuit, & in Reditum suum libenter consensit: De vita sua securus, & de Libertate spem bonam habens. A *Flandria, Caletum* adductus est, & inde *Doroberniam* appulit, & stipatus custodia conveniente traditus; & receptus in *Turrim Londinensem. Rex* per hoc tempus, *Regem Castiliæ*, in *fraternitatem Periscelidis*, cooptavit; Et reciproce, Filius ejus *Henricus Princeps*, in Ordinem *Aurei velleris* admissus est: Et paulo post, *Philippus* cum *Regina* sua, *Rege* comitante, ad urbem *Londini* venit; ubi excepti sunt omni magnificentia, & Apparatu quantam quidem temporis angustiæ paterentur. Postquam autem *Comes Suffolciæ*, ad *Turrim* perductus esset, (quod maxime HENRICUS expetebat) cessarunt Triumphi: *Regesque* mutuo sibi valedixerunt. Nihilominus, durante, mora *Philippi* in *Anglia*, etiam conclusus est Tractatus ille, quem *Belgæ Intercursum malum* nominarunt; gerens Datum apud *VVindesoriam*; Quoniam in eo continentur Articuli nonnulli, in favorem *Anglorum*, potius quam *Belgarum*; Præcipue quod Articulus ille, de libera *Belgarū* piscatione qui in Tractatu priore, Anno *Regis* undecimo, insertus erat, in hoc altero omissus est, & minime confirmatus. Omnibus quoque Articulis, qui ad priores Tractatus confirmandos pertinerent, præcise & caute limitatis, ut ad Negotium Commercii tanntnum, nec alia extenderent.

Observatum est, eandem Tempestatatem, quæ *Philippum*, in Oras *Angliæ* compulerat, etiam *Aquilam Auratam*, de spira *Templi D. Pauli* dejecisse; inter cadendum autem impegit in signum *Aquilæ nigræ*, qud in *Cœmiterio* erat, illudque confregit. & in terram conjecit. Quod erat, profecto, mira quædam & præceps Accipitris in Alitem Advolatio. Hoc interpretabatur Populus, mali ominis loco, in *Familiam Imperialem*: Quod etiam impletum est in *Philippo Imperatoris* Filio, non solum in Infortunio illo Tempestatis: Sed in & iis quæ secuta sunt: *Philippus* enim, *Hispaniam* ingressus, & *Regni Castiliæ* possessionem sine vi adeptus: (Adeo ut *Ferdinandus*, qui tam magnifice antea loquebatur: non sine difficultate, ad Colloquiū Generi sui admissus esset:) paulo post, Morbo correptus est, & diem suum obiit. Eo tamen ipso intervallo, notatū est à prudētioribus, quod si diutius vixisset *Philippus*, socer ejus, ita apud eum se insinuaturus fuisset, ut si minus in affectibus ejus, at certe in Consiliis, & Regimine, magna apud eum Auctoritate valiturus esset Morte *Philippi*, universum *Regnum Hispaniæ* ad *Ferdinandum* rediit, statu pristino, præcipue per infirmitatem *Ioannæ* Filiæ suæ: Quæ Maritum suum unice diligens, (ex quo multos susceperat liberos,) nec minus ab eo adamata, (utcunque Pater ejus, quo *Philippo* Invidiam faceret, apud Populum *Hispaniæ*, morose eum erga uxorem suam se gessisse divulgaverat,) Mariti sui obitum impatienter ferebat, & inde in Maniam plane decidit. Cujus Morbi Curationi, Pater ejus, incuriose incumbere existimabatur, quo *Imperium* in *Castiliæ* retineret. Ita ut, quemadmodum Felicitas *Caroli Octavi*, solita erat dici Felicitas Somni: Ita etiam Res Adversæ *Ferdinandi*, somni res Adversæ dicerentur: utræque tam subito transierunt.

Circa hoc tempus *Regem* cupiditas incessit introducendi, in *Familiam Lancastriæ*, honores cœlestes, unde *Papæ Iulio* supplicavit, ut *Regem* HENRICUM *Sextum*, pro *Sancto* canonizaret. Inter alia, Argumento usus, quod de *Rege* ipso in *Regnum* successuro, tam clare vaticinatus esset. *Julius*, (pro more) rem *Cardinalibus* quibusdam commisit, qui verificationem, de sanctis ejus Operibus, & miraculis examinarent. Verum Res, subhac commissione extincta est. Generalis fuit Opinio, *Iulium Papam* rem nimio pretio æstimasse, *Regemque* noluisse eam tanti emere. Sed verisimilius est, *Papam* illum *Iulium*, (qui honoris *Sedis Romanæ*, & actorum ejus, fuit studiosissimus,) satis gnarum, eundem HENRICUM ubique pro homine simplici & minus capaci, habitum, metuisse, ne honoris, tali admissione, vilesceret: nimirum, si discrimen rite servatum non esset, inter *Innocentes*, & *Sanctos*.

Eodem etiam Anno, tractari cœpit matrimonium inter *Regem* ipsum, & Dominam *Margaretam, Ducissam Dotariam Sabaudiæ*, unicam *Maximiliani Imperatoris* Filiam, & *Philippi Regis Castiliæ* sororem: Fœminam prudentem, & Famæ integerrimæ. Hujus rei Mentio aliqua facta erat, inter duos *Reges*, quando convenerant, sed paulo post in deliberationem denuo venit: In quo negotio pro Tyrocinio *Rex* opera utebatur *Capellani* sui, *Tomæ VVolsæi*, illius, qui postea ad tanti Prælati culmen ascen-

ascendit. Matrimonium hoc tandem conclusum est, sub Conditionibus, in *Regis* favorem amplissimis: sed firmatum tantũ per verba de futuro. Fieri potest, ut *Rex* in hoc matrimonium eo magis inclinaret, quod indies audisset procedere Matrimonium, inter veterem affinem, & amicum suum, *Ferdinandum Arragoniæ*, & Dominam de *Fois*: unde *Rex* ille *Regi Gallo* adhærere cœpit: A quo semper antea fuisset alienus. Adeo fatale est, *Regum* amicitias intimas & arctissimas; citiùs aut tardius, conversionem rotæ experiri. Imo, Traditio quædam invaluit, (non certe apùd nos, verum in *Hispania*) metuisse *Ferdinandum*, postquam accepisset Matrimonium, inter *Carolum Principem Castiliæ*, & Mariam *Regis* HENRICI Filiam secundo-genitam, absque Impedimento procedere: (Quod matrimonium licet à *Rege Ferdinando* primo propositum; posteà tamen opera *Maximiliani*, & amicorum ejus præcipuè, promotũ & ad exitum perductum fuisset:) ne forte HENRICUS ad Regimen *Castiliæ* aspiraret, ut Administrator: durante minori Ætate *Generi* sui. Videbantur enim futuri, trés ejus Regiminis Competitores: *Ferdinandus* Avus ex parte Matris, *Maximilianus* Avus ex parte Patris: Et *Rex* HENRICUS, Principis Adolescẽtis Socer. Certe non absimile vero est, Regimen HENRICI, (secum *Principem* Adolescentem adducentis,) magis gratum futurum fuisse *Hispanis*, quam reliquorum duorum. Etenim *Proceres Castiliæ*, qui *Regem Arragoniæ* tam recenter expulerant, in favorem *Regis Philippi*, & sensa animi sui tam aperte protulerunt, non poterant non habere pro suspecto & inviso, *Regem Ferdinandum*. *Maximiliani* autem Ambitus, propter causas plurimas, vanus proculdubio fuisset. Verum hoc *Regis* Inceptum, quod jactatur, nobis quidem videtur (*Regis* mores reputantibus, & Consilia tuta & solida, nec cum vastis aut periculosis Cogitationibus commista,) minus probabile: Nisi forte cupiisset spirare calidum, quod Pulmones affectos haberet. Hoc Matrimonium cum *Margareta*, de die in diem, procrastinatum fuit, propter infirmã *Regis* valetudinem, qui jam Vicesimo secundo Anno *Regni* sui, cæpit laborare *Morbo Arthritico*. Verum Catarrhus, simul in Pulmones delatus, eos tabefecit; Adeo ut ter in Anno, (quasi periodis certis,) præcipuè autem vere, magnas experiretur Accessiones, & Labores *Phthisis*. Attamen negotiis se, quantum unquam alias, impertitus est. Ita tamẽ, ut his Infirmitatibus monitus, magis serio de Vita Futura, meditaretur; Et seipsum consecraret, potius quam *Henricum Sextum*, Thesauris melius erogatis, quam si dati essent *Papæ Iulio*. Etenim hoc Anno, majores consuetis Eleemosynas distribuit; Etenim in carceratos omnes circa Civitatem *Londini*, redemit, qui detẽti erãt pro Debitis aut Feudis ad Summam Quadraginta Solidorum, aut infra. Acceleravit etiam Fundationes religiosas: Et Anno sequente, (qui fuit *Regni* sui Vicesimus tertius,) illam *Savoiæ* perfecit. Quin etiam, acerbas Populi sui Querimonias, contra Exactiones & Oppressiones *Dudleii* & *Empsoni*, & eorũ sequacium, audiens; partim per homines probos & devotos, qui circa eum erant; partim per conciones publicas, (Concionatortibus in hac parte, munere suo libere fungentibus) magna circa eas res pœnitentia, & conscientiæ morsibus, ut pius Princeps, tactus est. Nihilominus, *Empsonus* & *Dudlejus*, etsi non potuissent non audire, de *Regis* in hac parte Conscientiæ scrupulis, tamen ac si *Regis* anima & Pecunia distinctis officiis attributæ & assignatæ essent, ut nihil rei haberet una earum cum altera, nihilo lentius Populum gravabant, quam antea. Eodem enim Anno vicesimo tertio, crudelissime actũ est cum *Guilielmo Capello*, *Equite Aurato*, jam secunda vice prætextu, quod se male gessisset, in Prætura sua *Londinensi*. Crimen autem non aliud erat, quam quod, in Solutionibus quibusdam, Nummos aliquot adulterinos sciens accepisset. Neque tamen, de illis, qui Nummos adulterassent, Inquisitionem diligentem, & exactam fecisset. Propter hoc crimen & alia quædam ei imputata, condemnatus est in Summa bis Mille Librarum: Cumque Vir esset animosus, & prioribus vexationibus induratus, ne Dodrantem quidem solvere voluit: Et simul (ut videtur) verbis quibusdam cõtumacibus, in ejusmodi prosecutiones, invectus est: unde *Turri* commissus est, ibiq; remansit usq; ad Mortem *Regis*, *Knesvvorthus* quoq;, nuper *Major Londinensis* & uterq; *Vice-Comes* ejusdem Anni, pro delictis quibusdã, in Administratione Munerum suorum, in Judicium adducti, incarcerati, & postea Solutione Mille & Quadringentarum Librarum, redempti. Item *Havvisius*, unus ux *Aldermannis Londini*, impetitus fuit, & Dolore & Anxietate Animi, antequam lis ad finem perducta esset, mortuus. *Laurentius* etiam *Ailinerus*, Eques Auratus, qui similiter *Major Londinensis* fuerat, & ambo ejus *Vice-Comites*, Mulctam mille librarum subierunt. *Laurentius* autem, quod solvere mulctam recusasset, custodiæ commissus est; Ubi remansit, usque dum *Empsonus* ipse, loco ejus, incarceratus esset.

Minime mirum erat. (cum delicta tam levia, mulcta tam graves essent) si thesauri *Regis* reconditi, quos moriens reliquit; quorumq; pars maxima, in locis occultis, sub clave & custodia sua propria, *Richmondiæ*, reposita erat; ascendissent ad Summam quinque millionum, & Dimidiæ, Aureorum: Massam certe grandem Pecuniæ, etiam pro ratione temporum præsentium

Ultimum Negotium Status, quod *Regis* hujus Felicitatem temporalem clausit, fuit Conclusio gloriosi illius Matrimonii, inter Filiam suam *Mariam* & *Carolum Principem Castiliæ*, postea *Imperatorem* celeberrimum; utraq; parte teneræ Ætatis tunc existente. Qui tractatus consummatus erat, per *Episcopum Foxum*, & aliós *Regis* Delegatos, *Caleti*, Anno proximo ante *Regis* Obitum. Qua Affinitate, (ut videtur,) ita delectatus est, & quasi raptus, ut in Literis, quas illa de re ad *Civitatem Londini* scripsit, (mandans ut omnia lætitiæ & Exultationis Indicia exhiberent,) gloriaretur, ac si muro Aheneo *Regnũ* istud circum dedisset. Cum Generos sibi jam ascivisset; *Regem Scotiæ*, & *Principem Castiliæ* ac *Burgundiæ*, Ita ut jam, nihil videretur addi posse, ad hujus magni *Regis* mundanã Felicitatem, usq; ad summum fastigium evectam, (sive quis intueatur excelsas illas Liberorum suorum Nuptias, sive Famam ejus, longe lateq;, per Orbem sparsam; sive Divitias fidem fere superantes; sive successuum suorum perpetuam Constantiam;)

tiam; præter Mortem opportunam, quæ eum ab aliquo Fortunæ impetu futuro, subduceret: Qui certe (propter Odia Populi sui, & Titulum Filii sui, tunc Ætatem octodecim Annorum implentis, Principis certe Audacis & Liberalis; quiq; ipso Aspectu, & Oris Majestate, Oculos Populi in se trahebat, fortasse in eum irruere potuisset.

Ad coronandum etiam *Vitæ* suæ Exitum, æque ac *Regni* sui Initium, Opus Pietatis & Misericordiæ edidit, eximium & Imitatione dignum. Nam Condonationem generalem promulgavit, qualis in Coronatione *Regum* concedi solet; Ut certus novæ Coronationis, in *Regno* meliore. Quin & Testamento suo declaravit, se velle, ut Restitutio fieret earum Summarum Pecuniæ, quæ ab Officiariis suis, injuste extortæ fuissent.

Hoc modo, *Salomon* iste *Anglorum*, (Nam & *Salomon* ipse exactionibus Populo suo gravis fuit,) cum quinquaginta duos Annos vixisset, atque Viginti tres Annos, & octo Menses regnasset; Memoria integra, & statu Animæ beatissimo, in magna Malacia Morbi lenti, ad Cœlum migravit, Vicesimo secundo *Aprilis*. Anno Salutis 1508. apud *Palatium* suũ *Richmondiæ*, quod ipse exædificaverat. Rex *iste* (*ut verbis utamur quæ Merita ejus exæquent.*) *fuit instar* Miraculi *cujusdam: Ejus scilicet generis, quod prudentes attonitos reddit, imperitos leviter percellit. Plurima siquidem habuit, & in Virtutibus suis, & in Fortuna; Quæ non tam in Locos Communes cadunt, quam in Observationes prudentes & graves. Vir certe fuit* Pius, *ac* Religiosus, *& Affectu, & cultu: Sed ut erga Superstitionem, pro modo Temporum suorum, satis perspicax: ita interdũ Politicis Rationibus, & consiliis, nonnihil occæcatus.* Personarum Ecclesiasticarum *promotor, erga* Asylorum *Privilegia (quæ tanta ei Mala peperant,) non durus. Haud paucá* Religiosorum Cœnobia *fundavit, & dotavit; quibus accedit memorabile illud* Hospitale Savoya *dictum. Magnus nihilominus Eleemosynarius in secreto; Quod luculenter indicat, etiam publica, Dei Gloriæ, non suæ, data. Pacem se summopere, & amare, & pro viribus procurare perpetuo præ se tulit. Atque illud in Fœderũ præfationibus illud frequens fuit;* Pacem cum Christus in mundum veniret, Anglos præcinuisse; cum è mundo excederet, ipsum Dominum legasse. *Neque hoc ei, Timori aut Animi Mollitiei, imputari poterat, (quippe qui animosus fuerit & Bellator,) sed Virtuti vere Christianæ, & Morali. Neque tamẽ illud eum fugit, à via pacis aberrare illum, qui eam nimio plus videatur appetere. Itaque Famas, & rumores, & Apparatus Belli, sæpe excitabat, donec Pacis Conditiones in melius flecteret. Etiam illud notatu non indignum, quod tam sedulus Pacis Amator in Bellis tam fœlix extiterit. Siquidem Arma, & expeditiones ejus, neque in Bellis externis, neque in Civilibus, unquam ei improspere cesserunt: Neque noverat ille quid clades bellica esset. Bellũ in Adeptione* Regni, *nec non* Comitis Lincolniæ, *&* Baronis *Rebelliones, terminavit Victoria: Bella* Gallica *&* Scotica *Pax, sed Pax ab hostibus ultro petita: Bellum illud* Britanniæ, *Casus, Mors nimirum* Britanniæ Ducis: *Tumultus* Baronis Lovelli, *item* Perkin, *tam ad* Exoniam, *quam in* Cantio, *Fuga Rebellium, antequam Prælium tentarent: Adeo ut propria ei fuerit Armorum Felicitas, atq; inviolata. Cujus rei caussa haud parva, quatenus ad Seditiones intestinas compescendas, proculdubio fuit, quod in iis restringendis Personam suam nunquam subtraxerit. Prima quandoque pugnæ, per Duces suos transegit, cum ipse ad suppetias ferendas præsto esset: sed aliquam Belli partem semper ipse attigit. Neque tamen hoc ipsum omnino propter Alacritatem & Fortitudinem, sed partim ob suspiciones quod aliis parce fideret.*

Leges Regni *in magno honore semper habuit, easq; Auctoritate sua munire videri voluit. Licet hoc ipsũ, non minimo quidem ei esset impedimento, ad ea quæ voluit pro arbitrio suo, exequenda. Ita enim commode earum habenas tractavit, ut ne quid de Proventibus suis, aut etiam* Prærogativa Regia, *intercideret. Attamen, tali usus est temperamento, ut sicut interdum* Leges *suas, ad Prærogativæ suæ Jura traheret, & prope torqueret; ita rursus per vices Prærogativã suam, ad* Legum *æquabilitatem & moderationem, consulto dimiteret. Etenim, & Monetarum Regimen, & Belli ac Pacis Tractatus & consilia, & Rei Militaris Administrationẽ, (quæ omnino absoluti juris sunt,) sæpenumero ad* Comitiorum Regni *deliberationes, & Vota, referebat. Justitia temporibus suis, rectè & æquabiliter administrata fuit: præterquam cum* Rex *in lite Pars esset: Præterquam etiam, quod Consilium privatum* Regis, *communibus causis, circa* Meum *&* Tuum, *nimis immisceret. Etenim Consessus ille mira erat tum Curiæ & Tribunal Justitiæ, præsertim sub* Regni *sui Initiis: enim vero in illa Justitiæ parte, quæ fixa est, & tanquam in ære incisa, (hoc est prudentia Legislatoria,) prorsus excelluit. Justitiam etiam suam, Misericordia & Clementia temperavit. Utpote, sub cujus* Regno, *tres tantum ex Nobilitate, pœna capitali affecti sunt.* Comes *nempe* Warwicensis, Aulæ Regiæ Camerarius, *&* Baro Audlejus. *Quamvis priores duo, instar multorum essent quatenus ad invidiam, & obloquia, apud Populum. At ne auditu quidem cognitum erat, tantas Rebelliones, tam parca sanguinis, per gladium Justitiæ, missione expiatas fuisse, quam fuerunt duæ illæ insignes Rebelliones* Exoniæ, *&* prope Grenovicum. *Severitas autem illa satis cruenta, quæ in primos illos, infimæ Conditionis homines, qui Cantium appulerũt, animadversum est, ad Facem quandam populi tantũ pertinebat. Diplomata autẽ illa generalia, quæ gratiam præteritorum* Rebellibus *faciebant, perpetuo Arma sua & præibant, & sequebantur. Videre autem erat, apud eum, miram quandam & insuetam, Gratiæ, largam manu præbitæ, & plane inexpectata, cũ supplicorum severitate, Alternationem. Quod quidem, si tanti* Principis *prudentiam cogitemus, minime Inconstantiæ, aut Consiliorum vacillationi, imputari poterit; sed aut Caussæ alicui Secretæ, quæ jam nos latet; aut Regulæ cuidam, quam sibi præscripserat, ut Rigoris & Mansuetudinis vias per vices experiretur. Sed quo minus Sanguinis, eo plus pecuniæ haurire solebat. Atque nonnulli satis malevole interpretabantur, in altero fuit continentior, ut in altero premeret magis: utrumque enim intolerabile plane fuisset. Natura proculdubio erat ad accumulandos Thesauros promior, & Divitias plus quam pro fastigio suo, admirabatur.* Populus *certe, quibus hoc natura inditum est, ad conservandas* Monarchias, *ut* Principes *suos excusent, licet sæpenumero minus juste, Consiliarios eorum, & Ministros, culpam rejiciant, hoc ipsum* Mortono Cardinali, & Re-

& Reginaldo Brajo *Consiliario imputabat: qui tamen viri, (ut postea luculenter patebat,) utpote qui pro veteri ipsorum apud eum Auctoritate & gratia, plurimum pollebant, ita Ingenio ejus obsecundabant, ut id tamen nonnihil moderentur: ubi contra, qui sequebantur*, Empsonus & Dudlejus *viri nullius apud eum Auctoritatis, nisi quatenus Cupiditatibus illius servilem in modum, ministrabant, viam ei, non tantum præberent, verum etiam struerẽt; ad eas Oppressiones & Concussiones, pro pecuniis undiq; excutiendis, quarum & ipsum sub finem vitæ suæ pœnituit, quibusq;* Successor *ejus renunciavit: Quin & easdem diluere & expiare connixus est. Iste autem Excessus, tunc temporis, complures nactus est Interpretationes & glossas. Nonnulli in ea opinione erant, perpetuas* Rebelliones, *quibus toties vexatus fuit, eum ad hoc redegisse, ut odio Populum suum haberet. Alij judicium faciebant, hoc eo tendisse, ut Ferocitatem Populi reprimeret, eumq; propter inopiam, humiliorem redderet. Alij eum Filio suo vellus aureũ relinquere cupiisse. Alij deniq; cum Cogitationes secretas, de Bello aliquo externo, animo agitasse. Verum illi forsitan, ad veritatem propius accedent, qui caussas hujus rei minus longe petunt, easq; attribuunt naturæ suæ: Ætati ingravescenti, paci, quæ opes alit, animoque nulla alia ambitione, aut opere, occupato. Quibus illud addere placet, eum, quod quotidie per Occasiones varias, Inopiæ mala, & difficiles pecuniarum Conquisitiones, in aliis* Principibus *observaret, ex comparatione quadam, plenarum Arcarum felicitatem melius agnovisse. Quatenus admodum, quem servabat, in* Thesauris *impendendis, hoc habuit; ut nunquam Sumptui parceret, quem negotia sua postulabant. In Ædificando magnificus, in remunerando tenacior, ita ut, Liberalitas sua, potius se applicaret, ad ea, quæ ad statum suum proprium, aut Memoriam Nominis sui pertinerent, quam ad Præmia Bene meritorum.*

Fuit ille alti & Excelsi Animi; *Propriæ sententiæ, propry Consily, Amator; utpote qui seipsum revereretur, & ex se revera* regnare *vellet. Si privatæ conditionis fuisset, Superbus proculdubio habitus esset: sed in* Principe *prudente, nihil aliud hoc fuit, quam ut intervallum & spatium justum & debitũ, inter se & Subditos suos teneretur; Quod certe erga omnes constanter tenuit; Nemini propinquum permittendo aditum, neq; ad Auctoritatem suam, neq; ad secreta. A nullo enim ex suis regebatur.* Regina consors *ejus, licet eum compluribus pulcherrimis Liberis, quinetiam* Corona *ipsa, (utcunq; illud fateri non sustineret,) beasset, parum apud eum potuit.* Matrem *magna sane reverentia prosecutus est, sed ad participationem Consiliorum suorum raro admovit. Qui vero grati ob conservationem ipsi forent, (qualis fuit* Hastingus *apud* Regem Edvvardum quartum, *aut* Carolus Brandonus *postea apud* Henricum Octavum,) *nulli fuerant, Nisi forte inter tales numeraremus,* Foxum Episcopum, *&* Brajum, *&* Empsonum; *quod eos tam frequenter secum habuit. Sed non alio modo, quam sicut Instrumentum plerumq; secum habet Artifex. Gloriæ inanis, si in aliquo alio Principe, minimum in illo fuit; Ita tamen, ut de Majestate, quam ad summum fastigium usq; semper attollebat, nihil remitteret; Haud ignarus,* Majestatis *reverentiam* Populum *in obsequio continere:* Inanem *autem* Gloriam, *(si quis recte rem æstimet,)* Reges Populari Auræ *prostituere.*

Erga *Fœderatos* suos justum se & constantem præbuit, tectum tamen, & cautum; Sed contra, tam diligenter in eos inquirebat, se interim ita velans & reservans, ut illi aspicerentur, tanquam in lumine positi, ipse, veluti in tenebris collocatus, lateret. Absque specie tamen hominis se occultantis, sed potius libere, & familiariter communicantis Negotia sua, atque de illorum rebus vicissim percontantis. Quantum autem ad pusillas illas Invidias & Æmulationes (quæ inter *Principes*, haud parvo rerum suarum detrimento, intercedere solent,) nihil tale in eo cernere erat; sed suas res sedulo & solide agebat. Atque certissimum est, Existimationem ejus domi magnam, externis partibus adhuc majorem & illustriorem fuisse. Exteri enim, qui Negotiorum ejus Ductus, & vias particulares, cernere non poterant, sed Summas tantum, & Exitus eorum, intuebantur: eum perpetuo conflictari, & perpetuo superiorem esse, animadvertebant. Partem etiam in caussa erant Literæ & Relationes *Legatorum* exterorum, qui in Comitatu Aulæ suæ, magno numero, erant. Quibus, non tantum Comitate, Muneribus, & Colloquiis familiaribus, satisfaciebat, verum in Colloquiis illis suis haud parva admiratione illos perstrinxit, cum viderent universalem ejus *Rerum Europæarum* notitiam. Quam licet ex ipsis Legatis, eorumque Informationibus, maxima ex parte, hauserat, nihilominus, quod ab universis collegerat, admirationi erat singulis. Ita ut magna semper conscriberent ad Superiores suos, de Prudentia ejus, & Artibus Imperandi. Imo post Reditum eorum, in Patrias suas, per Literas, de rebus omnimodis scitu dignis, eum frequenter certiorem faciebant. Tantæ fuit dexteritatis, in conciliandis sibi *Principum* externorum Ministris.

Omnibus profecto modis sollicitus erat, de procuranda sibi & obtinenda, rerum ubiq; occurrentium, notitia. Quam ut assequeretur: non tantum exterorum Ministrorum, qui apud se residebant, industria usus est, atque Pensionariorum suorum, quos tam in *Curia Romana*, quam alibi, in Aulis *Principum*, fovebat, verum etiam sui ipsius *Legatorum*, qui apud Exteros perfungebantur. Quem in finem, Mandata ejus, usque ad curiositatem diligentissima erant, & per Articulos ordine digestos. Inter quos, plures erant, plerumq; quæ ad Inquisitionem, quam quæ ad Negotiationem, pertinerẽt, exigendo Responsa particularia, & Articulata, ad quæstiones suas respectiva.

Quantum vero ad Emissarios suos, quos tam domi, quam foras, ad explorandas Machinationes, & Conjurationes, contra se initas, subornabat: Sane hoc; quo loco res suæ erant, apprime necessarium fuit. Tot in eum, veluti Talpæ subterraneæ perpetuo operam dabant, quo statum ejus labefactarent, & subfoderent. Neq; hoc illicitum habendum est. Etenim, si in Bello Exploratores probantur adversus Hostes legitimos, multo magis adversus Conjuratos & proditores. Verũ ut Fides hujusmodi Exploratoribus cõcilietur, per Juramenta, & per Execrationes, atque Anathemata, *contra illos, tanquam Hostes, fulminata, defensionem justam non capit.* Sacra *enim ista vestimenta Larvis non conveniunt. Veruntamen, habebat illud in se boni, Industria ista emissarios adhibendi; ut quemedmodum, opera*

eorum, multæ Conjurationes detectæ, ita etiam Famâ eorum, & diffidentiâ inde natâ, plurimæ ne tentarentur, proculdubio cohibitæ fuerint.

Maritus *erat minime uxorius, ne indulgens quidem; Sed comis, & consortio blandus, & sine zelotypia. Erga* Liberos *suos itidem Paterno plenus Affectu, magnam suscipiens curam de iis optime educandis; Ad hoc etiam Animi quadam altitudine, aspirans, ut Conditiones eis dignas & sublimes procuraret: Honores quoque quales Amplitudinem eorum condecerent, ab omnibus deferri curavit: Sed non admodum cupidus, ut in Oculis Populi sui, extollerentur.*

Ad Sanctius Consilium *suum plurima Negotia referebat, ubi frequenter & ipse præsidebat: Satis gnarus, hoc pacto, se via recta & solida insistere, tam ad Auctoritatem suam roborandam, quam ad Iudicium suum informandum. Ad quem etiam Finem, patiens fuit Libertatis eorum: Tam in suadendo, quam in suffragia ferendo, donec Animi sui sensum, quam ad Finem deliberationum reservare solebat, declarasset.* Nobilitati *suæ aliquantum gravis fuit, & ad Negotia sua potius* Ecclesiasticos, & Jurisconsultos, *evehebat; Qui magis ad obsequium parati, & apud Populum minus gratiosi erant: quod quidem ut imperiose regnaret, profuit: ut tuto, non item. Adeo ut mihi persuasissimum sit, hunc ejus morem fuisse caussam non exiguâ crebrarum perturbationum, quæ sub Regimine suo contigerunt: propterea quod* Proceres Regni, *licet fidi, & obedientes, non tamen alacriter cum eo cooperabantur: sed vota ejus magis Eventui permittebant, quam ad effectum urgebant. Nunquam sibi metuit, à* Servis & Ministris, *elatoribus Ingeniis & Virtutibus præditis: Id quod in moribus erat* Ludovico Undecimo Galliæ Regi: *Sed è contra ad sua Negotia admovit viros, qui suis Temporibus maxime eminebant: Quod ni fecisset, fieri non potuit, ut Res suæ tam prosperè cedere potuissent. Hi erant, nimirum in Rebus Bellicis,* Dux Bedfordiæ, Comites Oxoniæ, & Surriæ; Barones Daubeney, & Brookus; & Poyningus, *Eques Auratus: in Rebus autem Civilibus,* Mortonus, Foxus, Brajus, Prior *de* Lanthony, Warhamus, Ursvvicus, Frovvicus, *& alij: Neque ei curæ erat, quam vafri & callidi essent, quibus Negotia committebat. Putabat enim, sui ipsius Artes, eorum Artibus posse prædominari. Sicut autem in* Ministris *delegendis, summo judicio agebat: Ita & in iis, quos delegerat, protegendis, haud minore utebatur Constantia. Mirabile enim quiddam est, quod licet* Princeps *esset occulti & reconditi sensus, & majorem in modum suspicax, Tempora quoq; sua turbulenta, & conjurationum plena, Spatio tamen viginti quatuor Annorũ quibus regnavit, nunquam Consiliarum aliquem suum, aut interiorem Ministrum dejecit aut discomposuit, excepto Solo* Stanlejo Aulæ *suæ* Camerario. *Quatenus vero ad* Subditorum *suorum erga eum affectus, ita res erat: ut ex tribus illis Affectibus, qui Corda Subditorum erga* Principes *suos devinciunt, Amore scilicet,* Metu, & Reverentia; *ultimo horum eximie gauderet, secũdo mediocriter, tertio autẽ tam parce, ut reliquis duobus securitatem suam deberet.*

Princeps erat subtristis, serius, & cogitabundus; quique secretas, in Animo suo observationes, & curas, foveret: Cui etiam Commentarioli & Memoriæ *manu propria scriptæ, præsto semper erant præcipue circa* Personas: *Quos nimirum ex subditis suis ad Munia destinaret: Quibus Præmiorum debitor esset: De quibus inquirendum: A quibus cavendum: Qui itidem essent inter se maxime, aut Factione, aut meritis colligati, & veluti in partes descendissent: Et similia: veluti Diaria quædam Cogitationum suarum, componens, & servans. Traditur etiam hodie Narratio quædam faceta,* Cercopithecum suum (*ab aliquo ex suis Cubicularijs, ut creditum est, impulsum,*) *die quadam, præcipuum ex Diariis suis, tunc forte incuriose positum, in frusta innumera discerpsisse. Ad quod Aulici, quibus anxia illa diligentia minime complacebat, Risu disrumpebantur.*

Quamvis autem esset Apprehensionum & Suspicionum *plenus, attamen sicut factis eas admittebat, ita rursus dimittebat, easq; Judicio suo objiciebat. Unde, potius sibi ipsi molestæ, quam in alios periculosæ, existebant. Fatendum est tamen; Cogitationes suas, tam fuisse numerosas, & complicatas, ut simul stare sæpius non possent, sed quod in aliquibus prodesset, ad alia obesset: Neq; fieri potuit ut adeo ultra Mortale prudens esset, aut felix, ut rerum pondera justa perpetuo exciperet. Certe Rumor ille, qui tot & tantas ei turbas concitavit, nẽpe quod* Dux Eboraci *dimissus & adhuc superstes fuit, sub principijs, vires & fidem ab ipso nactus est: quia scilicet hoc credi volebat, ut mollius ei imputaretur, quod in* Jure proprio, *& non in* uxoris Jure, *regnaret.*

Affabilis *fuit,* & blanda *quadam* Eloquentia *pollens, magnaq; prorsus uti consueverat verborum dulcedine, & illecebris, cum aliquid suadere aut perficere vellet, quod enixe cupiebat.* Studiosus *magis erat, quam* Eruditus: *Libros, plerunq;, qui* Gallica *lingua conscripti erant, legens. Licet* Latine Linguæ *rudis non esset: Quod ex eo patet, quod* Hadrianus Cardinalis, *& alij, quibus* Lingua Gallica *satis familiaris erat, nihilominus* Latine *ad eum semper scriberent.*

Quatenus ad Delicias *&* Voluptates *hujus* Regis, *minta prorsus est earum Memoria. Nihilominus apparet, ex mandatis illis, quæ* Marsino & Stilo, *circa* Reginam Neapolitanam *dedit, eum de Forma, & Pulchritudine, ejusque partibus, perite admodum interrogare potuisse. Cum* Voluptatibus *sic agere solebat, ut* Reges *magni cum mensis Bellariorum: Paulisper eas inspicientes, & statim terga vertentes. Neq; enim unquam regnavit* Princeps, *qui magis Negotiis suis deditus esset: Totus in illis, & totus ex sese Ita ut, in* Hastiludiis, & Turneamentis, *& aliis Pugnarum Simulachris, nec non Saltationibus personatis, & hujusmodi celebritatibus, potius cum dignitate quadam, & comitate, Spectator esse videretur, quam iis magnopere capi aut delectari.*

In eo proculdubio, ut in cæteris Mortalibus universis, (ac præcipue in Regibus,) Fortuna *influxum quendam habebat in* Mores, & Mores *vicissim in* Fortunam. *Ad culmen* Regium *ascendit, non tantum à* Fortuna privata, *quæ Moderatione eum imbuere posset, verum etiam à* Fortuna Exulis, *quæ stimulos ei Industriæ & Sagacitatis addiderat.* Tempora *autem* Regiminis *sui, cum essent potius prospera, quam tranquilla, Confidentiam ex Successibus addiderant,* Naturam *interim suam, assiduis vexationibus, fere perverterant.* Prudentia *autem ejus,*

per

per frequentes è periculis Emersiones, (quæ subitis eum Remediis fidere docuerant,) versa est potius in Dexteritatem quandam, seipsum è malis, quando ingruerent, extricandi, quam in providentiam, illa ex longinquo arcendi, & summovendi: Sed & Indole propria, Oculi Mentis *ejus, non absimiles erant,* Oculis *quorundam* Corporalibus: *Qui ad objecta prope sita validi sunt, ad remotiora infirmi.* Prudentia *enim ejus occasione ipsa subito suscitabatur: Atq; eo magis, si Occasioni accesserit Periculum. Atq; hæc* Fortuna *in* Naturam *suam potuit; nec deerant rursus quæ* Natura *sua* Fortunæ *suæ imposuit. Nam sive hoc tribuendum sit Providentiæ ejus Defectui, Aut in rebus, quas decreverat, Pertinaciæ: Aut suspicionibus, quæ aciem Mentis ejus perstringebant: vel quicquid aliud in caussa fuit: certum est,* Fortunæ *suæ perturbationes continuas, (præsertim nulla violenta occasione subnixas,)* exoriri non potuisse, *absq; aliquibus in Natura sua Impedimentis, & Erroribus in Constitutione Animi sui radicali: Quæ necesse habuit, salvare & emendare, per mille pusillas Industrias, & Artes: verum illa omnia apertius se produnt in* Historia *ipsa. Veruntamen, intueamur licet eum, cum Defectibus suis omnibus, si quis eum cum* Regibus, *in* Gallia, *&* Hispania, *contemporaneis suis, conferat; Reperiet eum,* Ludovico Duodecimo Galliarum Regi, *Prudentia civili, &* Ferdinando Hispaniarum, *Fide & Candore, anteponi debere. At si* Ludovicum Duodecimum *demas, &* Ludovicum Undecimum, *qui paulo ante regnavit, substituas: magis convenient Exempla, fierentque verius Parallela. Illi enim tres,* Ludovicus, Henricus, *&* Ferdinandus *pro* Tribus Magis *censeri possunt, inter illius Ætatis* Principes. *Ut verbo concludamus, Si* Rex *iste, res majores non gessit, in caussa ipse fuit sibi: Quicquid enim suscepit, perfecit.*

Corpore *erat* Henricus decoro, *Statura justa paulo procerior, erectus, & Membrorum compage bona, sed gracilis.* Vultus *erat talis, quæ Reverentiam incuteret, & aspectum Viri* Ecclesiastici *aliquantum referret. Et sicut minime erat obscuro aut superciliosus, ita neq; blandus aut Conciliator: Sed tanquam* Facies *hominis Animo compositi & quieti: Sed non commoda* Pictori; *Gratiosior scilicet facta cum loqueretur.*

• *Hujus* Regis Dignitas *præcellens pati possit, ut memorentur Narrationes quæpiam, quæ ei Divinum aliquid imponant. Cum* Matris *ejus* Margaretæ, *Fœminæ raris virtutibus ornatæ, Nuptias Multi Proci ambirent; visa est videre in Somniis,* Virum quendam Episcopo similem, habitu Pontificali, tradere ei immanum, Edmundum Comitem Richmondiæ, Henrici Patrem, pro Marito. *Neq; illa, Liberos unquam alios concepit, præter* Regem, *licet tribus Maritis nupta: Quodam etiam die Festo, cum* Henricus Sextus *(cui Innocentia Sanctitatem astruebat,) à prandio lavaret, oculosq; in* Henricum, *tunc Adolescentulum, conjiceret, dixit:* Adolescens iste, Coronam, pro qua nos confligimus, pacifice tandem possidebit. *Sed quod vere in eo divinum censeri possit, hoc fuit: Quod non minus Fortunam* boni Christiani, *quam* magni Regis *sortitus sit: Vita exercitata, Morte pœnitenti. Ita ut non magis in* Mundanis, *quam* Spiritualibus, *Victor triumphaverit; & Militia ei in Conflictibus, tam Peccati, quam Crucis, prospere cesserit.*

Natus *est, apud* Castrum Pembrochiæ, Sepultus *apud* Westmonasterium, *in* Monumento, *inter opera* Europæ, *pulcherrimo, & elegantissimo, sive* Capellam *spectes, sive* Sepulchrum. *Adeo ut magnificentius jam, in* Sepulchri *sui* Monumento, *habitet mortuus, quam vivus, aut* Richmondiæ, *aut in alio quopiam* Palatio *suo, habitaverat. Optaverim ut idem ei contigisset, in hoc* Famæ *suæ* Monumento.

FINIS.

INDEX VOCABULORUM HAC HISTORIA CONTENTORUM, QUÆ ANGLIS SUNT PECULIARIA.

PRotector: *Regens durante minore ætate Regis* 998

Rosa Alba: *Erant in Anglia duæ Familiæ, quæ de Regno contenderunt: altera* Eboracensis, *quæ insignia gerebat* Rosæ Albæ; *altera* Lancastrensis, *quæ* Rosæ Rubeæ. 999

Comitia: *Conventus Ordinum* Angliæ; *videlicet, Prælatorum, Procerum, & Communitatis Regni: ex quorum consilio, Rex Leges sancit, Pecuniis instruitur, & alia magni momenti transigit. Ea* Comitia *interdum appellantur* Comitia *Parlamentaria, interdum Parlamentum* *ibid.*

Turris Londinensis: *Castellum amplum, in quo continetur, Palatium Regium, & Carcer ubi incarcerantur Proditores, & alij Criminum atrocium rei* *ibid.*

Eques Auratus: *Ordo Equitum, qui à Rege, aut ejus locumtenente, creantur, & calcaribus auratis ornantur* 1000

Comitatus: *Provincia, vel portio Regni integralis, ad magis commodam administrationem Iustitiæ & Militiæ* *ibid.*

Crux Divi Pauli: *Suggestum in Cœmeterio* Divi Pauli, *ubi conciones sacræ habentur* *ibid.*

Major Londinensis: *Præfectus annuus urbis, seu Prætor Vrbanus* 1001

Fraternitates Civitatis: *Collegia, sive Societates Mercatorũ, & Artificum* *ibid.*

Equites Vexillarii, sive Baneretti: *Creantur isti sub vexillo* Regis *expanso, post Prælia* 1002

Baro: *Nomen dignitatis ad quam evecti habent jus suffragii: in superiori consessu Ordinum, aliis privilegiis haud pauciis gaudent, & inter superiorem* Angliæ *nobilitatem, annumerantur* 1002

Remissio generalis: *Indulgentia Regis quæ & crimina omnia (excepta quæ in Instrumento Remissionis speciatim recensentur) & mulctæ, aliaque solutiones Regi debitæ abolentur. Illa quandoq; à Rege solo emanat, quandoq; à Rege addita auctoritate Parlamenti* 1003

Inferior Consessus: *In Comitiis Ordinum sunt duo Consessus: alter superior dicitur, qui consistit ex Prælatis & Proceribus: alter inferior, qui complectitur, per repræsentationem, universum populum Regni. Atq; alterutter Consessus habet votum negativum in omnibus* 1004

Equites & Burgenses Parlamenti: *Deputati Communitatis. Equites, à populo, per agros, & oppida in Burgos nõ erecta, eligũtur; Burgenses ab oppidis, eo privilegio à Rege donatis* 1004

Scaccharii Camera: *Locus, in quo Iudices majores conveniunt; Cum aut à Rege consuluntur; aut propter Vota æqualia in Curiis minoribus omnes deliberant, & Suffragia reddunt: aut minorum Curiarum Iudicia retractant.* *ibid*

Vice-Comes: *Gradus dignitatis inter Comitem & Baronem medius* 1005

Dominus Thesaurarius: *Præfectus Ærarii, sive Quæstor universalis Regni. Quæ dignitas est post illam Cancellarii secunda* 1006

Custos privati sigilli: *Privatum sigillum diplomata Regis, Regia manu firmata excepit, & ad magnum sigillum transmittit* *ibid.*

Heraldi: *Patres patrati, aut Fœciales, qui bella denunciant, in compluribus solennitatibus adhibentur, & armorum insignia distribuunt.* 1007

Judices de Banco Regis: *Iudices Curiæ, quæ tractat causas criminales & violationes Pacis* 1008

Regii Hospitii Contra-Rotulator: *Officiarius ex iis, qui Regis hospitio, quantum ad expensas ejus, præsunt* 1020

Subsi-

Subsidiaria Pecunia: *Pecunia, quas Parlamentum Regi concedit, vocantur subsidia* 1031
Camera Stellata. Camera Alba. Curia Banci Regis. Curia Banci Communis. Curia Scaccharii. Curia Cancellariæ. *Vide expositionem horum vocabulorum omnium, in Historia ipsa* 1032
Fines: *Finis est instrumentum, quo hæreditates transferuntur: eamq; habet vim, ut omnium jura, si intra tempus non agant, extinguat* 1037
Statutum de non Clameo: *Lex est, quæ sub tempora belli, cum homines juri suo asserendo plerumq; non vacarent, lata erat, & vim illam Finium destruxit, quæ tamen postea per aliud statutum restituebatur.* ibid.
Dominicum: *Possessiones, quæ non sunt Feudales, sed in manibus Domini* 1038
Justitiarii assisarum: *Iudices itinerantes, qui statis temporibus, provincias Regni visitant & Caussas terminant* 1039
Publicæ Sessiones: *Conventus Iustitiariorum ordinariorum, qui Pacis vocantur, & caussas nonnullas Regia Auctoritate muniti determinant* ibid.
Auxilium à Tenentibus: *Pecuniarum summa, quas Domini à Tenentibus suis exigere jure possunt, ad Nuptias Filiæ natu majoris, vel promotionem Filii primogeniti in ordinem equitis.* 1050
Benevolentia: *Genus impositionis in Subditos, per speciem donationis voluntariæ, sed habens quiddam ex compulsorio* 1051
Protectiones: *Literæ Regiæ, quibus conceditur alicui, ne in judicium vocetur* 1052
Alienationes. *Translationes possessionum à Tenentibus Regis, pro quibus debetur solutio certa Regi* ibid.
Insigne Ordinis Periscelidis: *Equites Ordinis Periscelidis, sunt Equites dignitatis celsioris, qui Periscelide circa tibiam, paludamento honorifico, & torque aureo ornantur; Patronum habentes* S. Georgium 1058
Hospitii Regii Camerarius: *Officiarius ex honoratioribus, qui de Cubiculis Regis, quæ supra gradus sunt, & eorum ornatu disponit* 1064
Equites de Balneo: *Ordo Equitum, qui* Balneo *tinguntur, & tempore coronationis tantum, aut cum Filius Regis primogenitus creatur Princeps* Walliæ, *ordinantur* 1069
Mercæ: *Summa pecuniæ, valoris duorum ducatorum & paulo amplius* 1070
Libræ: *Summa pecuniæ, valoris trium ducatorum & paulo amplius* ibid.
Antiquus Census: *Valor terrarum, qualis per antiquas inquisitiones relatus est.* ibid.
Aldermannus Civitatis Londinensis: *Vnus ex Senatu Civitatis, cui regimen civitatis præcipue incumbit: ex quorum numero,* Præfectus *annuus eligitur.* 1074
Servientes ad Legem: *Dignitas, in quam per Regem cooptantur Advocati.* 1075
Breve de Attincta: *Vide expositionem vocabuli in Textu Historiæ* 1078
Juratores: *Iudices facti* ibid.
Veredictum: *Pronunciatum Iudicum Facti* ibid.
Indictamentum: *Prima inquisitio per Iudices facti capta, quæ peremptoria non est, sed accusationis tantum loco.* ibid.
Tallagium: *Exactio pecuniarum, super merces, auctoritate Regia solum munita* 1082
Mercatores Adventurarii: *Peculiaris Societas Mercatorum, commercium exercens cum Belgis* 1084
Custos Rotulorum: *Officiarius, qui Custodiam habet* Archivorum 1085
Quindecimæ: *Auxilii Pecuniarii genus, auctoritate Parlamenti tantum concessum; sonans ac si esset decima quinta pars bonorum, sed consuetudine in solutionem certam, & longe minus gravem, redactum* 1085
Servitium Scutagii: *Obligatio Tenentis, qua astringebatur ad bella cum* Scotis 1086
Vice-Comes: *Peculiaris in quaque provincia Magistratus annuus, cui munus incumbit mandata regia, vel circa justitiam, vel circa militiam, exequendi* 1089
Crux de Cheape-side: *Crux aurata: quæ in principali platea urbis* Londini *erecta est* 1099
Commissarii de Audiendo & Terminanda: *Iudices speciales, qui à re nata, aut alias à Rege assignantur, ad causas criminales determinandas* 1103
Senescallus magnus Angliæ ea vice: *Magistratus Excelsus qui pro uno die, à Rege ordinatur, cum aliquis ex Proceribus Regni, in judicium vocatur de noxa capitali* 1104
Magister Cæremoniarum: *Officiarius designatus ad Legatos exteros excipiendos, & rerum procurationem, quæ ad eos pertinent* 1109
Tenura in Capite: *Tenura immediata, de Corona aut Persona Regis, non de Baronia, aut Prælio superiore, aut hujusmodi* 1112
Custodia Minorum: *Ius, per quod Custodia hæredum, minoris ætatis, qui tenent per Servitium Equitis, pertinet ad Dominum* ibidi
Liberatura, Prima Seisina: *Ius Domino accrescens, ad summam Pecuniæ, quamprimum hæredes sint plenæ ætatis.* ibid.
Ut legati: *Proscripti ex formula Legis, vel propter Capitalia, vel propter Contemptum & contumaciam* ibid.
Prolocutor inferioris Consessus: *is, qui à consessu inferiore Parlamenti electus, in rebus tractandis, præsidet & moderatur.* 1115

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI BACONI, BARONIS DE VERVLAMIO, VICE-COMITIS SANCTI ALBANI, AC SUMMI ANGLIÆ CANCELLARII,

SERMONES FIDELES,

ETHICI, POLITICI, OECONOMICI:

Sive

INTERIORA RERUM.

Accedunt

FABER FORTUNÆ, CALORES BONI ET MALI, &c.

Impensis Johannis Baptistæ Schônvvetteri.

Anno cIↃ IↃc LXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX SERMONUM

I. DE Veritate.
II. De Morte.
III. De Unitate Ecclesiæ.
IV. De Vindicta.
V. De Rebus adversis.
VI. De Dissimulatione & Simulatione.
VII. De Parentibus & Liberis.
VIII. De Nuptiis & Cœlibatu.
IX. De Invidia.
X. De Amore.
XI. De Magistratibus & Dignitatibus.
XII. De Audacia.
XIII. De Bonitate, & Bonitate nativa.
XIV. De Nobilitate.
XV. De Seditionibus & Turbis.
XVI. De Atheismo.
XVII. De Superstitione.
XVIII. De Peregrinatione in partes exteras.
XIX. De Imperio.
XX. De Consilio.
XXI. De Mora.
XXII. De Astutia.
XXIII. De Prudentia quæ sibi sapit.
XXIV. De Innovationibus.
XXV. De expediendis negotiis.
XXVI. De Prudentia apparente.
XXVII. De Amicitia.
XXVIII. De Sumptibus.
XXIX. De proferendis finibus Imperij.
XXX. De regimine valetudinis.
XXXI. De Suspicione.
XXXII. De Discursu Sermonum.
XXXIII. De Plantationibus Populorum & Colonis.
XXXIV. De Divitiis.
XXXV. De Ambitione.
XXXVI. De Natura, & Indole naturali in hominibus.
XXXVII. De consuetudine & Educatione.
XXXVIII. De Fortuna.
XXXIX. De Usura sive Fœnore.
XL. De Juventute & Senectute.
XLI. De Pulchritudine.
XLII. De Deformitate.
XLIII. De Ædificiis.
XLIV. De Hortis.
XLV. De Negotiatione.
XLVI. De Clientibus, Famulis, & Amicis.
XLVII. De Supplicantibus.
XLVIII. De Studiis, & Lectione Librorum.
XLIX. De Factionibus.
L. De Cæremoniis civilibus, & Decoro.
LI. De Laude.
LII. De vana Gloria.
LIII. De Honore & Existimatione.
LIV. De officio Judicis.
LV. De Ira.
LVI. De vicissitudine rerum.
LVII. Quomodo profectus in virtute faciendus sit.
LVIII. De civili Conservatione.
LIX. Consilia quædam de Negotiis, ex Parabolis aliquibus Salomonis. Vide sis in lib. 8. de Augm. Scient. p. 209.
LX. Faber Fortunæ sive Doctrina de ambitu, eod. lib. p. 223.
LXI. De certitudine Legum, per Aphorismos, eod. lib. p. 242.
LXII. Colores Boni & Mali, tam simplicis, quam Comparati, reperies lib. 9. de Augm. Scient. p. 159.

Illustri

Illustri & Excellenti DOMINO,

GEORGIO,

Duci Buckinghamiæ, Summo Angliæ Admirallio.

Honoratissime Domine,

S*Alomon* inquit, *Nomen bonum est instar Vnguenti fragrantis & pretiosi*; Neq; dubito, quin tale futurum sit *Nomen* tuum apud Posteros. Etenim & Fortuna, & Merita tua, præcelluerunt. Et videris ea plantasse, quæ sint duratura. In lucem jam edere mihi visum est *Delibationes meas*, quæ ex omnibus meis Operibus fuerunt acceptissimæ: Quia forsitan videntur, præ cæteris, *Hominum* Negotia stringere, & in sinus fluere. Eas autem auxi, & Numero, & Pondere; In tantum, ut plane Opus Novum sint. Consentaneum igitur duxi, Affectui, & Obligationi meæ, erga *Illustrissimam Dominationem* tuam, ut *Nomen* tuum illis præfigam, tam in *Editione Anglica*, quam *Latina*. Etenim, in bona spe sum, Volumen earum in *Latinam*, (*Linguam* scilicet universalem) versum, posse durare, quamdiu *Libri* & *Literæ* durent. *instauratio-nem* meam *Regi* dicavi: *Historiam Regni Henrici Septimi*, (quam etiam in *Latinum* verti,) & Portiones meas *Naturalis Historiæ, Principi*: Has autem *Delibationes Illustrissimæ Dominationi* tuæ dico; Cum sint ex Fructibus optimis, quos, Gratia divina Calami mei laboribus indulgente, exhibere potui. *Deus Illustrissimam Dominationem* tuam manu ducat.

Illustrissimæ Dominationis tuæ
Servus Devinctissimus & Fidelis
FR. S. ALBAN.

SERMONES FIDELES.

I.
DE VERITATE.

QUid *est veritas*, inquit *Pilatus* Derisor? Nec præstolari voluit Responsum. Certe sunt, qui cogitationum vertigine delectantur; ac pro servitute habent, Fide fixa aut Axiomatis constantibus constringi; *Liberi Arbitrij* usum in Cogitando, non minus quam in Agendo, affectantes. Cujusmodi quidem *sectæ Philosophorum* licet defecerint; supersunt tamen Ingenia quędam ventosa & discursantia, quibus eædem omnino venæ, licet non pari, cum Antiquis, copia sanguinis, repletæ. Verum, nec difficultas sola, laborque quem Homines subeunt, in *Veritate* invenienda; nec quæ ex ea inventa Cogitationibus imponitur Captivitas, *Mendaciis* favorem conciliat; Sed ipsius *Mendacii* Naturalis (utcunque corruptus) Amor. E recentiore *Græcorum Schola* quidam, rem ad Examen vocans, hæret attonitus, dum excogitare nequit, quorsum Mortales amarent *Mendacium, ipsius Mendacij* causa; Cum nec voluptati sit, ut *Mendacia Poetarum*; nec utilitati, ut illa *Mercatorum*. Sed nescio quomodo, *Veritas* ista, (utpote nuda & manifesta Lux diurna,) personatas hujus *Mundi Fabulas*, Ineptiasq;, nõ tam magnifice & eleganter ostendit, quam Tædæ, Lucernæq; nocturnæ. Ad *Vnionis*, forsan, valorem, pervenire poterit *Veritas*, quæ per diem speciosissima apparet: Sed ad pretium *Adamantis*, aut *Carbunculi*, qui lumine vario pulcherrime splendent, nunquam ascendet. Mixtura *Mendacij* voluptatem semper auget. Ecquis dubitat, si è mentibus Hominum tollerentur Opiniones vanæ, Spes blandæ, Æstimationes Rerum falsæ, Imaginationes ad libitum, & id genus alia, quin multorum animi relinquerentur dejecti, & marcidi, atræ bilis & languoris pleni, ac sibimet ipsis ingrati ac displicentes? *Patrum* unus, magna cum severitate, *Poesin* appellat, *Vinum Dæmonum*; Eo quod Phantasiam vanis impleat; licet *Poesis Mendacii* tantum *umbra* sit. Veruntamen, non est *Mendacium*, mentem pertransiens, quod officit: Sed *Mendacium* quod à mente imbibitur, nempe ejus generis, de quo ante diximus. Verum utrumque: in depravatis Hominum judiciis, & affectibus, hæc ita se habeant. *Veritas* tamen (quæ sola se judicat) *docet Veritatis Inquisitionem*, quæ eam, proci instar, demeretur: *Veritatis Cognitionem*, quæ præsentem eam sistit: *& Veritatis Receptionem* cum *Assensu*, quæ est ipsius Fruitio & Amplexus, Summũ esse Humanæ Naturæ Bonum.

Prima, in Operibus sex dierum, Creatura *Dei*, fuit *Lux sensus*; Postrema, *Lux Rationis*; Quin & Opus ejus, *Sabbatho*, quod deinceps perpetuo exercet, est Spiritus sui Illuminatio. Primo inspiravit Lumen in *Faciem Materiæ*, vel *Molis indigestæ*, postea in *Faciem Hominis*; Quin & usque semper Lucem inspirat in *Faciem Electorum*. *Poeta*, qui *Sectam*, alioqui cæteris inferiorem, ornavit, elegantissime dixit: *Suave est in litore stanti videre naves fluctibus exagitatas: Suave ad Arcis fenestram stanti, prælium commissum, ejusque varios eventus, inferius spectare: Sed nulla voluptas æquipararі potest huic ipsi, Nempe ut quis stet super Clivum excelsum Veritatis* (Collem certe inaccessibilem, ubi aër semper liquidus est, & serenus;) *atq; inde Errores, Homines palantes, Caligines & Tempestates, in Convalle subjacente, despiciat*: Modo prospectus iste cum misericordia conjunctus sit, non cum Tumore, aut Superbia. Et hoc ipsum, est *Cœlo* in *terris* frui, quando *Mens Humana* in *Charitate* movetur, in *providentia* quiescit, & supra polos *veritatis* circumfertur.

Jam vero, ut à *Theologica* & *Philosophica Veritate*, ad *Veritatem*, aut potius *Veracitatem* in Civilibus negotiis, transeamus: Agnoscent vel ipsi, qui eam non exercent, apertam, & minime fucatam in Negotiis gerendis, rationem, præcipuum esse Humanæ Naturæ Decus: Mixturam autem *Falsi*, similem esse plumbeæ materiæ, quæ efficit sane, ut facilius cudi possit Metallum, sed ita ut interim vilius fiat. Nam flexuosi isti, & obliqui motus, *Serpentum sunt*; Qui super *ventrem suum gradiuntur*, non pedibus incedunt. Non est vitium, quod tanto Hominem pudore obruit, quam si *Falsus* vel *Perfidus* inveniatur. Itaque acutissime *Montaneus*, rationem scrutatus, cur *Mendacij* vocabulum, pro tanto haberetur Opprobrio, & Contumelia;

Si res recte perpendatur, (inquit,) *qui dicit Hominem mentiri, eadem opera dicit, eum adversus Deum audacem esse, adversus Homines timidum. Mendax* enim *Deo* insultat, *Homini* se incurvat. Certe, quam flagitiosa res sit, *Falsitas*, & *Perfidia*, nullo modo exprimi potest melius, quam quod istis (quasi ultimis Clamoribus,) devocabuntur Judicia *Dei* in Genus Humanum. Prædictum enim est, *Christum*, in Adventu suo secundo, *non recepturum Fidem super terram.*

II.

DE MORTE.

METuunt Homines *Mortẽ*, ut Pueri Tenebras. Quemadmodum autem metus iste naturalis in pueris augetur fabulosis quibusdam Terriculamẽtis, ita & ille alter. Sane, *Mortis* Meditatio, prout *Mors stipendiũ est peccati*, & ad aliam vitam transitus, pia est & salubris; Metus vero ejus, ut est *Naturæ debitum* res est infirma, & inanis. Inest tamen nonnunquam piis Meditationibus, Fermentum aliquod Vanitatis, nec non *Superstitionis*. Præcipitur in *Libris* nonnullis *Religiosorum*, qui tractant de *Mortificatione*, ut recogitet secũ Homo, quantus sit dolor, cum vel minimus digiti articulus torqueatur; atque inde æstimet, quantus sit in *Morte* cruciatus, ubi totum corpus corrumpitur, & dissolvitur. Cum tamen *Mors* sæpenumero transeat, minore cum dolore, quam sentitur in tortura membri. Partes enim maxime vitales, non sunt maxime sensitivę. Nec abs re dictum fuit, ab illo, qui locutus est ut *Philosophus* tantummodo, & *Homo animalis*: *Pompa mortis magis terret, quam Mors ipsa.* Gemitus & Singultus, membrorum Convulsiones, oris Pallor, Amici flentes, & atra Funera, cum similibus, hęc sunt quę *Mortem* ostentant terribilem. Observatione plane dignum est, nullam esse *animi Passionem* tam debilem, quin superet, & in ordinem redigat *Timorem Mortis*. Ideoq; *Mors*, non est hostis adeo formidabilis, cum multos habeat homo circa se Athletas, qui in certamine illam vincant. *Ultio* de *Morte* triumphat; *Amor* eam parvi facit; *Honor* ambit; *Metus ignominiæ* eligit; *Mœror* ad eam cõfugit; *Metus* anticipat. Imo legimus, quod postquam *Otho Imperator* se ipsum interfecisset, ipsa *Misericordia* (quæ Affectus est omnium tenerrimus) multos provocarit ad *commoriendum*, ex mera *Animi Compassione* erga *Dominum* suum, ut fidissimos Asseclas. Quin & addit *Seneca Fastidium*, & *Societatem*: *Cogita quam diu eadem feceris; Mori velle non tantum Fortis, aut Miser, sed etiam Fastidiosus potest.* Nec minus observatu dignũ est, quantillam mutationem in Animo generoso & forti, appropinquans *Mors* efficere valeat; Eosdem enim gerunt homines illi Spiritus, usq; ad extremum momentum. Mortuus est *Augustus Cæsar* voce certe urbana: *Livia, conjugij nostri memor, vive, & vale. Tiberius* inter dissimulandum; Ita enim de illo *Tacitus*: *Iam Tiberium vires, & corpus, non dissimulatio, deserebant. Vespasianus* cum Scommate; Exonerans enim se super sella: *Ut puto Deus fio. Galba* cum Gnoma: *Feri, si ex re sit Populi Romani*: protendens simul collum. *Septimius Severus*, inter expedienda negotia: *Adeste, si quid mihi restat agendum.* Pariter & alii. Certe *Stoici*, nimium insumpserunt operæ in Solatia *Mortis*: Etenim grandi suo, contra eam, apparatu, effecerunt, ut terribilior videretur. Rectius ille, qui *Finem vitæ extremum inter munera ponit Naturæ.* Æque enim est naturale hominibus *Mori*, ac *Nasci*; atq; Infans forsan, non minorem sentit dolorem, ex hoc, quam ex illo. Qui *moritur* inter prosequendum magnum aliquod desiderium, ita se habet, ut vulneratus, sanguine adhuc fervente, qui plagam vix sentit. Itaq; Mens in aliquod Bonũ fixa & intenta, à doloribus *Mortis* se subducit. Verum enimvero super omnia, suavissimum *Canticorum* est illud, *Nunc dimittis*; Cum quis Fines suos, & Expectationes honestas, assecutus fuerit. Hoc item in se habet *Mors*, ut *bonæ Famæ*, januam aperiat, & *Livorem* extinguat; *Extinctus amabitur idem.*

III.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

CUm *Religio* sit præcipuum humanæ Societatis vinculum, par est, ut & ipsa, debitis veræ *Unitatis* & *Charitatis* vinculis, astringatur. Dissidia circa *Religionem*, Mala erant, *Ethnicis* incognita. Nec mirum, cum *Religio Ethnicorum* posita esset potius in Ritibus, & Cultu *Deorũ* externo, quam in constanti aliqua Confessione, & Fide. Facile enim est conjicere, cujusmodi fuerit illorum *Fides*, cum præcipui *Ecclesiæ* ipsorum *Doctores* & *Patres*, fuerint *Poetæ*. Inter Attributa autem veri *Dei* ponitur, quod sit *Deus Zelotypus*: Itaque Cultus ejus non fert mixturam, nec consortium. Quamobrem pauca quædam de *unitate* in *Ecclesia* dicemus. Scilicet, qui sint ejus *Fructus*, qui *Limites*, quibus denique *Modis* concilietur. *Unitatis Fructus* præcipue, (præterquam quod *Deo* summe placeat, id quod ante omnia poni debet,) sunt duo. Alter respicit eos, qui *extra Ecclesiam* sunt; Alter eos, qui *intra*. Quod ad priorem attinet, certum est, longe maxima in *Ecclesia* Scandala, esse Hæreses, & Schismata: Ut quę etiam Corruptelas Morũ superent. Quemadmodum enim in Corpore Naturali, Vulnera, & Solutio Cõtinuitatis, genere pejora sunt, quã Humores putridi; Similis est Corporis Spiritualis ratio. Adeo ut nihil reperiatur, quod æque Homines ab ingressu in *Ecclesiam* absterreat, aut jam receptos expellat, ac *Unitatis violatio*. Itaq; tẽporibus quibus illud increbrescit, ut alii dicant; *Ecce in Deserto*, alii, *Ecce in Penetralibus*! hoc est, dum quidam *Christum* quærunt in *Hæreticorum Conciliabulis*, quidam in *Facie Ecclesiæ externa*: opus est prorsus, ut illa Vox aures Hominum quasi perpetuo feriat; *Nolite exire. Doctor* ille *Gentium*, cujus Vocatio & Missio propria & demandata, ei imposuit, ut eorũ, qui *extra Ecclesiam* fuerant, curam gereret, inquit: *Si ingrediatur cœtus vestros Infidelis quispiam, aut Idiota, & vos variis loquentes linguis audiat, an non vos insanire prædicabit?* Neque sane multo melius se habet, cum *Athei*, & Homines profani tantas in *Religione*, lites, & Opinionum dimicationes, intueantur. Siquidem hæc res ab *Ecclesia* illos avertit, & in *Cathedra Derisorum sedere facit*. Levius quiddam videatur, quam ut in Tractatu tam serio citetur, deformitatem tamen rei egregie depingit. Insignis quidam jocandi Artifex, in *Catalogo librorum, Bibliothecæ* cujusdam *Fabulosæ*, inter cæteros, cum hac Inscriptione, *Librum* ponit, *Saltationes Florales*, & *Gesticulationes Hæreticorum*. Nemo enim est ex iis, qui non peculiarem quendam motum Corporis ridiculum, & Gestus deformitatem,

tatem, exhibeat, unde fieri non potest, quin Homines Carnales, & Politici degeneres, subsannent, qui facile in contemptum Rerum Sacrarum feruntur. Quantum ad *Fructus Vnitatis*, qui ad eos, qui *intra* sunt, redūdat, is, uno verbo, *Pax* est, quæ innumeras Benedictiones complectitur. Etenim Fidem stabilit, Charitatem accendit; Quin & externa *Ecclesiæ Pax* in Pacem internam Conscientiæ sensim destillat; Laboresque scribentium, & legentium Controversias, vertit in Tractatus Pietatis, & Mortificationis.

Quantum ad *Terminos* & *Limites Vnitatis*, vera proculdubiò & justa eorum Collocatio, magni prorsus est, ad omnia in Religione, momenti. Duo autem in iis statuendis videtur fieri Excessus, Hominibus enim zelo fervidis, omnis *Pacificationis* mentio est odiosa; *Numnam pax Iehu? Quid tibi cum pace? vade post me.* Quasi *Pax* nihil esset ad rē, sed *Sectæ* & *Partes*. Contra quidam tanquam *Laodicenses*, in caussis *Religionis* tepidi, putant, *Capita Religionis*, nexu se commodo colligare posse, per Vias medias, & Opiniones utrinq; participantes & Reconciliationes ingeniosas, ac si pro Arbitris se gerere vellent, inter *Deum* & *Homines*. Uterq; Excessus vitandus; Quod fiet, si Fœdus inter *Christianos*, ab ipso *Servatore* nostro descriptum, in clausulis illis, quæ primo intuitu inter se opponi videntur, perspicuam & planam interpretationem sortiatur: *Qui nō nobiscū est, cōtra nos est.* Et rursus: *Qui contra nos non est, nobiscum est.* Hoc est, si *Capita Religionis*, plane Essentialia & Fundamentalia, rite discernantur & distinguantur à *Capitibus*, quæ non sunt ex *Fide*, sed ex *Opinione* probabili, & Intentione sancta, propter ordinem, & *Ecclesiæ* politiam, sancitæ. Hoc vero plurimis videri possit triviale quiddam in quo quis actum agat: Verū si hoc ipsum, minore partiū studio, fieret, majore etiam consensu reciperetur. In hac re Consilii nonnihil impertiri visū est, pro captus nostri tenuitate. Videndum est, ne Homines *Ecclesiam Dei* lacerent, per duo *controversiarum* genera. Primum est, cum *Controversia* materia levior est, nec tanta contentione, quanta circa eā excitatur, digna; Contradictione sola inflammata: Quemadmodum enim acute & elegant er notatū est, ab uno ex *Patribus*: *Tunica Christi inconsutilis fuit: at vestis Ecclesiæ versicolor.* Unde præcipit: *In veste varietas sit, Scissura non sit.* Differunt enim haud parum inter se Unitas, & Uniformitas. Secundum est, cum *Materia* quidem *Controversiæ* pondus habet, sed ad nimiam subtilitatem ac obscuritatem redacta est: Adeo ut ingeniosa quædam res esse videatur, potius quam solida. Videmus quandoque fieri, ut quis Doctus, & Intelligēs, Homines imperitos, de aliqua Quæstione inter se litigantes, audiat; atque perspicue advertat, eos idem re ipsa sentire, & in unuum convenire, quibus tamen ipsis nunquam fuisset aliquis dissidendi Finis. Quod si hoc nonnunquam eveniat, in exigua illa Judicii disparitate, quæ inter Homines esse potest; An non credere par est, *Deum* in Cœlis, qui *Corda scrutatur* & novit, satis perspicere, nos Homines fragiles, in aliquibus, de quibus *Controversiam* movemus, idem revera sentire, & in ambobus benigne complacere? Hujusmodi *Controversiarum* Natura, & Character, optime à *D. Paulo* exprimitur, in monito illo ac præcepto, quod circa illud adhibet: *De vita prophanas vocum Novitates, & oppositiones falsi nominis Scientiæ.* Creant sibi Homines Oppositiones, quæ revera nullæ sunt, easque in nova Vocabula effingunt, & cudunt; Quæ tam fixa sunt & invariabilia, ut ubi Sensus Vocabulum regere debeat, Vocabulum imperet Sensui. Sunt etiam, ut *Controversiarum*, ita *Vnitatis*, species duæ; quæ adulterinæ censeri possunt. Altera, cum *Pax* Ignorantiæ tantum implicitæ innititur. Coloribus enim omnibus in Tenebris bene convenit. Altera, quæ cōsuta est & sarcita, expositionibus ex diametro inter se contrariis: in Capitibus nimirum Fundamentalibus. *Veritas* enim & *Falsitas*, similes sunt *Ferro* & *Luto* in digitis pedum Imaginis, quam in somnis vidit *Nebuchadnezzar*: Adhærere fane possunt, incorporari non possunt.

Jam quatenus ad *Modos*, per quos conciliatur *Vnitas*, cavendum est Hominibus, ne, dum *Vnitatem Religionis* procurent & muniant; *Leges Charitatis* & *Societatis* solvant, & demoliantur. Inter *Christianos* duo tantum recipiuntur *Gladij*: *Spirituales* nempe & *Temporales*. Uterque autem suum habet locum, & suo profungitur munere, in *Religione Christiana* propugnanda, & protegenda. Sed neutiquam arripiendus est *Gladius* tertius, qui est *Mahumetis*, aut illi similis; Hoc est, ut *Religionem Bello* propagemus, aut cruentis persecutionibus vim Conscientiis inferamus; Exceptis Casibus Scandali aperti: & insolentis Blasphemiæ, aut Machinationis adversus Statum Civilem: Ne dum ut foveantur Seditiones, animentur Conjurationes, & Rebelliones, Gladius in manus Populi transferatur, & similia: Quæ omnia manifesto tendunt ad *Majestatem Imperii* minuendam, & Auctoritatem Magistratuum labefactandam; Cum tamen, omnis *Legitima potestas sit à Deo ordinata.* Hoc enim nihil aliud est, quam alteram ex *Tabulis Legis*, in alteram allidere; & in tantum Homines ut *Christianos* intueri, ut interim obliti videamur, quod sint *Homines*. *Lucretius Poëta* cum sibi ante oculos poneret *Agamemnonem* Filiam propriam immolantem exclamat: *Tantum Relligio potuit suadere malorum!* Quid tandem dixisset si ei *Laniena Parisiensis*, aut *Conjuratio Pulveraria* in *Anglia*, innotuisset? Certe septies factus esset magis *Epicureus*, & *Atheus* quam fuit. Nam quemadmodum *Gladius Temporalis*, non temere, sed magno cum judicio, in Casu *Religionis*, stringendus est; Ita monstri simile est, eum in manus Populi tradi. Sibi habeant hoc *Anabaptistæ*, & hujusmodi Furiæ. Certe, insignis fuit illa *Blasphemia*, cum diceret *Diabolus*: *Ascendam, & ero similis Altissimo*: Sed adhuc major *Blasphemia* fuerit, si quis *Deum* introducat dicentem: *Descendam, & ero similis Principi Tenebrarum.* Quid autem hoc ab illo differt, si caussa *Religionis* descendat, & præcipitetur, & Crudeli & Execrabilia Scelera, *Principes* trucidandi, in *Populorū* vitas grassandi, & *Imperia* funditus evertendi? Videtur quidem hoc perinde esse, ac si quis descendentem faciat *Spiritum Sanctum*, in specie, non *Columbæ*; sed *Vulturis*, aut *Corvi*; aut ex *Navi Ecclesiæ* erigeret Vexillum Piratarum, & Assassinorum: Quocirca, justum est, & idipsum necessitas Temporum flagitat, ut *Ecclesia* doctrina sua, & Decretis suis; *Principes* Gladio; omnesq; *Litteræ*, seu Religiosæ sint, seu Morales, Caduceo suo in Barathrum Inferni damnent, & detrudant in secula hujusmodi,

Facta, & Doctrinas, iis Auctoritatem aliquam tribuentes; Ut magna ex parte jam pridem factum est. Certe optandum esset, ut in omnibus circa *Religionem* Consiliis, ante oculos Hominum præfigeretur Monitum illud *Apostoli*: *Ira Hominis non implet Justitiam Dei*. Atq; ut verum dicamus, optime & prudentissime observatum est ab uno ex *Patribus*, profundæ sapientiæ viro; nec minus ingenue, & sincere, ab eodem prolatum, & evulgatum; *Eos, qui conscientias premi, iúq; vim inferri suadent, sub illo Dogmate, Cupiditates suas subtexere, illamq; rem sua interesse, putare.*

IV.

DE VINDICTA.

V*Indicta* agrestis quædam Justitia est; quæ quo magis in Humana Natura serpit, eo fortius Legibus severis est evellenda. Etenim *Injuria illata*, Legem tantummodo violat; At reposita, Legē Auctoritate sua plane spoliat. Certe, in *vindicanda injuria*, æqualem se quis Inimico suo sistit; In remittenda vero, superiorem: *Regium* enim est, *Ignoscere* Equidem memini dixisse *Salomonem*: *Honori est Homini, offensas præterire*. Quod jam præteriit, in integrum restitui non potest: At prudentes sat habent præsentia & futura curare. Nugantur igitur, & se frustra conturbant, qui præteritarum rerum satagunt. *Injuriam* nemo, *Injuriæ* ipsius caussa, infert; verum, ut ex ea, Lucri aliquid, aut Voluptatis, aut Honoris, sibi conciliet: Cur igitur cuipiā succenseam, quod se potius quā me diligat? Quod si quis ex malignitate mera sit injuriosus: quid tum: Etiam Spina & Rubus pungunt & lacerant, quia natura sua utuntur. *Vindictæ præcipue* Excusationē merentur, in iis *Injuriis*, de quibus Lege cautū non est. At simul prospiciat quis, ut Gen⁹ *vindictæ* ejusmodi sit, quod non sit Legi obnoxium. Alias ipse sibi Pœnam conduplicat, Inimicus vero Lucrū facit. Sunt, qui, inter sumendam *Vindictam*, cupiunt, ut læsi intelligant, unde Malum illud sibi ingruerit. Nempe generosior est iste *Affectus*: Siquidem videntur illi non tam ipsa ultione delectari, quam ut læsum Facti sui pœniteat. At vili ingenio præditi, & malitiosi, instar sagittarum sunt, quæ per tenebras volant. Magnus *Dux Florentiæ Cosmus*, acutissimum telum vibravit in Amicos perfidos, aut injuriosos: *Legimus* (inquit) *& mandatum habemus, ut Inimicis nostris ignoscamus: at nusquam legitur, astringi nos, ad ignoscendum Amicis*. Verum Spiritus *Iob* loquitur meliora: *Numnam* (inquit) *de manu Dei bona accipiemus, neq; mala itidem quandoq; sustinebimus*? Quod etiam, aliquo modo, de Amicis dici par est. Hoc certissimū est, Hominem, qui *Vindictæ* studet, sua vulnera refricare, quę alias, sibi relicta, sanari & consolidari potuissent. *Ultiones publicæ*, maxima ex parte, prospere cedunt: Quales erant, propter cædem *Cæsaris*, cædē *Pertinacis*, cædē *Henrici Quarti* Magni illius *Galliæ Regis*, & aliorum complurium. At in *vindictis privatis* hoc minime tenet. Quin potius, *Homines Vindicativi* vitā fere agunt *Veneficarum*, quæ ut aliis sunt exitiabiles, ita ipsæ plerumq; exitū infaustum sortiuntur.

V.

DE REBUS ADVERSIS.

GRande prorsus sonabat *Seneca*, more *Stoicorū*, cum diceret; *Bona rerum Secundarū optabilia, Adversarum mirabilia*. Certe, si Miraculum recte ponatur illud, quod Naturam superat, cernūtur Miracula maxima in *Calamitatibus*. At priorem illam Sententiam magniloquentiā superat, alterum ex ejus Dictis: Et excelsius quiddam est, quam *Ethnico* conveniat, *Vere magnum, habere Fragilitatem Hominis, Securitatem Dei*. Sane hoc Dictum in *Poesi* fuisset tolerabilius, ubi transcendentia ista magis probantur. Ac ut verum dicamus, *Poetæ* hoc intactum non reliquerunt. Eadem enim fere res est, quæ adumbratur, in portentoso illo *Poetarum* antiquorum Commento; Quod Mysterio videtur non carere; imo & Statum *Christianum* non obscure referre; Nimirum de *Hercule*: Qui cum ad solvenda *Promethei* vincula proficisceretur, (in *Prometheo* autem figura Naturæ humanæ repræsentatur) Oceani longitudinem in *poculo figulino* emensus est; Ubi ad vivum *Christiana Constantia* depingitur, quæ in fragili carnis testa, per Mundi fluctus, undiq; circumfusos, navigat. Verum ut à Granditate verborum, ad *Mediocritatem* descendamus; *Rerum secundarum* præcipua virtus est *Temperantia, adversarum Fortitudo*: Quę in Moralibus reputatur pro virtute maxime Heroica. Quin & *res prosperæ*, ad *Veteris Testamenti* Benedictiones; *adversæ*, ad *Novi* Beatitudines, pertinent: Quæ, & re ipsa majores sunt, & clariorem *Divini favoris* revelationem exhibent. Attamen etiam in *Veteri Testamento*, si *lyræ Davidis* aures præbeas, plures invenias *Threnos*, quam *Exultationes*: *Spiritus* autem *Sancti* calamus, diffusius tractavit *Iobi* afflictiones, quam felicitatem *Salomonis*. *Res prosperæ*, non sine plurimis timoribus & molestiis transeunt; *Adversæ* itidem suis solatiis & spe non vacant. Videmus certe in acupictis, melius placere, cum imagines coloris lucidioris sunt, stamen autem telæ, coloris magis opaci, quam cum stamen ipsum splendidius est, imagines autem tenebrosiores. Judicium igitur capi potest, quid cordi magis voluptatis sit, ex eo, quod oculos magis delectat. Habet certe *virtus* simile quiddam odoramentis quibusdam pretiosis; quæ fragrantissima sunt, aut incensa, aut tusa. Nam *fortuna prospera* potissimum *vitia* hominum indicat, *adversa virtutes*.

VI.

DE DISSIMULATIONE ET SIMULATIONE.

D*Issimulatio* est artium Civilium compendium quoddam, & ars infirmior: Etenim, & ingenium acre, & robur animi constans, ad hoc requiritur, ut quis sciat, quando verum proferendum sit, atq; id facere audeat. Itaq; inter inferiores Politicos reponuntur, qui magni sunt *Simulatores*.

Quod discrimen, bene apud *Tacitum*, *Cæsarem Augustum* inter & *Tiberium*, adnotatū est. Etenim de *Livia* sic ait: Quod esset, *cum artibus mariti, & simulatione filii, bene composita. Artes Imperii Augusto, Simulationem Tiberio* attribuens. Idem alibi hisce verbis, *Mucianum* inducit, *Vespasianum* ad arma contra *Vitellium* sumenda hortantem: *non adversus Augusti acerrimam mentem, nec adversus Tiberii cautissimam senectutem, insurgimus*. Quare hæ facultates, *Artium Civilium, & Simulationum*, sunt prorsus distinguendæ. Esto igitur, ut sit felicis ita quisquam acuminis, tantæque perspicaciæ, ut distinguere queat, quæ palam facienda quæ occultanda, quæ tanquam in crepusculo producenda, temporum etiam & personarum ratione pensitata; (Quæ revera *artes* sunt *Politicæ*, & *Civiles*, ut

Tacitus

Tacitus eas recte appellat,) huic *Dissimulatio* impedimento erit. Quo si quis, ad hunc judicii & discretionis gradum adscendere non valeat, ei relinquitur tanquam tutissimum, ut sit *Tectus*, & *Dissimulator*. Ubi enim in singulis non datur eligere, ibi in omnibus caute insistere tutissimum est; Cæcutientibus enim lente movendum. Sane ubiq; reperias homines rerum tractandarum peritissimos, omnes fere Candorem, Ingenuitatem, & Veracitatem, in negotiis per se tulisse: Verum simul erant, tanquam equi, bene docti & domiti, qui subito se sistere, & se vertere, norant. Quod si necessitas quædam ingruat, *Dissimulationem* profundam postulans, tunc quidem opinio & fama, de bona fide & veracitate eorum præconcepta, eos reddit prorsus invisibiles.

Consilia & mentem tegendi, aut *velandi*, gradus sunt tres. Primus est, *Taciturnitas* cum quis sensus animi sui premit, adeoque relinquit in æquilibrio, ut, in quam partem propendeat, nemo facile conjecerit. Secundus, *Dissimulatio* in Negativa, cũ quis ex cõposito signa quædã & indicia jacit, se non eum esse, qui revera est. Tertius, *Simulatio* in Affirmativa, cum quis aperte fingit & prætexit, se eum esse, qui revera non est.

Quantum ad Primum horum, *Taciturnitatem* scilicet; ea est certe *virtus Confessoris*. Atq; profecto, *vir taciturnus* multas audit *Confessiones*; Quis enim garrulo, & loquaci, pectus suum recludat? Quod si quis famã habeat *viri taciturni*, facile aliorum animos referabit: sicut aër clausus apertum fugit. Atq; veluti *delicta confiteri*, non ad aliquem finem collimat, qui ad res Civiles tendit, sed ad conscientiam sublevandam: ita certe *homines taciturni*, ad multarum rerum Notitiam simili de caussa perveniunt, dum homines, non tam impertire, quam exonerare animum suum cupiant. Ut paucis dicamus, mysteria *silentibus* debentur. Præterea, si verum loquamur etiam in animo, æque ac in corpore, deformis & invenusta est nuditas: neq; parvam addit reverentiam consiliis & factis hominum, si *minus pateant*. At *loquaces* & *futiles*, etiam plerumq; leves sunt, & crudeli. Qui enim eloquitur quæ scit, effutiet etiam quæ nescit. Ponatur igitur pro certo, *habitum Taciturnitatis virtutem esse Politicam & Moralem*. Sed & illud addendum est, bonum esse homini, ut *vultus* suus *linguæ* officium non præripiat. Nam, *revelatio animi ex vultu*, aut *gestu* magnus est defectus, & quædam quasi *proditio*: eo magis, quod sæpenumero plus notatur, & fidem facit, quam verba.

Quantum ad Secundum, *Dissimulationem* scilicet, ex necessitate quadam illa *Taciturnitatem* sequitur. Adeo ut qui *tectus* esse vult, *Dissimulator*, aliquatenus vel nolens evadet. Etenim astutiores sunt homines quam ut patiantur aliquem in æquilibrio se continere absq; aliqua in alteram partem inclinationis suæ declaratione. Ita quæstionibus subtilibus eum obsidebunt, & allicient, & excutient, ut, nisi obfirmato & absurdo *silentio* se quis muniat, necesse ei fuerit, *se nonnihil prodere*: Quinetiam si hoc non fecerit, ex *silentio* ipso aliquid conjecturæ capient; non minus, quam ex *verbis*. Quod vero ad *Æquivocationes*, & *Oracula verborum* attinet non poterũt illa diu valere. Ita ut nemo *tectus* esse queat, nisi aliquem *Dissimulationis* gradum sibi indulgeat: Quæ nihil aliud est, quam silentii quædam appendix, aut limbus.

Quantum vero ad tertium gradum; nimirum *Simulationum*, & *Professionem falsam*: Illam magis vitiosam, & minus Politicam, duco; nisi forte dignus vindice nodus inciderit. Itaq; perpetua Consuetudo *simulando*, vitium est, aut ex ingenii lubricitate quadam, vel timiditate, ortum; aut etiam, ex animi constitutione, quæ vitio aliquo magno imbuta est: Quod, quia *occultare* oportet. *Simulationem* etiam in aliis adhibere & exercere efficit, ne forte habitus ipse intercidat.

Commoda Simulationis, & *Dissimulationis*, tria. Primum est, quod oppositionem amoliatur, & homines imparatos aggrediatur: ubi enim consilia cujuspiam evulgata fuerint, Adversarii, veluti tuba, excitantur. Secundum est, quod in hominis potestate relinquit, ut pedem referat, & se absq; existimationis suæ jactura de negotio subducat. Si quis enim se manifesta declaratiõ obstringit, is cuneis quasi impactis includitur, aut pergendum est ei, aut turpiter desistendum. Tertium est, quod ad aliena consilia detegenda viam aperiat. Etenim ei, qui sua consilia profert, non facile quis se adversarium profiteatur, verum assentabitur potius; & libertatem loquendi, in libertatem cogitandi vertet. Itaque habetur apud *Hispanos* satis malignum Adagium: *Dic mendacium, & veritatem erues*. Perinde ac si *Simulatio* clavis esset ad secreta referãda. Tria etiam sunt *Simulationis*, & *Dissimulationis*, *incommoda*, ut ex æquo res compensetur. Primum, quod illa timiditatem arguant: id quod omnibus negotiis plumas vellit, ne perniciter ad metam advolent. Secundum, quod in ancipite cogitationes animos complurium conjiciiant, qui fortasse alias cooperaturi fuissent, & studio suo rem promoturi: unde sine socia & amica opera ad fines suos solus quis ambulet. Tertium est (idq; maximum,) quod præcipuo ad actiones organo hominem privet, minimum *Fide*. Optimum fuerit temperamentũ, si quis *Veracitatis* famam obtineat, *Taciturnitatis* habitum, *Dissimulationis* usum tempestivum, & facultatem *Simulationis*, ubi opus fuerit.

VII.

DE PARENTIBUS ET LIBERIS.

GAudia *Parentum* occulta sunt; nec minus dolores eorum, & metus. Illa certe verbis assequi nequeunt, hos autem proferre nolunt. Certe *Liberi* labores humanos suaviores, verũ infortunia amariora, reddunt. Curas vitæ multiplicant, sed memoriam mortis mitigãt. *Æternitas* sobolis etiam brutis communis est; Sed illa *Memoriæ Meritorum* & *Operum*, propria est hominibus. Atq; videre sane est, Opera nobilissima, & fundationes, ab *Orbis* profecta, quibus effigies animorum exhibere curæ erat, cum *corporis imaginibus* destituerentur. Adeo ut *Posteritati* maxime studeãt, qui *Posteritate carent*. Qui honores in *familiam* suam primi introducunt, erga *Liberos* indulgentissimi sunt: Intuentur siquidem eos, non tantũ ut *continuationem speciei* suæ, sed ut *rerum* à se *gestarum hæredes*: ideoq; ut *Liberos*, & *Creaturas*. Gradus affectuum in *Parentibus* erga *Liberos* diversos, sæpe dispares sunt. Aliquando iniqui: ac potissimum in *matre*. Unde *Salomon* dicit: *Filius sapiens lætificat patrem: Filius vero stultus mœstitiæ est matri suæ*. In domo

fœcunda, & *Liberorum* plena, cernere quandoque est, unum aut alterum ex *senioribus* pluris æstimari: atq; ex *junioribus* in deliciis esse: Sed in medio fortasse aliquos quasi oblivione transiri: qui nihilominus, haud raro optimæ indolis evadunt. Illiberalitas *Parentum* erga *Liberos* suos, error est plane noxius: nam eos reddit animo degeneres; fallaciis deditos: ignobilium consortio se delectantes: magisq; ad luxum propensos, quando rerum copiam adepti sint. Itaq; optime succedit, quando *Parentes* suam, apud *Liberos*, auctoritatem tuentur, crumenam laxant. Invaluit, tam apud *Parentes*, quam *Pædagogos*, & *Famulos*, mos quidem ineptus, æmulationes inter *Fratres* serendi, & alendi, durante eorum pueritia: quæ sæpenumero in discordias evadunt, post ætatem virilem, & *familias* turbant. *Itali* non magnum ponunt discrimen, inter *Liberos*, & *Nepotes*, aut *Cognatos*; sed, modo sint è *massa sanguinis*, non multum pensi habent, utrum sint *corpore propio* edit i necne. Atq; si verum dicendum sit, in natura non multum interest; adeo ut sæpe videmus, *Nepotem Avunculo* magis similem, aut *Cognato*, quam *Parēti* proprio; prout sanguinis casu quodam derivatur. Curent *Parentes*, in tenera ætate *Filiorum* suorum, cui vitæ generi illos destinent: tum enim maxime sunt flexibiles, & cerei. Neq; in hac electione respiciant nimis inclinationem *Filiorum* ipsorum: Quasi illud melius arrepturi sint, ad quod maxime videntur propensi. Verum est, si affectus, aut aptitudo *puerorū*, sit erga aliquod studium insignis, non expedire, ut quis naturæ aut indoli repugnet: Sed, ut plurimum præceptum illud sanum est: *Optimum elige, suave & facile illud faciet consuetudo. Fratres juniores* plerumq; sunt *fortunæ filij*: Sed raro, aut nunquam, prosperum sortiuntur exitum, quando exhæredantur *seniores*.

VIII.
DE NUPTIIS ET COELIBATU.

QUi *Uxorem* duxit, & *Liberos* suscepit, obsides Fortunæ dedit: Sunt enim magnorum conatuum impedimenta, sive ad virtutem tendat quis, sive ad improbitatem. Certe præstantissima (ut alibi diximus) in usum Reipublicæ Opera, & Merita, à *viris* profecta sunt, *prole carentibus*; qui tam affectu, quam fortunis, Rempublicam connubio sibi junxerunt, & dotarunt. Attamen rationi videatur magis consentaneum, ut qui *Liberos* relinquunt, majorem futurorum temporum curam gererent: Ad quæ satis norunt *clarissima illa* sua *Pignora* oportere transmitti. Sunt tamen, qui licet *Liberis* careant, tamen memoriæ suæ incuriosi sunt, & cogitationes vitæ tantum curriculo terminant, & tempora futura, ut ad se nihil pertinentia ducunt. Imo & alii nonnulli, *Uxorem* & *Liberos*, tantum in Rationibus Expensarū habent. Quinetiam reperiuntur aliqui fatui avari, qui gloriantur fere, se *Liberis* carere, ut habeantur tanto ditiores. Audiverunt scilicet aliquos dicentes, *Tali-quispiam est ditissimus*: alios autem sub inferentes, *At Liberis compluribus oneratur*: Quasi divitiarum hoc esset decrementum. Verum *Cœlibatus* caussa maxime frequens, est Libertas; Præsertim, in quibusdam animis sibi complacentibus & phantasticis; qui omnis restrictionis sensum nacti sunt tam acutum, ut cingula & periscelidas fere habeant pro vinculis & compedibus. *Viri cœlibes* optimi sūt amici, optimi erga servos domini, servi etiam erga dominos optimi; At non semper subditi optimi: Sunt enim ad fugam expediti: Atque revera Transfugæ fere omnes sunt ejus conditionis. *Vita cœlebs Ecclesiasticis* bene convenit: non enim facile quis eriget Solum, si prius stagni alicujus receptaculum interveniat, *Iudicibus* & *Magistratibus* res est fere indifferens: Si enim faciles sint, & corruptelis dediti, servū aliquem videas *uxore*, multis modis, ad hujusmodi lucra captanda, deteriorem. Quod ad *Milites* attinet, reperio certe, *Duces*, apud *exercitus* suos concionantes, illis in memoriam redigere solere *Charitates Uxorum* & *Liberorum*. Reperio etiam, *Nuptiarum* contemptum apud *Turcas*, *milites* vulgares reddere viliores. Sunt certe porro, *Uxor* & *Liberi*, disciplina quædam humanitatis: atq; *Cœlibes*, etsi sæpenumero magis sint munifici & charitativi, quia fortunæ eorum minus exhauriantur, sunt tamen, ex altera parte, magis crudeles, & sine visceribus, (idonei qui sint severi inquisitores) quia indulgentia & teneritudo affectuum suorum non tā sæpe evocatur & excitatur. Naturæ graves, & consuetudine ductæ, ideoque constantes, sūt plerumq; uxoriæ: ut de *Ulysse* perhibetur: *Vetulam suam prætulit immortalitati. Mulieres castæ*, sunt plerunq; superbæ, & protervæ, merito *pudicitiæ* suæ elatæ. Inter vincula præstantissima castitatis, & obsequii *uxoris* erga *maritum*, illud censeri debet virum suum *uxor* prudentem putet: Quod nunquam faciet, si eū inveniat *zelotypum*. *Uxores*, Juvenū dominæ sunt; Mediæ ætatis, sociæ; Senum, nutrices. Adeo ut adsit ansa ad *uxorem* ducendam ætatibus singulis. Inter *Sapientes* tamen numeratus est ille, qui interrogatus, *Quod esset tempus opportunum Nuptiarum?* respondit, *Iuvenibus non adhuc, senibus non omnino*. Sæpe fit, ut *mariti* deteriores, bonas habeant *uxores*: Sive hoc fiat, quod hoc modo pretium addatur *mariti* benevolentiæ, per vices: sive quod *uxores* in patientia sua glorientur. Hoc autem nunquam fallit, si hujusmodi *mariti*, ab *uxoribus* ipsis expetiti & electi fuerint, contra consensum amicorum: Tunc enim animus iis semper adest, ut stultitiæ suæ pœniteret non videantur.

IX.
DE INVIDIA.

EX *Affectibus*, nulli sunt, qui existimantur *fascinare*, præter *Amorem*, & *Invidiam*. Uterque acria progignit desideria; Uterq; se perniciter efformat in phantasias, & suggestiones: Atq; uterq; facile inscendit in oculos; (præcipue quando Objectum adest;) Quæ omnia ad *Fascinationem* faciunt: si modo *Fascinatio* aliqua sit. Videmus etiam, *Scripturā*, *Invidiam*, *oculi mali* nomine insignire: atq; Astrologos, malos astrorū influxus, *Malignos Aspectus* vocare. Ita ut agnosci ab omnibus videatur, in *Invidia*, ejusq; operatione, ejaculatio quædam, & irradiatio ex *oculis*. Quin & nonulli tam extiterunt curiosi, ut notaverint, tempora, quibus ictus & percussio *oculi invidi* plurimum obest, tum præcipue esse, cum persona, in quam *Invidia* torquetur, spectatur in Gloria, & Triumpho: Etenim hoc mucronem *Invidiæ* acuit: Atq; insuper illis temporibus spiritus Personæ invisæ prodeunt maxime in exteriora, unde ictui occurrunt.

Verum, missis istis rebus curiosis (licet non indignis, quæ inconsiderationem veniant, sed loco idoneo,) tractabimus hæc tria: *Qui sunt ad invidēdum maximè proclives*: *Qui sint invidia maxime*

obnoxii

obnoxii; Et quæ sit differentia inter Invidiam publicam, & privatam. Qui virtutis ipse expers est, *invidet* virtuti alterius. Etenim animi hominum, se pascunt & delectantur, aut Bono proprio, aut Malo alieno; Quique primo alimento caret, satiabit se secundo; Et qui nullo modo sperat se ad virtutem alterius pervenire posse, ipse fortunam ejus libenter deprimit, ut minor intercedat disparitas.

Vir curiosus, & se alienis rebus immiscens, ut plurimum *invidus* est. Etenim, de rebus alienis multum inquirere, neutiquam eo spectare possit, quod operosa illa sedulitas suis rebus conducat: Itaque fieri non potest, quin hujusmodi *vir*, Scenicam quandam voluptatem capiat, aliorum fortunas spectandi: neque, qui rebus propriis tantum intentus est, segetem *Invidiæ* multam reperiet. *Invidia* enim passio est cursitans, & plateas terit, nec domi se continet; *Non est curiosus, quin idem sit malevolus.*

Viri natalibus Nobiles, Invidiæ, erga novos homines, notam subeunt. Etenim mutatur intervallum. Et simile est hoc deceptioni visus; Cum res retrocedere videantur, aliis se promoventibus.

Deformes, & *Eunuchi*, & *Senes*, & *Spurii*, *invidi* sunt. Etenim, qui conditionem suam emendare nullo modo potest, conditionem alterius, pro viribus suis labefactabit. Nisi forte hi defectus in generosa & heroica ingenia inciderint, quæ defectus proprios naturales, in honoris sui incrementum vertere nitantur; scilicet, ut fama hoc arripiat, *Eunuchum*, aut *Claudum*, tam magna perpetrasse; miraculi nimirum honore affectato. Id quod evenit *Narseti Eunucho* & *Agesilao*, atque *Tamberlani*, qui *claudi fuerunt.*

Eadem fere ratio est hominum, *qui è calamitatibus resurgunt.* Sunt enim plerunque temporibus infensi; atque alienas calamitates, tanquam suarum molestiarum redemptiones, gustant.

Qui in plurimis excellere contendunt, levitate & gloria vana moti, necesse est ut sint *invidi.* Ubique enim occurrunt objecta *Invidiæ*: cum fieri nequeat, quin aliqui in tot rebus illos superent. Qui fuit character *Imperatoris Adriani*, qui Poëtas & Pictores, & Opifices alios, in iis scilicet operibus, quibus ipse præcellere gestiebat, capitali quadam invidia prosequebatur.

Postremo *Propinqui*, & *Collegæ*, & *una educati*, ad *invidendum* æqualibus, cum evehuntur, proni sunt. Etenim exprobat hoc illis fortunam propriã, eosque quasi digito monstrat, & frequenter eorũ memoriam vellicat; quin etiam in aliorum notam hæc fortunæ collatio magis incurrit. *Invidia* autẽ à fama & sermonibus, semper reflectitur, & conduplicatur. Unde *Invidia Cainis*, erga *fratrem Abelẽ* malignior fuit: quia cum sacrificium *Abelis* magis acceptum *Deo* fuit, nemo inspexit. Atq; hæc de iis, *qui ad Invidendum proclives sunt.*

Quantum ad illos, *qui Invidiæ magis aut minus obnoxii sunt*; Primo, iis, qui *eminente virtute* prediti sunt, minus invidetur, cum promoventur: Promotio enim eorũ, videtur ex debito; Debiti autem solutioni nemo *invidet*, sed largitioni supra meritum. Atq; etiam, *Invidia*, non sine comparatione est; Ubi autem nullus comparationis gradus, nulla *Invidia*; Itaque *Regibus* non *invidetur*, nisi à *Regibus.* Illud tamẽ observatione dignum est, Personis indignis sub primum honoris sui ascensum, maxime invideri; postea vero minus: ubi contra, Personæ dignæ, & meritis insignes, *Invidiam* tum demũ experiuntur, post quam fortunę eorum diutius duraverint, Etenim, licet virtus eorum eadem maneat, tamen minus fit illustris; Recentes enim oboriantur homines, qui eam obscurant.

Nobiles genere, minus *Invidiæ* expositi sunt, cum honoribus cumulantur: Etenim nihil aliud videtur, quam debitum Majoribus suis repensum: præterea, parum fortunæ eorum additum videtur; *Invidia* autem, more radiorum solis, in clivo ardentior est, quam in plano. Itaque eandem ob causam, qui *per gradus* evehuntur, minorem subeunt *Invidiam*, quam qui *per saltum.*

Qui cum *honoribus* suis conjunctos habent *labores magnos, curas, & pericula*, *invidia* minus laborant. Etenim, existimant homines, eos, honores suos, caro pretio emere, & misereri potius ipsorũ nonnunquam incipiunt: Misericordia autem semper fere sanat *Invidiam.* Itaq; notabis plerunq;, ex viris Politicis, & honore fulgentibus, magis sanos & sobrios, semper querimonias fundere, qualem vitam traducunt; canentes illud, *Quanta patimur!* Non quod ita sentiant, sed quo *Invidiæ* aciem retundant. Verum hoc intelligi debet, de negotiis, quæ hujusmodi viris imponuntur, non de iis quæ ipsi ad se attrahunt. Nihil enim *Invidiam* magis suscitat, quam ambitiosum & immodicum negotiorum monopolium: Nihilq; è converso, *invidiã* extinguit magis, quam si quis in summis honoribus constitutus, aliis Officiariis inferioribus nihil detrahat. Hoc enim modo, quot illi ministri sunt, tot se tegit umbraculis ab *invidia.*

Super omnia, illi *Invidiam* in se concitant maxime, qui fortunarum suarum amplitudinem insolenter & tumide ostentant; nunquam sibi placentes, nisi dum potentiam suam jactent, vel per pompam exteriorem, vel triumphando de Adversariis aut Competitoribus suis dejectis: ubi contra, Viri prudentes sacrificare quandoque *Invidiæ* ament, de industria interdum permittentes se vinci, in rebus, quæ minus eis cordi sunt. Nihilominus, illud verum est, potentiæ ostentationem apertam, & indissimulatam, (modo absit arrogantia & gloria inanis) minore *Invidia* laborare, quam si callide & quasi furtim se notæ subtrahat. Etenim, hoc cum fit, nihil aliud facit quis, quam ut Fortunam insimulet, quasi ipse sibi esset cõscius indignitatis suæ: unde alios ad sibi *invidendum* stimulat.

Postremo, ut huic parti finem imponamus; Quemadmodum in principio diximus, *Invidiæ* actum aliquid habere in se ex *Veneficio*; Ita non alia est *invidiæ* curatio, quam quæ solet esse *Veneficii*, & *Incantationis*: hoc est. *Sortis translatio* (ut vocant,) & in alium *remotio.* Ad quem finem, prudentiores ex honoratis, semper in Scenam introducunt aliquem, in quem *Individiam*, in se alias incursuram, derivent: quandoque in ministros & servos, quandoque in Collegas & socios; aut in alios quosdam eam rejicientes. Neq; ad hunc usum unquam desunt Personæ aliquæ violentæ, & temerariæ; quæ, modo potentiam & negotia agitent, ea quovis periculo mercari non dubitent.

Jam vero, ut de *Publicã Invidia* loquamur. Ea saltẽ aliquid in se habet boni; ubi in *privata invidia* nihil prorsus inest boni. *Publica* n. *Invidia*, instar

salubris *Ostracismi* est, qui viros magnos, supra modum excrescentes coërcet; unde etiam fræno est viris præpotentibus, ne se nimium efferant.

Hæc *Invidia* quæ *mala Contentatio* modernis linguis appellatur, (& in Titulo de Seditionibus plenius tractabitur,) est in *Regnis* & *Rebuspub. contagioni* nō absimilis. Etenim sicut *Contagio* in sanas partes serpit, easque corrumpit; ita etiam, quando *Invidia* statū occupaverit, vel optima Reip. Mandata & Instituta in odium vertit, & graveolentiam quandam. Itaque parum proficitur intermiscendo actiones gratas & populares odiosis; Etenim, hoc ipsum imbecillitatem & *Invidiæ* metum arguit; quæ tanto magis nocet, ut sit etiam in *Contagionibus*, quæ, si tibi ab iis metuas, facilius irruunt.

Ac *publica* ista *Invidia*, magis in *Regum* Officiarios & Ministros involat, quam in *Reges* ipsos. Attamen ecce Regulam quæ vix fallit. Si *Invidia*, quæ ministro incumbit, sit magna, caussa autem parva; aut si *Invidia* quasi generalis sit, & omnes Status ministros complectatur: tunc *Invidia* (etsi occulto) *Regem*, aut *Statum* ipsum, petit. Atque hæc dicta sint, de *Publica Invidia*, aut *Contentione mala*; atque de ejus differentia ab *Invidia privata*, quam priore loco tractavimus.

Addemus etiam, in genere, de affectu *Invidiæ* hoc insuper; eum inter omnes *Affectus* esse maxime importunum, & assiduum. Etenim, aliis *Affectibus* excitandis subinde præbetur occasio. Recte autem dictum est, *Invidiam festos dies nō agere*: quia semper materiam se exercendi reperit. Unde etiam observatum est, *Amorem* & *Invidiam*, maciem hominibus inducere; id quod alii *Affectus* non faciunt, quoniam non continui sunt. Est etiam *Invidia Affectuum* vilissimus & pravissimus: quam ob caussam proprium est attributum *Diaboli*; qui dicitur, *Invidus homo, qui Zizania inter Triticum noctu seminavit*; quemadmodum etiam semper evenit, ut *Invidia* callide & in tenebris operetur, ad præjudicium cujusvis rei optimæ, veluti *Tritici*.

X.
DE AMORE.

A *Mori* plus debet Scena, quam Vita. Etenim in Scena, *Amor* semper Comœdiæ præbet Argumentum; quandoq; etiam & Tragœdiæ: At in vita humana, multum plerumq; affert nocumenti; Nunc ut *Sirenum* aliqua, aliquando ut *Furiarum*. Observare licet, neminem ex Viris Magnis & Illustribus fuisse (quorum extat memoria, vel antiqua, vel recens,) qui adactus fuerit ad insanum illum gradum *Amoris*. Unde constat animos magnos, & negotia magna, infirmam hanc *passionem* non admittere. Excipere tamen oportet *Marcum Antonium Imperii Romani* Duumvirum, & *Appium Claudium*, Decemvirum, Legislatorum inter *Romanos* principem. Quorū prior fuit revera homo luxuriosus, & voluptatibus deditus; Alter autem vir fuit prudens & austerus. Unde quivis perspiciat, *Amorem* (quanquam rarius) aditum reperire posse, non solum in cor apertum, sed & bene munitum, si diligenti custodia non asservetur. Abjectum quidem, & pusillanimum, est illud *Epicuri* dictum: *Satis magnum alter alteri Theatrum sumus*; Quasi homo, natus ad contemplationem Cœli & Cœlestium, Idolum adorans minutum, satageret, se submittendo, si non ori, ut bruta, oculo tamen, certe ad altiora contemplanda dato. Mira res videbitur, si passionis hujus excessum perpendamus, ac quomodo ipsi rerum naturæ & valori vero insultet, vel hoc ipso, quod Hyperbole perpetua nulli rei conveniat, præterquam *Amori*. Neq; hæc Hyperbole solummodo in locutionis phrasi cernitur. Cum enim verissime dictum sit, Adulatorū principem, quo cum cæteri adulatores minores conspirant, esse unumquemq; sibi ipsi; profecto *Amator* aliquid amplius est. Nunquam n. fuit quisquam adeo superbus, qui se ipsum tam absurde magnifecerit, quam *Amator* personam amatā. Recte itaq; receptum est illud diverbium; *Amare & Sapere, vix Deo conceditur*. Neq; aliis tantummodo manifesta est hæc Phrenesis, *Personæ* autem *amatæ* minime; sed & *amatæ* potissimū, nisi *Amor* sit reciprocus. Certissimum enim est, *Amorem* semper repēdi, aut *Amore* mutuo: aut *Contemptu* intrinseco, & secreto. Quo magis cavendū est hominibus ab hac *passione*; quæ non solum alias res perdit, sed & se ipsam. Quæ alia infert damna, belle illa exprimit *Poetarum* fabula: *Eū scilicet, qui Helenam prætulit, Junonis dona, & Palladis, amisisse*. Quisquis enim *amatoris affectibus* nimis indulget, & divitiis & sapientiæ nunciū remittit. Habet hæc *passio* æstus suos, in ipsis tēporibus, quibus animus maxime mollis est, & infirmus: nimirū in rebus prosperis, aut adversis: quanquam hoc posterius minus forsan observatū fuerit. Utraq; enim tempestas *Amorem* accendit, redditq; flagrantiorem; unde evincitur esse stultitiæ proles. Optime illi, qui si *Amores* omnino nequeant extrudere, eos tamen inordinem redigunt; & à rebus seriis vitæq; negotiis segregāt. Si enim illis *Amor* se immisceat, turbat omnia, hominesq; eo compellit, ut fines suos recta petere nō possint. Quicquid in re sit, viri militares *Amoribus* dediti sunt; opinor, non aliter, quam vino. Poscunt enim plerunq; pericula, compensationē voluptariam. Inest ingenio humano motus quidam arcanus, & tacita inclinatio, in *Amorem* aliorum: qui si non insumatur in unum, vel paucos, naturaliter se diffundit in plures; atq; homines reddit humanos, & charitativos: quemadmodum videre licet nonnunquam in *Monachis*. *Amor conjugalis* genus humanum creat; *Amor socialis* perficit; *Amor* vero *lascivus* inficit, & dehonestat.

XI.
DE MAGISTRATIBUS ET DIGNITATIBUS.

VIri in *Magistratu* collocati, ter servi: servi Principis vel Politiæ; servi famæ; & servi negotiorum. Adeo ut libertate neutiquam fruantur; nec in personis, nec in actionibus; nec in temporibus suis. Mirū cupiditatis genus, potestatem appetere, libertatem amittere: vel potestatem in alios ambire, potestatem in seipsum exuere. Ascensus ad *Dignitates* arduus est; & per labores pervenitur ad labores majores; sæpe quoq; *Indignitatibus* non vacat: Atq; per *Indignitates* pervenitur ad *dignitates*. Statio in *Dignitatibus* res lubrica est; Atq; regressus, aut præcipitium est, aut saltem Eclipsis; quæ & ipsa triste quiddam, & melancholicum. *Cum non sis qui fueris, non esse cur velis vivere*. Imo nec regredi datur, etiamsi quis cupiat; Neque regredi volunt homines, cum ratio postulat ut id facerent: verum Impatientes manent vitæ privatæ, etiam cum senectus aut infirmitas ingruit; quæ umbram

umbram & otium poſtulant, ſicut oppidani ſenes, qui ante oſtium ſedere volunt, licet ſe eo pacto deriſui exponant. Sane, Viris in *Magiſtratibus* poſitis opus eſt, ut aliorum opiniones metuentur, quo ſe ipſos beatos putent; Nam ſi judicent ex ſenſu proprio, nihil hujuſmodi reperient: Verum, quando ſecum cogitent, quid alii de ipſis ſentiant, & quam libenter alii conditiones cum illis permutare vellent, tum demum beati ſunt, tanquam rumore tenus: cum intus fortaſſe cõtrarium experiantur. Siquidem dolores ſuos primi omnium ſentiunt, licet culpas ſuas omnium noviſſimi. Certe *Viri Poteſtatibus ſublimes*, ipſi ſibi ignoti ſunt; Et dum negotiis diſtrahuntur, tempore carẽt, quo ſanitati, aut corporis, aut animæ ſuæ, conſulant;

Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

In *Poteſtatibus*, licentia magna datur, & boni, & mali: Quorum poſterius pro maledictione habendum: In malis enim, optima conditio eſt, nolle; proxima, nõ poſſe. Certe potentia bene merendi, verus eſt & legitimus ambitionis finis. Etenim bene cogitare, licet Deo acceptum ſit, tamen verſus homines non multo melius eſt, quam bene ſomniare; niſi in actum producatur. Id autem fieri non poteſt ſine *Munere* aliquo publico & *Poteſtate*; veluti Solo ſuperiore & elevato. Merita & Opera bona, ſunt veri fines laborum hominis: Atq; eorundem Conſcientia perfectio humanę quietis. *Et converſus Deus, ut aſpiceret opera, quæ fecerunt manus ſuæ, vidit quod omnia eſſent bona nimis.* Tum ſequitur *Sabbatum*. In *Munere* tuo perfungendo, propone tibi exempla optima; Imitatio n. globus eſt præceptorũ; Et poſt tempus aliquod propone tibi exemplum proprium; Atq; in te ipſum ſtricte inquiras, num non melius inceperis, quam perſtiteris: Neque rurſus exempla eorum negligas, qui eodem *Munere* praviter functi ſunt: nõ ut te ipſũ, eorum memoriam carpendo, vendites: ſed ut monearis, quid evitare debeas. Inſtitue igitur reformationem, ſed absq; elatione Tui ipſius, aut ſcandalo priorum temporum, & perſonarum; Hoc tamen tibi conſtitutum ſit, Exempla præclara non minus introducere, quam imitari. Retrahe res ad primam earum inſtitutionem; Et circumſpicias, in quibus, & quibus modis, degeneraverint. Attamen utrumq; tempus conſulas: tum antiquius, ut cognoſcas quid optimum fuerit: tum recentius, ut notes, quid fuerit aptiſſimum. Contende, ut quæ *agis pro Poteſtate*, tanquam Regulis quibuſdam cohibeantur, ut hominibus tanquam digito monſtres, quid illis ſit expectandũ: Neq; tamen nimiũ ſis pertinax, aut peremptorius: Atq; ſemper, cum à Regula receſſeris, quid ſit quod agas, diligẽter expone. *Muneris* tui Jura conſtanter tueare; Neque propterea lites de Jurisdictione facile move: Atq; ita te geras, ut potius Jura tua aſſumas & exerceas tacite, & de facto, quam ut Quæſtiones de iis cum ſtrepitu ſuſcites, & agites. Jura etiam inferiorum *Munerum*, tibi ſubordinatorum, defẽde, ac ne deſtitue. Tibiq; majori honori ducas rerum ſummas præſcribere, quã in omnibus ſatagere. Amplectere, imo invita, qui tibi adjumẽto ſint & informationi; ad *Muneris* tui executionẽ, neq; abige eos, qui operam ſuam ad hoc tibi deferunt, tanquã ſe ingerentes; ſed potius cũ favore eos allicias, & recipias.

Vitia in Auctoritate utenda, & exercenda, ſunt præcipue quatuor: *Mora nimia, Corruptela, Aſperitas* & *Facilitas*. Quantũ ad *Moras*, faciles aditus præbe; tempora præſtituta ſerva; inchoata quæ ſunt, perfice; neq; negotia nova intermiſce, niſi urgeat neceſſitas. Quantum ad *Corruptelas*: non ſolũ manus tui ipſius & tuorum liga, ne munera accipiantur; Sed etiam manus ſupplicantium, ne ea offerantur. Prius horum præſtat certe integritas adhibita; verum ea ipſa prædicata, & ex profeſſo, idq; cum deteſtatione *Corruptelarum*, etiam poſterius aſſequitur. Neque tantum culpam, verum etiam ſuſpicionem devita. Quicunque mutabiles ſunt, & manifeſto alterantur absque cauſſa manifeſta, injiciunt ſuſpicionem de *Corruptelis*. Itaq;, perpetuo, cum ab opinione tua quam declaraſti, aut proceſſu quem incepiſti, deflectas, ingenue hoc ipſum profitere; ſimul & cauſſas quæ te ad hoc cõmoverunt ſedulo declares & inculces; neque rem ſuffurari te poſſe credas Servus gratioſus, & apud Dominum potens, ſi nõ extet aliqua favoris cauſſa manifeſta, reputatur plerunque nihil aliud quàm via obliqua ad *Corruptelas*. Quantum ad *Aſperitatem*; invidiã, & malevolentiam parit illa, nihil inde metens: *Severitas* ſiquidem metum incutit, *Aſperitas* odium parit. Etiam Reprehenſiones de loco ſuperiore, graves eſſe debent, non contumelioſæ. Quantum ad *Facilitatem*; ea *Corruptelis* etiam deterior eſt: *Corruptelæ* enim interdum & ſubinde tentantur; Quod ſi quis importunitati pateat, aut reſpectibus levioribus ducatur, hæc ei ubiq; aderunt. Sicut ait *Salomon*: *Perſonas reſpicere non eſt bonum*; *Talis enim offendet pro bucella panis.*

Veriſſimum ſane, quod à veteribus dictum eſt; *Magiſtratus virum indicat*. Alios autem indicat in melius, alios in pejus; *Omnium conſenſu capax Imperii, niſi imperaſſet*, inquit *Tacitus* de *Galba*: Contra de *Veſpaſiano* idem: *Solus Imperantium Veſpaſianus mutatus in melius*. Licet alterum intelligat *Tacitus* de Arte Imperatoria, alterum de Moribus & Affectibus. Signum eſt luculentiſſimũ indolis generoſæ, ſi quis *honoribus* emendetur. Eſt enim *Honor*, aut ſaltẽ eſſe debet, *locus virtutis*: Atq; quemadmodum in natura, corpora moventur rapide ad locũ, placide in loco: ita virtus in ambitu violentior eſt, in *honore* adepto ſedatior. *Aſcenſus* omnis ad *dignitatum faſtigium*, incedit tanquam per ſcalam graduum flexuoſam; Atq; ſi *factiones* valeant, bonum fuerit, alteri parti adhærere, dum quis *honorem* ſcandat: at ſe ad æquilibrium reducere poſtquam eundem fuerit conſecutus. Memoriam *Prædeceſſoris* tui illæſam conſerva. Hoc ſi non feceris, debitum tibi hoc à *Succeſſore* tuo rependetur. *Collegas* etiam amice tracta, & potius advoca cum illud minime expectent, quam exclude cum conſentaneum fuerit eos advocari. Ne ſis loci tui nimis memor, aut crebram de eo mentionem facias, in quotidianis ſermonibus, aut converſatione privata; ſed potius prædicetur de te: *Alius prorſus vir eſt, cum ſedet, & munus ſuum exercet.*

XII.
DE AUDACIA.

IN Scholis tritũ eſt dicterium, nec tamẽ Sapientis obſervatione indignũ. Interrogatus olim *Demoſthenes*, quæna prima *Oratoris* virtus? reſpondit, *Actio*. Quæ ſecunda? *Actio*. Quæ tertia? Itidem reſpõdit, *Actio*. Ipſe dixit, qui rẽ optime noverat;

nec

nec tamen in eo, quod laudabat, multum Naturæ debebat. Mira certe res, illam *Oratoris* partem, quæ non ultra corticem penetrat, & *Histrionis* potius virtus censenda est, quam *Oratoris*, in locum tam sublimem, supra nobiliores illas partes, *inventionis, Elocutionis*, & cæterarum, extolli; Imo quasi *omne tulisset punctum*, pene solam prædicari. Sed in promptu ratio est: Inest enim naturæ humanę, plerunque plus stulti, quam sapientis. Unde & facultates eæ, quibus capitur pars illa in animis mortalium stulta, sunt omnium potentissimæ. Huic mire convenit, & quasi parallela est, *Audacia* in negotiis Civilibus. Quid in istis primum? *Audacia*. Quid secundum? Quid tertium? *Audacia*. Attamen utcunque ignorantiæ, & sordidi ingenii, proles est *Audacia*, cæterisque Civilis scientiæ partibus longe impar. Sed nihilominus fascinat, & captivos ducit eos, qui vel judicio infirmi sunt, vel animo timidiores: Tales autem sunt hominum pars maxima. Quin & Sapientibus ipsis, cum animis vacillent, vim injicit. Idcirco videmus *Audaciam*, in Democratiis, plurimum valuisse, Apud Senatores vero, & Principes, certe minus. Imo quando primo rebus gerendis admoventur *Audaces*, plus possunt, quam postea: Nam male pollicita præstat *Audacia*. Sane quemadmodum interveniunt agyrtæ, qui corpori naturali mederi profitentur, sic & corpori Politico non desunt homines, qui curationes vel difficillimas suscipient: Quibus forsan in paucis aliquibus experimentis feliciter successit, sed cum scientiæ principia non gustarint, sæpius excidunt. Imo videre est nonnunquam hominem *Audacem*, miraculum illud *Mahometis* edentem. Populo persuasit *Mahometes*, se collem ad semet evocaturum: atque à summo ejus jugo, preces pro legis suæ cultoribus oblaturum. Populus magna frequentia convenit: collem, ut ad se veniret, iterumque iterumque vocavit *Mahometes*, sed cum collis immotus maneret, ille (nihil omnino pudefactus) inquit: *Si collis ad Mahometem accedere nolit, ad collem ibit Mahometes*. Sic & istiusmodi homines, quando ingentia quędam in se susceperunt, turpissimeque in iis defecerunt, tamen (si ad ipsum *Audaciæ* culmen pervenerunt) lusu rem excipient, & se vertent, & nihil aliud. Hominibus profecto magno judicio præditis ludibrio sunt *Audaces*: Imo & apud ipsum vulgus *Audacia* aliquid habet ridiculi. Nam si risus Objectum sit absurditas, ne dubites, quin magna *Audacia* semper secum habeat aliquid ridiculi. Neq; fere jucundius est spectaculum, quam videre in *Audace* oris confusionem: Vultum enim tunc nanciscitur in se reductum, sed deformiter, nec aliter fieri potest. Nam inverecūdantibus fluunt paulatim, refluuntque spiritus, sed *Audaces*, quando tale quidpiam illis contingit, attoniti hærent, ut fit in *Schacciæ* ludo, quando non vincitur collusor, sed torpet tantum motus. Atqui hoc postremum Satyræ aptius, quam seriæ observationi. Illud vero animadvertendum, *Audaciam* semper cæcam esse: Discrimina enim & obstacula nulla videt. Quare in deliberando nocet, in exequendo juvat. Adeo ut, si *Audaces* tuto adhibere velis, summum illis Imperiū non deferas, secundæ Classi annumerentur, & ab illis regnantur. Nam in consiliis capiendis, pericula ante oculos habere, bonum est, in executione autem oculos claudere oportet, nisi pericula valde magna fuerint.

XIII.
DE BONITATE, ET BONITATE NATIVA.

Bonitatem eo sensu accipio, ut sit affectus, qui hominum commoda studeat, & bene velit: Quam eandem Græci φιλανθρωπίαν vocant. *Humanitatis* autem vocabulum (prout vulgus ea utitur) levius aliquanto est, atque angustius, quam ut vim ejus exprimat. *Bonitatem* scilicet appello Affectum, & Habitum; *Bonitatem* autem *nativam*, Inclinationem. *Bonitas* vero inter omnes virtutes, atque animi dignitates, facile primas obtinet; cum sit ipsius *Divinæ naturæ* adumbrata quædam effigies, & character: Qua è rebus sublata, *homo animalis* nihil aliud fuerit, quam res inquieta, scelesta, misera, imo species quædam noxiorum vermium. *Bonitas Moralis*, virtuti illi Theologicæ, *Charitati*, respondet; neque excessum quidem capit, aberrationem autem patitur. Immodica scientiæ cupiditas Angelos cœlo deturbavit; immodica scientiæ cupiditas hominem Paradiso expulit: At in Charitate non datur excessus; neque per eam aut Angelus, aut Homo, unquam periculum subire possit. Inclinatio autem ad *Bonitatem*, altis defixa radicibus, naturæ humanæ insidet: Quæ, si benefaciendi materia, aut occasione destituta, non inveniat quo se exerceat in homines, deflectet certe in brutas animantes. Quod in *Turcis*, gente utique sæva & fera, videre est: Qui nihilominus erga bruta animalia misericordes sunt, & eleemosynas canibus & avibus distribuunt. Adeo ut (referente *Busbequio*) *Aurifex* quidam *Venetus, Byzantii* ageus, vix furorem populi effugerit, quod avis cujusdam, rostri oblongi, fauces, inserto baculo, diduxisset. Neque tamen erroribus suis vacat, *Bonitatis* hæc, & *Charitatis*, virtus. Nequam apud *Italos* jactatur Proverbiū: *Tanto buon, che valniente. Adeo bonus, ut ad nihil bonus*. Neq; subveritus est *Nicolaus Machiavellus* literis cōcredere, idq; desertis fere verbis: *Fidem Christianam, homines probos & innocentes in prædam Tyrannorum iniquitati dedisse*. Quod ideo pronunciavit, quia nulla usquam Lex, nulla secta aut opinio, tam in immensum extulit *Bonitatem*, quam *Religio Christiana*. Quo melius itaq;, extra scandali, adeoque periculi ictum & minas, tuti consistamus, operę pretium erit nosse *Errores*, qui nos à recto tam insignis Habitus tramite transversos agant. Ita aliorum *bono* studeas, ne te illorum interea aut vultibus, aut voluptatibus, mancipio dedas. Illud enim facilitatis, atque mollitiei indicium est, quæ honestam mentem in vincula captivam abducit: Neq; projicias *Æsopi* gallo gemmam, cui gratius & felicius, cederet granum hordei. *Dei* exemplum, in hac re, pro præcepto tibi sit: *Ille pluvia sua rigat, Sole suo irradiat justos juxta ac injustos*: Non tamen omnes ex æquo, aut opum imbre compluit, aut honorum, virtutumve splendore illustrat. Communia quidem beneficia cuivis sunt communicanda; peculiaria vero paucis, & cum delectu. Cave autem, ne dum effigiem sculpas, Archetypum destruas. Theologia quippe, *Amorem nostri ipsius* pro Archetypo statuit; *Amorem proximi* pro imitamento: *Vende omne quod habes, atque elargire pauperibus, & sequere me*. At noli omne, quod habes, vendere, nisi venias, & sequaris me: hoc est, nisi ejusmodi vitæ institutum ingrediaris, in quo, æq; ex parvis opibus, ac ex magnis po-

poteris aliis benefacere. Secus, dum rivos alis, fontem exhauris: Neq; interea habitus tantum *Bonitatis* reperitur ad rectæ rationis normam applicatus, sed etiam in quibusdam hominibus reperitur *Indoles Naturalis*, ad eam propensa; Uti è contra in aliis *naturalis* quædam *Malignitas*. Sunt enim, qui ex ingenii proprii instinctu aversentur aliorũ bonũ. Et levius quidem *Malignitatis* genus, in morositatem cedit, aut perversitatem, aut præcipitem opponendi, & se in singulis difficilem præbendi libidinem, & similia: Gravius tamen illud, atq; altius, ad invidiam producitur, meramque *malitiam*. Hujusmodi homines in alienis calamitatibus fere florent, easque semper aggravant: Non digni certe, qui conferantur *canibus* illis, qui *Lazari* delingebant ulcera; sed *muscis*, quæ cruda quæq; & excoriata infestant. Non paucos reperias *Misanthropos*, quibus volupe est deducere homines ad suspendii ramum, neque tamen arborem habent in hortis suis, qualem *Timon* habuit. Ingenia ita disposita, non injuria vocare licet, humanæ naturæ vomicas, & carcinomata. Sunt tamen hæc ligna accommodatissima, è quibus fiant *Mercurii Politici*; similia lignis incurvis, quæ bene navigiis extruendis conveniunt jactatione destinatis, non autem ædibus, quæ immotæ manent. Partes autem, & indicia *Bonitatis* sunt plurima. Si quis se erga Hospites & Peregrinos benignũ humanumq; præbeat, arguit se *Mundi Civem*, sibique cor esse non instar Insulæ, cæteris terris avulsæ, sed Continentis, quæ illis conjungitur. Si compatiatur afflictis, nobilitat sua præcordia, quæ non secus atque celebrata illa arbor, per sua vulnera, *Balsamũ* exudat. Si facilis offensas remiserit, & delictorum gratiam fecerit, mentem indicat in alto positam esse, supra injuriarum jactum & tela. Si pro modicis beneficiis gratum se exhibeat, argumento est, pluris se æstimare hominum animos quam sarcinas. Supra omnia, si supremum illum *Sancti Pauli Apostoli*, perfectionis fastigium sit consecutus, ut devoveat se, atque anathematizet à *Christo*, propter salutem fratrum, indicio est, proxime illum accedere ad *Naturam divinam*, & quodammodo *Christo ipsi confirmari*.

XIV.

De Nobilitate.

DE *Nobilitate* primum agamus, ut est portio Reipublicæ; Deinde ut est conditio hominum particularium. *Monarchia*, in qua nulli prorsus *Nobiles*, semper pura est & absoluta *Tyrannis*: Cujusmodi est *Imperium Turcicum*. *Dignitatem* enim *Regalem* diluit *Nobilitas*, & Vulgi oculos à *Prosapia Regia* aliquantulum avocat. In *Democratia* vero, Proceres interdũ non desiderantur: Imo Status ille popularis multo pacatior est, atque minus factionibus & turbis obnoxius, ubi non sunt *Stirpes Nobilium*: Illic enim in res ipsas oculi hominum conjiciuntur, non in personas; vel si omnino in personas, id fit, tanquam in maxime idoneis rebus gerendis, minime vero ut ratio habeatur Insignium, aut Imaginum. *Helvetiorum* Rempublicam satis florentem videmus licet Religionis Pagorumq; diversitas obstare videatur. Utilitas enim apud illos valet, non dignitas. Illa gubernandi forma, qua Confœderatæ *Belgarum* Provinciæ utuntur, certe eminet: Ubi enim Paritas admittitur, ibi & Consilia ineuntur æquabilius & Tributa penduntur alacrius *Nobilium* potentia & auctoritas in *Monarchia*, *Principi* ipsi impertit splendorem, sed potestatem imminuit; Populi vero animos auget, fortunas illorum deprimit, bene se res habet, cum *Nobiles* non sint potentiores, quã aut Imperii aut Justitiæ ratio postulat: in eo tamen Dignitatis gradu sustineantur, ut insolentia popularis illorũ reverentia, tanquam obice retundatur, antequam in *Regalem Majestatem* se effundat. Rursus, numerosa *Nobilitas*, quæ plerumq; minus potens est, Statum prorsus depauperat: Hinc enim profusæ Expensæ: Atque insuper, cum necesse sit, tractu temporis, complures ex *Nobilibus* indigos fieri, sequitur divortium quoddam, sive malum temperamentum, inter honores & pecunias.

Quod vero ad *Nobilitatem* spectat in personis particularibus: venerationem certe habet, videre Castellum aut ædificium antiquum, quod nulla ruina invasit; aut etiam annosam & proceram arborem solidam & integram: quanto magis intueri antiquam *Nobilem Prosapiam*, à fluctibus, & procellis temporis illæsam? *Nobilitas* enim nova *Regiæ* potentiæ opus est, antiqua vero temporis solius. Qui ad *Nobilitatis* fastigium primi evehuntur, virtutũ claritudine plerũq. posteris eminent, sed innocentia minime. Ad *honores* enim raro ascẽditur, nisi per mixturam bonarum & malarum artium. Æquum vero est, ut Virtutum suarum memoria usque ad Posteros permanet; vitiorũ vero una cum ipsis moriatur: *Natalium* splendor industriã plerũq; minuit; atq; qui minus est industrius, alienæ invidet diligentiæ. Ad quod accedit, quod non datur, quo possint ulterius *Nobiles* promoveri. Qui vero in eodem loco hæret dum alii ascendunt, invidię stimulis vix carebit. Contra, *Nobilitas* passivam invidiam omnino lenit; eo quod *Nobiles* in honorum possessione nati videntur. Sane *Reges*, quibus *Nobiles* adsunt prudentes & capaces, negotia sua mollius fluere sentient, si eos potissimum adhibeant: Etenim erga hujusmodi *Proceres* populus magis propendet, utpote notas quodammodo ad *imperandum*.

XV.

De Seditionibus et Turbis.

MAgni refert, ut *Pastores populi* Prognostica tempestatum Politicarum sciant; Quæ tunc maximæ sunt, cum Res vergunt ad Æqualitatem; non secus ac naturales tempestates circa *Æquinoctia* invalescunt. Quemadmodũ autem sæpe videre est flatus ventorum cavos, & veluti è longinquo; quin & similiter Maris tumores occultos ante procellam. Idẽ evenit ingruentibus procellis politicis:

---Ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudesq; & operta tumescere bella.

Famosi libelli, & licentiosi & mordaces sermones in Status scandalum, cum passim volitant, & increbrescunt; similiter novarum rerum rumores mendaces, in Regiminis dedecus, ũdiq; jactati, & avide à Populo excepti; sunt certe inter Prognostica *Seditionum*. Quo stemmate deducta sit *Fama*, cũ *Virgilius* depingeret, *Gigantũ* sororẽ eam esse ponit:

Illam Terra parens, ira irritata Deorum,
Extremam (ut perhibent) Cœo Enceladeque sororem
Progenuit.

Quasi *Famæ* fuissent *seditionum* præteritarum reliquiæ: verum sunt illæ non minus, *Seditionum* futurarum præcursatrices. Recte tamen utcunque nota

notatũ est, inter *seditiosos tumultus*, & *seditiosos rumores*, nil aliud fere interesse, nisi qualis est Discrepantia inter fratrem & sororem, masculum & fœminam. Præsertim, si eo usque ingravescat malũ, ut actiones status laudatissimæ, quæ merito plausum Vulgi mererẽtur, & Populi studia conciliare deberent, in deteriorem partem traducantur, & sugillentur. Hoc enim invidiæ molem grandem demonstrat: ut recte ait *Tacitus*, *Conflata magna invidia, seu bene seu male gesta premunt*. Neque propterea sequitur, quod quia *Famæ* istæ inter turbarum signa numerentur, ideo earum suppressio severior, remedium contra turbas præstare intelligerẽtur; Nam ut plurimum, contemptæ facilius evanescunt, & conatus sedulus eas coërcendi, nihil aliud fere efficit, quam ut durent magis.

Item illud genus obsequii, in exequendis jussis, de quo loquitur *Tacitus*, pro suspecto habendum: *Erant in officio, sed tamen qui mallent imperantium mandata interpretari, quã exequi*. Mandata discutere, detrectare, cavillationibus eludere, quid aliud sunt quam jugum jactare, & inobedientiam tentare? Præsertim, ubi in istis Disputationibus circa mandata, qui à parte mandatorum stant, loquũtur timide & molliuscule; qui autem adversantur, audacius & contumacius.

Etiam (ut bene notat *Machiavellus*) cum *Principes*, qui se pro Parentibus communibus gerere deberent, factioni alicui se adjungunt, idem fit, ac cum lembus, inclinatione nimia in alterum latus, evertitur. Hoc temporibus *Henrici Tertii*, *Gallorum Regis*, confirmatum est. Ipse enim, à principio, in Ligam pro extirpandis Protestantibus, se recipi voluit: At paulo post, eadem Liga contra ipsum *Regem* vertit. Cum enim Auctoritas *Principis* sit caussæ cujuspiam tanquam accessoria, & fortior insurgit aliqua obligatio, quam vinculũ *Imperii*, *Reges* ĩcipiũt de possessioẽ Auctoritatis suæ dejici.

Porro cum discordiæ, & duella, & factiones, palam & audacter se ostentant; indicio est, reverentiã erga *Principem* exui. Motus enim *Procerum*, debẽt esse sicut motus *Planetarum*, sub *primo Mobili*, (juxta opinionem receptam,) qui rapide quidem circumferuntur secundum motum *primi Mobilis*, leniter autem renituntur in motu proprio. Quare si *Viri Primores*, & *Nobiles*, propriis motibus violenter rapiantur & (ut scite *Tacitus*) *liberius quam ut Imperantium meminissent*: orbes perturbari manifestum est. Reverentia enim idipsum est, quo *Reges* à *Deo* accinguntur, qui eam aliquando disrumpere minitatur; *Solvam cingula Regum*.

Rursus, cũ aliqua ex quatuor *Imperii Columnis*, concutiatur aut labefactetur, (quæ sunt *Religio*, *Justitia*, *Consilium*, *Opes*,) tum serenitas precibus imploranda est. Sed mittamus hæc *Prognostica Seditionum*, (circa quæ nihilominus intervenient nonnulla quæ iis tractandis majorem lucem præbere possint in sequentibus:) & primo de *Materia Seditionum*; postea de earum *Caussis* & *Flabellis*; ultimo de *Remediis* nonnihil dicamus.

Materia Seditionum expendere res est consideratione dignissima. Tutissima enim via *Seditiones* evitandi (si tempora patiantur) est, ut ipsam *materiam* è medio tollamus. Si enim fomes flammæ paratus sit, scintillæ, quæ incendium facient, ex qua parte emicare possint, nemo facile dixerit. *Seditionum Materia* duplex est; *Magna inopia*, & *Præsentium rerum tædium*. Certissimũ est, tot esse pro turbis vota, quot sunt hominum res attritæ, & decoctæ fortunæ, Unde illa *Lucani* observatio, de statu *Imperii Romani*, paulo ante *Bellum Civile*:

Hinc usura vorax, rapidumq; in tempore fœnus:
Hunc concussa fides, & multis utile bellum. Hoc ipsum, *Multis utile bellum*, certum est indiciũ Status ad commotiones & turbas dispositi. Tum si Primorum hominum indigentia, ac res accisæ, cum summa plebis inopia & paupertate conjungantur, periculum imminet grave. *Rebelliones* enim, quæ à *ventre* ortum habent, pessimæ. Quantum vero ad alienationes animorum, & tædium rerum præsentium; Sunt certe illa, in corpore Civili, instar humorum malignorum in corpore naturali, qui ad calorem præternaturalem colligendum, & inflammationes, apti sunt. Nemo autem *Principum*, sui periculi magnitudinem metiatur, ex eo, quod justa sint aut injusta, illa quæ animos populi alienant: Hoc enim esset vulgus rationis nimium capax putare, qui suo sæpe recalcitrant commodo. Neq; etiam ex hoc quod gravamina, ex quibus invidia oritur, grandia sint aut exigua. Malevolentiæ enim ex omnibus istæ periculosissimæ sunt, ubi plus timetur, quam sentitur. *Dolendi modus, timendi non item*. Præterea, in maximis oppressionibus, ea quæ patientiam irritant, etiam animos frangũt: At in timoribus dispar est ratio. Neque rursus *Princeps*, aut Status, alienationem animorũ, & invidiã grassantem, minus pendat, quod aut sæpius, aut diutius, illa fastidia animorũ æstuarunt, neque quicquam inde detrimenti Resp. cepit. Verum enim licet sit, quod non omnis vapor in procellam desinat; Ita vere dici potest, ex altera parte, quod procellæ, licet sæpius pertranseant, tandem glomerantur & ruunt. Atque secundum Adagium illud *Hispanicum*: *Funiculus in fine, levissima tensione rumpitur*.

Caussæ seditionum hæ sunt: *In rebus Religionis innovatio*; *Tributa & census*; *Legum & consuetudinum mutatio*; *Immunitatum & Privilegiorum violatio*; *Oppressio universalis*; *Indignorum ad Honores & Magistratus promotio*; *Alienigenæ*; *Caritas Annonæ*; *Milites incuriose dimissi*; *Factiones factæ desperatæ*: Quicquid deniq; populũ offendit, simulq; eos in caussa communi unit, & conspirare facit.

Quantum ad *Remedia*, *Præservativa* quædam confuse, & in genere, possunt assignari, de quibus disseremus: Curatio autem legitima morbo particulari aptari debet. Itaque Consiliis potius, quam Præcepto, relinquenda.

Primum contra *Seditiones Remedium*, & Præventio, hæc est: Omni cum opera & diligentia caussam illam *Seditionum* Materialem, de qua diximus, amovere; Paupertatem intelligo Civium, & inopiam. Cui inservit, Commercii Rationes bene liberare; & bene librare; Artifices & Manufacturas introducere, & fovere; Desidiam & otium profligare; Luxum & profusionem *Sumptuariis Legibus* coërcere; Solum & agros cultura lucrosissima subigere; Rebus venalibus pretia justa imponere; Census & Tributa moderari; & similia. In genere præcavendum, ut incolarum multitudo (temporibus scilicet pacis, quando gladius nihil demetit) *Regni* provẽtus, quibus ali possit nõ exedat. Neq; incolarum multitudo, utrũ superflua sit, nec ne, capitum numero solum censenda est.

Sunto

Sunto enim pauciores, qui multum profundunt, & parum lucrantur, plus illi atterent Statum quam multo plures, qui majore parsimonia degunt, pecunias autem congerunt. *Nobilium* igitur, & eminentioris dignitatis hominum, numerus auctus, magis quam pro analogia plebeiorum, celeriter Statum depauperat. Quod etiam facit *Clerus* numerosus: illi enim sorti Reipubl. nihil addunt. Idem quoque fit, cum plures in Litteris educantur, quam quibus victum suppeditare possint vocationes Civiles.

Neque prætereundum est, quod cum omne publicæ opulentiæ augmentum, ab exteris nationibus lucrifieri necesse sit (quicquid enim alicubi adjicitur, alibi detrahitur,) Tria tantum esse, quæ Gens Genti vendit: *Materiam mercium*; *Manufacturā*, & *Vecturam*. Quæ quidem tres rotæ, si recte progrediantur, æstus divitiarum erunt uberiores. Sæpius autem contingit illud, de quo loquitur *Poëta*: *Materiam superabit opus*; Nempe ut *Manufactura*, & *Vectura*, *Materiæ* pretium excedat, & Statum magis locupletet. Manifesti sunt hujus rei testes inferioris *Germaniæ Populus*; Qui quidem Fodinas, non subterraneas illas, sed supra terram, præ omnibus Gentibus habent ditissimas.

Nihil autem prius debet esse aut consultius, quā ut videat Magistratuum Prudentia, ne pecuniarum thesauri apud paucos recondantur. Aliter enim facile fuerit, *Rempub.* inter magnas opes fame perire. Nummus autem instat fimi non, fructificat, nisi per terram dispergatur. Hoc præcipue efficietur, supprimendo, aut saltem coërcendo, voragines illas, *Fœnoris*, *Monopoliorum*, & *Latifundiorum* in *Pascua* conversorum & similium.

Quantum ad sedandas animorum offensiones, aut saltem ad molienda ea, quæ ab iis proveniunt pericula; Duo sunt, in omni Statu (ut notum est) *Subditorum* genera: *Proceres* & *Plebs*. Quævis harum partium sola, si infensa sit, non magnū subest periculum. Tardi enim sunt *Populi* motus, nisi à *Nobilibus* incitentur. *Nobiles* autem invalidi, nisi vulgus, sua sponte, ad motus aptum & prædispositum sit; Tum periculum revera ingruit, cum *Potentiores* expectent, dum *Aquæ* moveantur apud *Vulgus*, ut ita demum animos exulceratos prodere possint. Fingunt *Poëtæ* Cœlicolas *Iovem* ut vincirent conjurasse; Quod ubi *Iupiter* accepisset, *Minervæ* consilio, *Briareum* Centimanum accersivit, ut in suppetias ei veniret. Proculdubio hoc Emblema *Monarchas* monet, quam tutum & salutare sit eis, *Plebis* studia conciliare & retinere.

Licentiam nonnullam, sed moderatam, animis gravate affectis & malevolis indulgere ut ebulliant eorum dolores, & in fumos abeant, (modo insolentia absit, & audacia) utile sane est. Quin enim humores, ad interiores partes retrovertit; & vulnus in viscera sanguinem refundere cōpellit, ulcera mortifera, & exitialia apostemata inducit.

Ad molliendos exacerbatos & malevolos animos, partes *Epimethei* etiam ad *Prometheum* rite transferri possint. Neq; enim reperitur remedium utilius. *Epimetheus*, ubi Mala & Ærumnas evolare sensisset, operculum vasi festinus imposuit, & in imo dolii spem reservavit. Certe, politice & artificiose spē nutrire, & injicere, ac homines à spe alia in aliam circumducere, ex fortissimis est, contra venenum Malevolentiæ, Antidotis. Neque certius est judicium prudentis Regiminis, & rerum Administrationis, quam ubi hominēs spe continere possit, cum satisfaciendi copia non datur, atq; ubi res tam providè tractantur, ut nullum malum ita peremptorie imminere videatur, quin aliqua se ostendat spei rima ad evadendum: Quod eo minus difficile factu est, qui tam privatis hominibus, quam factionibus, sibi ipsis adulari insitum est; aut saltem ostentare in gloriam suam, quod non omnino credunt.

Trita sane est, sed præcellens *Periculorum*, quæ Malevolentiæ minantur, *Cautio*, ut prævideatur, ne sit *Caput* aliquod ad quod populus infensus & exacerbatus confluere, & sub cujus præsidio in corpus aliquod coire, possit. *Caput* ego illum dico, & Ducem idoneum, qui *Nobilitate* & Existimatione celebratur; quique apud malevolos acceptus est & gratiosus, atque ad quem ora & oculos convertunt, quiq; etiam ipse in rebus suis privatis censetur offensus. Quod genus virorum, aut Statui conciliandū est, idque non perfunctorie, sed solide, aut per alium aliquem, ex iisdem partibus retundendum, qui illi alteri se opponat, atq; gratiam popularem in diversa trahat & secet.

Ubique hoc obtinet, quod factiosas potentias & coitiones, qui contra Gubernationem *Imperij* frontem contrahunt, inter se committere, aut saltem diffidentiam inter eas seminare, *Remedium* haud contemnendum sit. Etenim male admodum agitur cum Rep. si illi, qui erga Imperium bene affecti sunt, discordiarum pleni existant; qui vero infensi, & maligni, arcte conjungantur.

Adnotavi sæpius, ingeniosa & arguta dicteria, quæ *Principibus* improviso exciderunt, nonnunquam scintillas ad *Seditiones* injecisse. Exitiale sibi vulnus inflixit *Cæsar* eo dicto: *Sylla nescivit Literas, dictare non potuit.* Spem enim omnē illud verbulum præscidit, quam homines imbiberant, aliquando eum *Dictaturam* depositurum. Perdidit se ipsum *Galba* eo dicto: *Legi à se militem, non emi.* Inde enim milites de donativis desperarunt. *Probus* item propter eam vocem interiit: *Si vixero, nō opus erit amplius Romano Imperio militibus.* Etenim ob hæc verba milites animum desponderunt, Sunt & alia haud pauca ejusdem generis. Interest sane *Principibus*, in rebus ambiguis, & temporibus anxiis, ut caveant quid dicant; præsertim in concisis his Sententiis, quæ veluti spicula volitant, & ex secreto pectoris eorum emissa putantur. Longiores enim & productiores Sermones obtusi sunt, & minus notantur.

Postremo, in omnes eventus habeant circa se *Principes*, personas nonnullas militia & fortitudine spectatas, ad reprimendas *Seditiones*, in primis motibus. Hoc enim si desit, magis trepidari solet in Aulis Principum, cum turbæ primo erumpunt, quam par esset. Et Status eo genere periculi laborat, quod *Tacitus* illis verbis innnuit: *Atque is habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.* Isti autem militares viri, fidi omnino esse debent, & bonæ existimationis, potius quam factiosi, aut populares; & cum cæteris *Proceribus* bene comparati. Aliter *remedium* morbo gravius.

XVI.

De Atheismo.

Minus durum est, credere portentosissimis

fabulis *Alcorani*, *Talmudi*, aut *Legendæ*, quam credere, huic Universitatis rerum fabricæ, *Mentem* non adesse. Itaq; *Deus* nunquam edidit miraculum, ad *Atheismum* convincendum, quoniam Opera ejus ordinaria huic rei sufficiunt. Verum est tamẽ, parum Philosophiæ naturalis homines inclinare in *Atheismum*; at altiorem scientiam eos ad *Religionẽ* circumagere. Etenim intellectus humanus, dum caussas secundas intuetur sparsas, interdum iis acquiescere possit, nec ulterius penetrare; Verum cũ tandem catenam earum, connexarum inter se, & confœderatarum, contemplari pergat, necesse habet confugere ad *Providentiam*, & *Deitatem*. Imo, & illa *Schola*, quæ præcipue accusatur *Atheismi*, si quis vere rem introspiciat, *Religionem* demõstrat clarissime; Nempe *Schola Leucippi*, *Democriti*, & *Epicuri*. Etenim longe verisimilius est, quatuor Elementa mutabilia, & unũ quintam Essentiam immutabilem, recte ab æterno locata, opus *Deo* non habere quam Exercitum Atomorum & Seminum infinitorum, sine ordine fortuito vagantium, hunc rerum ordinem, pulchritudinem, progignere potuisse absq; *Ædili* quodam *Divino*. Dicit *Scriptura*: *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*: Non dicit, *Cogitavit insipiens in corde suo*: Adeo ut, magis intra se hoc asserat, tanqã rem quã lubens optaret, quã quod penitus hoc credat & sentiat. Nemo enim *Deos* non esse credit, nisi cui *Deos* non esse expedit. Nulla alia re sane magis convincitur. *Atheismum* labiis tantum insidere, cordi autem minime, quam hac, quod *Athei* opninionẽ suam sæpe prædicent & defendant; ac si ipsi sibi diffiderent, aliorumq; consensu refocillari cuperent. Quin etiam, videas interdum *Atheos* sibi Discipulos comparare, ut aliæ Sectæ faciunt. Imo, quod monstri simile est, quidam ex illis mortem & cruciatus subierunt, potius quam opinionem suã retractare sustinerent, cum tamen, si ex animo sentirẽt, nihil tale esse quale *Deus*, quid tandem de ea re satagerent? *Epicuro* imponitur; eum existimationis suæ conservandæ gratia, tenuisse, quod existerẽt quidẽ *Beatæ* quædam *Naturæ*, sed quæ se ipsis fruerentur; neq; Mundi administrationi se imiscerent. In qua opinione, ajunt, eum tempori obsecutum, cum revera *Deos* esse non putaret. Verum, ut videtur, minus juste arguitur: Verba enim ejus egregia sunt & divina: *Non Deos vulgi negare profanum, sed vulgi opiniones Dis applicare profanũ*. *Plato* ipse melius dicere non potuit. Unde videtur, licet audacia polleret ad divinam rerum administrationem pernegãdam, eam tamen ad naturam eorum tollendam illi non suffecisse. *Indi Occidẽtales* particularium *Deorum* suorum nomina prædicant; esi nomen nullũ generale habeant, quod *Deum* significet: Exempli gratia, perinde ac Ethnici nomina *Iovis*, *Apollinis*, *Martis*, &c. in usu habuissent, voce autem, qua *Deũ* exprimerent, caruissẽt. Quod satis indicio est, populos maxime barbaros notionem rei habere, licet latitudinem ejus non comprehendant. Adeo ut contra *Atheistas*, homines maxime ferini, cum Philosophorũ subtilissimis, militent. *Atheista* contemplativus, raro reperitur; *Diagoras* quis, *Bion*, & fortasse *Lucianus*, atq; alii pauci: qui tamen plures esse videntur quam sunt; quoniam omnibus, qui *Religionẽ* aliquam aut *Superstitionem* impugnant, à Secta adversa solet inuri nomẽ & nota *Atheistarũ*. Sed magni revera *Atheista* sunt *Hypocritæ*; qui Sacra perpetua tractant, sed sine sensu. Adeo ut eos ii sine cauterizatos evadere necesse sit. Caussæ *Atheismi* sunt: *Divisiones* circa *Religionem*, si plures fuerint, Nam unica Divisio, zelum utriusq; partis adauget; verum numerosæ *Atheismum* introducunt. Alia caussa sunt, *Scandala Sacerdotum*; cum eo res redeat, quo innuit *S. Bernardus*: *Non est jam dicere, ut Populus, sic Sacerdos; quia nec sic Populus, ut Sacerdos*. Tertia est, *Consuetudo profana ludendi & jocandi* in *rebus sanctis*, quæ sensim reverentiam *Religionis* atterit. Postremo ponuntur *Secula erudita*, prælertim cum *Pace*, & rebus prosperis conjuncta. Etenim Calamitates, & adversa animos hominum ad *Religonem* fortius flectent. Qui *Deos* negant, *Nobilitatem* generis humani destruũt. Nam certissimum est, hominem *brutis* cognatum esse, quatenus ad corpus: Quod si, quatenus ad animã, non intercedat ei cognatio cum *Deo*, est plane, & ignobilis creatura. Destruunt quoq; magnanimitatem, & humanæ naturæ exaltationẽ. Cape enim exemplum à cane, & observa, quantos sibi assumat animal illud spiritus, & quantam generositatem induat, cum se ab *homine* (qui ei vice est *Dei*, aut *melioris naturæ*) impulsum perspiciat. Quam Fortitudinem liquido cernas tantam esse, quantã creatura illa, absq; fiducia *melioris naturæ*, quã propriæ æquare nullo modo possit, Similiter & homo, ubi innititur, & spẽ collocat, in *Divina Providẽtia*, & *Gratia*, fiduciam & vires colligit, quales humana natura, sibi relicta, nequisset attingere. Quare, ut *Atheismus*, in omnibus odium meretur, ita in hoc, quod privet nauturam humanam, facultate se ultra fragilitatem humanã attollendi. Quemadmodũ fit in personis individuis, similiter fit & in nationibus. Magnanimitatem *Romanam* nunquam Gens aliqua æquavit. Audi igitur, quid dicat *Cicero*: *Quã volumus, licet, Patres Conscripti, nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso hujus gentis & terræ domestico natvoque sensu Italos ipsos, & Latinos, sed pietate, ac religione, atque hac una sapientia, quod Deorum immortalium Numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes Gentes nationesque superavimus*.

XVII.

DE SUPERSTITIONE.

PRæstat, nullam aut incertam de *Deo* habere opinionem, quam contumeliosam, & *Deo* indignam: Alterum enim Infidelitatis est, alterum Impietatis & Opprobrii. Ac *Superstitio* certe *Divinitatis* est dedecus. *Plutarchus*, non absire, inquit: *Mallem sane multo, ut homines dicerent, nunquam fuisse talem in rerum natura virũ, qualis ferebatur Plutarchus*; *quam ut dicerent, fuisse quendam Plutarchum, qui Liberos suos, recens natos, comedere & devorare solitus erat; quod Poëtæ de Saturno memorant*. Quemadmodum autem contumelia *Superstitionis* ingravescit adversus *Deum*; Ita & periculum majus ab illa incumbit hominibus. *Atheismus* non prorsus convellit Dictamina Sensus, non Philosophiã, Affectus naturales, Leges, Bonæ famæ desiderium; Quæ omnia, licet Religio abesset, Morali cuidam virtuti externæ conducere possunt: At *Superstitio* hæc omnia dejicit, & Tyrãnidẽ absolutam in animis hominum exercet. Itaque *Atheismus* turbas in Rebuspublicis raro ciet: Homines enim cautos reddit, & securitati suæ consulẽtes. Quin & vide

videmus, tempora ipsa, in *Atheismum* procliviora, (qualia fuerunt *Augusti Cæsaris*,) tranquilla fuisse. At *Superstitio* compluribus regnis & Rebuspublicis ruinæ fuit: introducit enim novum *Primum Mobile*, quod omnes *Imperio* Sphæras rapit. Magister *Superstitionis* populus; Atque in omni *Superstitione* sapientes stultis obsequuntur; Atq; argumēta Practicæ succumbunt, ordine perverso. Gravis fuit ille sermo quorundam Prælatorum in *Concilio Tridentino*, in quo doctrina *Theologorum Scholasticorum* plurimum potuit; Nimirum; *Scholasticos Astronomis similes fuisse, qui Eccentricos Circulos, & Epicyclos, & hujusmodi Orbium machinas finxerunt, quo Phænomena servarent, etsi satis scirēt, nihil tale revera existere*: Eodem modo, etiam *Scholasticos* complura subtilia & perplexa Axiomata & Theoremata invenisse, quo Practicæ Ecclesiæ caverent. *Superstitionis* caussæ sunt; Grati & sensuales *Ritus* ac Ceremoniæ; Externæ & *Pharisaicæ sanctitatis* Excessus; *Traditionum* major quam par fuerit reverentia, quæ Ecclesiam non potest non onerare; *Stratagemata Prælatorum*, quibus utuntur ad ambitionem propriam, & lucrum; Nimius *Intentionum bonarum Favor*, qui Novitatibus & εὐλαβηστικίαις januam aperit; *Exemplorum* importuna & inepta *petitio* ab humanis, quæ in Divina transferantur; quæ necessario parit phantasiarum male cohærentium mixturam; Postremo *Tempora barbara*, cum calamitatibus & perturbationibus conjuncta. *Superstitio*, sine velo, deformis res est; Etenim sicut Simiæ, similitudo cum Homine deformitatem addit; ita & *Superstitioni*, similitudo cum Religione. Et quemadmodum cibi salubres corrumpuntur in vermiculos; ita ritus & formulæ bonæ & & sanæ corrumpuntur in observantias pusillas & superfluas. Quin &, non caret Superstitione quandoque *Superstitionis* fuga; cum se tanto saniorem & puriorem viam inire putent homines, quanto à *Superstitionibus*, prius receptis, longius deflexerint Itaque curæ esse debet, in Religione reformāda (ut fit in corpore purgando,) ne sana cum corruptis simul evacuentur; Quod fere fit, ubi *Reformatio* regitur à populo.

XVIII.
DE PEREGRINATIONE IN PARTES EXTERAS.

P*Eregrinatio in partes exteras*, in Junioribus pars institutionis est; In Senioribus, pars experientiæ. Qui proficiscitur in *Partes Exteras*, antequam in Lingua Gentis, quam adit, aliquos fecerit progressus, ad *Ludum Grammaticum* vadit, non ad *peregrinandum*: Ut adolescentes peregrinentur sub Tutore, aut Servo aliquo experto, probo; modo talis sit, qui Linguam calleat, quique Regionem illam ante adiverit; unde possit eos instruere; quæ in illa *Regione*, ubi *peregrinantur*, digna spectatu & cognitu sint; quæ amicitiæ & familiaritates contrahendæ: quæ denique studia & disciplinæ ibi vigeant. Aliter enim adolescentes *peregrinabuntur* cucullati, & foras prospicent parum. Mirabile certe, in *Navigationibus*, ubi nihil aspici datur præter Cœlum & Pontum, conficere consuesse homines *Diaria*; Verum in *Peregrinationibus* per Terram, in quibus tot res occurrunt observandæ, plerunq; hoc omitti; Ac si fortuita magis in codicillos mererentur referri, quam quæ de industria observantur. *Diaria* igitur in usu sunt. *Res* spectandæ & observandæ sunt istæ: Aulæ Principum, præsertim cū Legatos exteros admittunt: Judicia & Curiæ, cum caussæ perorantur; & similiter Consistoria Ecclesiastica; Templa & Monasteria, cum Monumentis in illis extantibus; Mœnia & Munitiones Urbium & Oppidorum; Portus & Sinus; Antiquitates & Ruinæ: Bibliothecæ, Collegia, Disputationes, & Prælectiones ubi habentur, Naves & Carinæ: Palatia, & Horti magnifici & amœni prope Urbes magnas: Armaria: Navalia: Cellæ & Horrea publica: Loci Excambii: Bursæ; Cellæ Mercium; Exercitia equitationum, Muneris Gladiatorij; Militum delectus & instructio, cum similibus: Comœdiæ, illæ scilicet ad quas homines melioris notæ spectatum veniunt: Thesauri monilium & vestium: Curriositates & raritates: Deniq; quicquid in locis, quæ transeunt, sit celebre aut memorabile. De his omnibus, à Tutoribus, aut Servis prædictis diligenter inquirendū. Quantum ad Triumphos, Saltationes sub larva, Convivia, Nuptias, Funera, Supplicia capitalia, & hujusmodi Spectacula, non opus est ut reducantur hominibus in memoriam: Attamen non sunt certe illa prorsus negligenda. Si tibi cordi sit, fructum *Peregrinationis* adolescentis in compendium redigere, utq; brevi spatio multū colligat, hoc faciendū præcipio. Primo) ut dictum est) in Lingua aliquis profectus faciendus antequā proficiscatur. Tum adjungendus est Servus aliquis aut Tutor, qui *Regionem* pernôrit, ut & jam dictū est. Habeat etiam præsto Librum aliquem, aut Chartam Chorographicam, Religionis illius, ubi *peregrinatur*; Quæ instar Clavis erit ad inquirendum. Conficiat etiam *Diarium*. Ne moretur longius, in una Urbe, aut Oppido: Plus certe aut minus, prout Locus meretur, sed minimē diu. Imo, dum moratur in aliqua *Civitate*, aut *Oppido*, mutet sæpius hospitiū, ex una parte *Oppidi* in alterā; Nam & hoc certe magnes est attrahendi familiaritates, & consuetudines hominum compluriū. Secludat se ut plurimum à consortio popularium suorum, atq; in iis locis victitet, ubi simul convivantur homines melioris notæ ex natione ubi *peregrinatur*. Etiam cum de loco in Locum *itineratur*, paret sibi Literas commendatorias, ad personam aliquam eminentiorem, degentem in loco quo se transfert; Ut ejus favore & opera utatur, in iis, quæ spectare aut cognoscere desiderat. Hoc modo *Peregrinationis* utilitatem accelerare poterit. Quatenus ad familiaritates & amicitias, quæ inter *peregrinandum* adjungenæ sunt; Utilissima omnium est illa *Secretariorum*, & Ministrorum interiorum quibus Legati utuntur. Hoc enim pacto, in una regione *peregrinando*, etiam plurium regionum notitiam & experientiam ad se attrahet, & suget. Visitet etiam & adeat personas in unoquoq; genere egregias, quæ magni apud exteros nominis sunt: ut possit notare: quomodo Os, Vultus, & corporis lineamenta & motus, respondeant Famæ. Quantum ad Rixas & & Simultates: cum cura & diligentia sunt illæ vitandæ. Oboriūtur sæpissime circa amores, compotationes, præsidentiā, & verba contumeliosa. Et caveat inprimis quivis à consortio hominū iracūdorū, & qui facile inimicitias suscipiūt: Illi enim eū suis immiscebūt cōtentionibus. Quando *Peregrinator* domum revertitur, nihilominus regiones, in quibus *peregrinatus* est, nū relinquat prorsus ponse: Verū conservet, & colat amicitiam eorum, cū

quibus familiaritatem contraxit, iis dico qui sunt ex dignioribus,) per literas. Et *Peregrinatio* sua potius manifestetur & appareat in sermonibus suis; quam in vestitu, aut gestu: etiam in sermonibus suis potius meditetur quid sobrie respondeat, quam ad narrationes facilis & pronus sit. Illud etiam in eo sit conspicuum, quod mores patrios cum moribus exteris non commutaverit: Sed potius quod consuetudines patrias, iis, quæ peregere didicit, tanquam floribus asperserit.

XIX.

De Imperio.

Miser proculdubio est animi status; pauca habere quæ appetas, multa quæ metuas: Attamen hoc ipsum *Regibus* fere proprium est: Qui in supremo gradu collocati, non habent ad quod aspirent; Id quod animos eorum reddit languidiores: Atq; è contra habent phantasmata plurima periculorum & umbrarum volitantium; Id quod animos eorũ reddit minus serenos. Hinc etiã emanat & alter ille effectus, quem *Scriptura Regibus* tribuit: *ut cor Regis sit inscrutabile*. Etenim suspicionum multitudo, & absentia affectus alicujus prædominantis qui reliquis imperet, cujusvis animum reddit exploratu difficilem. Hinc quoque emanat & illud, Quod *Reges* sæpenumero desideria sibi ipsis creent, atque ad nugas animum adjiciant: Interdum ad ædificia extruenda; Interdum ad *Ordinem* aliquem ant *Collegium* instituendum; Interdum ad *personam* aliquam evehendam; Interdum ad artem aliquam mechanicam aut manus excellentiam exercendam: ut *Nero* studuit pulsandæ citharæ, *Domitianus* sagittis collimandis, *Commodus* gladiatoriæ, *Caracalla* aurigationi. Hoc illis incredibile videtur, qui Axioma illud norunt: *Animum humanum, magis exhilarari & refici, progrediendo in rebus parvis, quam consistendo in rebus grãdibus.* Videre etiam est *Reges*, qui sub *Imperij* sui initiis in victoriis & provinciis subjudandis, maxime fœlices fuerunt (cum vix possibile sit ut perpetuos progressus faciant, verum ut fortunam suam aliquando adversam & retrogradam experiantur) sub fine supestitiosos & melancholicos evasisse; Ut contigit *Alexandro Magno*, *Diocletiano*, ac nostra ætate *Carolo Quinto*; & aliis. Qui enim progredi semper consuevit, & in obicem tandem impingitur, sui ipsius favore excidit, neque amplius res est quæ fuit.

Dicamus nunc de vera *Imperii Temperatura*; Quam servare, res ardua est & rara. Etenim tam *Temperies*, quam *Intemperies*, ex contrariis consistunt. Verum alia res est contraria miscere, alia alternare. Responsum *Apollonii*, egregia prudentia plenum est. Interrogabat eum *Vespasianus*, *Quid Neroni ruinæ fuisset?* Respondit: *Nero Citharam perite pulsare & accommodare noverat; At in imperando chordas interdũ nimium distendebat, interdũ eas nimium relaxabat.* Atque certissimũ est, Nihil auctoritatem æq; destruere, ac inæqualem, & quasi subsultoriam, atq; intempestivã *Potentiæ* alternationẽ, nunc rigidius intensæ, nunc laxius remissæ.

Veruntamen & hoc verum est, moderni temporis prudentiam, circa *Principum* negotia tractãda, in hoc potissimũ versari, ut conquirantur magis & aptentur remedia & subterfugia malorum & periculorum, cum ingruerint; quam ut prudentia solida & constanti depellantur & summoveantur, antequam impendeant. Verum hoc nihil aliud est, quam in agone cum Fortuna experiri. Caveant autem homines, ne obdormiscant circa turbarũ materias primas, & inchoamenta. Nemo siquidem scintillam, incendiũ parituram, prohibere potest, nec regiones metiri, unde eruptura sit. In *Principũ* negotiis interveniũt proculdubio multæ difficultates & impedimenta; At sæpenumero maxima impedimenta sunt, *Principum* ipsorum affectus & mores. Etenim *Principibus* frequenter accidit, ut contradictoria plane appetant; sicut recte *Tacitus*: *Sunt plerumque Regum voluntates vehementes, & inter se contrariæ.* At *Potẽtiæ* nimiæ solœcismus est, credere, se posse finem rei pro arbitrio assequi: neque tamen media procurare.

Regibus intercedit negotium cum *Nationibus* vicinis, cum *Uxoribus* propriis, cum *Liberis* suis, cum *Prælatis* & *Clero*, cum *Proceribus Regni*, cum *Nobilibus secundæ Classis* sive *Generosis*, cum *Mercatoribus* suis, cum *Plebe Regni*, cum *Militibus* suis. Atque à singulis horum impendent pericula, nisi adhibeatur cura.

Quod ad *Vicinos* attinet, præscribi non potest Regula aliqua certa Cautionis, propter occasionũ varietatem, unica excepta, quæ semper tenet. Ea est, ut *Principes* huic rei perpetuo invigilent, ne quis ex *vicinis* in tantum excrescat: (vel novis territorii augmentis, vel commercium ad se trahendo, vel propius accedendo, & similibus: quo majorem nanciscatur lædendi potestatem, quam antea habuerat. Sane, durante Triumviratu illo *Regum*, (*Henrico Octavo Anglo*, *Francisco Primo Gallo*, & *Carolo Quinto Hispano*,) ea viguit inter ipsos diligentia, ut nemo trium vel palmam terræ acquirere potuisset, quin reliqui duo statim rem ad æquilibrium deducerent: neque pacem fœnore redimere sustinerent. Idemque præstabat Fœdus illud, (cui *Guicciardinus* securitatem *Italiæ* attribuit,) ictum inter *Ferdinandum Regem Neapolitanum*: *Laurentium de Medices*, & *Ludovicum Sforzam*, *Principes* alterum *Florentiæ*, alterum *Mediolani*. Neque recipienda est Opinio quorundam ex *Scholasticis*: *Bellum juste suscipi non posse nisi ob injuriam, aut provocationem præcedentem.* Siquidem justus metus imminentis, periculi etsi violentia aliqua non præcesserit, proculdubio belli caussa est competens & legitima.

Quantum ad *Uxores*; Extant exempla ejus generis crudelia & atrocia. *Livia*, infamis ob veneficium *Augusti*: *Roxolana* uxor *Solymanni*, perniciẽ intulit *Mustaphæ* celeberrimo illi *Principi*; Atque alias successionem, & Domum, *Mariti* sui, perturbavit. *Edvvardi Secundi Regis Angliæ uxor*, operã præbuit præcipuam, in *Mariti* sui de *Regno* deturbatione, & nece. Hoc genus periculi maxime timendum, cum *Reginæ* Liberos ex priore Marito susceperunt, aut in adulterio degunt.

Quantum ad *Liberos*; Ab iis etiam ortæ Tragœdiæ plurimæ. Atq; generaliter, suspiciones arreptæ à *Patribus*, in *Filios* suos, infaustæ extiterunt. *Mustaphæ* (quem antea nominavimus (cædes, *stirpi Solymanni* adeo fatalis fuit, ut successio *Sultanorum*, usque in hodiernum diem, pro suspecto habeatur, velut sanguinis ementiti, quia *Solymus* Secundus putabatur suppositius. Cædes etiam *Crispi*, *Principis* summæ spei, inflicta per Patrem suum *Constantium Magnum*, similiter ejus Familiæ fatalis

fuit

fuit; Siquidem, tam *Constantinus*, quam *Constans*, Filii ejus, violenta morte perierunt; Et *Constantius*, qui ex Filiis ejus superstes fuit, decessit sane ex morbo, sed non nisi cum *Julianus* contra eũ arma cepisset. Cædes similiter *Demetrii*, *Philippi* Secundi *Macedonis* Filii, vertit se in *Patrem*, qui mortuus est ex mœrore & pœnitentia. Complura sunt ejusmodi exempla: Verum pauca, aut nulla, ubi *Patres* aliquid boni ex ejusmodi diffidentiis perceperunt; præterquam cum *Filii* bellum aperte *Patribus* intulerunt; ut fecit *Selymus* Primus adversus *Bajazetem Patrem* suum; & tres *Filii Henrici Secundi, Regis Angliæ*.

Quantum ad *Prælatos*; Ab illis etiam, si potentes fuerint & superbi; periculum ingruit. Ut contigit temporibus *Anselmi*, & *Tomæ Becketti*, *Archi Episcoporum Cantuariæ*; Quorum baculi Pastorales cum *Regis* gladio concertarunt; licet res illis fuerit cum *Regibus* animosis & fastuosis, *Gulielmo Rufo*, *Henrico Primo*, & *Henrico Secundo*. At periculum hujusmodi, à *Prælatis*, non est magnopere pertimescendum, nisi ubi *Clerus* ab Auctoritate & Jurisdictione Principatus externi pendet; aut etiam ubi *Ecclesiastici* eliguntur à populo; non autem à *Rege* vel Patronis Ecclesiarum.

Quantum ad *Proceres*; Sunt illi certe cohibendi, & tanquam in justa distantia à *Solio Regali* continendi; Verum depressio ipsorum, poterit *Regem* fortasse ipsum magis absolutum reddere, sed interim minus tutum, & minus efficacem ad ea quæ cupit peficienda. Hoc notavi in *Historia* mea *Regni Henrici Septimi*, qui *Nobiles* suos perpetuo deprimebat: Unde factum, ut tempora ejus difficultatibus & turbis plena essent. *Nobiles* enim, etsi in fide & officio versus eum manserunt attamen minime cum eo cooperabantur in negotiis suis; ita ut ipse fere omnia solus sustineret.

Quatenus ad *Nobiles secundæ Classis*; Parum periculi ab illis manare potest, cum sint corpus dispersum. Poterunt illi quidem nonnunquam grandia loqui, sed non multum nocere. Quinimo fovendi sunt tanquam qui potentiam *Nobilitatis superioris* optime temperent, ne immodice excrescat: Atque rursus, cum Populi gubernacula immediate tractẽt, motus populares optimè compescũt.

Quod ad *Mercatores*; Sunt illi instar *Venæ Portæ*: Qui nisi floruerint, potest quidem Regnum aliquot artus habere robustos, sed venas vacuas, & habitum corporis macrum. Vectigalia & portoria immodica raro *Regis* reditus adaugent. Etenim quod in partibus lucretur, in summa deperdit; cõmercii Quanto deminuto.

Quantum *ad Plebem*; Ab iis raro creatur periculum, nisi habeant Ductores potentes & populares; Aut si introducas mutationem in Religione; Vel in Consuetudinibus antiquis; Vel in gravaminibus Tributorũ; vel in aliis quæ dictum eorum decurtant.

Quantum denique ad *Milites*, Periculosissima res est si in corpus unum cogantur, vel exercitus, vel præsidiorum; & donativis insuescant. Cujus clarissima cernimus exempla, in *Ianizariis* & *Prætorianis*. Verum *militum* conscriptio, & ad arma tractanda instructio, & in locis diversis, & sub diversis ducibus, & sine donativis, res sunt utiles, & salubres, & sine periculo.

Principes corporibus cœlestibus similes: quæ tempora felicia, aut infelicia, influxu suo producunt; quæque veneratione multa gaudent, requiè nulla. Omnia circa *Reges* præcepta duobus illis monitis clauduntur: *Memento quod es homo*; Et *Memento quod es Deus seu Vice-Dei*: Quorum alterum pertinet ad Potestatem eorũ coercendam, alterum ad Voluntatem regendam.

XX.

De Consilio.

Summa quæ intercedit inter homines fides, est illa *Consiliũ* impertiendi. Etenim in alio quovis fidei genere, partes tantum vitæ aliis commendamus; Terras, Bona, Liberos, Existimationem, & alia Negotia particularia; Verum iis quos nobis *Consiliarios* adhibemus, omnia mandamus. Quanto magis, qui partes *Consiliariorum* præstant, ad omnem integritatem & sinceritatẽ astringuntur? *Principes* vel prudentissimi nullo modo in diminutionem Auctoritatis accipiant, si *consilio* vitorum selectorum utantur. Quin & *Deus* ipse *consilio* non vacat, sed inter nomina magna *Filii* sui benedicti ponit, ut *Consiliarius* vocetur. *Salomonis* certe pronunciatum tale: *In consilio Stabilitas*. Res humanæ proculdubio, aut primam, aut secũdam agitationem subibunt: Si minus *Consultationum* argumentis jactentur, certe fluxibus fortunæ jactabuntur; plenæque evadent inconstantiæ, & mutationum, modo texendæ, modo retexendæ, instar vacillationum hominis ebrii. Sane *Filius Salomonis* vim *consilii* expertus est, quemadmodum *Pater* ejus necessitatem & usum vidit. Etenim regnum *Deo* dilectum, primo laceratum & fractum est, *consilio* pravo. Cui quidem *consilio* inustæ sunt, ut nobis sint documento Notæ illæ duæ per quas *consilia* prava in perpetuum, dignoscantur: Una, quod fuerit *consilium* juvenile quoad personas; Altera, quod fuerit violentum quoad subjectum.

Sapientia Veterum in *Parabola* adumbravit, tam unionem & insolubilem conjunctionem *Consilii* cum *Regibus*: quam prudentem & politicum usum ejusdem per *Reges* adhibendum. Alterum in eo, quod *Iovem* narrant, *Metim* (quæ vox *Consiliũ* significat) in Uxorem duxisse, in quo innuunt, *Consilium* Imperio sponsæ loco esse. Alterum in eo, quod sequitur: Quod hujusmodi Commentum est. Tradunt, postquam *Metis* nupta fuisset *Iovi*, eam gravidam ex illo factam: *Iovem* autem non sustinuisse donec pareret sed eam devorasse: Unde ipsum quoq; gravidum factum & *Palladem* armatam ex capite suo edidisse. Quæ Fabula portentosa Arcanum Imperii involvit: Hoc nimirũ, Ad quem modum *Reges*, erga *Consilium suum sanctius*, se gerere debeant: Primũ, ut res deliberandas illis committant, Quod est veluti prima conceptio: Secundo, cum elaboratæ & efformatæ fuerint, veluti in utero *Consilii* sui, atque maturuerint, & partui vicinæ sint, tum demum non permittant amplius *Consilio* suo ut Decretum perficiant, ac si res ex eorum auctoritate penderet, sed negotium ad se retrahant, & palam omnibus faciant. Decreta & ordinationes ultimas (quæ, quoniam cum prudẽtia & potestate exeunt, assimulantur *Palladi armatæ*) à se ipsis emanare: neque solum ab Auctoritate sua, verũ etiam (quo magis existimationẽ suã evehant) ab ingenio & auctoritate propria provenire.

Dicamus jam de *Incommodis Consilii*, & de ipsorũ *Remediis*. *Incommoda*, quæ se produnt, in *Consilio*

utendo, & adhibendo sunt tria. Primo, quod hæc res negotia minus reddat secreta. Secundo, quod derogare videatur de auctoritate *Principum*, ac si minus ex se penderent. Tertio, quod subsit periculum à *Consiliis* infidelibus, quæ tendant potius in commodum *Consulentis*, quam *Principis* ipsius. Ad quæ mala evitanda, doctrina quorundam ex *Italis*, & practica apud *Gallos*, temporibus quorundam *Regum*, introduxit *Consilia interiora* quæ vulgo vocantur *Cabinetti*: remedium sane morbo deterius.

Quantum ad occultationem *Consiliorum*; Non tenentur *Principes*, omnia cum omnibus *Consiliariis* communicare; sed tam personas, quam negotia, cũ delectu, excerpere possunt. Neque necesse est *Principi* qui deliberat quid sit agendum, simul detegere quid in animo habeat statuere. Verum caveant *Principes*, ne propalationis negotiorum suorum ipsi in caussa sint. Quatenus vero ad *Consilia*, quos diximus *Cabinettos*, in illos diverbium illud competit; *Plenus rimarum sum*. Futilis quispiã, qui gloriæ sibi duxerit, arcana nosse & retegere; plus nocebit, quam complures, qui bene norunt, officii sui esse, eadem reticere. Verum est, intervenire negotia quædam ejus generis, quæ occultationem summam requirunt. Qualis non facile ultra notitiam unius aut duorum, præter ipsum *Regem*, excedet: Neque improspere cedere solent istiusmodi *Consilia*: Nam præterquam quod secreta sint, procedunt plerunque constanter, & uno quasi spiritu reguntur, absque contentione. sed tũm demum hoc recte cedet, si *Rex* prudens sit, & proprio Marte validus; & simul *Consiliarii* illi sagaces; & ante omnia Finibus, quos sibi proponit *Rex*, fidei. Id quod contigit *Henrico Septimo Angliæ Regi*, qui arcana sua majoris momenti, duobus tantummodo *Consiliariis* impertiebatur, *Mortono* & *Foxo*.

Quantum ad *Auctoritatem minuendum*; *Fabula* remedium monstrat. Imo Majestas *Regum* exaltatur potius quam deprimitur, cum in Cathedra *Consilii* sedeant. Neque unquam invenire est *Principem*, auctoritate sua imminutum, per *Consilium* suum; Nisi forte ubi obtigerit potentia nimia in uno aliquo *Consiliario*; aut nimis arcta combinatio inter diversos: Quæ duo mala cito deprehenduntur & sanantur.

Quantum ad postremum *Incommodum*, *Consiliarios* nimirum, in *Consilio* dando, suæ rei prospecturos, non Domini, minime dubium est, *Scripturam* illam, *Non inveniunt fidem super terram*, intelligi debere de natura temporum, minime de personis singulis. Reperiũtur quidem viri fideles sinceri, candidi & veraces; minime vafri aut involuti. Asciscant sibi *Principes*, ante omnia, ingenia talia. Præterea *Consiliarii* raro ita inter se uniuntur, quin alius super alium excubias agat; adeo ut, si quis *Cõsilia* det factiosa, aut ad privatos Fines collimantia, celeriter hoc ad aures *Principis* deveniat. Remedium autem præstantissimum fuerit, si *Reges* dent operam ut *Consiliarios* suos pernoscant; quemadmodum illi, ut *Principem*.

Principis est Virtus maxima nosse suos

Contra vero *Consiliarios* non decet nimios esse rimatores in personam *Principis* sui. Vera enim *Consiliarii* Cõstitutio hæc; Ut peritior sit in negotiis *Principis*, quam in moribus ejus. Sic enim verisimile fiet, eum *Consilium* potius recta directurum, quam se *Principi* accommodaturum quo complaceat *Principibus* etiam hoc magno usui esse possit; Si opiniones & vota *Consiliariorum* suorum, & divisim, & conjunctim, recipiant. Etenim opinio, in secreto prolata, liberior multo est; sed illa, quæ coram aliis gravior. Nam in privato quisque propriis affectibus plus inservit; in consortio aliorum maffectibus magis obnoxius est: Itaque neutrum omittendum: atque ab inferioribus, in privato potius ut libertati consulatur; à grandioribus, in consortio potius ut modestius sententiam ferant. Nil prodest, si *Principes* de rebus deliberent, nisi diligenter quoque deliberent de personis: Etenim res omnes, tanquam imagines mortuæ; vita autem actionis in delectu personarum potissimum consistit. Neque sufficit, de personis deliberare, secundum genera: veluti in idea quadam, aut descriptione Mathematica; qualis videlicet Character & conditio personæ esse debeat, Etenim errores maximi intervenniunt, & judicii libra maxima veriatur in delectu individuorum. Illud quoque memoria tenendum, *Optimi Consiliarii mortui Libri* veritati non parcunt, cum *Consiliarii vivi* forte in adulationem lapsuri sint. Utile itaque fuerit, *Libros* multum revolvere, præsertim eorum Auctorum, qui & ipsi gubernacula rerum tractarunt.

Consilia, hac ætate, in locis plurimis, nihil aliud fere sunt, quam Congressus, & Colloquia familiaria; ubi res potius sermonibus jactentur quam debitis argumentis trutinentur. Atque plerunque præcipitanter nimis, ad Decretum vel Actũ *Consilii*, properatur. Satius esset, si in majoris momenti negotiis, res uno die deliberanda proponeretur, altero tractaretur, *In nocte Consilium*. Id certe præstitum est in *Tractatu unionis*, inter *Delegatos Angliæ* & *Scotiæ*; Qui conventus regulariter, & optimo ordine, processit. Ad petitiones autẽ privatas, dies aliquos præfigi probo: Nam & supplicantibus tempora certa indicant, quibus commodius se applicent; & solenniores conventus exonerant, ut possint *Hoc agere*. In delectu deputatorum, qui negotia ad *Consilium* informandum præparent, præstat eos eligere qui æqui sunt, & in neutram partem propendeant, quam æquitatem quandam creare, introducendo aliquos, qui utrique parti sedulo faveant. Probo etiam *Delegationes*, non tantum temporaneas, aut è re nata; sed etiam continuatas, & perpetuas Exempli gratia; Quæ curent separatim: Commercia; Ærarium; Belluin; Gratias; Gravamina; Provincias particulares. Sane, ubi in usu sunt *Consilia* subordinata diversa, atque unicum tantum superius *Consilium*, (ut fit in *Hispania*,) nihil aliud fere sunt ejusmodi *Consilia*, quam *Deputationes* (quales diximus) perpetuæ, nisi quod majore auctoritate polleant. Si casus postulet, ut informetur *Consilium* ab hominibus alicujus muneris aut professionis particularis, (veluti Jurisperitis, Nauticis, Excusoribus Nummorum, Mercatoribus, Artificibus, & similibus,) audiantur illi primo coram *Delegatis*; & postea, prout occasio postulat, coram *Consilio*. Neque permittantur venire catervatim, aut more Tribunitio se gerere; Hoc enim foret, clamoribus *Consilium* fatigare, non informationem, ut debet, exhibere. *Mensæ oblongæ*, & rursus *quadratæ*, sive *sedes ad parietes* Cameræ *Consilii*, videri possunt Formalia tantum; sed sunt profe-

profectoRealia:Nam ad *Mensam oblongam*,pauci, qui prioribus locis sedent,res quasi soli transigũt: verum in aliis, quas diximus, figuris, major usus *Consiliariorum* qui inferius sedent. *Rex*, cum præsidet ipse in *Consilio*,caveat ne sententiam suam,citius quam par est,declaret:Hoc si fecerit,*Consiliarii* se ad nutum ejus applicabunt,& loco *Consilii* liberi,Canticum ei occinent: *Placebo*.

XXI.
DE MORA.

F*Ortuna* foro rerum venalium similis est; ubi sæpe (si paululũ expectare poteris) minuetur pretiũ. Rursus,aliquando *Sybillæ licitationibus* assimulatur: quæ primo plenas offert merces,mox partes aliquas consumens, integrum tamen pretiũ postulat.Nam *Occasio* (ut in trito habetur Carmine,) *occipitium nobis obvertit calvum, postquam capillorum in fronte copiam fecit non arripientibus:* vel saltem utris ansam præbet primo accipiendam: dein ventrem,qui difficilius comprehẽditur. Nusquam certe major apparet sapientia,quam in tempestivis negotiorum auspiciis;principiisq; eligendis: Non jam levia sunt pericula, si levia videantur;& plura pericula fefellerunt,quam vim intulerunt. Quinimo,satius est, quibusdam periculis, quasi media via occurrere,quam eorum motus, & appropinquationem, perpetuo inquirere, & observare. *Qui enim nimium invigilat,interdum dormitat.* E contrario,umbrarum longitudine decipi, (ut quidam olim,quando *Luna* Horizonti proxima, hostium terga irradiabat,) atq; ita ante tempus tela emittere,aut pericula,præmature obviando,accersere,alterum est extremum. Nam *Opportunitatis maturitas*, *vel immaturitas*,est (ut antea diximus) ad amussim examinanda. Ac,ut plurimum, expedit, omnium magnorum negotiorum principia *Argo* cum centum oculis suis, exitus vero *Briareo* cum centum manibus suis,committere: primum scilicet invigilare,postea accelerare. Etenim Orci *Galea*, quæ Politicum vere reddit invisibilem,est,*Consiliorum occultatio*, & *Expeditionum celeritas*. Cum enim ad executionum ventum sit, nulla *occultatio celeritati* est æquiparanda: more globuli è Tormento emissi, qui tam velociter pertransit,ut ipsam oculorum aciem antevertat.

XXII.
DE ASTUTIA.

PER *Astutiam* intelligimus, sinistram quandam & obliquam Prudentiam.Et pro certo est,multum interesse, inter *Astutum*,& *Prudentem*; non solũ,quatenus ad probitatem, sed etiam quatenus ad mentis vires. Sunt qui chartas pictas artificio quodam miscere sciunt, qui tamen periti lusores non sunt:Sunt itidem nonnulli,qui in competitionibus,& Factionibus regendis,multũ valent, alias vero infirmi judicii sunt.Rursus,alia res est,personarum naturas & mores callere; alia vero,negotia pernosse; Sunt n. haud pauci,qui in personarum aditibus,& temporibus,versuti sunt, neque tamen partis realis, negotiorum,sunt capaces: Quæ est constitutio ipsissima hominum:qui in personis dignoscendis,non in libris evolvendis, operam collocarunt. Tales magis in Pragmaticis adhiberi debent,quàm in Consiliis:Et non aliter fere usum sui præbent,quã in viis,quas sæpe contriverunt.Converte eos ad homines novos, & artibus suis excidunt adeo ut vetus illa Regula,stultũ à sapiente dignoscendi (*Mitte ambos ad ignotos,& videbis*,) de hujusmodi hominibus non teneat. Quoniam autẽ *Astuti* isti homines, similes sunt pusillarũ merciũ propolis,non abs re fuerit, officinas ipsorũ excutere.

Inter *Astutias* numerari potest, ut quis *vultum* ejus,cum quo colloquitur,limatius observet:quod etiam *Iesuitæ* præcipiunt. Sunt enim complures, iiq; ex prudentioribus,qui corda habent obscura, vultus autem pellucidos. Verum, decet hoc fieri, cum modesta oculorum per vices demissione, quemadmodum & faciunt *Iesuitæ*.

Altera existit *Astutia*, ut, cum aliquid propere & facile obtinere & expediri cupias,personam,cũ qua agis, de alio quopiam negotio sermonem inferendo detineas & præoccupes:ne nimiũ ad Objectiones & scrupulos evigilet.Equidem noveram *Consiliarium* quendam,& *Secretarium*,qui nunquã ad *Elizabetham Reginam Angliæ*, ad Diplomata manu *Reginæ* signanda,accessit,quin à principio illam in aliquos de rebus Status gravioribus sermones perduceret, ut hisce intenta ad Diplomata minus animum adjiceret.

Idem valet *subitæ prehensionis* ratio, si quis rem proponat,quando persona,cum qua agitur,ad alia festinat,neque moram pati potest rem accuratius considerandi.

Si cui in animo est negotium aliquod destruere, quod alius fortasse quispiam dextre & cum effectu propositurus fuisset, ipse se erga negotium *bene affectum simulet*, atque ipse rem proponat, sed eo modo,ut successum ejus disturbet.

Abruptio sermonis in medio,quasi quis se ipsum deprehenderet, & contineret, majorem generat appetitum,in eo quocum colloqueris, ad ulterius inquirendum.

Quoniam autem imprimit fortius quod Quæstione erutũ est,quam quod sponte oblatũ, possis ad inescandam Quæstionẽ insolitũ induere vultũ: ex quo occasio detur alteri interrogandi: Quid sibi velit ista oris mutatio? Ut *Nehemias* fecit; *Neq; ante illud tempus tristis fueram in conspectu Regis.*

In rebus ambiguis,& ingratis,bonum est,initia, de iis Sermonẽ inferendi,alicui alteri deputare,cujus verba minoris sint ponderis, & majoris auctoritatis vocem in subsidiis reservare,veluti casu fortuito interrogetur ille superveniẽs,de eo sermone, qui ab altero injectus est.Quod fecit *Narcissus*, cũ indicaret *Claudio* Matrimoniũ *Messalinæ* & *Silij*.

In rebus,quas à se amoliri quis cupiat, non inutile est,vulgi nomẽ mutuari: Ac si quis tali formula utatur:*Hoc vulgo dicitur*,aut,*Increbuit Sermo.*

Noveram quendam,qui cum Literas scriberet, id,quod maximi erat momenti, Post-scripto semper includebat,ut rem fere prætermissam.

Noveram & alium, qui cum ad Colloquium cũ alio veniret,id quod maxime ei in sermone curæ erat,præterire solitus erat,& discedere, & rursus redire,& tum demum ejus rei mentionem facere, ac si illa fere è memoria excidisset.

Alij se subito deprehendi procurant, tali tempore, quo verisimile est, partem, cui insidiantur, superventuram; ac simul se chartam aliquam in manu habentes,aut aliquid pręter consuetudinem agentes,inveniri volunt;ut interrogentur de iis rebus,quas revera ipsi eloqui cupiunt.

Astutiæ species satis vafra est, ea verba proprio

nomine prolata, sibi excidere pati, quæ alium arripere, & iis uti, quis expetit, ut inde alterum irretiat, & subruat. Noveram duos, pro officio *Secretarij*, tempore *Reginæ Elizabetha*, competitores: qui tamẽ se invicem amice tractabant: quippe de negotio ipso competitionis suæ sæpius conferebant. Atque alter ipsorum dicebat, *Fieri Secretarium in declinatione Monarchiæ*, rem esse haud parvi periculi; seque illud genus honoris minime ambire: Alter statim verba illa, callide prolata, bona fide arripuit, & cũ amicis suis nonnullis libere sermones conseruit, dicens, se in *declinatione Monarchiæ muneris Secretarij* ambitiosum esse non debere. Prior ille occasione usus est, eaq; verba ut ad *Reginæ* aures pervenirent, tanquam scilicet ab altero prolata, curavit: Quæ indignata circa illa verba, in *Declinatione Monarchiæ*, cum ipsa se vigentem reputaret, posterioris illius competitionem nunquam postea admisit.

Est *Astutia* quoddam genus, quod *Anglico* proverbio, *Felem in aheno vertere*, satis absurde dicitur: cum ea verba, quæ quis apud alium profert, imputat Colloquenti, tanquam ab ipso prolata. Et, ut verum dicamus, cum talia aliqua verba inter duos agitata fuerint, difficile est probare & verificare, ab utro primum inceperint.

Est *artificium* in usu, ut quis in alios spicula quædam obliquè torqueat, justificando se ipsum per negativas: utpote dicendo: Hoc *ego non facio*; ut *Tigillinus* fecit, *Burrhum* sugillando; *Se non diversas spes, sed incolumitatem Imperatoris, simpliciter spectare.*

Nonnulli in promptu habent tot *Narrationes* & *Historiolas*, ut nihil sit quod insinuare cupiunt, quin id *Historiola* aliqua involvere possint; Unde & se magis in tuto continent, quasi nihil diserte affirmantes, & rem ipsam majore cum voluptate spargi efficiunt.

Bonum est *Astutia* genus, ut quis responsum, quod obtinere cupit, conceptis verbis proponat. Etenim alteram partem minus hærere facit.

Mirum est cernere, quamdiu nonnulli occasionem captent, dicendi illud, quod proferre cupiunt & quanto circuitu uti sustineant; & quot alia attingere, ut quo volunt perveniant. Res certe hæc, magnæ patientiæ, sed multi usus.

Improvisa, & *audax Quæstio*, aliquando hominem deprehendit, & detegit. Simile quiddam evenit cuidam, qui nomen mutaverat, & in *Templo Divi Pauli* obambulans, fuit ab alio, per nomen suum verum, à tergo compellatus; ad quod statim retrospexit. Verum merces hæ pusillæ, & *Astutiæ* minores, sunt infinitæ. Neque male factum esset, si quis earum conficeret uberiorem Catalogum; Quoniam nihil rebus obest magis, quam quòd *Astuti* recipiantur pro *Prudentibus*:

Illud pro certo habendum, nonnullas negotiorum periodos & pausas nosse, qui in ipsorum viscera & interiora penetrare nequeunt: ut reperiuntur ædes nonnullæ, quæ gradus nactæ sunt commodos, & anticameras, sed absq; cubiculo aliquo pulchriore, Itaq; tales videbis in Conclusionibus *Deliberationum* comodos quosdam exitus reperire; Ad rem vero examinandam, & disceptandam, nullo modo sufficere. Attamen, sæpenumero ex hac re existimationem quandam aucupantur; veluti ingenia, quæ ad decernendum potius quam disputandum sint aptiora. Sunt qui magis innituntur *dolis*, quos aliis struunt, quam *consiliis* solidis & sanis; sed *Salomon* ait: *Prudens advertit ad gressus suos; Stultus divertit ad dolos.*

XXIII.
DE PRUDENTIA QUÆ SIBI SAPIT.

FOrmica animalculum *sibi sapiens*, sed in horto nocivum. Et sane fit, ut qui sui nimium amantes sint, Reipublicę noceant. Partire itaque moderate inter amorem Tui ipsius, & amorem Reipublicæ: Atq; ita tibi sis proximus, ut in alios non sis injurius: præsertim, in *Regem* tuum, aut *Patriam*. Centrũ plane ignobile est actionum hominis cujuspiam, *Commodum proprium*. Recte terrestrem naturam sapit. Terra enim suo stat fixa Centro; ubi quæ affinia Cœlestibus sunt omnia, moventur super Centrum alterius, cui benefaciunt. *Ad se omnia referre*, tolerabilius est in *Viris Principibus*; Quia ipsi intra personam suam non consistunt; sed publico periculo, & fortuna, degunt. Verum in servo *Principis*, aut cive Reipub. res est perniciosissima. Etenim negotia publica universa, quæ ab id genus homine expediuntur, ad fines proprios flectuntur; quos necesse est Eccentricos sæpe esse, ad fines Domini, sive Status sui. Eligant itaque *Principes*, & Status, ministros & servos, qui hac nota nõ maculantur, nisi velint res suas accessorii tantũ loco esse. Imo quod hũc effectũ reddit magis exitiosum, illud est; Quod amittitur plane rerũ analogia. Satis enim iniquũ esset, si *bonũ* servi præferatur *bono* Domini; sed adhuc longe iniquius est, cũ *exiguũ bonum* servi antefertur *magno bono Domini*. Verũtamen id sæpius factum est, per *Officiarios* pravos; veluti *Thesaurarios*, *Legatos*, *Duces*, & alios servos aut ministros infideles & improbos: Qui globulo suo pondus addunt finium suorum minutorum, quod eum in transversum inclinet utilitas Domini sui, in rebus gravioribus & magni momẽti. Et plerumq; commodum, quod ejusmodi servi ad se attrahant, est pro modulo fortunæ propriæ; at detrimentum, quocum permutent commodũ illud, est pro modulo fortunæ Domini sui. Siquidẽ *Philautorum* istiusmodi ingeniũ patitur, ut nõ morentur domum proximi incendere, pro re nihilo majore quam ad *assanda ova sua*. Veruntamen hujusmodi ministri, haud raro apud Viros potẽtes gratia pollent: Quia illis jucunda procurant, sibi utilia: Atq; utriusvis rei caussa fortunam Domini sui prodent.

Prudentia quæ *sibi uni sapit*, in plurimis ejus ramis res sane depravata. Assimilanda *sapientiæ soricum*, qui domum aliquam pro certo deserent paulo ante ruinam: *Sapientiæ vulpis*, quę *taxonem* è domo expellit, quam sibi defodit, non illi: *Sapientiæ Crocodili*, qui lachrymas emittit cum devorare cupit. Verum illud inprimis observationẽ meretur; Quod hujusmodi homines, qui (ut *Cicero* loquitur de *Pompejo*) *sui sunt amantes sine rivali*, sępenumero infortunati sint: Cumq; sibi, per totam vitam, sacrificaverint, in exitu sacrificant. Inconstantiæ fortunæ, cujus alas sperabant se pulchra illa *sapiẽtia* sua præscidisse.

XXIV.
DE INNOVATIONIBUS.

SIcut partes recens editi informes sunt; sic videre est in *novis institutis*, quæ sunt partus temporis. Veruntamẽ, ut qui in familiam suam honores primi introducunt, posteris suis plerumque dignitate prælu-

prælucent; ita rerum exemplaria, & primordia, (quando feliciter jacta sunt,) imitationem ætatis sequentis, ut plurimum, superant. Malum enim, in natura humana, naturali motu fertur; qui processu invalescit: At bonum, ut fieri amat in violētis motibus in primo impetu fortissimum: Certe, omnis Medicina *Innovatio* est: Et qui *nova remedia* accipere nolit, *nova mala* expectet. *Novator* enim maximus omnium *Tempus*, Quod si *Tempus*, decursu solo, res in pejus ferat; *Prudentia* vero & *Industria* eas in melius restituere non contendat, quis tandem erit finis mali? Hoc concedi prorsus debet; Quod consuetudine firmatum est, etsi minus sit bonum aptum esse tamen temporibus; Quæque uno quasi alveo fluxerunt, fœdere quodam conjuncta esse; ubi contra *nova veteribus* non usquequaq; tam concinne cohæreant: Etsi enim utilitate juvent: *novitate* tamē & inconformitate turbant. Sunt certe *Novitates*, tanquam advenæ aut peregrini quos admiratione plus, minus benevolentia prosequimur. Recte quidem hæc omnia, si *Tempus* quiesceret: hoc tamen indefesse in orbē agitatur. Inde fit, ut *importuna* & *morosa moris retentio*, res turbulenta sit, æque ac *Novitas*; & qui vetera superstitiose nimis reverentur, cedant in præsentis seculi ludibrium. Prudenter igitur facient homines, si, in *innovationibus* suis, à *Tempore* exemplum petant: *Tempus* enim *innovat* vel maxime, sed tacite, pedetentim, ac sine sensu. Illud enim pro certo habeas: Quod *novum* est, præter spem & expectationē accedere; & huic adjicere aliquid, illi eripere: At cui incremento est *Novitas*, ille fortunæ gratias habet, & tempori: Cui vero nocumento, is *Novitatis* auctorem injuriarū postulat. Expedit præterea, *Experimentis novis*, in corporibus Politicis medendis, nō uti: nisi urgens incumbat necessitas, aut evidens se ostendat utilitas; & sedulo cavere, ut *Reformationis studiū mutationem* inducat, non autem *studium mutationis Reformationem* prætexat. Quinetiam omnis *novitas*, quam rejicere fortasse non datur, pro suspecta tamen haberi debet. Deniq; ex *Scripturæ* monito: *Stemus super vias antiquas atq; circumspiciamus, quæ sit via bona, & recta, & ambulemus in ea.*

XXV.
DE EXPEDIENDIS NEGOTIIS.

Celeritas nimia & affectata, negotia, ut plurimum, perdit. Similis est illi rei, quam *Medici Prædigestionem*, sive preproperam *Digestionem* vocant: quæ corpus implere solet humoribus crudis, & secretis seminibus morborum. Itaq; *Negotiorum expeditionem* ne metiaris per tempora consulendi, sed per *negotii* ipsius *progressum*. Et quemadmodū in cursu minime in passus granditate, aut pedū elevatione altiore, *celeritas* consistit, sed in motū eorundem humiliore, & aquabili: Ita in *Negotiis*, mordicus rei inhærere, neq; partē *negotii* nimiam pro una vice avide amplecti, *celeritatem* in conficiendo procurat. Curæ est nonnullis illud tantum, ut brevi tempore multum confecisse videantur; aut ut periodos aliquas *negotiorū* falsas confingāt, quo acres in *negotiis* existimentur: Verum aliud est, tempori parcere, *negotium* contrahendo, aliud intercidendo: *Negotia* autem in eum modum tracta, crebris nimirum congressibus, plerumq; sursum deorsum feruntur, magna inconstantia. Novimus *Virum* prudentem, cui semper in ore erat, cum *festinationem* nimiam videret: *Manete paulisper, ut expediamus celerius.*

Ex altera parte, vera *Celeritas*, in *expediendis negotiis*, res est pretiosa. Tempus siquidem *negotiorū*, sicuti pecunia mercium, est mensura. Emitur igitur *negotium* magno, ubi nimia est *protractio*. *Spartani*, & *Hispani*, tarditatis notati sunt: *Mi venga la muerte de Spagna*: *Veniet mors mea ab Hispania*: Tum, scio, cunctanter veniet.

Aurem illis præbe facilem, quibus primæ in informatione *negotii* partes demandatæ sunt: & potius viam illis monstres ab initio, quam postea in Orationis filo crebrius interrumpas. Qui enim in ordine, quem sibi præstituit, perturbātur, subsultabit, & prolixior fiet, dum memoriam suam recolliget; quam alias futurus fuisset, si sua methodo perrexisset. Sed interdum videre est, *Moderatorem* molestum esse magis, quam *Oratorem*.

Repetitiones plerumq; cum *temporis* jactura fiunt: Attamen *Statum Quæstionis* sæpe repetere, lucrum est *temporis* vel maximum. Etenim complures sermones, prorsus abs re, in ipso partu, abigit. Orationes prolixæ & curiosæ, æque *expeditioni negotiorum* conveniunt, ac toga prælonga, terram verrens, cursui. Præfatiunculæ, Transitiones bellę, & Excusationes, atq; alia verba, quæ ad personā loquentis referuntur, *tempus* haud parum devastant: Et licet à modestia emanare videantur, sunt tamen revera gloriolæ captatrices. Sed cave, ne in rem ipsam, ab initio, descendas, cū in hominū voluntatibus impedimentū aliquod reperiatur, aut obstructio: Etenim animorū prēoccupatio sermonū semper postulat præfationes: instar fomentationis ante unguentū, quo unguentum mollius subintret.

Ante omnia, *Ordo*, & *Distributio*, & *Partium* apta *Extractio*, *celeritatis* tanquam vita est: ita tamen ut *distributio* non sit nimium subtilis. Nam qui *partitione* non utetur, in *negotia* nunquam commode ingredietur; qui autem nimia utetur, vix emerget. *Tempora* prudenter diligere, *tempus* plurimum lucratur: intempestiva propositio, nil aliud, quam aërem verberare, & tempore abuti. Tres sunt *negotiorum partes*: *Præparatio*; *Consultatio* sive *Examinatio*: & *Perfectio*: Harum (si *Expeditioni* cōsulere in animo est media, sit opus multorum; Prima autem, & Ultima, Paucorum. Procedendi in *negotiis* initium sumere ab iis quæ scripto comprehensa sunt, plerumque *Expeditionem* promovet: Licet enim contigerit, ea in totum rejici, nihilominus *Negativa* illa plus valebit ad consilia educenda, quam *indefinita*: Quemadmodum cinis magis generativus, quam pulvis.

XXVI.
DE PRUDENTIA APPARENTE.

Recepta est opinio: *Gallos* prudentiores esse quam videntur; *Hispanos* autem prudentiores videri quam sunt. Sed utcunque se res habeat inter *Gentes*: certum est, hoc usu venire inter *Personas* singulares. Sicut enim loquitur *Apostolus* de *pietate*: *Speciem pietatis habentes, sed virtutē ejus negantes*: Ita certe inveniuntur nonnulli, qui nugantur solēniter, cum prudentes minime sint, *magno conatu nugas*. Res est profecto prudētibus ridicula, & Satyra digna, affectatores istos videre, in quot formas se vertant, & quali utantur arte quasi prospectiva qua superficie appareat corpus, quod profunditatem aut dimensionem solidi habeat. Alii

tam

tam secreti sunt, & in se declarando parci, ut merces suas, nisi sub obscura luce, ostendere nolint: & videri volunt plus significare, quam loqui: Cumq; sibi ipsis conscii sint, se de iis rebus loqui, quas non bene norunt; cupiunt nihilominus videri, se illa nosse, quæ non possunt tuto loqui. Alii vultu & gestu verbis suffragantur, & veluti per signa sapiunt: Ut *Cicero* ait de *Pisone*: *Respondes, altero ad frontem sublata, altero ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi nō placere.* Alii se valere putant, si grande quiddam loquantur, idque stylo peremptorio: Itaque nihil morantur, & pro admissis accipiunt, quæ probare non possunt. Sunt, qui, quicquid sub captum eorum non cadit, spernere, aut parvi pendere præ se ferunt, tanquam impertinens & curiosum: sicque inscitiam suam pro judicio limato obtendunt. Alii distinctionem aliquam semper in promptu habent; & plerunque hominum ingenia subtilitate perstringendo, rem prætervehuntur. De quo genere loquitur *Aulus Gellius*: *Hominem delirum, qui verborum minutiis, rerum frangit pondera.* Ad quod exemplum, *Plato in Protagora*, per Ironiam, introducit *Prodicum*, sermonem integrum contexentem ex distinctionibus, à principio usq; ad finem. Generaliter, istiusmodi homines, in Consultationibus, *negativæ* libenter se applicant, & existimationem quandam aucupantur ex scrupulis & difficultatibus proponendis & prædicēdis: Etenim cū id, quod proponitur, penitus rejicitur, nil ultra restat agendum; sin probatur, nova indiget opera: quod prudentiæ genus spurium negotia prorsus perdit. Ut verbo dicamus: Nec Mercator aliquis obæratus, nec decoctor rei familiaris occultus, tot artificiis se muniet, ad divitias simulandas: quot homines isti *vera prudentia* destituti, utuntur, ad *prudentiæ* suæ opinionem tuendam. Certe homines hac *prudentia* præditi, opinionem vulgi facile aucupari possunt, sed ad negotia gravia tractanda nemo talium delectum faciat: Etenim, ad negotia promovenda, satius proculdubio fuerit, virum eligere paulo absurdiorem, quam hujusmodi Formalistam fastidiosum.

XXVII.
DE AMICITIA.

RES sane difficilis esset, etiam illi, qui dixerit, plus veri ac falsi, idque compendio, miscuisse, quam in illo scito: *Quicunque solitudine delectatur, aut fera, aut Deus est.* Negari enim nō potest, quod insitum & latens odium, seu fastidium societatis, si in aliquo deprehēdatur, sapiat nescio quid belluinum: illud tamen è converso, quod aliquam *Divinæ naturæ* speciem præ se ferat, falsissimū est; nisi hujusmodi vita solitaria minime ab amore ipsius solitudinis proveniat, sed à studio secedendi, ut altioribus Contemplationibus quis vacet: Id quod in nonnullis Ethnicorum reperitur, sed affectatū & fictum: ut in *Epimenide Cretense, Numa Romano, Empedocle Siculo, & Apollonio Tyanæo*: sincerum tamen & verum in plurimis *Eremitarum* antiquorum, & in sanctis *Patribus Ecclesiæ.* Interea vero parum perspiciunt homines, quid hoc sit quod *Solitudo* nominatur, & quibus finibus circumscribatur. Turba enim non est societas dicenda: & facies hominum nihilo plus sunt quam in porticibus picturæ; Colloquia vero absque dilectione *cymbalo* non præstant *tinnienti.* Hoc innuit id, quod Latino jactatū Proverbio: *Magna civitas, magna solitudo.* In magnis enim urbibus *Amici* & Necessarii remotius disperguntur, adeo ut minus plerunq; familiariter, & in cōsortio vivatur, quam in viciniis angustioribus. Quin & ulterius progredi licet, atq; verissime asserere, meram & miseram esse *solitudinē*, ubi desunt *amici* veri: sine quibus Mundus nihil aliud quam Eremus est. Quo etiam sensu si solitudinem accipias, quicunque natura & genio suo ab *amicitiis* abhorret, hujusmodi affectum à bruto potius, quam ab homine mutuatur.

Maximus *Amicitiæ* fructus est *levamen* & *evaporatio anxietatis* & *tumorum cordis*, quos animæ perturbationes, cujuscunque generis, imprimere solent. Novimus, morbos illos in corpore esse maxime periculosos, qui ex obstructionibus & suffocationibus nascuntur: Neq; multo secus se res habet in ægritudinibus animæ. *Sarsam* adhibere possis ad jecoris; *Chalybem præparatum* ad Lienis; *Flores Sulphuris* ad Pulmonum; *Castoreum* ad Cerebri oppilationes de obstruendas: Nulla autem invenitur Medicina apertiva ad obstructiones Cordis, præter *Amicum* fidelem; cui impertire possis dolores, gaudia, metus, spes, suspiciones, curas, consilia, & quicquid deniq; Cor opprimat, tanquam sub sigillo *Confessionis Civilis.*

Res est profecto mirabilis, si quis secum reputet, quam magni, *Principes* summi & *Monarchæ*, istum *amicitiæ fructum* (de quo loquimur) æstiment: Tanti sane, ut eundem, & incolumitatis suæ, & amplitudinis, periculo interdum coëmant. *Principes* enim, propter distantiam & sublimitatē fortunarum suarum, à fortunis servorum & subditorū suorum, *fructū* hunc decerpere nequeunt: nisi forte (quo cum melius colligant) aliquos evehant & promoveant, qui sint sibi tanquam socii & æquales: id quod sæpenumero non sine præjudicio fit. Linguæ modernæ, istiusmodi personas, nomine *Gratiosorum*, vel *amicorum Regis*, insigniunt, ac si res esset favoris & conversationis. at vocabulum Romanum, ejus rei rectius exprimit verum usum, atq; caussam; illos nominans, *Participes curarum*; Hoc enim illud est, quod verum ligamen præstat. Atque hoc fecisse manifesto videmus, non tantum *Principes* delicatos, & imbecillis animi; sed etiam prudentissimos, & maxime Politicos ex iis qui regnarunt: Qui sæpe sibi adjunxerunt aliquos ex servis suis; quos & ipsi *amicos* suos vocarunt, & aliis eodem illos nomine insignire permiserunt: non alio utentes vocabulo, quam quod inter homines privatæ fortunæ receptum est.

L. Sylla, post quā Romanum Imperiū occupasset, *Pompejum* (postea cognominatū *Magnum*) ad eā potentiam evexit, ut *Pompejus* superiorē jam *Sylla* factū se venditaret. Cū enim amicū quendam suū *Consulem* fecisset, contra ambitum *Sullæ*; atq; *Sylla* in malā partē hoc accepisset, & verba indignationis nonnulla protulisset, *Pompeius* id minime tulit, sed fere disertis verbis eū quiescere jussit; addēdo, *Plures adorare Solē orientem, quam occidentē.* Apud *Iulium Cæsarem Decimus Brutus* tanta gratia valuit, ut eū *Cæsar Octavio*, suo nepoti, hęredē substituerit Atq; hic ille fuit, qui *Cæsarē* ad mortē suam pertraxit. Cum enim *Cæsar* Senatum dimittere in animo habuisset: propter mala quędā præsagia, (præcipue somnium quoddam *uxoris* suæ *Calpurniæ*,) *Brutus* eum molliter è Cathedra, arrepto brachio ejus, levans, dixit: *Sperare se, eum Senatum non tam parvi habi-*

habiturum, ut dimittere illum vellet, donec uxor somnium melius somniasset. Et videtur sane tanto favore apud *Cæsarem* polluisse, ut *Antonius* in Epistola quadam, quæ à *Cicerone*, in una ex *Philippicis*, verbatim recitatur, eum *Veneficum* appellaret: ac si *Cæsarem* incantasset. *Augustus Agrippam* ignobilem licet natalibus, ad tantam celsitudinem promovit, ut quando cum *Mecænate* deliberaret de nuptiis filiæ suæ *Iuliæ*, *Mecænas* eum libere monuisset; *Agrippam, aut in generum assumendum, aut interficiendum: nihil esse tertium: quandoquidem eum ad tantum fastigium perduxisset. Tiberius Cæsar Seianum* tantis honoribus auxit, ut ii duo haberẽtur tanquam *Par Amicorum:* Certe *Tiberius*, in Epistola quam ad eum, ita scribit: *Hæc pro amicitia nostra non occultavi.* Atq; universus Senatus, aram *Amicitiæ* tanquam *Deæ* dedicavit: propter arctam inter eos *Amicitiam.* Similis, aut etiam illa majoris, *Amicitiæ exemplum* cernitur, inter *Septimium Severum*, & *Plantianum*: Etenim, *Filium* suum natu majorem, *Filiam Plantiani* in uxorem ducere, coegit: ac *Plantianum* sæpe, etiam cum contumelia *filij* sui, honoravit. Quin & scripsit ad Senatũ hisce verbis: *Ita diligo virum, ut cupiam eum mihi superstitem fore.* Quod si hi *Principes*, *Trajano* alicui, aut *Marco Aurelio*, similes fuissent, immensæ naturæ eorum bonitati hoc attribui posset: cum vero viri tam prudentes extiterint, tantoq; robore & severitate animi præditi, tamq; impensi amatores sui; liquido probatur, eos felicitatẽ suam (licet vix major mortalibus ullis obtigisset) veluti mutilam duxisse, nisi per hasce *amicitias* facta fuisset integra, & perfecta. Atq;, quod majus est, affuerunt his *Principibus* uxores, filii, nepotes: neq; tamen hæc omnia, *amicitiæ* solatia supplere valuerunt.

Minime oblivioni mandandum, quod *Commineus* notatum reliquit, de Domino suo priore, *Duce Carolo*, cognominato *Strenuo*; eum secreta sua cũ nemine comunicare voluisse: minime omnium ea, quæ eum præ cęteris angebant. Et ulterius ait; eam animi obtectionem, posterioribus vitæ annis, intellectum ipsius nonnihil debilitasse, & vitiasse. Potuisset certe *Commineus*, si voluisset, simile judicium facere de Domino suo posteriore. *Ludovico Undecimo*: cui occultatio consiliorũ pro tormento fuit. Tessera *Pythagoræ*, obscura, sed optima: *Corne edito.* Certe, si quis durum huic rei nomen imponeret, qui *amicis* destituuntur, quibus cogitationes suas & anxietates libere impertiãt, sunt cordium suorum *Anthropophagi.* At illud plane ad miraculũ proxime accedit, (quocum claudam hunc, de primo *amicitiæ fructu*, sermonem) nimirum, Istam cum *Amicis* communicationem, contrarios duos effectus producere: gaudia enim cõduplicat, mœrores dimidiat. Nemo si quidem læta sua *amico* impertit, quin lætetur amplius: Nemo autẽ tristibus *amicum* comunicat, quin contristetur minus. Adeo ut revera, eadem virtute polleat, super animũ hominis, quam Alchymistæ *Lapidi* suo tribuere solent, super corpus humanum: hoc est, quod contraria operetur, sed semper in beneficium naturæ. Attamen absque auxilio notionum Chymicarum, extat hujus rei exemplum insigne, in cursu naturæ ordinario. Nam in rebus naturalibus Unio alit & confortat actiones quasq; naturales: impressiones omnes violentas habetat & retundit: idemque prorsus fit in animis.

Secundus *Amicitiæ fructus*, salubris est *intellectui*, sicuti primus *Affectibus. Amicitia* enim serenitatẽ inducit in *Affectibus*, à tempestatibus & procellis. Verum in *Intellectu* etiam noctem abigit, & lumen infundit, confusione cogitationum dissipata. Neq; hoc intelligendum est tantum de Consilio fideli, quod ab *amicis* dari solet; Sed antequam de illo dicamus, certum est; Quicunq; animum cogitationibus multis gravatum habet, ingenium ejus & intellectum clarescere veluti in diem, communicatione consiliorũ, & discursu cum alio. Etenim cogitationes suas facilius agitat, & in omnes partes versat; easdẽ ordinatius disponit; illas tanquam in faciem intuetur, postquam conversæ fuerint in verba, deniq; se ipso prudentior evadit: Idque assequitur horulæ magis unius sermone, quam diei integræ meditationibus. Recte dictum est à *Themistocle ad Regem Persarum: Sermones tapetibus similes esse, cum explicentur, per quod imagines distinctæ cõspiciuntur: ubi cogitationes, instar sarcinarum quarundam, complicantur & involvuntur.* Neq; etiam restringitur secundus iste *fructus Amicitiæ* (qui consistit in obstructionibus *Intellectus* aperiendis) ad eos solum *Amicos*, qui consilio pollent (hi proculdubio optimi sunt;) sed & hoc seposito, discit profecto quispiã à seipso; & proprias cogitationes in luminis oras educit; ingeniumq; suum tanquam cotem versus acuit, quæ ipsa non secat. Ut Verbo dicamus: præstat *Statuæ* cuidam, vel *Imagini*, se impertire, quam cogitationes suas silentio suffocare.

Adde jam (ut fiat sermo, de hoc secundo *Amicitiæ fructu*, magis perfectus) illud modo dictum; quod promptius occurrit, & in vulgarem observationem cadit; *Fidele* intelligo ab *Amico Consilium.* Bene afferit *Heraclitus*, in uno Ænigmatum suorum; *Lumen siccum optimum:* Atqui certissimum est: lumen quod ab alio proficiscitur, per modum consilii, illo siccius esse & purius, quod à proprio emanat judicio, & intellectu: siquidem quod affectibus semper maceratur & tingitur. Adeo ut non minus interfit, inter *Consilium Amici & consilium* cujuslibet *proprium*, quam inter *consilia Amici & Adulatoris.* Neq; enim *Adulator* magis infestus, quam *quilibet sibi*: neq; rursus remedium præstantius, contra *adulationem sui ipsius*, reperitur, quam *libertas amici. Consilium* duorum generum est: Alterum de *Moribus*: alterum de *Negotiis.* Quantum ad prius: Optimum ad animi sanitatem tuendam, medicamentũ, est *Admonitio amici* fidelis. Se ipsũ ad rationes stricte reddendas compellere, medicina est interdũ nimis penetrãs, & corrosiva. Lectio librorũ mortaliũ, res est paulo hebetior. Observatio propriorũ defectuũ in aliis, tanquã in speculo, aliquando, ut fit etiam in speculis, minus respõdet. Verũ (ut diximus) optima medicina, (optima ad recipiendũ, optima ad operandũ,) est *Admonitio amici.* Mirum profecto est videre, quot errores enormes, & plane absurdos, comittant aliqui, (præsertim ex grandioribus,) quia non adsit iis *amicus*, qui monere possit: in damnum haud parvũ, & existimationis, & fortunæ suæ. Sunt enim, (ut ait *Apostolus Iacobus*, *(tanquam homines, qui intuentur in speculũ, & statim obliviscuntur imaginis suæ.* Quantũ ad Negotia: Vetus est, *Melius videre oculos, quã oculum*: licet nonnulli hoc cavillentur. Etiam recte dicitur: *Spectatorem sæpe plus videre, quam lusorem*: Quin & certius disploditur sclopetum majus, palo innixum,

innixum, quam ſuper brachium: Etſi quidam tam altum ſapiant, ut putent, in ſeſe eſſe omnia. Verum, quicquid dici poſſit in contrarium, certum eſt, Conſilium negotia dirigere, & ſtabilire. Quod ſi quis ſecum cogitet, conſilium ſe quidem capturũ, ſed per partes, in aliis hunc, in aliis illũ, conſulendo, bene habet: (hoc eſt, melius illi fuerit, quam conſilio omnino non uti;) verum in duo pericula impingit: Unũ, quod vix fidele conſilium reperturus ſit: raro enim, niſi à fideli, & intimo *Amico*, cõſilium datur, quod non ad dantis fines inflexum & detortum ſit: Alterum, quod conſilia illa, à diverſis manantia, (licet cum fide, & bona intentiõne præſtita,) damnoſa ſæpenumero erunt & nociva; ac partim ex incommodis, partim ex remediis, commixta: veluti, ſi Medicum advoces, qui in curatione morbi illius peritus habetur, ſed corporis tui cõſtitutionis penitus ignarus; Quare poterit, fortaſſe, valetudinem ad tempus, promovere, ſed cum periculo, ne, in ſuma, ſanitati præjudicet: atq; hoc pacto morbum extinguet, & nõ ita multo poſt hominem. Verum *Amicus*, cui ſtatus *Amici* ſui perfecte cognitus eſt, cavebit, ne in præſens juvando, in malum futurũ impingat. Itaq; conſiliis iſtis diſperſis, (ut jam dictum) nolim acquieſcat: Diſtrahent enim potius & ſeducẽt, quã dirigent & ſtabilient.

Poſt nobiles hoſce duos *Amicitiæ fructus*, (*Pacem* dico in *Affectibus* & *Fulcimentum Iudicii*,) ſequitur ultimus; qui ſimilis eſt *Malo Granato*; plenus granis compluribus: Intelligo autem Auxiliũ & Participationem, in actionibus & occaſionibus vitæ. Hic autẽ, expeditiſſima via repræſentandi ad vivum, uſum multiplicem *Amicitiæ*, fuerit, circumſpiciendo & videndo, quam multa ſint, quæ per ſe quiſpiam exſequi commode nõ poterit: Atq; inde apparebit, non per Hyperbolen, ſed ſobrie dictũ eſſe ab Antiquis: *Amicum eſſe alterum ſe*: Quandoquidem, ſi quis vere rem reputet, *Amici* officia proprias cujusque vires ſuperent. Homines mortales ſunt: quin & in medio operum aliquorũ, quæ maxime affectant, ſæpe moriuntur: veluti in collocatione filii in matrimonium: conſummatione conatuum & deſideriorum ſuorum: & ſimilibus. Jam ſi quis *Amicum* habeat fidelem, ſecuritatem præſtat de iisdem rebus, *Amici* cura & opera, poſt mortem perficiendis: adeo ut fatum immaturum vix obſit: atq; habeat quis, (ut loquamur more Tribulum aut Firmatiorũ,) in deſideriis ſuis, terminum, non unius, ſed duarum vitarum. Homo corpore circumſcribitur, & corpus loco: Verum ubi *Amicitia* præſto eſt, vitæ munia omnia conceſſa ſunt, & ſibi & deputato ſuo. Quot numero res ſunt, quas per ſe quiſpiã, cũ dignitate aut decoro, peragere non poſſit? Merita ſua non poteſt cum verecundia recenſere; multo minus extollere: Non ſuſtinet quis, ut ſe ſubmittat ad ſupplicandũ, aut etiã emendicandum: Infinita ſunt talia. Verum hæc, & hujuſmodi, in *Amici* ore, ſat decora ſunt; ad quæ erubeſcimus in perſona propria. Rurſus, perſona cujuſque, multa habet conjuncta, quæ exuere non poteſt: Filium alloqui quis non poterit, niſi ut Pater; Uxorẽ, niſi ut Maritus; Inimicum, niſi ſalva dignitate; ubi *Amico* conceditur loqui prout res poſtulat: neq; ad reſpectus perſonæ alligatur. Verum hęc enumerare infinitũ fuerit. Ipſe regulã dedi: ubi quis propriã perſonã, in Fabula, ſuſtinere nõ poterit, *Amicus* ſi deſit, ſatius eſt ei Scenã derelinquere.

XXVIII.
DE SUMPTIBUS.

OPes deſtinantur *Sumptibus*: *Sumptus* autem honori, actionibus honeſtis. *Sumptibus* itaq; largiores, occaſionis & rei dignitate commenſurandi ſunt. Etenim *ſpontanea paupertas* debetur quandoq; *Patriæ*, non ſolum *regno cœlorum*: *Sumptus* autem conſueti cujusq; cenſu definiendi ſunt: eoque tenore temperandi, ut intra reditus ſint: nec ſervorum fraudi aut incuriæ obnoxii: atq; inſuper in eum modũ diſpoſiti & ordinati, ut rationes impenſarũ exhibitæ, æſtimatione ſint minores. Certe, qui diminutionem fortunarum ſuarum pati nolit, neceſſe habet impenſas ſuas ordinarias ita inſtituere, ut dimidia tantum pars redituum inſumatur, altera reponatur: qui vero rem augere cupit, tertiam partem ſolam *impenſis* aſſignet. Haud ſordidum eſt ſummis etiam viris, ſi rationes ſuas diligẽter inſpiciant. Hoc omittunt complures, non tam ſocordia, quam averſatione quadam, ne ſe contriſtent, ſi res nimio plus acciſas deprehẽderint. Vulnera autem, niſi explorentur, ſanari nequeunt. Qui *Oeconomica* ſua commode tractare nõ poſſunt, iis relinquitur, ut quos adhibent miniſtros, & caute eligant, & ſubinde mutent: Novi n. minus audent, minuſq; aſtuti ſunt. Cui raro rationes ſuas inſpicere datur, eũ quæ computationi ſubjacent, in certos reditus, atq; etiam *ſumptus*, vertere convenit. Qui impendioſior eſt in uno *ſumptus* genere, cũ ſobrie parcum & frugi oportet eſſe in alio: exempli gr. Si victu abundantior, veſtium elegantia ſit moderatior; ſi in Aula ſua copioſior, in Equili contractior ſit; & ſic de ſimilibus. Qui enim in ſingulis impenſarum generibus eſt profuſior, decoctionem fortunarum ægre vitabit. In perplexa & obærata re familiari liberanda, perinde ſibi quis obeſſe poterit nimia feſtinatione, ac dilatione nimia: præproperę enim venditiones, jacturã ex uſuris ſępe exęquant. Porro autẽ, qui ſimul & ſemel ſortem aſſerit, de relapſu periclitatur: cum n. prætervectum tantas anguſtias ſe ſentiat, ad ingenium redibit: Qui autẽ ſe per gradus extricaverit, habitum frugalitatis inducit; eademq; opera tam animo, quam fortunis, medetur. Sane qui res collapſas reſtituere in votis habet, vel minima quæq; non ſpernat: Atque plerunque minus ſordidũ eſt, *ſumptus* quamvis minutos prącidere, quam minutis *lucris* ſe ſubmittere. Caute admodum inchoandi ſunt *ſumptus*, qui ſemel inchoati permanſuri ſint. Sed in *ſumptibus*, qui non facile redeunt, ſplendidiorem & magnificentiorem eſſe licebit.

XXIX.
DE PROFERENDIS FINIBUS IMPERII.

DIctum *Themiſtoclis*, ſibi ipſi applicatum, incivile certe fuit, & inflatum; ſin de aliis, atq; in genere, prolatum fuiſſet, prudentum ſane Obſervationem, & pergravem Cenſuram complecti videretur. Rogatus in convivio, ut cytharam pulſaret, reſpondit, *Fidibus ſe neſcire: cæterum poſſe oppidum parvum in magnam civitatem evehere.* Iſta certe verba, ad ſenſum Politicum translata, Facultates duas, multum inter ſe diſcrepantes, in iis qui rerũ gubernacula tractant, optime deſcribunt, & diſtinguunt. Etenim, ſi *Regum* Conſiliarios, Senatores, aliosque ad negotia publica admotos, qui uſquam fuerunt, attente intueamur, reperiẽtur profecto (licet rariſſime) nonnulli, qui *Regnum* aut

Civitatem

Civitatem è parvis ampla efficere possint, *Fidicines* tamen sint valde imperiti: E contra autem, alij quamplurimi, in cythara, aut lyra, (hoc est. Aulicis tricis,) miri artifices, qui, tantum abest, ut Rempub. amplificare possint, ut potius à natura comparati videantur ad statum Reip. beatum & florentem labefactandum, & evertendum. Sane artes illæ degeneres, & præstigiæ, quibus sæpenumero *Consiliarii*, atque rerum potentes, gratiam apud *Principes* suos, & famam in vulgus, reportant, haud aliud nomen merentur, quam *Peritiæ* cujusdam *Fidicularia*; utpote, cum sint res, magis gratæ in præsens, & artificibus ipsis ornamento, quam ad Rerumpub. quarum sunt ministri, opes & amplitudinem, utiles, aut accommodæ. Occurrent proculdubio & alij Consilarij, atque Reipub. Gubernatores, minime spernendi, qui sint negotiis pares, possintq; res commode administrare, casque à manifestis præcipitis & incommodis conservare; è virtute tamen illa *Rerumpub. erectrice* & *amplificatrice* longo intervallo absunt:

Verum qualescunque demum fuerint Operarij, conjiciamus oculos in opus ipsum; Qualis nimirum censeri debeat vera *Regnorum* & *Rerumpub. Magnitudo*, & quibus *Artibus* obtineri possit: Dignum profecto argumentum, quod *Principes* perpetuo in manibus habeant, & diligenter meditentur; quo nec vires suas in majus æstimantes, inceptis se vanis & nimis arduis implicent; nec rursus easdem plus æquo despicientes, ad consillia pusillanima & meticulosa se demittant.

Magnitudo Imperiorum, quoad *Molem* & *Territorium*, mensuræ jubjicitur, quoad *Reditus*, calculis: *Numerus Civium*, & *Capita*, censu; *Urbium* & *Oppidorum* amplitudo, tabulis excipi possint. Attamen non reperitur Inter Civilia res errori magis obnoxia, quam verum & intrinsecum excipere valorem, circa vires & Copias *Imperij* alicujus. Assimilatur *Regnum Cœlorum* non glandi, aut nuci alicui grandiori, sed *grano sinapis*, quod inter grana est nimium; quod tamen habeat, interim, intra se, proprietatem quandam, & spiritum innatum, quo se & citius attollat, & latius diffundat: eodem modo invenire est *Regna* & *Status*, ambitu quidem & regionum tractu valde ampla; quæ tamen ad *Fines* ulterius *proferendos*, aut latius imperandum, sunt minus apta; alia contra, dimensione satis exigua, quæ tamen bases, in quibus *Monarchiæ* inædificentur, esse possint.

Urbes munitæ, plena Armamentaria Equorum propagines generosæ, Currus armati, Elephanti, Machinæ atque Tormenta bellica omnigena, & similia; sunt certe ista universa nihil aliud, quam *Ovis induta pelle Leonina*; nisi *Gens* ipsa, stirpe sua, & ingenio, sit fortis, & militaris. Imo nec numerus ipse Copiarum multum juvat, ubi milites imbelles sunt, & ignavi. Recte enim *Virgilius*: *Lupus numerum pecorum non curat.* Exercitus *Persarum*, in campis *Arbela*, oculis *Macedonum*, tanquam vastum *hominum* pelagus subjiciebatur, adeo ut Duces *Alexandri*, nonnihil ipso spectaculo perculsi, *Regem* interpellarent; atque ut noctu prælium committeret, ei auctores erant: Quibus ille, *Nolo* (inquit) *sufferari victoriam.* Ea autem etiam opinione fuit facilior. *Tigranes Armenius*, castra metatus in quodam colle, cum exercitu quadringentorum millium, cum spectaret aciem *Romanorum*, quæ quatuordecim millia non excessit, contra se tendentem, in scommate illo suo sibi complacuit: *Ecce* (inquit) *hominem, pro legatione, nimio plus quam oportet; pro pugna, longe minus.* Eosdem tamen, priusquam occubuisset Sol, satis multos, ad illum infinita strage profligandum, expertus est. Innumera sunt exempla, quam sit multitudinis cum fortitudine congressus impar. Primò igitur, pro re certissima & exploratissima decernatur, & statuatur; Quod caput omnium, quæ ad *Magnitudinem Regni* aut Status spectent, sit, ut populus ipse sit stirpe & ingenio bellicosus. Atque illud magis tritum, quam verum, quod *Nervi belli sint pecuniæ*, si desint nervi lacertorum in Gente molli & effœminata. Recte enim *Cræso* ostentanti aurũ respondit *Solon*: *At si quis (ô Rex) venerit, qui melius quam tu ferrum gestet, illi profecto totum hoc cedit aurum.* Quare, quicunque is tandem sit *Princeps* aut Status, cujus subditi nativi & indigenæ, non sint animosi & militares, potentiam suam admodum sobrie æstimet: Atque è contra, *Principes*; qui dominantur in Gentes animosas & Martias, norint illi satis vires suas, si sibi alias non desint. Quod attinet ad Copias mercenarias, (quod solet adhiberi remedium, cum Copiæ nativæ desint,) plena sunt omnia Exemplis; quibus liquido patet, quod quicunque status illis innitetur, poterit fortasse pennas, ad tempus breve, nido majores extendere, sed defluent illæ paulo post.

Benedictio Juda, & *Isascharis*, in unum nunquam convenient; nimirum, ut eadem Tribus aut Gens, sit simul, & *Leonis catulus*, & *Asinus procumbens inter sarcinas.* Neque unquam fiet, ut Populus *Tributis* oppressus, fortis existat, & bellicosus. Verum est, collationes publico consensus factas, minus animos subditorum dejicere, & deprimere, quam quæ ex imperio mero indicuntur. Id quod liquido videre est in *Tributis Germaniæ inferioris, quas Excisus* vocant, atque, aliqua ex parte, in iis, quæ *Subsidia* nominantur apud *Anglos*. Etenim notandum est, sermonem jam institui, de animis hominum, non de opibus. *Tributa* autem huc ex consensu conferuntur; & quæ ex imperio imponuntur, etsi eadem res sint, quoad opes exhauriendas, varie tamen omnino animos subditorum afficiunt. Statuatur igitur & hoc, *Populum Tributis gravatum*, idoneum ad imperandum non esse.

Aspirantibus ad Magnitudinem *Regnis* & *Statibus*, prorsus cavendum, ne *Nobiles* & *Patricii*, atque (quos vocamus) *Generosi*; majorem in modum multiplicentur. Hoc enim eo rem deducit, ut *Plebs Regni* sit humilis & abjecta, & nihil aliud fere quam *Nobilium* mancipia & operarii. Simile quiddam fieri videmus in silvis cæduis; in quibus, si major, quam par est, caudicum sive arborum majorum relinquatur numerus, non renascetur silva sincera & pura; sed major pars in vepres & dumos degenerabit: Eodem modo, in *Nationibus*, ubi numerosior justo est *Nobilitas*, erit *Plebs* vilis & ignava:

atque eo demum res redibit, ut nec centesimum quodque caput sit ad galeam portandam idoneũ: præsertim si peditatum spectes; qui Exercitus plerumque est robur præcipuum; Unde succedet magna populatio vires exiguæ. Nusquam gentium, hoc quod dico, luculentius comprobatum est, quam emxemplis *Angliæ*, & *Galliæ*: Quarum *Anglia*, quamvis territorio, & numero incolarum lõge inferior, potiores tamen partes fere semper in bellis obtinuit; hanc ipsam ob caussam, quod apud *Anglos*, coloni, & inferioris ordinis homines, militiæ habiles sint, rustici *Galliæ* non item. Qua in re, mirabili quadam & profunda prudentia, excogitatum est ab *Henrico Septimo Angliæ Rege*, (id quod in *Vitæ* ejus *Historia* fusius tractavimus,) ut prædia minora atq; domus Agricolationis instituerentur, quæ habeant certum, eumque mediocrem agri modum annexum, qui distrahi non possit; Eo fine, ut ad victum liberaliorem sufficiat; utque agricultura ab iis exerceretur, qui domini fuerint fundi, aut saltem usufructuarij, non conductitii, aut mercenarij. Nam ita demum Characterem illum, quo Antiquam *Italiam* insignivit *Virgilius* merebitur regio aliqua.

--Terra potens armis, atque ubere glebæ.

Neq; prætereunda est illa pars *Populi*, (quæ *Angliæ* ferè st peculiaris, nec alibi, quod scio, in usu, nisi forte apud *Polonos*,) *Famuli* scilicet *Nobilium*: Hujus enim generis etiam inferiores, quoad peditatum, agricolis ipsis minime cedunt. Quare certissimum est, quod magnificentia, & splendor ille Hospitalis, atque Famulitia, & veluti Satellitia ampla, quæ in more sunt apud *Nobiles*, & *Generosos*, in *Anglia*, ad potentiam militarem apprime conducant; ubi contra. *Nobilium* obscura, & magis privata, & in se reducta vitæ ratio, Copias militares minuit.

Danda est omnino opera, ut *Arbor* ista *Monarchiæ*, qualis fuit *Nebuchadnezaris*, *truncum* habeat satis amplum, & robustum, ad ramos suos & frondes sustentandas; hoc est, ut numeris *indigenarum*, ad subditos extraneos cohibendos, satis superque sufficiat. Illi igitur Status, ad *Imperij Magnitudinem* bene comparati sunt, qui *Ius Civitatis* facile & libenter largiuntur. Vana siquidem fuerit opinio, posse manipulum hominum, utcunque animis & consilio excellant, regiones nimio plus amplas & spatiosas, *Imperij* jugo cohibere & frænare. Id ad tempus fortasse facere possi nt, sed diuturnitatem hæc res non assequitur. *Spartani* pauci fuerunt & difficiles in cooptandis novis Civibus. Unde donec intra parvos limites dominati sunt, res eorum firmæ fuerunt, & stabiles; at postquam limites suos cœpissent proferre & latius dominari, quam ut stirps *Spartanorum*, turbam exterorum, imperio commode coërcere posset, potentia eorum corruit. Nulla unquam Respublica sinus suos, ad novos Cives recipiendos, tam profuse laxavit, quam *Respublica Romana*. Itaque par erat, instituto tam prudenti, fortuna; cum in imperium toto orbe amplissimum succreverint. Moris apud eos erat. *Ius Civitatis* prompte elargiri; idque in supremo gradu, hoc est, non solum *Ius Commercii*, *Ius Connubii*, *Ius Hæreditatis*; verumetiam *Ius suffragij*, & *Ius Petitionis* sive *Honorum*: Hocque rursus, non singulis tantum Personis, sed totis familijs, imo Civitatibus: & nonnunquam integris Nationibus communicarunt. Huc adde consuetudinem deducendi Colonias, quibus *Romanæ stirpes* in solum exterum transplantabantur. Quæ duo Instituta si simul componas, dices profectò, non *Romanos* se diffudisse super *universum Orbem*; sed contra, *Orbem universum* se diffudisse super, *Romanos*: Quæ securissima *proferendi Imperij* est ratio. Subit mirari sæpiùs *Imperium Hispanorum*, quod tam paucis indigenis tot Regna & Provincias amplexari & frænare possit. At certe, *Hispaniæ* ipsæ, pro Atboris stemmate satis grandi haberi debent: cum longe ampliorem contineant regionum tractum, quam *Romæ*, ut *Spartæ*, sub initiis suis, contigerat. Porro, quanquam *Ius Civitatis* satis parce soleant *Hispani* impertire, quod proximum tamen est, faciunt; Quippe, qui cujuscunque Nationis homines, ad militiam suam ordinariam, promiscue admittant. Quinetiam, summum belli imperium, haud raro, ad Duces, natione non *Hispanos*, deferunt. Attamen, & illam ipsam videntur, non ita priden:, indigenarum paucitatem sensisse, eique succurrere cupivisse; ut ex *Pragmatica Sanctione*, hoc Anno promulgata. cernere est.

Certissimum est, *Artes Mechanicas sedentarias*, quæ non sub dio, sed sub tecto exercentur; atque *Manufacturas delicatas*, quæ digitum potius quam brachium requirunt, sua natura, militaribus animis esse contraria. In universum, Populi bellicosi feriari gaudent, & pericula quam labores minus exhorrent. Atque in hoc ingenio suo non sunt admodum reprimendi, si, animos ipsorum in vigore conservare, cordi nobis sit. Magno itaque adjumento, *Spartæ*, *Athenis*, *Romæ*, aliisque antiquis Rebuspublicis fuit, quod habuerint non ingenuos|, sed| servos plerunque, quorum laboribus istiusmodi opificia expediebantur. Verum mancipiorum usus, post *Legem Christianam* receptam, maxima ex parte, abiit in desuetudinem. Huic vero rei proximum est, ut artes istæ alienigenis tantum permittantur; qui propterea alliciendi, aut saltem facile recipiendi sunt. *Nativorum* autem *Plebs* ex tribus generibus hominum constare debet; Nempe ex *Agricolis*, *Famulis ingenuis*, & *Artificibus*; quorum opera robur & lacertos viriles postulant: Cujusmodi sunt *Fabri Ferrarii*, *Lapidarii*, *Lignarii*, & similes; non annumerando *Militiam descriptam*.

Ante omnia, ad *Imperij Magnitudinem confert*, ut Gens aliqua *Armorum studium profiteatur*, tanquam decus suum, & institutum vitæ primarium, & in præcipuo honore habitum. Quæ enim à nobis adhuc dicta sunt, ad habilitates tantum erga arma spectant; Quorsum autem habilitas, si non rei ipsi incumbitur, ut producatur in actum? *Romulus* (ut narrant, aut fingunt,) postquã è vivis excesserat, illud *Civibus* suis legavit, ut ante omnia *rem militarem* colerent, unde in Caput Orbis terrarum Urbs eorum insurgeret. *Imperij Spartani* fabrica universa, (non nimis prudenter quidem, sed diligenter tamen,) ad illum finem & scopum, composita est & constructa, ut Cives sui Belligeratores essent. *Persarum* & *Mace-*

Macedonum, idem erat institutum, sed non tam constans aut diuturnum. *Britanni, Galli, Germani, Gothi, Saxones, Normanni*, & nonnulli alii, etiam ad tempus armis se præcipue dediderunt. *Turcæ* idem institutum, Lege sua paululum extimulati, hodie retinent, sed magna cum militiæ suæ (ut nunc est) declinatione. In *Europa Christiana*, Gens, quæ illud adhuc retinet & profitetur, soli sunt *Hispani*. Verum res est tam liquida, & manifesta, unumquemque in eo proficere maxime, in quo plurimum impendit studii, ut verbis non indigeat. Satis sit innuisse, desperandum omnino alicui Nationi esse, quæ non ex professo arma & militiam colat, iisque præcipue studeat & incumbat, sibi veluti ultro obventuram insignem aliquam *Imperii Magnitudinem*: Contra autem, certissimum esse temporis Oraculum, Nationes illas, quæ in armorum professione & studiis diutius permanserint, (id quod *Romani, Turcæque*, potissimum fecere,) miros in *Imperio amplificando* facere progressus. Quin & illæ, quæ bellica gloria, per unius tantummodo seculi spatium floruêre; inde tamen, unico illo seculo, eam *Imperii amplitudinem* assecutæ sunt, quam longo post tempore, etiam remissa illa armorum disciplina, retinuerunt.

Præcepto præcedenti affine est; Ut Status quis utatur ejusmodi Legibus, & Consuetudinibus, quæ justas illi caussas, aut saltem prætextus, arma capescendi, tanquam in promptu ministrent. Etenim, ea est insita animis hominum Justitiæ apprehensio, ut bellum, (quod tot sequuntur calamitates,) nisi gravem ob caussam, saltem speciosam, inferre abstineant. *Turcis* præsto est semper, & ad nutum, belli causa; Propagatio scilicet Legis & Sectæ suæ. *Romani*, quanquam pro magno decore *Imperatoribus* apud eos fuerit, *si fines Imperii* ipiorum *protulissent*, tamen ob hanc causam, ut *fines proferrentur*, nunquam bella susceperunt. Aspiranti igitur ad *Imperium* Nationi illud in more sit; Ut sensum habeat vividum & acrem injuriæ alicujus, vel Subditis suis limitaneis, vel Mercatoribus, vel publicis Ministris, illatæ; neque à prima provocatione diutius torpeat, aut tardet. Item, prompta sit, & alacris, ad auxilia mittenda *Sociis suis*, & *Fœderatis*: Id quod perpetuum erat apud *Romanos*: adeo ut, si forte in *Populum fœderatum*, cui etiam cum aliis fœdus defensivum intercederet, hostilis impressio facta esset, atque ille à plurimis suppetias peteret, *Romani* omnium primi semper adessent, beneficij decus nemini præripiendum relinquentes. Quod vero attinet ad bella, antiquis temporibus, propter *Statuum conformitatem* quandam, aut *Correspondentiam tacitam*, gesta, non video in quo jure illa fundata sint. Talia fuerunt bella, quæ à *Romanis* suscepta erant, ad *Græciam* in libertatem vindicandam; Talia à *Lacedæmonis* & *Atheniensibus*, ad constituendas aut evertendas *Democratias*, & *Olichargias*; Talia quandoque illata sunt, à Rebuspublicis aut Principibus, sub prætextu, subditos alienos protegendi, & à Tyrannide liberandi. Ad rem prælentem sufficiat, ut illud decernatur: Non esse expectandam, Statui alicui, *Imperii Amplitudinem*, nisi ad quamvis occasionem justam se armandi protinus expergiscatur.

Nullum omnino corpus, sive sit illud naturale, sive Politicum, absque *exercitatione*, sanitatem suam tueri queat. *Regno* autem aut Reipublicæ *justum* atque *honorificum bellum* loco *salubris exercitationis* est. Bellum Civile profecto instar caloris febrilis est; At bellum externum instar caloris ex motu; qui valetudini imprimis conducit. Ex pace enim deside atque torpente, & emolliuntur animi, & corrumpuntur mores. Sed utcunque res se habeat, quatenus ad alicujus Status *felicitatem*, *Magnitudinis* proculdubio interest; ut quasi semper in armis sit. Atque exercitus veteranus perpetuo tanquam sub vexillis habitus, etsi res sit magni proculdubio sumptus & impensæ; attamen ejusmodi est, ut Statui alicui, quasi arbitrium rerum inter vicinos, aut saltem plurimum existimationis ad omnia, conferat. Id quod insigniter cernere in *Hispanis*, qui jam per annos centum & viginti, Exercitum veteranum, ad aliquas partes, licet non semper ad easdem, aluerunt.

Maris dominium, Monarchiæ quædam Epitome est. *Cicero* de *Pompeij* contra *Cæsarem* apparatu, scribens ad *Atticum*: *Consilium* (inquit) *Pompeij, plane Themistocleum est: Putat enim, qui mari potitur, eum rerum potiri.* Atque *Cæsarem Pompejus* proculdubio delassasset, & attrivisset, nisi inani fiducia inflatus, ab illo incepto destitisset. *Prælia navalia*, quanti fuerint momenti, ex multis exemplis patet. Pugna ad *Actium*; Orbis Imperium determinavit. Pugna ad *Insulas Cursolares*, *Circulum in naribus Turcæ posuit.* Multoties certe evenit, ut *victoriæ navales*; finem summæ belli attulerint: sed hoc factum est, cum aleæ hujusmodi prælorum, totius belli fortuna commissa est. Illud minime dubium, quod qui *Maris* potitur dominio, in magna libertate agit, & tantum, quantum velit, de bello sumere potest: Ubi contra, qui terrestribus Copiis est superior, nihilominus plurimis angustiis conflictatur. At hodie, atque apud nos *Europæos*, si unquam, aut uspiam, potentia *Navalis*, (quæ quidem huic regno *Britanniæ* in dotem cessit,) summi, ad rerum fastigia, momenti est: tum quia pleraque *Europæ Regna* Mediterranea simpliciter non sunt, sed maxima ex parte Mari cincta: tum etiam, quia utriusque *Indiæ* thesauri & opes, imperio *Maris*, veluti accessorium quiddam, existunt.

Bella moderna, veluti in tenebris gesta, censeri possunt, præ gloria & decore vario, quæ in homines militares, priscis temporibus, à rebus bellicis, resilire solebant. Habemus hodie, fortasse ad animos faciendos, *Ordines* quosdam *honorificos militiæ*: Qui tamen jam facti sunt armis & togæ communes: Etiam in *Scutis Gentilitiis Stemmata* nonnulla habemus: Insuper, *Hospitia*, quædam *publica*, militibus emeritis & mutilatis destinata, & hujusmodi. Verum, apud Veteres, in locis, ubi victoriæ partæ sunt, extructa Trophæa: Laudationes funebres: Monumenta magnifica occumbentium in bello: Coronæ Civicæ, Militares, singulis concessæ: Nomen ipsum *Imperatoris*, quod postea *Reges* maximi à belli Ducibus mutuati sunt: Redeuntium Ducum, bellis prospere confectis, celebres Triumphi, Donativa atque largitiones ingentes in milites, sub Exercituum dimissionem: Hæc (inquam) tot & tanta

fuerunt, & tam insigni splendore corruscantia, ut pectoribus mortalium, etiam maxime conglaciatis, igniculos subdere, eaque ad bellum inflammare potuerint. Ante omnia vero, *Mos* ille *Triumphandi*, apud *Romanos* non res erat ex pompa, aut spectaculum quoddam inane, sed inter prudentissima plane nobilissimaque instituta, numerandus: Utpote, qui in se hæc tria haberet; Ducum decus & gloriam; Ærarij ex spoliis locupletationem; & Donativa militium. Verum honor *Triumphi*, fortasse *Monarchiis* non competit, præterquam in personis *Regum* ipsorum aut *Filiorum Regum*; Quod etiam, temporibus *Imperatorum Romæ* obtinuit: qui honorem ipsum *Triumphi*, *Sibi* & *Filiis* suis, de bellis, quæ præsentes ipsi confecerant, tanquam peculiarem reservarunt: *Vestimenta* autem solumnodo, & *insignia Triumphalia*, aliis *Ducibus* indulserunt.

Veum, ut Sermones hos claudamus, Nemo est, (ut testatur Sacra *Scriptura*,) *qui sollicite cogitando, potest apponere ad staturam suam cubitum unũ*; in pusillo scilicet corporis humani modulo: cæterum in magna *Regnorum & Rerump.* fabrica *Imperium amplificare*, & *fines proferre Reges* penes & dominantes est. Nam prudenter introducendo Leges, Instituta, & Consuetudines, quales jam proposuimus, & alias his similes, posteris, & seculis futuris, *Magnitudinis* sementem fecerunt. Verum ista Consilia apud *Principes* raro tractantur, sed res fortunæ plerunque committitnr.

XXX.
DE REGIMINE VALETUDINIS.

IN *Regimine Valetitudinis*, invenire est quandam prudentiam, ultra Regulas *Medicinæ*: Observatio cujusque propria, eorum quæ nocent, eorum quæ juvant, optima est *Medicina* ad sanitatem tuendam. Verum tutius est concludere, *Hoc sensi mihi nocuisse, ergo eo non utar*; quam isto modo, *Hoc quod sensi, minime offendit, ergo eo uti licet.* Etenim vigor juventutis, excessus plurimos tegit, qui tamen in senectute tandem velut debita exigentur. Considera ætatem ingruentem, neque confide eadem perpetuo continuare: Non enim bellum indicendum *senectuti*. Cave à subita aliqua mutatione, in *Regiminis* parte quapiam principali; Quod si necessitas urgeat, cætera ad eam mutationem accommoda. Secretum enim est, & Naturale, & Politicum; *Tutius est, multa mutare, quam unum magnum.* Examini tamen subjicias consuetudines tuas: Diætæ, Somni, Exercitationes, Vestium, Mansionis, & similium; Et, si quid nocumento esse judices, experire illud paulatim exuere: ita tamen ut si ex mutatione nocumenti aliquid perceperis, ad consueta redeas: Difficile enim distinguere inter ea, quæ toto genere sunt salubria, & ea quæ corporis tui unici constitutioni conveniunt. Vacuo animo esse, & hilari, ad horas cibi; somni, & exercitationis, est ex optimis præceptis, ad prolongandam vitam. Quatenus ad *animi Passiones* & *Studia*: Devita invidiam; metus anxios: iram intus cohibitam: subtiles & nodosas disquisitiones: gaudia, & exhilarationes immodicas: tristitiam alte pressam, & non communicatam. Amplectere spes: lætitiam potius quam gaudium: delectationum varietatem magis quam satietatem; admirationem, & propterea novitates; studia quæ animum replent splendidis & illustribus objectis; veluti, Historias, Fabulas, Peragrationes Naturæ. *Medicationem* si omnino fugias, valetudine utens bona, corpori ingratior accedet, cum necessitas ingruerit. Eidem si nimium assuescas, detrahet de viribus & efficacia ejus quando morbus advenerit. Probo potius *Diætas* quasdam, ad certa tempora, quam usum medicamentorum frequentem; nisi jampridem transierit in consuetudinem. *Diætæ* enim hujusmodi alterant corpus magis, perturbant minus. Ne contemnas accidens aliquod in corpore tuo novum & insuetum, sed consilium *Medicorum* circa illud adhibe. Dum ægrotas, valetudinem tuam cura maxime; dum vales, corpore tuo utere, nec sis nimis delicatus: Qui enim, dum valet, corpori tolerantiam imperat; in morbis compluribus, qui scilicet non sunt acuti, *Diætâ* sola, & corporis *Regimine* paulo exquisitiore, curari possit absque multa *Medicatione*. *Celsus* monitum illud suum nunquam parturiisset ut *Medicus*, nisi una fuisset vir prudens. In præceptis dat, tanquam Arcanum tuendæ valetudinis, & prolongandæ vitæ, ut quis contraria alternet, & subinde mutet: sed cum inclinatione in extremum benignius. Nempe: Victu utere parciore, & pleniore: sed pleniore sæpius: Vigiliis, & somno largiori, insuescas, sed somno magis: Quietem & motum sive exercitium, repetas: sed frequentius motum: & similia. Ita enim Natura simul & fovebitur, & robur acquiret. Ex *Medicis* aliqui, erga ægrum, & ejus desideria, tam sunt indulgentes, ut morbi curam legitimam non urgeant: Alij contra, tam regulares & rigidi, in procedendo secundum artem, circa curam morbi, ut ægri conditionem & naturam non satis respiciant. *Medicum* elige temperaturæ mediæ: vel si hoc ad votum, in uno aliquo *Medico* non cesserit, adhibe ex utroque genere unum: atque memor sis advocare *Medicum* corporis tui gnarum non minus, quam in Arte sua spectatum.

XXXI.
DE SUSPICIONE.

Suspiciones inter cogitationes, sunt ut inter aves Vespertiliones: Nunquam volitant, nisi luce vespera. Reprimendæ certe sunt, aut saltem caute custodiendæ: Mentem enim obnubilant: amicos alienant, & negotia interpellant: ita ut nec alacriter, nec constanter, peragi possint. *Reges* inclinant ad tyrannidem: Maritos ad zelotypiam: etiam Prudentes ad animi vacillationem, & melancholiam. Sunt autem *Suspiciones*, defectus, non tam cordis quam cerebri: locum enim reperiunt etiam in fortissimis animis: Exempio esse poterit *Henricus Septimus*, *Rex Angliæ*: quo non fuit alter suspicacior, nec tamen animosior. In ejusmodi vero temperatura minus nocent: plerunque enim non admittuntur, nisi prius discutiantur, utrum probabiles sint, annon. Verum in meticulosis ingeniis nimio plus prævalent. Nihil certe æque facit hominem multa *suspicari*, ac parum scire. Itaque rectissime adhibetur remedium, ad *Suspiciones*, ut quis inquisitionem urgeat, Fumo enim & tenebris aluntur *Suspiciones. Quid sibi tandem volunt homines? Existimant ne, cunctos, quorum opera utuntur, & qui-*

buscum

buſcum verſantur, Angelos eſſe, aut Sanctos? Neſciuntne, illos ad ſuos proprios fines aſpirare: & unumquemque proximiorem eſſe ſibi, quam alteri? Nullus itaq; eſt modus moderandis *Suſpicionibus* aptior, quam remedia parare, ac ſi *Suſpiciones* eſſent veræ; iis vero fræna injicere, ac ſi eſſent falſæ. Eatenus enim *Suſpiciones* uſui eſſe poterunt, ut ita nos comparemus, quod quamvis verum foret, quod *ſuſpicamur*, nocere tamen non poſſit. *Suſpiciones*, quas ex ſe mens colligit, nil ſunt niſi inanes bombi. Quæ vero externo artificio aluntur, animiſque hominum inſtillantur ſuſurronum & famigeratorum ſermonibus, aculeos habent. Optima certe ratio, expediendi nos, ex impedita hac *Suſpicionum* ſylva, eſt libera quædam & aperta illarum declaratio, apud eos, quos ſuſpectos habemus: hinc enim fieri non poteſt, quin plus cognoſcamus, utrum veræ ſint, nec ne, quam antea. Hoc ſimul reddet eum, quem *ſuſpectum* habemus, cautum magis & circumſpectum, ne novam præbeat *Suſpicionis* anſam. Sed hoc fieri non oportet cum hominibus pravæ indolis & degeneris: hi enim, ubi ſemel ſe *ſuſpectos* ſentiant, fideles poſtmodum nunquam evadent. Proverbium habetur apud *Italos*: *ſoſpetto licentia fede*. Quaſi *Suſpicio* fide miſſionem daret: cum potius fidem accendere deberet, ut ſe ipſam liberaret.

XXXII.
DE DISCURSU SERMONUM.

SUnt qui in *Sermonibus* affectant potius ingenij laudem, qua in quamcunque partem diſputare poſſint, quam judicij, in veritate enucleanda: ac ſi laudabile eſſet, invenire quid dici poſſit, non quid taceri debeat. Sunt qui in promptu habent *Locos* aliquos *Communes*, & Themata, in quibus luxuriantur, cætera ſteriles & jejuni; Quod penuriæ genus plerumque tædio afficit, & quamprimum notam ſubierit, in ridiculum evadit. Pars *Sermonis* honoratior, hæc eſt: anſam *Sermonis* præbere; & rurſus eidem moderari, ac ad alia tranſire; nunc enim quis *Choream ducit*. Bonum ſane, in converſatione & colloquiis familiaribus ſubinde variare; & *Sermones* circa res præſentes cum diſputationibus; Narrationes cum argumentis; Quæſtiones cum poſitivis; Iocoſa cum ſeriis, immiſcere: Satietatem ſiquidem & faſtidium parit, in aliquo ſubjecto diutius hærere. Quantum ad *Iocos*: Sunt quædam, quæ à *Ioco* veluti privilegio, eximi debēt; Religio, negotia Reipublicæ; perſonæ ſublimes, Privatorū negotia majoris momēti; dēique caſus omnis miſerabilis. Nonnullos tamen reperies, quibus ingenia ſua obdormiſcere videbuntur, niſi acutum aliquem & mordacem Sarcaſmum in quempiam contorſerint. Ille Habitus omnino coërcendus;

Parce Puer ſtimulis, & fortius utere loris.

In ſumma, Diſcrimen ſervandum, inter *falſa*, & *amara*. Certe qui *Satyricam* amplectitur *venam*, ſicut aliis metum injicit ab ingenio ſuo, ita ab aliorum memoria metuere debet. Qui interrogatulum, & addiſcet multa, & placebit in multis; præſertim ſi quæſtiones ſuas ad captum & peritiam Reſpondentis adaptet: ſiquidem occaſionem ei præbebit ſcientiam ſuam oſtentandi; ipſe autem novis continuo ſcientiæ augmentis dotabitur. Moleſtæ autem ne ſint Quæſtiones: Id Examinatori convenit. Etiam qui *Sermonis* familiaris dignitatem tueri cupit, aliis vices loquendi relinquat: Qui &, ſi qui adſint, qui dominari in *Sermonibus*, & tempus univerſum occupare ſtudeant, illos arte quadam abrumpere ſciat, & alios ad loquendum inducere: Sicut Tibicines moderari ſolent ſaltantibus. Scientiam ſi quandoque diſſimules eorum, quæ ſcire exiſtimaris, putaberis alias ea ſcire, quæ neſcis. *Sermo* alicujus de ſe ipſo, rarus eſſe debet, & cum judicio. Novi quēdam, cui ſæpe in ore erat, per Ironiam: *Oportet hunc egregie ſapientem eſſe, ita multa de ſe ipſo loquitur*. Vix occurrit caſus aliquis, in quo ſe laudare quis decore poſſit, præter unum: Is eſt, ſi virtutem alterius laudet; Sed eam intelligo virtutem ad quam ipſe aſpirat. *Sermo* alios pungens & vellicans, parce utendus: Etenim *Sermones familiares* debent eſſe inſtar campi aperti, in quo ſpatiari licet: non viæ regiæ, quæ deducit domum. Noveram *Nobiles* duos, ad partem *Angliæ* Occidentalem: quorum alter Scommatibus nimio plus indulgebat, ſed hoſpitalis admodum erat: alter autem quærere ſolebat, à convivis illius prioris, *Dic ſodes, annon Scomma aliquod interceſſerat in quempiam jactum?* Cui Conviva forte: *Tale aliquid contigit*. At ille, ut pote alterius æmulus, *Satis ſciebam, eum prandium bonum malis condimentis corrupturum*. *Sermo* cum diſcretione præſtat Eloquentiæ: Et apte loqui, & accommodate, ad perſonam cum qua colloquimur, efficacius eſt, quam ornamenta verborum aut Methodi, captare. *Continuata ratio* bona, abſque interlocutione bona, tatditatem monſtrat: At replicatio, & interlocutio bona abſque facultate *Orationem* continuandi, penuriam, & ſcientiam minime fundatam, prodit: Quemadmodum in Animalibus videmus, quæ curſu minus valent, flexu maxime agilia eſſe: Ut fit inter Leporarium, & Leporem. Circumſtantiis nimio pluribus *Orationem* veſtire, antequam rem ipſam attingas, tædium parit: iiſdem penitus carere, abruptum quiddam eſt, & ingratum.

XXXIII.
DE PLANTATIONIBUS POPULORUM.

COloniæ eminent inter Antiqua & Heroica opera. Mundus cum adhuc juvenis eſſet, plures progenuit liberos: nunc ſenex factus, pauciores. Etenim, non immerito *Colonias* novas, tanquam liberos Nationum antiquiorum duxerim. *Plantationem Populorum* proba in ſolo puro: intelligo, ubi Populus non deſtruitur, ut Populus inſeratur: Hoc enim cum fit, *Extirpatio* prorſus eſt, non *Plantatio*. *Plantatio* regionum non abſimilis eſt *Plantationi* ſylvarum: in quibus de Utilitate capienda nihil cogitandum ante annum viceſimum: Verum fructus uber & locuples, in fine Operis, expectandus. Illud certe, quod præcipue *Colonias*, alias bene ſucceſſuras, evertit, fuit, ſordida illa & avida lucri captatio, ſub initiis *Coloniarum*. Verum eſt, Lucri ſegetem acceleratam non negliendam, modo cum bono *Coloniæ* conjuncta ſit, ſed non ultra. Indignum quiddam & infauſtum eſt, cum fæx Populi, exules, & damnati, in *Coloniæ* ſeminarium ſumuntur. Quin & *Coloniam* ipſam corrumpit & perdit. Hujuſmodi enim homines profligati inſtar erronum degent: nec operi accingent, ſed otio ſe dedent: quin & ſcelera

scelera perpetrabunt, fruges consument, & *Coloniæ* fastidio afficientur; At tam demum nuncios & literas in patriam mittent, in *Plantationis* præjudicium & dedecus. Populus qui in *Coloniam* sumatur, præcipue sint Artifices generum sequentium: Hortulani, Aratores, Fossores, Fabri ferrarij, Fabri lignarij, Piscatores, Aucupes, Chirurgi, Pharmacopolæ, Coci, Pistores, Cerevisiarij, & hujusmodi. In *Regione*, ubi *plantare* instituis, circũspice primo, quod genus esculentorum & poculentorum, terra ex sese, sine cultura, edat: Veluti Castaneas, Iuglandes, Nuces, Pinus, Olivas, Dactylos, Pruna, Cerasa, Mel sylvestre, & similia; Atque illis, ut par est, utere. Dein disquire, quod genus Victualiorum, Solum proferre possit celeriter intra annum: Veluti Pastinacas, Caricas, Brassicas, Cepas, Raphanos, Melones, Pepones, Cucumeres, Atriplices de *Hierusalem*, Maiz, & alia. Quantum ad Triticum, Siliquam, Hordeum, & Avenam, nimiam Grana hæc poscunt culturam: Attamen à Fabis & Pisis etiam inchoare licet: tum quia minore opera indigent; tum quia non minus cibi loco, quam panis, inserviunt. Etiam ab Oryza multiplex provenit seges, quæ & cibi quoque copiam facit. Ante omnia, magna copia transportanda, panis Biscocti, Farinæ ex Avena Pollinis, Farinæ omnigenæ, & similium, ut sub initiis præsto sint, donec panis confici possit. Pecudes, & Aves, delige eas, quæ à morbis præcipue immunes sunt, & præ cæteris prolificæ: Quales sunt porci, Capræ, Gallinæ, Gallinæ Indicæ, Anseres, Columbæ domesticæ, Cuniculi & similes. Præcipue autem Piscationibus incumbendum, tum ad sustentationem *Coloniæ*, tum ad lucrum exportationis. Commeatus in *Coloniis* adeo parca manu fere distribuendus, ac si in Oppidis obsessis esset; hoc est, pro rata. Maxima autem pars soli, quod in hortos aut segetes convertitur, horreis publicis assignetur, in quibus fruges reponantur, & mensura certa distribuantur: Ita tamen ut supersint nonnullæ fundi portiones, in quibus industria singulorum se exerceat. Circũspice insuper, quas merces nativas *Regio* illa producat, ut exportatio earũ, in loca ubi maxime in pretio sunt, sumptus levet; Ut usuvenit in *Nicotiano* apud *Virginiam*; modo non sit (ut jam dictum) in præjudicium intempestivum *Coloniæ* ipsius. Sylvæ in Regionibus desertis, ut plurimum, abundant; Itaque ligna, ad ædificia, naves, aut ejusmodi usus apta, inter præcipuas merces numeranda. Si inveniatur vena ferri, & rivuli ad molendina ferraria idonei, ferrum è mercibus quæstuosis est, in *Regionibus* sylvosis. Salis nigri confectio per calorem solis, si Clima ferat, digna res est quæ tentetur. Etiam Sericum vegetabile, si adsit, merx est lucrosa. Pix cujuscunque generis, ubi proveniunt pinus & abieres, semper præsto est. Quin & pharmaca, & ligna odorata, si reperiantur, haud parvum commodum præbent. Etiam cineres, quibus ad sapam utuntur, non modicum utilitatis afferent; Similiter & alia, quæ perquiri possunt. Verum fodinis ne confidas nimium præsertim à principio. Fodinæ enim fallaces sunt, & sumptuosæ; & spe pulchra lactantes, *colonos* reddunt circa alia socordes. Regimen *coloniæ* comittatur uni, cui tamen assideant Consiliarii aliquot; atque muniantur auctoritate, ad exemplum Iuris militaris, sed aliquantulum restricta. Ante omnia, hunc sibi decerpant homines fructum, vivendo in eremo; ut Deum semper; ejusque cultum, præoculis habeant. Rursus, *Colonia* à numerosiore Concilio (intelligo in regione, matre *coloniæ*, residente) non pendeat; nec ob contributiones exiguas multitudini nimiæ subjiciatur; sed sit numerus eorum, qui negotia *coloniæ* procurant & ordinant, moderatus: Sintque potius: ex *Nobilibus*, & *Generosis*, quam *Mercatoribus*; Hi enim lucro præsenti plus satis inhiant. Sit plane immunitas à vectigalibus & portoriis, donec *colonia* adoleverit: neque tantum immunitas à solutionibus pecuniarum concedatur, sed etiam libertas merces in quascunque volint partes exportandi; nisi gravis aliqua caussa obfuerit. *Coloniam* Populo ne farcias aut superoneres, alios post alios mittendo: sed potius informationi diligenti intende, quot capita de tempore in tempus minuantur; eaque numero conveniente, pro rata, suppleas, ita tamen, ut *coloni* bene victitent, nec penuria affligantur. Magnum jampridem salubritati complurium *Coloniarum* detrimentum intulit, ædificatio juxta Mare & fluvios, in locis paludinosis & aquosis. Itaque, etsi ab hujusmodi locis incipiendum, propter vecturæ & aliarum rerum commoditatem, paulatim tamen in superiores *regionis* partes, & ab aquis remotiores, ascendendum. Interest etiã sanitatis *coloniæ*, ut salis sat bona copia convehatur; quo cibi, quos verisimile est putridos aliter sæpe futuros, condiantur. Si *Coloniam* plantes, ubi Barbari sedes suas habeant, neutiquam eos nugis tantum, & tricis, concilies; sed justitia, & modis gratiosis, demerere; nihil tamen de præsidiis minuendo, quæ ad securitatem pertinent: Neque etiam Benevolentiam eorum aucupare auxilis contra hostes suos; sed auxiliis defensivis non incommodum erit subvenire. Interest etiam, aliquos ex indigenis, sæpe in *regionem*, unde *colonia* migravit, mittere: ubi videant conditiones hominum suis multo præstantiores: idque sub reditu inter suos divulgent. Postquam *colonia* adoleverit, & robur acceperit, tempestivum erit mulieres summittere, ut *colonia* ex sese propagetur, nec semper ab externis pendeat. Super omnia flagitiosissimum est, *coloniam* semel deductam, deserere & destituere: præterquam enim quod dedecori est, nil aliud est, quam proditio mera, profusioque sanguinis, complurium hominum miserorum.

XXXIV.

DE DIVITIIS.

Divitias cognomine magis proprio vocare nequeam, ut ea appellem *impedimenta Virtutis*. Sicut enim se habent *impedimenta*, ad *Exercitum*, ita *divitiæ* ad *Virtutem*. Necessariæ siquidem sunt, sed graves: Quinetiam cura illarum victoriam sæpe disturbat. *Divitiarum* magnarum nullus est usus, præterquam in iis expendendis: Cætera in opinione versantur. Idem dictat *Salomon*: *Ubi multæ sunt opes, multi qui comedunt eas*. Et, *Quid prodest possessori, nisi quod cernat divitias oculis suis?* *Possessio divitiarum*, nulla voluptate dominum perfundit, quantum ad sensum. Est sane custodia ipsarum: est etiam potestas donativi aut distributionis: est & fama,

&

& inflatio ab ipsis; Sed non datur solidus ipsarum usus, qui ad dominum pertingat. Annon vides ficta illa pretia, quibus gemmæ, & hujusmodi rariora, æstimantur; & quam inania opera suscipiantur, ad ostentationem meram, ut usus aliquis *divitiarum* magnarum videri possit? Sed dicet quispiam, usum earum vel in hoc maxime cerni posse; quod dominos ex periculis & calamitatibus redimant: Ut ait *Salomon*: *Substantia divitis urbs roboris ejus, & quasi murus elevatus in imaginatione sua*. Sed caute *Salomon*, quod *imaginatione*, non *re ipsa*, tales sunt. Plures enim, sine controversia, *divitiis* suis magnis vænierunt, quam redempti sunt. *Divitias* magnas ne feceris: sed quas parare possis juste, impendere sobrie, erogare hilariter, & libenter dimittere. Neque tamen contemptum ipsarum, instar *Monachi* alicujus, aut à seculo abstracti, foveas, sed de usu distingue; Sicut *Cicero* optime de *Rabirio Posthumo*: *In studio rei amplificandæ apparebat, non avaritiæ prædam, sed instrumentum bonitati quæri*. Ausculta etiam *Salomoni*, nec præproperæ opum accumulationi inhia; *Qui festinat ad divitias, non erit insons*. Fingunt *Poëtæ*, *Plutum*, (qui *divitias* sonat) à *Iove* missum, claudicare, & tardigradum esse: à *Plutone* autem, currere, & pedibus celerem. Innuentes, *Divitias*, bonis artibus, & justo labore, partas, tarde accedere; sed per mortem aliorum advenientes (veluti ex hæreditatibus, testamentis, aut similibus) præcipitanter ruere. Nec inimus poterit Fabula ea de *Plutone* intelligi, si *Plutonem* pro *Diabolo* accipias. Cum enim opes à *Diabolo* fluunt veluti per fraudes, oppressiones, injustitiam, & scelera, rapido cursu feruntur.

Viæ ad *ditescendum* variæ, & pleræque earum fœdæ. *Parsimonia* inter optimas censeri possit, neque tamen ipsa omnino innocens est: Opera enim Liberalitatis & Charitatis coarctat. *Soli Cultura*, quasi ad *divitias* maxime genuina; utpote quæ benedictio *magnæ matris Telluris* sit. Verum lenta est hæc via. Attamen ubi homines insigniter opulenti, se ad *Agriculturam*, & lucra rustica, submittunt, *divitias* in immensum coacervant. Noveram ex *Proceribus Angliæ* quendã, cui maximi reditus proveniebant è re rustica, supra subditos cæteros quoscunque ætatis meæ. Dives erat armentis, ovibus, sylvis, tam cæduis, quam grandioribus; lithanthracibus, frumento plumbi & ferri fodinis: & compluribus aliis proventibus rusticis. Adeo ut terra ei instar maris esset, merces perpetuo importans. Recte à quodam observatum: Se magno cum labore ad exiguas, & nullo fere ad magnas *divitias*, pervenisse. Postquam enim res alicujus nummaria sic increverit, ut nundinarum & mercatuum opportunitates præstolari possit: atque eos contractus superare, quibus ob summæ magnitudinem perpauci admodum homines apti sunt: atque etiam in laboribus aliorum participare, qui minus pecunia abundant; fieri non potest, quin supra modum ditescat. *Lucra* ex *Professionibus*, honesta certe sunt: & duabus rebus promoventur maxime: Diligentia, & Fama bona propter probitatem in negotiando. At lucra ex contractibus majoribus plerunque naturæ magis ancipitis: Cum quis scilicet aliorum necessitates & angustias obsideat; servos & ministros alienos in damnum dominorum corrumpat; emptores altos, qui in majora forte pretia consensissent, artificiose & vafre summoveat; & hujusmodi fraudes exerceat; quæ omnes merito damnandæ sunt. Quantum vero ad *Emptiones*, animo, non retinendi, sed rursus divendendi, illæ ex utraque fere parte molunt; tam Venditorem, quam Emptorem prementes. *Societates* locupletant affatim; si cautus adhibeatur delectus eorum, quibuscum *societas* initur. *Fœnus* ex certissimis lucri generibus est, licet ex pravissimis; utpote quod hominem panem suum comedere faciat *in sudore vultus alieni*: atque in *Sabbatho* operari non cessat. Attamen certum licet sit, non caret rimis suis secretis: Siquidem Notarii, & Institores, ad commodum proprium, homines fortunarum dubiarum quandoque extollent. *Primum* esse in *inventione* aliqua *nova*, aut Privilegio, inundationem quandam opum interdum largitur: Sicut contigit primo *Sacchari Excoctori* in *Canariis*. Itaque si quis se peritum Dialecticum præstare possit, ut addat Inventioni Judicium, magna haud dubie efficiet: præsertim si tempora sint propitia. Qui lucra tantummodo certa captat, ægre ad magnas *divitias* assurget: Contra, qui totus in incertis est, vix fortunarum dispendia vitabit. Bonum igitur fuerit incerta lucra certis munire, ut damnis subveniatur. *Monopolia*, & *Mercium Coemptionis* ad *revenditionem*, ubi Lege nulla prohibentur, ad *divitias* viam sternunt facilem: præsertim si quis prospicere possit, quæ merces in æstimationem venturæ sint, atque eo modo se illis abunde instruat. Opum acquisitio, per *servitium Regum*, aut *Magnatum*, dignitatem quandam habet: tamen si assentationibus & servilibus artificiis, sese ad omnes nutus flectendo, parentur, inter vias vilissimas poterit numerari. Quantum ad *venationem Testamentorum*, & *Legatorum*, (quemadmodum *Tacitus Senecam* insimulat, *Testamenta & Orbos tanquam indagine capi*.) adhuc pejor est hæc res, quanto cum hominibus conditionis humilioris rem habemus, quam in servitio.

Fidem illis nimiam ne adhibeas, qui præ se ferunt contemptum *divitiarum*: Enim *opes* despiciunt, qui desperant; neque invenies usquam tenaciores, ubi incipient ditescere. Ne sis in minutis tenax, *Divitiæ* alas habent, & aliquando ex sese avolant: aliquando emittendæ sunt, ut ampliores congregent. Opes suas moribundi relinquunt, aut usui publico, aut Liberis, Cognatis, & Amicis: In utroque genere *Legationes* paulo moderatiores melius cedunt. *Divitiæ magnæ* hæredi relictæ, aves rapaces undique ad eas convolare invitant: nisi hæres fuerit ætate & judicio confirmatior. Similiter *Fundationes* gloriosæ & splendidæ, in usus publicos, sunt instar *Sacrificiorum sine sale*; & nihil aliud quam *dealbata Eleemosynarum sepulchra*: quæ ab intus cito corrumpentur & putrefient. Itaque dona tua, magnitudine ne metiaris, sed commoditate: & ad debitam mensuram redigas: neque opera Charitatis in mortem usque differas. Etenim, si quis recte rem æstimet, qui id facit, ex alieno potius donat, quam è proprio.

XXXV.
DE AMBITIONE.

A*Mbitio* Choleram refert: Quod genus humoris, activos, vehementes, alacres, & promptos reddit; nisi obstructionem patiatur. Quod si obstructione concludatur, adeo ut libere permeare non possit, fit adusta & inde maligna & venenosa. *Similiter Ambitiosi*, si in ambitu & petitione sua repulsas non patiantur, sed semper sint in progressu, polypragmones potius sunt quam periculosi: Sin in cupiditatibus frænentur, & subinde frustrentur, malevolentiam & invidiam in corde fovent, & iniquo prorsus oculo, tum res, tum homines intuentur; ac tum demum in sinu lætantur cum res male cedant: Qui quidem animi affectus, cum servis *Regum*, aut Rerumpublicarum pessime congruit. Bonum itaque *Principibus* fuerit, (si *ambitiosis* utantur,) ita rem disponere, ut perpetuo directi, nunquam retrogradi sint. Quod quia sine præjudicio fieri non potest, melius esset, ab hujusmodi ingenii hominibus omnino abstinere. Etenim, si ipsi cum servitio suo assurgant, operam dabunt ut servitium suum cum ipsis corruat. Verum, quia modo diximus, *Ambitiosos* non adhibendos, nisi urgente necessitate, operæ pretium fuerit jam dicere quibus in casibus necessarius sit eorum usus.

Imperatores & *Duces* in bello boni, utcunque *ambitiosi* sint, omnino recipiendi: Etenim utilitas ipsorum, ut præficiantur, cætera compensat: Militem autem deligere, qui *ambitione* vacet, perinde est, ac si calcaribus eum spolies. Quin & alter usus *Ambitiosorum est*, ut umbellæ loco *Principibus* sint, contra invidiam & periculum: Nemo enim eas partes subibit, nisi sit instar columbæ occecatæ, quæ ideo in sursum volat, quia circumspicere non potest. Est etiam alius usus *Ambitiosorum* non parvus, ut prægrandibus alas amputent, & eorum potentiam labefactent; Quemadmodum *Macronem Tiberius* adhibuit, ad dejiciendum *Sejanum*.

Quandoquidem igitur, in casibus memoratis, necessarii sint, superest ut ostendamus, qua ratione sint frænandi & coërcendi, ut minus ab illis impendeat periculi. Perniciosi minus sunt, si natalibus ignobiles, quam si Nobiles; si ingenio paulo truciores & asperiores, quam si gratiosi & populares; denique si nuper honoribus admoti, quam si veteratores facti sint, & in honoribus suis muniti. Signum infirmi animi in *Principibus*, à plerisque ducitur, si *gratiosos* & intimos sibi adjungant; attamen, si verum dicendum est, non aliud reperitur remedium præstantius contra potentiam nimiam *Procerum*, aut *Magistratuum*. Siquidem, quando juvandi & nocendi potestas penes *gratiosum* residet, vix fiet, ut aliquis ex *Proceribus* magnopere potentia turgeat. Alia ratio *Ambitiosos* coërcendi non mala est, si per alios æque *Ambitiosos*, & protervos, liberentur: Sed tum opus est Consiliariis aliquibus moderatioribus, qui partes medias teneant, ne factiones omnia pessundent: Etenim absque illa saburra navis vacillabit nimis. Saltem allicere poterunt *Principes*, & animare aliquos humilioris conditionis, qui *Ambitiosorũ* veluti flagella sint. Quantum ad ingenerandam illam in *Ambitiosis* opinionem, ut se ruinæ proximos putent, atque eo modo contineantur; Si meticulosi fuerint, bene forsitan cedet; Sin animosi & audaces, præcipitabit conatus & machinationes eorum; neque est sine periculo. Quod si necessitas flagitet, ut revera rejiciantur, neque id simul, & subito, facere, tutum foret; optimum erit, favoribus & repulsis eos alternis excipere, unde attoniti & confusi hæreant, nescientes quid expectent, & veluti intra sylvam ambulent.

Ex *Ambitionibus*, minus est nociva, cupiditas prævalendi in rebus majoribus, quam se immiscendi rebus omnibus: Istud enim confusionem consiliorum parit, & negotia destruit. Etiam minus periculi incumbit ab *Ambitioso* in negotiis acri, quam ab eo qui gratia & clientelis pollet. Qui inter strenuos, & negotiis pares, eminere studet, magnam profecto suscipit provinciam: verum hoc Publico utile est: Qui vero illud machinatur, ut Viros cordatos deprimat, & ipse solus inter Ciphras Numerus sit, seculi alicujus lues est & calamitas. *Honor* tribus insignitur commodis: *Potestate bene merendi: Aditu facili ad Viros Principes*: & *Fortunarum propriarum in melius* evectione. Qui optimam ex his tribus fovet intentionem, cum aspirat, vir probus est: *Princeps* quoque, qui hujusmodi in servis suis intentiones dignoscere valeat & distinguere, *Princeps* est prudens. Verum in genere, præoptandi sunt *Principibus* hujusmodi servi, qui officio magis ducantur, quam *Ambitione*: quique negotia amplectantur & ament, potius ex conscientia bona, quam ex ostentatione. Denique distinguant *Principes* cum judicio, inter ingenia, quæ sese omnibus negotiis ingerunt, & animum promptum seu alacrem.

XXXVI.
DE NATURA ET INDOLE NATURALI
In Hominibus.

N*Atura* occultatur sæpenumero; interdum vincitur, raro extinguitur. Vis *Naturam* efficit magis impetuosam cum recurrit: Doctrina & præcepta effectus naturales reddunt minus quidem importunos, sed non tollunt; verum *Consuetudo* sola ea est, quæ *Naturam* plane immutat & subigit. Qui victoriam de natura sua reportare cupit, sibi nec nimis magna, nec parva nimis pensa constituat: Priora enim animum dejicient, propter frustrationes crebras; Posteriora non multum attollent, etiamsi sæpius prævaleat. Atque sub initiis exerceat se adminiculis quibusdam, ut Natatores recentes, vesicis aut juncis; deinde cum impedimentis, ut Saltatores solent, calceis gravioribus. Etenim perfectionem in re qualibet inducit, si exercitatio difficilior sit, quàm usus. Ubi *Natura* admodum potens est, & proinde victoria difficilis, opus erit per gradus quosdam procedere. Qui tales sint: Primo, *Naturam* sistere ad tempus aliquod, more illius, qui cum irasceretur, Literas Alphabeti, priusquam quicquam faceret, recitare solebat: Secundo, *Naturam* moderari, & ad minores portiones deducere; Ut si quis, abstinentiam à vino exercens, à majoribus haustibus ad minores deveniat: Postremo autem, *Naturam* penitus sub jugum mittere, & domare. Verum si quis eo Animi robore & constantia polleat, ut se subito eximere & vindicare poterit, hoc optimum fuerit.

Opti-

Optimus ille animi vindex, laedentia pectus
Vincula qui rupit, dedoluitque semel.

Neque antiqua Regula rejicienda: Ut *Naturam*; ad instar bacilli, in contrariam partem flectas: quo recta tandem deveniat. Verum intellige hoc, ubi extremum illud alterum, in vitium non ducat. Insuper & hoc advertas, ne Habitum superinducere contendas, nixu continuo, sed intermisso; Nam intermissio impetum redintegrat, & adauget; Et si quis, dum tironem agit, perpetuo se exerceat, eveniet, ut errores, non minus quam facultatem, imbibat. Neque huic malo succurritur, nisi per tempestivas intermissiones. Praeterea, victoriae in *Naturam* non nimium cito triumphum accinas; *Natura* enim, ad longum tempus sepulta jacebit, & tamen occasione data reviviscet: Id quod contigit *Puellae* apud *Aesopum*, ex *fele* in *mulierem* conversae; Quae civiliter admodum in mensa sedebat, donec mus in conspectu ejus forte curreret. Itaque occasiones tales aut omnino evites, iisdem frequentius insuescas, quo minus moveant. *Indoles* cujusque *naturalis* optime deprehenditur in consuetudine familiari; in hac enim nulla intervenit affectatio: in perturbationibus siquidem illae Praecepta & Regulas penitus excutiunt: denique, in casu aliquo novo & insolito; quia tum à consuetudine deseritur. Felices dixerim, quorum *Indoles naturalis* cum vitae suae genere congruit: Alias vere dicere possint: *Multum incola fuit anima mea.* In studiis quicquid à *natura* tua alienum repereris, stata tempora tibi praefigas ad ejusdem Exercitationes & Meditationes; Sin autem cum Genio tuo convenerit, de statis horis ne sis sollicitus; Cogitationes enim tuae sponte illuc convolabunt, prout negotia & studia caetera permittent. *Natura* cujusque, ex vi innata, aut bonas, aut malas herbas producit: Itaque sedulo & tempestive illas irriget, has evellat.

XXXVII.
DE CONSUETUDINE ET EDUCATIONE.

Cogitationes hominum sequuntur plerunque *inclinationes* suas; *Sermones* autem, *doctrinas*, & *opiniones*, quas imbiberunt; At *Facta* eorum ferme *antiquum obtinent*. Itaque, ut bene notat *Machiavellus*, (licet in exemplo scelerato;) minime fidendum est, aut naturae vilolentiae, aut verborum grandiloquentiae, nisi corroborentur *Consuetudine*. Instantia ejus haec est: In facinore aliquo audaci & crudeli patrando, non acquiescendum esse, aut in naturae alicujus ferocia, aut in promissis constantibus, nedum juramentis, sed committendum scelus esse viris sanguinolentis, & jamdudum caedibus assuetis. Sed *Machiavello*, de *Fratre* quopiam *Clemente*, aut *Ravillaco*, aut *Iauregna*, aut *Baltazare Gerardo*, aut *Guidoni Faulxio*, nihil innotuit. Verum tenet Regula ejus Naturam, aut promissorum fidem & ferociam, viribus *Consuetudinis* haud aequipollere. Solummodo superstitio, nostris temporibus, eo provecta est, ut primae classis Sicarii, Laniis obfirmatis minime cedant; atque decreta votiva, etiam in re sanguinaria, *Consuetudinis* vires exaequent. In aliis quibuscunque, *Consuetudinis* potentia clare elucescit: adeo ut miraculi instar sit, audire, quot professiones, protestationes, promissa, verba grandia, jactitent plurimi; & tamen, istis omnibus posthabitis, pro more consueto agere, ac si imagines essent, & machinae plane inanimes solis *Consuetudinis* rotis impulsae & actae, Videre etiam licet *Consuetudinis* tyrannidem in aliis multis. *Indis* (loquor de *Gymnosophistis*, & veteribus, & modernis) se leniter super pyram componunt, atque hoc modo se ipsos igne sacrificant. Quin & feminae cum maritis in rogum immitti properant. *Pueri Spartani*, antiquis temporibus, flagris caedi sustinebant, super aram *Dianae*, vix ejulatu aut gemitu ullo emisso. Memini, sub initiis *Reginae Elizabethae*, *rebellem* quendam *Hibernum*, supplicationem *Deputato* obtulisse, ut torque lignea, non fune, suspenderetur; quia illud magis in more rebellibus erat. Inveniuntur Monachi in *Russia*, qui ad Poenitentiam complendam, tota nocte hyemali, in vase aqua repleto non recusabunt sedere, donec glacie constringantur. Plurima denique exempla adduci poterunt, plane stupendas *Consuetudinis* vires, tam super animum, quam super corpus, prodentia. Quanquidem igitur *Mos* veluti summus sit humanae vitae moderator & magistratus, curae sit inprimis, ut *Mores* bonos asciscamus. Certe *Consuetudo* validissima, cum à pueritia incipit: Hanc *Educationem* appellamus; Quae nihil aliud est, quam à teneris annis inbibita *Consuetudo*. Ita videre est, in Linguis ediscendis Linguam ipsam magis commode se applicare omnibus expressionibus & sonis; artus quoque magis agiles & flexiles ad omnes posituras & motus esse in pueritia, aut adolescentia, quam postea. Verissimum enim est, opsimathes istos novam plicam non bene admittere: Nisi fuerit in nonnullis hominibus, quibus animi nondum fixi, sed eosdem apertos ad omnia praecepta conservarunt, quo continuo emendationem reciperent; id quod rarissimum est.

Verum si *Consuetudinis* vires, cum simplex solummodo sit, & sejuncta, tantae sint; multo magis *Consuetudo* copulata, & conjuncta, & in Collegiū coacta, excellit: Isthic enim exemplum docet, relevat societas, aemulatio stimulat, gloria animos extollit: Ita ut in hujusmodi locis, vires & influxus *Consuetudinis* tanquam in exaltatione sint. Certe multiplicatio, & (ut *Chymicorum* vocabulo utar,) *Projectio*, super naturam humanam, consistit in societatibus bene institutis, & disciplina salubri informatis. Etenim Respublicae recte administratae, quin & leges bonae alunt virtutem in herba, sed semina ipsius non multum promovent. Verum infelicitatis Orbis hoc habet, ut media maximarū virium applicentur quandoque finibus minime expetendis.

XXXVIII.
DE FORTUNA.

Negari non potest, quin Accidentia & Casus externi, ad hominum *fortunas* promovendas, vel deprimendas, plurimum possint. Gratia alicujus ex Magnatibus, opportunitas, aliorum obitus, occasio virtuti cujusque congrua. Verum tamen, *fortunam* suam fingere cujque praecipue, in manu propria est. *Faber quisque fortunae suae*, inquit *Comicus*. Atq; inter externas caussas illa frequentissima; *Stultitiam unius*, *alterius Fortunam* pro-

promovere. Nemo enim ita subito evehitur, ac occasione errorum alterius; Ut inquit Adagium: *Serpens, nisi serpentē comederit, non fit draco.*

Virtutes aperte & conspicuæ *laudes* pariunt; At insunt virtutes quædam occultæ & latentes, quæ pariunt *Fortunam.* Nimirum, facultates nonnullæ se expediendi, quæ nomen non habent, *Hispanum* vocabulum, (*Desemboltura*) eas quadam ex parte innuit: Scilicet, cum non inveniuntur in natura alicujus obices aut impedimenta: sed rotæ animi ad motum rotarum *Fortunæ* versatiles sunt. Ita enim *Livius* (postquam *Catonem Majorem* his verbis descripsisset: *In illo viro tantum robur corporis & animi fuit, ut quocunque loco natus esset, fortuam sibi facturus videretur:*) illud diserte notat, quod ei fuisset *ingenium versatile.* Quare si quis limis & adductis oculis aspiciat, videbit *Fortunam: cæca* enim licet sit, haud tamen prorsus *invisibilis.* Etenim via *Fortunæ* similis est *Galaxiæ* in æthere: quæ concursus est, sive coacervatio complurium stellarum minutarum, seorsim invisibilium, sed conjunctim luminosorum. Eodem modo, complures virtutes sunt, exiguæ, & vix in notam incurrentes: sive potius facultates & consuetudines appositæ: quæ *fortunas* reddunt. *Itali* ex ipsis nonnullas notant: quales quis minime putaret. Cum hominem innuunt, cui prosperam *Fortunam* spondent, inter cæteras ejus qualitates adjicient, quod habeat *Pocodi Matto.* Neque sane inveniuntur aliæ duæ Qualitates magis ad hanc propitiæ, quam si quis habeat modicum ex *stulto*, & non nimium ex *honesto.* Itaque, quibus Patria, aut Principes sui, nimio plus chari extiterunt; iidem nunquam *fortunati* fuerunt: neque profecto esse possunt. Quando enim cogitationes suas extra se ipsum quis collocaverit, viam suam bene inire nequit.

Fortuna præpropera, magna molientes, & non nihil turbulentos, reddit; at *Fortuna* exercita ea est, quæ efficit prudētes & cordatos. *Fortuna* proculdubio, saltem propter filias suas honorem meretur; *Confidentiam* scilicet, & *Existimationem*: Etenim has duas parit *Fortuna* prospera; alteram intra nos ipsos; alteram in aliis erga nos: Eæque vicissim pariunt animos & auctoritatem. Viri cuncti prudentes, quo invidiam suarum virtutum amoliantur, omnia *Providentiæ* & *Fortunæ* imputare solent: Ita enim decentius & liberius eas sibi assumere possint: Quinetiam Majestatem hominiquādam addit, si videretur *Numini* curæ esse. Sic *Cæsar*, dum animaret gubernatorem navis in tempestate, dixit: *Cæsarem portas, & fortunam ejus.* Sic *Sylla* nomen *Felicis* elegit, non *Magni.* Atque illud observationem non præteriit: eos, qui ex professo, sapientiæ & artibus propriis nimium tribuerunt, in fine *infortunos* evasisse.

Narratur de *Timotheo Athenienſi*, postquam in reddentis rationibus Præfecturæ suæ, hanc Clausulam, ad ravim usque, inseruisset: *Atque in hoc nullæ erant fortunæ partes:* deinceps illi nihil cessisse prospere. Sunt certe, quorum *fortuna* similis Carminibus *Homeri*, quæ majore cum facilitate fluunt quam aliorum *Poetarum* Versus: Id quod *Plutarchus* de *Fortuna Timoleontis* ad *Fortunas Agesilai*, aut *Epaminondæ*, comparata, prædicat. Hoc verò ut fiat, sine dubio, in nobis ipsis, maxime situmest.

XXXIX.
DE VSVRA SIVE FOENORE.

PLurimi Invectivas quasdam ingeniosas, in *Fœneratores*, cōmenti sunt. Dicunt: Miserum esse, Diabolorū in *Dei* partem involasse, *Decimas* scilicet. *Fœneratorem* maximum esse *Sabbathi violatorem*; Aratrum siquidem suum non cessare *Sabbathis.* *Fœneratorem Fucum* esse, de quo *Virgilius.*

Ignavum Fucos pecus à præsepibus arcent.

Fœneratorem, Legem primitivam, post Lapsum hominis latam, pessundare; quæ fuit, *In sudore vultus tui comedes panem tuum*: minime vero *In sudore vultus alieni. Fœneratores* pileis luteis indui oportere quia *Judaizant.* Rem esse contra naturam, ut *pecunia* generaret *pecuniam*: & hujusmodi alia. Ego verò hoc dico tantum: *Fœnus esse, inter concessa, propter duritiem cordis.* Cùm enim necesse sit hominibus, ut *pecunias* mutuò dent, & accipiant; sintq; tam duro corde, ut eas gratis commodare nolint; reliquum est ut permittantur *Usuræ.* Alij nonnulli in medium adduxerunt callidas quasdam & suspectas propositiones, de Argentariis, & Excambiis publicis, detectione fortunarū hominum singulorū, & aliis hujusmodi artificiis. Verū pauci de *Fœnore* disseruerunt solide & utiliter. Optimum fuerit, proponere nobis ante oculos *Fœnoris commoda, & incommoda*; ut Bonum vel ponderetur, vel separetur; Quinetiam cavere inprimis, ne dum *Fœnore* feramur in melius, intercipiamur, & incidamus in pejus.

Incommoda Fœnoris hæc sunt: Primum, quòd Mercatorum numerum minuit: Nam si ignava hæc *pecuniæ* in *fœnus* erogatio è medio tolleretur, *nummi* non delitescerent præ socordia; sed, magna ex parte, in mercaturam impenderentur: Quæ instar *Venæ Portæ*, cuivis *Regno* est, ad opes introducendas. Secundum, quod Mercatores inopes reddit: Sicut enim Colonus terram colere ita fructuose nequit, si Reditum solvat nimis gravem; ita Mercator tam commode & lucrose mercaturam suam exercere vixpotest, si *pecuniis fœnore* sumptis negotietur. Tertium *Incommodum* duorum priorum Appendix quædam est, Portoriorum & Vectigalium publicorum imminutio, quæ fluunt & refluunt, pro modo commercij. Quartum, quod Thesaurum, & *Pecunias* Regni sive Reipublicæ, in paucorum manus reducit: Cum enim *Fœneratoris* lucrum certū sit, cæterorum incertum, eveniet in fine ludi, prout fit sæpè in alea, ut maxima pars pecuniæ Promo cedat. Illud autem pro inconcusso tenendum, florere Rempublicam inprimis, cùm *pecuniæ* dispergantur, non coacerventur. Quintum quod terræ & prædiorum pretium deprimit: Etenim *pecuniæ* insumuntur, vel in mercaturam, vel in prædiorum coëmptiones; *Fœnus* autem utrique obviare videtur. Sextum, quod omnes labores, molimina, & inventa nova quæcunque, enervat & hebetat: in quibus *pecunia* minime sibi deesset, nisi à torpedine ista impediretur. Postremum, quod tinea est & teredo facultatum quamplurimorum hominum; id quod, tractu temporis; egestatem publicam parit.

E contrario, *Commoda Fœnoris* hæc sunt: Primò, quòd utcunq; *Usuræ* in aliquibus mercaturæ noceant, in aliis nihilominus prosunt: Certissimū enim

enim est, maximam mercaturæ partem à junioribus Mercatoribus exerceri, *fœnore* sumptis *pecuniis*; Unde si *Fœnerator* pecunias suas, vel exigat, vel non emittat, secutura necessario est magna mercaturæ clades. Secundum est, quod nisi prompta hæc à *Fœneratoribus pecuniarum* mutuatio hominum necessitatibus subveniret, in extremas angustias cito redigerentur: quandoquidem cogerentur res suas (sive bona mobilia fuerint, sive prædia) nimis vili pretio vendere: Itaque, ubi *Fœnus* rodit tantum, distractiones præproperæ penitus absorberent. Nam quantum ad *Oppignorationes*, aut ea, quæ à *Iureconsultis* appellantur *Mortua vadia*, huic certe malo remedium vix exhibebunt: Siquidem aut ea prorsus nō accipient homines sine *Fœnore*; aut si accipiant, solutione ad diem minime præstita, summo jure agent. Memini *Pecuniosum* quendam, virum durum, rure agentem, qui solebat dicere: *In malam crucem abeat ista fœneratio; Impedimento est quo minus Pignorum & Obligationum pœnas exigere possimus.* Tertium & ultimum hoc est: Nugas meras dico, si quis existimet, Mutuationem pecuniarum facilem, non admisso *Fœnore*, fieri posse: Neque rursus quis animo comprehenderit. innumera quæ sequentur mala, si Contractus illi mutui dati & accepti convellantur. Itaque de abolendis prorsus *Usuris* sermones facere inptum foret. Respub. omnes, pro diversa tamen ad *Sortem* ratione, eas tolerant; adeo ut opinio illa in *Utopiam* protinus releganda.

Dicamus jam de *Reformatione* & *Norma usurarum*. Quibus nimirum modis, *Incommoda* earum optime evitentur, *Commoda* retineantur. Patet jam, conferendo inter se (*Commoda* & *Incommoda Usurarum*, quod modo fecimus,) duo esse, quæ reconciliare oportet. Prius, ut retundantur dentes *Fœnoris*, ne nimium mordeat: Secundum, ut viris pecuniosis aperiatur via, qua ad pecunias Mercatoribus præstandum invitentur, ne Commercium intercidat aut languescat. Hoc autem fieri non potest, nisi in *Fœnore* duas Proportiones introducas; *Minorem* & *Majorem*. Si enim *Fœnus* ad unicam tantum Proportionem, eamque minorem, redigas, mutuo accipientem aliquantulum lavabis; sed Mercator *pecunias* non facile reperiet. Atque insuper notandum est, Mercaturam, cum sit omnium maxime lucrosa, *Fœnus* ad proportionem bene magnam ferre posse; alios Contractus minime.

Ut his duabus intentionibus satisfiat, hac via insistere licet. Duæ sunto *Foenoris* Proportiones: Prior omnibus permittatur; Posterior cum licentia, aliquibus tantum hominibus, & in aliquibus Reipublicæ locis, ubi mercatura fervet, concedatur. Primò igitur, (si nos audias) reducatur *Fœnus* ad partem vicesimam *Sortis* pro Mutuatione in annum: Ea proportio Edicto promulgetur, ut libera sit omnibus. Pro ea accipienda, *Princeps* sive Respublica, mulctæ omni renunciet. Hoc ab obstructione aliqua generali, aut difficultate majore, Mutuationem conservabit. Hoc innumeris Mutuatoribus, ruri & alibi degentibus, solamini erit. Hoc magna ex parte prædiorum pretia adaugebit. Quandoquidem annuus valor prædiorum, hic apud nos in *Anglia* excedet illam *Fœnoris*, ad hanc Proportionem redacti, quantum annuus valor sex librarum, excedit illum quinque tantum. Hoc denique, industrias hominum, ad utilia & lucrosa inventa acuet & excibabit; eo quod plurimi hujusmodi inventis potius se dedent, quam lucro tam exili, quale diximus, ex *Usuris*, acquiescere; præsertim cum lucro jampridem majori ex iisdem assuevissent. Secundò, certis quibusdam hominibus, commodandi Mercatoribus notis, & non aliis quibuscunque hominibus, Licentia concedatur: Hoc autem fiat, additis Cautionibus quæ sequuntur. Sit Proportio (etiam hæc de qua loquimur) illa paulo remissior, quam antea solvere solebant: Hoc pacto, universi, tam Mercatores, quam alii, reformatione hac recreabuntur. *Princeps* autem, sive Resp. exiguam aliquam Summam percipiat, pro *Licentia* singulis; reliquum lucri, *Fœneratori* cedat. Si enim lucrum *Fœneratoris* leviter tantum minuatur, eum nullo modo à *fœnore* exercendo deterrebit: Exempli gratia; Si quis antea decem aut novem libras, pro *Sorte* centum librarum, quotannis accipere solebat: is etiam octo potius libris contentus erit, quam *Fœneratorem* exuet, aut certa cum incertis commutabit. Sint isti, quibus *Licentia* scilicet conceditur, numero minime definiti; Sed tamen ad Urbes aliquas, & Oppida quæ mercatura florent, restringantur: Ita enim, prætextu *Licentiarum*, opportunitatem non habebunt *Pecunias* aliorum pro suis commodandi; nec novem aut octo librarum Proportio, Licentia munita, generalem illam quinque librarum absorbebit: Nemo siquidem *pecunias* suas procul à se mittere, aut in manus ignotas concredere, præoptabit.

XL.
DE JUVENTUTE ET SENECTUTE.

Juvenis annis, poterit esse senex *moris*, si *temporis* jacturam non recerit. Sed hoc raro contingit. Generaliter, *Juventus* similis est primis cogitationibus, quæ secundis sapientia cedunt. Etenim inest cogitationibus *juventus* quædam non minus quam ætatibus. Attamen inventio *Juvenum* vivacior est quam *Senum*: Atque imaginationes in mentes eorum illabuntur melius, & veluti divinus. Ingenia præfervida, & quæ cupiditatibus violentis ac perturbationibus huc illuc impelluntur, non matura fiunt ad res gerendas, donec *Meridiem* ætatis sui attigerint. Ut videre est in *Julio Cæsare*, & *Septimio Severo*. De quorū posteriore dictum est: *Juventutem egit erroribus, imo furoribus plenam*: Qui tamen, in serie *Imperatorum* universa, fuit propemodum celeberrimus. Sed ingenia sedata & composita, etiam in *juventute* florere possint. Cujus rei exempla cernuntur, in *Augusto Cæsare*, *Cosmo Duce Florentiæ*, *Gastone de Fois*, & aliis nonnullis. Ex altera parte calor & vivacitas, si in *Senectute* inveniantur, temperamentum optimum constituunt ad negotia, *Juvenes* ad inveniendum magis idonei sunt, quam ad judicandum: & executione potius quam consiliis validi: & ad negotia nova melius adhibentur, quam ad consueta. Etenim experientia *Senum*, in iis quæ sub experientia eorum cadunt, eos dirigit: sed in rebus novis eos seducit. Errores *Juvenum* negotia sæpenumero pessundant: verum errores *Senum* non ultra fere procedunt, nisi ut plus fieri potuisset, aut citius. *Juvenes*, in rebus geren-

gerendis & tractandis, majora amplectuntur, quam comprehendere valeant; plura movent, quam componere rursus sciunt: ad fines advolant gradibus & mediis non Pene pensitatis; præcepta quædam absurde, persequuntur, in quæ casu inciderunt: extrema remedia à principio usque tentant: denique quod terrores conduplicat, errores agnoscere, aut revocare, detrectant, similes equis male domitis, qui nec se sistere, nec vertere, volunt. *Senes* plus satis objiciunt, in consultationibus nimium morantur: pericula, plusquam expedit, reformidant, pœnitentia præpropera vacillant; atque negotia raro admodum ad periodum justam deducunt: sat putantes, mediocritate quadam successus frui. Bonum certe fuerit, in negotiis mixturam adhibere, & *Senum* & *Iuvenum*: Illud enim in præsens utile erit, ut virtutes utriusque ætatis, defectus earum corrigant: Utile etiam futuro, ut *Iuvenes* perdiscant, dum *Senes* moderentur: Postremo accidentia externa melius compescit, quia *Senes* auctoritate, *Iuvenes* gratia & popularitate, pollent. At in Moralibus *Iuventus* fortasse primas tenebit, ut *Senectus* in Politicis. *Ex Rabbinis* quispiam, super Textum illum: *Iuvenes vestri videbunt visiones, & Senes vestri somniabunt somnia:* sic infert; Quod *Iuvenes* propiore ad se aditu *Deus* dignatur, quam *Senes*: Quia *Visio* revelatio clarior & manifestior est, quam *Somnium*. Et sane, quanto quis magis de Mundo bibit, tanto plus toxico ejus inficitur: Tum *Senectus*, potius in facultatibus intellectus, quam in virtutibus voluntatis & affectuum, proficit. Sunt qui in *Iuventute* admodum præcoces sunt, sed currentibus annis cito marcescunt, & deveniunt evanidi. Tales sunt: Primo qui ingenia nacti sunt fragilia, quorum acies facile retunditur: qualis fuit *Hermogenes Rhetor*, cujus Libri subtilissimi sunt, verum ipse paulo post stupidus evasit. Secundùm genus eorum, quibus naturales quædam facultates insunt, quæ magis *Iuventutem* decent, quam *Senectutem*: qualis est Oratio fluens, & luxuriosa: quæ in *Iuvene* laudatur; in *Sene* non item. Ita *Cicero* loquitur de *Hortensio*: *Idem manebat, neque idem decebat*: Tertium eorum, qui sub initiis nimium efferuntur, & magnanimitate præditi sunt, supra quam ætas provectior ferre valeat: qualis fuit *Scipio Africanus*, de quo *Livius* ita prædicat: *Ultima primis cedebant.*

XLI.
DE PULCHRITUDINE.

Virtus, instar Gemmæ pretiosæ, optima est, sine ornamentis inserta. Atque profecto eadem præstat, in corpore decoro, licet non delicato: quodque aspectus dignitatem potius præ se ferat, quam *pulchritudinem*. Neque fere reperies, eximie *formosos* virtutibus pollere: ac si Natura in hoc magis incubuisset, ut non turpiter erraret, quam ut aliquid excellens produceret. Itaque conversationibus apti sunt, at excelsos spiritus non gerunt: Et urbanitati potius student, quam virtuti. Sed hoc in omnibus non tenet. Siquidem *Augustus Cæsar*, *Titus Vespasianus*, *Philippus Pulcher Rex Galliæ*, *Edovardus Quartus Rex Angliæ*, *Alcibiades Atheniensis*, *Ismael Persa*, viri prorsus magni fuerunt, & nihilominus *perpulchri*.

In *Pulchritudine* præfertur venustas colori: & decorus ac gratiosus oris & corporis motus ipsi venustati. Ea præcipua *Pulchritudinis* portio, quam pictura repræsentare non potest: Imo nec effigies ipsa viva, primo aspectu. Non reperitur *Pulchritudo* aliqua excellens, cui non insit aliquid minus conforme in compagine. Haud facile quis dixerit, utrum *Apelles*, aut *Albertus Durerus* nugator major fuerit: quorum alter hominem secundum proportiones Geometricas effingere voluit; alter, ex compluribus faciebus, optimas quasque partes desumendo, unam satagebat depingere excellentem. Tales (credo) effigies vix ulli placebunt, præterquam Pictori ipsi. Non quin existimem, elegantiorem faciem depingi à Pictore posse, quam unquam in vivis fuit: sed hoc ei contingere oportet ex felicitate quadam, & casu, (veluti Musicis sui cantus) non autem ex regulis artis. Videre est facies nonnullas, quarum partes singulæ examini si subjiciantur, vix unam reperies quam separatim probes; quæ tamen in consortio satis placent. Quod si verum sit, *Pulchritudinem* præcipuam sitam esse in motu decoro, mirum sane non est, si provectiores ætate aliquando videantur junioribus *amabiliores*: Secundum illud *Euripidis*: *Pulchrorum autumnus pulcher*. Etenim fieri non potest, ut Juvenis per omnia decus tueatur, nisi forte juventutem ipsam ad supplementum decoris assumas. Pulchritudo, est instar fructus horarii, qui facile corrumpitur; nec diu durat: atque sæpe juventutem inducit dissolutam, senectutem autem sero pœnitentem: attamen si bene collocetur, virtutes splendere facit, vitia erubescere.

XLII.
DE DEFORMITATE.

Deformes Naturam fere ulciscuntur: Sicut enim natura minus illis propitia fuit, ita & illi Naturæ vicissim adversi: cum sint plerique ipsorum (ut loquitur *Scriptura*) *sine affectione naturali*. Est proculdubio consensus inter animam & corpus: atque Natura, *ubi peccat in uno, periclitatur in altero*. Sed quia in fabrica animæ conceditur homini electio, in fabrica corporis imponitur necessitas: altra inclinationis naturalis obscurantur nonnunquam à Sole virtutis & disciplinæ. Consentaneum itaque fuerit, de *Deformitate* dicere: non ut signo, quod quandoque fallit: sed ut caussa, quæ perraro effectu destituitur. Quicunque in persona sua aliquid habet, quod contemptum inducit, perpetuum habet in se stimulum, quo à contemptu se vindicet: Itaque *Deformes* semper audacissimi: in principio, veluti in defensione sua, utpote qui contemptui exponuntur: sed processu temporis, ex habitu acquisito. Iterum *Deformitas* industriam acuit: ejus generis industriam, ut aliorum defectus & infirmitates sedulo rimentur, unde habeant quod rependant. Præterea, in potentioribus, suspiciones & zelotypiam, versus eos, extinguit: veluti homines quos tuto dispicere liceat: competitores autem & æmulos consopit: utpote nihil suspicantes de promotione eorum ad honores, donec ipsos in possessione hono-

honorum videant. Adeo ut, si rem diligenter introspicias, in magnis ingeniis *Deformitas* ascensum ad honores pate-faciat. *Reges* antiquis temporibus, (atque hodie etiam in *Imperiis* nonnullis) *Eunuchorum* fidei mapnopere inniti solebāt: Qui enim erga omnes invidi sunt, uni magis fidi sunt, & obnoxii. Attamen fidem illis adhibebant, potius ut rimatoribus bonis & susurronibus, quam aut Magistratibus aut ministris publicis. Similis etiam est ratio *deformium*. Manet illa Regula, quam antea posuimus: *Deformes*, si animosi sint, à derisu & ignominia liberare se gnaviter contendent: Quod fieri non potest, nisi aut per virtutem, aut per malitiam. Itaque nil mirum cuiquam videatur, si quandoque in viros egregios evadant, qualis fuit *Agesilaus*, *Zangerus Solymanni Filius*, *Æsopus*, *Gasca Peruviæ Præfectus*: quin & *Socrates* illis annumerari possit, cum aliis.

XLIII.

DE ÆDIFICIIS.

ÆDes extruuntur, ut in iis habitemus, non ut eas spectemus: Pulchritudini igitur præponatur Usus, nisi forte utrumque obtineri possit. Relinquamus fabricas *ædium* speciosas, quæ admirationem incurrunt, *palatiis Poëtarum incantatis*: qui extruunt sumptu parvo. Qui *domum* elegantem ædificat, sed in situ malo, carceri se ipsum mandat. Situm autem malum intelligo, non tantum ubi aër insalubris, sed etiam ubi aër inæqualis est: Quales sunt *ædes*, quæ extruuntur quidem in colliculo paululum elevato, sed cincto undique, more Theatri, collibus altioribus: ubi ardor Solis constringitur, venti autem, veluti in canalibus, variis æstibus reciprocantur: adeò ut in hujusmodi situ subito sentias diversitatem non minorem caloris & frigoris, quàm si in locis diversis habitares. Neque malum situm facit aëris solummodo conditio prava, verum etiam viarum & adituum incommoditas, fora rerum venalium indiga, & (si *Momum* consulas) vicini mali. De compluribus aliis non loquor: qualia sunt, Aquarum absentia; Sylvarum defectus, quæ & focum, & umbram, præbeant; Sterilitas soli, aut quod ex variis glebarum generibus minime commistum sit; Prospectus coarctus; Defectus terræ planæ & æquabilis; Locorum defectus in propinquo, qui venationibus, aucupiis, cursibus equorum, idonei sint; Mare nimis in vicino, aut nimis in remoto; Commoditas nulla fluviorum navigabilium, aut etiam incommoditas ipsorum ob inundationes; Situs remotior ab urbibus magnis, quod negotiis obest, aut etiam propinquior, quod victui necessaria absorbet, & omnia cara reddit; Locus ubi quis latifundia ampla possideat, aut acquirere possit, & locus contra ubi pennas extendere nequeat: Quæ singula minime eo animo enumeramus, ac si *domus* aliqua his incommodis omnibus vacre possit, verum ut tot ex illis evitemus, quot evitari concedatur: atque rursus, si quis *Domos* plures ædificet, ita rem disponat, ut quæ in una desint commoditates, adsint in altera. Responsum *Luculli Pompejo*, bellulum erat: qui, cum in palatio *Luculli*, immensas & luminosas porticus & cameras conspexisset, sic insit: *Optime proculdubio hic habitatur æstate, sed quomodo hyemen toleras?* Cui *Lucullus*: *Quid, hominam me putas avium prudentiam non assequi: quarum nonnullæ, hyeme ingruente sedes suas mutant?*

Transeundum jam à situ *Domus*, ad *domum* ipsam. Imitabimur *Ciceronem*: qui libros conscripsit *de Oratore*, & librum unicum qui inscribitur *Orator*: quorum priores *Præcepta artis* tradunt, posterior *Perfectionem*. Describemus igitur *Palatium Regium*, atque ejusdem *modulum* quendam conficiemus. Prorsus enim mirabilis res est tam vastas hodie existere moles in *Europa*, quales sunt *Vaticanum*, & *Escuriale*, & nonnullæ aliæ: in quibus tamen *Cameram* aliquam vere magnificam vix reperies.

Primum igitur statuo, *Palatium* perfectum neutiquam esse, nisi duas habeat portiones diversas: *portionem Convivii*, ut loquitur Liber *Hester*; & *portionem Mansionis* sive familiæ: alterum ad pompas, magnificentias & celebritates; alterum ad habitationis usū. Intelligo, *portiones* istas duas extrui debere, non ut latera *domus*, sed ut *frontis* ipsius partes: easq; exterius uniformes esse, licet interius longe diversas. Conjungi autem volumus *portiones* istas, per turrim sublimem & splendidam, in medio frontis. Atque, quoad *portionem convivii*, unicam tantum illic *Cameram* poni velim: eamque supra gradus quinquaginta pedes ad minus altam: & subter eam, *Cameram* item alteram, similis longitudinis & latitudinis: quæ apparatum & instructionem, ad festa, ludos, & ejusmodi magnificentias, actores etiam, dum se ornent & parent, commode recipiat. Alteram *portionem*, *Mansionis* scilicet, dividi velim præcipue, in *Aulam*, & *Sacellum*, utramque amplam & pulchram: Es vero per universam *Portionis* longitudinem extendi nolim; sed relinqui in exitu Cœnacula duo: hyemale & æstivale. Atque subter hæc omnia (excepto *Sacello*) Cellas amplas subterraneas collocari volo: quæ Culinis privatis, Promptuariis, Panariis, & similibus, inserviant. Quantum ad Turrim: Eam elevari volo usque ad duo Tabulata, utrunque quindecim pedes altum, supra duas alas frontis; coopertam plumbo æquabili, atque statuis per fulcra laterum, in summitate, decoratam: Eandem turrim in Cubicula distingui volo. Gradus autem turris apertos esse, in se revertentes, & per senos subinde divisos; utrinque statuis ligneis, inauratis, vel saltem ænei coloris, cinctos, cum statione spatiosa & lata in vertice. Verum, cavendum, ne locus, ubi famuli comedant, si ad unum gradum, vel prope: Si enim sit, ciborum nidor ascendet, tanquam in tubo quodam. Et de *fronte Ædificij* hactenus. Tantum intelligo gradus primos ascensus ad viginti pedes sustolli debere; altitudinem scilicet Tabulati inferioris.

Ultra *frontem Ædificij*, aream spatiosam designo, cujus latera tria sint, ipsa *ædium fronte* haud paululum humiliora. Atque in quatuor angulis ejusdem areæ, turres extruantur, altitudinem laterum prædictorum nonnihil superantes, ad gradus, quibus in superiora ascendatur, capiendos: quæ turres non recipiantur in planum *ædificii*; sed extra promineant. Area autem integra lapidibus latis quadrangulis minime substernatur: Nam hujusmodi pavimenta calorem molestum æstate, & similiter frigus asperum hyeme, immittunt: sed habeat ambulacra, ex ejusmodi lapidibus, per latera tantùm *ædificij*; & formam crucis, ex iisdem, in

medio: cum quadris interpositis, quæ gramine vestiantur, detonso quidem, sed non nimis prope terram Latus universum areæ, ex *parte Convivij*, occupent spatiosæ & speciosæ *Porticus*. In quibus singulis *Porticibus* sint in laquearibus tres aut quinquæ Sphæræ concavæ (Cupulas vocãt,) pulchræ, in longitudine positæ, ad æqualem distantiam: Sint quoque fenestræ, ex vitro colorato, ubi pingantur columnæ, imagines omnigenæ, flores, & similia. At latus ex *parte Familiæ*, simul cum latere tertio è regione *frontis*, cõplectatur *Cameras præsentiales*, & alias usus ac decoris ordinarii; atque rursus Cubicula: Sintque etiam tria ista latera ita extincta, ut exhibeant *ædificium* duplex non translucida, sed ex altera tantùm parte fenestrata; ut tam matutinis, quam vespertinis temporibus, præsto sint *Cameræ*, in quas Sol non intret. Accommodentur etiam eo modo, ut habeantur ibi *Cubicula* & *Cameræ* tam æstivales ad refrigerium, quam hyemales ad frigus arcendum. Invenies non raro *ædes* pulchras, sed tamen ita vitro & fenestris repletas, ut vix locum suppeditent, ubi te recipias, aut ad Solem, aut ad frigus, evitandum. Quantum ad Fenestras prominentes, sive arcuatas, eas probo tanquam res commodas: (Urbibus sanè fenestræ ad planum *ædificij*, & minime protuberantes, magis conveniunt, propter Uniformitatem structuræ plateas versus: Sunt enim receptus colloquiis opportuni, atque insuper tam Ventum, quam Solem, summovent; Quod enim alias, per totam fere *Cameram*, pertransisset, vix ultra fenestram penetrabit. Raræ tamen sint hujusmodi fenestræ arcuatæ, non ultra quatuor: duæ scilicet ex utroq; latere areæ.

Ultra hanc, quam diximus, *Aream*, sit alia interior, paris, & amplitudinis, & altitudinis, *Horto* per exterius circumcincta, interius autem, Ambulacris pulchris arcuatis, usque ad primum Tabulatum, circundata. Pars autem exterior Solarii inferioris versus *Hortum*, quatenus ad duo latera, convertatur in *Specum* sive *Cavernam* (*Grottam* moderni vocant) ad umbram & æstivationem; apertam, aut fenestratam tantum ex parte *Horti*: Sit autem *Caverna* illa solo æqua, non omnino pressa: & eleganti pavimento strata; ad terræ vapores excludendos. Erigatur autem in medio istius areæ *Fons* splendidus: aut Opus aliquod ex Statuis magnificum: Pavimentum autem simile sit areæ illi antedictæ. Hujus areæ *ædificia*, ex utroque latere, destinentur *Cameris*, & *Conclavibus* secretioribus: Latus autem transversum, Porticibus etiam secretioribus. Curandum verò ut aliquæ, tam ex Cameris & Conclavibus, quàm ex Porticibus, designentur ad usum infirmorum: si forte *Princeps*, aut quivis è grandioribus, ægrotaverit. Habeant autem Portiones singulæ ægris destinatæ (ut moderni loquuntur) *Ante-Cameram*, *Cameram* ad Cubile, & *Re-Cameram*. Hæc autem, quæ diximus, supra secundum Solarium collocentur. At latus transversum Solarii inferioris, versus *Hortum* convertatur in Porticum speciosam, patentem & columnis fultam. Rursus, supra Solarium tertium, ex omnibus tribus lateribus, statuantur Porticus elegantes, columnares, & apertæ, ad prospectum & refrigerium *Horti* excipiendum. Verùm ad angulos duos lateris transversi, in Solario secundo, accommodentur & ornentur duo splendida & delicata *Conclavia*, (*Cabinettos* moderni vocant pavimento nitente, aulæis sumptuosis instructa, vitro Crystalino fenestrata, cum Cupola elevante, in medio. Sint autem *Conclavia* illa rebus curiosis omnigenis, & spectatu dignis, refera. In supremis quoque Porticibus (si fieri posset) optarem collocari, juxta parietes, in locis diversis, *Fonticulos* quosdam aquam emittentes: qui per secretos tubos iterum transeunt. Interior autem pars, in Solario superiore, versus Aream, formetur in porticus & Ambulacra, bene munita & obducta, ad usum convalescentium. Atque hactenus de *Modulo Palatij* ipsius: Nam de Balneis, & piscinis, non loquor. Superest tamen, ut antequam ad frontem ædium pervenias, collocentur areæ tres: Area viridis, gramine vestita, cum pariete in circuitu, & juxta parietem arboribus, ordine positis, sata: area altera, ejusdem amplitudinis, sed in pariete cujus sint turriculæ extructæ, aut simile quid ejusmodi elegantiæ: area item tertia, quæ cum fronte ipsa *ædium*, quadrangulum constituat; quam *ædificio* certe aliquo circumdatam nolo; neque rursus nudis parietibus cinctam: sed Ambulacris supra columnas, non arcus, erectis: in summitate vero plumbo, vel lapide quadrato, coopertis, munitis, clausam. Quatenus verò ad *ædificia* omnia, quæ usibus familiaribus inserviunt; summoveantur illa, ad aliquam distantiam, à *Palatio* ipso; ita tamen, ut interponantur *Porticus* humiliores, & obtectæ: intra quas ad *Palatium* transire possis.

XLIV.
DE HORTIS.

DEus ipse primus plantavit *Hortum*. Atque revera, inter solatia humana, illud *horti* est purissimum. Etenim spiritus hominum maxime reficit & oblectat: quo fine; *Ædificia* & *Palatia*, manus tantùm sunt opera, nec sapiunt Naturam. Quinetiam notabis, Secula cùm proficiunt in cultura & magnificentia. citius pervenire ad *ædificiorum* pulchritudinem, quam ad *hortorum* elegantiam & amœnitatem: quasi elegantia illa *Hortorum* esse res perfectior.

Statuo, in *hortis Regalibus* assignari oportere *Hortos* pro singulis anni *mensibus*: in quibus, separatim, Plantæ, quæ illo *Mense* florent & vigent, producantur. Pro *Decembri*, *Januario*, & fine *Novembris*, eligendæ sunt Plantæ, quæ per totam Hyemem virescunt: Quales sunt, Aquifolia, Hedera, Laurus, Juniperus, Cupressus, Taxus, Buxus, Pinus, Abies, Rosmarinus, Lavendula, Pervinca, flore albo, purpureo, & cœruleo; Chamædris, Irides quoad folia, Aurantia, Limones, & Myrtus, si Calidariis conserventur; & Amaracus juxta parietem & versus Solem satus. Sequuntur pro fine *Januarii*, & *Februario*, Arbustum Chamæleæ Germanicæ sive Mezereonis, quæ eo tempore floret; Crocus vernus, flore luteo, & glauco; Primulæ Veris, Anemones, Tulipa præcox, Hyacinthus Orientalis, Chamæiris, Fritellaria. Pro *Martio*: Omne genus Violarum, præcipue Purpureæ simplici flore, quæ sunt præcocissimæ; Pseudonarcissus luteus, Bellis, Amygdalus, quæ tunc floret; Malus Persica, & Cornus, quæ etiam tunc florent; Rubus odoratus. Pro *Aprili*: Viola flore albo multiplice, Parietaria lutea, Leuco-

Leucoium, Herba paralysis; Irides, & Lilia omnigena; Flores Roris marini, Tulipa Pæonia, flore multiplice; Narcissus verus, Periclimenum *Sabaudicum*; Cerasus, & Pirus, & Prunus diversi generis in flore; Acanthus, quæ tum folia emittit; Arbor Lelac. Pro *Majo* & *Junio* Cama-cariophillus omnium generum, præcipue virgineus; Omne genus Rosarum. Moschata sola excepta, quæ serius floret; Periclemenum commune, Fraga, Buglossum, Columbina; Flos Africanus, simplex, & multiplex; Cerasus quæ tum fructum profert; Ribes; Ficus in fructu; Baccæ Rubi Idæi; Vitis flores; Lavendula florens; Satyrium hortense flore albo, Herba Muscaria, Lilium Convallium, Malus florens, Flos Cyaneus. Pro *Iulio*: Cariophillata omnium generum; Rosa Moschata, Tilia florens; Pira, & Poma & Pruna, præcocia. Pro *Augusto*: Pruna omnium generum, Pira, Mala Armeniaca, Baccæ Oxyacanthæ, Nuces Avellanæ, Melones Moschatellini, & omnigeni Coloris Delphinum, sive Consolida Regalis. Pro *Septembri*: Uvæ, Poma, Papaver variorum colorum, Mala Persica, Melo-cotonea. Nectarinæ, Corna, Pira hyemalia, Cydonea. Pro *Octobri*, & principio *Novembris*: Sorba, Mespila, Pruna sylvestria, Rosæ seræ, Malvæ arborescentes flore roseo, & similia. Hæ vero, quas enumeravimus, Plantæ, *Climati Londinensi* conveniunt. Sed hoc volo, ut sit alicubi quasi Ver perpetuum, prout fert loci conditio.

Quoniam autem *odor Florum*, spirans in aëre, (ubi undulat more modulationis *Musicæ*,) gratior multo est, quàm si eos decerpas manu: ideo nihil magis confert, ad delectationem illam, quæ ex *odore Florum* percipitur, quam nosse eos *Flores* & *Plantas*, quæ adhuc crescentes, nec avulsæ maxime emittunt auras suaves, & aërem *Odore* perfundunt. Rosæ tam pallidæ, quam rubræ, dum crescunt, *Odoris* sui sunt tenaces, nec aërem tingunt; adeo ut juxta sepem earum ambulans, nihil *Odoris* percipias, etiamsi hoc experiaris tempore roris matutini. Laurus itidem dum crescit, *Odoris* parum emittit: neque etiam Rosmarinus, aut Amaracus. Id, quod ante omnia suavissimo *Odore* aërem (crescens) imbuit, est Viola; præcipue alba, flore multiplici: quæ bis quotannis floret; medio *Aprilis*, & sub finem *Augusti*. Ei proximè accedit Rosa Moschata: tum folia Fragariæ marcescentis, quæ *halitum* emittunt plane *cardiacum*: Tum flores Vitis, qui apparent in racemis noviter protrusis, ad instar pulveris, qualis est, in caule Plantaginis, Tum Rubus odoratus: Tum Parietaria lutea, quæ gratissimum edit *Odorem*, sata juxta fenestras Conclavis, aut Cubiculi in imo Solario siti: Tum Cariophyllatæ, tam minores, quam majores: Tum flores Tiliæ: Tum Periclymeni flores, eminus locati: Tum flores Lavendulæ. De floribus Fabæ non loquor, quoniam campestres sunt. At ea, quæ aërem jucundissimo *Odore* perfundunt, sed non nisi calcata, aut contusa, sunt tria: Pimpinella, Serpillum, & Mentha Aquatica. Itaq; Ambulacra integra his sunt conserenda, ut *Odorem* eorum calcando exprimas.

Horti Contentum (loquor autem de *Hortis Regiis*: sicut feci de *Ædificiis*) haud minus triginta jugerum esse debet: Atque illud in tres partes dividi convenit: *Graminetum* in introitu: *Fruticetum* sive *Eremum* in exitu: Et *Hortum præcipuum* in medio: Præter *Ambulacra* utrinque ad latera. Mihi quidem placet, quatuor jugera *Gramineto* assignari; Sex *Fruticeto*: Bis quatuor ad *Ambulacra* ad latera; Et *Horto præcipuo* duodecim. Oblectamentum ex *Gramineto* duplex est: Primum quidem oculis, quibus nihil jucundius est, quam gramen subinde tonsum, & virescens: Alterum, quoniam in medio orbita purganda est, qua iri possit versus frontispicium *Sæpis magnifica*, quæ *Hortum præcipuum includat*. At quoniam orbita ista longa erit, neque in magnis ardoribus, anni, aut diei, umbra *Horti* emenda est, ambulatione per *Graminetum*, exposito Sole; ideo *Ambulacra* obtecta, duodecim pedes alta, ex opere lignario, utrinque ad latera *Gramineti* extruenda sunt, per quæ *Hortum* introire possis, in umbra continua. Quantum autem ad *Schemata*, & *Figuras*, ex varii coloris terra distinctas, quæ subjaceant fenestris *Ædificij*, nugæ plane sunt. Sæpius videas in placentis talia. Figura quadrata *Horto* optime convenit; quã undiq; sepi pulcherrima & arcuata claudi oportet. Arcus extollantur supra Columnas ex opere lignario, pedes decem alti, lati sex: Spatia autem inter columnas, ejusdem dimẽsionis sint cum latitudine Arcus. Supra arcus sit Sepes continuata, pedes quatuor alta: ex opere itidem lignario: & hanc supra, sit Turricula in summitate arcus cujusque extructa, cujus interior capacitas sufficiat avicularum caveæ excipiendæ. Et supra interstitia arcuum collocentur aliæ aliquæ figuræ inauratæ, continentes lamellas vitri colorati, quibus varie ludant radii Solores. Hanc autem Sepem intelligo supra aggerem, haud præcipitem quidem sed mediocriter declivem, sex pedes altum, totum floribus consitum, erigendam esse. Intelligo etiam, ut hæc quadra *Horti*, non totam Soli latitudinem occupet, sed satis spatii, variis Ambulacris conficiendis, utrinque ad latera relinquat: in quæ, obtecta illa *Gramineti Ambulacra*, de quibus diximus, deducant. Verum ad introitum & exitum *Horti*, hujusmodi *Ambulacra* cum sepibus omnino omittenda sunt: in introitu quidem, ne conspectum *amœnæ* illius *sepis*, à *Gramineto* impediat: in exitu autem, ne prospectum *Fruticeti* per arcus intercipiat.

Dispositionem soli intra claustrum *Sepis*, variandam ad placitum relinquo: Hoc interim monens, ut, quæcunque ea tandem sit, nimis curiosa & operosa ne sit. *Imagines* excisas ex Junipero, vel alia materia hortensi, non probo: Puerilia sunt ista. Humiles speculæ rotundæ, instar fimbriarum, cum Pyramidibus parvulis, placent. Columnas etiam, & Pyramides altas, ex opere lignario, in aliquibus locis sparsas, sepibus vestitas, recipio. *Ambulacra* ampla & spatiosa esse volo: *Ambulacra* angustiora & obtectiora ad latera summovenda sunt, neutiquam vero Pomœrio *Horti* præcipui collocanda. Consulerem etiam, ut in medio *Horti* sit *Monticellus* pulcher, cum tribus ascensus ordinibus, & tribus *Ambulacris*, ejus latitudinis, ut quatuor una ambulare possint. Et hæc insuper *Ambulacra* perfecte circularia esse suadeo, absq; figuris Propugnaculorum. Altitudo autem *Monticelli* triginta pedũ esto: Atq; in vertice, *Domicellus* elegans extruatur, cum Caminis venuste ordinatis, & absque multo vitro.

Fontes quod attinet, magno sunt illi ornamento, & refrigerio: sed Stagna, & Piscinæ, exulent: *Hortum* enim insalubrem reddunt, & scatentem muscis, ranis, & similibus. *Fontes* duorum generum intelligo: Unum qui aquam salientem verset, & dispergat, cum crateribus suis; Alterum nitidum aquæ receptaculum, quadratum, pedum triginta vel quadraginta, illimé, sine cœno, aut piscibus. Quoad primũ, *Imagines* inauratæ, aut marmoreæ, quæ in usu sunt, ornamento esse recte possunt. Sed in eo genere cardo rei est, ita aquam regere, ut perpetuo fluat; nec cõsistat, aut in cratere, aut in cisterna; ita ut quiete non sit decolor, versa aut inviridem, aut rubrum, aut hujusmodi: neque muscum colligat, aut putredinem. Etiam manu purganda est quotidie, ut maneat limpida. Itidem, gradus aliqui ascensus ad *Fontem*, & *Pavimentum* circa eum elegans, decori sunt. Illud alterum *Fontis* genus, quod Balneum sive Lavacrum dici potest, multum ornatus, & curiositatis, recipere potest: quibus non immoramur: Veluti, Ut fundum sit *imaginibus* decoratum latera quoque; simul hinc inde vitro variorum colorum, & hujusmodi corporibus politis, & radiandibus, splendens; circundatum etiam clausura humilium statuarum. Sed maximum est illud, cujus, in priore genere *Fontium*, mentionem fecimus: Nimirum, ut aqua sit in perpetuo motu; aqua scilicet, quæ balneo superior sit nutrita, per canales venusto inducta, & rursus, per tubos subter terram æqualis dimensionis, ne aqua diutius consistat, educta. Verum quoad curiosas inventiones, arcuandi aquas sine earum effusione: & eas effingendi in varias formas, (plumarum, poculorum vitreorum, conopeorum, campanarum, & similium;) etiam rupes artificiosas, & hujusmodi. Sunt illa quidem spectatu jucunda, sed nihil ad salubritatem, aut suavitatem.

Fruticetum autem, quod tertiam totius *Horti* partem posuimus, velim ut ad similitudinem naturalis *Deserti* prope accedat. Arbores in illo plantari nolo, nisi quod in aliquibus locis erigi præcipio, arborum series, quæ in vertice *Ambulacra* cõtineat, ramis arborum cooperta, cũ fenestris. Sub jaceat autem pars soli, floribus odoris suavis abunde consita, qui auras in superius exhalét; alias *Fruticetum* apertum esse sine arboribus velim. Dumeta tamen spargi placet; ex Rubo odorato, Periclymeno, & Vite sylvestri: Terram autem ubiq; consitam volo, Violis, Fragis præcipue, & Primulis Veris. Hæ enim plantæ jucundum spirant *Odorem*, & in umbra feliciter crescunt. *Dumeta* autem & *Ambulacra* super arbores, spargi volumus ad placitum, non ordine aliquo collocari. Probo etiam cumulos parvos, instar eorum quos talpæ erigunt, (quales in Ericetis campestribus esse solent,) alios Serpillo, Caryophillatis minoribus alios, alios Chamædri, quæ florem præbet pulchrum, alios Pervinca, alios violis, Fragis alios, Floribus Paralysis alios, Bellidibus alios, alios Rosis rubris, aliosLiliis convallium, alios Armeriis rubris, alios Helleboro flore purpureo, & Floribus, similibus, suavibus & bellis, consitos. Pars etiam cumulorum habeat in vertice Frutices. Eæ sunt: Rosa, Juniperus, Aquifolia, Oxyacantha, (Sed hæc rarior propter Odoris gravitatem floret:) Ribesium baccis rubris; Uva crispa, Rosmarinus, Laurus, Rubus odoratus, & id genus aliæ: Frutices autem ferro resecandæ, ne deformiter excrescant.

Jam Solum utrinque ad altera, in *Ambulacra privata*, pro quavis diei parte umbrosa distribuendum est. Ex iis etiam quædam à ventis asperioribus ita munienda sunt, ut in iis spatiare possit quis, tanquam in porticu. Quinetiam, ob eandem caussam, videlicet ut venti arceantur, ad exitus claudenda sunt. Et hæc clausa *Ambulacra* præcipue sabulo substernanda sunt, absque gramine, ne in udo ambulatio sit. In plerisque horum *Ambulacrorum*, arbores fructiferæ omnigenæ collocandæ sunt, tam ad parietes exteros,, quam in ordinibus interius. Et hoc in genere observari debet, ut terra elevata, in qua arbores fructiferæ plantantur, sit lata, humilis & molliter ascendens: & floribus suavibus consita, sed raris, ne succo defraudent arbores. Ad exitus Soli lateralis utrinque monticellos fieri probo, ad talem altitudinem parietis exterioris, ut in monticello stanti, in agros pateat prospectus.

Rursus, quoad *Hortum* præcipuum, non negarem, in eo confici debere *Ambulacra* quædam, eaque minime angusta, arboribus fructiferis utrinq; consita. Quin & arboreta aliqua arborum fructiferarum prope consitarum: & Umbracula artificiosa & bella, cum sedibus, ordine elegante locata. Verũ hæc nullo modo nimis confertim: Relinquendus est enim *Hortus* præcipuus apertior, & aëre perflabilis & liber. Ubram enim quæras velim in Ambulacris lateralibus, ubi in ardoribus anni, vel diei, ambules. *Hortus* siquidem præcipuus comparatus est in temperatiores anni partes; vernas, & autumnales: æstate autem, ad matutina & vespertina tempora, aut etiam ad dies nubilosos.

Aviaria non probo, nisi tantæ sint amplitudinis, ut cespites gramine substerni queant: fruticibus etiam & arbusculis vivis conserantur, ut *aves* liberius volitent, & se per diversa oblectare & cõponere possint: utque nulla in area aviarii conspiciatur spurcities.

Quantum vero ad *Ambulacra* in *clivis*, & variis ascensibus amœnis conficienda, illa Naturæ dona sunt, nec ubiq; extrui possunt: Nos autem ea posuimus, quæ omni loco conveniunt.

Horti itaque *Regij* figuram jam delineavimus, parim præceptis partim modulo generali, sed minime accurato. Et hac in re sumptibus minime pepercimus. Sed ad *Principes* id nihil est, qui, ut nunc fit, plerunque *Hortulanos* consulunt: atque haud minore sumptu, varia, parum cum judicio, componunt: addentes etiam quandoque statuas, & alia ad magnificentiam, & pompam: sed ad genuinam *Hortorum* voluptatem, & amœnitatem, nihil conducentia.

XLV.
DE OFFICIO JUDICIS.

GEneraliter, melius est, per Verba *negotiari*, quam per Literas; & per Intercessionem personæ tertiæ, quam per se ipsum. Literæ utiles sunt cum quis, per Literas itidem, responsum elicere desiderat; vel ubi sua, intersit, Exemplaria Literarum quas scripsit, producere, & monstrare: denique, ubi metuere quis merito possit, ne sermo interrumpatur, aut per portiones audiatur. Contra viva voce tractare præstat, cùm facies hominis reverentiã incessura sit: ut fit plerunq; in colloquio cum

cum inferiore; aut in rebus, quas extremis tantum digitis tangere cōvenit, in quibus oculus loquentis, in vultum & gestum alterius intentus, monere possit, quousque procedere liceat; & generaliter, quando libertatem quis sibi retinere cupit, vel dicendi, vel interpretandi ea quæ dixerit. In tractando per alios, cautius & melius fuerit, eos eligere qui simplicioris sunt ingenii; quos probabile est, illa, quæ in mandatis habent, executuros, & successum rei fideliter narraturos: quam eos, qui ex aliorum negotiis aliquid in se honoris aut utilitatis transferre callidi sunt, atque ea, quæ referent, verbis emollient, ut impense placeant. Tales etiam adhibe, qui *negotio*, cui præficiuntur, faveant; id enim industriam acuit: atque insuper tales, qui cum re, quam tractant, congruitatem quādam habent: veluti, audaces ad expostulandum; blandos ad persuadendum; astutos ad observandum & rimandum; protervos, & paulo absurdiores, ad res, quæ aliquid iniqui habent, transigendas. Tales etiam adhibe, qui in *Negotiis* tuis antea tractandis, fœlices fuerunt, & obtinuerunt: Hoc enim confidentiam parit; & omnem lapidem movebunt, quo veluti præscriptionem tueantur. Melius fuerit, hominem cum quo *negotiaris*, primo leviter degustare, & quasi ex longinquo, quam ab initio Summam rei proponere; Nisi forte in animo sit, brevi illum aliqua quæstiuncula irretire & opprimere. Præstat cum illis *negotiari*, qui in ambitu sunt, quam cum illis, qui desideria sua sunt adepti. Si cum alio sub conditione *negotieris*, prima veluti occupatio, aut possessio votorum, in præcipuis numeranda: Id autem cum ratione postulare nequis, nisi aut natura rei talis sit, quæ præcedere debeat; aut alteri commode insinuare possis, illum opera tua in aliis usurum; aut denique habearis ipse pro homine inprimis integro & verace. Omnis *Negotiatio* eo spectat: aut ut *detegat* aliquid; aut ut *efficiat*. *Detegunt* se homines, vel animum suum communicando; vel cum ira commoti sunt, nec se bene cohibere sciunt; vel cum ex improviso opprimuntur; vel cum necessitate quadam adiguntur, non habentes quod prætexant. Si quem ad *nutum* fingere cupias, ut inde *efficias* aliquid; ut inclinationes & mores ejus bene cognoscendi, ut eum manu ducas; aut fines ejus perspiciendi, ut suadeas; aut infirmitates ejus, & ea quibus obnoxius est, exploranda, ut terreas; aut denique amici ejus, qui plurimum apud eum valent, conciliandi, ut eo modo regere possis. In *tractando* cum callidis & dolosis, verbis eorum minime credendum, nisi fines & intentiones eorum habeas verborum interpretes; Quin & optimum fuerit, pauca apud illos loqui, & quæ minime expectant. In rebus quibuscunque difficilioribus non expectandum, ut quis simul & serat, & metat sed præparatione opus est, ut per gradus maturescant.

XLVI.
DE CLIENTIBUS, FAMULIS, ET AMICIS.

C*Lientes* sumptuosi minime admittendi; ne dum quis caudæ pennas adauget, alarum pennas præscindat. Eos autem sumptuosos intelligo, non solū qui impensis gravant sed etiam qui petitionibus molesti & importuni sunt. *Clientes* communes, conditiones alias expectare non debent, extra favorem, commendationem, si opus sit, & ab injuria protectionem. *Clientes* autem & *Amici factiosi*, adhuc magis vitandi, qui alicui se applicant, non tam ex amore ipsius, cui famulantur, quam ex odio versus alium concepto. Unde sæpenumero sequitur animorum illa abalienatio, quam videre inter potentiores. Similiter, *Clientes* illi gloriosi, qui in hoc incumbunt, ut loco buccinarum sint, ad laudes eorum resonandas, quibus famulantur, haud parum nocent: etenim negotia futilitate sua corrumpunt; tum vero honorem Domini sui (si quis vere rem reputet) exportant, & mercem invidiæ invehunt. Est & aliud genus *Clientum* prorsus periculosum; qui nil aliud quam Speculatores sunt, & secreta familiæ rimantur, ac rursus aliorum auribus insusurrant. Attamen hujusmodi homines, apud Dominos suos, sæpenumero in summo pretio habentur; siquidem officiosi sunt, & susurros fere commutant. *Clientela* hominum Ordinis cujuspiam, si ejusdem cum *Patrono* Ordinis sint, (veluti militum versus illū, qui præfecturam in bellis gessit, & hujusmodi,) semper pro re decora habitum est, & in bonam partem acceptum, etiam in *Monarchis*: modo absit pompa nimia, & popularitas. Verum *Clientela* omnium maxime honorifica, ea est, Ut quis *Patronum* se profiteatur, eorum qui virtute & meritis clarent, cujuscunque Ordinis sint, vel Conditionis. Attamen ubi nulla insignis cernitur in meritis dissimilitudo, præstat mediocribus patrocinari, quam eminentioribus. Atque insuper, si verum omnino dicendum sit, in seculis aliquanto corruptioribus, homines industrii & satagentes, usui magis sunt, quam vera virtute præditi. Certè in imperando, optimum est, ejusdem gradus Subditos pari comitate tractare; Paucos enim immensa gratia prosequi, ipsos magis insolentes, reliquos malevolos efficiet; quandoquidem Ordinis paritas æquas gratiæ conditiones, tanquam ex debito, poscit. Verum è contra, in iis, quæ favoris meri sunt, prodest cum delectu afficere; Nam eos, qui benignius tractantur, impense gratos reddet, cæteros imprimis officiosos: Neque de hoc merito conqueratur quispiam; cum omnia ex gratia, non ex debito, prodeant. Recte cavetur, ne sub initiis immoderatius aliquem favore prosequaris; Nam quæ tractu temporis sequentur, vix istis initiis respondere possunt. Fingi, (quod ajunt) & regi, ab *Amico* aliquo, tutum non est: Etenim mollitiem quandam animi prodit: Tum vero convitiis & scandalo occasionem præbet: Plurimi enim, qui nos ipsos immediate non perstrinxissent, *Amicum* illum nostrum contumeliis afficere non verebuntur; atque eo modo honorem nostrum vulnerabunt. Attamen, plurium potestati subjici, & veluti in partes distrahi, adhuc pejus; Hoc enim nos reddet postremæ (ut nunc loquuntur,) editionis, & plenos inconstantiæ. Deliberare cum *Amicis* aliquot paucis, honorabile sane & utile; *Spectatores enim sæpenumero plus vident, quam Lusores*: Atque (ut Adagio dicitur) *Vallis optime collem monstrat*. *Amicitia* vera in Orbe, rara admodum; & minime omnium ea quæ inter æquales: quod genus apud veteres celebrari solebat. Si qua est, ea reperietur inter superiorem & inferiorem: fortunæ quorum, altera alteram comprehendere possint.

XLVII.
DE SUPPLICANTIBUS.

SUscipiuntur complura *Negotia* & *Inventa* mala; & *Petitiones privatæ* bonum corrumpunt publicum. Suscipiuntur etiam complura *Negotia* in se bona, sed animo non bono: intelligo, non solum corrupto, sed etiam callido; absque ulla perficiendi *Negotij* intentione. Non desunt, qui *Petitiones* in manus suas recipiunt, & operam avide pollicentur, quibus tamen, ut cum effectu procedant, curæ non est: verum si animadvertant, rem aliorum conatu successuram, ipsi quoque gratiam aucupabuntur; aut certe mercedem aliquam secundariam captabunt, aut denique *Supplicantis* spes, dum negotium vertitur, in usum proprium convertent. Alii *Petitiones* amplectuntur, eo solum animo, ut negotiis aliorum, quæ simul tractantur, impedimenta injiciant: vel ut aliquid obiter deferant & informent, cujus alias prætextum idoneum parare non potuerint; de *Petitione* ipsa, cum sibi hoc modo consuluerint, nihil solliciti: vel generaliter, ut per aliorum negotia negotiis suis pontem sternant. Imo & alii tam mala fide agunt, ut *Petitiones* suscipiant consilio deliberato eos destituendi, quò Competitori aut Adversario gratificentur.

Certe si quis rem perpendat, comitatur omnem *Petitionem* jus quoddam, vel æquitatis, si sit *petitio* Justitiæ; vel meriti, si sit *petitio* Gratiæ. Si quem moveat inclinatio propria, ut parti iniquiori faveat; in causa Judiciali, utatur potius auctoritate sua, ut rem componat, quam ut obtineat. Si quem moveat inclinatio propria, ut favore suo minus merẽtem impertiat, in Causa Gratiæ; abstineat saltem ob omni calumnia, & maledicẽtia, & in melius merentem. *Petitiones*, quas ipse non satis intelligis, Amico alicui fido & sagaci demanda; qui referat, an ejusmodi sint, quas salvo honore promovere possis: verum prudenti & anxio judicio Amicus ille deligendus; alias quidlibet tibi imponet *Supplicãtes*, his temporibus, adeo mora & procrastinationibus cruciantur, ut Veracitas & Candor, vel in negotium primitus recusando; vel in successum ejus qualem qualem animo simplici referendo; vel in gratiam non ultra quam par est captando; res facta sit non solum laudabilis, verum etiam gratiosa. In *Petitionibus* Gratiæ, prima *Petitionis* oblatio, nullius debet esse momenti; Eo usque *Supplicantis* fides, in re illa patefacienda, valere possit, ut si notitia ejus aliunde quam per eum haberi non potuisset, hoc ei fraudi non sit, sed potius remuneretur. Valorem ejus, quod petitur, ignorare, imperitia quædam est; non secus ac, æquitatem ejusdem oscitanter prætervehi, malam arguit conscientiam. *Petitiones* sedulo occultare, non modicum prodest ad obtinendum; Spes enim jactare, Competitorum licet alios deterrere possit, alios tamen acuet, & excitabit. Verum temporum opportunitates, ante omnia, in *Petitionibus* valent. Temporum, inquam, non tantum respectu eorum, in quorum potestate positum est, *Petitiones* vel rejicere, vel concedere; verumetiam respectu eorum, à quibus juste metuendum, ne se illis opponant. In delectu ejus cui *Petitionis* tuæ curam demandes, respicias magis aptitudinem, quam amplitudinem; atque eum potius adhibe, qui paucioribus negotiis se immiscet, quam qui omnia amplectitur. Denegatæ *Petitionis* iteratio concessioni ipsi quandoq; æquipollet; modo quis se, nec animo dejectum, nec male affectum, ostendat. *Iniquum petas, ut æquum feras*; Regula non mala, ubi quis gratia floreat: Alias enim consultius foret, gradibus quibusdam, ad id quod petis, ascendere, & aliquid saltem impetrare: Qui enim in principio, *Supplicantis* erga se studium amittere non dubitasset; is in fine, & *studium Supplicantis* & *beneficium*, prius *collatum*, simul amittere non sustinebit. Nihil tam leve videtur, quam viros præpotentes de *Literis* suis interpellare; cum tamen, si *Literæ* illæ in causis minus honestis & justis volitent, tantum de existimatione scribentis depereat. Non invenitur in Rebuspublicis perniciosius hominum genus, quam generales isti *Petitionum Concinnatores*; Etenim pestes plane sunt & lues negotiorum publicorum.

XLVIII.
DE STUDIIS, ET LECTIONE LIBRORUM.

STudia & *Lectiones Librorum*, aut Meditationum voluptati, aut Orationis ornamento, aut Negotiorum subsidio inserviũt Usus eorum, quatenus ad voluptatem, in secessu & otio inprimis percipitur: Quatenus ad Orationis ornamenta, in sermone tam familiari, quàm solenni, locum habet: Quatenus vero Negotiorum subsidium, huc spectat, ut accuratiore judicio res & suspiciantur & disponantur. Etenim homines, rerum gerẽdarum gnari, ad negotia exequenda idonei fortasse sunt; & in specialibus judicio non malo utuntur: verum Consilia de Summis rerum, eorumque Inventio & Administratio recta, felicius à *Literatis* promanant. Temporis nimium in *Lectione* & *Studiis* terere, speciosa quædam socordia est; Iisdem ad Ornatum mollius abuti, affectatio mera est, quæ se ipsam prodit; De rebus autem, ex Regulis Artis judicare, *Scholam* omnino sapit, nec bene succedit. Naturam *Literæ* perficiunt, ab experientia autem ipsæ perficiuntur. Dotes enim naturales, instar plantarum sunt, sponte provenientium, quæ culturam & falcem artis desiderant: *Literæ*, è contra generalia nimis præcipiunt, nisi ab experientia determinentur. Callidi *Literas* contemnunt; simplices admirantur; prudentes, opera earum, quantum par est, utuntur; Neque enim *Literæ* verum sui usum satis edocent; Sed hęc res prudentia quædam est, extra eas & supra eas sita, observatione tantum comparata. *Libros* non legas animo contradicendi, & disputationum prælijs cõcertandi; neque rursus omnia pro concessis accipiendi, aut in verba auctoris jurandi; neque denique in sermonibus te venditandi; sed ut addiscas, ponderes, & judicio tuo aliquatenus utaris: Sunt *Libri*, quos leviter tantum degustare cõvenit; sunt quos deglutire, cursimque legere oportet; sunt deniq;, sed pauci admodum, quos ruminare & digerere par est: Hoc est, *Libri* quidam per partes tantum inspiciendi; alii perlegendi quidem, sed non multum temporis in iisdem evolvendis, insumendum; alii autem pauci diligenter evolvendi, & adhibita attentione singulari. Invenies etiam *Libros* haud paucos, quos per alios, & vicaria opera, legere sufficiat, eorumq; compendia tantum desumere. Verum hoc fieri nolim, præterquam in Argumentis humilioribus, & Auctoribus minoris pretii:

tii: Alias enim *Libri* (ut sic dicam) distillati, instar aquarum distillatarum, quas vulgo mercantur, erunt penitus insipidi. *Lectio* copiosum reddit, & bene instructum; *Disputationes* & *Colloquia* promptum & facilem; *Scriptio* autem, & *Notarum collectio*, per lecta in animo imprimit, & altius figit. Itaque si quis in *notando* segnis sit, aut fastidiosus, memoria illi opus est bona: si *Colloquiis* se non exerceat, requiritur ei ingenium promptum; sin in legendo parcus sit, hoc solum relinquitur, ut artificio quopiam utatur, quo videatur ea scire quæ nescit. *Historiarum lectio* prudentes efficit; *Poetarum*, ingeniosos; *Artes Mathematicæ* subtilitatem donant; *Naturalis Philosophia* judicium profundum parit; *Moralis* gravitatem quandam morũ conciliat; *Dialectica* & *Rhetorica* pugnacem reddunt, & ad contentiones alacrem; *Abeunt* (ut ait ille) *studia in mores*. Quin & vix occurrit, in intellectu, impedimentum aliquod insitum, aut naturale, quod non *Studio* quopiam idoneo emendari & edolari possit: Quemadmodum morbi corporis, exercitiis quibusdam propriis, levari possint. Globulorum lusus calculo & renibus salubris; Sagittatio pulmonibus & thoraci; Lenis deambulatio vẽtriculo; Equitatio capiti, & similia. Eodem modo, si cui sit ingenium vagum & volucre, *Mathematicis* incumbat: In demonstrationibus enim *Mathematicis*, si mens vel minimum aberret, de novo incipiendum est: Si cuipiam ingeniũ sit minus aptũ ad rerum differentias & distinctiones eruendas, ad *Scholasticos* se conferat; illi enim *Cumini Sectores* sunt: Si quis ad transcursus ingenii segnis sit, nec alia in aliorum probationem, & illustrationem, accersere, & arrigere dextre noverit, Jure Consultorum Casus evolvat: Adeò ut singuli intellectus morbi, ex *Literis*, medicinas proprias comparare sibi possint.

XLIX.
DE FACTIONIBUS.

PLurimi Opinionem minime sanam foverunt; Hanc nimirum: Principi in Status sui administratione, & Viro magno, in actionum suarum directione, ad *Factiones* quæ invaluerunt, præcipue respiciendum; Atque hanc principalem prudentiæ partem esse: Cum è contra facultas hæc prudentiæ quam maxime vigeat, vel in disponendis rebus, quæ ad omnes sine discrimine pertinent, & in quibus homines diversarum *Factionum* coëunt; vel in palpandis, conciliandis, & tractandis singulis. Neque tamen assero, *Factionum* debitam considerationem esse negligendam. Humilioris fortunæ viri, cum in ambitu sint, alicui parti adhærere debent; verum potentioribus, & jampridem honorem adeptis, consultius est, æquos se præstare, in neutram partem propendendo. Quin & in ambientibus ita caute adhærere, ut videatur quis alteri ex partibus addictus, & tamen parti adversæ minime odiosus, viam quandam sternit ad honores, per medium *Factionum*. *Factio* inferior, & debilior, in conjunctione plerunque firmior, & constantior: Et non raro observari poterit, paucos, qui obstinati & pertinaces sint, *Factionem* numerosiorem, sed tamen moderatam, in fine defatigare, & depellere. *Factionum* altera postquam extincta fuerit, illa quæ manet, in *Factiones* novas disrumpitur; Veluti, *Factio Lucculli* & *Optimatum*, ad tempus aliquod, se in satis magno vigore, contra factionem *Pompeji* & *Cæsaris*, sustinuit; Verum postquam Auctoritas *Senatus* & *Optimatum* deprimebatur, *Factio* ipsius *Cæsaris* & *Pompeji*, in partes propediem scissa est. Similiter, *Factio Antonii* & *Octaviani Cæsaris*, contra *Brutum* & *Cassium*, ad tempus aliquod duravit; sed deletis Copiis *Bruti* & *Cassii*, *Antonius* & *Octavianus*, cum partibus suis, paulo post dissilierunt. Exempla hæc (dices) ad *Factiones Bellicosas* spectant. Sed idem in *Factionibus privatis* tenet. Itaque, in *Factionibus* qui secundas antea tenebant, *Factione scissa*, sæpius primas tenent. Contra tamen, haud raro, potestate omni excidunt: Complures enim in oppositione tantum valent; qua cessante, actu tum deveniunt inutiles. Observatu dignum, quod sæpe evenit; plurimos nimirum, postquam voti compotes sint, & in dignitate quam ambierunt collocati, continuo se applicare contrariæ *Factioni*: existimantes forsitan, sed de alterius *Factionis* affectu & studiis jamdudum certos esse; itaque ad Amicos novos conciliandos se comparare. Proditor in *Factionibus* plerunque rem obtinet; Postquam enim res diutius, tanquam in æquilibrio, suspensæ hæsissent, tum demum unius alicujus in partes contrarias transitio victoriam refert; in eumque gratiæ omnes cumulatæ. Indifferens illa inter partes processio, neutri inclinando, non semper ab animo moderato procedit; sed à consilio callido: quandoquidem proximus sibi quisque sit, atque ex utraque *Factione* utilitatem demetere speret. Certe in *Italia*, in suspicionem incurrit Papa; de quo vox illa in vulgus volitat: *Padre commune*. Tum etiam in signum trahitur, *Papam* illum, omnia ad familiæ suæ amplitudinem referre, in animo habere. *Regibus* inprimis cavendum est, ne *Factioni* alicui Subditorum suorum se ex professo adjungant: *Liga* enim *Confœderationis*, intra Statum quempiam, *Monarchiis* semper exitiales: Siquidem obligationem introducunt obligatione ipsa *Imperii* validiorem, atque *Regem* constituunt *tanquam unum ex nobis*: Id quod cernere erat in *Liga Franciæ*. Cum *Factiones*, manu forti, & palam, concertant, signum est imperii in *Regibus* labascentis: multumque præjudicat ipsorum & auctoritati, & negotiis. Motus *Factionum*, sub *Regibus*, similes esse debent motibus (ut *Astronomi* loquuntur) *orbium inferiorum*: qui suos habent motus proprios, sed interim, conversione *Primi Mobilis*, cum obsequio circumferuntur.

L.
DE CÆREMONIIS CIVILIBUS, ET DECORO.

QUi *Realis* solummodo est, ei multa virtute opus duco: Sicut Gemma, quæ sine ornamento omni inseritur, è purissimis & nitidissimis esse debet. Verum, si quis diligenter animadvertat, fit in laude, quod fit in lucro: Obtinet enim Proverbium illud: *Lucra levia crumenam efficere gravem*. Siquidem, lucra levia frequenter redeunt, cum majora rarius se offerant. Similiter, verissimum est, virtutes exiguas magnas conciliare laudes, quia perpetuus earũ usus est: tum in observationem Hominum incurrunt: Cum è contra, virtutis alicujus magnæ exercendæ occasio, raro admodum obtingit. Itaque ad famam & existimationem alicujus multum juvat, &, (quemadmodum

Isabella, Regina Castiliana, dicere solebat,) *instar Epistolarum commendatitiarum, quæ nunquam non præsto sint*, haberi possit: si quis *Formulis* utetur *discretis & decoris*. Ad has addiscendas, nihil ferme aliud requiritur, quam ut eas quis non contemnat: ita enim in aliorum moribus easdem observabit: de reliquo autem nemo sibi diffidat. Si enim majorem illis operam navabit, de pretio decident: quod in illo potissimum situm est, ut tanquam nativæ videantur, & minime affectatę. Nonnullorum vultus, & gestus, & externa alia, instar versus sunt, in quibus syllabæ singulæ mensurantur: Qui poterit magna comprehendere, qui se tam pusillis rebus submittit? *Cæremoniis decentibus*, erga alios, omnino abstinere, perinde est ac si doceas, easdem illos erga te negligere; quo pacto te ipsum facies viliorem. Præcipue, nequaquam omittendæ erga illos, quibuscum familiaritate minime conjunctus es: neque erga homines ingenio fastidioso. Verum, excessus in illis, & locutio plane hyperbolica, (quali nonnulli utuntur,) non solum res molesta; sed etiam finem & pondus, eorum quæ dicuntur, omnino minuit. Est proculdubio modus artificiosæ cujusdam insinuationis, in verbis ipsis, inter *Formulas* communes, qui homines revera inescat, & mirifice afficit: qui eximie alicui prodest, si quis ejus viam calleat. Inter æquales de familiaritate sollicitum esse, nihil opus est; quare reprime te paululum, & dignitatem tuam tuere: At inter inferiores non deerit reverentia; Itaque inter illos benigne te gerere, & cum familiaritate quadam, non incongruum est. Qui in sermone aliquo, aut re, nimius est, adeo ut satietatem inducat, valorem sui ipsius minuit. Aliis se applicare, bonum est; modo cum significatione quadam fiat, hoc non ex facilitate prodire, sed ex comitate & urbanitate. Præceptum non contemnendum est; Cum in alterius sententiam iveris, aliquid semper de proprio addere. Exempli gratia: Opinioni ejus suffragaris? Cum distinctione, & non alias fiat. Propositioni ejus annuere libet? Fiat sub modo aliquo vel conditione. Consilium ejus sequi & amplecti visum est? Novi alicujus argumenti pondus addas, propter quod in partes ejus transire videaris. Cavendum inprimis, ne *Magister* in *Cæremoniis* & *Formulis* habearis: Id enim si fiet, utcunque virtute vera emineas, audies tamen ab invidis, in nominis tui detrimentum, *Urbanus* tantum & *Affectator*. Etiam negotiis damnosum est, si quis *Formulas* nimium affectet, vel in opportunitatibus & temporibus deligendis impense curiosus sit. *Salomon* inquit: *Qui observat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet.* Prudens opportunitates plures faciet, quam inveniet. *Mores* hominum externi, *vestibus* eorum similes esse debent; Non sint nimis concinni, nec corpus coarctantes; Sed qui libertatem præbeant, ad exercitia, & motum quemlibet.

LI.
DE LAUDE.

Laus virtutis reflexio est. Atque ut fit in speculis, trahit aliquid è natura corporis, quod reflexionę præbet. Si à vulgo proficiscitur, ut plurimum reflexio illa parva est, & falsa: & vanos potius ac tumidos, quam vera virtute præditos, comitatur. Sub captum siquidem vulgi, virtutes complures, quæ excellunt, non cadunt. Virtutes minores, ab iis, *Laudes* extorquent; mediæ admirationem quandam, vel stuporem illis incutiunt; sublimes autem, in sensum aut perceptionem eorum, prorsus non veniunt. Sed apparitiones virtutum, *species virtutibus similes*, illos afficiunt quam maxime. Sane, *Fama* fluvio similis, est, quæ levia & inflata attollit, gravia & solida mergit. Quod si Viri, etiam judicii profundioris & dignitatis, cum vulgo concurrunt, tum id, quod Scriptura dicit, contingit: *Nomen bonum instar unguenti frangrantis.* Omnia undiq; replet, neque facile evanescit Etenim odores unguentorum, durabiles magis sunt, quam florum. *Laudum* tot conditiones fallaces sunt, ut *Laus* merito in suspicionem venire possit. *Laudes* quædam ab *adulatione* sola prodeunt: Quod si *Adulator* sit vulgaris, Attributis quibusdam utetur communibus, & quæ omnibus competere possint; non quæsitis aut appositis: *Adulator* callidior si sit, vestigia premet *Adulatoris* principalis: intelligo, Tui ipsius; & in quibus tibi places, aut te ipsum excellere putas, iis *Adulator* inhærebit maxime: Sin *Adulator* sit impudeus, & perfrictæ frontis, tum demum, in quibus conscius tibi sis defectus tui, & ad quæ maxime erubescis, ea *Adulator* tibi vel præcipue imputabit, & affiget, per vim, spreta conscientia. *Laudes* nonnullæ, à voluntate bona, cum reverentia conjuncta, proficiscuntur; quæ sane *Laudum* formula, *Principibus*, & Viris quibuscunque dignioribus, debetur: *Laudando præcipere*: Cum scilicet apud illos prædicando, quales sint, humiliter moneas, quales esse debeant. Sunt qui *Laudibus* quandoque onerantur, animo malitioso; ad conflandam invidiam, & odia concitanda; *Pessimum genus inimicorum laudantium*, ut ait ille: Adeo ut apud *Græcos* in Proverbium exierit: *Ei, qui in malum suum laudaretur, pustulam nari continuò adnascituram*: Sicut apud nos vulgo dicitur; *Cum quis mentiatur, metuendum ne ejus linguæ scabies propediem oboriatur.* Illud asserere licet, *Laudes* moderatas, tempestive irrogatas, & minime vulgares, honori vel maxime esse. Dictum est *Salomonis*: *Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* Etenim, vel hominem, vel rem aliquam, ad cœlum usque evehere, contradictionem irritat, & derisui exponit. Veruntamen, ut se ipsum *laudare*, servato decoro, vix conceditur, nisi in casibus admodum raris: ita vocationem suam, & munus quod gerit, aut studia quibus se addixit, *laudare* quis cum venia possit; imo cum specie quadam magnanimitatis. *Cardinales Romani*, (qui Theologi sunt, & Fratres & Scholastici,) verbum usurpant, extremi contemptus & convitii, erga negotia Civilia: Vocant enim negotia Civilia, (veluti, Belli, Legationum, Judiciorum, & hujusmodi,) *Hispanico vocabulo, Sbirrarias*; quod sonat, Munera Lictorum & Scribarum. Ac si artes illæ memoratæ, magis ejusmodi homines, quam in fastidio *Cardinalatus* positos, decerent. Et tamẽ (si res rite ponderetur) Speculativa cum Civilibus non male miscentur. *Sanctus Paulus*, cum de seipso gloriatur, illud nonnunquam interponit: *Ut stultus loquor.* At cum de Vocatione sua verba facit, nihil veretur dicere: *Magnifico Apostolatum meum.*

LII.
DE VANA GLORIA.

ELeganter quidem Æsopus: *Musca sedens super radium rotæ currus, ita secum: Quantum pulverem moveo!* Similiter existunt quidam futiles & vani, qui, cum aliquid vel sponte procedit, vel manu potentiore cietur, si modo ipsi vel minimam rei partem attigerint, continuo putant se machinam totam vertere. *Gloriosi* semper Factiosi; Etenim nulla ostentatio sine comparatione sui est. Quin & violenti ut sint, necesse est, ut quæ verbis jactitarunt, revera præstent. Neque taciturni omnino esse possunt; ideoque opere, ut plurimum destituuntur, Sicut *Gallis* in Proverbium abiit: *Beaucoup de bruit, peu de fruit: Strepitus multum, fructus parum.* Attamen, sine controversia, hujusmodi ingeniis, in Civilibus, aliquando uti prodest. Si fama excitanda sit, vel opinio late spargenda, sive virtutis, sive potentiæ, istiusmodi homines Buccinatores egregii sunt. Rursus; sicut prudenter notat *Livius*, circa Tractatus *Antiochi* & *Ætolorum: Mendacia reciproca, & ex utraque parte, quandoque magno usui esse possunt:* Veluti, cum quis inter *Principes* duos negotietur, ut eos, ad bellum indicendum, *Principi* tertio concitet; atque hoc ut efficiat, unius copias apud alterum, supra modum, & veritatem, vicissim attollat. Quin & hoc fit quandoque, ut qui inter privatos tractet, apud utrunque existimationem suam augeat, artificiose insinuando, se apud alterutrum plus posse, quam revera potest. Atque in his, & hujusmodi, haud raro accidit, ut aliquid ex nihilo producatur: Mendacia enim opinionem ingenerare sufficiunt; Opinio autem rem & substantiam progignit. In Ducibus, & Viris militaribus, *gloriosum* esse, non inutile est; Sicut enim ferrum acuit ferrum, ita per *gloriam* hanc animi invicem acuuntur, & excitantur. Insuper, in actionibus magnis, quæ sumptibus, & periculo privatorum, suscipiuntur, ingenia jactabunda vivacius negotia impellunt; Qui enim ingenio sobrio sunt, & solido, plus habent saburræ, quam veli. Rursus in existimatione doctrinæ & literarum cujuspiam, non volitabit *Fama* illius per ora virûm, neq, bene alata erit, sine plumis aliquibus *ostentationis*. *Qui de contemnenda gloria libros scribunt, nomen suum inscribunt*; inquit ille. *Socrates, Aristoteles, Galenus*, (magna nomina,) ingenio jactabundo erant. Certe *Gloria vana*, ad propagandam & perpetuandam memoriam, magnopere juvat: neque *Virtus* ipsa, tantum humanæ naturæ debet, propter nominis sui celebrationem, quantum *sibi ipsi*. *Fama* siquidem *Ciceronis, Senecæ, Plinii Secundi*, ad hunc usque diem vix durasset, aut saltem non tam vegeta, nisi conjuncta fuisset cum aliqua *Vanitate* & *Iactantia* in se ipsis. *Iactantia* enim, instar vernicis videtur esse, quæ ligna non solum splendere facit, verum etiam durare: Atqui, dum hæc de *vana gloria* dissero, minimę eam qualitatem intelligo, quam attribuit *Tacitus Muciano: Omnium, quæ dixerat, feceratque, arte quadam ostentator*: Hæc enim ex vanitate neutiquam procedit, sed ex arte, & prudentia, cum magnanimitate quadam conjuncta: & in aliquibus hominibus, qui natura veluti comparati ad eam sunt, res est, non solum decora, sed & gratiosa. Excusationes enim decoræ, concessiones tempestivæ, quin & modestia ipsa bene temperata, nihil aliud sunt, quam *Ostentationis* artes. Neque inter artes hasce reperitur aliqua felicior, quam illa, de qua loquitur *Plinius Secundus*; Hoc est, Liberaliter & copiose id in aliis *laudare*, in quo ipse emineas, Nam ad hunc modum ille ingeniose satis: *In alio laudando, tibi ipsi ministras: Is enim quem laudas, aut superior tibi est, aut inferior; Si inferior, & tamen laudandus, tu multo magis; Si superior, neq, jure laudandus, tu multo minus. Gloriosi* prudentibus derisui sunt; stultis admirationi; parasitis prædæ & escæ; sibi ipsis, & *gloriæ vanæ*, mancipia.

LIII.
DE HONORE ET EXISTIMATIONE.

HOnoris & Existimationis, vera, & jure optimo, acquisitio, ea est; Ut quis virtutes, & facultates suas, dextre & absq; detrimento, revelet. Nonnulli enim in actionibus suis *Proci Fama* sunt, & veluti venatores: Quod genus hominũ, sermonibus plerunque celebratur, sed interiorem animi reverentiam vix assequitur. Alii contra, virtutem suam, inter monstrandum, obscurant; Ex quo fit, ut opinione minores sint, quam merita ipsorum postulant. Si quis rem suscipiciat, simulque perficiat, quæ prius intentata fuerat; aut tentata quidem, sed deserta; aut ad exitum forsan perducta, sed minus commode, & feliciter, is *honorem* adipiscetur majorem, quam si quid perfecisset gravioris sane difficultatis & momenti, sed in quo alterius tantum vestigia, & non ultra premeret. Si quis actiones suas ita inter se committat, & contemperet, ut in aliquibus earum, singulis factionibus, vel populi combinationibus, satisfaciat, Harmonia erit tanto perfectior. *Honoris* sui minime frugalis dispensator est, qui rem quamvis suscipit, in qua dedecori, plus fuerit, votis excidere, quam, obtinuisse, *honoris*. *Honor*, qui comparativus est, & aliũ prægravat, reflexionem habet maxime vividam; instar Adamantis, aut Carbunculi, cum angulis multiplicibus secti. Itaque, enixe hoc agas, ut Competitores tuos, si modo possis, etiam in iis, in quibus ipsi summe gloriantur, superes. Servi, & amici familiares, prudentes modo sint & cauti, *existimationi* cujuspiam non modicum prosunt: Ita *Quint. Cicero: Omnis fama à domesticis emanat.* Invidia, quæ *honoris* veluti tinea & teredo est, optime extinguitur, si quis id sibi præstituere videatur, ut meritum potius ambiat, quam famam: & successus suos prosperos, magis providentiæ Divinæ & felicitati cuidam tribuat, quam artibus & virtutibus propriis.

Gradus Honoris Imperialis sic vere & optime ordinantur. Primo loco statuẽdi, *Conditores Imperiorum*, quales fuerunt *Romulus, Cyrus, Iulius Cæsar, Ottomannus, Ismael.* Secundo loco, *Legumlatores*; qui etiam vocabantur *Conditores Secundi*, aut *Perpetui Principes*; quoniam Legibus suis, etiam post mortem, Imperia administrant: quales fuerunt *Lycurgus, Solon, Iustinianus, Eadgarus Alphõsus Castilianus*, cognomine *Sapiens*, qui *Septem Partitiones* edidit. Tertio loco *Liberatores*, vel *Servatores Patriarum suarum*; qui bellis intestinis diutinis finem imposuerunt, aut patrias à servitute alienigenarum vel tyrannorum liberarunt: veluti, *Augustus Cæsar, Vespasianus, Aurelianus, Theodoricus, Henricus Septimus Rex Angliæ, Henricus*

ricus Quartus Rex Galliæ. Quarto loco, *Propagatores*, sive *Propugnatores Imperii*; qui bellis honorificis fines Imperii protulerũt; vel defensione strenua & nobili invasoribus restiterunt. Ultimo loco, *Patres Patriæ*; qui justè imperant, & temporibus fœlicibus, quamdiu vivunt, Cives suos beant. In his ultimis duobus exempla non adduco, quandoquidem tanto numero sint. *Honorum*, qui *Subditis* competere possunt, *gradus* hi sunt. Primò statuendi *Principes* curarum; ii nimirum, quorum humeris præcipuum pondus rerum suarum *Principes* imponunt: Vulgo appellamus *Manus Regum dexteras*. Secundò, *Duces belli*: *Regum* suorum intelligo *Locum tenentes*: qui operam eis egregiam in bellis præstant. Tertiò, *Gratiosi*: eos volo qui non ultra hoc potentes sunt, quam ut *Principibus* solatio sint, & Populo innoxii. Quartò, *Negotiis pares*: qui magnos sub *Principibus* gerunt Magistratus: in quibus juste & prudenter versantur. Est & genus quoddam *Honoris*, quod raro contingit; & tamẽ inter maximos reponi meretur: Hic est eorũ, qui se morti & periculis devovent, & sacrificant, propter bonum patriæ: Quod fecerunt *Marcus Regulus*, & duo *Decij*.

LIV.

DE OFFICIO JUDICIS.

MEminisse debent *Iudices*, esse Muneris sui, *Ius dicere*, non autẽ *Ius dare*: Leges inquam interpretari, non condere. Aliter, deveniet eorum auctoritas simile quiddam auctoritati illi, quam sibi vendicat *Ecclesia Romana*: quæ prætextu *Interpretationis Scripturarum*, etiam addit aliquid quandoque, & immutat; & pronunciat, quod non invenit; atque specie Antiquitatis, introducit Novitatem. *Iudicem* oportet esse, potius eruditum, quam ingeniosum; venerabilem, quam gratiosum; magisq; deliberativum, quam confidentem. Ante omnia integritas *Iudicum* quasi portio est, virtusque propria. *Maledictus sit* (inquit *Lex*) *qui terminum terræ movet antiquum*. Sane qui lapidem, fines distinguentem, transponit, culpa non caret: Verum *Iudex* injustus ille est, qui præcipue *Terminos* immutat, cum de terris & rerum proprietate iniquam fert sententiam. Una certe iniqua sententia plus nocet, quam exempla plurima. Hæc enim rivulos tantum inficiunt, illa autem fontes. Ita ait *Salomon*: *Fons turbatus, & vena corrupta est justus cadens, in causa sua, coram adversario*. Officium *Iudicis* relationem habere possit, partim ad *Litigantes*: partim ad *Advocatos*: partim ad *Scribas* & *Ministros Iustitiæ* subtus: partim ad *Principem* vel *Statum* supra.

Primò quantum ad *Causas* & *Litigantes*: *Sunt* (inquit *Scriptura*) *qui judiciũ vertunt in absynthiũ*: Sunt etiam certe, qui illud vertunt in *acetum*. Injustitia enim illud reddit *amarum*: mora *acidum*. *Iudex* strenuus hoc præcipue agit, ut vim & dolum compescat; quorum vis magis perniciosa est, quãto apertior, dolus quanto tectior & occultior. Adde etiam *Lites* contentiosas; quæ evomi debẽt, ut crapula *Curiarum*. *Iudicem* decet viam parare ad justam sententiam, qualem *Deus* parat; *valles exaltando*; *colles deprimendo*. Eodem modo, quando ex alterutra parte videt *Iudex* manum elatam, veluti in prosecutione importuna, captionibus malitiosis, combinationibus patrocinio potentum, Advocatorum disparitate, & similibus; tum elucescit virtus *Iudicis* in æquandis iis quæ sunt inæqualia; ut *Iudicium* suum veluti in arena plana fundare possit. *Qui fortiter emungit, elicit sanguinem*: Cumque torcular vini premitur fortius, vinum prodit acerbum, acinum sapiens. Itaq; caveant sibi *Iudices* ab interpretationibus Legum duris, & illationibus alte petitis. Neq; enim pejor est tortura, quam tortura *Legum*. Præcipue in *Legibus pœnalibus* curæ iis esse debet, ne, quæ in terrorem latæ sunt, vertantur in rigorem: neve in Populum superinducant imbrem illum, de quo *Scriptura*: *Pluet super eos laqueos*. Etenim *Leges pœnales*, si severe executioni demandentur, sunt similes *imbri laqueorum*, cadenti super Populum. Itaq; hujusmodi *Leges*, si vel dormiverint diũ, vel temporibus prudentibus minus quadrent, à *Iudicibus* prudentibus, in executione earum, reprimantur:

Iudicis officium est, ut res, ita tempora rerum, &c.

In Causis capitalibus, decet *Iudices* (quantum Lex permittit) in *Iudicio* meminisse misericordiæ; & cum severitate *Exemplum*, cum pietate *Personam* intueri.

Quantum ad *Advocatos* qui Causas agunt; Patientia, & Gravitas, ut Causis audiendis, *Iustitiæ* est pars essentialis, & *Iudex* nimium interloquens minime est *Cymbalum bene-sonans*. Non laudi est *Iudici*, si primus aliquid in Causa inveniat, & arripiat, quod ab *Advocatis*, suo tempore, melius audire potuisset: aut acumen ostentet in probationibus vel *Advocatorum* Perorationibus nimis cito interrumpendis; aut anticipet informationes Quæstionibus, licet ad rem pertinentibus. *Iudicis* partes in audiendo sunt quatuor: Probationum seriem ordinare; Advocatorum, & testium, prolixitatem, repetitionem, aut sermones extra rem moderari; Eorum, quæ allegata sunt, medullam, & quæ majoris momenti sunt, recapitulare, seligere, & inter se componere; Et demum Sententiam ferre. Quicquid ultra hæc est, nimium est; & oritur aut à gloriola & loquendi aviditate; aut ab audiendi impatientia; aut à memoriæ debilitate; aut à defectu attentionis sedatæ, & æquabilis. Sæpè numero mirum est visu, quantum *Advocatorum* audacia apud *Iudices* valeat; ubi contra, *Iudices*, ad imitationem *Dei*, (in cujus Tribunali sedent,) *superbos comprimere, & humiles erigere*, deberent. Sed etiamnum magis mirum est, *Iudices Advocatis* quibusdam præ cæteris immoderate & aperte favere: Quod necesse est ut merces Advocatorum augeat & multiplicet, atque simul suspicionem corruptionis & obliqui ad *Iudices* aditus inducat. Debetur *Advocato* à *Iudice* laus aliqua, & commendatio, cum Causæ bene aguntur, & tractantur; præsertim, si Causa sua cadat: Hoc enim apud Clientem existimationem *Advocati* sui tuetur, & simul opinionem ejus de Causa sua prosternit. Debetur etiam Reipublicæ, reprehensio *Advocatorum* moderata, ubi callida nimis præstant consilia, aut supina apparet negligentia, aut levis informatio, aut indecora importunitas, aut impudens defensio. *Advocatus* autem illud tribuat *Iudici*, ne illi obstrepat, aut se rursus in Causam agendam callide insinuet, postquam *Iudex* de re pronunciaverit. Econtrario autem, *Iudex* se Causæ mediæ, & nullatenus peroratæ, non ingerat; nec *Clienti* occasionem

sionem præbeat, ut *Advocatos suos*, vel probationes, ad plenum non auditas, conqueratur.

Quantum ad *Scribas* & *Ministros*, *Sedes Justitiæ*, veluti locus sacratus est; ubi non tantum sedes ipsa, sed & subsellia, & præcinctus sedis, scandalo & corruptelis vacare debent. Etenim ut ait *Scriptura*) *non colliguntur uvæ ex spinis:* neque *Justitia* suaves suos fructus edere potest inter vepres & dumeta *Scribarum* & *Ministrorum* rapacium, & lucris inhiantium. *Curiarum affectæ* pravi, sunt quatuor. Primò *Seminatores litium*: qui Curias tumescere faciunt, Populum tabescere. Secundò, qui Curias *contentionibus* circa *Jurisdictionem* implicant: neque vere sunt (ut habentur) *Amici Curiæ*: sed *Parasiti Curiæ*: Curias inflando ultra terminos; propter micas & compēdia propria. Tertio, ii, qui possunt censeri tanquam. *Curiarū manus sinistræ*: Homines, qui Curiarum processus legitimos, diverticulis, & versutiis, distorquent; Justitiamque in lineas obliquas, & labyrinthos, trahunt. Quarto, *Explicatores* & *Exactores Fœderum*, qui tritam Similitudinem confirmant *Curiarum* ad *rubum*: quo dum ovis, tempestatem fugiens, se recipit, velleris partes amittit. Contra *Scriba* antiquus, in anteactis (*curiarum* peritus, in actis ipsis concipiendis cautus, & in negotiis (*curiæ* solers, digitus est *Curiæ* egregius; Et sæpe *Judici* ipsi viam monstrat.

Quantum vero ad *Principem*, aut *Statum*; *Judices*, ante omnia, in memoria fixum tenere debent versiculum ultimum *Duodecim Tabularum Romanarum*: *Salus Populi suprema Lex:* & pro certo ponere, Leges, nisi sint in ordine ad eum finem, res esse captiosas, & oracula male inspirata. Itaque bene succedit, cum *Rex* aut *Status* sæpius cum *Judicibus* deliberat; & rursus, cum *Judices Principem* & *Statū* sæpius consulant. Ille, cum inter deliberationes Politicas interveniat *Quæstio Juris*: Hi, cum in Subjecto legali interveniant considerationes *Status*. Contingit enim haud raro, ut res in *Judicium* adducta, versetur circa *Meum* & *Tuum*, & nihilominus consequentia ejus ad *rationes Status* penetret. Intelligo autē, ad *rationes Status* pertinere, non solum, si quid ad jura *Regalia* impetenda spectet, verum etiam si quid innovationem aliquam minus tutam, aut exemplum periculosum, introducat; aut si manifesto portionem aliquam Populi majorem gravet. Neque quisquam infirmi Judicii existimet, justas Leges adversus Politica vera, aliquid antipathiæ habere. Sunt enim hæc duo veluti spiritus & nervi, quorum alteri in alteris moventur. Recordentur etiam *Judices*, *Salomonis Thronum* Leonibus utrinque suffultum fuisse: Sint sane *Leones*, sed *Leones* sub *Throno:* caventes, ne aliquid ex *juribus Regalibus* impetant aut convellant. Postremo, ne sint *Judices* tam ignari juris, & prærogativæ suæ, ut cogitent, non sibi relinqui, tanquam muneris sui partem principalem, sanū & prudentem Legum usum, & applicationem. Etenim in animum revocare poterunt dictum illud *Apostoli* de lege humanis legibus majore; *Nos scimus quia Lex bona est, modo quis ea utatur legitime.*

LV.

DE IRA.

IRam penitus extinguere velle, ostentatio quædam *Stoicorum* est. Meliora nos nacti sumus Oracula: *Irascimini, & nolite peccare: Sol non occidat super iracundiam vestram.* Limites *iræ* apponendi sunt, & quousque, & quamdiu. Dicemus primo, quibus modis *inclinatio naturalis*, aut etiam *Habitus Iræ*, temperari possit, & leniri. Secundò, qualiter particulares *motus iræ* reprimi possint, aut saltem citra nocumentum cohiberi. Tertiò, quibus modis *ira excitari* possit, aut *sedari* in aliis.

Quantum ad primum; Non alia se ostendit via, quàm ut serio in animo revolvas mala & calamitates *Iræ*: & quam vehementer vitam humanam perturbat, & infestat. Huc autem tempestivum fuerit maxime, si pone nos respiciamus, quam primum *impetus iræ* resederit. Eleganter *Seneca*: *Iram ruinæ similem esse, quæ in aliud cadēdo se ipsam comminuit & frangit.* Hortatur *Scriptura*: *Ut animas nostras in patientia possideamus.* Certe, quicunque *patientia* excidit, de *animæ* suę possessione dejicitur. Hominis non est, *Apes* imitari,

—— *Animas quæ in vulnere ponunt.*

Ira sane, si quis recte attendat, res humilis est, & infra dignitatem hominis. Hoc liquebit, si illos intueamur, in quibus *ira* regnat: qui plerunq; ex infirmioribus sunt, *pueri*, *mulieres*, *senes*, *ægroti*. Itaq;, cum *irasci* contigerit, caveant homines, (si modo dignitatis suæ velint esse memores,) ne *iram* suam cum metu eorum quibus *irascuntur*, sed cum contemptu, conjungant; ita ut injuria superiores potius videantur, quam inferiores: Quod non difficile factu foret, si quis *iram* suam paululum regat, & inflectat.

Quantum ad Secundum; *Causæ*, & *Motiva iræ*, præcipue tres sunt. Primò, si quis *pronus* sit ad *sensum injuriæ*, nemo enim *irascitur*, nisi qui se læsum sentiat. Itaque teneri qui sunt, & delicati, ut subinde *irascantur*, necesse est; & tot se offerent quæ illis molestiam exhibebunt, quæ à Naturis robustioribus vix sentientur. Secundo, si quis *curiosus* & *perspicax* sit in *interpretatione injuriæ* illatæ, quatenus ad *Circumstantias* ejus, ac si *contemptum* spiraret. Opinio enim *contemptus*, *iram* excitat & acuit, plus quàm læsio ipsa. Itaque, si homines ad ista ingeniosi sint, *iram* miris modis incendunt. Ultimo, *opinio contumeliæ*, sive quod existimatio hominis per consequentiam lædatur & perstringatur, *iram* intendit & multiplicat. Cui rei accedit *Remedium præsentaneum*; Ut quis utatur (quod *Consalvus* dicere solebat) *tela honoris crassiore*: Sed in omnibus *Iræ* frænationibus, optimum est, tempus lucrari, & sibi ipsi persuadere, horam vindictæ nondum adesse, sed instare, quasi ad manum, opportunitatem aliquam majorem; atque hoc pacto, motum animi interim compescere, & se in tempus aliud servare. *Ira* autem, ut citra noxam erumpat, utcunq; hominem obsederit, duo sunt, quæ maxime cavenda. Prius est, *Acerbitas verborum*, præcipue *aculeatorum*, & ei, quem ferimus, propriorū; *Communia* enim *maledicta mordent minus*. Atque rursus, *Secretorum revelatio*: Hoc enim societati quēvis ineptum reddit. Posterius est, ne quis, dum *ira* fervet, *negotium*, quod in *manibus est*, *abrumpat*: sed, utcunque *iræ* frænum laxet, nihil tamen agat, quod revocari non possit.

Quantum ad *excitandam* aut *sedandam iram in aliis:* fit hoc maxime per temporum electionem prudentem. Cum subtristes homines sunt, aut aliquantulum morosi, tempus est *iram* incendendi

Deinde

Deinde, ut antea diximus, decerpendo, & inculcando, quicquid *contemptum* arguere aut aggravare possit. Rursus, *ira* sedatur per contraria hisce. Primò deligendo tempora serena, & ad hilaritatem prona, in quibus negotium aliquod ingratum, & ad iracundiam provocans, aperias; Prima enim impressio plurimum valet. Deinde, ut, quantum fieri potest, *injuriam* à *contemptu* segreges; eam imperitiæ, timori, animi concussioni repentinæ, aut simili cuipiam imputando.

LVI.

DE VICISSITUDINE RERUM.

SAlomon inquit: *Nihil novum super terram.* Itaque quemadmodum *Plato* opinatus est; *Omnem scientiam nihil aliud esse, quam reminiscentiam*: Sic *Salomon* pronunciat; *Omnem novitatem nihil aliud esse, quam oblivionem.* Ex quo cernere possis, fluvium Lethes, non minus super terram, quam subter terram, decurrere. *Astrologus* quidam abstrusus, & parum notus, asserit: *Nisi in causa fuissent res duæ constantes, (una, quod stellæ fixæ æqualem inter se distantiam perpetuò servent: nec unquam propius sibi invicem accedant, aut longius à se abscedant: altera, quod motus diurnus non variet:) ne momentum quidem temporis individuum aliquod durare potuisset.* Illud certum est, *materiam* in perpetuo fluxu esse, neq; unquam consistere. Atqui, magna illa *lintea sepulchralia*, quæ omnia oblivione involvunt, duo sunt: *Diluvia, & Terræ-motus.* Quatenus ad *Conflagrationes*, & *Siccitates* magnas, illæ populum penitus non absorbent, aut destruunt. Fabula *Phaetontas*, brevitatem conflagrationis, ad unius tantum diei spatium, repræsentavit. Atque triennalis illa à *pluvia cessatio*, tempore *Eliæ*, particularis tantum fuit, & multos superstites reliquit. *Incensiones* illas loqueris, quæ per fulmina & fulgura apud *Indias Orientales* fiunt? Angustæ quidem sunt, nec magna spatia occupant. *Pestilentias* etiam prætereo, quia nec illæ totaliter absorbent. Verum in memoratis illis duabus calamitatibus (*Diluviorum*, & *Terræ-motuum*,) super notandum est, reliquias populorum, quas emergere contigerit, plerunque homines rudes & montanos esse; quique temporum præteritorum memoriam posteris tradere non possint; Adeo ut oblivio non minus omnia involvat, quam si nulli prorsus superstites remanerẽt. Si quis attente introspiciat *Indorum Occidentalium* conditionem, probabile reperiet, eos populum juniorem esse & recentiorem, quàm populos orbis veteris. At longe verisimilius est, desolationem illam, quæ illos olim invaserat, minime per *Terræ-motus* factam, (contra, quam narrabat *Sacerdos Ægyptius*, in colloquio cum *Solone*, de *Insula Atlantide*: eam, scilicet, à *Terræ-motu absorptam esse*:) sed potius per *diluvium particulare*. *Terræ-motus* enim in illis Regionibus raro eveniunt. Verum è contraria parte, tam immania plane & vasta habent flumina, ut fluvii *Asiæ*, *Africæ*, & *Europæ*, præ illis, instar rivulorum sint. Quin & *Andes* ipsorum, sive *Montes*, nostris longe sunt altiores: Unde credibile est, reliquias stirpis hominũ, apud eos, post tale *diluvium particulare*, conservatas fuisse. Quantum vero ad observationem *Machiavelli*: nimirum, zelotypiam & æmulationem Sectarum, ad extinguendam rerum memoriam, multa molitam; qui *Gregorio Magno* notam inurit, ac si pro viribus suis Antiquitates omnes *Ethnicorum* supprimere annixus fuerit: Non video certe, hujusmodi zelos aut notabile quidpiam efficere, aut diu durare: Id quod liquet in successione *Sabiniani*: qui antiquitates easdem statim resuscitavit: Tum vero prohibita, licet tenebris cooperta, obrepunt tamen, & suas nanciscuntur Periodos.

Vicissitudines sive *Mutationes* in *Globo superiori*, fusius, in hoc Sermone, tractandæ non sunt. Forsitan, *Annus magnus Platonis*, nisi Mundus ante dissolutioni esset destinatus, aliquem sortiri possit Effectum; Non in renovandis corporibus Individuorum; (Id enim fumus & vanitas eorum est, qui opinantur, corpora Cœlestia accuratiores in hæc inferiora habere influentias, quam revera habent) Sed tantum in summis & massis rerum. *Cometæ* proculdubio aliquid operantur super easdem summas & massas rerum; verum, homines, ut nunc est, indiligentes, aut curiosi, circa eos sunt; eosque potius mirabundi spectant; atque itineraria eorundem conficiunt, quam Effectus eorum prudenter & sobrie notant; præcipue Effectus eorum comparativos: id est, *Cometa* talis magnitudinis; talis coloris & lucis; conversionis radiorum; situs, quatenus ad Regionem cœli; tempestatis anni, semitæ aut cursus, durationis; quales producat *Effectus*.

Leviculum quiddam est, quod olim inaudiveram, neque tamen prorsus contemni volo, sed in observationem aliquam venire. Ferunt, à *Belgis* notatum esse, singulis septenis lustris, similem annorum temperaturam & tempestatem cœli velut in orbem redire: Exempli gratia, Magnas glacies, inundationes magnas; magnas siccitates, hyemes tepidas, æstates frigidiores; & similia. Vocant autem hujusmodi Circulum annorum, *Primam*. Hoc autem ideo recenseo, quod oculos in præterita conjiciens, hujusce rei inveni congruentiam; haud exactam sane, sed non multum discrepantem.

Verum transeamus à *Naturalibus* ad *Humana*. Maxima apud homines *Vicissitudo*, est illa *Sectarum* & *Religionum*. Hi enim Orbes animis hominum maxime dominantur. *Religio* vera super *Petram ædificata est*: reliquæ fluctibus temporum agitantur. Dicamus igitur de *Novarum Sectarum Causis*: atque *Consilis* aliquid circa eas inspergamus; quatenus humani ingenii infirmitas tantis revolutionibus moras injicere, aut remedia exhibere poterit.

Quando *Religio recepta* discordiis laceratur; sanctitas item professorum labefactata est, & scandalo exposita; simulque tempora stupida; indocta & barbara sunt; à *Novæ* alicujus *Sectæ* ortu merito metuendum; præcipue, si eo tempore *ingenium* aliquod *intemperans*, & *Paradoxa spirans*, suboriatur: Quæ omnia tenuerunt, *Mahometes* cum *Legem* suam promulgavit. *Secta nova* licet pullulet, duobus si destituatur adminiculis, ab ea non metuas; non enim late se diffundet. Primum est, *Imperii*; sive *Auctoritatis stabilitæ oppugnatio*: Nihil enim magis populare est, quam Principatus, & Politias, convellere. Alterũ est, *Porta luxuriæ & voluptatibus aperta*: *Hæreses* enim speculativæ, (qualis fuit olim *Arrianorum*, & hodie *Arminianorũ*) etsi in hominum ingenia miris modis operentur, statum tamen Rerumpublicarum non magnopere concu-

concutient, nisi ex occasione motuum Civilium. Modi tres sunt, quibus *novæ Sectæ* plantantur: *Miraculis, Eloquentiâ, & Gladio.* Equidem *Martyria* inter *Miracula* numero, quoniam vires naturæ humanæ excedere videntur. Idem etiam facere licet de excelsa illa & admirabili *vitæ sanctimonia.* Certè, non alia melior via est ad *Sectarum* & *Schismatum* ortus repellendos, quàm abusuum reformatio; dissidiorum minorum pacificatio: leniter à principio procedere, & à sanguinariis persecutionibus abstinere; Schismatum denique Coryphæos, favoribus potiùs & dignitatibus mollire atque allicere, quàm violentiâ & sævitiâ exacerbare.

Mutationes & Vicissitudines in *rebus bellicis* haud paucæ sunt: Sed præcipuè in tribus versantur: In *Sede belli*, in *Genere armorum*; & in *Disciplina militari. Bellæ*, antiquis temporibus, *movere* videbantur ex *Oriente* potissimùm in *Occidentem*: Etenim *Persæ*, *Assyrii*, *Arabes*, *Scythæ*, (qui invasores erant,) omnes Orientales fuerunt. Verum est, *Gallos* fuisse Occidentales; Sed de duabus tantùm ipsorum incursionibus legimus: Una in *Gallo-Græciam*, altera contra *Romanos.* Attamen Oriens & Occidens cœli Climata non determinant; neque etiam *Belli motus*, ab Oriente, aut ab Occidente, aliquid certæ observationis recipiunt. Sed Meridies, & Septentrio, naturâ fixi sunt: Atque raro in omni memoria invenitur, Meridionales interiores invasisse Septentrionales: sed è contra. Unde manifestum est, Tractum Mundi Septentrionalem, naturâ ipsâ, magis esse *bellicosum*: Sive hoc ascribi possit hujus Hemisphærii Stellis; sive amplitudini continentium ad partes Septentrionales, cùm partes Australes (quantum adhuc innotuit) maria ferè occupant; sive (id quod manifestissimum est,) frigoribus Climatis Borealis; Nam hoc ipsum, absque alia causa quacunque, corpora indurat, spiritus inflammat, ut liquet in populo *Auracensi*: qui ad ulteriora *Austri* positi, omnibus *Peruviensibus* fortitudine longè præcellunt.

Imperio aliquo magno *labascente*, & in viribus fracto, pro certo *bella* expectes. Etenim *Imperia* magna dum in vigore sunt, Copias nativas Provinciarum enervant & destruunt, propriis cohortibus domi fidentia; Cùm autem & illæ deficiunt, omnia ruunt, atque aliis Gentibus in prædam cedunt. Hoc evenit in declinatione *Imperii Romani*: atque etiam in Imperio Occidentali, post *Carolum Magnum*, cùm aves singulæ plumas suas repeterent: Atque simile quidpiam etiam *Imperio Hispano* contingere possit, si quando viribus decideret. Ex altera parte, *accessiones* magnæ *Ditionum*, & *uniones Regnorum*, similiter *bella* suscitant: Etenim, cùm Status aliquis in potentiam majorem insurgit, similis est fluvio intumescenti, qui inundationem statim minatur; ut videre est in Imperiis *Romanorum*, *Turcarum*, *Hispanorum*, & aliorum. Attende: Cùm Mundus *Nationibus Barbaris* minùs abundet, sed civiliores ferè sunt: Qui uxores temerè non ducent, nec liberos progignent, nisi modum familiam alendi, aut saltem victum parandi, præviderint: (ut fit in omnibus propè Nationibus, hodierno die, exceptis *Tartaris:*) non ingruit periculum ab *Inundationibus* aut *migrationibus Populorum.* At cùm populorum greges magni sunt, qui perpetuò sobolem suscipiunt, de fortunis & sustentatione sua in futurum minimè solliciti, necessarium est, ut in sæculo uno aut altero portionem aliquam multitudinis suæ exonerent, & novas sedes quærant, & sic alias *Nationes* invadant: Quod Populi Septentrionales veteres sorte facere solebant, sortes dantes; quæ pars domi maneret, quæ autem aliò migraret. Cùm *Gens* aliqua, priùs *bellicosa*, ad mollitiem & luxuriam degenerat, de *bello* certa esse possit: Status enim tales, plerumque dum degenerant, opes accumulant; adeò ut præda invitet, & declinatio virium animet gentes alias, ad eosdem invadendos.

Quantum ad *Armorum* & *Telorum* genus: Illorum mutationes sub observationem vix cadunt. Attamen & hæc ipsa Periodos & *Vicissitudines* suas sortiuntur. Pro certo enim est, *Tormenta ænea*, apud Urbem *Oxydracarum* in *India*, tempore *Alexandri Magni*, cognita fuisse: eaque à *Macedonibus*, *Tonitrua*, & *Fulgura*, & *Operationes Magicas*, habita & appellata. Similiter, indubitatum est, usum *Pulveris Pyrii*, & *Tormentorum igneorum*, *Chinensibus*, ante annos bis mille, innotuisse. Conditiones *Telorum*, & mutationes in melius, hæ sunt. Primò, ut ad distantiam majorem feriant: Id enim periculum, ab hostili parte, anticipat: quod certè *Tormenta* & *Sclopeta* majora præstant. Secundò, ut impetus eorum fortior & validior sit; in quo genere *Tormenta ignea*, *Arietationes* omnes & antiquas machinas item superant. Tertiò, ut usus eorum commodior & facilior sit. Id quod etiam *Tormentis igneis majoribus* competit: quæ omnibus tempestatibus idonea, vecturâ levia & mobilia sunt; & his similia.

Quod ad *Militiam* attinet: Antiquis temporibus numerum præcipuè curabant; virtuti & animis militum, in bellis gerendis, fidebant: dies sæpiùs & loca præliandi constituebant, & æquo Marte experiebantur; denique in acie instruenda & ordinanda imperitiores ferè erant. Posteà, *numerum* præoptabant, commodum potiùs quàm vastum; locorum opportunitates, diversionum artificia, & similia, captabant; postremò, in acie ipsa instruenda peritiores evadebant.

In Reipublicæ alicujus *adolescentia*, arma florent; ætate mediâ, *Literæ*; ac deinceps, ad moram aliquam, duo illa simul florere solent: devexa autem ætate, *Artes Mechanicæ & Mercaturæ. Literæ* verò suam habent infantiam, quando leviusculæ sunt & pueriles: Sequitur earum adolescentia, quando luxuriantur, & juvenile quiddam sapiunt: Succedit ætas virilis, quando solidiores & exactiones leveniunt. Postremò senectus earum obrepit, cùm siccæ & exhaustæ fiunt; manento tamen garrulitate. Verùm consultum non fuerit, in rotas hasce *Vicissitudinum* nimis longùm oculos figere, ne vertigine corripiamur. Quatenus verò ad *Philologiam*, quæ in hoc Argumento, ut plurimùm, versatur, nihil aliud est, quàm Narratiuncularum & Observationum futilium congeries quædam; ideòque Scripto huic minimè congruit.

LVII.
QUOMODO PROFECTUS IN VIRTUTE faciendus sit.

PLurima confici possunt præcepta, de prudenti Institutione Exercitationum animi non minùs quàm corporis. Illorum paucula recensebimus.

Primum erit, ut jam in principio caveamus, à *pensis, vel magis arduis, vel magis pusillis*, quàm res postulat: Nam si oneris nimium imponatur apud ingenium mediocre, benè sperandi alacritatem obtundes: apud ingenium fiduciæ plenum, opinionem concitabis, quâ plus sibi polliceatur, quàm præstare possit; quod secum trahit socordiam. In utroque autem ingenii temperamento fiet, ut experimentum expectationi non satisfaciat: Id quod animum semper dejicit, & confundit. Quòd si pensa leviora fuerint, magna inducitur, in progressionis summa, jactura.

Secundum erit, ut ad *exercendam facultatem aliquam, quò Habitus comparetur, duo* inprimis *tempora observentur*: Alterum, quando animus optimè fuerit ad rem dispositus: Alterum, quando pessimè: Ut ex priore, plurimum in via promoveamus; ex posteriore, nodos obiceesque animi contentione strenuâ deteramus: unde tempora media facilè & placidè labentur.

Tertium erit illud præceptum, cujus Aristoteles obiter meminit: *Ut totis viribus* (citra tamen vitium) *nitamur in contrarium illius, ad quod naturâ maximè impellimur*: Sicut cùm in adversum gurgitis remigamus: aut baculum incurvum, ut rectum fiat, in contrarium flectimus.

Quartum præceptum ex illo Axiomate pendet, quod verissimum est; *Animum ad quæcunque feliciùs trahi & suavius, si illud, quò tendimus, in intentione operantis non sit principale, sed tanquam aliud agendo superetur*; quoniam ita fert natura, ut necessitatem & imperium durum fermè oderit. Sunt & alia multa, quæ utiliter præcipi possunt de regimine *consuetudinis*: *Consuetudo* enim si prudenter & peritè inducatur, fit reverà (ut vulgò dicitur) *altera natura*: Quòd si imperitè & fortuitò administretur, erit tantùm *Simia* naturæ; quæ nihil ad vivum imitetur, sed inscitè tantùm, & deformiter.

Similiter, si de *Libris* & *Studiis*, eorumque ad *Mores* virtute & influentia, verba facere vellemus: Num nam desunt plurima pręcepta, & consilia fructuosa, eò spectantia? Annon unus ex Patribus, magna cum indignatione, *Poësin* appellavit *Vinum Dæmonum*: cùm reverà progignat plurimas tentationes, cupiditates & opiniones vanas? Annon prudens admodùm, & digna, quæ benè perpendatur, est Sententia Aristotelis: *Juvenes non esse idoneos Moralis Philosophiæ auditores*; quia in illis perturbationum æstuatio nondum sedata est, nec tempore & rerum experientiâ consopita? Atque ut verum dicamus, annon ideò fit, ut Scriptorum priscorum præstantissimi libri & sermones, (quibus ad virtutem homines efficacissimè invitati sunt; tàm *angustam* ejus *majestatem* omnium oculis repræsentando? quàm opiniones populares, in virtutis ignominiam, tanquam *Habitu Parasitorum* indutas, derisui propinando,) tàm parùm prosint, ad vitæ honestatem, & mores pravos corrigendos, quia perlegi & revolvi non consueverunt à viris, ætate & judicio maturis, sed pueris tantùm & tironibus relinquuntur? An non & hoc verum est, juvenes multò minùs *Politicæ*, quàm *Ethicæ*, auditores idoneos esse, antequam *Religione* & *Doctrina de moribus & officiis* planè imbuantur; ne fortè judicio depravati & corrupti, in eam opinionem veniant, non esse rerum differentias morales veras & solidas, sed omnia ex utilitate aut successu metienda? Sicut Poëta canit:

Prosperum & felix scelus Virtus vocatur.

Et rursus:

Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema.

Ac Poëtæ quidem hæc satyricè & per indignationem loqui videntur: At *Libri* nonnulli *Politici* idem seriò & positivè supponunt. Sic enim Machiavello dicere placet: *Quòd si contigisset, Cæsarem bello superatum fuisse, Catilina ipso fuisset odiosior.* Quasi verò nihil interfuisset, præter fortunam solam, inter Furiam quandam, ex libidine & sanguine conflatam, atque animum excelsum, & inter homines naturales maximè omnium (si ambitio abfuisset) suspiciendum. Videmus etiam ex hoc ipso, quàm necessarium sit, homines, *Doctrinas pias & Ethicas*, antequam *Politicam* degustent, plenis faucibus haurire: Nimirum, quòd qui in Aulis Principum, & negotiis Civilibus, à teneris (ut ajunt) unguiculis innutriti sunt, nunquam ferè sinceram & internam morum probitatem assequantur: quantò minùs si accesserit etiam librorum disciplina? Porrò, & in documentis ipsis moralibus, vel saltem aliquibus eorum, annon cautio pariter est adhibenda, ne indè fiant homines pertinaces, arrogantes & insociabiles, juxta illud Ciceronis de M. Catone: *Hæc bona, quæ videmus, divina & egregia, ipsius scito esse propria: quæ nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non à natura, sed à magistris.* Sunt & Axiomata alia complura, de iis, quæ à *Studiis* & *Libris*, hominum animis ingenerantur. Verum est enim quod dicit ille: *Abeunt studia in mores.* Quod pariter affirmandum de cæteris illis rebus, *Convictu, Fama, Legibus patriis*, & reliquis, quas paulò antè recensuimus.

Cæterùm animi quædam est *cultura*, quæ adhuc magis accurata & elaborata videtur, quàm reliquæ. Nititur autem hoc fundamento; *Quòd omnium mortalium animi, certis temporibus, reperiuntur in statu perfectiore: aliis, in statu magis depravato.* Hujus igitur culturæ intentio fuerit & institutum, ut *bona* illa *tempora* foveantur; *prava* verò tanquam ex Kalendario deleantur, & expungantur. Ac *bonorum* quidem *temporum fixatio* duobus modis procuratur: *Votis*, aut saltem *constantissimis animi Decretis* & *Observantiis*, atque *Exercitationibus*; quæ non tantum in se valent, quantum in hoc, quòd animum in officio & obedientia jugiter contineant. *Malorum temporum obliteratio* duplici itidem ratione perfici potest: *Redemptione aliqua*, vel *Expiatione præteritorum*; & *Novo vitæ instituto*, veluti *de integro*. Verùm hæc pars ad Religionem planè spectare videtur: Nec mirum, cùm *Moralis Philosophia* vera & genuina (sicut antè dictum est) ancillæ tantùm vices erga Theologiam suppleat.

Quamobrem concludemus hanc partem cum eo *Remedio*, quod omnium est maximè compendiosum & summarium; & rursus maximè nobile & effi-

& efficax, quò animus ad virtutem efformetur, & in ſtatu collocetur perfectioni proximo. Hoc autem eſt, *ut fines vitæ actionumq; diligamus, & nobis ipſis proponamus, rectos, & virtuti congruos: qui tamen tales ſint, ut eos aſſequendi nobis aliquatenus ſuppetat facultas.* Si enim hæc duo ſupponantur: ut & *fines Actionum ſint honeſti, & boni; & decretum animi de iis aſſequendis, & obtinendis, fixum ſit & conſtans*; ſequetur, ut continuò vertat & efformet ſe animus, una opera in virtutes omnes. Atque hæc certè, illa eſt operatio, quæ *Naturæ ipſius opus* referat: cùm reliquæ, quæ diximus, videantur eſſe ſolummodò ſicut *Opera manus.* Quemadmodum enim *Statuarius*, quando ſimulachrum aliquod ſculpſit aut incidit, illius ſolummodò partis figuram effingit, circa quam manus occupata eſt, non autem cæterarum: (veluti ſi faciem efformet, corpus reliquum rude permanet & informe ſaxum, donec ad illud quodque pervenerit:) è contra verò *Natura*, quando florem molitur, aut animal, rudimenta partium omnium ſimul parit & producit: Eodem modo, quando virtutes habitu acquiruntur, dum temperantiæ incumbimus, ad fortitudinem, aut reliquas, parùm proficimus: quando autem *rectis & honeſtis finibus* nos dedicaverimus penitùs, & devoverimus, quæcunque fuerit virtus, quam animo noſtro commendaverint & imperaverint fines illi, reperiemus nos jam dudum imbutos & prædiſpoſitos habilitate & propenſione nonnullâ, ad eam aſſequendam & exprimendam. Atqui hic poſſit eſſe ſtatus ille animi, qui egregiè ab Ariſtotele deſcribitur: & ab eo, non *Virtutis*, ſed *Divinitatis* cujuſdam charactere inſignitur. Ipſa ejus verba hæc ſunt: *Immanitati autem conſentaneum eſt opponere eam, quæ ſupra humanitatem eſt, Heroicam* ſive *Divinam virtutem.* Et paulò pòſt: *Nam ut ferè, neque vitium, neque virtus eſt, ſic neque Dei. Sed hic quidem ſtatus, altius quiddam virtute eſt: ille aliud quiddam à vitio.* Plinius certè Secundus, ex licentia magniloquentiæ Ethnicæ, Trajani virtutem, divinæ, non tanquam imitamentum, ſed tanquam exemplar, proponit, cùm ait: *Opus non eſſe Hominibus alias ad Deos preces fundere, quàm ut benignos æquè & propitios ſe Dominos mortalibus præſtarent, ac Trajanus præſtiſſet.* Verùm hæc profanam Ethnicorum jactantiam ſapiunt, qui umbras quaſdam corpore majores prenſabant: Ut Religio vera, & ſancta Fides Chriſtiana, rem ipſam petit; imprimendo animis hominum charitatem, quæ appoſitiſſimè *Vinculum perfectionis* appellatur, quia virtutes omnes ſimul colligat, & revincit. Sanè elegantiſſimè dictum eſt à Menandro, de *amore ſenſuali*, qui *divinum* illum perperam imitatur: *Amor, melior Sophiſta lævo, ad humanam vitam.* Quibus innuit, morum decus meliùs ab amore efformari, quàm à Sophiſta & præceptore inepto, quem *lævum* appellat. Siquidem univerſis ſuis operoſis regulis & præceptionibus hominum tàm dextrè & expeditè effingere nequeat, ut ſeipſum & in pretio habeat, & ſe bellè in omnibus componat, quàm amor facit. Sic procul dubio, ſi animus cujuſpiam, fervore *Charitatis* veræ, incendatur, ad majorem perfectionem evehetur, quàm per univerſam *Ethnicam doctrinam*: quæ *Sophiſtæ* profectò habet rationem, ſi cum altera illa conferatur. Quin etiam, ſicut Xenophon rectè obſervavit: *Cæteros affectus, licèt animum attollant, eum tamen diſtorquere & diſcomponere, per ecſtaſes, & exceſſus ſuos: Amorem verò ſolum, eum ſimul & dilatare, & componere:* Sic omnes aliæ humanæ, quas admiramur, dotes, dum naturam in majus exaltant, exceſſui interim ſunt obnoxiæ: Sola autem *Charitas* non admittit exceſſum. Angeli, dum ad potentiam, Divinæ parem, aſpirarent, prævaricati ſunt, & ceciderunt: *Aſcendam, & ero ſimilis Altiſſimo.* Homo dum ad ſcientiam, Divinæ parem, aſpiraret, prævaricatus eſt, & lapſus: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Verùm ad ſimilitudinem, Divinæ *bonitatis*, aut *charitatis*, aſpirando, nec Angelus, nec homo, unquam in periculum venit, aut veniet. Imò ad hanc ipſam *imitationem* etiam invitamur: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Quin & in ipſo Archetypo naturæ Divinæ, verba ſic collocat religio Ethnica (*Optimus, Maximus:*) Scriptura autem ſacra pronunciat: *Miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus.*

LVIII.
DE CIVILI CONVERSATIONE.

Converſatio certè affectata eſſe non debet, at multò minùs neglecta: cum prudentia in ejus moderamine, & decus quoddam morum in ſe ipſa præ ſe ferat; & ad negotia, tàm publica, quàm privata, commodè adminiſtranda, plurimùm juvet. Etenim ſicut Actio Oratori tanti habetur, (licèt ſit externum quiddam) ut etiam illis alteris partibus, quæ graviores & interiores videntur, anteponatur: Eodem ferè modo, in Viro Civili *Converſatio*, ejuſque regimen (utcunque in exterioribus occupetur (ſi non ſummum, at certè eximium locum invenit. Quale enim pondus habet, *Vultus* ipſe ejuſque compoſitio? Rectè Poeta:

Nec vultu deſtrue verba tuo

Poterit enim quis *vim orationis vultu* labefactare, & planè prodere. Quin & *Facta*, non minùs quàm *Verba*, *vultu* pariter deſtrui poſſint, ſi Ciceroni credamus: qui cùm fratri affabilitatem commendaret erga Provinciales, non in hoc eam potiſſimùm ſitam dixit, ut aditus præberet ad ſe faciles, niſi etiam *vultu* ipſo comiter accedentes excipiret: *Nil intereſt, habere oſtium apertum, vultum clauſum.* Videmus quoque, Atticum, ſub primum Ciceronis cum Cæſare congreſſum, bello adhuc fervente, diligenter & ſeriò Ciceronem per epiſtolam monuiſſe de *Vultu* & *Geſtu* ad dignitatem & gravitatem componendis. Quòd ſi tantum poſſit *Oris* & *Vultus* ſolius moderatio, quantò magis *Sermo familiaris*, & alia, quæ ad *Converſationem* pertinent? Atque ſanè Summa & Compendium decori, & elegantiæ morum, in hoc ferè ſita ſunt; ut quaſi æquâ lance, & propriam dignitatem, & aliorum, metiamur & tueamur. Quod etiam non malè expreſſit Titus Livius, (licèt alii rei intentus,) eo perſonæ charactere: *Ne* (inquit) *aut arrogans videar, aut obnoxius: quorum alterum eſt alienæ libertatis obliti; alterum, ſuæ.* Ex contraria verò parte, ſi *Vrbanitati*, & elegantiæ morum externæ impenſiùs ſtudeamus, tranſeunt illæ in affectationem quandam deformem, & adulterinam:

Quid enim deformius, quàm scenam in vitam transferre? Quin etiam, licèt in excessum illum vitiosum minimè prolabantur; temporis tamen nimiùm in hujusmodi leviculis absumitur, animusque ad curam ipsarum, magis quàm oportet, deprimitur. Ideòque sicut in Academiis adolescentes literarum studiosi, aut sodalium congressibus plus satis indulgentes, moneri solent à Præceptoribus: *Amicos esse fures temporis.* Sic certè assidua ista, in *Conversationis* decorum, animi intentio, magnum gravioribus meditationibus furtum facit. Deinde, qui primas adeò in *Vrbanitate* obtinent, & ad hanc rem unam quasi nati videntur, hoc ferè habent, ut sibi ipsis in illa sola complaceant, & ad virtutes solidiores, & celsiores, vix unquam aspirent: Quando è contra, qui sibi in hac parte defectus sunt conscii, decus ex bona existimatione quærunt: Ubi enim adest bona existimatio, omnia ferè decent; ubi verò illa deficit, tum demum, à commoditate morum, atque *Vrbanitate*, subsidium petendum est. Porrò, ad res gerendas, vix gravius aut frequentius reperias impedimentum, quàm hujusce decori externi curiosam nimis observationem; atque illud alterum, quod huic ipsi inservit; nimirum, anxiam temporis atque opportunitatum electionem. Egregiè enim Salomon: *Qui respicit ad ventos, non seminat: Qui respicit ad nubes, non metit:* Creanda siquidem nobis est opportunitas, sæpius quàm opperienda. Ut verbo dicamus, *Vrbana* ista morum *compositio*, veluti vestis animi est: Proinde vestis commoditates referre debet. Primùm enim, talis esse debet, ut sit in usu communi: Rursus, ut non sit nimis delicata aut sumptuosa: Deinde, ita conficienda, ut si qua sit in animo virtus, eam exhibeat maximè conspicuam: Si qua deformitas, eandem suppleat; & occultet: Postremò, & super omnia, ne sit nimis arcta, atque ista animum angustet, ut ejusdem motus in rebus gerendis cohibeat & impediat.

Vide Tract. de Augm. Scient.

FINIS.

FRAN.

FRANCISCI BACONI, BARONIS DE VERVLAMIO, VICE-COMITIS SANCTI ALBANI, AC SUMMI ANGLIÆ CANCELLARII,

DE

SAPIENTIA VETERVM LIBER,

Ad Inclytam Academiam Cantabrigiensem.

Impensis Johannis Baptistæ Schönvvetteri.

Anno clɔ Iɔc LXVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illustrissimo Viro

COMITI SARISBURIENSI,

Summo Thesaurario Angliæ, & Cancellario Academiæ Cantabrigiensis.

QUæ Academiæ Cantabrigensi dicantur, tibi jure Cancellarii accrescunt; quæ autem à me proficisci possunt omnia, tibi nomine proprio debentur. Illud magis videndum, num ista, ut tibi debita, ita etiam te digna sint: atque quod in illis minimum est (ingenium authoris) id propter tuum propensum in me animum, nihil officiet; cætera dedecori non erunt. Nam si tempus spectetur; antiquitas primæva summam venerationem habet: Si docendi forma; Parabola veluti Arca quædam est, in qua pretiosissima quæque Scientiarum reponi consueverunt: Si operis materiæ; ea Philosophia est, vitæ scilicet atque animæ humanæ, Decus secundum. Fas sit enim dixisse, quamvis, Philosophia, seculo nostro veluti per senium repuerascens, adolescentibus, & ferè pueris relinquatur: Eam tamen omnium rerum, post religionem, gravissimam, atque naturâ humanâ maximè dignam esse, planè censeo. Etiam Politica, in qua te mirabilem præbes, & facultate, & meritis, & sapientissimi Regis judicio, ab eodem fonte emanat, ejusque pars magna est. Quòd si cui ista, quæ affero, vulgata esse videantur: certè quid effecerim, judicium meum non est; id tamen secutus sum, ut manifesta, & obsoleta, & Locos Communes prætervectus, aliquid etiam, ad vitæ ardua, & Scientiarum Arcana conferam. Erunt itaque captui vulgari, vulgaria: altiorem autem intellectum fortasse non deserent, sed potiùs (ut spero) deducent: Verum dum huic operi, dignitatem nonnullam astruere conor, quòd ad te dicatum sit; periculum est, ne modestiæ fines transeam, cùm à me sit susceptum. Tu verò illud tanquam pignus affectus erga te mei, & observantiæ, & animi maximè devoti accipies, eique præsidium nominis tui imperties. Quare cùm tot & tanta sustineas, tempora tua diutiùs non morabor, sed finem faciam, tibi fœlicia omnia comprecatus, & perpetuò futurus

Tibi & studio suo, & beneficiis tuis
devinctissimus,

Fr. Baconus.

ALMÆ MATRI, INCLYTÆ

Academiæ Cantabrigiensi.

CUm sine Philosophia me certè nec vivere juvet; meritò vos in magno honore habeo, à quibus mihi ista vitæ præsidia, & solatia fluxerint. Itaque hoc nomine, & me, & mea vobis debere profiteor, quò minùs mirum sit, si vos vestris remunerem; ut motu naturali redeant, à quo traxerint originem. Et tamen nescio quomodo, rara videntur *Vestigia vos retrorsum spectantia*: cùm infinita à vobis profecta sint. Nec nimium mihi sumam (ut opinor) si sperem, propter rerum usum mediocrem, quod nostrum vitæ genus, & institutum necessariò traxit; nonnullam ad hominum doctorum inventa, per hæc nostra, factam esse accessionem. Equidem in ea Opinione sum, Contemplationes in vitam activam translatas, nonnihil novi decoris, & vigoris acquirere; & suppetente uberiore materia, & magis altas fortasse radices agere, aut certè magis proceras, & frondosas evadere. Neque vos (ut arbitror) ipsi nostis, quàm latè pateant Vestra, quàmque ad multa pertineant. Æquum est tamen omnia vobis attribui, atque in vestrum honorem cedere, cùm accessiones quæque Principiis magna ex parte debeantur. Neque verò ab homine occupato, aliquid exquisitum, aut otii miracula, & prærogativas requiretis; sed & hoc amori meo summo erga vos, & vestra, tribuetis; quòd inter rerum Civilium spinas, hæc non prorsus perierint, sed vobis vestra servata sint. Valete.

Alumnus vester amantissimus,
Fr. Baconus.

INDEX

INDEX FABULARUM
Priſcæ Sophiæ, hoc Libro contentarum.

I. Caſſandra, *ſive Parrheſia.*	pag. 1249.	XVII. Cupido, *ſive Atomus.*	*ibid.*
II. Typhon, *ſive rebellis.*	*ibid.*	XVIII. Diomedes, *ſive Zelus.*	1270.
III. Cyclopes, *ſive miniſtri terroris.*	1251.	XIX. Dædalus, *ſive Mechanicus.*	1272.
IV. Narciſſus, *ſive Philautia.*	1252.	XX. Ericthonius, *ſive impoſtura.*	1273.
V. Styx, *ſive Fœdera.*	1253.	XXI. Deucalion, *ſive Reſtitutio.*	ibid.
VI. Pan, *ſive Natura.*	1254.	XXII. Nemeſis, *ſive Vices Rerum.*	1274.
VII. Perſeus, *ſive Bellum.*	1259.	XXIII. Achelous, *ſive Prælium.*	1275.
VIII. Endymion, *ſive gratioſus.*	1261.	XXIV. Dionyſius, *ſive Cupiditas.*	1276.
IX. Soror Gigantum, *ſive Fama.*	*ibid.*	XXV. Atalanta, *ſive Lucrum.*	1278.
X. Actæon & Pentheus, *ſive Curioſus.*	1262.	XXVI. Prometheus, *ſive Status hominis.*	1279.
XI. Orpheus, *ſive Philoſophia.*	1263.	XXVII. Icarus Volans, *item* Scylla & Charybdis, *ſive via media.*	1285.
XII. Cœlum, *ſive Origines,*	1264.	XXVIII. Sphynx, *ſive Scientia.*	1286.
XIII. Proteus, *ſive Materia.*	1266.	XXIX. Proſerpina, *ſive ſpiritus.*	1288.
XIV. Memnon, *ſive Præmaturus.*	1267.	XXX. Metis, *ſive Conſilium.*	1290.
XV. Tythonus, *ſive Satietas.*	*ibid.*	XXXI. Sirenes, *ſive Voluptas.*	*ibid.*
XVI. Procus Junonis, *ſive Dedecus.*	1268.		

Præfatio.

ANtiquitatem primævam (exceptis quæ in Sacris literis habemus) oblivio & ſilentium involvit; Silentia antiquitatis Fabulæ poetarum exceperunt. Fabulis tandem ſucceſſore ſcripta quæ habemus, adeo ut Antiquitatis Penetralia, & receſſus à ſequentium Sæculorum Memoria, & evidentia tanquam velo Fabularum diſcreta & ſeparata ſint quod ſe interpoſuit & objecit medium, inter ea quæ perierunt, & ea quæ extant. Equidem exiſtimo plerosque in ea opinione fore, me delicias ac ludos facere; atq; ſimilem ferè licentiam in tranſferendis fabulis uſurpare, ac ipſi poetæ ſibi ſumpſerint in fingendis; quod pro meo jure ſanè facere poſſem, ut contemplationibus magis arduis; hæc ad voluptatem, ſive meditationis propriæ, ſivè lectionis alienæ aſpergerem. Neque me latet quàm verſatilis materia ſit Fabula, ut huc illuc trahi, imò & duci poſſit; quantumque ingenii commoditas & diſcurſus valeat, ut quæ nunquam cogitata ſint, bellè tamen attribuantur. Etiam illa cogitatio animum ſubit, uſum huiuscè rei jam pridem contaminatum eſſe. Multi enim, ut inventis & placitis ſuis antiquitatis venerationem acquirerent, poetarum Fabulas ad ea traducere conati ſunt. Atque vetus illa vanitas & frequens, nec nuper nata, aut rarò uſurpata eſt. Nam & olim Chryſippus, Stoicorum opiniones vetuſtiſſimis poetis, veluti Somniorum aliquis interpres adſcribere ſolebat; Et magis inſulsè, Chymici, Ludos & delicias Poetarum in Corporum tranſformationibus, ad fornacis experimenta tranſtulerunt. Hæc (inquam) cuncta nobis ſatis & explorata, & expenſa ſunt, omnemque ingeniorum circa allegorias levitatem & indulgentiam perſpeximus, & notavimus, neque propterea omnino de ſententia decedimus. Primò enim abſit, ut paucorum ineptiæ & licentia, Parabolarum honori in genere detrahant. Hoc enim prophanum quiddam ſonat, & audax, cùm hujusmodi velis & umbris Religio gaudeat, ut qui eas tollat, Commercia divinorum, & humanorum ferè interdicat. Verùm de humana Sapientia videamus. Fateor certè ingenuè & libenter, me in hanc ſententiam propendere, ut non paucis antiquorum Poetarum fabulis Myſterium, & Allegoriam jam ab origine ſubeſſe putem; ſive captus veneratione priſci ſæculi, ſivè quòd in nonnullis fabulis reperio tantam, & tam evidentem cum ſignificato ſimilitudinem & conjunctionem, tum in textura ipſa fabulæ, tum in proprietate nominum, quibus perſonæ, ſive Actores fabulæ, inſigniti & veluti inſcripti prodeunt, ut ſenſum illum ab initio præceptum & cogitatum fuiſſe, & de induſtria adumbratum, nemo conſtanter negaverit. Quis enim ita durus eſt, & ad aperta cæcutiens, ut cùm audiat Famam, Gygantibus extinctis; tanquam ſororem Poſthumam progenitam eſſe, non illud ad Murmura partium & famas ſeditioſas, quæ ſopitis Rebellionibus ad tempus vagari ſolent, referat? Aut cùm Audiat Typhonem Gygantem, nervos Jovis ſecuiſſe, & abſtuliſſe, ac Mercurium ejus ſuffuratum eſſe, & Jovi reddidiſſe; non ſtatim advertat hoc ad rebelliones prævalidas pertinere, quæ Regibus nervos & pecuniarum, & authoritatis incidunt, ita tamen; ut per Sermonum Cohortatem, & prudentia Edicta, animi ſubditorum, non ita multò pòſt quaſi furtim reconcilientur, & vires Regibus reſtituantur? Aut cùm audiat in illa memorabili Deorum contra Gygantes Expeditione, Aſinum Sileni cùm ruderet, maximi momenti ad profligandos Gygantes fuiſſe; non liquidò cogites hoc de vaſtis Rebellium conatibus, qui plerunque

per inanes rumores & terrores vanos dissipantur, confictum fuisse? Etiam Nominum conformitas & indicium, eui tandem hominum obscurum esse potest? cùm Metis *uxor* Jovis *planè consilium sonet;* Typhon *tumorem,* Pan *Universum,* Nemesis, *vindictam, & similia. Neque illud quenquam moveat, si aliquid interdùm historia subsit, aut si nonnulla Ornamenti gratiâ addita sint; aut si tempora confundantur, aut si ex una fabulâ quippiam transferatur in aliam, & nova Allegoria inducatur. Necesse enim fuit hæc fieri, cùm Inventa Virorum fuerint, qui & ætate disjuncti, & instituto diversi erant; cùm alii antiquiores, alii recentiores fuerint, alii rursus naturam rerum, alii res civiles sibi proponerent. Habemus etiam & aliud sensus occulti, & involuti signum non parvum, quòd nonnullæ ex fabulis tam absurdæ narratione ipsâ, & insulsæ inveniantur, ut Parabolam etiam ex longinquo ostentent, & veluti elament. Quæ enim probabilis est fabula, etiam ad voluptatem, & historiæ similitudinem conficta existimari potest: Quod autem nulli in mentem venisset cogitare, aut narrare, id in alios usus quæsitum videtur. Quale enim figmentum illud?* Jovem, Metin *in uxorem accepisse, eamque statim ut gravidam sensisset comedisse, unde ipse gravidus fieri cœpit, & Palladem armatam ex capite peperit? Equidem existimo nulli mortalium obvenire, vel somnium tam extra cogitationis vias situm, & monstrosum. Ante omnia illud apud nos maximè valuit, & plurimum ponderis habuit, quòd ex fabulis complures nullo modo nobis videntur ab eis inventæ, à quibus recitantur & celebrantur,* Homero, Hesiodo, *reliquis; Si enim liquidò nobis constitisset eas ab illa ætate, atque illis authoribus manâsse, à quibus commemorantur, & ad nos devenerunt; nil magni certè, aut excelsi ab hujusmodi origine nobis (ut nostra fert conjectura) expectare, aut suspicari in mentem venisset. Verùm si quis attentiùs rem consideret, apparebit, illas tradi, & referri tanquam prius creditas, & receptas, non tanquam tum primò excogitatas, & oblatas. Quin etiam cùm diversis modis à Scriptoribus ferè Cœvis referantur, facilè cernas quod commune habent ex veteri memoria desumptum, in quo variant, ex singulorum ornatu additum. Atque hæc res existimationem earum apud nos auxit, ac si nec Ætatis, nec Inventionis poetarum ipsorum essent; sed veluti Reliquiæ Sacra & Aura tenues, Temporum meliorum; quæ ex traditionibus Nationum magis Antiquarum in Græcorum Tubas, & Fistulas incidissent. Quod si quis obstinato animo contendat, Allegoriam in fabula semper subdititiam, & impositam, nec omninò nativam, & genuinam fuisse; ei molesti non erimus, sed gravitatem illam judicii, quam affectat, licèt hebetiorem & ferè plumbeam, remittemus; atque illum (si modo dignus sit) alio modo, tanquam de integro adoriemur. Duplex apud homines repertus est, atque increbuit Parabolarum usus, atque quod magis mirum sit, ad contraria valet. Faciunt enim Parabolæ ad Involucrum & Velum; faciunt etiam ad lumen; & illustrationem. Atque misso illo usu priore (potiùs quàm lites suscipiamus) & receptis Fabulis antiquis, tanquam rebus vagis, & ad delectationem compositis; Manet tamen proculdubio posterior iste usus, neque ulla ingenii violentia nobis extorqueri possit, neque impediet quisquam (qui sit mediocriter doctus) quin protinus recipiatur Modus iste docendi, tanquam res gravis & sobria, atque omnis vanitatis expers, & Scientiis apprimè utilis, imò & quandoque necessaria, nimirum, ut in inventis novis, & ab opinionibus vulgaribus remotis & penitiùs abstrusis, aditus ad intellectum humanum magis facilis & benignus per parabolas quæratur. Itaque antiquis Sæculis, cùm rationis humanæ inventa, & conclusiones etiam eæ, quæ nunc tritæ & vulgatæ sunt, tunc temporis novæ & consuetæ essent, omnia Fabularum omnigenum, & Ænigmatum & Parabolarum, & Similitudinum plena erant: atque per hæc docendi ratio, non occultandi artificium quæsitum est; rudibus scilicet tunc temporis hominum ingeniis, & subtilitatis, nisi quæ sub sensum cadebat, impatientibus, & ferè incapacibus. Nam ut* Hieroglyphica *literis, ita* Parabolæ *Argumentis antiquiores erant Atque etiam nunc, si quis novam in aliquibus lucem humanis mentibus affundere velit, idque non incommodè & asperè, prorsus eâdem via insistendum est, & ad similitudinum auxilia confugiendum. Quare quæ dicta sunt, ita claudemus.* Sapientia *prisci Sæculi, aut magna, aut fœlix fuit: Magna, si de industria excogitata est Figura sive Tropus: Fœlix, si homines aliud agentes, materiam & occasionem tantæ contemplationum dignitati præbuere. Operam autem nostram (si quid in ea sit, quod juvet) in neutra re malè collocatam censebimus. Aut enim antiquitatem illustrabimus, aut res ipsas. Neque nescius esse possum, hanc rem ab aliis tentatam esse: sed tamen ut quod sentiam, eloquar, idq; non fastidiosè, sed liberè, ejus decus & virtus ex huiusmodi laboribus, licet magnis & operosis, fere periit: dum homines rerum imperiti & non ultra locos certos Communes docti, parabolarum sensus vulgaria quædam, & generalia applicaverunt, atq; earundem vim veram & proprietatem genuinam, ac indagationem altiorem non attigerunt. Nos autem erimus (ni fallimur) ni rebus vulgatis novi, & aperta & plana à tergo relinquentes, ad ulteriora; & nobiliora tendemus.*

DE SAPIENTIA VETERUM.

I.
CASSANDRA, SIVE PARRESIA.

NArrant *Cassandram* ab *Apolline* adamatam fuisse, atque variis artificiis ejus desideria elusisse, spes nihilominus fovisse, quousque donum Divinationis ab eo extorsisset; tum verò nactam quod ab initio dissimulatione sua quæsivisset, preces ejus aperte rejecisse: Illum, cùm quod temere largitus erat, nullo modo revocare posset, & tamen vindicta arderet, nec fœminæ callidæ ludibrio esse vellet, muneri suo pœnam addidisse; ut illa quidem vera semper prædiceret, sed nemo ei crederet; itaque vaticiniis ejus veritas affuit, fides defuit: quod illa perpetuò experta est, etiam in excidio Patriæ suæ, de qua sæpius monuerat, nemine auscultante, aut credente. Fabula de intempestiva, & inutili libertate consiliorum, & monitorum conficta videtur: Qui enim ingenio sunt pervicaci & aspero, nec se *Apollini*, id est, Deo Harmoniæ submittere volunt, ut rerum modos, & mensuras, sermonumque veluti tonos, acutos & graves, aurium etiam magis peritarum & magis vulgarium differentias, tempora denique tum loquendi tum silendi ediscant & observent: licet sint prudentes & liberi, & consilia sana afferant & bonà; nunquam tamen ferè suasu & impetu suo proficiunt, neque ad res tractandas efficaces sunt; sed potius exitium eis, apud quos se ingerunt, maturant, & tum demum post calamitatem & eventum, ut vates & in longum prospicientes celebrantur. Atque hujus rei exemplum eminet in *M. Catone Uticensi.* Ille enim interitum Patriæ, & Tyrannidem primo & conspiratione, deinde ex contentione *Cæsaris* cum *Pompejo* secutam, diu ante, tanquam è specula prævidit, & tanquam ex oraculo prædixit, sed nil profecit interim, verum obfuit potius, & mala patriæ acceleravit. Id quod prudenter advertit, & eleganter describit *M. Cicero*, cùm ad amicum ita scribat: *Cato optime sentit, sed nocet interdum Reipublicæ: loquitur enim tanquam in Republica Platonis, non tanquam in fæce Romuli.*

II. TY-

II.
TYPHON, SIVE REBELLIS.

NArrant Poëtæ *Iunonem* indignatam, quod *Iupiter Palladem* & sese, sine ea peperisset, omnes Deos, atque Deas precibus fatigâsse, ut ipsa etiam sine *Iove* partum ederet. Et postquam violentiæ, & importunitati ejus annuissent, terram illa concussit, & quo motu *Typhon* natus est, Monstrum ingens, ex horrendum. Ille serpenti veluti Nutritio datus est, ut ab eo aleretur. Nec mora, postquam adolevisset, quin bellum *Iovi* moveret. In eo conflictu *Iupiter* in potestatem Gygantis venit, qui illum in humores sublatum in regionem remotam, & obscuram transportavit, & concisis nervis & manuum & pedum, & secum abreptis, mancum, & mutilatum reliquit. *Mercurius* autem nervos *Iovis Typhoni* suffuratus est, eaque eos *Iovi* restituit. *Iupiter* confirmatus, Belluam rursus impetiit; ac primùm fulmine vulneravit, ex cujus sanguine serpentis nati sunt. Tum demum ruentem, & fugientem (*Ætnam* super eum jaculatus) mole montis oppressit. Fabula de fortuna Regum variâ & Rebellionibus, quæ in Monarchis quandoque evenire consueverunt, conficta est. Reges enim regnis suis, ut *Iupiter Iunoni*, veluti Matrimonii vinculo juncti rectè censentur; sed accidit nonnunquam, ut imperandi consuetudine depravati, & in Tyrannidem vergentes, omnia ad se trahant, & contempto Ordinum, & Senatus sui consensu, ex sese pariant: id est, ex arbitrio proprio, & imperio mero cuncta administrent. Id populi ægre ferentes, & ipsi moliuntur Caput aliquod rerum ex sese creare, & extollere. Ea res ex occulta sollicitatione nobilium, & procerum fere initia sumit, quibus conniventibus, tum populi suscitatio tentatur; ex qua Tumor quidam rerum (per *Typhonis* infantiam significatus) sequitur. Atque iste rerum status ab insita Plebis pravitate & natura maligna (Serpente Regibus infestissimo) nutricatur. Defectione autem viribus coalita, postremo res in apertam rebellionem erumpit; quæ quia infinita mala & Regibus & populis infligit, sub dira illa *Typhonis* effigie repræsentatur, in qua centum capita ob divisas potestates, Ora flammantia ob incendia, Anguium cingula ob pestilentias, (præsertim in obsidionibus) Manus ferreæ ob cædes, ungues Aquilini ob rapinas, Corpus plumis contectum ob perpetuos Rumores, & nuncios & trepidationes, & hujusmodi. Atque interdum Rebelliones istæ, tam præ validæ sunt, ut Reges cogantur, tanquam à Rebellibus transportati, relictis Regni sedibus & urbibus primariis, vires contrahere, & in remotam aliquam, & obscuram Provinciam ditionis suæ se recipere, Nervis & Pecuniarum, & Majestatis accisis: Sed tamen non ita multò post Fortunam prudenter tolerantes, virtute & industria *Mercurii* Nervos recipiunt, hoc est, affabiles facti, & per edicta prudentia & sermones benignos, reconciliatis subditorum animis & voluntatibus, tandem alacritatem ad impensas conferendas, & novum Auctoritatis vigorem excitant. Nihilominus prudentes, & cauti aleam fortunæ tentare plerumque nolunt, & à pugna abstinent, sed tamen operam dant, ut aliquo facinore memorabili existimationem Rebellium frangant. Quod si ex voto succedat, illi vulneris accepti conscii, & rerum suarum trepidi, primò ad fractas & inanes minas veluti Serpentum sibilos se vertunt. Dein de rebus desperatis fugam capessunt. Atque tum demum postquam ruere incipiant, tutum est, & tempestivum Regibus, copiis & universa mole regni tanquam *Ætnæ* Monte, vos persequi, & Opprimere.

III.
CYCLOPES, SIVE MINISTRI TERRORIS.

NArrant *Cyclopes*, ob feritatem & immanitatem primo à *Iove* in *Tartarum* detrusos, & perpetuo carceri adjudicatos fuisse: verùm postea *Tellus Iovi* persuasit, ei non abs re fore, si eos vinclis liberaret, ad eorum operâ & fulmina fabricanda uteretur. Quod ad factum est, atque illi officiosi, & industrii fulmina atque alia terroris Instrumenta assiduo opere & minaci strepitu fecerunt.

Tempore autem labente evenit, ut *Iupiter Æsculapio Apollinis* filio succenseret, ob hominem medicinâ à morte excitatum; Iram autem tegens, (quia parum justa indignandi causa suberat ob facinus pium, & celebre) *Cyclopes* in eum secretò instigavit, qui nihil cunctati fulmine eum interemêre: In cujus rei vindictam *Apollo Iove* non prohibente, sagittis eos confecit.

Fabula ad Regum facta pertinere videtur. Illi enim Ministros sævos, & sanguinarios, & exactores primo suppliciis afficiunt, & à rebus summovent. Postea ex consilio *Telluris*, id est, ignobili & parum honorifico, præ valente utilitate eos rursus adhibent; sicubi aut executionum severitate, aut exactionum acerbitate opus est. Illi natura truces, & ex priore fortuna exasperati, & satis sentientes, quid ab illis expectetur, miram diligentiam in hujusmodi rebus præstant; sed parum cauti, & ad gratiam ineundam & aucupandam præcipites, aliquando ex secretis Principum nutibus & incertis mandatis invidiosam aliquam executionem peragunt. Principes autem invidiam declinantes, & satis gnari hujusmodi instrumenta nunquam sibi defutura, eos destituunt; & propinquis & amicis eorum, qui pœnas subierunt, atque horum declinationibus & vindictæ & odio populari eos relinquunt, unde magno plausu, & prosperis in reges votis & acclamationibus, sero magis quàm immerito pereunt.

IV.
NARCISSUS, SIVE PHILAUTIA.

N*Arcissus* fuisse traditur formâ, & venustate mirabilis, sed suberat superbia ingens, & fastidium intolerandum. Itaque cùm sibi placeret, alios despiceret, vitam egit solitariam in sylvis, & venationibus, cum paucis comitibus, quibus ipse omnia erat. Assectabatur etiam eum ubique Nympha Eccho. In hoc vitæ instituto fatale ei erat ad fontem quendam lympidum venire, & juxta eum sub æstum mediæ diei

diei decumbere. Cum autem in aqua Imaginem propriam aspexisset, in contemplationem sui ac deinde in admirationem effusus, & raptus, nullo modo ab hujusmodi spectro, & simulacro distrahi poterat; sed perpetuo defixus, obtorpuit; ac tandem in florem nominis sui conversus est; qui flos ineunte Vere se ostendit, & Diis inferis, Plutoni, Proserpinæ & Eumenidibus sacer est. Fabula illorum & ingenia & fortunas repræsentare videtur, qui sive ob formam, sive ob aliquas alias dotes, quibus ab ipsâ naturâ, nulla accedente industriâ propriâ, ornati & insigniti sunt, effusè seipsos amant, & quasi depereunt. Cum hoc enim animi statu conjunctum fere est; ut non multum in publico, aut in rebus civilibus versentur; cùm in eo vitæ genere necesse sit occurrere multos neglectus & vilipendia, quæ animos eorum dejicere & turbare possint. Itaque vitam plerumque degunt solitariam, & privatam, & umbratilem, cum perpauco comitum delectu, eoque ex iis, qui illos magnoperè colere, & admirari videntur, quique illis veluti Eccho in omnibus dictis suis assentantur, & verborum obsequia præstant. Ex hac consuetudine depravatos, & inflatos, & tandem admiratione suiipsius attonitos, mira occupat desidia & inertia, ut prorsus torpeant, & omni vigore, & alacritate destituantur. Eleganter autem sumitur flos vernus ad hujusmodi ingeniorum similitudinem, cùm illa ingenia sub initia sua floreant, & celebrentur, sed ætate confirmata exspectationem de iis conceptam destituant, & frustrentur. Eodem pertinet, quod flos ille Diis inferis sacer sit; quia homines talis indolis ad omnia inutiles prorsus evadunt. Quicquid autem nullum ex se fructum edit, sed (veluti via navis in mari) transit, & labitur, id apud antiquos umbris, & Diis inferis consecrari solebat.

V.
STYX, SIVE FOEDERA.

PErvulgata est narratio, & in compluribus fabulis, interponitur, de unico illo juramento, quo Dii superi se obstringere solebant, cùm pœnitentiæ locum sibi nullo modo relinqui volebant. Illud juramentum nullam Majestatem cœlestem, nullum Attributum divinum advocabat, & testabatur; sed *Stygem*, Fluvium quendam apud inferos, qui atria Ditis, multis spiris interfusus cingebat. Hæc enim formula sacramenti sola, neque præter eam alia quæpiam, firma habitâ est, & inviolabilis; scilicet incumbebat pœna perjurii, Diis imprimis metuenda, ut qui fefellisset, ad Deorum convivia per certa annorum spatia non accederet. Fabula de Fœderibus, & pactis Principum conficta videtur; in quibus illud nimio plus quam oporteret, verum est; Fœdera quacunq; solennitate, & religione Juramenti munita, parum firma esse, adeo ut ferè ad existimationem quandam & famam, & ceremoniam, magis quàm ad fidem, & securitatem, & effectum adhibeantur. Quin si accesserint etiam affinitatis vincla veluti sacramenta naturæ, si merita mutua, tamen omnia infra ambitionem, & utilitatem, & Dominationis licentiam esse, apud plerosque reperiuntur. Tanto magis, quod Principibus facile sit per prætextus varios, & speciosos, cupiditates suas, & fidem minus sinceram (nemine rerum arbitro, cui ratio sit reddenda) tueri, & velare. Itaque unum assumitur verum, & proprium fidei firmamentum, neq; illud Divinitas aliqua Cœlestis. Ea est Necessitas, (Magnum potentibus Numen;) & Periculum Status, & Communicatio utilitatis. Necessitas autem per *Stygem* eleganter repræsentatur, Flumen fatale, & irremeabile. Atq; hoc numen advocavit ad Fœdera *Iphicrales Atheniensis*, qui quoniam inventus est, qui ea apertè loqueretur, quæ plerique tacitè animo volvunt, non abs re sit, ipsius verba referre. Is cùm Lacedæmonios, varias Cautiones & Sanctiones, & Fœderum firmamenta, & vincula excogitare & proponere animadverteret, interfatus; *Vnum* (inquit) *Lacedæmonii, nobis vobiscum vinculum, & securitatis ratio esse possit, si planè demonstretis, vos ea nobis concessisse, & inter manus posuisse, ut vobis facultas lædendi nos, si maximè velletis, minimè suppetere possit.* Itaque si facultas lædendi sublata sit, aut si ex fœdere rupto periculum ingruat perditionis, aut diminutionis statûs, aut vectigalium, tum demùm fœdera rata & sancta tanquam Juramento *Stygis* confirmata censeri possint: Cùm metus subsit interdicti illius & Suspensionis à Conviviis Deorum; sub quo nomine Imperii jura, & prærogativæ, & Affluentia & fœlicitas antiquis significantur.

VI.
PAN, SIVE NATURA.

ANtiqui universam Naturam sub persona *Panis* diligentissimè descripserunt; *Hujus* generationem in dubio relinquunt. Alii enim asserunt eum à *Mercurio* genitum; alii longè aliam generationis formam ei tribuunt; Ajunt enim Procos universos cum *Penelope* rem habuisse, ex quo promiscuo concubitu, *Pana* Communem filium ortum esse. Atque in hac posteriore narratione, procul dubio, aliqui ex recentioribus, veteri fabulæ, nomen *Penelopes* imposuêre, quod & frequenter faciunt, cum narrationes antiquiores, ad personas & nomina juniora traducunt, idque quandoq; absurdè & insulsè; ut hic cernere est; Cùm *Pan* ex antiquissimis Diis, & longè ante tempora *Vlyssis* fuerit, atque insuper *Penelope* ob matronalem castitatem Antiquitati vrnerabilis haberetur. Neque prætermittenda est tertia illa generationis explicatio: quidam enim prodiderunt, eum Jovis, & Hybræos, id est, Contumeliæ filium fuisse. Utcunque orto, *Parcæ* illi sororis fuisse perhibentur. Effigies autem *Panis* talis ab antiquitate describitur: Cornutus, cornibus usque ad Cœlum fastigiatis, corpore toto hispidus, & villosus, barbâ imprimis promissâ Figura biformis, humanâ quoad superiora, sed semifera, & in Capræ pedes desinens. Gestabat autem insignia Potestatis, sinistrâ, fistulam, ex septem calamis compactam; dextrâ Pedum, sive lignum, superiùs curvum, & inflexum; Induebatur autem *Chlamide* ex pelle *Pardalis*. Potestates ei & munera hujusmodi attribuuntur, ut sit Deus Venatorum, etiam Pastorum, & in universum Ruricolarum; Præses item Montium: erat etiam proximus *Mercurio* Nuncius Deorum. Habebatur insuper Dux, & Imperator Nympharum, quæ circa eum perpetuò Choreas ducere, & tripudiare solebant: comitabantur & Satyri, & his Seniores Sileni. Habebat etiam

etiam potestatem terrores immittendi præsertim inanes, & superstitiosos, qui & Panici vocati sunt. Res gestæ autem ejus non multæ memorantur: Illud præcipuum; quod Cupidinem provocavit ad luctam, à quo etiam in certamine victus est. Etiam *Typhonem* Gygantem retibus implicavit, & cohibuit: atque narrant insuper, cùm Ceres mœsta, & ob raptam Proserpinam indignata, se abscondisset, atque Dii omnes ad eam investigandam magnoperè incubuissent, & se per varias vias dispertiti essent, *Pani* solummodò ex fœlicitate quadam contigisse, ut inter venandum eam inveniret, & indicaret. Ausus est quoque cum *Apolline* de victoria Musices decertare, atque etiam *Myda* judice prælatus est: ob quod Judicium *Mydas* asininas aures tulit, sed clàm & secretò. Amores *Panis* nulli referuntur, aut saltem admodum rari, quod mirum inter turbam Deorum prorsùs tam profusè amatoriam videri possit. Idque solummodo ei datur, quod Eccho adamaret, quæ etiam uxor ejus habita est, atque unam etiam Nympham *Syringam* nomine, in quam propter iram, & vindictam *Cupidinis* (quem ad luctam provocare non reveritus esset) incensus est. Neque etiam prolem ullam suscepit (quod similiter mirum est, cùm Dii præsertim Masculi prolifici admodùm essent) nisi quod ei tribuatur tanquam filia, muliercula quædam Ancilla *Iambe* nomine, quæ ridiculis narratiunculis oblectare hospites solebat, ejusque proles ex conjuge *Eccho* esse, à nonnullis existimatur. Fabula nobilis, si quæ alia, atque naturæ arcanis & mysteriis gravida & quasi distenta.

Pan (ut & nomen ipsum etiam sonat) universitatem rerum, sive Naturam repræsentat & proponit. De hujus origine, duplex omninò sententia est; atque adeò esse potest: aut enim à *Mercurio* est, verbo scilicet Divino, (quod & sacræ literæ extra controversiam ponunt, & Philosophis iis, qui magis divini habiti sunt, visum est;) aut ex confusis rerum seminibus. Qui enim unum rerum principium posuerunt, aut ad Deum illud retulerunt, aut si materiatum principium volunt, illud tamen potentia varium asseruerunt: adeò ut omnis hujusmodi controversia, ad illam distributionem reducatur, ut Mundus sit, vel à Mercurio, vel à Procis omnibus.

Namq; canebat uti magnum per inane coacta
Semina, terrarumq; animæq; Marisq; fuissent
Et liquidi simul ignis, & hi is exordia primis.
Omnia & ipse tener Mundi concreverit Orbis.

Tertia autem generatio *Panis* ejusmodi est, ut videantur Græci aliquid de Hebræorum Mysteriis, vel per Ægyptios internuncios, vel utcunque inaudivisse; pertinet enim ad statum *Mundi* non in meris Natalibus suis, sed post Lapsum *Adami*, morti, & corruptioni expositum, & obnoxium factum. Ille enim status, Dei, & Peccati Proles fuit, ac manet. Itaque triplex ista narratio de generatione *Panis*, etiam vera videri possit, si ritè & rebus, & temporibus distinguatur: Nam iste *Pan*, quem intuemur, & contemplamur, ac nimio plus quàm oportet colimus, ex verbo Divino, mediante confusâ Materiâ (quæ & ipsa à Deo creata erat,) & subintrante Prævaricatione, & corruptione ortum habet. Naturæ rerum, Fata rerum, sorores verè perhibentur & ponuntur; naturalium siquidem Causarum Catenæ Ortus rerum, & Durationes, & Interitus, & Depressiones, & Eminentias, & Labores, & fœlicitates, & Fata deniqúe omnia, quæ rebus accidere possunt, trahunt. Cornua autem Mundo attribuuntur. Quod verò Cornua hujusmodi ab imo latiora, ad verticem acuta sint. Id eo spectat; Quod omnis rerum natura similitar Pyramidis acuta sit: Individua enim infinita sunt: ea colliguntur in species, & ipsas multiplices: *Species* rursus insurgunt in genera, atque hæc quoque ascendendo in magis generalia contrahuntur, ut tandem natura tanquam in unum coire videatur. Neque mirum est *Panis* Cornua etiam Cœlum ferire; cùm summitates Naturæ sivè Ideæ universales etiam ad divina quodam modo pertingant. Paratus enim, & propinquus est, transitus à *Metaphysica* ad *Theologiam* naturalem. *Corpus* autem *Naturæ* elegantissimè, & verissimè depingitur Hirsutum, propter rerum Radios: Radii enim sunt tanquam Naturæ crines, sive villi, atque omnia ferè vel magis vel minus radiosa sunt, quod in facultate visus manifestissimum est, nec minùs in omni virtute & operatione ad distans: Quidquid enim operatur ad Distans, id etiam Radios emittere rectè dici potest, sed maximè omnium prominet *Barba Panis*, quia Radii corporum Cœlestium maximè ex longinquo operantur & penetrant. Quin & Sol, quando parte superiore ejus nube obvolutâ Radii inferiùs erumpunt, ad aspectum Barbatus cernitur. Etiam Corpus Naturæ rectissimè describitur Biforme, ob differentiam Corporum Superiorum, & Inferiorum. Illa enim ob pulchritudinem & motus æquabilitatem & constantiam, nec non Imperium in terram, & terrestria, meritò sub humanâ figurâ repræsentantur: Hæc autem ob perturbationem, & motus incompositos, & quòd à cœlestibus regantur, Bruti animalis figurâ contenta esse possunt. Eadem corporis descriptio pertinet ad participationem specierum. Nulla enim Natura simplex videri potest, sed tanquam ex duobus participans & concreta.

Habet enim homo nonnihil ex *Bruto*, Brutum nonnihil ex Plantâ, Planta nonnihil ex Corpore inanimato, omniaque revera biformia sunt, & ex specie superiore, & inferiore compacta. Acutissima autem est Allegoria de pedibus Capræ, propter motum ascensionis Corporum terrestrium versus Regiones Aëris & Cœli: Capra enim animal scansorium est, eaque è rupibus pendere, atque in præcipitiis hærere amat; quod etiam res licèt inferiori Globo destinatæ, miris modis faciunt, ut in Nubibus & Meteôris manifestissimum est. Insignia autem in manibus *Panis* duplicia. Alterum Harmoniæ, alterum Imperii. Fistula enim ex septem Calamis, conventum rerum, & Harmoniam, sive concordiam cum discordiâ mistam, quæ ex septem stellarum Errantium motu conficitur, evidenter ostendit. Pedum autem illud etiam nobilis translatio est; propter vias Naturæ partim Rectas, partim Obliquas. Præcipuè autem lignum, sive Virga, versus superiorem partem, curva est; quia omnia providentiæ divinæ

opera

opera in Mundo ferè per Ambages, & Circuitus fiunt; ut aliud agi videri possit, aliud interim reverà agatur; ut *Iosephi* venditio in *Ægyptum*, & similia. Quin etiam in Regimine humano omni prudentiore, qui ad gubernacula sedent, populo convenientia per prætextus & vias obliquas fœliciùs quæ volunt, quàm ex directo superinducunt, & insinuant; adeò ut omnis Imperii virga sive Bacillũ verè superiùs inflexũ sit. Vestis *Panis* & amiculum ingeniosè admodùm ex pelle *Pardalis* fuisse fingitur; propter maculas ubique sparsas; Cœlum enim Stellis, *Maria* Insulis, Tellus floribus consperguntur, atque etiam res particulares ferè variegatæ esse solent circa superficiem, quæ veluti rei Chlamys est. Officium autem Panis nullâ aliâ re tam ad vivum proponi, atq; explicari potuerit, quàm ut Deus venatorum sit: Omnis enim naturalis actio, atque adeò motus & processus, nihil aliud quam venatio est. Nam & scientiæ & Artes opera sua venantur, & Consilia humana fines suos, atque res naturales omnes vel alimenta sua tanquam prædam, vel voluptates suas tanquam Solatium venantur, idque modis peritis & sagacibus.

Torva Leæna Lupum sequitur, lupus ipse Capellam,
Florentem Cythisum sequitur lasciva Capella.

Etiam Ruricolarum in genere *Pan* Deus est, quia hujusmodi homines magis secundùm naturam vivunt, cùm in Urbibus & Aulis Natura à cultu nimio corrumpatur; ut illud Poëtæ amatorium verum sit,

—— Pars minima est ipsa Puella sui.

Montium autem inprimis Præses dicitur Pan, quia in montibus & locis editis Natura rerum panditur, atque oculis & contemplationi magis subjicitur. Quod alter à *Mercurio* Deorum Nuncius sit *Pan*, ea Allegoria planè divina est, cùm proxime post verbum Dei, ipsa Mundi Imago, divinæ potentiæ & Sapientiæ præconium sit. Quod & Poëta divinus cecinit: *Cœli enarrant gloriam Dei. atque opera manuum ejus indicat Firmamentum. Pana* autem oblectant Nymphæ; Animæ scilicet: Deliciæ enim Mundi, Animæ viventium sunt: Ille autem meritò earum Imperator, cùm illæ naturam quæque suam veluti Ducem sequantur, & circa eam cum infinita varietate, veluti singulæ more patrio saltent, & Choreas ducunt, motu neutiquàm cessante: Una perpetuò comitantur Satyri & Sileni: Senectus scilicet & Juventus, Omnium enim rerum est ætas quædam hilaris & saltatrix: atque rursus ætas tarda & bibula: Utriusque autem ætatis studia verè contemplanti (tanquam *Democrito*) fortasse ridicula, & deformia videntur, instar Satyri alicujus aut Sileni. De *Panicis* autem terroribus prudentissima doctrina proponitur: Natura enim rerum omnibus viventibus indidit metum, ad formidinem vitæ atque essentiæ suæ conservatricem, ac mala ingruentia vitantem & depellentem; Veruntamen eadem Natura modum tenere nescia est; Sed timoribus salutaribus semper vanos, & inanes admiscet, adeò ut omnia (si intus conspici darentur) *Panicis* terroribus plenissima sint; præsertim humana; quæ superstitione (quæ verè nihil aliud, quàm *Panicus* terror est) in immensum laborant; maximè Temporibus duris, & trepidis & adversis. Quod verò attinet ad audaciam *Panis*, & Pugnam per Provocationem cum *Cupidine*; id eo spectat, quia Materia non caret inclinatione & appetitu ad dissolutionem Mundi & recidivationem in illud Chaos antiquum, nisi prævalidâ rerum concordiâ (per Amorem, sive *Cupidinem* significatâ) malitia & impetus ejus cohiberetur & in ordinem compelleretur: Itaque bono admodum hominum & rerum fato fit, ut illud certamen *Pan* adversum experiatur, & victus abscedat. Eòdem prorsus pertinet & illud de *Typhone* in retibus implicato; quia utcunque aliquando vasti, & insoliti rerum tumores sint (id quod *Typhon* sonat) sive intumescant maria, sive intumescant nubes; sive intumescat Terra, sive alia: tamen rerum Natura hujusmodi corporum Exuperantias, atque Insolentias, Reti inextricabili implicat, & coërcet, & veluti catenâ adamantinâ devincit. Quod autem inventio *Cereris* huic Deo attribuitur, idque inter venationem; reliquis Diis negatur, licet sedulò quærentibus, & illud ipsum agentibus; monitum habet verum admodùm & prudens; hoc est, ne rerum utilium, ad vitam & cultum Inventio, qualis fuit segetum, à Philosophis Abstractis, tanquam Diis Majoribus, expectetur; licet totis viribus in illud ipsum incumbant, sed tantummodò à *Pane*, id est Experientia sagaci & rerum Mundi notitia universali, quæ etiam casu quodam ac veluti inter venandum in hujusmodi inventa incidere solet. Illud autem Musices certamen, ejusque eventus, salutarem exhibet doctrinam, atque eam, quæ rationi & judicio humano gestienti, & se efferenti sobrietatis vincula injicere possit. Duplex enim videtur esse *Harmonia*, & quasi Musica; altera Providentiæ Divinæ, altera rationis Humanæ. Judicio enim humano, ac veluti auribus Mortalium, Administratio Mundi & Rerum, & judicia divina secretiora sonant aliquid durum, & quasi obsonum: quæ inscitia licet Asininis auribus meritò insignatur, tamen & ipsæ illæ aures secretò, nec palàm gestantur: Neque enim hujusce rei deformitas à vulgo conspicitur, aut notatur. Postremò, minime mirum est, si nulli Amores *Pani* attribuantur, præter Conjugium Ecchus; Mundus enim seipso, atque in se rebus omnibus fruitur: qui amat autem, frui vult, neque in Copia, desiderio locus est. Itaque mundi Amores esse nulli possunt, nec patiendi Cupido, cum seipso contentus sit, nisi fortasse sermones: ij sunt Nympha, Eccho, aut si accuratiores sint, Syringa. Inter Sermones autem, sive voces, excellenter ad conjugium mundi sumitur sola Eccho; Ea enim demùm vera est Philosophia, quæ mundi ipsius voces fidelissime reddit, & veluti dictante mundo, conscripta est; & nihil aliud est quàm ejusdem simulacrum & reflexio, neque addit quicquam de proprio, sed tantum iterat, & resonat. Ad mundi etiam sufficientiam & Perfectionem pertinet, quod prolem non edat. Ille enim

per

per Partes generat, per Totum autem quomodo generare possit? cum Corpus extra ipsum non sit. Nam de filiâ ejus Putativa, muliercula illa, est sanè ea adjectio quædam ad Fabulam sapientissima; per illam enim repræsentantur eæ, quæ perpetuis temporibus passim vagantur, atque omnia implent, vaniloquæ de rerum Natura Doctrinæ, re ipsa infructuosæ, genere quasi subditiæ, garrulitate verò interdum jucundæ, interdum molestæ & importunæ.

VII.

PERSEUS, SIVE BELLUM.

Perseus traditur fuisse à Pallade missus ad obtrũcandam *Medusam*, quæ populis plurimis ad Occidentem in extremis Hiberiæ partibus maximæ calamitati fuit. Monstrum enim hoc tam dirum atque horrendum fuit, ut aspectu solo homines in saxa verteret. Erat autem è Gorgonibus una ac sola Martialis Medusa; cum Passivæ reliquæ non essent. Itaque *Perseus* ad tam nobile facinus se comparans, arma ac dona à tribus Diis accepit: Talares alas à *Mercurio*, à *Plutone* Galeam, Scutum à *Pallade*, & Speculum. Neque tamen licèt tanto apparatu instructus, ad Medusam rectè perrexit, sed primum ad *Græas* divertit, Eæ sorores ex altera parente Gorgonibus erant. Atque *Grææ* istæ Canæ jam à Nativitate erant, & tanquam vetulæ. Oculis autem iis tantummodo & dens erat omnibus unicus, quos prout exire foras quamque contigerat, vicissim gestare, reversæ autem iterum deponere solebant: Hunc itaque oculum atque hunc dentem illæ *Perseo* commodarunt. Tum demùm cum se abundè ad destinata perficienda instructum judicaret, ad *Medusam* properavit impiger & volans: Illam autem dormientem offendit; Neque tamen aspectui ejus (si evigilaret) se committere audebat, sed Cervice reflexa, in Speculum Palladis inspiciens atque hoc modo ictus dirigens, caput ei abscidit. Ex sanguine autem *Medusæ* fuso, statim *Pegasus* alatus emicuit. Caput enim abscissum *Perseus* in Scutum Palladis inseruit, cui etiamnum sua mansit vis, ut ad ejus intuitum omnes seu attoniti aut syderati obrigerent. Fabula de Belligerandi ratione & prudentia conficta videtur. Atque in ipsa de bello suscipiendo, & degenere belli eligendo deliberatione, tria proponit præcepta sana, & gravia, tanquam ex Consilio Palladis. Primò ut de subjugatione Nationum Finitimarum quis non admodum laboret. Neque enim eadem est patrimonii, & imperii amplian di ratio. Nam in possessionibus privatis, vicinitas prædiorum spectatur: sed in propagando Imperio, Occasio & belli conficiendi facilitas, & fructus, loco vicinitatis esse debent. Certè Romani, quo tempore Occidentem versus, vix ultra Liguriam penetraverant, Orientis provincias usque ad Montem Taurum armis & imperio complexi sunt. Itaque *Perseus* licèt Orientalis, tamen longinquam expeditionem, usque ad extrema Occidentis minimè detractavit. Secundò Curæ esse debet, ut justa & honorifica subsit belli causa: Id enim & alacritatem tum militibus, tum populis impensas conferentibus addit & societates aperit, & conciliat, & plurimas denique commoditates habet. Nulla autem belli causa magis pia sit, quàm debellatio Tyrannidis, sub qua populus succumbit, & prosternitur sine animis & vigore, tanquam sub aspectu Medusæ. Tertiò prudenter additur; quod cum tres Gorgones fuerint (per quas bella repræsentantur) *Perseus* illam delegerit, quæ fuerit Mortalis; hoc est bellum ejus conditionis, quod confici, & ad exitum perduci posset, nec vastas, aut infinitas spes persecutus est. Instructio autem *Persei* ea est, quæ ad Bellum unicè confert, & fortunam ferè trahit. Accepit enim celeritatem à *Mercurio*, Occultationem Consiliorum ab *Orco*, & Providentiam à Pallade. Neque caret Allegoriâ, eâque prudentissima, quod Alæ illæ celeritatis Talares, non Axillares fuerint, atque pedibus non humeris additæ; quia non tam in primis belli aggressibus, quam in eis quæ sequuntur, & primus subsidio sunt, Celeritas requiritur: Nullus enim error in bellis magis frequens est, quàm quod Prosecutiones, & subsidiarii Impetus, Initiorum alacritati non respondent. Etiam illa Providentiæ Divisio (Nam de Galeâ *Plutonis*, quæ homines invisibiles reddere solebat, Parabola manifesta est) ingeniosa videtur de scuto, & speculo; neque enim ea Providentia solùm adhibenda est, quæ cavet instar Scuti, sed illa altera per quam hostium vires, & motus, & consilia cernuntur, instar speculi *Palladis*. Verùm *Perseo* utcunque copiis aut animis instructo, restat aliud quiddam maximi per omnia momenti antequam incipiatur bellum, nimirum ut divertat ad *Græas*. *Grææ* autem Proditiones sunt, Bellorum scilicet Sorores, non Germanæ illæ quidem, sed generis nobilitate quasi impares. Bella enim generosa, Proditiones degeneres & turpes. Earum descriptio elegans est, ut canæ à nativitate sint, & tanquam Vetulæ, propter perpetuas Proditorum Curas & Trepidationes: Earum autem vis (antequam in manifestam defectionem erumpant) aut in Oculo, aut in Dente est: Omnis enim Factio à statu quopiam alienata, & speculatur, & mordet: Atque hujusmodi Oculus & Dens tanquam Communis est. Nam quæ didicerunt, & noverunt, ferè per manus factionis ab uno ad alterum transeunt, & percurrunt. Et quod ad Dentem attinet, uno ferè ore mordent, & similem Cantilenam canunt, ut si unum audias, omnes audias. Itaque *Perseo* conciliandæ sunt istæ Grææ, ut Oculum, & Dentem ei commodent: Oculum ad Indicia, dentem ad rumores ferendos, & invidiam conflandam, & animos hominum solicitandos. His itaque dispositis, & præparatis, sequitur ipsa Belli actio. In eâ Medusam dormientem invênit: Prudens enim belli susceptor, semper ferè hostem assequitur imparatum & securitati propiorem: Atque nunc tandem speculo Palladis opus est. Plurimi enim ante ipsa pericula res hostium acutè & attentè introspicere possunt; sed in ipso periculi articulo præcipuus est usus speculi, ut modus periculi cernatur, terror non offundatur: (quod per illum intuitum capite averso significatur) A bello perfecto sequuntur effecta duo: Primùm *Pegasi* illa generatio & exuscitatio, quæ satis evidenter Famam denotat, quæ per omnia

volat & victoriam celebrat: Secundum Gestatio capitis *Medusæ* in scuto; siquidem nullum præsidij genus huic ob præstantiam comparari possit. Unicum enim tacinus insigne, & memorabile fœliciter gestum, & perpetratum, omnes inimicorum motus cohibet, atq; malevolentiam ipsam stupidam reddit.

VIII.

ENDYMION, SIVE GRATIOSUS.

PAstor *Endimion* traditur à *Luna* fuisse adamatus: novum autem, & singulare erat consuetudinis genus, siquidem ille decumbebat in nativa quadam specu, sub Saxis *Latmiis*; *Luna* autem haud raro de Cœlo perhibetur descendisse, & sopiti Oscula petiisse, ac rursus in Cœlum se recipisse. Neque tamen Otium istud, & somnus in detrimentum fortunarum ejus cedebat. Sed *Luna* interim effecit, ut pecus ejus pinguesceret admodum, ac numero etiam fœlicissimè auctum esset, ut nulli pastorum greges essent lætiores, aut numerosiores. Fabula ad ingenia & mores Principum pertinere videtur. Illi enim cogitationum pleni, & in suspiciones propensi, non facilè ad consuetudinem vitæ interiorem recipiunt homines qui sunt perspicaces, & curiosi, & quasi animo vigilantes, sive exsomnes: sed potius eos, qui ingenio sunt quieto, & morigero, & quod placitum est illis patiuntur, & nil ultra inquirunt, sed se veluti ignaros & nil sententes & quasi sopitos præbent; denique magis obsequium simplex, quam observantiam callidam præstant. Etenim cum hujusmodi hominibus Principes de Majestate sua, veluti *Luna* de Orbe superiore, descendere & personam (quàm perpetuò genere instar Oneris cujusdam sit) deponere, & familiariter versari libenter consueverunt, idque se tuto facere posse putant. Id quod in *Tyberio Cæsare*, Principe omnium maximè difficili, præcipuè annotatum fuit: apud quem illi solummodò gratiosi erant, qui notitiam morum ejus reverà habebant, sed pertinaciter, & quasi stupidè dissimulabant. Quod etiam *Ludovico* undecimo *Francorum* Regi Principi cautissimo, & callidissimo in moribus erat. Neque ineleganter in Fabula ponitur Antrum illud *Endymionis*: quia ferè usitatum est illis, qui hujusmodi gratia apud Principes florent, habere secessus aliquos amœnos, quò illos invitent, ad otium & animi remissionem absque Fortunæ suæ mole. Qui autem in hoc genere gratiosi sunt, plerumque rem suam benè agunt. Nam Principes licet fortasse ad honores eos non evehant, tamen cùm vero affectu, nec propter utilitatem tantùm illos diligant, munificentia sua eos ditare consueverunt.

IX.

SOROR GYGANTUM, SIVE FAMA.

MEmorant Poëtæ, *Gygantes* è terra procreatos, bellum *Iovi*, & superis intulisse, & fulmine disjectos & devictos fuisse. Terram autem Deorum ira irritatam in vindictam natorum suorum, *Famam* progenuisse; extremam *Gygantibus* Sororem:

Illam Terra parens irâ irritata Deorum
Extremam (ut perhibent) Cæo Enceladoq; Sororem
Progenuit. ---

Hujus Fabulæ ea sententia videtur esse: per *Terram*, Naturam vulgi significarunt, perpetuò tumidam & malignam versus Imperantes, & res novas parturientem: Hæc ipsa occasionem adepta, Rebelles parit & seditiosos, qui Principes ausu nefario exturbare, & dejicere machinantur, quibus oppressis, eadem Plebis natura deterioribus favens, & tranqullitatis impatiens rumores gignit, & susurros malignos, & Famas querulas, & famosos libellos, & cætera id genus, ad invidiam eorum qui rebus præsunt; ut Actiones Rebellium, & Famæ Seditiosæ, genere, & Stirpe non differant; sed veluti sexu tantùm; cùm istæ muliebres videantur, illæ viriles.

X.

ACTÆON ET PENTHEUS, SIVE CURIOSUS.

CUriositas humana in secretis rimandis, & eorum notitia appetitu malè sano concupiscenda, & prensanda, duplici exemplo apud antiquos coërcetur: Altero *Actæonis*, altero *Penthei*. *Actæon* cùm *Dianam* imprudens, & casu sine veste vidisset, in Cervum versus, à canibus quos alebat, dilaceratus est. *Pentheus* cum sacrificiorum *Bacchi occultorum*, conscensa arbore, spectator esse voluisset, furore percitus est. Fuit autem *Penthei* Dementia ejus generis, ut res congeminasse existimaret, & duo Soles & rursus duæ *Thebæ* ei ob oculos versarentur; Adeo ut, cùm *Thebas* properaret, statim alteris *Thebis* conspectis retrahertur: Atq; hoc modo perpetuò & irrequietè sursum & deorsum ferretur.

Eumenidum demens qualus videt agmina Pentheus,
Et Solem geminum, & duplices se ostendere Thebas.

Fabularum prima, ad secreta Principum; Secunda, ad secreta divina pertinere videtur. Qui enim Principibus non admissi, & præter eorum voluntatem secretorum conscii sunt, odium certissimum apud eos consequuntur. Itaque gnari se peti, & occasiones captari, vitam degunt Cervorum more timidam & suspicionibus plenam. Quin & illud sæpiùs accidit, ut à servis & domesticis in gratiam Principum, accusentur & subvertantur. Ubi enim Principis offensio manifesta est; quot servi, tot ferè Proditores esse consueverunt, ut Actæonis fatum illos moneat. Alia est *Penthei* calamitas. Qui enim ausu temerario, mortalitatis parùm memores, per excelsa Naturæ & Philosophiæ fastigia (tanquam arbore conscensa) ad Mysteria divina aspirant, iis pœna proposita est, perpetuæ inconstantiæ, & judicij vacillantis & perplexi. Cùm enim aliud sit Lumen Naturæ, aliud Divinum, ita cum illis fit, ac si duos Soles viderent. Cumque Actiones vitæ, & decreta voluntatis, ab intellectu pendeant: sequitur etiam ut non minus voluntate, quàm opinione hæsitent, nec sibi omnino constent: Itaque & duas

Thebas

Thebas similiter vident. Per *Thebas* enim actionum fines describuntur (cum *Thebis Pentheo* esset domus & perfugium.) Hinc fit, ut nesciant, quò se vertant, sed de summa rerum incerti & fluctuantes, tantùm subitis mentis impulsibus in singulis circumagantur.

XI.
ORPHEUS, SIVE PHILOSOPHIA.

FAbula de *Orpheo* vulgata, nec tamen interpretem fidum per omni sortita, *Philosophiæ* universæ imaginem referre videtur. Persona enim *Orphei* viri admirandi, & planè divini, & omnis harmoniæ periti, & modis suavibus cuncta vincentis, & trahentis, ad *Philosophiæ* descriptionem facili transitu traducitur. Labores enim *Orphei*, Labores *Herculis*, quemadmodum opera Sapientiæ, opera Fortitudinis, dignitate & potentia superant. *Orpheus* ob amorem uxoris morte immatura præreptæ, fretus lyra, ad Inferos descendere sibi in animum duxit, ut Manes deprecaretur; neque spe sua decidit. Nam placatis Manibus & delinitis, suavitate cantus & Modulationibus, tantum apud eos potuit, ut ei uxorem secum abducere indultum sit: Ea tamen lege, ut illa eum à tergo sequeretur, ipse autem antequam ad luminis oras perventum esset, ne respiceret. Quod cum ille nihilominus, amoris & curæ impatientia (postquam ferè in tuto esset) fecisset, rupta sunt fœdera: atque illa ad inferos gradu præcipiti relapsa est. Ab illo tempore *Orpheus* mœstus, & mulierum osor, in solitudines profectus est, ubi eâdem cantus, & Lyræ dulcedine, primò feras omnigenas ad se traxit, adeò ut naturam suam exuentes, nec irarum aut ferocitatis memores, nec libidinis stimulis, & furoribus præcipites actæ, nec ingluviem satiare, aut prædæ inhiare ampliùs curantes, in morem Theatri, illum circumstarent, benignæ & mansuetæ inter se factæ, & tantùm Lyræ concentui aures præbentes. Neque is finis, sed tanta Musicæ vis, & potentia fuit, ut etiam sylvas moveret, & lapides ipsos, ut illa quoque se transferrent, & sedes suas circa eum, ordine & modo decenti ponerent. Hæc ei cum ad tempus fœliciter & magna cum admiratione cessissent; tandem *Thraciæ* mulieres stimulis *Bacchi* percitæ, primò cornu raucum, & immane sonans inflarunt: Ex eo, propter strepitum, musicæ sonus amplius audiri non potuit: Tum demùm soluta virtute, quæ ordinis, & societatis istius erat vinculum, turbari cœptum est, & feræ singulæ ad naturam suam redierunt, & se invicem ut priùs persecutæ sunt; neque lapides, aut sylvæ suis mansere locis: *Orpheus* autem ipse tandem à mulieribus furentibus discerptus est, & sparsus per agros; ob cujus mortis mœrorem, *Helicon* (fluvius Musis sacer) aquas sub terram indignatus condidit, & per alia loca caput rursus extulit. Sententia Fabulæ ea videtur esse. Duplex est *Orphei Cantio*: Altera ad placandos Manes; Altera ad trahendas feras & sylvas. Prior ad naturalem Philosophiam, Posterior ad Moralem, & Civilem aptissimè refertur. Opus enim naturalis Philosophiæ longè nobilissimum, est ipsa restitutio, & instauratio rerum corruptibilium, & (hujusce rei tanquam gradus minores) corporum in statu suo conservatio, & dissolutionis & putredinis retardatio. Hoc si omninò fieri detur, certè non aliter effici potest, quàm per debita & exquisita Naturæ temperamenta, tanquam per Harmoniam lyræ, & modos accuratos. Et tamen cum sit res omnium maximè ardua, effectu plerumque frustratur. Idque (ut verisimile est) non magis aliam ob causam, quam per curiosam, & intempestivam sedulitatem & impatientiam. Itaque *Philosophia*, tantæ rei ferè impar; atque idcirco meritò mœsta, vertit se ad res humanas, & in animos hominum, suasu & eloquentia, virtutis, & æquitatis, & pacis amorem insinuans populorum cœtus in unum coire facit; & juga legum accipere, & imperiis se submittere, & affectuum indomitorum obliviscì, dum præceptis, & disciplinæ auscultant, & obtemperent: Unde paulò post Ædificia extruuntur, Oppida conduntur, Agri & Horti Arboribus conseruntur; ut lapides, & sylvas non abs re convocari & transferri dictum sit. Atque ista rerum Civilium cura, rite atque ordine ponitur post experimentum corporis mortalis restituendi sedulò tentatum, & ad extremum frustratum: Quia mortis necessitas inevitabilis evidentiùs proposita, hominibus ad æternitatem, meritis, & nominis fama quærendam, animos addit. Etiam prudenter in Fabula additur, *Orpheum* à mulieribus, & nuptiis alieno animo fuisse, quia nuptiarum delinimenta, & liberorum charitates, homines plerumque à magnis, & excelsis erga respublicas meritis avertunt, dum immortalitatem propagine, non factis, assequi satis habent. Verùm & ipsa Sapientiæ opera, licet inter humana excellant, tamen & suis periodis clauduntur. Evenit enim, ut postquam regna, & respublicæ ad tempus floruerint; subinde perturbationes, & seditiones & bella oriantur; inter quorum strepitus, primò leges conticescunt, & homines ad naturæ suæ depravationes redeunt; atque etiam in agris, atque oppidis vastitas conspicitur. Neque ita multò post (si hujusmodi furores continuentur) literæ etiam, & *Philosophia* certissimè discerpitur: adeò ut fragmenta tantùm ejus, in paucis locis, tanquam Naufragii Tabulæ, inveniantur, & barbara tempora ingruant; *Heliconis* aquis sub terra mersis, donec debita rebus vicissitudine, non iisdem fortasse locis, sed apud alias Nationes erumpant, & emanent.

XII.
COELUM, SIVE ORIGINES.

TRadunt Poëtæ *Cœlum* antiquissimum Deorum extitisse; Hujus partes generationis à filio *Saturno* falce demessas fuisse. *Saturnum* autem sobolem numerosam generasse: Sed filios continuò devorasse: tandem vero *Iovem* exitium effugisse, & adultum, patrem *Saturnum* in Tartarum detrusisse, & regnum accepisse: quin etiam Patris genitalia eadem falce, qua ille Cœlum execuerat, abscidisse, atque in mare projecisse, inde Venerem natam esse. Postea vero *Iovis* regnum vix confirmatum, duo memorabilia bella excepisse. Primum *Titanum*, in quibus

debellandis Solis operam (qui solus ex *Titanibus Iovis* rebus favebat) egregiam fuisse: Secundum *Gygantum*, qui & ipsi fulmine & Jovis armis disjecti sunt; quibus domitis, Jovem securum regnasse. Fabula videtur Ænigma de Origine rerum non multùm discrepans ab ea Philosophia, quam postea Democritus amplexus est. Qui apertissimè omnium æternitatem Materiæ asseruit, æternitatem Mundi negavit; in quo aliquanto propius ad veritatem verbi divini accessit, cujus narratio Materiam informem ante opera Dierum statuit. Sententia Fabulæ hujusmodi est. Cœlum esse concavum illud, sive ambitum, quod Materiam complectitur. *Saturnum* autem Materiam ipsam, quæ omnem generandi vim parenti præscidit. Summam enim Materiæ perpetuò eandem esse; neque ipsum Quantum Naturæ crescere, aut minui. Agitationes autem, & motus Materiæ, primò imperfectas, & malè cohærentes rerum compages produxisse, & veluti tentamenta mundorum: Dein ævi processu Fabricam ortam esse, quæ formam suam tueri & conservare posset. Itaque priorem ævi distributionem per regnum Saturni significari, qui ob frequentes rerum dissolutiones, & breves durationes, Filiorum suorum Devorator habitus est: Secundam autem per regum *Iovis*, qui continuas istas, & transitorias mutationes in *Tartarum* detrusit; qui locus perturbationem significat. Is locus videtur esse spatium inter ima Cœli & interiora Terræ medium; quo intervallo perturbatio & fragilitas & mortalitas sive corruptio maximè versatur. Atque durante priore illa generatione rerum, quæ sub regno *Saturni* tenuit, *Venerem* natam non fuisse. Donec enim in universitate Materiæ, discordia esset concordia potior & valentior, mutatio per totum necessariò facta est, atque in ipsa Fabrica integrali. Tales verò Generationes Rerum extiterunt, antequam *Saturnus* exectus esset. Hunc verò generationis modum cessantem, alter ille modus continuò excepit, qui per *Venerem* fit: adulta & prævalida rerum concordia; ut mutatio tantùm per partes procedat, integra & inconfusa Fabrica universali: *Saturnum* tamen detrusum, & deturbatum, non peremptum & extinctum narrant, quia mundum in antiquam confusionem, & interregna relabi posse, opinio Democriti erat: quod *Lucretius* ne suis temporibus eveniret deprecatus est.

Quod procul à nobis, flectat Fortuna gubernans,
Et ratio potiùs, quam res persuadeat ipsa.

Postquam autem mundus mole, & vi sua consisteret, tamen otium ab initio non fuisse. Nam secutos primùm in Cœlestibus Regionibus motus notabiles, qui virtute Solis in Cœlestibus prædominante, ita sopiti sunt, ut mundi status conservaretur: Posteà similiter in inferioribus; per inundationes, tempestates, ventos, terræ motus magis universales, quibus etiam oppressis, & dissipatis, magis pacata, ac durabilis rerum conspiratio, & tranquillitas ac crevit. Verùm de ista Fabula utrumque pronunciari potest, & Fabulam *Philosophiam* continere, & Philosophiam rursus *Fabulam*. Novimus enim (ex Fide) hæc omnia nil aliud esse, quàm sensus jampridem cessantia & deficientia Oracula: Cum mundi, & Materia, & Fabrica ad Creatorem verissimè referatur.

XIII.
PROTEUS, SIVE MATERIA.

NArrant Poëtæ *Proteum Neptuno* pastorem fuisse; eundemque Senem, & Vatem; Vatem scilicet præstantissimum & veluti Ter-maximum. Noverat enim non futura solummodò, sed & Præterita & Præsentia, adeò ut præter Divinationem, etiam omnis Antiquitatis, & omnium Secretorum Nuncius ac Interpres esset. Morabatur autem sub ingenti specu. Ibi ei mos erat sub meridiem gregem suum Phocarum numerare, atque deinde somno se dare. Qui autem opera ejus aliqua in re, uti volebat, is non alio modo apud eum valere poterat, nisi eum manicis comprehensum vinclis constringeret. Ille contrà, ut se liberaret, in omnes formas, atque rerum miracula, ignem, lympham, feras se vertere solebat; donec tandem in pristinam formam restitueretur. Sensus Fabulæ ad abdita Naturæ, & Conditiones Materiæ pertinere videtur. Sub *Proteo* enim Persona Materia significatur omnium rerum post Deum antiquissima. Materia autem sub Cœli Concavo tanquam sub specu habitat. *Neptuni* autem mancipium est, quia omnis Materiæ operatio & dispensatio in liqui is præcipuè exercetur. Pecus autem sive Grex *Protei*, non aliud videtur esse, quàm Species ordinariæ Animalium, Plantarum, Metallorum in quibus Materia videtur se diffundere, & quasi consumere; adeò ut postquam istas species effinxerit, & absolverit (tanquam penso completo) dormire & quiescere videatur, nec alias ampliùs Species moliri, tentare aut parare. Atque hæc est *Protei* Pecoris numeratio, & subinde Somnus. Hoc autem sub Meridiem, non Auroram, & Vesperum fieri dicitur, id est, cùm Tempus jam venerit, quod speciebus ex Materia debitè præparata, & prædisposita perficiendis, & excludendis maturum sit, & quasi legitimum, & inter Rudimenta earum, & Declinationes medium; quod nos satis scimus ex Historia sacra sub tempus ipsum Creationis fuisse; Tum enim per virtutem illam divini verbi (*Producat*) Materia ad imperium Creatoris, non per Ambages suas, sed subito confluxit, & Opus suum in actum affatim perduxit, ac Species constituit. Atque hucusque Fabula narrationem suam de *Proteo* libero, & soluto cum Pecore suo complet. Nam universitas rerum cum Structuris, & Fabricis Specierum ordinariis, est Materiæ non constrictæ, aut devinctæ, & gregis materiatorum facies. Nihilominùs si quis peritus Naturæ Minister, vim adhibeat Materiæ, & Materiam vexet, atque urgeat, tanquam hoc ipso destinato, & proposito; ut illam in nihilum redigat: illa contra (cum Annihilatio, aut interitus verus, nisi per DEI omnipotentiam fieri

fieri non possit) in tali necessitate posita in miras rerum transformationes & effigies se vertit: adeò ut tandem veluti in orbem se mutet, & periodum impleat, & quasi se restituat, si vis continuetur. Ejus autem constrictionis, seu alligationis ratio magis facilis erit & expedita, si Materia per Manicas comprehendatur, id est, per Extremitates. Quod autem additur in Fabula *Proteum* Vatem fuisse, & trium temporum gnarum, id cum Materiæ natura optimè consentit. Necesse est enim, ut qui Materiæ passiones, & processus noverit, rerum Summam & earum quæ factæ sunt, & quæ fiunt, & quæ insuper futuræ sunt, comprehendat, licet ad partes & singularia cognitio non extendatur.

XIV.
MEMNON, SIVE PRÆMATURUS.

MEmorant Poëtæ *Memnonem Auroræ* filium fuisse. Ille armorum pulchritudine insignis, & aura populari celebris ad Bellum *Trojanum* venit, & ad summa ausu præcipiti festinans, & anhelans, cum *Achille* Græcorum fortissimo, certamen singulare iniit, atque ejus dexrra occubuit. Hunc *Jupiter* miseratus aves lugubre quiddam & miserabile perpetuò quiritantes ad Exequias ejus & funeris decus excitavit; Ejusdem statua quoque *Solis* orientis radiis percussa, sonum flebilem edere solita fuisse perhibetur. Fabula ad adolescentum summæ spei Calamitosos exitus pertinere videtur. Illi enim tanquam *Auroræ* filii sunt; atque inanium & externorum specie tumidi, majora ferè viribus audent, atque *Heroes* fortissimos lacessunt, & in certamen deposcunt, & impari congressu succumbentes, extinguuntur; Horum autem mortem infinita commiseratio sequi solet: Nil enim inter Fata mortalium tam flebile est, tamque potens ad misericordiam commovendam, quàm virtutis flos immaturo exitu præcisus. Neque enim prima ætas ad satietatem scilicet, aut ad invidiam usque duravit, quæ mœstitiam in obitu lenire, aut misericordiam temperare possit; Quin etiam Lamentationes & Planctus non solùm tanquam Aves illæ funebres circa rogos eorum volitant, sed & durat hujusmodi miseratio, & producitur: Maximè autem per Occasiones & Novos motus & Initia magnarum rerum, veluti per Solis radios Matutinos, Desideria eorum renovantur.

XV.
TYTHONUS, SIVE SATIETAS.

ELegans Fabula narratur de *Tythono*, eum ab *Aurora* adamatum fuisse, quæ pepetuam ejus consuetudinem exoptans, à *Iove* petiit, ut Tythonus nunquam mori posset: verùm incuria mulieri oblita est petitioni suæ & illud inserere, ut nec senectute gravaretur. Itaque moriendi conditio ei erepta est, senium autem secutum est mirum & miserandum, quale consentaneum est evenire ei, cui mors negatur, ætas perpetuò ingravescit. Adeò ut *Iupiter* hujusmodi sortem miseratus, tandem eum in Cicadam converterit. Hæc Fabula ingeniosa adumbratio & descriptio voluptatis esse videtur; quæ à principio velut sub tempus *Auroræ*, adeò grata est, ut homines vota faciant, ut gaudia hujusmodi sibi perpetua, & Propria sint, obliti satietatem & tædium eorum instar Senii, ipsis non cogitantibus, obventura. Adeò ut ad extremum cùm actiones voluptariæ homines deserant, cupido verò & affectus non moriantur, fieri soleat, ut homines sermonibus tantùm, & commemorationibus earum rerum, quæ eis integra ætate voluptati fuerunt, se oblectent. Quod in Libidinosis, & viris Militaribus fieri videmus, cùm illi impudicos sermones, hi facinora sua retractent, Cicadarum more, quarum vigor tantùm in voce est.

XVI.
PROCUS JUNONIS, SIVE DEDECUS.

NArrant Poëtæ *Jovem*, ut amoribus suis potiretur, multas & varias formas sumpsisse; Tauri, Aquilæ, Cygni, Imbris aurei; Cùm autem *Iunonem* sollicitaret, vertisse se in formam maximè ignobilem, atque contemptui & ludibrio expositam. Ea fuit miseri Cuculi, imbre & tempestate madefacti, & attoniti, tremebundi & semimortui: Prudens Fabula est, & ex intimis moribus desumpta. Sensus verò talis, Ne homines nimium sibi placeant, existimantes virtutis suæ specimen, eos apud omnes in pretio, & gratia ponere posse. Id enim succedere pro natura, & moribus eorum, quos ambiunt, & colnn, qui si homines sunt, nullis ipsi dotibus, & ornamentis insigniti; sed tantùm ingenio sunt superbo & maligno (id quod sub figura *Iunonis* repræsentatur) tum verò norint sibi exuendam prorsus esse omnem personam, quæ vel minimum præ se ferat decoris, & dignitatis: atque despere se planè, si alia via insistant; neque satis esse si obsequii deformitatem præstant, nisi omninò se in personam abjectam & degenerem mutent.

XVII.
CUPIDO, SIVE ATOMUS.

QUæ de *Cupidine* sive Amore dicta sunt à Poëtis; in eandem personam propriè convenire non possunt: Ita tamen discrepant, ut confusio personarum rejiciatur, similitudo recipiatur. Narrant itaque Amorem omnium Deorum fuisse antiquissimum, atque adeò omnium rerum, Excepto *Chao*, quod ei coævum perhibetur; *Chaos* autem à priscis viris nunquam divino honore, aut nomine Dei insignitur. Atque Amor ille prorsus sine parente introducitur; nisi quod à nonnullis Ovum noctis fuisse traditur. Ipse autem ex *Chao*, & Deos, & Res universas progenuit: Ejus autem attributa ponuntur Numero quatuor, ut sit infans perpetuus, Cœcus, Nudus, Sagittarius; fuit & Amor quidam alter, Deorum natu Minimus; Veneris filius; in quem etiam Antiquioris Attributa transferuntur; & quodam modo competunt. Fabula ad Cunabula Naturæ pertinet, & penetrat. Amor iste videtur esse Appetitus, sive Stimulus Materiæ primæ, sive (ut explicatiùs loquar) *Motus naturalis Atomi*. Hæc enim

enim est illa vis antiquissima, & unica, quæ ex Materia omnia constituit & effingit. Ea omninò sine Parente est; id est, sine causa. Causa enim effectus veluti Parens est: Hujus autem virtutis causa nulla potest esse in Natura (Deum enim semper excipimus.) Nihil enim hac ipsâ prius; itaque efficiens nulla: Neque aliquid Naturæ Notius; ergò nec Genus, nec Forma; Quamobrem quæcunque ea tandem sit, positiva est & surda. Atque etiam si Modus ejus, & Processus sciri daretur; tamen per causam sciri non potest; cùm sit post Deum caussa caussarum, ipsa incaussabilis. Neque fortasse Modum ejus intra inquisitionem humanam sisti, aut comprehendi posse sperandum est; Itaque meritò fingitur Ovum à Nocte exclusum; Certè Sanctus Philosophus ita pronunciat. *Cuncta fecit pulchra tempestatibus, & Mundum tradidit disputationibus eorum, ita tamen ut non inveniat Homo, Opus quod operatus est Deus à principio, usque ad finem.* Lex enim Summaria *Naturæ*, sive virtus istius *Cupidinis*, indita primis rerum particulis à Deo ad Coitionem, ex cujus repetitione, & multiplicatione omnis rerum varietas emergit & conflatur; cogitationem mortalium perstringere potest, subire vix potest. Philosophia autem *Græcorum* invenitur in Rerum Materiatis principiis investigandi magis acuta, & sollicita; in Principiis autem Motus (in quibus omnis operationis vigor consistit) negligens & languida. In hoc autem, de quo agimus prorsùs cæcutire & balbutire videtur: Etenim *Peripateticorum* opinio; de *Stimulo Materiæ*, per *Privationem*; ferè non ultrà verba tendit, & rem potiùs sonat, quam signat; Qui autem hoc ad Deum referunt; optimè illi quidem, sed saltu, non gradu ascendunt: Est enim proculdubio unica, & summaria Lex in quam natura coit, Deo substituta: Ea ipsa, quæ in superiore textu, illo verborum complexu demonstratur. *Opus, quod operatus est Deus, à Principio, usque ad Finem. Democritus* autem, qui altiùs rem perpendit, postquam *Atomum* dimensione nonnulla, & figura instruxerat, unicum Cupidinem sive Motum primum ei attribuit simpliciter, & ex comparatione alterum. Omnia enim ad Centrum Mundi ferri putavit propriè, quod autem plus Materiæ habet, cum celeriùs ad Centrum feratur, illud, quod minus habet percussione summovere, & in contrarium pellere. Verum ista meditatio angusta fuit; & ad pauciora, quam par erat respiciens. Neque enim, aut corporum cœlestium in Orbem Conversio, aut rerum Contractiones, & Expansiones ad hoc Principium reduci, aut accommodari posse videntur. *Epicuri* autem opinio de Declinatione Atomi, & Agitatione fortuitâ, ad nugas rursùs, & ignorationem rei lapsa est. Itaque nimiò plus, quàm optaremus illud apparet: istum *Cupidinem* Nocte involvi. Itaque de Attributis videamus; Elegantissimè describitur *Cupido* Infans, Pusillus, & Perpetuus; composita enim grandiora sunt, & ætatem patiuntur; prima autem rerum semina, sive Atomi, Minuti sunt, & in perpetua Infantia permanent. Etiam illud verissimè, quod Nudus: cùm composita universa rectè cogitanti Personata, & induta sint; Nihilque propriè Nudum sit præter primas rerum particulas. Illa autem de Cœcitate *Cupidinis* Sapientissima Allegoria est. Iste enim *Cupido* (qualiscunque is sit) minimum videtur habere providentiæ; sed secundùm illud, quod proximum sentit, gressum & motum dirigere; ut Cœci palpando solent; quo magis admirabilis est Providentia illa summa divina, quia ex rebus providentia maximè vacuis, & expertibus, & quasi Cœcis, certâ tamen, & fatali lege istum ordinem & pulchritudinem rerum educit. Ultimum Attributum ponitur, quod Sagittarius sit, hoc est, quod ista Virtus talis sit, ut operetur ad distans. Quod enim ad distans operatur, tanquam sagittam emittere videtur: quisquis autem Atomum asserit, atque vacuum, (licèt istud vacuum interministum ponat, non segregatum;) necessariò virtutem Atomi ad Distans introducit: Neque enim hac demtâ, aliquis motus, (propter vacuum interpositum) excitari posset, sed omnia torperent, & immobilia manerent; Quod autem ad Juniorem illum *Cupidinem* attinet, meritò ut minimus Deorum natu traditur, Cùm non ante Species constitutas vigere potuisset. In illius autem descriptione Allegoria ad mores deflectit, & traducitur. Subest tamen quædam ejus cum illo Antiquo conformitas. *Venus* enim generaliter affectum conjunctionis, & procreationis excitat; *Cupido* ejus Filius, Affectum ad ad individuum applicat. Itaque à *Venere* est generalis dispositio, à *Cupidine* magis exacta Sympathia: Atque illa à causis magis propinquis pendet; hæc autem è principiis magis altis & fatalibus, & tanquam ab antiquo illo *Cupidine*, à quo omnis exquisita Sympathia pendet.

XVIII.
DIOMEDES, SIVE
ZELUS.

Diomedes cum magnâ & eximiâ gloriâ floreret, & Palladi percharus esset, exstimulatus ab eâ est, (& ipse promptior quam oportebat) ut si fortè *Veneri* in pugnâ occurreret, illi neutiquam parceret; quod & ille audacter executus est, & *Veneris* dextram vulneravit. Hoc facinus ille ad Tempus impunè tulit, & rebus gestis clarus & inclytus in patriam rediit, ubi domestica mala expertus, ad exteros in Italiam profugit. Ibi quoque initia satis prospera habuit, & Regis *Dauni* hospitio, & donis cultus, & ornatus est, & multæ illi statuæ per eam Regionem extructæ. Sed sub primam Calamitatem, quæ populum, ad quem diverterat, afflixit, statim subiit *Daunum* cogitatio, se intra penates suos duxisse hominem impium, & Diis invisum, & Theomachum, qui Deam, quam vel tangere religio erat, ferro invaserat, & violaverat. Itaque ut patriam suam piaculo obstrictam liberaret, nihil hospitii jura reveritus, cùm ei jus religionis videretur antiquius, *Diomedem* subitò obtruncat; Statuas & honores ejus prosterni & aboleri jubet. Neque hujusmodi gravem casum vel miserari tutum erat; sed & ipsi Comites ejus, cùm mortem Ducis sui lugerent, & quæstibus omnia implerent, in Aves quasdam ex genere Olorum mutati

mutati sunt, qui & ipsi sub mortem suam quiddam dulce & lugubre sonant. Habet hæc Fabula subjectum rarum, & ferè singulare. Neque enim memoriæ proditum est, in aliqua alia Fabula, *Heroem* ullum præter unum *Diomedem* ferro violasse aliquem ex Diis. Atque certè videtur Fabula imaginem in illo depinxisse hominis, & Fortunæ ejus, qui ex professo hunc finem actionum suarum sibi proponit, & destinat, ut cultum aliquem divinum, sive Sectam Religionis, licet vanam & levem, vi & ferro insectetur & debellet. Quamquam enim cruenta religionis dissidia veteribus incognita essent; (cùm Dii Ethnici Zelotypiâ, quod est Dei veri Attributum, non tangerentur) tamen tanta, & lata videtur fuisse prisci sæculi sapientia, ut quæ experiundo non nossent, tamen meditatione, & simulachris comprehenderent. Qui itaque sectam aliquam Religionis licèt vanam & corruptam, & infamem (id quod sub persona *Veneris* significatur) non vi rationis, & doctrinæ, & sanctitate vitæ, atque Exemplorum & authoritatum pondere, cortigere & convincere; sed ferro & flamma, & pœnarum acerbitate exscindere, & exterminare nituntur: incenduntur fortasse ad hoc ipsum à *Pallade*; id est, Prudentia quadam acri, & judicii severitate, quarum vigore & efficacia, hujusmodi errorum fallacias, & commenta penitùs introspiciunt: & ab odio pravitatis, & zelo bono; & ad tempus ferè magnam gloriam adipiscuntur, atque à vulgo (cui nihil moderatum, gratum esse potest) ut unici veritatis, & religionis vindices (cùm cæteri tepidi videantur & meticulosi,) celebrantur, & ferè adorantur. Attamen hæc gloria, & fœlicitas rarò ad exitum durat: sed omnis ferè violentia nisi morte celeri vicissitudines rerum effugiat, sub finem improspera est. Quod si eveniat, ut rerum commutatio fiat, & Secta illa proscripta, & depressa vires acquirat, & insurgvt, Tum verò hujusmodi hominum zeli, & contententiones damnantur, & nomen ipsum odio est, & omnes honores eorum in opprobrium desinunt: Quod autem ab hospite interfectus est *Diomedes*; id eò spectat, quod Religonis dissidium, etiam inter conjunctissimos, insidias & proditiones excitet; Illud veò de Luctu ipso, & quærimoniis minimè toleratis, sed supplicio affectis, hujusmodi est, ut moneat, in omni ferè scelere, miserationi hominum locum esse, ut etiam qui crimina oderunt, personas tamen & calamitates reorum, humanitatis causa commiserentur; extremum autem malorum esse, si misericordiæ commercia interdicantur. Atque tamen in causa religionis, & impietatis, etiam miserationes hominum notari, & suspectas esse. Contra verò Comitum *Diomedis*, id est, hominum, qui ejusdem sunt Sectæ, & opinionis, quærimoniæ, & deplorationes argutæ admodum & Canoræ esse solent, instar Olorum, aut Avium *Diomedis*; In quo etiam pars Allegoriæ nobilis est, & insignis; Eorum qui propter causam religionis supplicia subeunt, voces sub tempus mortis, tanquam Cygneas cantiones animos hominum mirum in modum flectere, & in memoriis & sensibus eorum diutissimè inhærere, & permanere.

XIX.

DÆDALUS, SIVE MECHANICUS.

Sapientiam atque industriam *Mechanicam*, atque illa Artificia illicita, & ad pravos usus detorta, Antiqui adumbraverunt sub Persona *Dædali*, viri ingeniosissimi, sed execrabilis: Hic ob condiscipulum, & æmulum occisum exulaverat, gratus tamen in exilio Regibus, & civitatibus erat. Atque multa quidem & egregia opera tam in honorem Deorum, quam ad exornationem, & magnificentiam urbium, & locorum publicorum extruxerat, & effinxerat; sed tamen Nomen ejus maximè celebratur ob illicita. Fabricam enim Libidini Pasiphaes subministravit, ut cum Tauro misceretur; adeò ut ab hujus viri scelerata industria, & ingenio pernicioso Monstrum illud Minotaurus pubem ingenuam devorans ortum traxerit infelicem ac infamem. Atque ille malum malo tegens & cumulans, ad securitatem hujus pestis, Labyrinthum excogitavit, extruxit: Opus fine & detestatione nefarium artificio insigne & præclarum; Ac posteà rursus, ne malis artibus tantùm innotesceret, atqut scelerum remedia (non solùm instrumenta) ab eodem peterentur; etiam Consilii ingeniosi author erat de filo, per quod errores Labyrinthi retexerentur. Hunc *Dædalum* Minos magna cum severitate atque diligentia, & inquisitione persecutus est; Ille tamen semper & perfugia & effugia reperiebat. Postremò cum volandi peritiam filium *Icarum* edocuisset, ille Novitius, & artem ostentans, à Cœlo in aquam decidit. Parabola videtur esse ejusmodi. In ipso introitu ejus, ea quæ apud excellentes artifices excubat, & miris modis dominatur, Invidia notatur; Nullum enim genus hominum ex Invidia eaque acerba, & tanquanm interneciva magis laborat. Accidit Nota de genere pœnæ inflictominùs politicè & providè: ut *Dædalus* exulet. Etenim Opifices præclari id habent, ut apud omnes ferè populos sint acceptissimi; Adeo ut Exilium præstanti Artifici vix supplici loco sit. Nam aliæ vitæ conditiones, & genera, extra patriam non facilè florere possunt. Artificum autem admiratio, propagatur, & augetur apud exteros & peregrinos, cùm insitum animis hominnum sit illud, ut populares suos, quoad opificia *Mechanica* in minori pretio habeant. De usu autem Artium *Mechanicarum*, quæ sequuntur, manifesta sunt; multùm enim illis debet vita humana, cùm plurima & ad Religonis apparatum, & ad Civilium decus, & ad universæ vitæ culturam, ex illarum thesauris collata sint: Veruntamen ex eodem fonte emanant instrumenta Libidinis, atque etiam instrumenta Mortis. Missa enim Arte Lenonum, venena quæsitissima, atque tormenta bellica, atque hujusmodi pestes, (quæ *Mechanicis* inventis debentur) probè novimus, quantum *Minotaurum* ipsum sævitiâ, & pernicie superarint. Pulcherrima autem Allegoria est, de Labyrintho, quâ Natura generalis *Mechanicæ* adumbratur. Omnia enim *Mechanica*, quæ magis sunt ingeniosa, & accurata, instar Labyrinthi censeri possint; pro-

pter subtilitatem & variam implicationem & obviam similitudinem, quæ vix ullo judicio, sed tantùm experientiæ filo regi & discriminari possunt. Nec minùs aptè adjicitur, quòd idem ille, qui Labyrinthi Errores invenit, etiam fili commoditatem monstravit; Sunt enim Artes Mechanicæ, veluti usus ambigui, atque faciunt & ad nocumentum, & ad remedium, & ferè virtus earum seipsam solvit & retexit. Artificia autem illicita, atque adeò Artes ipsas sæpiùs persequitur *Minos*; hoc est, Leges, quæ illas damnant, & earum usum populis interdicunt. Nihilominùs illæ occultantur, & retinentur, & ubique, & latebras & receptum habent, quod & bene notatum est in re non multùm dissimili à *Tacito* suis temporibus de Mathematicis, & Genethliacis, *Genus* (inquit) *hominum, quod in Civitate nostra semper & retinebitur, & vetabitur.* Et tamen Artes illicitæ, & Curiosæ cujuscunque generis tractu temporis, cum ferè quæ polliceantur non præstant (tanquam *Icari* de Cœlo) de existimatione sua decidunt, & in contemptum veniunt, & nimia ipsa ostentatione pereunt. Et certè si verum omninò dicendum est, non tam fœliciter Legum frœnis coërcentur, quam coarguuntur ex vanitate propria.

XX
ERICTHONIUS, SIVE IMPOTURA.

FAbulantur Poëtæ *Vulcanum* pudicitiam *Minervæ* sollicitasse, atque subinde cupidine incensum, vim adhibuisse, atque in ipsa Lucta semen in terram effudisse, ex quo *Ericthonium* natum esse, qui (partes superiores) decora & grata erat corporis compago, Femora autem & Tibiæ suberant in anguillæ similitudinem, exilia & deformia: Cujus deformitatis cum ipse sibi conscius esset, eum primum curruum usum invenisse, ut quod in corpore magnificum erat, ostentaret, probrum autem tegeret. Hujus Fabulæ miræ, & prodigiosæ ea sententia esse videtur. Artem quæ sub persona *Vulcani* ob multiplicem usum repræsentatur) quoties per corporum omnimodas vexationes, Naturæ vim facere, eamque vincere ac subigere contendat, (Natura autem sub persona *Minervæ*, ob operum solertiam adumbratur) ad votum & finem destinatum rarò pertingere; sed tamen multa machinatione & molitione (tanquam Lucta) intercidere atque emitti generationes imperfectas, & opera quædam manca, aspectu speciosa, usu infirma, & claudicantia; quæ tamen impostores, multo & fallaci apparatu ostentant, & veluti triumphantes circumducunt. Qualia ferè, & inter Productiones Chymicas, & inter subtilitates novitates Mechanicas sæpius notare licet; præsertim cum homines potiùs propositum urgentes, quàm ab erroribus suis se recipientes, cum Natura colluctentur magis, quàm debito obsequio & cultu ejus amplexus petant.

XXI.
DEUCALION, SIVE RESTITUTIO.

NArrant Poëtæ extinctis prorsùs prisci Orbis incolis per diluvium universale, Cùm soli restarent *Deucalion* & *Pyrrha*, qui ardebant desiderio pio, & inclyto instaurandi generis humani, eos hujusmodi Oraculum excepisse: voti compotes futuros, si ossa Matris acciperent, & post se jacerent: quod illis primò magnam tristitiam, & desperationem incussit: cum æquata rerum facie per diluvium, Sepulchri perscrutatio omninò res sine exitu esset: sed tandem intellexerunt Lapides Terræ (cum Tellus omnium mater habeatur) ab Oraculo significari. Fabula Arcanum Naturæ recludere videtur, & Errorem animo humano familiarem corrigere; Hominis enim imperitia judicat rerum renovationes, sive instaurationes, ex earundem putredine & reliquiis (ut Phœnicen ex cinere propria) suscitari posse, quod nullo modo convenit. Cum hujusmodi materiæ spatia sua confecerint & ad initia ipsarum rerum prosùs ineptæ sint. Itaque retrocedendum ad principia magis communia.

XXII.
NEMESIS, SIVE VICES RERUM.

N*Emensis* traditur fuisse Dea, omnibus veneranda, potentibus & fortunatis etiam metuenda. Ea Noctis & Oceani filia fuisse perhibetur. Effigies autem ejus describitur talis. Alata erat, etiam coronata; in manibus autem gestabat Dextra Hastam è fraxino, sinistra Phialam, in qua inclusi erant Æthiopes: Insidebat autem Cervo. Parabola ejusmodi esse videtur; Nomen ipsum *Nemesis* vindictam; sive Retributionem satis apertè significat; Hujus enim Deæ Officium, & Administratio in hoc sita erat, ut beatorum constanti, & perpetuæ fœlicitati instar Tribuni plebis intercederet, ac illud suum *Veto* interponeret; neque solum insolentiam castigaret, verùm etiam rebus prosperis, licet innocentibus & moderatis, rerum adversarum vices rependeret; ac si neminem humanæ sortis ad Convivia Deorum admitti mos esset, nisi ad Ludibrium: Equidem cum illud Capitulum apud *C. Plinium* perlego, in quo ille infortunia, & miserias *Augusti Cæsaris* collegit. quem omnium hominum fortunatissimum existimabam, quique artem etiam quandam utendi fruendi fortuna habebat, ac cujus in animo nil tumidum, nil leve, nil molle, nil confusum, nil melancholicum, annotare licet (ut ille etiam sponte mori aliquando destinasset) hanc Deam magnam & præpotentem esse judicavi, ad cujus aram talis victima tracta esset. Parentes hujus Deæ fuêre *Oceanus & Nox*; Hoc est, Rerum Vicissitudo, & Judicium divinum Obscurum, & Secretum; Etenim Vices rerum per Oceanum aptè repræsentantur, ob perpetuum fluxum, & refluxum: Occulta autem Providentia, per Noctem ritè proponitur. Nam etiam apud Ethnicos natura illa *Nemesis*, cùm scilicet judicium humanum à divino discors esset, in observatione erat.

——Cadit & Ripheus justissimus unus,
Qui fuit ex Teucris & servantissimus æqui.
Dis aliter visum.

Ablata autem describitur *Nemesis*, ob subitas rerum conversiones, nec ante prævisas; Nam in omni

omni rerum Memoria illud ferè usuvenit, ut homines magni, & prudentes per ea discrimina perierint, quæ maximè contempserint. Certè, cùm *M. Cicero* à *Decio Bruto*, de *Octavii Cæsaris*, minus sincera fide, & animo exulcerato monitus esset; Illud tantùm rescripsit: *Te autem, mi Brute, sicut debeo, amo, quod istud quicquid est nugarum me scire voluisti.* Etiam Corona *Nemesis* insignitur, ob naturam vulgi invidam & malignam: Quando enim fortunati & potentes ruunt, tum ferè vulgus exultat, & *Nemesin* coronat. Hasta autem in Dextra, ad eos pertinet, quos *Nemesis* actu percutit, & transfigit. Quos autem Calamitate & infortunio non mactat, illis tamen spectrum illud atrum & infaustum in Sinistra ostentat: Obversantur enim procul dubio mortalibus, etiam in summo fastigio fœlicitatis positis, Mors & Morbi, & infortunia, & amicorum perfidiæ, & inimicorum insidiæ, & rerum mutationes, & hujusmodi; veluti Æthiopes illi in Phiala; Certè *Virgilius*, cùm prælium Actiacum describit, de *Cleopatra* illud eleganter subjungit:

Regina in mediis, patrio vocat agmina sistro,
Nec dum etiam geminos à tergo respicit angues.

Verùm non multò pòst quocunque illa se verteret, tota agmina Æthiopum obversabantur. Ad extremum prudenter additur, *Nemesin* Cervo insidere, quia vivax admodum animal est Cervus; Atque fieri fortasse potest, ut qui Juvenis fato ereptus sit, *Nemesin* prævertat & effugiat; Cui autem diuturna obvenit fœlicitas, & potentia, is procul dubio *Nemesi* subjicitur, ac veluti substernitur.

XXIII.
ACHELOUS, SIVE PRÆLIUM.

NArrant antiqui, cùm *Hercules* & *Achelous* de nuptiis *Dejaniræ* contenderent, rem ad certamen deductam esse. *Achelous* autem, cùm varias & multiplices formas tentâsset, (nam hoc ei facere licebat,) tandem *Herculi* sub forma Tauri torvi, & frementis occurrit, & ad pugnam se paravit; *Hercules* verò, solitam retinens figuram humanam, in eum impetum fecit; Res cominùs gesta est: Eventus autem talis fuit, ut *Hercules* alterum ex cornibus Tauro fregerit: Ille majorem in modum dolens & perterritus, ut cornu illud suum redimeret, permutatione factâ, Cornu *Amalthea*, sive Copiæ, *Herculi* largitus est. Fabula ad Belli expeditiones pertinet; Apparatus enim Belli ex parte defensiva, (qui per *Acheloum* proponitur) varius admodum & multiformis est. Nam invadentis species unica est, & simplex, cùm ex exercitu solo, aut classe fortasse constet, Regio autem, quæ in solo proprio hostem expectat, infinita molitur, oppida munit, diruit, Plebem ex agris & villis, in urbes & castella cogit, pontes extruit, prosternit, copias & commeatus comparat, distribuit, in fluviis, portibus, Collium faucibus, sylvis, & aliis rebus innumeris occupata est, ut novas rerum facies quotidie induat, & experiatur, ac tandem cùm abunde munita & instructa fuerit, Tauri pugnacis formam & minas ad vivum repræsentet. Ille autem qui invadit, prælium captat, & in hoc maximè incumbit, inopiam in Terra hostili metuens: Quòd si fiat, ut prælio commisso, acie victor sit, & tanquam cornu hosti franget; tum procul dubio illud assequitur, ut hostis trepidus, & existimatione diminutus, ut se explicet, & vires suas reparet, in munitoria se recipiat; atque urbes & regiones victori ad populandum & diripiendum relinquat; quod verè instar Cornu illius *Amalthea* censeri possit.

XXIV.
DIONYSUS, SIVE CUPIDITAS.

NArrant *Semelen Jovis* pellicem, postquam juramento eum inviolabili ad votum indefinitum obstrinxisset; petiisse ut ad amplexus suos accederet talis, qualis cum *Junone* consuesset: Itaque illa ex conflagratione periit. Infans autem, quem in utero gestabat, à patre exceptus, in femor ejus insutus est, donec Menses fœtui destinatos compleret; ex quo tamen onere *Jupiter* nonnihil claudicabat: Itaque puer, quòd *Jovem* dum in femore ejus portaretur, gravaret, & pungeret, *Dionysi* nomen accepit. Postquam autem editus esset, apud *Proserpinam* per aliquot annos nutritus est; cùm verò adultus esset, ore ferè muliebri conspiciebatur, ut sexus videretur tanquam ambigui: Etiam extinctus & sepultus erat ad tempus, & non ita multò pòst revixit. Atque prima Juventa vitis culturam, atque adeò vini confectionem, & usum primus invenit, & edocuit; ex quo celebris factus, & inclytus, orbem terrarum subjugavit, & ad ultimos Indorum terminos perrexit: Curru autem vehebatur à Tigribus tracto: Circa eum subsultabant Dœmones deformes *Cobali* vocati, *Acratus* & alii: Quin & Musæ comitatui ejus se addebant. Uxorem autem sibi sumpsit *Ariadnen* à *Theseo* desertam, & relictam. Arbor ei sacra erat *Hædera*. Etiam sacrorum & ceremoniarum Inventor & institutor habebatur, ejus tamen generis, quæ & fanaticæ erant, & plenæ corruptelarum, atque insuper crudeles. Furores quoque immittendi potestatem habebat. Certè in Orgiis ejus à Mulieribus furore percitis, duo viri insignes discerpti narrantur, *Pentheus* & *Orpheus*, ille dum arbore conscensa, spectator eorum, quæ agerentur esse voluisset; hic cùm Lyram pulsaret. Atque hujus Dei res gestæ cum *Jovis* rebus ferè confunduntur. Fabula videtur ad mores pertinere, ut nihil in Philosophia morali melius inveniatur. Describitur autem sub persona *Bacchi* natura Cupiditatis, sive affectus & perturbationis. Mater enim Cupiditatis omnis, licèt nocentissimæ, non alia est, quàm Appetitus & Desiderium Boni Apparentis: Concipitur verò semper Cupiditas in voto illicito priùs temerè concesso, quàm intellecto & judicato. Postquam autem affectus effervescere cœperit, Mater ejus, (natura scilicet Boni) ex nimio incendio destruitur, & perit: Cupiditas autem dum immatura est, in anima humana; (quæ ejus genitor est, & per *Jovem* repræsentatur) & nutricatur, & occultatur, præcipuè in ani-

in animæ parte inferiore tanquam femore; atque animum pungit, & convellit, & deprimit; adeò ut Decreta, & Actiones ex ea impediantur, & claudicent. Atque etiam postquam consensu & habitu confirmata est, & in actus erumpit, tamen apud *Proserpinam* ad tempus educatur: Id est, latebras quærit, atque clandestina est, & quasi subterranea, donec remotis pudoris, & metus frænis, & coalitâ audaciâ, aut virtutis alicujus prætextum sumit, aut infamiam ipsam contemnit. Atque illud verissimum est, omnem affectum vehementiorem tanquam ambigui sexus esse. Habet enim impetum virilem, impotentiam autem muliebrem. Etiam illud præclarè, Bacchum mortuum revivisce re. Videntur enim affectus quandoque sopiti, atque extincti, sed nulla fides habenda est eis, ne sepultis quidem; siquidem præbitâ materiâ, & occasione resurgunt. Atque de inventione vitis parabola prudens est: Omnis enim affectus ingeniosus & sagax est, ad investigandum fomites suos; Ante omnia autem, quæ hominibus innotuêre, vinum ad perturbationes cujuscunque generis excitandas, & inflammandas potissimum est, & maximè efficax; atque est eis, instar fomitis communis. Elegantissimè autem ponitur affectus provinciarum: subjugator, & expeditionis infinitæ susceptor. Nunquam enim partis acquiescit, sed appetitu infinito neque satiabili ad ulteriora tendit, & novis inhiat; Etiam Tigres apud affectus stabulant, & ad Currum jugantur; Postquam enim affectus aliquis Curulis esse cœpit, non pedestris, & Victor rationis & Triumphator, in omnia quæ adversantur, aut se apponunt, crudelis est, & indomitus, & immitis. Facetum autem est, quòd circa Currum subsultant illi Dæmones ridiculi. Omnis enim affectus progignit Motus in oculis & ore ipso & gestu indecoros, & inconditos, subsultorios & deformes, adeò ut qui sibi in aliquo affectu, veluti Ira, Insultatione, Amore, videatur magnificus, & tumidus, aliis tamen sit turpis & ridiculus. Conspiciuntur etiam in affectus Comitatu Musæ. Neque enim reperitur ullus ferè affectus, cui non blandiatur aliqua Doctrina. Hac enim in re ingeniorum indulgentia, Musarum Majestatem minuit, ut cùm duces vitæ esse debeant, sint Affectuum pedissequæ. Atque inprimis nobilis est illa Allegoria. *Bacchum* amores suos in eam effudisse, quæ ab alio relicta erat. Certissimum enim est, Affectum id petere, & ambire, quod experientia repudiavit. Atque norint omnes, qui affectibus suis servientes, & indulgentes, pretium potiundi in immensum augent, sic honores appetant, sive Fortunas, sive Amores, sive gloriam, sive scientiam, sive alia quæcunque, se res relictas petere, & à compluribus, per omnia ferè sæcula post experimentum dimissas, & fastiditas. Neque Mysterio caret, quòd Hædera *Baccho* sacra fuerit. Hoc enim duplici modo convenit. Primùm, quòd hædera hyeme virescat, deinde, quòd circa tot res, arbores, parietes, ædificia serpat, ac circumfundatur, ac se attollat. Quod ad primum enim attinet, omnis affectus per renitentiam & vetitum, & tanquam Antiperistasin (veluti per frigus brumæ hædera) virescit, & vigorem acquirit. Secundò, affectus prædominans, omnes humanas actiones, & omnia humana decreta tanquam hædera circumfunditur, atque iis se addit, & adjungit, & immiscet. Neque mirum est, si superstitiosi ritus *Baccho* attribuantur, cùm omnis ferè malè sanus affectus in pravis religionibus, luxurietur: Aut si furores ab eo immitti putentur; cùm omnis affectus, & ipse furor brevis sit, & si vehementius obsideat, & incumbat, in insania terminetur. Illud autem de *Pentheo*, & *Orpheo* Laceratis evidentem habet parabolam; Cùm affectus prævalidus & inquisitioni curiosæ, & admonitioni salutari, & liberæ, asperrimus, atque infensissimus sit. Postremò illa confusio personarum *Jovis* & *Bacchi*, ad parabolam rectè traduci potest; quandoquidem res gestæ nobiles & claræ, & merita insignia, & gloriosa, interdum à virtute, & recta ratione, & magnanimitate, interdum à latente affectu, & occultâ cupiditate (utcunque famæ, & laudis celebritate efferantur) proveniant; ut non facilè sit distinguere facta *Bacchi*, à factis *Jovis*.

XXV.

ATALANTA, SIVE LUCRUM.

ATalanta cùm velocitate excelleret, de victoria Cursus cum *Hippomene* certamen iniit. Conditiones certaminis erant; victori *Hippomeni* Conjugium *Atalantæ*, Mors victo. Neque dubia victoria videbatur, cùm *Atalantæ* insuperabilis in cursu præstantia multorum exitio insignita fuisset. Itaque *Hippomenes* ad dolos animum adjecit. Paravit autem tria Mala Aurea, eaque secum portavit. Res geri cœpit; Præcurrit *Atalanta*; Ille cùm se à tergo relictum cerneret, artis non immemor, ex Malis Aureis unum ante conspectum *Atalantæ* projecit; non rectâ quidem, sed ex transverso, ut illam & moraretur, atque insuper de via deduceret; Illa cupiditate muliebri, & Mali pulchritudine illecta; omisso stadio post malum cucurrit, & ad illud tollendum se submisit. *Hippomenes* interim, spatium stadii non parvum confecit, eamque post se reliquit. Illa tamen rursus naturali pernicitate jacturam temporis resarcivit, atque iterum emicuit; sed cùm *Hippomenes* secundò & tertiò hujusmodi moras ei injecisset, tandem victor astutiâ, non virtute evasit. Fabula videtur Allegoriam insignem proponere de Certamine Artis cum Natura. Ars enim per *Atalantam* significata, virtute propriâ, si nihil obstet, & impediat, longè naturâ velocior est, & veluti Cursus citatioris; & celeriùs ad Metam pervenit. Hoc enim in omnibus ferè effectis patet; Cernas fructus ex nucleis tardè, ex insitione celeriter provenire; Cernas lutum in generatione Lapidum tardè, in torrefactione Laterum citò durescere; Etiam in Moralibus, dolorum oblivionem, & solatia diuturnitas temporis quasi ex beneficio naturæ inducit, Philosophia autem (quæ veluti ars videndi est) diem non expectat, sed præstat & repræsentat. Verùm istam Artis prærogativam & vigorem infinito rerum humanarum detrimento, Mala Aurea retardant. Neque reperitur ex Scientiis, aut Artibus aliqua, quæ cursum suum verum & legitimum ad finem suum, aanquam ad Metam constanter produxerit; Sed perpetuò

Artes

Artes incœpta præcidunt, & stadium deserunt, & ad lucrum & commodum declinant, instar *Atalantæ.*

Declinat Cursus, Aurumq; volubile tollit.

Iaque mirum minimè est, si Arti non datum sit, Naturam vincere, & victam ex pacto illo & lege Certaminis perimere, aut destruere; sed Contrarium eveniat, ut Ars in Naturæ potestate sit, atque veluti nupta mulier conjugi pareat.

XXVI.

PROMETHEUS, SIVE STATUS HOMINIS.

TRadunt Antiqui Hominem fuisse opus *Promethei*, atque ex Luto factum, nisi quod *Prometheus* particulas ex diversis Animalibus Massæ admiscuerit. Ille autem cùm opus suum beneficio suo tueri vellet, neque Conditor solùm generis humani videri, verum etiam Amplificator, ad Cœlum ascendit furtim, fasces secum portans ex Ferulâ, quibus ad currum Solis admotis, & accensis, Ignem ad terram detulit, atque cum hominibus communicavit. Ob tantum *Promethei* meritum memorant homines parùm gratos fuisse. Quinetiam conspiratione factâ, & *Prometheum* & inventum ejus apud *Iovem* accusarunt. Ea res non perinde accepta, atque æquum videri possit. Nam ipsa accusatio *Iovi*, & superis admodum cordi fuit. Itaq; delectati non solùm ignis usum Hominibus indulserunt, verùm & novum Munus omnium maximè amabile & optabile (perpetuam nimirũ Juventam) hominibus donârunt. Illi gestientes & inepti, donum Deorum Asello imposuerunt. Inter redeundum autem laborabat Asellus siti gravi, & vehementi; cumque ad fontem quendam pervenisset, serpens fonti custos additus, eum à potu prohibuit, nisi illud quodcunque esset, quod in dorso portaret, pacisci vellet: Asellus miser conditionem accepit, atque hoc modo instauratio Juventutis, in pretium haustus pusillæ aquæ, ab hominibus ad Serpentes transmissa est. Verùm *Prometheus* à Malitiâ sua non abscedens, atque hominibus post præmium illud eorum frustratum, reconciliatus, animo verò orga *Iovem* exulcerato, dolos etiam ad Sacrificium adhibere veritus non est. Atque duos aliquando tauros *Iovi* dicitur immolasse, ita tamen ut in alterius pelle carnes & adipem amborum inclusérit, alteram pellem ossibus tantummodo suffarcinârit; atque deinde religiosus scilicet, & benignus *Iovi* optionem concessit. *Iupiter* vafriciem, & malam fidem ejus detestatus, sed nactus occasionem ultionis, Ludibrium illud tauri elegit; atque ad vindictam conversus, cùm se insolentiam *Promethei* reprimere non posse animadverteret, nisi hominum genus (quo opere ille immensum turgebat, & efferebatur) afflixisset, *Vulcano* imperavit, ut fœminam componeret pulchram & venustam, cui etiam Dii singuli dotes suas impertierunt, quæ ideirco *Pandora* vocata est. Huic fœminæ inter manus vasculum elegans posuerunt, in quo omnia mala, & ærumnas inclusérant; subsidebat autem in imo vase spes. Illa cum vasculo suo ad *Prometheum*, primò se contulit; eum captans, si fortè ille vas accipere vellet, & aperire; quòd ille cautus & astutus rejecit. Itaque ad *Epimetheum Promethei* fratrem, (sed diversæ admodum indolis) spreta deflexit. Ille nihil cunctatus, vas temerè aperuit; cumque mala illa omnigena evolare cerneret, serò sapiens, magnâ contentione, & festinatione vasi operculum suum rursùs indere conatus est, vix tamen ultimam, & in fundo residentem Spem servare potuit. Postremò *Prometheo Iupiter* plurima & gravia imputans, quòd ignis olim furtum fecisset, quod Jovis majestatem in sacrificio illo doloso ludibrio habuisset, quòd donum ejus spernatus esset, novo etiam addito crimine, quòd *Palladem* vitiare tentasset, eum in vincula conjecit, & ad perpetuos cruciatus damnavit. Erat enim jussu *Iovis* adductus ad montem *Caucasum*, atque ibi Columnæ alligatus, ut nullo pacto se movere posset; aderat autem Aquila, quæ jecur ejus interdiu rostro tundebat atque consumebat, noctu autem quantum comesum erat, renascebatur; ut nunquam doloris materia deficeret. Memorant tamen hoc supplicium aliquãdo finem habuisse: *Hercules* enim in Poculo quod à Sole acceperat, navigato Oceano, ad *Caucasum* pervenit, atque *Prometheum* liberavit, Aquila sagittis confixa. Instituta autem sunt, in honorem *Promethei* apud nonnullos populos Lampadiferorum certamina, in quibus decurrẽtes accensas faces ferebant, quas si extingui contigisset, victoriam sequentibus cedebant, & se subducebant, atque is demùm palmam accepit, qui primus facem accensam ad metam usque detulisset.

Fabula contemplationes plurimas veras atque graves & præ se fert & premit. Nonnulla enim in ea jam pridem rectè notata, alia planè intacta sunt. *Prometheus* Providentiam liquidò & disertè significat: Atq; in rerum universitate sola desumpta & delecta est ab Antiquis Hominis fabrica & constitutio, quæ providentiæ attribuantur tanquam opus proprium. Hujus rei non solùm illud in causa esse videtur, quòd Hominis natura Mentem suscipit, atque Intellectum Providentiæ sedem; atque durum quodammodo videtur, & incredibile ex Principiis brutis, & surdis excitare, & educere Rationem & Mentem, ut ferè necessariò concludatur providentia Animæ humanæ indita esse, non sine exemplari & intentione, & Authoramento Providentiæ majoris: Verùm & hoc præcipuè proponitur, quòd homo veluti Centrum Mundi sit, quatenus ad causas finales; adeò ut sublato è rebus Homine, reliqua vagari sine proposito videantur, & fluctuari, atque, quod ajunt, scopæ dissolutæ esse, nec finẽ petere. Omnia enim subserviunt Homini, isq; usum & fructum ex singulis elicit & capit. Etenim Astrorum conversiones, & Periodi, & ad distinctiones temporum, & ad Plagarum Mundi distributionem faciunt. Et Meteora ad præsagia tempestatum, & venti tum ad navigandum, tum ad Mola, & Machinas, & Plantæ, atque Animalia cujuscunque generis, aut ad domicilia hominis & latebras, aut ad vestes, aut ad victum, aut ad Medicinam aut ad levandos labores, aut denique ad delectationem & solatium referuntur: adeò ut omnia prorsùs non suam rem agere videantur, sed hominis. Neque temerè additum est, in Massa illa & Plasmate, particulas ex diversis animantibus desumptas, aque cum luto illo temperatas & confusas fuisse, quia verissimum est, omnium rerũ, quas universum complectitur, hominem rem maximè compositam esse, & decompositam, ut nõ imeritò

ab an-

ab antiquis mundus minor vocatus sit. Quamvis enim verbi Microcosmi Elegantiam, Chimici nimis putidè, & ad literam acceperint, & detorserint, dum in Homine Omnem Mineram, Omne vegetabile & reliqua, aut aliquid eis proportionatum subesse volunt; Manet tamen illud solidum & sanum quod diximus; Corpus Hominis omnium Entium & maximè mistum, & maximè organicum reperiri, quo magis admirandas virtutes, & facultates suscipit, & nanciscitur: Simplicium enim Corporum Vires paucæ sunt, licet certæ & rapidæ, quia minimè per Mixturam refractæ, & comminutæ, & libratæ existunt; virtutis autem Copia & excellentia in Misturâ & compositione habitat. Atque nihilominùs Homo in Originibus suis videtur esse res inermis & nuda, & tarda in Juvamentum sui, denique quæ plurimis rebus indigeat. Itaque festinavit *Prometheus* ad inventionem ignis, qui omnibus, ferè humanis necessitatibus & usibus suppeditat & ministrat levamente & auxilia: ut si forma formarum Anima, si instrumentum Instrumentorum Manus, Etiam auxilium auxiliorum, si Opis Opium Ignis dici mereatur. Hinc enim Operationes quamplurimæ; Hinc Artes Mechanicæ; Hinc scientiæ ipsæ infinitis modis adjuvantur. Modus autem futuri Ignis aptè describitur, atque ex naturâ rei. Is fuisse perhibetur per virgam ex ferulâ ad Currum Solis admotam. Ferula enim ad percussionem & plagas adhibetur, ut luculenter significetur, Ignis generationem per corporum violentas percussiones & collisiones fieri, ex quibus attenuantur Materiæ, & in motu ponuntur, & ad calorem Cœlestium suscipiendum præparantur, ignemque veluti ex curru Solis modis clandestinis, ac quasi furtim decerpunt & rapiunt. Sequitur Parabolæ pars insignis. Homines loco gratulationis & gratiarum actionis, ad indignationem, & expostulationem versos esse, atque accusationem & *Prometheï* & Ignis apud *Jovem* instituisse; eamque rem *Jovi* acceptissimam fuisse, adeò ut hominum commoda ob hoc novâ munificentia cumulaverit. Quorsum enim ista criminis ingrati erga Authorem suum animi (quod vitium omnia ferè complectitur) approbatio & remuneratio? Res aliò spectare videtur. Hoc enim vult Allegoria; Incusationem & Naturæ suæ, & Artis per homines factam, ex optimo Mentis statu proficisci, atque in bonum cedere; contrarium Diis invisum, & infaustum esse. Qui enim Naturam humanam vel Artes receptas in immensum extollant, & effusi sunt in admirationem earum rerum, quas habent, & possident, & scientias quas profitentur, aut colunt, perfectas prorsus censeri volunt, illi primò adversus divinam naturam minùs reverentes sunt, cujus perfectioni sua ferè æquiparant; Deinde iidem erga homines magis sunt infructuosi, cùm se ad fastigium rerum jam pervenisse putent & tanquam perfuncti ulteriora non quærant. Contrà qui Naturam & Artes deferunt, & accusant & querimoniarum pleni sunt, illi verè & magis modestum animi sensum retinent, & perpetuò ad novam industriam, & nova inventa extimulantur. Quo mihi magis mirari libet Hominum insciitiam, & malum Genium qui paucorum arrogantiæ servuli, istam Peripaticorum Philosophiam, portionem Græcæ sapientiæ, nec eam magnam, in tanta veneratione habent, ut omnem ejus incusationem non solùm inutilem, sed suspectam & ferè periculosam reddiderint. Atque magis probandus est, & *Empedocles*, qui tanquam furens, & *Democritus*, qui magnâ cum verecundia, quæruntur, Omnia abstrusa esse, nihil nos scire, nil cernere, veritatem in profundis puteis immersam, veris falsa miris modis adjuncta, atque intorta esse; (nam Academia nova modum prorsùs excessit) quam *Aristotelis* schola fidens & Pronunciatrix. Itaque monendi sunt Homines, delationem Naturæ & Artis Diis cordi esse, & novas Eleemosynas, & donaria à divina benignitate impetrare, & incusationem *Prometheï* licèt Authoris & Magistri, eamque acrem & vehementem magis sanam & utilem, quam gratulationem effusam esse; denique opinionem Copiæ inter maximas causas Inopiæ reponi. Quod verò attinet ad Doni genus, quod homines in præmium accusationis dicuntur accepisse (florem Juventutis videlicet non deciduum) ejusmodi est, ut videantur Antiqui de Modis & Medicinis ad senectutis retardationem, & vitæ prolongationem facientibus, non desperâsse; sed illa utique numerâsse potiùs inter ea, quæ per Hominum inertiam, & incuriam licèt semel accepta periêre, aut frustrata sunt; quàm inter ea quæ planè negata & unquam concessa fuerint. Significant enim, & innuunt, ex ignis verò usu, atque ex artis erroribus bene & strenuè accusatis, & convictis, munificentiam divinam ad hujusmodi dona hominibus non defuisse; ipsos sibi deesse, cùm hoc Deorum munus Asello imposuerint lento & tardigrado; Ea videtur esse Experientia res stupida & plena moræ, & cujus gradu tardo & testudineo antiqua illa quærimonia *de Vitâ brevi*, & *Arte longâ* nata est.

Atque certè nos in eâ sumus opinione, facultates illas duas, *Dogmaticam* & *Empiricam*, adhuc non benè conjunctas & copulatas fuisse, sed nova Deorum munera, aut Philosophiis abstrictis tanquam levi Volucri; aut lentæ & tardæ experientiæ tanquam Asello imposita esse. In quo tamen de Asello illo non malè ominandum est, nisi interveniat illud accidens viæ & sitis. Existimamus enim, si quis experientiæ, veluti certâ lege & Methodo constanter militet, neque inter viam experimenta, quæ vel ad Lucrum facinnt, vel ad ostentationem hauriendi siti corripiatur, adeò ut ad ea comparanda onus suum deponat & distrahat; eum munificentiæ divinæ auctæ & novæ Bajulum non inutilem fore. Quòd verò domum illud ad Serpentes transierit, ea videtur adjectio ad Fabulam ornatus ferè gratiâ; nisi fortè illud inseruerint, ut Homines pudeat, se cum igne illo suo, & tot artibus ea in se transferre non posse, quæ Natura ipsa compluribus aliis animalibus largita est. Etiam illa subita Hominum cum *Prometheo* reconciliatio postquam spe sua decidissent, monitum habet utile & prudens. Notat enim Hominum levitatem & temeritatem in experimentis novis. Ea enim si statim

ſtatim non ſuccedant, & ad vota reſpondeant, præpoperâ feſtinatione, homines incœpta deſerunt, & præcipites ad Vetera recurrunt, iiſque reconciliantur. Deſcripto ſtatu hominis, quoad artes & intellectualia, Parabola tranſit ad Religionem; culturam enim Artium, Cultus Divinorum comitatus eſt; quem ſtatim Hypocriſis occupavit & polluit. Itaque ſub duplici illo ſacrificio, eleganter repræſentatur perſona verè Religioſi & Hypocritæ. Alteri enim ineſt adeps, Dei nimirum portio, ob inflammationem, & ſuffitum, per quod affectus & Zelus ad gloriam Dei incenſus, atque alta petens ſignificatur; Inſunt viſcera charitatis, in ſunt carnes bonæ, & utiles. In altero nihil præter oſſa arida, & nuda reperiuntur, quæ nihilominus pellem farciunt, & hoſtiam pulcherrimam & magnificam imitantur; per quæ rectè notantur externi, & inanes ritus & Ceremoniæ jejunæ, quibus homines cultum divinum onerant & inflant, res ad oſtentationem potiùs compoſitæ, quàm ad pietatem facientes. Neque ſatis eſt hominibus hujuſmodi ludibria Deo offerre, niſi ea etiam illi imponant & imputent, ac ſi ipſe illa elegerit, & præſcripſerit. Certè Propheta ſub Dei perſona de hac optione expoſtulat: *Nam tandem hoc eſt illud Jejunium, quod elegi, ut homo animam ſuam in diem unum affligat, & caput inſtar junceæ demittat?* Poſt ſtatum Religionis, Parabola ſe vertit ad mores, humanæ & vitæ conditiones. Atque pervulgatum eſt illud, & tamen rectè poſitum, per *Pandoram* ſignificari Voluptatem, & Libidinem, quæ poſt vitæ civilis artes & cultum, & luxum, veluti ex dono ignis, & ipſa incenſa eſt. Itaque *Vulcano* qui ſimiliter ignem repræſentat, opificium voluptatis deputatur. Ab illa autem infinita mala, & in animos & in corpora & fortunas hominum unà cum ſera pœnitentia fluxerunt; neque tantum in ſtatus ſingulorum verùm etiam in Regna & Reſpub. Ab eodem enim fonte bella & tumultus, & Tyrannides ortum traxere. Verùm opere prætium eſt animadvertere, quàm bellè & eleganter fabula duas humanæ vitæ conditiones, & veluti Tabulas ſive Exempla ſub perſonis *Promethei* & *Epimethei* depinxerit. Qui enim Sectam *Epimethei* ſequuntur, illi improvidi, neque in longum conſulentes, quæ in præſentia ſuavia ſunt, prima habent, atque multis ſane propter hoc anguſtiis & difficultatibus, & Calamitatibus premuntur, & perpetuò ferè cum illis conflictantur; interim tamen genium ſuum placant, atque inſuper ob rerum imperitiam multas inanes ſpes intra animum volvunt, quibus tamen veluti ſuavibus inſomniis ſe delectant, atque miſerias vitæ ſuæ condiunt. *Promethei* autem ſchola, homines nimirùm prudentes, & in futurum proſpicientes, multa ſcilicet mala, & infortunia cautè ſubmovent & rejciunt; Verùm cum hoc bono illud conjunctum eſt, ut multis voluptatibus, & varia rerum jucunditate ſe privent, & Genium ſuum fraudent, atque quod multò pejus eſt, Curis & ſollicitudine & timoribus inteſtinis ſe crucient, & conficiant, alligati enim Neceſſitatibus columnæ, innumeris cogitationibus (quæ, quia volucres admodum ſunt, per Aquilam ſignificantur) iiſque pungentibus, & jecur mordentibus & corrodentibus vexantur; niſi fortè aliquando veluti noctu exiguam quampiam animi remiſſionem, & quietem nanciſcantur; ita tamen ut ſtatim ſubinde redeant novæ anxietates, & formidines. Itaque paucis admodum utriuſque Sortis beneficium contigit, ut providentiæ commoda retinuerint, ſolicitudinis, & perturbationis malis ſe liberârint: neque id quiſquam aſſequi poteſt, niſi per *Herculem*, id eſt, Fortitudinem, & animi Conſtantiam, quæ in omnem eventum parata, & cuicunque ſorti æqua, proſpicit ſine metu, fruitur ſine faſtidio, & tolerat ſine impatientiâ. Atque illud notatu dignum eſt, Virtutem hanc *Prometheo* non innatam, ſed adventitiam fuiſſe, atque ope aliena. Nulla enim ingenita, & naturalis Fortitudo, tantæ rei par eſſe poſſit. Sed hæc virtus ab ultimo Oceano, atque à Sole accepta & advecta eſt: Præſtatur enim à Sapientiâ, tanquam à Sole, & à meditatione inconſtantiæ, ac veluti undarum humanæ vitæ, tanquam à navigatione Oceani; quæ duo Virgilius bene conjunxit:

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Quique metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus ſtrepitumque Acherontis avari.

Elegantiſſimè autem additur ad Hominum animos conſolandos & confirmandos, *Heroem* iſtum ingentem in poculo ſive urceo navigaſſe: ne fortè naturæ ſuæ anguſtias, & fragilitatem nimium pertimeſcant, aut cauſentur; ac ſi hujuſmodi fortitudinis & conſtantiæ capax omninò non eſſet; de quo ipſo *Seneca* bene ominatus eſt, cum dicat, *Magnum eſt habere ſimul fragilitatem hominis, & ſecuritatem Dei.* Sed jam retrocedendum eſt ad illud, quod conſultò præterivimus, ne ea quæ inter ſe connexa ſunt, abrumperemus. Hoc eſt, de noviſſimo illo Promethei crimine, quòd pudicitiam *Minervæ* ſolicitaſſet. Nam & ob hoc Delictum graviſſimum certè, & maximum, illam pœnam laniationis viſcerum ſubiit. Illud non aliud eſſe videtur, quàm quod homines artibus, & Scientiâ multâ inflati, etiam Sapientiam divinam ſenſibus & rationi ſubjicere ſæpius tentent; ex quo certiſſimè ſequitur mentis laceratio & ſtimulatio perpetua & irrequieta. Itaque mente ſobriâ & ſubmiſſa diſtinguenda ſunt humana & divina; atque oracula ſenſus, & fidei; niſi fortè & religio hæretica, & Philoſophia commentitia hominibus cordi ſit. Reſtat ultimum illud de ludis *Promethei* cum tædis ardentibus. Hoc rurſus ad Artes Scientias pertinet, ſicut Ignis ille, ad cujus memoriam & celebrationem hujuſmodi ludi inſtituti ſunt; atque continet in ſe monitum, idque prudentiſſimum ut perfectio Scientiarum à ſucceſſione, non ab unius alicujus pernicitate, aut facultate expectetur. Etenim qui ad Curſum & contentionem velociſſimi & validiſſimi ſunt, ij ad facem ſuam accenſam ſervandam fortaſsè minùs ſunt habiles, cum à curſu rapido, æquè ac nimis tardo, periculum extinctionis immineat. Iſti autem Luminum curſus & certamina jampridem inter-

 miſſa

missa videntur, cùm Scientiæ in primis quibusque authoribus, *Aristotele*, *Galeno*, *Euclide*, *Ptolomæo*, maximè florere cernantur; atque successio nil magni effecerit, aut ferre tentaverit. Atque optandum esset, ut isti Ludi in honorem *Promethei*, sive humanæ Naturæ instaurarentnr, atque Res certamen & æmulationem & bonam fortunam reciperet, neque ex unius cujuspiam face tremulâ atque agitatâ penderet. Itaque homines monendi sunt, ut se ipsi suscitent, & vires atque etiam vices suas experiantur, neque in paucorum hominum animulis & cerebellis omnia ponant. ¶ Hæc sunt illa, quæ in Fabulâ ista vulgari, & decantata nobis adumbrari videntur; neque tamen inficiamur, illi subesse haud pauca, quæ ad Christianæ fidei mysteria miro consensu innuant; ante omnia Navigatio illa Herculis in Urceo ad liberandum *Prometheum*, Imaginem Dei Verbi in carne tanquam fragile vasculo ad redemptionem humani properantis præ se ferre videtur. Verùm non omnem in hoc genere licentiam nobis ipsi interdicimus, ne fortè Igne Extraneo ad Altare Domini utamur.

XXVII.

ICARUS VOLANS: ITEM SCYLLA, ET CHARYBDIS, SIVE, VIA MEDIA.

Mediocritas, sivè Via Media, in Moralibus laudatissima est; in Intellectualibus minùs celebrata, sed non minùs utilis, & bona: In Politicis tantam suspecta, & cum judicio adhibenda. Morum autem Mediocritatem, per viam *Icaro* præscriptam; Intellectualium autem, per Viam inter *Scyllam* & *Charybdim* ob difficultatem & periculum decantatam, ab Antiquis notantur. *Icaro* præcêpit Pater, cùm Mare esset prætervolandum, ut viam aut nimis sublimen, aut nimis humilem caveret. Cùm enim Alæ cerâ essent conglutinatæ, periculum erat si altiùs efferretur, neocera ex Solis ardore liquefieret; Sin ad vaporem Maris propius se submitteret, ne ab humore cera minùs tenax efficeretur. Ille vero ausu Juvenili in celsiora contendit, atque in præceps lapsus est. Parabola facilis & vulgata est: Virtutis enim via inter Excessum, & Defectum recto tramite aperitur. Neque mirum erat, si *Icarum*, Juvenili Alacritate gestientem, Excessus perdiderit. Excessus enim ferè Juvenum: Defectus Senum vitia esse solent. Ex Semitis tamen malis: & nocivis, elegit *Icarus*, (si planè pereundum erat) meliorem. Defectus enim rectè æstimantur Excessibus praviores. Quandoquidem Excessui, nonnihil Magnanimitatis subsit, & cognationis cum Cœlo, ad instar volucris: Defectus verò humi serpat, instar Reptilis. Præclarè Heraclitus; *Lumen Siacum*, *Optima Anima*. Nam si ex humo humorem contrahat anima: prorsus deprimitur & degenerat: Interim tamen Modus adhibendus est, ut ab illa Siccitate laudatâ, Lumen reddatur subtilius, non corripiatur incendium. Atque hæc cuivis ferè nota sunt. At via illa in Intellectualibus inter *Scyllam* & *Charybdim*, certè & peritiam navigandi, & fœlicitatem desiderat. Si enim in *Scyllam* incidant Naves, illiduntur cautibus: Sin in *Charybdim*, absorbentur. Cujus Parabolæ ea videtur esse vis (quam nos breviter perstringemus, tametsi infinitam trahat contemplationem) ut in omni Doctrina & Scientiâ, earumque Regulis & Axiomatibus, Modus teneatur inter Distinctionum Scopulos, & universalium Voragines. Hæc enim duo naufragiis ingeniorum, & Artium famosa sunt.

XXVIII.

SPHINX, SIVE SCIENTIA.

TRaditur *Sphinx* fuisse Monstrum specie multiforme; facie, & voce virginis; pennis volucris; unguibus *Gryphi*: Jugum autem Montis in agro *Thebano* tenebat, & vias obsidebat: Mos autem ei erat, viatores, ex insidiis invadere, ac comprehendere: quibus in potestatem redactis, Ænigmata quædam obscura & perplexa proponebat, quæ à Musis præbita, & accepta putabantur. Ea si solvere, & interpretari, miseri captivi non possent; hæsitantes & confusos in illis, magna sævitia dilaniabat. Hæc calamitas cum diu grassaretur; præmium propositum est à *Thebanis*, (ipsum *Thebarum* Imperium) viro qui *Sphingis* Ænigmata explicare possit, (neque enim alia superandæ illius ratio erat) Tanto pretio excitatus *Oedipus* vir acer, & prudens, sed pedibus læsis, & perforatis conditionem accepit, & experiri statuit. Postquam autem fidens animi & alacer se coram *Sphinge* stitiset: Illa ab eo quæsivit, quale tandem illud Animal esset, quod primò quadrupes natum, postea bipes factum esset, deinde tripes, ad extremum rursus quadrupes. Ille prælenti animo respondit, Illud in Hominem competere, qui sub ipsum partum & infantiam quadrupes provolvitur, & vix repere tentat, nec ita multò pòst erectus & bipes incedit; in Senectute autem baculo innititur, & se sustentat, ut tanquam tripes videatur! extrema autem ætate decrepitus Senex labantibus nervis, quadrupes decumbit, & lecto affigitur. Itaque vero responso victoriam adeptus *Sphingem* interemit! Cujus corpus Asello impositum, veluti in Triumpho ducebatur; ipse autem ex pactis Rex *Thebanorum* creatus est. Fabula elegans, nec minùs prudens est: atque videtur conficta, de scientiâ, prætertim conjuncta practicæ. Siquidem Scientia non absurdè Monstrum dici possit, cùm ignorantibus & imperitis prorsus admirationi sit. Figura autem & specie multiformis est, ob immensam varietatem subjecti, in qua Scientia versatur: vultus & vox affingitur Muliebris ob gratiam & loquacitatem: Adduntur Alæ, quia Scientiæ & earum Inventa momento discurrunt, & volant, cùm Communicatio Scientiæ sit instar Luminis de Lumine, quod affatim incenditur. Elegantissimè autem attribuuntur ungues acuti, & adunci; quæ Scientiæ Axiomata, & Argumenta penetrant mentem, eamque præhendunt & tenent, ut movere & elabi non possit: quod & Sanctus Philosophus notavit; *Verba Sapientum* (inquit) sunt *tanquam Aculei*, *& veluti Clavi in Altum defixi*. Omnis autem Scientia collata videtur in arduis & editis Montium. Nam res sublimis meritò putatur, & excelsa, & ignorantiam tanquam ex superiore loco despiciens,

ciens, atque etiam latè & undequaque speculatur & prospicit, ut in verticibus Montium fieri solet. Vias autem obsidere fingitur Scientia, quia ubique in Itinere isto, sive peregrinatione vitæ humanæ, Materia & occasio contemplationis se ingerit, & occurrit. Proponit autem *Sphinx* Quæstionis & Ænigmata mortalibus varia & difficilia, quæ accepit à Musis. Ea tamen quamdiu apud Musas manent, sævitiâ fortasse carent. Donec enim nullus alius Finis Meditationis, & disquisitionis sit, præter ipsum Scire, Intellectus non premitur, nec in Arcto ponitur, sed vagatur, & expatiatur; atque in ipsa dubitatione, & varietate nonnullam jucunditatem & delectationem sentit, sed postquàm à Musis hujusmodi Ænigmata ad *Sphingem* transmissa sunt, id est, ad Practicam, ut instet, & urgeat Actio & Electio, & Decretum: tum demùm Ænigmata molesta & sæva esse incipiunt, & nisi solvantur & expediantur, animos hominum miris modis torquent, & vexant, & in omnes partes distrahunt, & planè lacerant. Proinde in Ænigmatibus *Sphingis* duplex semper proponitur conditio; non solventi mentis laceratio; Solventi Imperium. Qui enim rem callet, in fine suo potitur, atque omnis artifex Operi suo imperat. Ænigmatum *Sphingis* duo in universum sunt genera: Ænigmata de Naturâ rerum, atque Ænigmata de Naturâ hominis; Atque similiter in Præmium solationis sequuntur duo Imperia; Imperium in Naturam, & Imperium in Homines; Veræ enim Philosophiæ Naturalis finis proprius & ultimus est, Imperium in Res Naturales, Corpora, Medicinas, Mechanica, alia infinita; licet Schola, oblatis contenta, & Sermonibus tumefacta, Res & opera negligat, & ferè projiciat. Verùm Ænigma illud *Oedipo* propositum, ex quo ille Imperium *Thebanum* adeptus est, pertinebat ad naturam Hominis: Quisquis enim naturam Hominis prorsus introspexit, ille faber ferè fortunę suæ esse potest, & ad imperandum natus est. Id quod de Romanis artibus benè pronunciatum est:

Tu regere Imperio populos, Romane memento,
Hæ tibi erunt artes.

Itaque appositè illud; quod *Augustus Cæsar* Signo *Sphingis*, sive de industriâ, sive fortuitò usus est. Ille enim (si quis unquam) in Politica excelluit, & in vitæ suæ curriculo, plurima nova Ænigmata de Naturâ hominis fœlicissimè solvit, quæ nisi dexter & paratus solvisset, multoties non procul ab imminente pernicie & exitio abfuisset. Atque additur in Fabulâ *Sphingis* devicte Corpus in Asellum impositum fuisse. Elegantissimè certè, cùm nihil sit tam acutum, & abstrusum, quin postquam planè intellectum, & deinceps pervulgatum sit, etiam tardo imponi possit. Neque illud prætermittendum: debellatam esse *Sphingem* à viro pedibus clavato: Etenim nimis cito pede, & celeri gradu ad Ænigmata *Sphingis* homines properare solent: unde fit, ut (prævalente *Sphinge*) potiùs per disputationes ingenia & animos lacerent, quàm per opera & effectus imperent.

XXIX.
PROSERPINA, SIVE SPIRITUS

NArrantt *Plutonem*, postquàm regnum Inferorum ex partitione illa memorabili accepisset, de nuptiis alicujus è superis desperâsse, si eas per colloquia, aut modos suaves tentaret; ut ad Raptum consilia sua dirigere ei fuerit necesse. Itaque captatâ opportunitate *Proserpinam Cereris* filiam, Virginem pulcherrmam, dum flores *Narcisci* in *Siciliæ* pratis colligeret, subito incursu rapuit, atque quadrigis secum ad subterranea asportavit; Ei magna reverentia præbita est, ut & Domina Ditis vocata sit. *Ceres* autem ejus mater, cùm filia sibi unicè dilecta nusquam comparuisset, supra modum mœsta & anxia, tædam accensam ipsa manu præ se ferens, universum Orbis terrarum ambitum peragravit, ut filiam investigaret & recuperaret. Id cùm frustra fuisset, accepto fortè indicio, quod ad inferos devecta esset multis lachrymis & lamentationibus *Iovem* fatigavit, ut illa ei restitueretur. Atque tandem pervicit, ut si illa nihil ex iis quæ apud Inferos essent, degustâsset, tum eam abducere liceret. Ea conditio Matris desiderio adversa fuit *Proserpina* enim grana tria ex malo granato gustâsse comperta est. Neque idcirco *Ceres* destitit, quin preces & ploratus de integro resumeret. Postremò itaque ei indultum est, ut *Proserpina* dispertitis temporibus, & alternis vicibus, sex menses cum Marito, alteris cum Matre esset. Hanc *Proserpinam* posteà *Theseus* & *Perithous* eximia audacia thalamo Ditis deducere tentarunt. Cùm autem in itinere super saxo apud Inferos defessi consedissent, eis resurgere minimè licuit, sed æternùm sedebant. *Proserpina* itaque Inferorum Regina mansit; in cujus honorem etiam additum est privilegium magnum; Cùm enim ab Inferis revocare gradum, illis qui eò descendissent, fas non esset; adscripta est huic legi Exceptio singularis; ut si quis Ramum Aureum in donum *Proserpinæ* attulisset, ei ob hoc ire & redire liceret. Is ramus unicus erat in ingenti, & opaco luco, neque stirps erat, sed visci instar in aliena arbore frondebat, atque avulso illo alter non deficiebat.

Fabula ad Naturam pertinere videtur, atque vim, & copiam illam in subterraneis, divitem & frugiferam, ex qua hæc nostra pullulant, & in quam rursus solvuntur, & redeunt, perscrutari. Per *Proserpinam* Antiqui significârunt Spiritum illum æthereum qui sub terrâ (per *Plutonem* repræsentatâ) clauditur & detinetur à superiore globo divulsus, quod non malè expressit ille:

Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat semina cœli.

Ille Spiritus raptus à Terra fingitur, quia minimè cohibetur, ubi tẽpus, & moram habet ad evolandum, sed subita confractione & comminutione tantum, compingitur & figitur, perinde, ac si quis aërem aquæ commiscere tentet: Quod nullo modo efficere possit, nisi per agitationem celerem & rapidam: hâc enim ratione videmus illa corpora conjungi cum Spuma, Aëre tanquam rapto ab Aqua. Neque ineleganter additur, *Proserpinam* flores *Narcissi* in vallibus colligentem raptam fuisse: Quia *Narcissus* à torpore sive stupore

pore nomen sumit; atque tum demùm Spiritus ad raptum Materiæ Terrestris magis præparatus & opportunus, cùm coagulari incipit, ac veluti torporem colligere. Rectè autem tribuitur honor ille *Proserpinæ*, qualis nulli uxori Deorum; ut Ditis Domina sit, quia ille Spiritus planè omnia in illis regionibus administrat, stupido & quasi ignaro *Plutone*. Hunc autem spiritum Æther, ac vis Cœlestium (per *Cererem* adumbrata) infinita sedulitate elicere, atque sibi restituere contendit; Fax autem illa Ætheris sive Teda ardens in manu *Cereris* proculdubio Solem denotat, qui circa terræ ambitum luminis officio fungitur, atque maximi omnium esset ad *Proserpinam* recuperandam momenti, si omninò hoc fieri posset. Illa tamen hæret, & manet: Cujus ratio sequitur accuratè & excellenter proposita in Pactis illis *Jovis* & *Cereris*. Primùm enim certissimum est, duos esse modos spiritus in Materiâ solidâ & terrestri cohibendi. Alterum per Constipationem sive obstructionem, qui est mera incarceratio & violentia. Alterum per Ministrationem proportionati alimenti, atque id fit sponte & libenter. Postquam enim Spiritus inclusus depascere incœpit, atque se alere, evolare protinùs non festinat; sed veluti in Terra sua figitur: Atque hæc est illa degustatio *Proserpinæ* ex malo granato: quæ si non fuisset, jam pridem à *Cerere* cum face illa sua orbem terrarum peragrante, abducta fuisset. Spiritus enim qui subest metallis & mineralibus compingitur fortasse præcipuè per Massæ soliditatem; qui autem in Plantis est & Animantibus, in corpore poroso habitat, & aperta effugia habet, nisi per illum modum Degustationis libenter detineretur. Secundum autem pactum de Semestri consuetudine, non aliud est quàm Elegans descriptio dispertitionis Anni; cùm spiritus ille per terram perfusus, quoad res vegetabiles mensibus æstatis apud superiora degat, atque mensibus hyemis ad subterranea redeat. Quod verò attinet ad conatum illum *Thesei* & *Perithoi* abducendæ *Proserpinæ*, id eò spectat, quod sæpius fiat, ut Spiritus subtiliores qui ad terram in multis corporibus descendunt, neutiquam illud efficiant, ut Spiritum subterraneum exsugant & secum uniant & evehant; sed contrà ipsi coagulentur, neque ampliùs resurgant; ut *Proserpina* per eos aucta incolis & imperio sit. De virgâ autem illa Aureâ, vix videmur sustinere posse impetum Chymistarum, si in nos hac ex parte irruant; cùm illi ab eodem lapide suo, & Auri montes, & Restitutionem Corporum naturalium veluti à Partis Inferorum promittant. Verùm de Chymica, atque Lapidis illius Procis perpetuis, certò scimus Theoricam eorum esse sine fundamentos, suspicamur etiam Practicam esse sine certo pignore. Itaque missis illis, de istâ postremâ Parabolæ parte hæc nostra sententia est. Nobis certè compertum est ex compluribus Antiquorum figuris, eos Conservationem, atque instaurationem quædamtenus Corporum naturalium, pro re desperatâ non habuisse, sed potiùs pro re abstrusa, & quasi aviâ. Atque idem sentire hoc etiam loco videntur, cùm virgulam istam inter infinita virgulta ingentis & densissimæ Sylvæ collocârunt; Auream autem finxêre, quia Aurum Durationis Tessera est: Insitivam, quia ab Arte hujusmodi effectus sperandus est, non ab aliqua Medicinâ, aut modo simplici, aut naturali.

XXX.

METIS, SIVE CONSILIUM.

NArrant Poëte antiqui *Jovem* cepisse in uxorem *Metin*, cujus nomen non obscurè *Consilium* significat; eam autem ex illo gravidam factam fuisse: Quod cum ille sensisset, partum ejus nullo modo expectâsse, sed utique eam devorâsse, unde & ipse prægnans factus sit: Puerperium autem mirum fuisse: Nam ex capite, sive cerebro *Palladem* armatam peperisse. Hujus Fabulæ monstrosæ, & primo auditu insulsissimæ sensus, arcanum Imperij continere videtur, quâ arte scilicet, Reges se versus Consilia sua gerere soleant, ut authoritas, & majestas eorum non solùm illibata conservetur, verùm apud populum augeatur, & extollatur. Nam Reges se cum Consiliis suis, vinculo veluti nuptiali copulare & conjungere, & de rebus maximis cum eis deliberare, recto & prudente Instituto consueverunt; Idque Majestatem eorum neutiquam imminuere, haud abs re judicant: Verùm cùm Res jam ad Decretum spectat, quod instar partus est, Consilii partes non ultrà tendere sinunt, ne acta ex Consilij arbitrio pendere videantur. Verùm, tum demum Reges (nisi hujusmodi res sit, ut invidiam à se derivare cupiant) quicquid à Consilio elaboratum ut veluti in utero efformatum est, in se transferre consueverunt, ut decretum & Executio) quæ quia cum potestate procedit, & necessitatem infert, eleganter sub Figurâ *Palladis* armatæ involvitur) ab ipsis emanare videatur. Neque satis est, ut hoc ab Auctoritate Regum & eorum Voluntate, solutâ & libera, & non obnoxiâ, profectum videatur; nisi etiam hoc sibi Reges sumant, ut ex Capite eorum, id est, ex Judicio, & prudentiâ propriâ, decreta nata existimentur.

XXXI.

SIRENES. SIVE VOLUPTAS.

FAbula de *Sirenibus* ad perniciosas illecebras voluptatis rectè, sed sensu vulgatissimo transfertur. Nobis autem videtur, *Sapientia Veterum*, tanquam Vvæ malè Calcatæ; ex quibus licet nonnihil exprimitur, tamen potissima quæque resident, & prætermittuntur. Sirenes *Acheloi*, & *Terpsichores* unius ex Musis, filiæ fuisse narrantur; Eæ primis temporibus alatæ erant: sed inito temerè cum Musis certamine victæ, alis mulctatæ sunt. Ex pennis autem evulsis, Musæ coronas sibi fecerunt: adeò ut ab eo tempore Musæ cum Capitibus alatis procederent, præter unam *Sirenum* Matrem: Mora autem *Sirenum* erat in Insulis quibusdam amœnis: Illæ verò è specula naves adventantes cum conspicerent, Cantu navigantes primò detinebant, deinde alliciebant, exceptos autem necabant. Neque simplex erat Cantilena, sed singulis modis maximè naturæ eorum convenientibus captabant.

Tanta

Tanta autem pestis erat, ut Insulæ Sirenum etiam longè intuentibus alberent ex ossibus cadaverum inhumatorum. Huic malo remedium repertum est genere, & modo duplex; Alterum ab *Ulysse*, Alterum ab *Orpheo*: *Ulysses* Sociis omninò aures cerâ obturari jussit; Ipse, cùm experimentum rei facere vellet, periculum autem depellere, se ad malum navis alligari voluit, interminatus, ne quis eum, licèt rogatus, solveret; *Orpheus* verò, missis hujusmodi vinculis, clarâ voce Deorum laudes cantans ad lyram, Voces *Sirenem* retudit, & extra omne periculum fuit.

Fabula ad mores pertinet, atque minimè obscura sanè, nec tamen inelegans Parabola videtur. Voluptates ex Copia rerum, ac affluentiâ; atque ex Hilaritate, sive exultatione animi proveniunt. Illæ olim primis ipsis illecebris subitò, & tanquam alatæ, mortales rapere solebant. Doctrina autem & Eruditio, hoc saltem effecit, ut animus humanus se nonnihil cohibeat, & exitum rei secum perpendat; itaque alas voluptatibus detraxit. Hoc autem in Musarum decus & honorem egregium cessit, Postquam enim Philosophiam contemptum voluptatum inducere posse nonnullorum exemplo potuit; Statim res sublimis visa est, quæ animam veluti humo affixam attollat & evehat, & hominum cogitationes (quæ in capite vigent) pennatas & veluti æthereas faciat. Sola *Sirenum* Mater pedestris, & sine alis mansit; Ea proculdubio nil aliud est, quàm Doctrinæ leves, & ad jucunditatem inventæ, & adhibitæ; quales videntur *Petronio* illi in pretio fuisse, qui postquam sententiam Martis accepisset, in ipsis atriis Mortis delicias quæsivit, cumque etiam literas in Solatium adhibere vellet, nil (inquit *Tacitus*) legit eorum, quę ad constantiam faciunt; sed leves versus. Ex hoc genere est illud:

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque Senum severiorum
Omnes unius æstimemus Assis.

Et illud:

Iura Senes nôrint, & quid sit fasque nefasque,
Inquirant tristes legumque examina servent.

Hujusmodi enim doctrinæ, alas Musarum Coronis rursus detrahere, & Sirenibus restituere velle videntur. Habitare autem perhibentur *Sirenes* in Insulis, quia voluptates ferè secessus quærunt, atque hominum cœtus sæpe vitant: *Sirenum* autem Cantus omnibus de cantatus est, ejusque pernicies, & artificium varium: Itaque interprete hæc non egent. Illud magis acutum de ossibus veluti Clivis albentibus è longinquo visis: Ex quo illud significatur, exempla Calamitatum licèt clara & conspicua, contra voluptatum corruptelas non multum proficere. Restat de Remediis Parabola non abstrusa ea quidem, sed tamen prudens & nobilis. Proponuntur enim Mali tam callidi & tam violenti remedia tria. Duo à Philosophiâ: Tertium à Religione. Atque primus effugij modus est, ut quis principiis obstet, atque omnes occasiones, quæ animum tentare, & sollicitare possint, sedulò devitet: id quod obduratio illa aurium denotat; atque hoc remedium ad animos mediocres, & plebejos necessariò adhibetur, tanquam ad Comites *Ulyssis*. Animi autem Celsiores etiam Versari inter medias voluptates possunt, si Decreti constantiâ se muniant: quin & per hoc, virtutis suæ experimentum magis exquisitum capere gaudent; etiam voluptatum ineptias & insanias perdiscunt, potiùs contemplantes, quâ obsequentes: quod & *Salomon* de se professus est, cum enumerationem voluptatum, quibus diffluebat, eâ sententiâ claudat: *Sapientia quoque perseveravit mecum.* Itaque hujusmodi Heroes inter maximas voluptatum illecebras se immobiles præstare, atque in ipsis earum præcipitiis se sustinere queant; tantùm ad *Ulyssis* Exemplum, interdictis perniciosis suorum Consiliis & obsequiis, quæ animum maximè omnium labefactare & solvere possint. Præstantissimum autem in omni genere est remedium *Orphei*; qui Laudes Deorum cantans & reboans, *Sirenum* Voces confudit, & summovit. Meditationes enim Rerum Divinarum, Voluptates sensus non tantùm potestate, sed etiam suavitate superant.

FINIS.

DIALOGUS
DE
BELLO SACRO,
Fragmentum.

PER

FRANCISCUM BACONUM
Baronem de Verulamio, Vice-Comitem S. Albani.

AD REVERENDISSIMUM IN CHRISTO PATREM,
Lancelotum Andrevves Episcoporum Wintoniensem.

REGIÆ MAJESTATI
à Sanctioribus Consiliis.

Reverende Præsul;

INter Consultationes, haudquaquam minima est, si quis sibi aliorum Calamitates repræsentet, quæ cum suis conformitatem habeant. Exempla enim penetrant magis, quàm Argumenta; Quinetiam illud nobis innuunt, quod Scriptura in Solatium adducit; Nil novi nobis accidisse. Afficiunt autem Exempla eò magis, quò propius ad similitudinem Rerum nostrarum accedunt: Multoque adhuc magis, si Fortuna illos non leviùs mulctarit, qui nobis ipsis, dignitate & virtute, præcelluerunt. Etenim, ut inanem præsumptionem sapit, si nos ipsos, cum Melioribus componamus; Ita, ex alterâ parte, rectè & salubriter infertur Conclusio; si alii nobis superiores, similia perpessi sint, non esse cur nos supra modum conqueramur.

In hoc Consolationis genere, equidem mihi ipsi minimè defui; Quamvis ut Christianus, (per infinitam Dei misericordiam,) altiores etiam Consolationes degustaverim. Quamobrem, ex variâ Rerum Memoria & Librorum Lectione, cum Exempla haud pauca, tam vetera, quàm recentia, mihi ante oculos, proposuissem; Cogitationes meæ moram (fateor) fecerunt, imò etiam acquieverunt, in tribus præcipuè Viris; Tanquàm maximè eminentibus & cum illâ Fortunâ, quæ mea aliquando fuit, conjunctissimis. Hi tres, in Rebuspub. suis, singuli, Magistratibus amplissimis perfuncti sunt: Iidem, non prælii, aut alio Infortunii genere, dejecti, sed judiciis, & Legum Auctoritate, tanquam Res, & Delinquentes, abdicati; Iidem insuper Celebres fuerunt Scriptores, ita ut Memoria Calamitatis ipsorum, apud Posteritatem jam maneat, & se exhibeat, tanquam Pictura quæ noctis gesta repræsentet, inter pulcherrimas & illustres Operum & Actorum suorum Tabulas: Quin & omnes tres, (si hoc ad rem conduceret) Exempla fuerunt valida, ad extinguendam cujus piam Ambitionem, Fortunam de novo tentandi: Quandoquidem unusquisque eorum, magnâ cum gloriâ, revocatus & restitutus fuerit; Sed ad graviorem suam ruinam, quæ in Morte violentâ exitum reperit. Fuerunt hi tres Viri, Demosthenes, Cicero, & Seneca. Quando igitur, cum Viris hisce eximiis, Me, tum Fortuna, tum Studia, conjunxerint, inquirere & observare cœpi, quomodo Calamitates illi suas toleraverint, & præcipuè quomodo tempus impenderint, cùm à Civilibus Negotiis prorsus abdicati, & inhabiles pronunciati sint: Ut ab illis aliquid addiscerem; Vtque mihi non solùm Consolatorum, verùm etiam Consiliariorum loco essent. Observavi autem, quàm diversis modis, Infortunia illorum illos affecerunt, Eâ præcipuè in re, de quâ inquirere cœperam: Temporis scilicet, & Calamorum suorum, applicatione Ciceronem vidi, durante exilio suo, (quod biennium fermè complevit,) in animo emollitum & dejectum, ut nihil præter Epistolas quasdam muliebres exaraverit, omnia Questibus implentes. Attamen, ex tribus illis, (meo quidem judicio,) minima ei causa affuit, cur magnopere perturbaretur. Etsi enim judicatum fuisset; eoque iudicij genere, quod summam Auctoritatem obtinuit, Lege scilicet latâ; ut exularet, & universa ejus Fortuna Fisco addicerentur, Domus ejus diruerentur; Vtque Capitale cuivis esset, qui de ejus Restitutione ageret; Nihilominùs, Calamitas ejus, etiam eo tempore, Ignominia notâ caruit; Atque nil aliud quam Temporis Procella reputabatur, quæ eum tanquam turbine subverterat. Demosthenes contrà, licet Iudicium quo proscriberetur, Ignominiæ plenum esset; utpote Repetundarum damnatus; Neque Repetundarum simpliciter, sed quæ cum proditione, & læsa Majestate, conjunctæ essent, Nihilominùs Calamitatis suæ, sensum tam exiguum præ se tulit, ut Exilii tempore, Negotiis Civilibus non abstineret, sed iisdem se immisceret; Atque per literas sapiùs, Consilio suo impertire, Populum Atheniensem ausus esset, non minùs, quam si adhuc ad clavum sederet; ut patet in quibusdam eius Epistolis, quæ hodiè extant. Seneca certè, qui ob Corruptelas varias, & Crimina, damnatus fuit, & in exilium actus in Insulam quandam solitariam, mediocritatem servavit: Quamvis enim Calamus eius non refixit, tamen in Negotia Civilia se ingerere abstinuit: Sed otium quod nactus erat, in scribendis Libris quibusdam, excellentis Argumenti & Vsus, in omne ævum, insumpsit; Licet aliquus eorum dedicaverit, minùs pro dignitate.

Exempla hæc, in Instituto quodam, ad quod etiam aliàs sponte inclinabam, me multùm confirmarunt; ut concessum mihi Tempus, omninò, in scribendo, impenderem; Vtque Talentum à DEO concreditum, non ut priùs Trapezitis particularibus, sed Excambiis publicis, quæ nunquam exhaurientur, & usuram pro certo reddent, committerem. Itaque, cùm antè Annos aliquot, Instaurationis meæ partem edidissem; (Quod quidem Opus, inter Opera mea, illud est; (si nunquam fallit Imago;) Cui plurimum tribuo; (Decrevi certè, in cæteris eius Partibus, minimè defatisci. Quod etiam nunc ago. Etsi autem de illo Opere, Testimonia plurima, ex Partibus Transmarinis receperim; (Talia certè, quibus non potuerim maiora, cum tam insigni Approbatione & Honore, sub initiis, in Argumento tam abstruso expectare;) Illud tamen Animo meo penitùs insedit; Opus memoratum, Hominum, præsertim vulgaris judicii,

judicii, Capita supervolare. Itaque constitui, (licèt inversâ paulisper Ordinis serie;) Rem ad sensûs judicium deorsum trahere; per Exempla quadam, & Portiones Naturalis Historiæ & loquisitiones super eam: Quod etiam ex parte feci. Rursus, quia Opus meum, De Augmentis Scientiarum, Paraceve quadam, & tanquam Clavis esse possit, ad Instaurationis sensum meliùs referandum; (Quippe quod Notionum & veterum & novarum mixturam recipiat; ubi Instauratio novas tantùm Notiones proponat meras; nisi quod hinc & inde, inspergantur veteres ad gustum tantùm;) consentaneum putavi, illud Opus in Linguam Generalem ex Vernacula vertere; Non sine multis & magnis Additionibus, præsertim in Libro Secundo; Qui Partitiones Scientiarum complectitur. Idque ita cumulate præstiti, ut judicem Librum illum, jam in plures divisum, pro prima Instaurationis Parte, haberi posse; Quam, Partitionum Scientiarum nomine, auteà insignivi: (Et sic fidem meam, in hac parte, liberari confido. Atque hoc etiam jam peractum est. Præterea, quoniam Civilem, quam tamdiu sustinui, Personam, prorsus exuere non potui; (Cujus si ipse obliviscerer, satis multi meminissent,) Opus etiam de Legibus ingressus sum; Hoc instituto ut Characterem quendam justitiæ proponerem, mediæ cujusdam natura, inter speculativas & speciosas Legum Descriptiones à Philosophis factas, atque Scripta Iureconsultorum, qui particularibus Placitis, & Scitis, Patriarum & Rerumpub. suarum, sunt, ut plurimum, obnoxii & adstricti. Hoc autem Opus, quoniam tantum absorpturum fuisset temporis, atque alia jure præcedere deberent, infectum reliqui; Solummodò Portunculam ejus quandam, ad exemplar, in uno ex Libris De Augmentis Scientiarum, (Octavo scilicet,) exhibui. Verum est etiam, (fateor,) me in animo habuisse, Digestum quoddam, Legum Patriæ meæ, ut componerem; Sed quia plurimorum Manibus indigebat, neque ex Me solo pendebat, illud quoque deposui. Iam, cùm in Instauratione meâ, universi Generis Humani Bonum, mihi ante oculos proposuerim; ut vita humana exoleretur, bearetur, & ampliori à Natura dote donaretur; In Opere autem illo de Legibus, cujus initia perstrinxi, (ut dictum est,) Humani Generis similiter Bonum mihi proposuerim, sed in societate Civili, & Scientia Politica Dotibus: Putavi etiam aliquid me Patriæ Bono aut Honori debere, quam semper dilexi; Adeò ut licet Magistratus quos gessi, supra Meritum meum essent; Amor tamen meus Boni publici, & Cura circa illud impensa, etiam supra, & ultra Gradus, in quibus collocabar, transcenderent. Quocirca, (præsertim cum Opus illud de Legibus Patriis deposuissem,) Honorem aliquem Patriæ dilectæ exhibere volui: Quod operam dedi ut facerem, in Historiâ meâ, Regni Henrici Septimi. Quantum verò ad Librum illum jam pridem editum; Cui antea Titulus; Deliberationes Morales & Civiles; Nunc autem; Sermones Fideles, sive Interiora Rerum; inscribitur; Eum etiam multipliciter auxi, & ditavi; & in linguam quoque Latinam à Vernaculâ, verti curavi. Illud autem Scriptorum Genus, Animi reficiendi & levandi causa, subinde tracto: Quamvis non sum nescius, ejusmodi Scripta, minore labore & molimine, Nomen meum fortasse magis illustrare & attollere posse, quam reliqua quæ tractavi, & tracto. Quin etiam Libellum meum, de Sapientia Veterum, ut ab interitu tutior esset, in Tomo Operum meorum Moralium & Politicorum, rursus edendum curavi.

Verùm hæc omnia Scripta mea animo revolvens, subiit Cogitatio, universa in Civitatem, nulla in Templum, procedere; Exceptis paucis alicubi inspersis, quæ ad Religionem spectant. Atqui cum in Templo ipso, tanta Solatia degustaverim & hausserim, cupio etiam Obligationis quidpiam illuc deferre. Argumentum itaque delegi, mixtum ex Rebus ad Religionem Spectantibus, & Civilibus; Atque etiam medium inter Contemplationes, & Activa; Tractatum scilicet de Bello Sacro: Quis enim noverit, numnon illud contingere possit; Exoriere aliquis? Res magna, (præsertim quæ ad Religionem referuntur,) ab exiguis sæpenumero oriuntur initiis; Et Modulus prius factus quandoque Ædificium ipsum invitat. Hoc Opus, (quia semper Dedicationes Adulatorias minus probavi,) Paternitati tuæ dedicare visum; In pignus Veteris nostræ Familiaritatis & Amicitiæ: Nec minus, quia inter Viros Ætatis hujus, Tibi, Reverentiam haud Vulgarem, deberi existimem.

Reverendæ Paternitatis tuæ

Amicus Fidelis,

Fra. S. Alban.

DIALOGUS
DE
BELLO SACRO.

Interlocutores,

Eusebius, Zebedæus, Gamaliel, Martius, Eupolis, Pollio.

Characteres harum personarum.

ZEbedæus *Romano-Catholicus, fervidus, & Zelotes.* Gamaliel, *in Religione Reformata, fervidus item, & Zelotes.* Eusebius, *Theologus Orthodoxus, & Moderatus.* Martius, *Vir Militaris.* Eupolis, *Politicus.* Pollio, *Aulicus, omnes præter* Gamalielem *Romano-Catholici.*

Convenerunt Parisiis, *in Domo* Eupolidis, Eusebius, Zebedæus, Gamaliel, & Martius: *Singuli eorum, Viri egregii, sed multum inter se differentes. Aderat etiam* Eupolis *ipse: Atque dum sederunt colloquentes, intervenit ab Aula* Pollio: *Ac quam primum eos vidit, more suo ingenioso, & faceto, dixit:*

Pollio.

VIdeo quatuor hîc præsentes, qui Mundum egregium, (arbitror,) constituere possint: Tantum enim ab invicem discrepatis, quantum quatuor *Elementa*, & nihilo secius concordes estis. Quantum verò ad *Eupolidem*, quia moderatus est, & placidus, illum loco *quintæ Essentiæ* ponere libet. *Eupolis.* Si nos quinque *(Pollio)* Mundum constituimus majorem, unicus tu Mundum minorem constituere possis: Siquidem omnia, & profitearis, & conniteris, ad Teipsum solum referre. *Pollio.* At quid illi, qui hoc agunt, sed minimè profitentur? *Eupolis.* Sunt illi quidem minus Animosi, sed magis metuendi. Verum age, & nobiscum Sermones conferas: Etenim inter Nos, de præsenti *Orbis Christiani* statu, loquebamur; In quo libenter etiam Opinionem tuam audiremus. *Pollio.* Domini mei; Iter hoc Mane confeci; Jamque Æstus Diei ingruit: Itaque Sermones Vestri opus est, Aures meas admodum delectent, quo ab Oculis impetrent, ut Somno abstineant. Attamen si permittetis, ut vos excitem, si quando Sermones vestri mihi videantur obdormiscere, quantum potero, Somnum abigam. *Eupolis.* Imò gratum nobis feceris, si hoc præstiteris: Illud tantùm metuo, ne universum, quod tractamus, Argumentum, instar Insomnii cujusdam, haud penitùs insulsi & vani, sed Insomnii tamen, tibi videbitur. Etenim Optata bona absque spe Effectus, nedum tentandi Copiâ, non multum illis præstant: Verùm ne te diutiùs detineamus, cùm ingrediebaris, *Martius* hic, & Attentiones nostras excitavit, & Animos affecit, Oratione suâ, quam inchoavit tantùm: Neque malè cedit hæc res, ad somnolentiam tuam discutiendam: Videbatur enim sermo ejus, quasi ad Bellum Classicum canorum. Si placet igitur, *(Marti,)* de integro Sermonem renoves: Nam & sermo ipse dignus erat qui repetatur: Atque me herclè, Corona Auditorum ista, non mediocriter dignitate aucta est, per præsentiam *Pollionis. Martius.* Cùm modò ingressus es, *(Pollio)* liberè Animi mei Sensum, hisce *Dominis* meis aperui: Me observasse, quòd per dena jam Annorum Lustra, proximè elapsa, minùs nobile quiddam spirarunt, (si mihi fas sit dicere,) *Orbis Christiani* Bella, & Expeditiones Militares. Ecce Bella cum subditis; similia Litibus quidem protervis in foro; in quo pertinaciter Lege agitur, pro Jure suo recuperando; Quod melius forsan, placido & quieto more, obtineri potuit. Ecce pusillas, Oppidi cujuspiam, aut Portiunculæ Territorii, Debellationes; Quales esse solent Rusticorum Acquisitiones, Agelli, aut Anguli Terræ, commodè adjacentis. Quòd si etiam Bella pro *Regno Neapolitano*, aut *Ducatu Mediolanensi*, aut *Regnis Lusitaniæ*, aut *Bohemiæ*, suscepta fuerint; tamen & hæc ipsa, tanquam Bella *Ethnicorum*, (*Atheniensium, Lacedæmoniorum, Romanorum,*) pro secularibus quidem Commodis, & Ambitione Dominationis, gesta sunt; nec *Militia Christiana* censeri debent digna. At *Ecclesia* Missiones suas, in extremos Fines Gentium & Insularum, facit; Nobili Operâ & Instituto: Verum hoc sonat tantum: *Ecce unus gladius* hic. *Reges & Principes Christiani*, meritò accusandi, quòd *Fidei Christianæ* propagationi, Armis & Opibus suis, non invigilent. Attamen Dominus noster, qui in terra manens, dixit *Apostolis: Ite & prædicate:* Dixit etiam, a Cœlo, *Constantino: In hoc signo vince.* Quis *Miles Christianus*, piâ Æmulatione non commoveatur, cùm viderit *Ordinem* quendam, *Societatis Jesu*, aut *S. Francisci*, aut *S. Augustini*, tot & tanta, pro *Religionis Christianæ* propagatione, sustinere & perficere: *Ordinem* verò *S. Jacobi*, aut *S. Michaëlis*, aut *S. Georgii*, nil aliud ferè perpetrare, neque majora meditari, quàm ut vestes solennes induant, Festa *Patronorum* suorum anniversaria celebrent, & cæteros Ritus ac Cæremonias Ordinis sui, observent? Quin & *Mercatores* ipsi, in *judicio surgent*, contra *Principes & Proceres Europæ*: Illi enim, viam in Mari latam straverunt & triverunt, usque ad ultimos Orbis Fines: Classes & Copias Navales, *Hispanorum*, *Anglorum*, *Belgarum*, instruendo & mittendo, quantæ *Indias* quidem & *Chinam*, terrefacere & concutere possint: Hæc autem omnia, propter Margaritas scilicet, aut Gemmas, aut Aromata, suscepta sunt: At propter *Margaritam* illam *Regni Cœlorum*, aut *Gemmas Cœlestis Hierusalem*, aut *Aromata Horti Sponsi*. Malum quidem Navis ne unum erectum vidimus. Illud interim pro nihilo ducunt, sanguinem *Christianum*, in partibus tàm remotis, inter se prælianteres, effundere: Sed ne Guttam quidem, in Causa *Christi*. Verùm, ne immemor videar, Rerum præclararum, in hoc genere, gestarum, fateor intra Spatium illud quinquaginta annorum, (de quo loquor,) aut paulò plus, tres susceptas esse Actiones memorabiles, à *Christianis*, contra *Infideles*: in quibus *Christiani* Invasores fuêre. Cùm enim Bellum Defensivum sit

sit, Necessitatis potiùs Bellum judico, quam Pietatis Prima fuit, celebris illa & fœlix, Expeditio Navalis, quæ victoria apud *Insulas Cursolares* terminata est; Quæ hamum inseruit Naribus *Ottomanni*, usque ad Diem hodiernum. Quod Opus præcipuè instructum & animatum fuit, ab Eximio ilo *Principe*, *Papa Pio Quinto*; Quem miror, Successores ejus, inter *Sanctos* non retulisse. Secunda fuit, Nobilis illa, (licet calamitosa) Expeditio *Sebastiani*, *Lusitaniæ Regis*, in *Africam*: Quæ ab illo solo, absque aliorum ope suscepta fuit; Ita solo, ut aliis, se postea excusandi, necessitatem imponeret. Pro ultimâ numero, memorabiles Incursiones à *Sigismundo Principe Transylvaniæ* factas: Cujus fœlicitatis Filum à *Christianis* ipsis abscissum fuit; Contra Monita egregia & Paterna, *Papæ Clementis Octavi*. Plures mihi non occurrunt. *Pollio*. Pace tuâ, quid dicis de Extirpatione *Maurorum Valentiæ*? Ad quam subitam Quæstionem *Martius* paululum obticuit: *Gamaliel* autem, sermonem arripiens, dixit. *Gamaliel*. Planè censeo, *Martium* rectè Actionem illam præteriisse: Etenim, meâ sententiâ, damnanda prorsùs est. Imo videtur Factum illud *Deo* displcuisse. Cernitis enim Regem, sub cujus Imperio, hoc factum est, (quem vos *Catholici* pro Sancto & immaculato *Principe* habetis,) in ipso Ætatis suæ flore, sublatum; Auctorem autem, & suasorem Rigoris ejus, (Cujus Fortuna super *Rupem ædificata* putabatur:) corruisse: Quin & opinantur plurimi, Rationes ejus facti nondũ esse transactas, sed iis reddendis *Hispaniam* adhuc esse obnoxiam: Eò magis, quod ingens *Maurorũ* illorum Numerus, (Exilio jam probati,) constanter in Fide perserverant, & veros se *Christianos* in omnibus præstant, præterquam quod appetitu vindictæ, in *Hispanos* flagrent. *Zebedæus*. Noli, obsecro, (*Gamaliel*,) de Actione ille magnâ temerè judicare: Quæ instar *Ventilabri Christi* fuit in Regionibus illis: Nisi fortè monstrare poteris, Pactũ aliquod *Hispanorum* cum illis Populis, quale *Iosuah* fecit cum *Gibeonitis*: Quo Cautũ esset, ut execrabilis illa Generatio, sedes antiquas retineret. Quinetiam vides, *Edicto Regio*, hoc Executioni mandatum fuisse, non tumultuariè: Gladius enim Manibus *Plebis* neutiquam commissus est. *Eupolis*. Arbitror Equidem, *Martium* illud omisisse, nõ quod judicio in alterutram Partem inclinaret: Sed quia cum Actionibus Belli haud benè congrebat: Siquidem cum subditis tantum Res fuit; Neque Armis contrà itum est. Verùm permittamus (si placet) *Martiũ* in Oratione procedere; loquebatur enim, (ut mihi videtur,) tanquã Theologus Armis indutus. *Martius*. Fateor, (*Eupoli*,) me in iis quæ loquor, Pietatem & Religionẽ, præcipuè mihi ante oculos proponero: Nihilominùs, si loquendũ mihi esset, ut Homini Animali tantùm, eadẽ consulerem. Neque enim reperiri hodiè potest, Expeditio aliqua, aut Actio, etiam respectu secularis Amplitudinis, & Honoris terreni, quæ cum *Bello* contra *Infideles* comparetur. Neque in hoc, quod assero, Novitatem aliquam, aut ventosum quidpiam propono: Sed quod in Exemplis recentibus, ejusdem Generis, se ostendit: Licèt fortasse minùs arduis. *Castiliani*, seculo superiore, Orbem novum aperuerunt: Arque *Regnum Mexicanum*, *Peruviam*, *Chilen*, & alias *Indiæ Occidentalis* Regiones, subegerunt, & plantârunt. Videmus, quam ingentes Opum Fluctus, in *Europam*, ex ea re, inundarunt; Adeo ut *Orbis Christiani* Census, in Decuplum imò in Vicecuplum, jam aucti sint. Verum est, *Aurum*, tempore Invasionis primæ, in iis Regionibus, congestum fuisse & accumulatum; Sed *Argenti* venæ adhuc perpetuò scatent. Ex eodem etiam Auso, infinita, Territorij & Imperij, facta est Accessio. Neque enim unquam antehac, *Orbis Christianus* in Duplum crevit; Quod verè asseri possit, jam esse factum, si computes id quod jam dudùm acquisitum est, cum eò quod in posterum acquiri possit, per Occupationem & Culturam earum Partium ulteriorem. Neque tamen affirmari verè possit, (si ingenuè loquatur,) *Fidei Christianæ* Propagationem, Navigationum illarum & Plantationum Causam præcipuam extitisse; sed Aurum, Argentum, Opes, & Gloriam. Ita ut, quod in *Dei* providentia primum fuerit, in Hominum Appetitu & Intentione, Secundas tantùm Partes obtinuit. Similia prædicari possint, de Navigationibus & Expeditionibus præclaris, *Immanuelis Lusitaniæ Regis*; Cujus Arma *Africam* & *Asiam* cingere cœperant; Atque ad se trahere, non solùm Commercium Aromatum, Lapidùm pretiosorum Moschi, & pharmacorum, sed Sedes & Imperia in Partibus illis *Orientis* extremis. Neque enim in his ipsis, *Religio Christiana*, præcipuè ante Oculos observabatur, sed Amplificatio, & Prolatio Imperij, & Divitiarum. Accidit autem jam, ex duobus istis præclaris Facinoribus, cùm *Orientales* & *Occidentales Indiæ* modò sub *Hispaniæ* Ditione unitæ sint, id quod Magniloquus quidam dixit; *Solem in Imperio Hispanorum nunquam occumbere, sed aliquam ejus Partem semper irradiare*. Quod, (si verum dicendum est,) Radius quidam est Gloriæ, non dico Corpus solidum Gloriæ, in quo *Monarchia Hispaniæ*, reliquis omnibus, *Monarchiis* superior sit. Quam obrem, ut concludam, videre est in hisce Expeditionibus, contra *Ethnicos* & *Infideles*, Honorem & Utilitatem, tam spiritualem, quam temporalem, in unâ, tam Intentione, quàm Prosecutione, coivisse. *Pollio* At, ut mihi videtur, pace tuâ, (*Marti*) meminisse debueras, Homines Sylvestres, & merè Barbaros, similes esse Bestiis & Avibus, quæ *Feræ sunt Naturæ*: Quarum Proprietas, (qualis esse potest,) Possessionem sequitur, & Occupanti conceditur? Sed in *Populis Civilibus* hoc non tenet, *Martius* Ego certè nil tale Discriminis agnosco, inter Animas Rationales; sed contrà sentio, quicquid in ordine sit, ad Bonum *Populi* alicujus majus, & latius, Actionem posse Injustitiâ absolvere, concesso quod populus sit, sive magis, sive minus, cultus & Civilis. Verum, non facile tibi concedã, (*Pollio*,) *Populos Peruvianum* aut *Mexicanũ*, ita penitùs fuisse Barbaros, vel Feros, ut Oratio tua innuit: Aut quod talis poni debeat differentia, inter illos, & alios, *Infideles*, qui hodiè in Locis plurimis degunt. In *Peruvia*, licet nudi fuissent, temperaturâ fortasse Climatis hoc postulante; Et Consuetudinis nonnullæ adhuc Barbaræ apud eos invaluissent: Attamen Administrationi certè *Incarum*, in aliquibus, Humanitas, & Civilitas, non defuerunt. Reduxerant Nationes illas, ab *Idolorum* Omnigenùm Adoratione ad Adorationem *Solis*. Atque (quantum memini, *Liber Sapientiæ* Gradus *Idololatriæ* distinguit: Constituens *Idolorum*

vilium

vilium & despicabilium Cultum, magis Cœcum & detestãdum esse, quam simplicem *Cultum Creaturæ*. Et similiter, (nisi fallor,) faciunt quidam ex *Prophetis*; Ponentes *Cultum Idolorum*, per *Metaphoram*, tanquam *turpissimam* & *maximè bestialem Fornicationem*. Insuper Peruviani, sub Imperio *Incarum*, magnifica habuerunt Templa superstitionis suæ; Justitiæ Administratio apud eos viguit: Obedientiam & Fidelitatem constantissimam Regibus suis exhibebant: Etiam, contrà Hostes, cum Justitia quadam Militari procedebant, ac si jus Fæcialium novissent; Legem suam, tanquam meliorem, iis offerentes, antequam Gladium stringerent. Neq; absimilis erat Politia *Regni Mexicani*, quod Monarchia Electiva, non Hæreditaria, erat. Quatenus verò ad Populos *Indiæ Orientalis*, (*Goæ*, *Calecuti*, *Malacæ*,) erant illi populi delicati & lauti; Frugi certè, cum quadam Elegantiâ, etsi parùm bellicosi. Ita ut si æqua lance res ponderetur, Imperium *Turcarum* censeri possit magis barbarum, quàm horum quodvis. Tyrannis crudelissima; Polluta Sanguine *Imperatorum* suorum in successionibus singulis; Mancipiorum & Vasallorum Massa; sine Nobilibus; sine Generosis; sine Ingenuis; Hæreditates nullæ; Nullæ Stirpes antiquæ; Gens sine *Affectibus Naturalibus*; Quæque (ut ait *Scriptura*,) *non movetur Desideriis Mulierũ*. Immisericors, & incuriosa erga Liberos proprios: Gens sine Institutionibus Moralibus: sine literis, Artibus, & Scientiis: Quæ vix Iugerũ Agri aut Horam Diei mensurare nôrit: Sordida, & immunda, in Ædificiis, Victu & Similibus: Atq; (ut verbo dicam,) Opprobrium merum Generis Humani. Ista tamen Natio. Hortum Mundi, in Eremum vertit. Nam, (ut rectè habetur in Proverbio,) *Ubi Equus Ottomanni pedem ponit, Populus vix crescet. Pollio.* Veruntamẽ, in medio Invectivæ tuæ, (*Marti*) *Turcas* jure suo non prives, Eos neutiquam pro *Idololatris* habendos esse. Etenim si, (ut ipse modo dixisti,) discrimen haud parvum sit, inter Cultores *Idolorum Vilium*, & *Solis*: Majus se offert Discrimen, inter Cultum *Creaturæ & Creatoris*. Agnoscunt enim *Turcæ Deum Patrẽ*, Creatorem Cœli & Terræ, primam in Trinitate Personam, etsi reliquas duas negent. *Ad quem Sermonem cũ* Martius *conticuisset, Occurrit* Zebedæus *vultu commotiore, & reprehensionem spirant, & dixit. Zebedæus.* Cavendum sedulo, (*Pollio*,) ne in Hæresin *Immanuelis Comneni, Imperatoris Græciæ*, imprudentes labamur: Qui asseruit, *Mahometis Deum* verum esse *Deum*: Quæ Hæresis à Synodo non solùm rejecta & damnata est, sed *Imperatori* imputata, veluti Insaniæ species quædam: Quam etiam ei exprobravit *Episcopus Tessalonicensis*, verborum Acerbitate minimè repetendâ. *Martius.* Ingenuè fateor, me in illa opinione esse, *Bellum* contra *Turcas*, plus Justitiæ & Meriti habere, quam contrà alios quoscunque *Gentiles*, aut *Barbaros*, qui aut ferunt, aut nunc sunt, tam *Religionis* Intuitu, quam *Honoris*, Licet Facilitas forsan, & spes perficiendi, ad aliam magis Electionem invitare possit. Verùm antequàm ulterius progredior, tum & ipse libenter respirarem: Tum etiam *Dominationes* vestras obnixè rogarem, ut Sermonis vices excipiatis, qui meliùs eas sustinere potestis: Sed & præcipue hoc mihi occurrit, quoniam in conventu nostro hîc aliquos video, qui egregij *Legis Divinæ* Interpretes sunt, etsi Dogmatibus nonnullis dissentientes. Ipse autem, non sine ratione, judicio meo diffido, tum quod in seipso infirmum sit, tum quod Zelo & Ardore, in hac Causa abripi possit: Itaque vitio mihi verti possit, si plura de hac re dissererem, priusquam Fundamenta solidè jacta videam, quæ Justitiam Actioni huic asserant; ab iis, qui in Justitiâ Causæ discutiendâ, me ipso magis versantur, & peritiores sunt. *Eupolis.* Magnâ certe lætitiâ afficior, (*Marti*,) cùm intueor in Viro Militari tantam Animi Moderationem: Quandoquidem in re, quæ sanguinem excalefaciat, atque insuper speciem habeat Sanctitatis, non abripiaris, ad prætermittendam, aut pro concesso admittendam, Considerationem *Justitiæ*. Atque quoniam, (ut mihi videtur) *Colloquium* hoc nostrum fœliciter procedit, si *Dominationes* vestræ annuant, nonnulla de Distributione Argumenti in Partes proponam. *Cui rei cùm omnes assensissent*, Eupolis *dixit. Eupolis.* Mihi certè non incongruum videtur si *Zebedæum* exoraremus, ut Quæstionem hanc discutiat: Utrum *Bellum* propter *Fidei Christianæ* Propagationem, absque alia aliqua Hostilitatis Causa jure suscipi possit: Et in quibus Casibus. Fateor insuper libenter me audire velle, Dissertationem de jure: Non solùm Permissivo, sed etiam utrùm non obligentur *Principes Christiani*, *Respub.* ad hujusmodi *Bellum* inferendum? Quam partem si *Gamaliel* placuerit in se recipere, Quæstio de *Jure*, simplicitier accepta, plenè discussa fuerit. Superest Quæstio *Comparativa*: Nempe, dato, quod hæc Res, aut Legitima, aut Obligatoria sit, utrum tamen aliæ Res eam prævertere non debeant: Veluti, Exturpationes Hæresium: Schismatum Reconciliationes: Morum Reformationes: Prosecutiones Titulorum, & Jurium, pro Temporalibus Dominiis, & Vindictis: & hujusmodi: Atque insuper, in quantum *Bellum* istud *Sacrum*, cæteras illas Res, vel præstolari debeat: vel cum iis pari passu incedere: vel illas compescere, & in ordinem redigere tanquam se inferiores? Quoniam autem hæc Pars latè patet, atque *Eusebius* adhuc Silentium tenuit, (si *Dominationes* vestræ jubeant) illam, per Viam Mulctæ, ei imponemus. Interim vereor, ne *Pollio*, qui perspicaciâ & acumine pollet, ad distinguendum, quid sit in Rebus solidum & grave, quidque rursus speciosum & phantasticum, hæc omnia nihil aliud esse existimaturus sit, quam Impossibilia, & *Aquilas* (ut dicitur,) *in nubibus*: Itaque eum rogabimus, ut argumentum hoc totis viribus stringat & premat: ut ab eo moniti & edocti, rem aut rejiciamus, si inveniatur tumida & in flata, aut saltẽ ab ea separemus, quicquid insit inane, & minimè sperabile. Atque quia ingenuè fateor, me in aliâ opinione esse, (etsi cũ *Pollione* dimicare dura sit Provincia,) tamen quantum in me est, probare connitar, rem hanc perfici, & ad Exitum perduci posse: Atque ostendam, quibus Modis Impedimenta omnia & Obstacula, vel tolli vel superari, queant. Tum verò tempestivum erit *Martio*, (si rem prius non deposuerimus,) Sermonis Partes resumere: tam quoad *Suasoriam*, quam quoad *Consultoriam*, Quibus scilicet *Mediis*, *Aparatibus*, cæterisque denique, quæ ad *Activam Partem* conducant, administrari possit; Verũ hæc quæ dixi, pro tenuitate Judicij mei, in medium adduxi: *Dominationes* vestræ

vestræ, rem meliùs disponent. *Universi, non solùm* distributionem *probarunt, sed etiam suis partibus acquieverunt. Verùm, quia inclinabat* Dies, Colloquium, *in Mane crastinum differre conseserunt.* Solummodò *Pollio* dixit. *Pollio.* Sanè (*Eupolis*) de me rectè conjicis. Plane enim sentio, nisi *Orbem Christianum* velut Pistillo contundatis, & novam inde Massam conficiatis, de *Bello Sacro*, spem nullam reliquam esse. Atque semper hoc apud me statui, *Lapidem Philosophicum, & Bellum Sacrum*, Diverticula tantùm esse Cerebrorum non nihil læsorum; Et eorum qui, Plumas in Capite gestant, non in Pileo. Veruntamẽ, pro Humanitate vestrâ, credite; Si vos quinq; Contraria senseritis: Præsertim, postquâ ea, quæ in animo mihi sunt, recensuerim paratus ero cum, *Hippocrate* renunciare: *Athenienses insanire, solum autem Democritum sanum esse.* Atque ne me à Negotio penitùs abhorrere judicetis, ab initio jam aliquid contribuam. Vos proculdubiò varia & egregia comminiscemini: Sed facite quod jubeo *Papa*, qui nunc sedet, decrepitus est, & Mors ejus quotidiè expectatur, non secus quam si Campana jam pulsaret. Date operam, ut post eum eligatur *Papa*, minimè Senex, Annorum quasi inter quinquagesimam & sexagesimam: Assumat autem sibi Nomen *Urbani.* Quia ejus Nominis *Papa*, primò *Cruciatam* instituit: Et tanquã Tubâ Sacrâ Expeditonẽ in *Terram Sanctam* excitavit. *Eupolis.* Bene ais. Sed esto, si placet, paulo plus serius, in hoc *Colloquio.*

Die sequente iidem convenerunt, prout constituerant: cumque consedissent, & aliquid à Pollione *facetiarum insperjum esset: Quasi inaevar:* Bellum *jamdudum inchoatum esse: Se enim, per totam Noctem nil aliud, quam de* Ianisariis, & Sultanis, & Tartaris, somniâsse: *Martius* dixit. *Martius. Distributio Colloquij*, quæ ab *Eupolide* heri facta est, & à Nobis approbata, mihi sanè videtur omninò perfecta & absoluta, præterquam una in Parte: Loquor autem, non de Numero Partium, sed de earundem Ordine & Collocatione. Ita enim dispositum est *Colloquium*, ut *Pollio* & Eupolis, *Possibilitatem* aut *Impossibilitatẽ* Actionis ventilarent, antequàm ego *Mediorum & Apparatuum* Declarationẽ explicaverim. Ipse autem sæpius animadverti in Deliberationibus, ingressũ propinquiorem in Considerationem *Modi* rei gerendæ sive exequendæ, Opinionẽ prius conceptam, de *Possibilitate* aut *Impossibilitate*, penitùs subvertisse: Adeo ut, quæ primo intuitu *Possibilia* videbantur, inquirendo in Modos perficiendi, *Impossibilitatis* convicta fuerint: Et è Contrariò, quæ *impossibilia* quis primo putasset Mediorũ rursus Explicatione, (tanquàm Lumine à Dorso Rerũ posito, & affulgente,) se ostẽderint *Possibilia*: Quæ anteà impervia putabantur, perviis factis. Hoc autem non eò dico, quo Ordinem Interloquendi immutarẽ, sed solummodò ut à *Pollione* & *Eupolide* impetrarem, ne quid peremptoriè & conclusive pronuncient, donec me de Executionis *Modis* differentem audierint: Atque deinde ad replicandũ sine præjudicio se reservent, postquam ante Oculos, veluti Modulum quendam Rei gerendæ contemplati sunt *Pergrave istud*, & *sobrium* Martij *Monitum, & Cautio, plurimum à reliquis collaudata:* Unde *Eupolis* dixit. *Eupolis.* Cùm *Martius* aliquid corrigere incœperit, in eo quod heri decretũ est, licebit & mihi, (præsertim in positione quadam, quam ibse intuli,) Omissionis alicujus meminisse: Quæ plus est quam Collocatio Partium præpostera. Quantum enim conjicio, addenda, & inserenda erat *Quæstioni* de *Iure*, Hæc Appendix: Quousq; *Bellũ Sacrum* sit prosequendum? Nempe; Utrùm usque ad Eradicationem & Exterminium Populorum? Atq; insuper, utrùm Res ad hoc deducenda sit, ut Fides Nova Armis compellatur; Religio falsa vi & suppliciis vindicetur; An potiùs, ut Regiones & populi solummodò subjugẽtur; Unde per Gladium secularem via aperiatur ad Gladium spiritualem, qui Persuasione, Instructione, & hujusmodi Remediis, quæ ad Salutem Animarum, & Informationẽ Conscientiarũ, propria sunt, penetret? Sed fieri potest, ut hoc, quod tanquam omissum noto, seorsim in Partem constitui opus non sit; Quia *Zebedæus*, pro eâ quâ pollet prudentia, in eam sponte incidet; Tanquã Annexum quoddam *Quæstionis* de *Iure*: Quæ discuti & determinari non potest absq; Distinctionibus, & Limitationibus *Zebedæus.* Confirmatior certè reddor, (*Eupolis*,) cum videam judicio tuo, (quod tanti æstimo,) id probari, quod ipse apud me facere institueram. Quemadmodum enim Martius benè notavit, rem esse laxiorem de *Possibilitate* discernere, priusquàm *Modi* ipsi conficiendi in medium adducantur; Similiter se habet, de *Iustitia* diffinire, absq; Recensione & Consideratione *Casuum* Particularium. A principio itaque *Casus* distinguam: Etsi veniam mihi dabitis, si eos seorsim singulos nimis præciè non discutiam: Nã & prolixùm hoc foret: Ac rursus, nõ in *Artibus* aut *Methodis* occupati jã sumus, sed in *Colloquio Deliberativo.* Primum igitur in genere quæritur, (sicut *Eupolis* antea memoravit,) utrùm *Principibus Christianis Bellum Invasivũ* inferre liceat, solummodo & simpliciter, propter Propagatinem *Fidei*, sine aliâ quâpiam Hostilitatis Causa? Secundò, quæritur, posito in partem Casus, quod *Regiones* illæ olim *Christianæ* & *Ecclesiæ* Membra erant, ubi *Candelabrum aureum* steterat; Etsi jam planè defecerint neque Reliquiæ ullæ sint *Christianorum*: utrùm licitum non sit, *Bellum* inferre, ut illæ Ecclesiæ denuò reuniantur, tanquam vetus *Christi* Patrimonium? Tertiò quæritur, addito in partem Casus ulteriorem, Multitudinem adhuc *Christianorum* magnam, in illis locis degere; utrũ licitum non sit *Bellum* inferre ad illos à *Iugo Infidelium* liberandos? Quartò, utrùm Bellum inferri justè non possit, ad recuperandum & expurgandum, *Loca Sacra* & *Solennia*, modò polluta & prophanata; Qualia sunt *Civitas*, & *Sepulchrum*, Sancta; Et hujusmodi *Loca*, ubi Adoratio, & Devotio, se inprimis exercuerunt? Quintò utrùm *Bellum* licitè geri non possit, ad ultionem capiendam, de *Blasphemiis*, & *Contumeliis*, vero *Deo*, & *Servatori* nostro illatis: Aut de *Effusione sanguinis Christiani*, quamvis multis retrò seculis factâ: Quandoquidem Judicia Divina, Cancellis temporum minimè concludi, & multotiès Peccatorum tantùm Maturitatem expectare, constet? Sextò, in Considerationem venit, (Id quod modo proposuit *Eupolis*:) utrũ *Bellũ Sacrũ*, (quod, sicut Causæ dignitate, ita & Prosecutionis Justitiâ, aliis omnibus præcedere debet:) urgeri licitè possit, usq; ad Expulsionẽ & Internecionẽ Populorũ, vim

Con-

Conscientiis inferendam, atque hujusmodi Acerbitates exercendas: vel qualis adhibenda sit Moderatio, & Limitatio; Ne dum *Christianos* nos esse meminerimus, alios *Homines* esse oblivisci videamur. Intervenit tamen Articulus quidam, qui hos universos præcedere debeat, & ferè missos faciat, quantum ad hoc Particulare *Bellum* contra *Turcas*: Qui in mentem mihi forsitan non venisset, nisi *Martium* heri, Tyrannidem *Turcarum*, tam ad Vivum, Oratione sua depingentem, audissem; Quam tu *Pollio* invectivam appellasti, licet reverâ justa esset & debita Contestatio; Et quantò in animo magis revolvo, tantò plus in Opinione illâ confirmor; Arma scilicet pro Imperio illo debellando, etsi Religionis Causam seponamus licitè sumi posse, *Postquam* Zebedæus *ista dixisset, aliquantisper respiravit si quid forte cæteri, in eam rem injecissent: Sed postquam nil aliud, quam Silentium, & Attentionis signa observaverat, ad ea quæ dicturus erat, hoc modo perrexit.*

Zebedæus Dominationes vestræ, in hac Quæstione, de *Jure Belli Sacri* contra, *Turcas*, non expectabunt à Me *Tractatum* justum; sed *Sermonem* tantùm, qualis Deliberationi conveniat; Atque ad hujusmodi Brevitatem & Modum Dicendi, me componam. Primùm hoc concedam; sicut *Belli* Causa justa esse debet; Ita ejus Causæ Iustitia, oportet ut sit liquida; Non obscura, aut scrupulis implicata. Etenim, omnium Legum consensu, in Causis Capitalibus, Probationes requiritur plenas esse & evidentes. Quod si hoc postulandum sit, ubi Unius Vita periclitatur, [illegible] *Bello* dicemus, ubi semper in innumeros, Mortis sententia fertur? Cavendum itaque inprimis, ne immolando Cruorem Hominum, per *Bellum* injustum, Beatissimum *Servatorem* nostrum, ad similitudinem *Moloch*, aut *doli Ethnici*, adoremus. *Iustitia Actionis* cujuscunque consistit; In *Meritis Causæ*; in Legitima *Iurisdictionis Auctoritate*: Atque in *Prosequendi Modo debito*. Quantũ enim ad *Intentionum Interiorem*, eam Curiæ Cœli relinquo. De his separatim, prout referri possint, ad subjectum præsens, *Belli Sacri* Contra *Infideles*: Et nominatim, contra potentissimum, & maximè formidabilem *Fidei* Hostem, *Turcam* Equidem teneo, & confido me liquidò probaturum, (quantum per Summam quandam, & Capita tantùm Rerum, probatio haberi possit,) *Bellum* Contra *Turcam* justum esse, & legitimum: Tam *Iure Naturali*, quam *Iure Gentium*: Nec non *jure Divino*, quod illorum duorum est Profectio. Quatenùs verò ad *Legem Positivam*, & *Civilem*, vel *Romanorum*, vel aliorum quorumcunque: Machinæ sunt illæ certè nimis exiles, quæ tantæ Quæstionis pondus regant. Itaque, meo judicio, Multi ex Recentioribus *Scholasticis*, (etsi Homines alia egregij,) non recta quidem insistunt viâ, ad Quæstionem illam discutiendam; Nisi fortè Donum *Navij* facti sint: Ut *Cotem novacula scindere queant*. Primò, quantum ad *Legem Naturæ*: *Aristoteles* Philosophus, non malus ejus *Legis* Interpres, Multorum Ingenia exercuit, Scito illo ingenioso. De *Naturâ Domino*, & *Naturâ Servo*. Affirmando, disertis verbis, & peremptoriè, usque à Natalitiis, res aliquas natas esse, ad regendum, aliquas ad parendum: Quod Oraculum secundùm varios sensus acceptum fuit. Acceperunt illud nonnulli, pro sermone Iactantiæ: ut *Græcorum* in *Barbaros* Imperandi Ius assereret: Quod Thema defensum melius fuit à Discipulo ejus *Alexandro*. Alii acceperunt veluti Modulum quendam speculativum: Quod Natura & Ratio, hoc volunt & possunt, ut meliores imperent: Sed neutiquam ut jure hoc vindicare possint: Verùm ego, nec pro Verborum Iactantiâ, nec pro Voto quodam aut Optato, illud accipio: Sed pro Assertione verâ, quemadmodùm ab illo diffinitur, & limitatur. Sic enim asserit. Si inveniri possit Disparitas talis & Inæqualitas, inter Hominem & Hominem, qualis inter Hominem & Brutum cernitur, aut inter Hominem & Corpus, Ius planè Imperandi inducit: Quòd videtur potiùs suppositio impossibilis quàm sententia veritatis expers. Verum, mea quidem opinione, & sententia recta est, & suppositio possibilis: Atque ejus Naturæ, quæ locum habuit & habet, tum in *viris* aliquibus, tum in *Nationibus*. Sed antequàm ad reliqua pergamus, Ambigua quædam, & à sensu vero sermonis nostri multùm aberrantia, ne interpellant, abigamus & relegemus. Si quis asserat, eos, qui magis ingenio pollent, & Meritis præcellunt, Ius tale ad imperandum obtinere, ut minùs dignos pervim subjicere, & sibi in servitutem redigere, licitum sit Nugæ meræ sunt: Suffragia Hominum nunquam in eo coibunt, ut declaretur, quis sit dignior. Etenim, si Ordinem [illegible] solùm ei Dominium debetur, qui Intellectu eminet, ut *Aristoteles* asserit: sed non minùs ad Imperium requiruntur, Fortitudo ad protegendum: & ante omnia, Probitas & Rectitudo, ad abstinendum ab Injuriâ Ita ut perplexa planè res sit, diffinire quis ad Imperandum habilis magis sit. Alij siquidem Viri, aliæ Gentes, in his præponi debent: Alij in illis. Itaque, Thesis, quam adduco, non tenet in *Comparativo*: Nempe, ut prudentior, aut fortior, aut Iustior, Natio regere debeat: Sed in *Privativo*: Hoc scilicet volumus: Sicubi reperiatur ejusmodi Cumulus aut congeries Populi (etsi forsan *Regnum* vel *Imperium* vocetur,) omninò indigni qui Imperent, justa *Belli* Causa oritur, ut ij subjugentur, à Natione aliâ Civili, & ad Imperandum habili: Imò licèt hoc à *Cyro* quopiam, aut *Cæsare*, qui *Christiani* non fuerunt, fieri supponatur. Secundus Error, quem exulare volo, hic est: Ne quis hoc à me dici putet, de *Tyrannide* aliqua *personali*: sicut *Imperium Romanum* fuit, sub *Caligula*, aut *Nerone*, aut *Commodo*: Num nam Populus quæso, plecti debeat, ob id, in quo jam dudum plectitur? Sed ubi ipsa Status Constitutio, & Cõsuetudines, & Leges ejus Fundamẽtales, (si modo Leges appellari mereãtur) *Ius Naturæ*, & *Gentiũ*, planè convellunt: Tum (inquam) *Bellum* contra eos justum censeri debet. Quæstionem autem istam in tres Partes dividam. Primò utrum existere possit, Natio aliqua, vel Hominum Cœtus, quibus justum sit, Bellum inferre, atque Injuriâ aliquâ præcedente quæ vindicanda sit, aut provocatione? Secundò quæ tandem sint illæ *Iuris Naturæ*, & *Gentium*, Violationes, & Impugnationes, quæ omni Iure ad regendum spoliant, & pri-

privant? Tertiò utrùm hujusmodi, *Legis Naturæ & Gentium* violationes, inveniuntur hodiè in aliqua Gente, & nominatim in Imperio *Ottomannorum*? Quantum ad primam; Nullo modo affirmare hæsitaverim, Gentes tales, aut Cætus Hominũ, existere posse. Hujus rei fundamenta poni non possunt magis solida, quàm si in Donationem Imperii Originalem, & Primitivam, inspiciamus Observa igitur verba Donationis illius; Præcipuè Præfationem. Dixit *Deus*; *Faciamus Hominem ad Imaginem & Similitudinem nostram, & dominetur Piscibus Maris, & Volatilibus Cœli & Bestiis Terræ.* Hinc *Franciscus* de *Victoriâ*, & alii nonnulli, egregiè inferunt, atque extrahunt verissimum & planè divinum *Aphorismum*; *Non fundatur Dominium nisi in imagine Dei.* Hic habemus Chartam Donationis omnis Dominii. Facilius itaq; erit, de Causis Revocationis, aut Amissionis ejusdem, judicare, *Imaginem* si deleas, Jus unà cessat. At *Imago* hæc quid est, aut quomodo deletur? *Pauperes Lugdunẽses*, & hujusmodi Spiritus Fanatici, respondebunt, *Imaginem Dei* esse Puritatem; Id autem quod delet esse *Peccatum.* Verùm hoc ad Eversionem Imperii omnis spectat. Neque Peccatum *Adami*, aut Maledictio Illud secuta, eum Jure Dominii sui privavit, sed in Creaturis, Rebellionem *tantùm*, & Reluctationem, excitavit. Itaque (si diligenter attendas,) cùm Charta ista, *Noacho* & *filiis*, post *Diluvium*, renovaretur, non fit per Verba Restitutionis Dominii, qualia erant prima; Dominamini; &c. Sed; *Terror vester, ac Tremor vester, erit super Cuncta Animalia Terræ & super omnes volucres Cœli, cum universis quæ moventur super terram*; Imperium minimè de novo concedendo, quod ratum manebat, sed contra Reluctationem illud protegendo. Interpretes igitur Saniores, hanc *Imaginem* interpretantur, esse, *Rationem Naturalem*; Quæ si in toto, aut maximâ ex parte, deformetur, Jus Imperii extinguitur: Atque si Interpretum omnium sententias diligenter perpendas, de *Casu* dubitant, non de *Lege.* Sed hoc propriè tractandum veniet, cùm de secunda parte disseremus; Quæ ipsas *Imaginis* Deformationes explicabit. Verùm pergamus Hoseas Propheta, in Persona *Dei*, de *Iudæis* dicit; *Ipsi regnaverunt, & non ex me*; *Principes constituerunt, & non cognovi.* Qui locus apertè indicat, Dominia quædam esse, quorum Deus se Auctorem negat. Etsi enim occultâ ejus Providentiâ ordinentur, voluntate tamen ejus Revelatâ minimè agnoscuntur. Neq; hoc de *Gubernatoribus malis* aut *Tyrannis*, intelligi potest; (Illi enim, in *Scripturis*, sæpenumerò Auctoritate muniuntur, & stabiliuntur, tanquam Potestates Legitimæ,) sed de Perversitate aliqua, & totali Defectione, in Gente, aut Populo ipso: Quod ex eo liquidò colligitur, quandoquidem *Propheta* loquitur, de Dominio in Abstracto, non de Persona Domini. Licet autem nonnulli, ex iis quos diximus, Heretici, Textu hoc abusi sint, eumque malè distorserint; Sol tamen in transitu per Cloacas, non inquinatur. Atque insuper, si quis inferat, ex verbis *Prophetæ* sequentibus, (quæ hãc Rejectionem, ob *Iodololatriam* eorum factam, declarãt,) Interpretatione istâ, omnium *Nationum Idololatricarum* destrui Dominia, (quod perspicuè falsum est;) Hoc meo judicio non sequitur, *Idololatria* enim *Iudæorum*, eo tempore, atque *Idololatria Ethnicorum*, quæ tum fuit, & hodiè invenitur, Peccata sunt Naturæ inter se multùm discrepantis, respectu fœderis specialis, & manifestationis clarioris, quibus *Deus* seipsum Nationi illi devinxit, & exhibuit. Hæc Imperii Nullitas, & Dominii Privatio, quam in Nationibus aliquibus *reperiri* dicimus, significantiùs adhuc, à *Mose*, exprimitur, in *Cantico* suo, sub Persona *Dei*, *Iudæos* alloquentis; *Ipsi me provocastis in eo, qui non est Deus*; *Et Ego vos provocabo, in eo, qui non est populus.* Tales, (proculdubiò,) erant Populi *Cananæorum*, & reliqui, post Donationem, *Terræ promissionis*, Israelitis factam. Ab eo enim tempore, Jus eorum in Terram illam corruit, etsi in Locis compluribus, Armis sub jugati non fuerint, sed in Possessione manserint. Ex hoc videre licet. Nationes quasdam Nominetenus existere, quæ Nationes jure non sunt, sed multitudines tantum & Examina Populorum. Quemadmodum enim *Homines* quidam sunt, quos Ex-leges appellamus; Proscripti scilicet, per Leges Civiles diversarum Regionum: Ita etiam, *Nationes* quædam reperiuntur, Terras & Possessiones suas, de Facto, & non de Jure, occupantes, respectu nullitatis *Politiæ*, aut Regiminis sui. Sed recipiamus *Exempla* aliqua in Medium Probationum nostrarum; Etenim sic disposita, non minus probabunt, quàm si in finem rejiciantur; tùm verò illustrabunt magis. Indubitatum semper fuit, Bellum contra *Piratas* justè geri posse, per Nationem quamcunque, licet ab iis minimè infestatam aut læsam. An quia certas Sedes, aut Lares, non habent. At in *Piratico Bello* à *Pompejo Magno* gesto (quodque reverà, inter *Bella* quæ gesit, ei maxime honorificum & gloriosum fuit) *Piratæ* nonnullas Urbes tenuerunt; Portus quamplurimos, etiam magnam Provinciæ Ciliciæ partem: Atque *Piratæ*, qui hodiè sunt, *Iulio Cæsario*, Receptum habent. Bestiæ ideò minus feræ, quia speluncas habent. An quia periculum ab iis, tanquam Nubes, volitat & volvitur, ut nesciamus in quam partem erupturum sit; Adeò ut omnium, sine discrimine, Res agatur? Ratio hæc posterior, bona; Illi tamen non insunt omnia; Neque profectò ea est, quæ ut plurimum allegatur. Vera enim Causa hujus rei est. *Quod Piratæ communes Humani Generis Hostes* sint; Quos idcircò omnibus Nationibus persequi incumbit, non tàm propter Metus proprios, quàm respectu Fœderis inter Homines Socialis. Sicut enim quædam sunt fœdera in Scriptis, & in Tractatus redacta, contra Hostes particulares inita; Naturalis & tacita Confœderatio inter omnes Homines intercedit, contra communes Societatis Humanæ Hostes. Adeò, ut ad hujusmodi *Bella* indicenda, non opus sit Denunciatione aliqua solenni; Non expectanda Supplicatio à Natione læsa, ut summittantur Auxilia, sed istiusmodi Formulas omnes supplet *Ius Naturæ* in *Bello Piratico.* Idem censendum est, de Latronibus per Terram, & Insidiatoribus Viarum; Quales adhuc dicuntur Pagi nonnulli *Arabum*, & *Reguli* quidam *Montani*, qui secus angustas vias, & à Viatoribus frequentatas, habitant. Neque [ut prius de *Piratis* dictum est] *Principibus* tantum vicinis, hos debellare conceditur; verùm etiam, si quæ Natio

sit, quantumvis longè disita, quæ Merito & Gloriæ sibi duceret, *Bellum* istud suscipere; (veluti *Romani* olim *Bellum* gesserunt pro liberanda *Græcia*) proculdubio hoc facere cum Justitia possint. Nec absimile pronuntio, de *Regno Assassinorum* jam extincto, quod situm erat super fines *Saracæ*, atque olim, magno, *Principibus Orientis*, pro *tempore*, terrori fuit. Ibi consuetudine receptum erat, ut *Regis* Mandato, & ex cœca obedientia eidem præstanda, quivis illorum obligatus esset, & veluti voto obstrictus, ad Cædem cujusvis *Principis*, aut Personæ, perpetrandam, quam *Rex* suus designavit. Consuetudo ista, sine controversia, totum illud Regimen invalidum reddidit, & nullo Jure subnixum; tanquam Machinam quandam, contra Societatem Humanam extructam, quæ ab omnibus incendi, & destrui meruit. Idem pronuntio de *Anabaptistis Civitatis Monasteriensis*, etiamsi *Imperatori* rebelles non fuissent; atque etiamsi nil sceleris rever à commisissent. Quin & si adhuc fuerit, aut in futurum exorturus sit, Hominum Cœtus aliquis, qui teneret & poneret, omnia licita esse, non ex præscripto Legum, aut Regularum aliquarum, sed ex Motu & Instinctu secreto & vario Spiritus; Hic procul dubio Natio nulla censenda, Populus nullus, nulla *Politia*, quam *Deus* agnoscit: Cuivis sanè Nationi, Populum hunc (si ad Sanitatem redire recuset) exterminare penitus ex Cœtu Hominum, & à facie Terræ delere licebit. Proponam jam *Exemplum* rei fictæ: Et tamen Veteres in dubio reliquerunt, utrum Res ficta fuerit, an Historia vera. Illud intelligo de *Gente Amazonum*; ubi Regimen, tàm publicum, quàm privatum, etiam Militia ipsa, penes *Fœminas* residebat. Num quis sanæ Mentis affirmaverit, hujusmodi Imperium, contra Ordinem Naturæ, in principiis suis, institutum, non esse in se vacuum, & nullum & prorsus abolendum? De summo *Fœminarum* Imperio non loquor; Id enim Consiliariis, & Magistratibus subordinatis, Masculis, suffulcitur; Verùm ubi Regimen Status, Justitiæ, Familiarum, à Fœminis, & non aliis, administrabatur. Attamen, *Exemplum* hoc postremum, à prioribus differt, eò quod in illis Periculi Metus supponatur, in hoc autem Aberratio tantum à *Lege Naturæ*. Neque hæsitarim idem affirmare de *Sultania Mamalucorum*, ubi *Servi*, & nulli alii pecuniâ empti, & stirpis incognitæ, Liberis imperabant. Huic affine esset, si *Gentem* aliquam supponas, apud quam Consuetudo talis reciperetur, ut *Filij*, quamprimum ad plenam Ætatem pervenerint, *Parentes* è possessionibus suis expellerent, & eis stipendium tantum solverent: *Exempla* enim ista Imperii *Fœminarum* in *Viros Filiorum* in *Patres*, *Servorum* in *Liberos*, similia & cognata inter se sunt; Cùm in his omnibus *Ius Naturæ* & *Gentium*, manifestò violetur pervertatur. Quantum ad *Indos Occidentales*, video (*Marti*) te *Garcilazzum de Viega* legisse; Qui & ipse de stirpe *Incarum* fuit; & proles mixta extitit; Atque Virtutes & Mores honestiores Patriæ suæ libenter memorat; etsi certè sobriè hoc, & perquàm modestè faciat. Attamen mihi haud facilè persuadebis, Nationes illas, à quavis Natione, quæ Virtutibus Moralibus culta & imbuta esset, sub jugari non potuisse; Licet Propagatio *Fidei* supponeretur, nec in partem Casus admitteretur Certè, Nuditas illorum, quâ plerumque usi sunt, absque ullo omninò velo aut Tegumento, magnæ deformitati fuit: siquidem in *Nuditatis Conscientiâ*, *sensus primus Peccati* constitit; Atque Hæresis Adamitarum, semper habita est, tanquam Opprobrium Naturæ. Sed hoc Fervoribus Regionis detur, quandoquidem sit illis cum aliis nonnullis *Gentibus* commune. Neque rursus simplicitatem eorum commemorare placet, licet insignis fuerit; utpote qui Equos Fræna ipsorum manducare; Literas autem loqui, & commissa sibi nunciare, putarent; & similia. Neque enim Sortilegia, Divinationes & Magicas Superstitiones narro; In quibus cum plerisque *Gentibus Idololatris*, communicabunt. Verùm affirmo, Consuetudinem apud illos, Homines sacrificandi, & multò magis Carnes Humanas manducandi, tantam Abominationem fuisse, ut erubescere cogatur, quicunque certè negaverit, Morem hunc excrabilem, cum aliis improbissimis, conjunctum, *Hispanis* justam Caussam tribuisse, Territoria eorum invadendi, ut per *Legem Naturæ* proscripta, & *Populum* vel reducendi, vel expellendi. Absit tamen à me, Crudelitatibus & Cædibus, quæ sub initiis adversus illos grassabantur, patrocinari; Quæ certi Mercedem suam paulo post receperunt; Cùm ne unus quidem ex primis earum Regionum Occupatoribus extiterit, qui non ipse violentâ Morte perierit; Quemque etiam, Mors & Calamitas, complurium è suis, non aut comitabatur, aut à tergo insequebatur. Sed *Exemplorum* satis; Nisi fortè huc adjicias *Labores Herculis*: *Exemplum* sanè, quod licet *Fabulis* multis turgeat, hoc tamen in primis habet; quod insigniter demonstret, omnium Nationum & Ætatum Consensum, in Extirpationibus & Debellationibus, Gigantum, Monstrorum, & Tyrannorum Enormium approbandis; Non solùm tanquam justis, sed tanquam Facinoribus egregiis; Quæque Divinus, aut saltem Heroicos, Honores mererentur: Atque hoc, licet Liberator ille, quisquis tandẽ sit, exunâ Orbis extremitate ad alterâ penetraret. Jam autem, *Exemplis* his prælibatis ad *Argumenta* redeamus, Pondus potiùs, quàm Numerum, spectantes, ut in hujusmodi (*colloquio* par est. Primum *Argumentum* hoc erit. Damnandus certè error ille, tanquam pusillanimitatis nimiæ, si quis existimet, Nationibus aut Gentibus, nullum inter se Vinculum intercedere; nisi aut sub *Rege* eodem uniantur, aut per Pacta & Fœdera socientur. Aliæ siquidem Societatis Obligationes sunt, & Confœderationes tacitæ & implicitæ. Exempli gratia Illa *Coloniarum*, aut aliò transmigrantium, erga Nationem Progenetricem suam. Neque pro nihilo habendum, si *Gentes unius Labij sint*: Sicut enim Confusio Linguarum Nota erat Separationis; Ita Linguæ Communio Nota Unionis. *Iisdem Legibus Fundamentalibus*, & Consuetudinibus Generalibus uti, adhuc majus quiddam est. Quod Genus Conjunctionis, in *Græcis*, respectu Barbarorum vigebat. Super omnia autem eminet, magna illa & indissolubilis; inter Homines universos, *Consanguinitas* & *Societas*, de quâ *Poeta Ethnicus*, (*Paulo Apostolo* citante,)

citante,) *Ipsius enim & Genus sumus.* Multò magis Consanguitatis illius Jura, inter Nos *Christianos* colenda sunt: Quibus specialiter revelatum, omnes Homines ex una Massa Terræ prodiisse; Cunctasque Orbis Generationes, è duobus *Protoplastis*, propagatas esse. Nos (inquam) sine Hæsitatione ullâ agnoscere debemus, nullas *Gentes* inter se peregrinas, aut Sanguinis alieni esse; Neque charitatis sensu minus affici, quàm *Senex* ille *Comicus* præ se tulit, qui dixit; Homo sum, *Humani nihil à me alienum puto.* Quod si ea intercedit, qualem diximus, inter Homines universos, Confœderatio, certè alicui Fini inservit, nec prorsus otiosa est. Aliquas ergò Actiones, aliquas Res respicit. Quæ tandem illæ sunt? Num fortè hoc *Fœdus* contra *Feras*, aut *Elementa Ignis* & *Aquæ* initur? Nequaquam: Sed contra Hominum Cœtus & Greges quospiam, qui à *Lege Naturæ* penitus desciverunt & degeneraverunt; quiquein Corpore ipso suo, & Fabricâ Status, Monstro sum quiddam habent; qui denique, juxta *Exempla* dudum prolata, communes Humani Generis Hostes & Gravamina; Atque insuper Opprobria Naturæ, & Dignitatis Humanæ, merito censeri possint, Tales Hominum Greges, omnium Nationum interest, tàm vividi sensus esse; ut, si fieri possit, supprimant; Quandoquidem Populus ipse, qui talia patitur, Remedium sibi ipsis præstare nequeunt. Atque hoc, quod dico, metiendum est, non tàm ex *principiis Iureconsultorum*; quàm ex *Lege Charitatis*; *Lege Proximi*, quæ non minùs *Samaritanum* quàm *Levitam*, includit; *Lege Filiorum Adæ de Masiâ unâ*; super quas *Leges Primitivas* Opinio ista fundatur; quas impugnare (si liberè loqui liceat) fuerit propemodum, in Naturâ *Schismaticum* esse.

Reliqua perficere non vacabat.

OPUS ILLUSTRE

IN FELICEM MEMORIAM ELIZABETHÆ ANGLIÆ REGINÆ.

Cui accesserunt, veluti ejusdem generis, *Imago Civilis Julii Cæsaris*; *Imago Civilis Augusti Cæsaris*; *Epistola ad Fulgentium.*

In felicem memoriam

ELIZABETHÆ ANGLIÆ REGINÆ.

ELizabetha & *Natura* & *Fortuna* mirabilis inter *Fœminas*, memorabilis inter *Principes*, fuit. Neque hæc res indicium *Monachi* alicujus, aut hujusmodi *Censoris umbratilis*, desiderat: Nam isti homines, stylo acres, judicio impares, & Patris suæ memores, Rerum minus fideles testes sunt. Ad *principes viros* pertinet hæc cognitio, atque ad eos qui *Imperiorum gubernacula* tractarunt, & Rerum Civilium Ardua & Arcana norunt. Rarũ in omni est memoria *muliebre imperium*; rarior in eo *felicitas*; rarissima cum felicitate *diuturnitas*. Illa vero quadragesimum quartum *Regni* sui annum complevit; neque tamen *fœlicitati* suæ superstes fuit. De hac *fœlicitate* pauca dicere institui, neque in laudes excurere. Laudem enim *Homines* tribuunt, fœlicitatem *Deus*.

Primum in parte *fœlicitatis* pono, quod ad *Imperatorium fastigium* à privata fortuna evecta sit. Siquidem hoc in moribus & opinionibus hominum penitus insedit, ut quæ præter spem & expectationem eveniunt, majori *fœlicitati* deputentur. Sed non hoc est quod volo; illud intueor, *Principes*, qui in *Domo Regnatrice*, & ad spem Successionis non dubiam nutriti sunt, ab educationis indulgentia & licentia depravatos, plerumque & minus capaces, & minus moderatos, evadere. Itaque optimos & excellentissimos *Reges* reperias, quos utraque fortuna erudiit: Talis apud nos fuit *Henricus septimus*, & apud *Gallos Ludovicus duodecimus*; qui recenti memoria, & eodem ferè tempore, non tantum à privata, sed etiam ab adversa & exercita fortuna, *Regnum* accepere, atque (ille *Prudentia*, hic *Iustitia*) floruere. Similis fuit & hujusce, *Principis* ratio; cujus initia & spes variavit fortuna, ut in *Principatu* ad extremum erga illam constans & æquabilis esset. Nam *Elizabetha natalibus* suis successioni destinata, deinde exhæredata, tum posthabita fuit; eadem *Regno Fratris* fortuna magis propitia & serena, *Regno Sororis* magis turbida & ancipiti usa est. Neque tamen ex vinculis subito in *Regnum* assumpta est, ut ab infortunio exacerbata intumesceret; sed libertati restituta, & expectatione aucta, tum demum *Regnum* sine *Tumultu* aut *Competitore* placidè & fœlicissimè obtinuit. Atque hæc ideo adducimus, ut appareat, *Divinam Providentiam* optimam *Principem* meditatam, per istiusmodi disciplinæ gradus eam præparasse, & extulisse. Neque sane *natalium dignitati* calamitas *Matris* obesse debet; cum præsertim satis constet, *Henricum octavum* prius amori novo quam ire adversus *Annam* indulsisse; ejusque *Regis* natura, & ad amores & ad suspiciones propensissima, & in iisdem usque ad sanguinem præceps, *posteritatis* notam non effugiat. Adde, quod Criminatione, vel personæ ipsius, ad quem referebatur, nomine, minus probabili, & tenuissimis conjecturis innixa, circumventa erat; quod & fama, etiam tum, occulto ut solet murmure excepit, & *Anna*

ipsa, celso animo, & memorabili voce, sub tempus mortis suæ protestata. Nacta enim nuncium (ut existimabat) & fidum benevolum, eadem hora, qua ad Mortem se parabat, hujusmodi mandata ad *Regem* perferenda dedit; *Regē in ipsa novis Honoribus cumulanda institutum suum optime servare, & perpetuo tueri; cum illam primum generosa stirpe ortam sed Nobilitatis Titulis non insignitam, dignitate Marchionissæ ornasset, deinde in Regni & thori consortium accepisset; & postremo, quia non restabat terreni Honoris Gradus altior, Innocentem ad Coronam Martyrij evehere voluisset.* Atqui nuncius ille ad *Regem*, alio amore flagrantem, hoc perferre non ausus est; sed *fama*, veritatis vindex, ad *posteros* pertulit.

Neque exigua sane pars *felicitatis Elizabethæ*, etiam *mensura*, ac veluti *circulum* ipsum, *Regiminis* sui nobis visum est: Non tantum quia diuturnum, sed quia spatium illud *Ætatis* suæ occupavit, quod *Rerum Moderamini*, & *habenis Regni* flectēdis & moliendis, aptissimum esset. Annos enim viginti quinq; (qua ætate *Curatura* finitur) nata cum *regnare* inciperet, ad septuagesimum ætatis annum *imperium* produxit. Itaque, nec *Pupillæ* detrimenta, & aliena Arbitria; nec rursus exactæ & ægræ *senectutis* incommoda experta est. *Senectus* autem, etiam privatis, miseriarum satis; sed *Regibus*, præter communia Ætatis mala, adhuc *Status* sui *declinationes*, & in glorios *exitus*, afferre solet. Nemo enim ferè in *Regno* ad multam & invalidam *senectutem* pertingit, quin aliquam *imperij* & *existimationis* diminutionem patiatur: Cujus rei exemplum maxime eminet in *Philippo secundo Rege Hispaniarum, Principe* potentissimo, & imperandi peritissimo; qui extremis suis temporibus, & fessa ætate, hoc quod diximus penitus sensit: ideoque prudentissimo consilio se rerum conditioni submisit; *Territoriis* in *Gallijs* acquisitis se ipse mulctavit, pacem ibidem firmavit, alibi tentavit, ut res compositas atque integra omia posteris relinqueret. Contra, *Elizabethæ* Fortua tam constans & valida fuit, ut nec ulla rerum *declinatio vergētem* certe sed tamen adhuc *vigentem*, ætatem sequeretur: Atque insuper, insignum *fœlicitatis* suæ certissimum, non prius diem obierit, quam de defectione in *Hibernia* prospero prælii evētu decretum esset; ne Gloria ejus aliqua ex parte deformata & imperfecta videretur. Et etiam illud cogitandum censeo, in quali *populo imperium* tenuerit: Si enim in *Palmyrenis*, aut *Asia* imbelli & molli *regnū* sortita esset, minus mirandum fuisset; cum effœminato populo *fœmina Princeps* competeret: Verum in *Anglia, Natione* ferocissima & bellicosissima, omnia ex nutu *fœminæ* moveri & cohiberi potuisse, summam merito admirationem habet.

Neque hæc inclinatio *populi* sui, *belli* cupida, & *pacem* ægræ tolerans, obfuit, quo minus perpetuis suis temporibus *pacem* coleret & teneret. Atq; hāc ejus voluntatem cum successu conjunctam inter maximas ejus *laudes* pono. Hoc enim *ætati* suæ fœlix, hoc *sexui* decorum, hoc *consciētiæ* salutare fuit. Tentata paulisper circa decimum *Regni* sui annū in partibus *Borealibus* rerum commotio sed statim sopita & extincta est. Reliqui anni interna *pace*, eaque secura atque alta, floruere. *Pacem* autem florentissimam judico, duabus de causis; quæ ad *meritum Pacis* nihil faciunt, ad *gloriam* autem maximè Uua quod *Victorum* calamitatibus, veluti flāmis lucentibus, magis fiebat conspicua & illustrata: Altera, quod commodis *pacis armorum* honor non defuit; cum celebritatem *Nominis Anglici* in *armis* & *re militari* per multa decora non solum retineret, sed augeret. Nam & *Auxilia* in *Belgium, Galliam* & *Sociam* missa; & *Navales expeditiones* susceptæ in *Indias*; atque ex illis nonnullæ per universi *Globi Terrarum* ambitum factæ; & *classes* in *Lusitaniam*, & ad *oras Hispaniæ* infestandas submissæ; & *Rebelles* in *Hibernia* sæpius concisi & domiti, nihil aut de *virtute bellica Gētis* nostræ remitti, aut de *ejusdem fama* de perire, sinebant.

Aderat etiam *Gloriæ* meritum, quod & *Regibus* vicinis tempestivis ab ipsa auxiliis *Regnum* conservatum sit; & *populis* supplicibus, pessimo *Principum* consilio *Ministrorum* suorum crudelitati, & *plebis* furori, & omni lanienæ & vastitati relictis & fere devotis, levamentum malorum ab ea datum est; per quod res eorum adhuc stetere. Nec minus *consiliis*, quam *auxiliis*, benefica & salutaris *Princeps* fuit: ut quæ *Regem Hispaniarum* toties de lonienda in subditos suos in *Belgio* ira, & illis suo imperio tolerabili aliqua conditione restituendis, interpellavit: Et *Reges Galliæ* perpetuis & repetitis Monitis de *Edictis* suis pacem spondentibus observandis, maxima fide solicitavit. Non negaverim consilio ejus successum defuisse: Neque enim prius illud sivit *Fatum Europæ commue*; ne forte ambitio *Hispaniæ*, veluti carceribus liberata, in *Regnorum* & *Rerumpublicarum* Orbis Christiani detrimentum (ut tunc res erant) se effunderet: Hoc etiam posterius non sivit *sanguis* tot innocentium, cum *uxoribus* & *liberis* ad focos & cubilia sua per infimā plebis *fecem*, ut belluas quasdam publica Authoritate & animatas & armatas & missas, effusus; Qui ut *Regnum* tam nefario scelere obligatuin, mutuis cedibus & contrucidationibus expiaretur, in ultionem poscebat. Illa tamen, utcunq; officium *fœderatæ* & *prudentis*, & *benvolæ*, præstitit.

Alia etiam subest *causa*, cur *pacem* ab *Elizabetha* cultam & conservatam admiremur: ea nimirū, quod non à temporum inclinatione, sed ab ejus prudētia, & rebus bene ordinatis, *pax* ista profecta sit. Nam eum & interna factione obcausam Religionis laboraret, & hujus Regni robur & præsidiū universe *Europæ* instar propugnaculi esset adversus *Regis Hispaniæ* illis Temporibus formidabilem & exundantem ambitionem & potentiam, *belli* materia non defuit; verum ipsa & copiis & consiliis superfuit. Istud evētus docuit maxime memorabilis inter res gestas nostri seculi universas, si *fœlicitatē* spectes. Nam cum *Classis Hispanica*, tanto rerum tumore, & totius *Europæ* terrore & expectatione, & tāta victoriæ fiducia *Freta* nostra sulcaret, nec *Naviculam* aliquam in mari accepit, nec *Villulam* aliquam incendio vastavit, nec *Litus* omnino attigit: Sed prælio fusa, misera fuga & crebris naufragiis dissipata est, atque *pax Anglico* solo & finibus immota & inconcussa mansit. Nec minus fœlix in *Cōjuratorū insidiis* devitandis, quam in *copiis Hostilibus* devincendis & propulsandis, fuit: non paucæ enim contra vitam ejus *Conspirationes* factæ, fœlicissime & patefactæ & disturbatæ sunt: Neq; ex eo *vita* ejus magis trepida aut anxia; non *Sipatorum*

numerus

numerus auctus; non tēpus intra Palatium actum, & rarus in publicum processus; sed secura, & fidens, & potius liberationis à periculo quam periculi ipsius memor, nihil de consuetudine sua pristina vivendi mutavit.

Etiam illud notatu dignū videtur, qualia *Tempora* fuerint in quibus floruit. Sunt enim quædam *secula* tam barbara & rerum nescia, ut *Homines*, tanquam Animaliū greges, imperio coercere nil magnum fuerit. Hæc autem *Princeps* in *tempora* eruditissima & excultissima incidi; in quibus emineré & excellere non absque maximis *ingenij* dotibus & singulari *virtutis* tēperamento dabatur. Etiam *imperia fœminarum* nuptiis ferè obscurantur, laudesque & acta in *maritos* transeunt: illis autem quæ innuptæ degunt, propria & integra gloria manet. In illam vero hoc magis cadit, quod nullis *imperij* adminiculis, nisi quæ ipsa sibi comparaverat, fulciebatur: Non *frater uterinus* addera, non *patruus*, non alius quispiam *familia* & *stirpe Regia*, qui *particeps curarum*, & dominationis subsidium esset. Sed & eos, quos ipsa ad Honores evexerat, ita & cohibuit & commiscuit, ut singulis maximam complacendi solicitudinem injiceret; atque ipsa semper sui juris esset. *Orba* sane fuit, nec stirpem ex se reliquit: Quod etiam fœlicissimis contigit, *Alexandro Magno*, *Iulio Cæsari*, *Trajano*, aliis: & semper varie jactatum, & in contrarias partes trahi & disputari solet; cum alii hoc in diminutionem *fœlicitatis* accipiant, ne forte *homines* supra mortalem conditionem bearentur, si & in dividuo, & in speciei propagatione, felices essent; alii autem in cumulum *fœlicitatis* rem vertant, quod ea demum *fœlicitas* completa videatur, in quam fortunæ nil amplius liceat; quod, si *posteri* sint, fieri non potest.

Aderant ei & *externa*; *Statura procera*; *Corporis decora cōpages*; *Summa dignitas Oris* cum *suavitate*; *Valetudo* maxime prospera. Superest & illud, quod ad extremum valens & vigens, nec *fortunæ commutationes* nec *senectutis mala* expreta, eam, quam tantopere sibi votis precari solebat *Augustus Cæsar Euthanasiam*, facili & leni obitu fortita sit. Quod etiamde *Antonio Pio imperatore optimo*, celebratur; cujus mors somni alicujus suavis & placidi imaginem habebat. Similiter & in *Elizabethæ morbo* nil atrox, nil ominosum, nil ab humana natura alienum erat. Non desiderio vitæ, non morbi impatientia, non doloris cruciatibus torquebatur: Nullum aderat *symptoma* dirum, aut fœdum; sed omnia ejus generis erant, ut naturæ fragilitatem, potius quam corruptionem aut dedecus ostenderent. Paucos enim ante Obitum dies, ex *corporis* nimia siccitate, & curis quæ *Regni* culmen sequuntur at-enuata, nec unquam mero aut uberiore diæta irrigata, nervorum rigore perculsa, vocem tamen (quod fieri non solet in ejusmodi morbo) & mentem & motum, licet tradiorem & hebetiorem, retinuit. Atque is personæ ejus status paucis diebus tantum duravit; ut non tanquam *actus vitæ* novissimus, sed tanquam *primus gradus* ad *mortem* fuerit: Nam imminutis *facultatibus* in vita diu manere, miserum habetur; sed à sensu paulatim sopito ad mortem properare, placida & clemens vitæ clausula est.

Addo & illud in *fœlicitatis* ejus cumulum insignem; quod non tantum *nomine* proprio, sed & *Ministrorum Status* virtute, fœlicissima fuit.

Tales enim viros nacta est, quales fortasse hæc *Insula* ante eū diem non peperit. *Deus* autē *Regibus* favēs, etiam spiritus *Ministrorum* excitat & ornat.

Restant *fœlicitates posthumæ* duæ, iis quæ vivam comitabantur ferè cessiores & augustiores: Una *Successoris*, altera Memoriæ. Nam *Successorem* sortita est eum, qui licet & *mascula virtute*, & *prole*, & *nova imperij accessione*, fastigium ejus excedat & obumbret; tamen & *Nomini*, & *Honoribus* ejus faveat, & *Actis* ejus quandam perpetuitatem donet; cum nec ex *Personarum delectu*, nec ex *institutorum ordine*, quicquam magnopere mutaverit: Adeo ut raro *Filius parenti*, tanto silentio, atque tam exigua mutatione & perturbatione successerit. *Memoria* autem ejus, ita & in ore hominum, & in animis viget, ut per *mortem* extincta invidia, atque incensa fama, *fœlicitas memoriæ* cum *felicitate vitæ* quodammodo certet Nam si quaex studio partium, & dissensione *Religionis*, vagatur *Fama* factiosa (quæ tamen ipsa jam timida videtur, & consensu victa) ea & sincera non est, & perennis esse non potest. Atque ob eam causam præcipue, hæc, qualia sunt, de *fœlicitate* ejus & *divini favoris* notis, collegi; ut malevolus aliquis tantis *Dei* benedictionibus suas maledictiones inserere vereatur. Si quis autem ad hæc, ut ille ad *Cæsarem*, *Quæ miremur, habemus; sed quæ laudemus, expectamus*: sane existimo veram *Admirationem* quendam *laudis* excessum esse. Neque ea, quam descripsimus, *fœlicitas*, ulli evenire potest, nisi qui & à *Divina Gratia* eximie sustinetur atque foveatur; ac etiam *moribus*, & *virtute*, hanc *fortunā* sibi, aliqua ex parte, finxerit. Sed tamen visum est, pauca admodum, quæ ad *mores* pertinent adjungere, in iis solummodo, quæ iniquorum sermonibus maxime aditum & fomitem præbere videntur.

Fuit *Elizabetha*, in *Religione pia* & *moderata*; & *constans*, ac novitatis inimica. Atque *pietatis* indicia, licet in factis, & rebus, quas gessit, maxime elucescant; tamen, & in vitæ ratione, & consuetudine familiari, adumbrata sunt. *Liturgiis* & *Divinis Officiis* aut *sacello solenniore*, aut *interiore*, raro, abfuit. In *Scripturis*, & *Patrum scriptis* (præcipue *Beati Augustini*) legendis, multum versata est. *Preces* quasdam ipsa, ex occasione, & re nata, composuit. In *Dei* mentionem, vel communi sermone incidens, fere semper *Creatoris* nomen addidit; & oculos, & vultum, ad humilitatem & reverentiam quandam cōposuit, quod & ipse sepe notavi. Quod autem quidam vulgaverunt, eam minime *mortalitatis* memorem fuisse, adeo ut nec de *senectute*, nec de *morte*, mentionem æquo animo ferret, id falsissimum fuit; cum ipsa, sæpissime multis ante *mortem* annis, magna comitate, se *vetulam* diceret; & de *iscriptione sepulchri*, quid sibi maxime placeret, sermones haberet; cū diceret, sibi gloriā, & splendidos Titulos, minime cordi esse; sed lineam memoriæ unam, aut alteram, quæ *nomen* ejus tantum, & *Virginitatē*, & *Tempus Regni*, & *Religionis Instaurationem*, & *Pacis Conservationem* brevi verborum compendio significaret. Verum est, cum ætate florenti, & liberis procreādis habili, de *Successore* declarando interpellaretur, respondisse, *Se linteum sepulchrale sibi vivæ ante oculos obtendi nullo modo*

passuram. Attamen, non multis ante *mortem* annis, cum cogitabunda esset, ac ut verisimile est, de *mortalitate* sua meditaretur, ut quidam ex intimis sermonem intulisset, quod *munera* & *loca* multa & magna in *Republica* nimium diu vacarent, commotior & assurgens, *Se certo, scire suum locum ne tantillum temporis vacaturum*, dixit.

Quod ad *moderationem* in *Religione* attinet hærere videbimur, propter *legum* in *subditos Religionis Pontificiæ* latarum severitatem: sed ea proferemus, quæ nobis & certo nota, & diligenter notata sunt. Certissimum est, hunc fuisse istius *Principis* animi sensum, ut vim *conscientiis* adhibere nollet; sed rursus, statum *Regni* sui prætextu *conscientiæ* & *Religionis* in discrimen venire non permitteret. Ex hoc fonte, primum, duarum *Religionum libertatem* & *tolerationem* auctoritate publica in populo animoso & feroce, & ab animorum contensione ad manus & arma facile veniente, admittere, certissimam perniciem judicavit. Etiam in novitate *Regni*, cum omnia suspecta essent, ex *Præsulibus Ecclesiæ* quosdam magis turbidi & factiosi ingenii, auctoritate *legis* accedente, sub custodia libera habuit; reliquis utriusque *Ordinis*, non acri aliqua inquisitione molesta, sed benigna conniventia præsidio fuit. Hic primus rerũ status. Neque de hac clementia, licet *excommunicatione Pii Quinti* provocata (quę & indignationem addere, & occasionem præbere novi instituti potuit) quicquam ferè mutavit; sed natura sua uti perseveravit. Nã *prudẽtissima Fœmina*, & *magnanima*, hujusmodi terrorum sonitu nil admodum commota est; secura de populi sui fide & amore & de *Factionis Pontificiæ* intra *Regnum* ad nocendum virium tenuitate, non accedente, *Hoste* externo. At sub vicesimum tertium *Regni* sui annũ, rerum commutatio facta est. Atque hæc temporis distinctio, non commode ficta, sed in *publicis Actis* expressa, ac veluti in *Ære* incisa est. Neque enim ante annũ eum gravior aliqua pœna per *leges* prius sancitas *Subditis Pontificiæ Religionis* incubuit. Verum sub hoc tempus, ambitiosum & vastum *Hispaniæ* consilium de hoc *Regno* subjugando paulatim detegi cœpit: hujus pars magna fuit, ut omnibus modis infra *Regni* viscera *Factio* à *statu* aliena, & rerum novarum cupida, excitaretur, quæ *Hosti* invadenti adhæreret. Ea ex dissẽsione *Religionis* sperabatur: Itaque huic omni opera incumbendum statuebant, & pullulantibus tunc *Seminariis Sacerdotes* in *Regnum* immissi, qui studium *Religionis Romanæ* excitarent & spargerent, *vim excommunicationis Romanæ* in fide Subditorum solvenda docerent & inculcarent, & animos hominum novarum rerum expectatione erigerent & præpararent.

Circa idem tempus, & *Hibernia* apertis armis tentabatur; & *Nomen* & *Regimẽ Elizabethæ* variis & sceleratis *libellis* proscindebatur: deniq;, insolitus erat Rerum tumor, prænuncius majoris motus. Neque sane dixerim singulos *Sacerdotes* in participationem consilii assumptos, aut quid ageretur conscios, sed tãtummodo prava alienæ malitiæ *instrumenta* fuisse. Sed tamẽ hoc verum est, & multis confessionibus testatum, omnes ferè *Sacerdotes*, qui ab eo, quem diximus, anno usq; ad tricesimum *Elizabethæ* annum (quo consilium *Hispaniæ*, & *Pontificium*, per memorabilem illum & *Classis* & *Terrestrium copiarum apparatũ* executioni mandatum erat) in hoc *Regnum* immissi erant, habuisse in mandatis inter *functionis officia* hoc insuper, ut, *Non posse diutius stare*; Novam *rerum faciem & conversionem non ita multo post conspicuam fore; curæ esse & Pontifici & Principibus Catholicis Rem Anglicam, modo ipsi sibi non desint*, insinuarent. Etiam ex *Sacerdotibus* nonnulli rebus & machinationibus, quæ ad *Status labefactionem*, & *subversionem* pertinebant, manifeste se immiscuerant; & quod maxime movit, per *literas* ex multis partibus interceptas cõsilii hujus & negotii ratio patefacta est; in quibus scriptum erat, *Vigilantiam Reginæ & conciliis sui circa Catholicos elusam iri; Illam enim ad hoc tantum intentam, ne quod Caput in persona alicujus Nobilis aut viri primarij* Catholicorum *factioni attolleret: At consilium jam tale adhiberi, ut per homines privatos atque ex inferiori nota, neq; eos inter se conspirantes & conscios, per secreta Confessionum omnia disponerentur & præpararetur*. Atque hæ tum artes adhibebantur, hujusmodi hominibus (quod etiam nuper in casu non dissimili videre licuit) usitate & familiares. Hanc tanta periculorum tempestate *lex* quædam *Necessitatis* imposita est *Elizabethæ*, ut eam partem *Subditorum*, quæ à se alienata, & per hujusmodi venena facta erat quasi insanabilis, atque interim ob vitam privatam à publicis muneribus & expensis immunem ditesceret, gravioribus *legum* vinculis constringeret. Atque ingravescente malo, cum origo ejus *Sacerdotibus Seminariorum* deputaretur, qui in exteris partibus nutriti, & exterorum *Principum*, hujus Regni ex professo Hostium, opibus & *eleemosynis* sustentati essent; in locis versati, ubi ne *nomẽ* quidem ipsum *Elizabethæ*, nisi ut *Hereticæ*, *Excommunicatæ*, & *Diris devotæ*, audiebatur; quique, etsi non ipsi *criminibus majestatis* imputi at eorũ, qui hujusmodi *sceleribus* operã dedissent, intimi agnoscerentur; quique suis artibus & venenis ipsam *Catholicorum Massam*, antea magis dulcem & innoxiam depravassent, & novo veluti fermento & perniciosa malignitate infecissent; Non aliud inventum est remedium, quam ut hujusmodi *homines* ab omni in hoc *Regnum* additu sub pœna *Capitis* prohiberentur: quod tãdem vicesimo septimo *Regni* sui anno factum est. Neq; ita multo post *eventus* ipse, cum tanta tempestas hoc *Regnum* adorta esset, & totis viribus incubisset, horum hominum invidiam & odium quicquam lenibat, sed potius auxit; ac si omnem charitatem *Patriæ* exuissent. Ac postea sane, licet metus ab *Hispania* (qui hujus severitatis stimulus erat) consedisset aut remitteretur; tamen cum & memoria præteriti temporis in animis & sensibus *hominum* alte infixa maneret, & *leges* semel factas, aut abrogare inconstans, aut negligere dissolutum videretur; ipsa rerum vis *Elizabetham* traxit, ut ad priorem rerum statum, qui ante vicesimum tertium *Regni* sui annum erat, revertere sibi integrum non esset. Huc accessit quorundam in *Fisci* commodis augendis industria; & *Ministrorum Iustitiæ*, qui non aliam *Patriæ* salutem, quam quæ *legibus* cõtinetur, introspicere aut inteneri consueverunt, solicitudo; quæ quidẽ executionem *legum* poscebant & urgebant. *Ipsa* tamen (in naturæ suæ specimen manifestum) ita *legum* mucromen contudit, ut pauci, pro numero, *Sacerdotes*

capitali

capitali supplicio plecterentur. Neq; hæc *defensionis* loco dicta sunt, qua res istæ non egent: cum & *salus Regni* in hoc verteretur, & universæ istius *severitatis* ratio & modus longe infra sanguinaria, & inter *Christianos* nominanda, eaque potius ab arrogantia atque malitia quam à necessitate profecta, *Pontificiorum exempla* steterit. Sed ejus, quod asseruimus, memores, eam in *causa Religionis moderatam* fuisse, & variationem, quæ fuit, non in *natura* sua, sed in *temporibus* extitisse, demonstrasse nos existamus.

De *Constantia* autem *Elizabethæ* in *Religione* ac ejus *cultu*, maximum argumentum est, quod *Religionem Pontificiam Regno sororis auctoritate publica*, & multa cura impense & stabilitam & altas jam radices agentem, atq; omnium, qui in *magistratibus* & cum *potestate* erant, consensu & studio firmatam; tamen quandoquidem nec *Verbo Dei*, nec *Primitivæ puritati*, nec *conscientiæ* suæ, cõsentanea esset, maximo animo & paucissimis adjumentis convulsit & abrogavit. Neq; id præceps, aut acri impetu, sed prudenter, & tempestive, fecit. Idque, tum ex aliis multis rebus, tum ex *Responso* quodam suo per occasionem facto, conjicere licet. Nam primis *Regni* diebus, cũ in omen & gratulationem novi *Principatus vincti* (ut moris est) solverentur, accessit ad eam ad *sacellum* tum pergentem, *Aulicus* quidam; qui ex natura, consuetudine jocandi, licentiam quandam sibi assumpserat: Isq;, sive ex motu proprio, sive à quodam prudentiore immissus, *libellũ supplicem* ei porrexit, & in magna frequentia clara voce addidit, *Restare adhuc quatuor aut quinque vinctos, idq; immerito; Illis se libertatẽ ut reliquis petere; Eos esse quatuor Evãgelistas, atq; etiam Apostolum Paulũ, qui diu ignota lingua, tanquam carcere, conclusi, inter populum conversari non possent.* Cui illa prudentissime, *Sciscitandum adhuc melius ab ipsis esse, utrum liberari vellent, necne.* Atque ita, improvisæ *quæstioni* suspenso *responso* occurrit; veluti omnia integra sibi servans. Neque tamen timide, & per vices, hæc instillavit; sed ordine gravi, & maturo, habito inter *partes colloquio*, & peractis *Regni Comitiis*, tum demum, idq; intra orbem unius anni vertentis, ita omnia quæ ad *Ecclesiam* pertinebant, ordinavit & stabilivit, ut ne punctum quidem ab illis ad extremum vitæ diẽ, recedi pateretur. Quin & singulis fere *Regni Comitiis*, ne quid in *Ecclesiæ disciplina*, aut *ritibus*, innovaretur, publice monuit Atque de *Religione* hactenus.

Quod si quis ex *tristioribus*, *leviora* illa exaggeret; quod coli, ambiri, quin & Amoris nomine se celebrari & extolli sinebat, atq; volebat; eaq; ultra sortem ætatis continuabat: Hæc tamen si mollius accipias, admiratione & ipsa carere non possunt; cum talia sine fere, qualia in *fabulosis narrationibus* inveniantur; de *Regina* quadam in *insulis Beatis* ejusque *Aula* atque *Institutis*, quæ *Amoris* administrationem recipiat, sed *lasciviam* prohibeat: sin severius; habent & illa *admirationem*, eamque vel maximam, quod hujusmodi deliciæ, non multum *Famæ* nil prorsus *Majestati* ejus officerent; nec *Imperium* relaxarent, nec impedimento notabili rebus & negotiis gerendis essent. Hujusmodi enim res, se cum publica fortuna commiscere, haud raro solent. Verum, ut sermones nostros claudamus: Fuit certe ista Princeps *Bona* & *Morata*; etiam talis videri voluit: *Vitia odorat*, & se *bonis Artibus* clarescere cupiebat. Sane ad mentionem *Morum* suorum in mentem, mihi venit, quid dicam. Cum scribi ad Legatum suum jussisset, de quibusdam mandatis, ad Reginam Matrem Valesiorum separatim perferendis; atque qui ab Epistolis erat, clausulam quandam inseruisset, ut Legatus diceret, tanquã adfavorem aucupandum, *Esse nimirum ipsas duas Fœminas principes, à quibus, in usu rerum & Imperandi virtute & Artibus, non minora, quam à summis viris, expectarentur*; Comparationem non tulit, sed deleri jussit; *seque artes longe dissimiles, & instituta diversa ad imperandum afferre*, dixit. Delectabatur etiam haud parum, si quis forte hujusmodi sermonem intulisset; *Eam etiamsi in privata & mediocri Fortuna ævum traduxisset, tamen non absq; aliqua excellentiæ nota apud homines victuram fuisse*; Adeo nihil à *Fortuna* sua ad *virtutis* laudem mutuare, aut transferre, volebat. Verum si in ejus *laudes*, sive *Morales*, sive *politicas*, ingrederet; aut in *communes* quasdam *virtutum* notas, & commemorationes incidendũ est, quod tam rara *Principe* minus dignum; aut si propriam ipsis lucem, & gratiam, conciliare velim, in *vitæ* ejus *Historiam* prolabendum, quod & majus otium, & venam uberiorem desiderat. Ego enim hæc paucis, ut potui. Sed revera dicendum est; non alium verum hujus *Fœminæ laudatorem* inveniri posse, quam *tempus*: quod cum tam diu jam volvitur, nihil simile, in hoc *sexu*, quoad *rerum Civilium* administrationem peperit.

Imago Civilis *Iulij Cæsaris.*

Julius Cæsar à principio fortuna exercita usus est, quod ei in bonum vertit: Hoc enim illi fastum detraxit, nervos intendit. *Animus* ei inerat studio & affectu turbidus; judicio & intellectu admodũ serenus: Hocque indicat facilis illa sui explicatio, tũ in rebus gerendis, tũ in sermone. Nemo enim, aut celerius decernebat, aut magis perspicue loquebatur: Nil impeditum, nil in volutum quis notaret. Voluntate autem & appetitu is erat, qui nunquam partis acquiescebat, sed ad ulteriora semper tendebat: Ita tamen ut non immutaro fastidio, sed legitimis spatiis, transitus *Actionum* gubernaret; semper enim perfectissimas clausulas *Actionibus* imponebat. Itaque ille, qui post tot victorias, & tantam partam securitaem, reliquias *Belli Civilis* in *Hispania* non contempsit, sed præsens subegit; post extremum illud demum *Bellum Civile* confectum, & omnia undique pacata, *expeditionem* in *Parthos* continuo moliebatur. Erat procul dubio summa *Animi* magnitudine, sed ea, que magis amplitudinem propriam, quam merita in Cõmune spiraret. Prorsus enim omnia ad se referebat, atque ipse sibi erat fidissimum omnium Actionum suarum *Centrum*: Quod maximam ei, & perpetuam fere fœlicitatem peperit. Non enim *Patria*, non *Religio*, nõ *Officia*, non *Necessitudines*, non *Amicitiæ*, destinata ejus remorabãtur, vel in ordinem rẽdigebant. Nec magnopere versus in *Æternitatem* erat; ut qui nec Statum rerum stabiliret, nec quicquam egregium, vel mole, vel instituto, fundaret vel conderet; sed veluti ad se cuncta retulit. Sic etiam ad sua Tempora coagitationum fines recepit. *Nominis* tantum celebritate frui voluit,

quod

quod etiam sua id nonnihil interesse putaret. Ac in propriis certe votis magis potentiæ quam dignitati studebat; Dignitatem enim & Famam, non propter se, sed ut *instrumenta potentiæ* colebat. Itaque veluti naturali impetu, non morata aliqua disciplina ductus, rerum potiri volebat; iisque magis uti quam dignus videri: Quod ei apud *Populum*, cui nulla in erat *Dignitas*, gratiosum erat; apud *Nobiles* & *Proceres*, qui & suam dignitatem retinere volebant, id obtinuit nomen, ut cupidus & audax videretur. Neque multum sane à vero aberrarunt, cum natura audacissimus esset, nec verecundiam unquã, nisi ex composito, indueret. Atque nihilo secius, ita ista efficta erat *Audacia*, ut eum nec temeritatis argueret, nec fastidio *homines* enecaret, nec Naturam ejus suspectam faceret; sed ex morum simplicitate quadam, & fiducia, ac nobilitate Generis ortum habuisse putaretur: Atque in cæteris quoq; rebus omnibus id obtinuit, ut minime callidus, aut veterator haberetur, sed apertus & verax. Cumque summus simulationis & dissimulationis artifex esset, totus que ex artibus cõpositus, ut nihil naturæ suæ reliquum esset, nisi quod ars probavisset; tamen nil artificii, nil affectationis appareret, sed natura & ingenio suo frui, eaq; sequi existimaretur. Neq; tameu minoribus & vilioribus artificiis & cautelis omnino obnoxius erat, quibus *Homines* rerum imperiti, & qui non propriis viribus sed alienis Facultatibus subnixi, ad auctoritatem suam tuendam uti necesse habent; utpote qui omnium *actionum* humanarum peritissimus esset, atque cuncta paulo majora ipse per se, non per alios transigeret. *Invidiam* autem extinguere optime norat; idq; vel Dignitatis jactura consequi non alienum à rationibus suis duxit; veramque potentiam amplexus, omnem illam inanem speciem & tumidum Apparatum potentiæ æquo animo per totum fere vitæ cursum declinavit & transmisit: Donec tandem sive satiatus *potentia*, sive *adulationibus* corruptus, etiam *insignia potentiæ*, *nomen Regium*, & *Diadema* concupivit, quod in perniciem ejus vertit. *Regnare* autem jam usque à juventute meditatus est; idque ei *exemplum*, *Syllæ*, *affinitas Marij*, *æmulatio Pompeji*, *corruptela* & *perturbatio* Temporum facile suggerebant. Viam autem sibi ad *Regnum* miro ordine sternebat: primum per *potentiam popularem* & *seditiosam*, deinde per *potentiam Militarem* & *Imperatoriã*. Nam initio sibi erant fragendæ *Senatus* opes & Auctoritas, qua salva neminiad immodica & extraordinaria imperia aditus erat. Tum demum evertenda erat *Crassi* & *Pompeji* potentia, quod nisi *Armis* fieri non poterat. Itaque (ut *Faber Fortunæ suæ* peritissimus) primam structuram per *largitiones*, per *Iudiciorum Corruptelas*, per *Renovationem memoriæ C. Marij*, & partium ejus (cum plerique *Senatorum*, & *Nobilium*, *Syllana Factione* essent) per *leges Agrarias*, per *Seditiosos Tribunos* quo immittebat, per *Catilinæ* & *Conjuratorum insanias*, quibus occulto favebat, per *exilium Ciceronis*, in cujus causa *Senatus* Auctoritas vertebatur, ac complures hujusmodi artes, attollebat, & vehebat; sed maxime omnium, per *Crassi* & *Pompeji* & inter se, & secum conjunctionem, absolvebat. Qua parte absoluta, ad alteram continuo partem accingebatur, factus *Proconsul Galliarum* inquinquennium, rursusque in alterum quinquennium, atque *armis legionibus*, & bellicosa & opulenta *Provincia* potens, & *Italiæ* imminens. Neque enim eum latebat, postquam se armis & militari potentia firmasset, nec *Crassum* nec *Pompejum* sibi parem futurum; cum alter divitiis, alter Famæ & Nomini confideret; alter ætate, alter auctoritate senesceret; neuter veris & vigentibus præsidiis niteretur. Quæ omnia ei ex voto cessere; præsertim cum ipse singulos *Senatores* & *Magistratus*, & denique omnes qui aliquid poterant ita privatis beneficiis devincto & obstrictos haberet, ut securus esset de aliqua Conspiratione vel consensu adversus suos conatus incundis, antequam aperte *Remp.* invaderet. Quod cum & semper destinasset, & aliquando tandem faceret, tamẽ personam suam non deponebat; sed ita se gerebat, ut æquitate postulatorũ, & simulatione pacis, & successibus suis moderãdis, invidiam in adversas partes torqueret; seq; incolumitatis suæ gratia ad bellum necessarium coactum præ se ferret. Cujus simulationis vanitas manifesto deprehensa est, postquam confectis *Bellis Civilibus Regiam potestatem* adeptus, omnibusq; *Æmulis*, qui aliquam ei solicitudinem injicere possent, è medio sublatis, tamen de *reddenda Repub.* ne semel quidem cogitavit, neq; hoc saltem fingere aut prætexere dignaretur. Quod liquido declarat, cupiditatem & propositum *Regni* adipiscendi ei & semper fuisse, & ad extremum patuisse. Neque enim occasionem aliquam arripuit, sed ipse occasiones excitavit & efformavit. In *Bellicis* autem *rebus* maxime ejus virtus enituit, quæ tantum valuit, ut exercitum non tantum duceret, sed effingeret. Neque enim major ei scientia affuit in *Rebus* gerendis, quam in *Animis* tractandis; neque id vulgari aliqua *disciplina*, quæ obsequium assuefaceret ad mandata, aut pudorem incuteret, aut severitatem usurparet; sed quæ miris modis ardorem & alacritatem adderet, & victoriam fere præriperet; quæque *Militem* erga ipsum plus conciliaret, quam liberæ *Reipub.* conducebat. Cum autem in omni genere *Belli* versatus esset, cumque *Artes Civiles* cum *Bellicis* conjungeret, nil tam improvisum ei accidebat, ad quod remedium paratũ non haberet; & nil tam adversum, ex quo non utilitatem aliquam derivaret. *Personæ autẽ* suæ debitas partes attribuit; ut qui sedens in *prætorio* in magnis præliis omnia per *Nuncios* administraret. Ex quo duplicem fructum capiebat; ut & in discrimen rarius se committeret, atque ut cum res inclinare cœpissent, prælium per ipsius præsentiam, veluti *nova Auxilia*, instauraretur. In omni autem Apparatu & conatu *Bellico*, non tantum ad exempla res gerebat, sed nova & accommodata summa ratione comminiscebatur. *Amicitias* satis constanter & singulari cum beneficentia & indulgentia coluit. *Amicorum* tamen hujusmodi delectum fecit, ut facile apparet, eum in querere, ut instrumenti, non impedimenti loco, *amicitia* eorum esset. Cum autem & natura & instituto ferretur ad hoc, ut non *eminens* inter magnos, sed *Imperans* inter obsequẽtes esset, *amicos* sibi adjunxit humiles, sed industrios, quibus ipse omnia esset. Hinc illud, *Ita vivente Cæsare moriar*; & cætera id genus. *Nobilium* autem & *Æqualium* suorum *amicitias* ex usu suo ascisce-bat: Ex intimis autem neminem fere admittebat, nisi qui ex se omnia speraret. Quin & *Literis* & *Doctrina*

ctrina mediocriter excultus fuit, sed ea quæ ad *Civilem usum* aliquid conferret. Nam & in *Historia* versatus erat, & *verborum pondera* & *acumina* mire callebat; & cum multa fœlicitati suæ tribueret, *peritus Astrorum* videre voluit. *Eloquentia* autem ei nativa & pura erat. In *voluptates* propensus ac effusus erat, quod ei apud initia sua loco simulationis erat: Nemo enim periculum ab hujusmodi ingenio metuebat *Voluptates* autem suas ita moderabatur, ut nihil utilitati aut negotiorum summæ officerent, & *animo* potius vigorem quam languorem tribuerent. In *mensa* sobrius, circa *libidines* incuriosus, in *ludis* letus & magnificus. Talis cum esset, id ad extremum ei exitio fuit, quod ad principia sua incremento fuerat; id est, *studium popularitatis*. Nil enim tam populare est quam *ignoscere inimicis*: Qua sive virtute sive arte ille periit.

Imago Civilis *Augusti Cæsaris*.

A*ugusto Cæsari*, si cui mortalium, *magnitudo animi* in erat in turbida, serena & ordinata: Idque indicant res illæ omnium maximæ, quas ab in eunte adolescentia gessit. Nam qui ingenio commotiores sunt, ii fere adolescentias per varios errores transigunt, ac sub mediam ætatem demum se ostendunt: Quibus autem Natura est composita & placida, ii prima etiam ætate florere possunt. Atq; cum *animi dotes*, sicut & *bona corporis*, sanitate quadam, pulchritudine, & viribus contineantur & absolvantur fuit, certe *Avunculo Iulio* viribus animi impar, pulchritudine & sanitate superior, Illo enim inquietus & incompositus (ut sunt fere ii qui *Comitiali morbo* tentantur) se ad Fines suos nihilominus summa ratione expediebat; sed ipsos Fines minimè ordinaverat, sed impetu infinito, & ultra Mortale appetens, ferebatur ad ulteriora. Hic autem sobrius, & Mortalitatis memor, etiam Fines suos ordine admirabili descriptos & libratos habuisse visus est. Primum enim, Rerum potiri volebat; deinde, id assequi, ut dignus eo fastigio existimaretur: Dein etiam frui summa fortuna humanum esse ducebat: Ad extremum, addere se rebus, & imaginem & virtutem sui principatus seculis post se futuris inprimere & inferre meditabatur. Itaque prima ætate *Potentiæ*, media *Dignitati*, vergente *Voluptatibus*, senectute *Memoriæ* & *Posteritati* serviebat.

FINIS.

Epistola ad *Fulgentium*.

Reverendissime *P. Fulgenti*,

F*ateor me Literarũ tibi debitorem esse*: subcrat excusatio justa nimis; Implicatus enim fueram gravissimo morbo, à quo necdum liberatus sum. Volo *Reverentiæ* tuæ nota esse Consilia mea de *Scriptis* meis quæ meditor & melior; non perficiendi spe, sed desiderio experiũdi; & quia *Posteritati* (*secula* enim ista requirunt) inservio. Optimum autem putavi, ea omnia in *Latinam linguam* traducta, in *Tomos* dividere. Primus *Tomus* constat ex *libris de Augmentis Scientiarum*: Qui tamen, ut nosti, jam perfectus & editus est & *patritiones Scientiarũ* complectitur; quæ est *instaurationis* meæ Pars prima. Debuerat sequi *Novum Organum*: interposui tamen! *Scripta* mea *Moralia* & *Politica*, quia magis erant in promptu. Hæc sunt; Primo, *Historia Regni Henrici Septimi Regis Angliæ*; Deinde sequetur *Libellus* ille, quem vestra lingua *Saggi Morali* appellastis. Verum illi *libro* nomen gravius impono, scilicet ut inscribatur, *Sermones Fideles*, sive *Interiora rerum*. Erunt autem *Sermones* isti & numero aucti, & tractatu multum amplificari. Item continebit *Tomus* iste *libellum* De *Sapientia veterum*: Atque hic *Tomus* (ut diximus) interjectus est, & non ex ordine *Instaurationis*. Tum demum sequetur *Organum Novum*; cui secunda pars adhuc adjicienda est, quam tamen animo jam complexus & metitus sum. Atque hoc modo Secunda Pars *Instaurationis* absolvetur. Quod ad tertiam Partem *Instaurationis* attinet, *Historiam* scilicet *Naturalem*, opus illud est plane *Regium*, aut *Papale*, aut alicujus *Collegij*, aut *Ordinis*; neque privata industria pro merito perfici potest. At portiones illæ quas jam in lucem edidi, *De Ventis*, *De Vita*, & *Morte*, non sunt *Historia* pura, propter *Axiomata* & *observationes majores* interpositas; sed genus *Scripti* commistum ex *Historia Naturali* & *Machina Intellectus* rudi & imperfecta; Quæ est *Instaurationis Pars Quarta*. Itaque succedet illa ipsa *Quarta pars*, & multa exempla *Machinæ* continebit magis exacta, & ad *inductivas regulas* magis applicata Quinto sequetur iste *Liber*, quem *Prodromum Philosophiæ secundæ* inscripsimus; qui Inventa nostra circa Nova *Axiomata* ab *Experimentis* ipsis excitata continebit; ut tenquam columnæ jacentes sustollantur: Quem posuimus *Instaurationis* Partem Quintam. Postremo superest *Philosophia* ipsa *Secunda*, quæ est *Instaurationis* Pars Sexta; De qua spem omnino abjecimus: sed à seculis, & Posteritate fortasse pullulabit. Attamen, in *Prodromis* (iis dico tantum, quæ ad universalia *Naturæ* ferè pertingunt) non levia jacta erunt hujus rei fundamenta. Conamur (ut vides) tenues grandia: In eo tantum spem ponentes, quod videntur ista à *Dei providentia* & immensa Bonitate profecta. Primo, propter Ardorem & Constantiam Mentis nostræ, quæ in hoc Instituto non consenuit, nec tanto tẽporis spatio refrixit. Equidem memini me quadraginta abhinc annis juvenile *Opusculum* circa has res confecisse, quod magna prorsus fiducia & magnifico titulo, *Temporis Partum Maximum* inscripsi. Secundo, quod propter infinitam utilitatem *Dei Opt. Max.* auctoramento gaudere videatur. Commendatum, rogo, me habeat *Reverentia* vestra *Illustrissimo Viro Domino Molines*, cujus suavissimis & prudentissimis Literis quam primum, si *Deus* volet, rescribam. Vale, P. Reverendissime.

Reverentiæ tuæ Amicus addictissimus,

Fr. St. Alban.

INDEX

Rerum & Verborum absolutissimus, cum adjuncta Tabula experimentorum, in suas Centurias distributa.

A.

AAron orator. 156
Abel & Cain imago duarum Vitarum 24
In-Aber Barrij murmur flatuum in clivo quodam sub terra auditur. 454
Abies dat picem. 334. 872. abies & pinus quomodo ruptæ splendeant. 883 profundè radicatur. 884
Abramus piscis. 513
Abstergentia. 539
Abstinentia à Venere longior cur humidis noceat corporibus. 903
Absumptio humidi. Vide Desiccatio.
Absynthites potus. 544. Absynthij acrimonia qualis 755
Acaciæ non dulcescunt 882
Academicorum philosophia. 521. præstantissima juxta Ciceronem 42
Academiarum arctior conjunctio valde utilis 42
Academici & sceptici Philosophi 125
Acatalepsiæ opinio. 125. Acatalepsia Platonis 293.297
Accentus verborum. 148
Accensio luminis naturalis. 733
Accipiter. 501
Accidentales generationes ventorum. 457
Acer mixtus fimo porcino arbores probè nutrit. 850
Acedo putrefactionis genus. 550
Aceti fragrantis confectio. 756
Acetosa qualis sit herba 888
Acetum cur admoveatur naribus deliquium passi. 952. in occursum turbinis injectum à Plinio. 481
Acida. 542. 568
Acosta reprehenditur. 448. ejus observario de Plata & Potosa. 454. de fluxu & refluxu maris. 370
Acria. 530.542.568
Acromaticum dicendi genus dehonestatum. 153
Actiones naturales. 564
Actiones theatrales maximè utiles. 160. earum utilitas. 148
Actionum solennitates. 51
Actiones ad amplificandas litteras circa quot versentur objecta. 38
Acuminatum fortius penetrat quam obtusum. 159
Acus hautcæ inventio. 314. 592 ejus Versorium. 128
Adamantes & carbunculi sunt exsudationes 754
Aditus facilis, & vultus comis 128
Admiratio propriè quid. 4. Admirationis effecta. 901. affectus. 533. est semen scientiæ. 4. Deum spectat, scientia creaturas 5
Adriani Imperatoris invidia. 1151
Adrianus secreti investigator 28
Adrianus sedis Apostolicæ Legatus. 1036. ejus in Pontificem conjuratio 136
Adulatio litterarum dignitati nocet. 14
Adventurarii qui. 1085
Ædificii partes efformare aliud, aliud compaginare. 194
in Ædibus refrigeratoria per ventos fiunt.
Ægyptii vetustissimi doctores. 24. iis plurimæ artes debent initium. 123. illorum vitæ spatia 508
Ægyptii sacerdotis de Græcis vaticinium 296
Ægyptus septem annos fertiles, totidem steriles habuit. 206. ejus pluviæ cur raræ 912
Æmuli & æquales considerandi 227
Ænigmata dehonestata. 153. eorum usus & fines ibid.
Æoli regnum 453
Æqualia delectant 784
Æquinoctialis lineæ conditio 516
Æquivocationes sunt sophismata sophismatum 140
Æs vix ab auro distinguitur, si poliatur. 934
Æschinis de rebus gestis Alexandri Magni eloquium 310
Æsculapio quare Circe à poëtis data soror 104
Æstas serena autumnum ventosum præmonstrat 476
Æstimatio virium ad bellum necessaria 69
Æstus nimius frumento nocet 887
Ætas quid. 494. longa ex antris & speluncis 535
Ætate provectorum unius temporis catalogus 511
Ætates animalium an decursu sæculorum decurrentur 516
Ætates hominis ante diluvium. 506. post. 507. tempore captivitatis Babylonicæ, 508. apud Ethnicos. 508. & seq.
Æther cum stellis affinitatem habet. 829
Æthiopia 517
Ætna flammas evomit 455
Aër. 494. spiritum condensans. 528. fomes spiritus. 572. globus connaturalium spiritus. 565. Aër fervens. 335. & seq. attritus. ibid. conclusus. ibid. ejus experimenta varia. 702. 703. & seq. aer expansus inventosis. 709. aër densatus. 701. 702. est rerũ principium juxta Aximenem. 656 Aër aquave ambiens corpora utrum magis noceat? 502. nimis calidus est mors. 556. est crassior flamma & spiritu, tenuior aqua. 567. cum flamma & spiritu comparatur. 571. & seq. est in nive & spuma. 564. prædatorius. 516. exclusus. 535. 536. 568. est substantia fixa. 558. ejus bonitas. 546. consubstantiale, aqueum. 567. & seq. ejus mutatio quatenus utilis noxiave. 538. salubritas & experimenta. 517. æqualitas & mutatio. 517. superoneratio unde? 572
Aër & Vapor quot modis mutetur in aquam 759. an crassescere possit ut nutriat. 760 præter naturam attenuatus locum sibi parat. 761. serenus purgationis est præparativus. 771. in sonis non variatur tot modis quot in vocibus. 782. & seq. percussus & compressus sonum edit. 786. ruptus soni causa 787. rarefactus acclamatione. 789. sudus laxat spiritus. 820. ad putrefactionem dispositus quomodo cognoscatur 924 compressus cur magis caleat quam liber. 939. non est sine aliqua luce. ibid. Aëris & flammæ, si incorporentur, vis. 761. ejus qualitates parum alterant sonos. 805. ejus condensatio per vesicam exploratur. 831
Aëris regio superior. 726. media. ibid.
Affectationes vanæ 15
Affectibus multum dominatur os ventriculi 535
Affectuum via brevis. 568. 569. ratio. 532. & seq.
Affectus animorum senilis & juvenilis. 561. nonnulli faciunt ad calorem robustum. 531. illos nemo melius conscripsit, quam poëtæ & historici. 200. etiam sepulti resurgunt. 72. nunquam acquiescunt. ibid. indomiti sunt instar tigridum. ibid. deformes & inconditi. ibid. quod experientia repudiavit, ambiunt. ibid. sunt hæderæ similes. 73. in religionibus luxuriantur. 73. sunt brevis furor. ibid. quomodo à ratione differant. 157. & seq. vehementiores ambigui sunt sexûs. 72. Affectus bestiarum quomodo vim indant rebus inanimatis 960
Africa. 516. semper aliquid monstri parit; unde? 851
Africani publico abstinent post imbres 923
Agaricus quid, & vis ejus medica. 865. 881
Agens patiens 191
Agesilai Spartani ætas 509
Agesilai de *Pharnaso* dictum 11
Agitatio comminuit spiritus 567
Alacritas nimia cohibenda 226
Albor unde. 778
Album prætoris apud Romanos 247
Albumen ovi tollit salsedinem & quare. 961
Alchymia multum habet Phantasiæ 19
Alchymista 577. 578
Alchymistæ & Paracelsus refutantur, 103. eorum opera, 304. error 413
Alchymistæ vulgares nugantur, & tamen bona quædam habent 812
Alexander Papa legationem in Angliam mittit 1106
Alexandri Borgiæ dictum 98
Alexander Magnus. 5. suaviter olebat 754. ejus cadaver Cæsari Augusto visum integrum. 914. Achilli præconem Homerum invidit. 29. ab Aristotele, Callisthene alijsque edoctus. 29. Casandrum perstrinxit, Callisthenem clam odio habuit. 30. Assentatores irrisit. ibid. Antipatrum perstrinxit & Parmenionem. ibid. noluit suffurari victoriam 30. & 238. summus logicus. 30. rhetor. ibid. politicus. ibid. ejus in Asia expeditio. 29. ejus de Darii arcula judicium

dicium. 29. epistola objurgatoria ad Aristotelem missa. ibid. doctrinâ, quàm imperio mavult præcellere ibid.
Apophthegma in Diogenem ib.
Alexandri Severi imperium 7
Alga marina quid præstet plantis. 847
Algebra 97
Alimentare, ad alimentandum potentia 558
Alimentatio. 566. non fit per stomachum, sed per exterius: quænam. 569. per clysteria. 506. ejus actiones. 506. Differentia & Historia. 506. & seq.
Alimenti absumptio, spiritus vivi opus 558. ejus siccitas facit ad staturæ exilitatem. 829. ejus quantitas; quonam abit tota? cum non tota excernatur, neque omne reliquum convertatur in succos & substantiam corporis. 558. ejus renovatio quotidiana. 557. tridualia 558
Alimenti tempus. ibid. ratio. 540. via & transitus 505. & seq.
Aloë 545
Alpes 517
Alphabethum vulgare occultum. 148
Altabin Rex 977
Altaris fabrica ab Hero descripta 709
Alteratio quomodo fiat. 719. Alteratio major, quæ. 931. Alteratio spirituũ 534
Altercationes vanæ 15
Alternatio 567
Alvus ventris 519
Almanuensium inscitia 150
Amara arcent putrefactionem 894
Amare & sapere 43
Amatus discipulus Joannes Apostolus 512
Ambigua quomodo tollenda 251
Ambitio 1201. est pestis hominum. 192
Ambitiosi 1201
Ambra quid, & unde. 929. grisia, cordiale. 522. Ambræ, opiati secundarii. 528. usus insignis 533
Amici cadant, modo inimici intercidant. 235. sunt fures temporis. 207. moveant se invicem 217
Amicitia. 1181. & seq. ejus Fructus 1182 & seq. cum quibus contrahenda ad inquisitionem animorum 226
Amicorum delectus sit prudens. 216. eorum mollities in admonendo reprehenditur 217
Amnes in sicco ponunt venti 453
Amnestia 216
Amor. 533. 1153. est rerum concordia 66. mores optimè format. 204 ejus effecta apud Platonicos 955
Amputatio sepium facit ad durationem 769
Amygdalæ amaræ quomodo dulcescant 849
Anabaptistarum Hæresis 189
Anachoretarum vita 536
Anacreontis poetæ ætas 509
Analytica 138
Anastasij Dicori imperatoris ætas. 509
Anatomia simplex & comparata. 106 Anatomia vivorum. 107. corporum organicorum 329
Anaxageras. 295. ejus Philosophia 290
Anaxarchi patientia 99
Andes inter Peruviam & Chilem 462. 333 1233
Andromanæ, spartanæ mulieres 518
Angeli cecíderunt. 204. eorum & spirituum natura nec inscrutabilis, nec interdicta. 77. veneratio prohibita. ibid. natura Deo proxima. 23 ordines 23 24
Angli bellicosi 239
Angliæ coloni. 1189. Magnates à Parlamento damnati 1004
Anglica gens vivax 515
Angues cur diu vivant. 895. dentibus renenatis 909
Anguilla piscis. 503
Anguillę cur diu vivant. 895. Anguillarum scissarum partes cur diutius moveantur 559. 564
Anguis exuviæ gestatæ sanitati prodesse creduntur 962
Angustiatio 498
Anhelitus detentio tempus. 536. in animalibus 557
Anicij Justiniani ætas. 511. & seq.
Anima rationalis unde & quibus subsistat. 557. ejus organum, est auræ divinæ particula. 236. substantia. 115. quo dignior eo plus compatitur. 214
Anima sensibilis non est entelechia. 118
Anima brutorum est substantia corporea 116
Animarum emanationes duæ 115
Animæ facultates, 116. humanæ doctrina. 114. 115. ejus supra animas brutorum præcellentia 115
Animalcula ex putrefactione genita, ut & plantæ, cur sint medica 892
Animalia cur diutius breviusve uterũ gerant. 910. cur quędam unum, quędam plura pariant. 911. cur quædam certo tempore gignant, quædam omni. 910. quæ stato tempore gignunt, quando hoc faciant. ibid. natando aquam deprimunt 700
Animantia quæ dormiunt modico cur victitent, 895. quæ & cur sentiant aëris mutationes 926
Animi per odi. 560 ejus bona primum quærenda, 236. cultura. 197. emendatione opus. 232. Animi hominum nunc in perfectiore, nunc in deteriore statu reperiuntur 202. qua clave reserandi. 224. & seq. Animi janua sunt oculi, os, vultus, gestus, 224. ejus impetum cohibere maximum quid 190. vexatio & inquietudo 205
Animus humanus quomodo flectendus. 231. est instar speculi. 3. ne pendeat, laborat. 137. vere sanus ac validus 190
Anna Ducatus Britanniæ Hæres 1001
Annales quomodo à diariis differant. 56
Annæus Seneca 738
Annihilatio opus omnipotentiæ 781
Anniversarii venti 446
Annulus aut armilla ex crinibus amasiæ, quid præstet 964
Anser 501. 503
Antennæ quid 467
Anthropophagi 505
Anthropomorphitarum hæresis 140
Antichristus omnium sæculorum maximus impostor 79
Anticipationes. 282. earum usus. ibid.
Antinomiæ 248
Antiocheni aëris salubritas unde 954
Antiquitas quatenus retinenda. 79. ejus reverentia. 20. 302. Antiquitatis & novitatis studium 20
Antiquitates quid sint 51
Antitheta rerum varia. à pag. 167. usq; 182
Antonii genius cedebat genio Octaviani Cæsaris Augusti 955
Antonini vitium vitandum 155
Antonius, cœnobitarum primus 512
Antonius Musa, medicus Augusti Cæsaris 51
Antonius Cymini sector vocatus 128
Antrorum vita 535. & seq.
Anytus Socratis Accusator 6
Apennius 517
Aperientia 539
Apes. 123. per hyemem dormiunt. 531. & seq. mel conficiunt aut colligunt. 877. earum ætas 895
Apis & Philosophiæ similitudo 310
Aphorismi unde conficiendi 153
Apollonius, 533. centenarius. 513. cum ævo triginta & centum annorum 514
Apollonii de terra vana opinio 641
Apophthegmata secures & mucrones verborum 38. & seq.
Apoplecticis resuscitandis remedia. 559. & seq.
Apotheosis. 27. errorum est pestis intellectus 291
Appetitum quæ homini excitent 927
Appetitus corporum alia admittendi. 922
Appetitus acuitur per varietatem. 567. Appetitus novorum quomodo frænandus. 534. Spiritus & aëris 565
Appetituum duo genera 86
Appius Cæcus 514
Aqua. 491. ad potum. 541. 550. Aqua Regis solvit aurum. 338. fortis argentum. ibid. est principium rerum juxta Thaletem. 655. ejus experimenta varia. 702. & seqq. Aqua an aer corpora ambiens plus noceat. 502. in summo posita. 127. plus ponderis habet quàm vinum. 130. salsa lucescit nocte. 120. est tenuior pulvere, crassior aëre. 567. Erthina odora. 546. Balneorum naturalium 335. calida in balneis. 339. Aquæ compressio. 390. Aqua constipata. 702. Marina percolata per arenas fit dulcis. 713. quomodo clarificetur. 734. frigida movet profluxum. 764. Oleo cur frigidior. 773. per defossionem condensanda. 774. calida irrigata quid præstet 847. quę stercus maceravit quid præstet. 911. probè concocta minus exhalat. 912. quomodo ponderosa reddi possit. 515. Marina cur mota minus perspicua. 941. effossa, in littore maris prius dulcis; postea cur salsescat. 942. salsa excocta dulcescit. & cur. ibid. salsa cur citius dissolvat sal injectum. 942. in puteis cur hyeme magis caleat. 943. ejus partes magis salsæ fundum penetrant. 753. subsultus ex pressione digiti madefacti. 755. Aqua & aer sunt corpora valde homogenea. 459 stillicidia unde. 758
Aquarũ stillatitiarum rectus usus 527
Aquæ ductus in quem finem excogitatus 38
Aquæ ardentes & chymicæ proscriptæ 522
Aquæ deficcantes. 527. Aquæ an ferantur regulariter ab oriente in occidentem 645
Aquæ in glaciem artificialis mutatio. 759. metallicæ quæ indurent. 776. calidæ lapsus cur minus sonoris quàm frigidæ. 793. versio in oleum.

330. & seq. bonitas quomodo exploranda. 873. 923. cum planta consensus quis. 855. tempestiva exclusio & admissio prodest terræ. 874. calidæ usus in mortificatione ex frigore. 918. adscensus per flammam, & ejus causa 943
Aquea aëri consubstantialia 567
Aquila 501. 503.
Aquilæ & Priscillæ, Apostolorum coadjutorem, ætas. 512
Aquilones anniversarii circa exortum Caniculæ existimantur venire à mare glaciali 460
Aranea aquatica. 894. in electro 562
Araneæ ante ventum sedulò laborant. 482
Arbor decorticata emoritur. 884. emortua qui reviviscat. 845. fabrilis ubi melius crescat. 850. in Persia nutrita aqua salsa 877
Arbores. 491 492. & seq. octingentenariæ. 493. earum feracitas & productio ætatis earum. 496. inteneratio ibid. insitio & inoculatio. 415. inflammabiles in regionibus frigidis. 334. quæ in aggeribus plantandæ, & quare. 845. quomodo transferendæ 850. ubi profundius aut non plantandæ. ibid. contiguæ quomodo concorporantur. 852. quomodo flores gerant. 854. calidæ excrescunt in certum fastigium non impeditæ. 863 pumilas reddendi artificium. ibid. mortuæ, non penitus effœtæ. 865. sylvestres cur hortensibus longæviores. 870. destituuntur flore & fructu. 872. quædam cur semel tantum biennio fœtificient. 880. quædam cur in senecta fœcundæ sint. 881. quædam cur profundè aut minus radices agant 883
Arborum adjumenta quæ. 886. amputatio confert ad durabilitatem. 870 trunci lapsi fruticant ad tempus. 760
Arcadia 517
Arcadum vitæ spatia. 508. 513. de Luna fabula 629
Arcana difficulter tegi possunt. 224. & seq.
Archæus faber 401
Archias poëta bonus 99
Archiepiscopus Viennensis quomodo Regi Galliarum prædixerit mortem Burgundiæ Ducis 962
Archimedis ἐφευρήματα. 130
Architectura 194
Arcus Turcici quàm vehemens ictus. 897
Arcturi ortum tempestates sequuntur. 459. 474
Ardeæ de ventis præsagium. 477. & seq.
Arefactio. 563. *Vide* Deficcatio.
Arena in monte Carmel mineralia vertit in vitra 916
Argantonius Gadium rex 513
Argentum auro mixtum quomodo separetur 921
Argentum vivum. 355. 373. 408. 410. ejus cum auro consensus. 415. reperitur in granis. 697. in eo spiritus fluvosus latet. 479. ex se fluit, ibid. quomodo stupefiat. 127. an quorundam corporum monumentum, ut electrum formicæ, esse possit? 562
Argilla, caseus, lapidis duritie 777
Aristippus Dionysio ad pedes procidit 14
Aristoteles. 295. ejus philosophia. 287. 297. 306. 310. vapulat. 521. 561. ejus temeritas. 618 Physicæ. 290. animalium historia. 18. 311. commentũ. 368. 587. generationem & corruptionem rerum tribuit soli. 665. Vituperium. 738. Ineptam dat causam caloris in bestiarum pilis & plumis avium 754 affectus non notavit in Ethicis. 199. ejus disceptationes de voluptate & dolore. 200. Democritum dum sugillat, laudat. 154. Alexandri præceptor 29. improbatur quod nova artium vocabula finxerit. 79 ingenii admirabilis, sed ambitiosus. ib. Ottomannis similis. 88. 293. 652. commendatur. 88. accusatur. 92. refutatur. 132. ejus erga rhetores æmulatio. 156. sententia de consuetudine rejicitur. 200. sententia de virtute. 197
Arithmetica 96. 97
Armillæ quales roborent spiritus 959
Arnoldus de Villa nova 739
Aroma frigidum, nitrum 528
Aromatum & nitri collatio 529
Aromata acria & mordacia proscribuntur 522
Ars à natura, & artificialia à naturalibus quomodo differant. 45. & seq. Ars Indicii. 126. naturæ subministrat. 105. sine usu parvi facienda. 143 multa exempla artium inutilium afferuntur. ibid. artis impressoriæ inventio 324
Artaxerxis Persæ ætas 509
Arteria aspera causa soni musici æqualitate sua 796
Artesii alieno viventis halitu seu spiritu fabula 523
Artes quid efficiant. 5. emolliunt mores. 9. inveniendi adolescunt 134. liberales florent republica in summo posita. 114. Mechanicæ. 303. 577. 595. logicæ quatuor. 122. malæ damnantur. 234. & seq. quæ ad visum & auditum spectant quare liberales. 114. artiũ facultates aut empyricæ sunt, aut rationales 596
Artibus idem accidit quod plantis 152
Articulatio soni mediocritatem requirit 799
Articuli inquisitionis de gravi & levi. 134
Arthuri Angliæ Principis cum Catharina Ferdinandi Hispaniarum Regis filia matrimonium. 1108. nuptiarum solemnitas 1109
Arundo planta qualis. 884. ejus usus in obstruendis navium rimis. ibid. in cortice lævitas unde 884
Arvum suo grano haud conserendum. 505
Ascensus particularium ad generalissima 313
Aselli, stellæ 475
Asini ætas 500
Asinius Pollio 515
Aspectus in amore qualis 955
Aspersio levis 537. 539
Aspidis morsus cur leniter necet 882
Asseclæ venti qui. 447. Continentis & maris diversi sunt 448
Assimilatio nutrimentorum 551. 556. quando optima. 569. cibi quando præcipuè fiat 769
Assuetudo rei per se noxiæ quid præstet 770
Astra an sint veri ignes. 626 an alantur, augeantur, minuantur, &c. 627 an per sæculorum circuitus nascantur, & dissipentur. 629. iis nulla inest fatalis necessitas. 83. eorum magnitudo. 630. An sint globi. ibid. sunt veræ flammæ. 630. eorum distantia. 630
Astringentia. 536. quæ & occludentia 569
Astrolabium 379
Astrologia multis superstitionibus referta 82. multum habet phantasiæ. 19. sana desideratur. 83. quomodo conficienda. ibid. & seq. ad quid adhibenda 85. & seq.
Astrologiæ multa commenta refelluntur. 82. videlicet planetarum per certas horas imperium ibid. distributiones domorum. 82. doctrina de nativitatibus 82. & seq.
Astrologiæ quid retinendum. 83. quid in ea desideretur ibid.
Astrologorum Philosophia 520
Astronomia. 637. comparatur cum Prometheo. 81. quid & quantum in illa desideretur. ibid. & seq. differt ab astrologia 81
Astutia. 1175. astutiarum genera varia 1176. & seq.
Asyla Regni Angliæ. 1005. eorum privilegia 1020
Atalanta. 295. Atalantæ malum 22
Athanasii ætas 512
Athei 1164. & seq.
Atheismus. ibid. ejus causæ 1166
Athenienses culpantur à Demosthene. 231
Athenienses mulieres 318
Athletarum unctiones 548
Athletica 113
Athos mons 462
Atlantis magna 976. & seqq.
Atlantis fabula 137
Atomi. 62 Democrito non fuerunt principia rerum. 150. eorum æqualitas & inæqualitas 715
Atomus an sit visibilis 713
Atriola mortis 555. 558.
Atrophia 558
Attenuatio humoris 497
Atticus Ciceronem monet de vultu & gestis 207. Attractica facultas 548
Aucupium mos 200
Audacia 1156. & seq.
Audibilia quomodo se communicent 811
Auditus subsidium 814
Augustinus Donius 116
Augustus Cæsar. 1323. ejus Imago Civilis. ib. ætas. 511. vitam fabulam esse voluit. 510. non fuit dissimulator. 230. ad statuam Julii Cæsaris maximè protendit. ibid. moriturus ab amicis quid petierit. 222. perpetuo in oculis hominum vixit. 527. summa patravit mala, etiam bona 236
Aves palmipedes. 700. volando aërem verberant. ibid. capitibus avulsis cur subsultent? 564. quàm quadrupedes sunt plures longævæ. 503. illarum historia & generatio. 500. 501. 503. & seq. præter tactum quos alios sensus habeant. 892. quam cœli temperiem significent 925. in arboribus habitãtes tempestates ut præmonstrent. 477. aquaticæ quando ventos prædicunt. ibid. terrestres quando ib.
Avis viscaria 865. & seq.
Avium caro cur bestiarum carne melior 889 in motu celeritas præ bestiis unde 890

Aura

Aura continua circa maria spirat 456
Aurelianensis Dux 1023,& seq.
Aures 519
Aurum,491. nullo igne minuitur,494. est inter metalla gravissimum, 697. reperitur in granis, ibid. aliquando excoquitur igne,45. imbibit argentum vivum,128. habet plus ponderis & minus dimensionis quàm argentum,130. produci potest multa & sagaci molitione, 95. ejus confectio possibilis,822. conficiendi ratio excogitata Germano cuidam,823. aurum aperire absque corrosivis, vel saltem absque venenatis, cordiale non vulgare 521
Auri & gemmæ fabellæ & medicinæ culpabiles, 523,549. extinctio in potum,543. usus qui improbatur, 539. usus in cordialibus 547
Auster torpidos reddit homines, 835. floribus arborum nocet,885.non generat vapores, 450. flat plerumque solitarius,451. frequentius oritur & fortius spirat, 450. cùm oritur aut desistit, fiunt ferè mutationes tempestatum, 450. lenior sæpè serenus est,ibid. marinus saluberrimus,ibid. à continenti magis morbidus, ibid. noctis assecla,448.pluviosus Anglis & pestilens,449.450.Africę verò serenus & salubris,ibid. vagus est & liber,455.humidus & lateralis ibid.
Austeritas pomi unde 822
Authentici scriptores 251
Autumnus serenus ventosam hyemem præmonstrat 476
Avulsio florum in arbore quid præstet, 847
Auxiliares libri 251
Axiomata unde, 282. convertibilia facere felicis est ingenii, 155.varia, 74. 75. diversis scientiis applicantur, ibid.qualia adhuc nemo composuit, 76

B.

BAcon quid de mutatione metalli & confectione auri sentiat 823
Baconus monachus creditur per aërem in sublimi ambulasse 912
Balbi multi cholerici 836
Balenæ 503
Balnea,520.536.539.ibid. 514.552.553. perpetua,523.ex lacte,506.in sanguine,553. calida,560. sicca supercalefacta,mors 551
Balneatio pedum 569
Balneationum alimentatio 569
Balneum Mariæ, 413. balnei usus olim apud Romanos, nunc apud Saracenos,906.Romanis noxium cur prosit Turcis,ibid. cum inunctione prodest sanitati.
Balsamorum medicinæ culpabiles, 523
Barbari quomodo cutem ornent 906
Barbarorum montium vitia 536
Barbarossæ fomenta pueruli vivi 554
Basiliscus aspectu necat 196.
Belgarum confœderatorum respublica 1159
Bella Romanorum quomodo gesta,68. 69. moderna in tenebris geruntur, 240. & seq.non levi de causa suscipienda 68
Belli causæ,230. 240. & seq. propagatio legis & sectæ,ibid.injuriæ illatæ, ibid. auxilia sociis mittenda, ibid. sit causa justa, 69. in bello maximè prosunt celeritas, 69. consiliorum occultatio,70. providentia,70. ejus nervus an sit pecunia,132. quale genus belli eligendum 68
Bellum adversus Brutum & Cassium vindicavit mortem Cæsaris: Severi Pertinacis: Bruti,Lucretiæ mortem vindicavit,69. Britannicum à Carolo VIII. Galliæ Rege gestum, 69. Philippus & Alexander diversum gesserunt 686
Belluæ quid 458
Bensalem insula,973.populus 984
Bernardinus Telesus 116
Bestiarum pili cur pauciores quàm plumæ avium 889
Bestiæ non imitantur voces hominum, 807. quando pluviam significent, 927. multæ cur multis piscibus minores,& avibus majores 936
Betel radix Orientis narcotica 527
Bezoar duplex & unde colligatur, 843. cordialis,322.usus 547
Biantis verba præclara 234
Bibere calidum 543
Bibliothecæ 39.303
Bilis ratio ad longævitatem 505
Bitumen glutini mixtum concrescit in rupem 917
Blancmange 766
Boletus excrescentia est 881
Bombus apum unde 796
Bona animi & corporis raro in homine conveniunt 204.& seq.
Boni exemplar sive imago,187.positivi natura optimè descripta,ibid. etiam comparati ibid.
Bonitas quid, 1158. bonitas nativa, ibid.
Bonorum animi & corporis relatio, 205
Bonum activum differt à bono communionis,191.192.è mala causa,526. commune quantum prævaleat individuali, 188. communionis sive officii,193. individuale,188. individuale vel activum vel passivum,191. passivum dividitur, 194. perfectivum, ibid.conservativum ibid.
Boreas hominis torporem discutit, 835. mare reddit magis clarum, quàm Auster, 890. celsior est & spirans ex alto,450. diei assecla est, 448. à mari suspectus, à terra serenus, 449. 450. nocet phtisicis, 451. oritur sæpè Cæcia & Coro flantibus, 451. priore tempestate manente, 450. si noctu oritur,non ultra triduum manet. 451
Borgiæ de Expeditione Gallorum in Italiam dictum 285.688
Borraginis folia valent adversus melancholiam 756
Bos sub evisceratione mugiens, 559. bovis ætas,500.boum aratorum exhaustorum restitutio, 554. boves quomodo juvenescant 846
Botri quomodo serventur diu integri, 884
Botrum contra botrum citius maturescere 128
Branchiæ loco respirationis piscium, 557
Brasium maceratum quomodo & quare augeatur 883
Brassica & Brionia vicinæ sibi nocent, 854.Brassica irrigata aqua salsa, 849. prædatur succum aliarum plantarum 852
Bresilia 517
Bresilienses 536
Britannia,517. potentia navali præcellit 240
Britones cur Picti nominati 536
Brodium matutinum pro cerebro, 547
Bruma intensior unde colligatur, & quare 905
Bruta syllogisantia 369
Bruti soror Junia 510
Bruti animadversio in filios, 196. ejus dictum,quod sub exitu profudit,236
Bryza ventus,445. inter tropicos luculenter spirat,ibid.extra tropicos quasi inperceptibiliter, ibid. non Eurus integer est,sed Euro-Aquilo, 446
Buckingamiæ Dux restituitur 1005
Bufones in lapide cæso repreh. 868. multi cur pestis indicium 892
Bufonis lapis sistere creditur nimiam fœtus depulsionem 960
Bulla fertur ad Bullam aquæ, 565. ejus in aqua formatio, & quæ circa eam observanda 758
Burdegallorum supplex libellus ad Regem Angliæ 461
Burgundus quidam Principis Aurasionensis interfector 99
Butyrum salsum & vetus,536. amygdalarum quid præstet,766. quomodo debilibus usurpandum 767
Buxus arbor est solida 866

C.

CAdaver in conspectu homicidæ sanguinem emittit ex imaginatione ipsius 958
Cadaverum conservatio,495. putrefactio 499
Cadaveri spiritus quidam insunt,qui & vivo corpori 564
Cæli apertio præmonstrat ventos, 455. de ventis prognostica, 474. & seqq. spatium interstellare 612
Cælo pruinoso musica cur gratior.806
Cælestium & sublunarium dissimilitudo 725.& seq.
Cælum expers omnis contrarii, 661. rotatur motu circulari 651
Cæmenta mollia ex terra, quæ sol indurat 934
Cæmenti durities unde 777
Cæmentum ex farina, albumine ovi,& lapidibus 917
Cæparum tunicæ tenaces, 883. cæpæ sponte germinant, 760. quomodo fiant grandiores 850
Cæsar ad gubernatorem navis, 166. eum Cicero laudat coram, 195. ejus libri de analogia, 146. maluit esse primus in obscuro loco, quam secundus Romæ, 230. ejus verba ad Oppium Balbum 42
Cajus Plinius,421.425.426.606.609.
Calamitas vox unde habeat originem, 887
Calcatio in ira unde 900
Calcearius 132
Calculi in collegiis panno vestiuntur, 793
Calendarium dubitationum & falsitatum 88
Calida simplicia robusta, 530. & seq. spirituosa, 528. & seq. condensant per fugam,526. non sedant spiritus, 536. eorum acrimonia, 338. calida bibere, 543. 549. calidæ naturæ noxia capiti, 347. ad plantas

præcipitantur, ibid. calidum sursum fertur 129
Caliditas raporum mala 546
Calor naturalis, 487. 488. ignis, 494. corporis, 548. spiritus, 530. 566. seu temperamenti, 566. ejus proprietas, ibid. inest aëri, 336. pellibus & plumis, ibid. aromatibus, 338. ejus diversitas in animalibus, 337. caloris animalium & radiorum cœlestium diversitas, 341. ejus communicatio, 348. & motus expansivus, 349. caloris tria genera, 366. caloris solis & ignis differentiæ, 367. 664. solaris proprietates, 665. gradus diversi, 991 spirituum est excitator, 663. fabrilis & prædatorius, 530. magnes actionum naturalium, 565. calor omnis attenuat & humectat, 535. in destillando subsidet, 527. spiritui vitali quinam exosus, 557. caloris intendendi præceptum, 551. opera implicantia, consumptio & reparatio, 570. proprium opus, 499. ejus & succi in decursu ætatis inclinatio & ordo, 561. veræ & ultimæ ejus operationes non habentur, 781. calor & frigus duæ manus naturæ, 772. quomodo condensat, 775. ejus qualitas præcipua, 780. quis rectè maturet, 821. in maturatione quis temperatus, 823. quid præstet plantatis arboribus, 841 placitus melius poros aperit 898
Calumniare audacter, &c. 242
Calvities 218
Calx viva 337
Calx gramini & frumento proficua, 873. tractanda ut fimus quid præstet, ibid.
Cameli ætas 500
Camillus 521
Campanarum sonus propulsat tonitru, & pestiferum aërem, 789. sonitus ante pluviam auditur magis ex longinquo, 477. existimatur tonitrua dissipare 461
Canales spirituum 564
Canalis in campis S. Jacobi in Anglia, 791
Canariæ 516
Cancri medulla nutritiva 766
Cancrorum fluviatilium affinitas cum aliis 521
Candela duplex cur non faciat ut videri possit res magis ex longinquo, 805 cerea accensa, 708. candelarum fila, 496
Candidiores minus vivaces 518
Canes dignoscere dicuntur eum, qui venit ut necet 962
Canicies 518
Caniculæ, fomenta viva senum 554
Canis ætas, 500. est animal calidissimum, 554. ejus odoratus peculiare quid habet.
Caribali & occidentalis India lue venerea laborarunt 759
Caperatio frontis unde 901
Caphe herba Turcica 526
Caphura vel camfora 528
Capillitium candidius, in senectute nigrescere solitum 514
Caput, 519. ejus unctio, 547. ei nocent calida, ibid. capite moti, annosi, 515
Capra animal scansorium 64
Capri ætas 520
Carbones incensi mortem cur afferant, 493. quando ventum significent, 476
Cardomomi usus Xenophonti commendatus 829
Cardanus 586
Cardinales venti qui 44
Carduelis 502
Cardui altilis nutritiva medulla est, 766
Caries pinguium 498
Carmen quid sit, 59. carminum varia genera 148
Carmusina indumenta, 538. sacculus pro stomacho 544
Carneades, 295. Cyrenæi ætas, 509. Philosophia 520. 521
Carnes, 540. & seq. uti in cibum, 549. ignem passæ, 492. in nonnullis cellis citiùs putrefiunt, 131. carnium corporis ad longævitatem præsagia, 519. carnium serpentum & cervorum medicinæ sarcasticè culpantur 523
Caro animantium quæ esui apta aut non, & quare 937. & seq.
Caroli V. Imperatoris dicterium 236
Carolus VIII. Galliæ Rex, 1003. ejus apud Regem Angliæ legatio, 1021. 1043. & seq. Annæ Britannicæ Ducissæ nuptias ambit, 1042. & seq. earum solennizatio, 1048. Regnum Neapolitanum occupat, & paulò post amittit, 1076. ejus in illo conservando errores, ibid. ejus felicitas comparata somno 1122
Carpio piscis 503
Carri & Ascami scripta 15
Caruyellæ naves quæ 469
Caryophilorum color varius, unde, 859
Casei contractio 498
Cassia 537. 538
Catii & Bruti imagines 11
Cassii uxor Junia 510
Cassiodorus 534
Cassytas herba apud Syros 885
Castellum Atoni ab Anglis obsessum & captum, 1092. in expugnandis Castellis non subinde hærendum 154
Castor, Pollux & Helena quid nautis præsagiant 475
Casus omnes humana prudentia capere non potest 243
Catalepsibus remedia 559
Catalogus historiarum particularium, 427
Catarrhorum diæta 497
Cathari, hæretici 555
Cathartiçæ, 538. quæ ventriculum turbare non debent 555
de Catena aurea fabula 77
Catilina incendiarius rerum publicarum 235
Cato Censorius Carneadem dimittendum censet, 5. linguam Græcam discit 9
Cato Major suæ fortunæ faber 222
Catonis ingenium versatile 231
Catoni Minori laus à Cicerone data, 197
Cato Uticensis laboriosus, sed parùm ad rem 232
Causa boni mala, 526. effectus parens, 650
Causæ sunt quatuor; materia, forma, efficiens & finis, 325. finalium inquisitio sterilis, 93. physicæ hominem à Deo & providentia non abducunt, 93. ubique dari non possunt 965
Cavearii quid 929
de cautelis & vitiis respectivis desideratur inquisitio 196
Celeritas in servis maximè spectatur, 216
Cella spirituum 564
Celsus Medicus laudatur, 126. ejus de anatomia vivorum sententia, 107. de experimentis Medicinæ opinio, 296. quæ ei diæta præferatur? 520
Census anni Dominici, 508. quàm memorabilis 510
Centurio apud Tacitum 99
Cæpæ semen, 126. serendæ ratio 505
Cera 492
Cerata indumenta 523
Cerebrum, cathedra & universitas spirituum, 547. viventium non nutrit, 766
Cerevisia 542
Cervina carnis medicina sarcasticè culpatur, 525. ad potum veterandum usus 542
Cervi cornu, & os de corde cervi, cordiale, 522. cervorum ætas 500
Chalybs, qui argenti nitorem æquat, 934
Chalibeatus potus 545
Chamæpytis morbo regio medetur, 892
Caritas scientiæ antidotus, 40. vinculum perfectionis, 203. non admittit excelsum 204
Charta undulata quomodo fiat 906
Chartæ lusoriæ, quam quis cogitaverit, significatio per alium 956
Chelidonii lac medicum 881
China ligni diæta 554
Chinenses, 516. eorum characteres reales, 145. argentum parant, 822. pingunt se 996
Chiromantia res vana 101
Cholera appetitum tollit 817
Cholera centenariorum octo 515
Christus summus Medicus 102
Chronica 52
Chronologia 51
Chrysippus 295
Chymica cui comparanda 19
Chymici quid præstiterint, 780. eorum nova Philosophia, 21. 287. experimentum in auro, 294. dictum approbatur, 78. eorum phalanx fanatica, 140. principio, 484. cibus & potus ad pondus, 515. semen & quibus invalidi dentes, 767. ejus differentia quoad longævitatem, 504. ejus cum somno comparatio, 532. ciborum ratio, 541. & seq. preparatio quanti momenti, 549. usus, 550. variatio cum simplicitate, 549. distillatio, nugæ, 550. immodici sæpè purgant. 763. quomodo fiant medicamentum, 856
Cicada senectutis figura 562
Cicero ad Cæsarem, 105. Catonem accusat, 12. Philosophorum dicta duriora excusat, ibid. de petitione consulatus, 209. de Socrate querela, 98. ejus oratio pro Marcello, 195. studium eloquentiæ, 156. vocabulum (*ineptum*) Græcè reddi posse negat.
Cicindula, 120. 335. 746. 748. ubi & quando generetur, 899. collocata in vitris sub aqua fallendis piscibus, 911
Ciboniæ 502. 503
Cicuta in potione cur leniter necet, 882
Cineres fœcundant, 873. Cinerum conspersio per terram quid præstet, 886
Ciphra, 150. suspicione careat, 148. ciphrarum referatio 150
Circuli circa planetas aut stellas, ventos præmonstrant, 475. circa lunam præsagiunt ventos, ex parte qua ruperint 455. 474

Citra

Citra maturescit cum cerevisia acescit. 945
Civilis scientia. 205. ejus tres partes. 206
Civitatis jus liberaliter largiendum. 239
Clarificatio liquoris quid sit, & quomodo fiat. 754. cum amygdalis potui adhibenda. 913. exactissima. 819. ejus causæ 818
Clavecymbala cur superius clausa minorem edant sonum 792
Claves in monasteriis panno vestiuntur. 793
Cleoni quid objiciebatur. 157
Clysteres 538. 539
Clysteriorum Alimentatio 506. 569
Clodia Ofilii. 514
Cœcias nubes ad se trahit. 452. ei fœneratores comparantur. ibid.
Cœlestia moventur per circulos perfectos 65
Cœlibatus. 1149. 1150
Cœmiteria citius corpus consumunt, quàm terra pura. 824
Cœna, ad quam Brutus, Cassius & alii invitati 196. Chalcidensis. 689
Cœnaculorum æstivorum refrigeria. 478
Cogere in centrum, condensare, fugare. 526
Cogitationes defixæ. 532
Cognatio inter sonos matriculatos, & articulatæ vocis literas quasdam. 800
Cognitio in Deo est originalis. 23
Cohibitio spirituum. 534. respirationis, mors quare. 556. & seq.
Collegia majora. 423. minora. ibid. & 608
Collegium operum sex dierum 980
Colles medii. 517
Colliquatio unde. 824. quo calore fiat. 898. est opus spirituum; liquefactio caloris. 563
Collocatio in oratione plurimum gratiæ parit. 181
Collum. 519
Coloniæ novæ antiquiorum populorum liberi. 1196. eas deducendi consuetudo. 239. in earum plantatione quinam artifices assumendi? 1197.
Color in æthiopibus unde. 838. ejus causa in pilis bestiarum, & avium plumis 754
Colores aërem transeunt sine ejus motu, 788. sensim non deficiunt ut soni, & quare. 802
Columbæ. 503. dissectæ quam præstant medelam. 779. scissæ usus in morbis extremis. 553
Columbus in oris Lusitaniæ per ventos statos judicium fecit de continente in America. 447. 465 ejus navigatio.
Columnarium vita 536
Columnæ lucidæ 334
Comes Richmundiæ. 997. ejus parricidia & scelera. ibid.
Cometæ possunt prænuntiari. 85. quomodo rotentur 372. 644. humiliores. 616. 621. sublimiores 620
Cominæi sententia 213
Commentarii propriè quid. 51
Commerciorum interruptio inter Anglos & Flandros. 1084
Commiseratio quid sit. 901
comperendinare cavendum 209
complicatio. 489. naturarum contrariarum in una causa, 570
Compositio plantarum. 851
Compressio nimia spiritus vitales, mors. 556. ejus vis in solidis corporibus. 755. partium in tenello partu formam mutat. 760. est radix operationum mechanicarum. 755. est violenti motus causa ibid.
Compunctio fructus quid præstet 826
Concameratio cœnaculorum plurimum facit ad auras 457
Concharum affinitas cum aliis 521
Concisio in frustra ferri & judicii 552
Concoctio propriè quid, quotuplex, quomodo fiat. 930. ejus fontes. 543. vocabulum unde, & quo traductum. 930. Concoctionis debilis consilium 506
Concordiam tractandi via duplex. 218
Concreta corpora cur à suis contrariis solvantur 932
Concussio capitis unde in offensione. 900. arboribus quando noceat aut prosit 844
Condensare, fugare, in centrum cogere. 526
Condensatio spirituum præcipuum ad prolongandam vitam remedium. 526. ejus diæta opiata. 527. per frigus. 528. demulcendo. 530. sedando. ibid. est frigoris proprium. 528. Aeris per vesicam in nive 774
Condensatio bonum è mala causa. 526.
Confacientia ad ventos. 458.
Confidentia valdè efficax ad occultandos defectus. 229.
Conflictus ventorum. 443. 466. fortes gignunt ventos vehementes. 461.
Confricatio partium corporis. 548.
Confusio in partibus corporis 563. linguarum post diluvium. 24.
Congelatio seu conglaciatio liquorum; per nivem, glaciem & nitrum vel salem, de qua & in Argenide Barclaij. 528. & seq.
Congressus impar fugiendus. 210.
Conjuncta proficiunt, quæ singula minus valent. 569
Conjunctiones planetarum, Sole excepto, sequuntur venti. 474
Consalvi generose dictum. 190
Conscientiæ lex. 259
Conscientias irritare grave. 210
Consensus capitis, pedum & stomachi. 779.
Conservatio rerum qualis. 111. varia. 495. 496
Consilia. 1172. eorum incommoda. 1173. remedia. ibid. interiora. 1173. subordinata. 1174. callida exspectatione læta. 219. infelicia, quæ profunda dissimulatione obtegantur. 231.
Consilii opera qualia esse debeant? 556. prudentia & sanitate opus est ad litteras. 38
Consiliorum propriorum occultatio, hostilium exploratio in bello plurimum potest. 70
Consiliarii quales esse debeant. 1173. & seq. quidam fidicines. 237. quidam negotiis pares. ibid. empiricis summam rerum mandare; periculosum. 6
Consistentia 720. & seq.
Conspiratio detecta ope speculi comburentis. 787
Constantius. 340
Constantini Magni mater, Helena Britanna. 512
Constantinopolis destruitur cerevisia 898
Consubstantialia humano corpori. 552. & seq. eorum propria, malacissatio. 569
Consuetudo altera natura. 201. 231. 1203. ejus magna vis. 200. 1203. copulata. 1204
Consuetorum modicus usus esto. 534.
Consumptio. 570. quomodo fiat. 562. ejus origo. ibid. Vide Desiccatio.
Contemplatio. 532. levis ut admiratio. 533. creaturarum producit scientiam. 4. earum materia. 291. & seq.
Contemplativam vitam nescit Theologia. 189. activæ est præferenda. 188
Contemplatores naturalium longævi esse solent. 533
Continuatio per successionem solam quæ 572
Continuitas & densitas 567
Contractio partium. 498. per ignem ibid.
Contrariorum eadem est ratio. 158. in contrarium intendendum 201
Contritio dentium in luctu unde. 900
Contusio capitis, mors. 556
Conus erectus. 413. inversus ib.
Convalescere est juvenescere 522.
In Conversando prudentia 206
Conversio duplex est corporum 931
Convolvuli descriptio 903
Convulsio, mortis præcursor 558
Copernicus. 372. ejus sententia de ratione terræ revinci potest 98
Copiæ mercenariæ multum valent. 238
Corallia quid, & ubi nascantur. 916. usus, qui improbatur 539
Corcyræi vivaces 514.
Cor tanquam arena maris. 209. eviscerati in igne assultans. 559. simiæ applicatum humano cordi quid præstet 961
Cordis motus tempus. 558. nocumenta & juvamina. 645. ejus & manuum consensus 779
Cordialia medicamenta. 522. diæta. 547
Corium 491
Cornari Veneti diæta. 515. 519. 524. 531.
Cornix 501. 503
Cornu cervi febribus medetur. 892
Cornua 491
Cornubienses ad rebellionem inclinant. 1086. & seq. illorum in rebellione progressus. ibid. cum Regiis conflictus. 1090. cæduntur. ibid. eorum duces afficiuntur supplicio. 1090. & seq. eorum pertinacia. 1097. præcipui afficiuntur supplicio. 1098
Corpora mortua, viva, quatenus subsistere possunt. 558. solida visionem non impediunt, si pellucida sint. 811 Caloris maximè sensitiva quæ? 334. pneumatica. 382
Corporis condensatio. 411. fit quatuor modis. ibid. ejus succus. Vide succus. contenta duo. 569. partes cur non durent per longas periodos, quum possint. 562. & seq. corporis humani scala. 560. corpori omni inest spiritus. 562. ejus partes internæ tam dissimiles sunt in hominibus, quàm frontes aut nasi. 107
Corporum quantitas. 423. Consensus 722. vivorum fotus arctus apoplecticis

ticis remedium 559
Corpus tangibile attritione calescit. 336. molle magis quàm durum sonos extinguit. 739. aquæ imponendum crassitiem requirit 842
Corrosio omnis suspecta 540
Corrugatio. 498
Corruptio quomodo arceatur 914
Corticum quanta necessitas ad nutriendum. 506
Corvi 124. ventos præmonstrant. 477
Corvinus 521
Corvus 501. 503
Cosmetica 113
Cosmi Florentiæ ducis in Amicos perditos telum 1145
Cotonea. 543. Cotonea & Coriandri semen quid efficiant 961
Crapula mortem affert 556
Crassiorum, mollorumque inteneratio. 565. 566
Crassus orator mirænam piscem extinctum de flens 503
Creationis historia 24
Credulitas Ecclesiasticis historiis nocuit 18
Credulus libenter decipit ibid.
Cretenses mendaces 199
Cribratio terræ quid præstet 846
Crispatio in frondibus unde. 877. gradus ibid.
Critica. 182. quomodo tractanda. ibid. & seq.
Criticorum quorundam temeritas. ib. morbus ibid.
Cræsus Soloni aurum ostendit 238
Croceata 537
Crocus. 537. ejus in aquam infusio quid præstet 713
Croci, opiati secundarii, usus. 528
Crocodili 503
Crystalla 491
Cubiculum in Collegio Trinitatis Cantabrigiæ resonans 792
Cucumeres appositam aquam attrahunt. 849. quando minus aqueí. ib. eorum semen in lacte maceratum. ibid.
Culpa admissa cum nondum de Authore constat, homines valdè tumultuantur 163
Cumini sectores 155
Cumiculorum ætas 500, 501
Cupiditatis origo bonum apparens. 71
Cupido major. 649. minor. ibid. utriusque attributa. 649. 653. assimilatur materiæ primæ 652
Cura ægri exacta aliquando noxia. 770
Curculio unde generetur. 894
Curiæ. 245. censoriæ & prætoriæ. 246 jurisdictio ampliari multa contentione non debet 256
Curiositas inutilis. 210. in litteris damnatur. 15
Curiosus in aliena republica 53
Currentes in mari. 446. currentis celeritas quomodo & quare augeatur. 895
Custodiendi ars 142
Cutis durior molliorve. 498. ejus contractio ibid.
Cyanæus. 415
Cydræ confectores 128
Cygnus 501, 503
Cyniras Cypriorum rex 513
Cypressus calida. 884

D.

DÆmonum fabulæ 515
Damnati ad triremis cur bono corporis habitu. 905
Dando Illyricus quingentenarius. 513 & seq.
Daniel de novissimis temporibus. 57 ejus prophetia 309
Daniel, stylita 536
Dare, beatius quàm accipere 191
Davidis lex militaris.
Debilitas concoctionis uti juvanda in senibus. 506. debilium nutricatio. 766
Decimæ facultatum 235
Deciphratio 130
Declamatio in medicos 104
Declaratio sui quam sit utilis & quomodo exercenda. 228
Decocta quædam cur intumescant. 937
Decorticatæ arboris ramus si inseratur terræ, quid præstet 844
Decreta exeant palam. 246
Decursus seculorum nihil ad diuturnitatem, brevitatemve vitæ. 516, 517
Defectus quomodo occultandi. 229
Deformes felices evadunt 230
Defossio potum juvat 193
Defunctorum possessio bona fama. 211 hoc ævo negligitur ib.
Dei opera ostendunt ejus potentiam & sapientiam, non imaginem. 77. per ambages fiunt. 65. judicia inscrutabilia. 58. & tamen majoribus characteribus descripta. ibid. potentis & sapientis duo maximi præcones Verbum & mundi imago 66
Deliquiis animi remedia. 559. adhibetur aqua rosacea & acetum 952
Delphini pisces. 503. eorum de tempestate præsagium 477
Demersio sub aquam quid. 461
Democratiæ 240
Democritus Abderita. 295. etiam Pentathlus dictus. 652. ejus laus. 653. ejus ætas. 509. Philosophia. 520. & seq. 533. 286. 611. ejus Atomi. 290. 583. 651 713. 715. peregrinatio 296. instantiæ. 386. vacuum. 405. 615. ejus dictum commendatur. 78. ejus philosophia solidior est Aristotelis & Platonis 92. quomodo sibi vitam produxerit. 953
Demonax Philosophus 514
Demonstrationes quid. 294. pravæ. 294. earum sunt qutuor genera 141 redargutio 317
Demonstratio optima experientia. 294
Demosthenes laudatur. 233. cives suos affatur. 162. ejus ad Athenienses oratio. 12. diligentia. 133. querela. 163 ad Æschynem responsio 9
Demulcere spiritus 530
in Denbigh comitatu Britanniæ vehementes sunt ventorum eruptiones 454
Dendamis Indi responsio ad Alexandrum 259. 742
Densatio proprium frigoris opus. 528 spirituum 566
Densitas & continuitas 567
Densum & rarum. 660. utriusque historia 482. & seq.
Dentes. 491, 519. eorum defectus juvamina. 550. cur frigido magis afficiantur quàm aliæ partes. 891. sunt sensu præditi. 908. quæ iis noceant 909
Dentitio terna. 536
Deorum manus Arabibus quid?, 526
Deo secreta cordis & successiones temporis patent. 262
Depurationes metallorum error. 127
Derisor non erudiendus 211
Derisores rempublicam perdunt 213
Descensus an Ascensus soni commodior. 801
Descriptio Chameleontis 830
Desiccationis historia. 494. actiones tres. 497 & seq.
Desiccatio simplex. 498. per accidens 499
Desiccatio & putrefactio per eam potissimum partem, per quam alimentum 496
Desideria quædam humilia: cithara Neroni; gladiatoria Commodo; Aurigatio Antonio 191
Desiderium, quale cordiale 547
Designatio publica virorum idoneorum ad inquirendas scientias instituenda 42
Desmondiæ comitissa 536
Desperatio apud Deum est contumelia. 258
Despicienti objecta exhibentur minora. 801
Destillandi modus. 128
Destillatio clauda possitne fieri. 131
Deus sanctus, sanctus, sanctus. 91. ad infirmitatem captus nostri se dirigit. 260. captui humano se accommodat. 125. facultatum decimas, temporis septimas exigit. 235. primò illiteratos ad fidem disseminandam evocavit. 26. Verbum celat ut inveniatur. 25
Diaboli morsus herba qualis. 920
Dialectica subservit intellectui, 157. ejus finis. 152. differt à Rhetorica. 158. ejus inventio. 301
Diapason quid præstet. 782. est regressus ejusdem soni. 797. ex percussione vasis vacui. 798
Diaria differunt ab annalibus. 56. quomodo in usu. ibid.
Dichotomiæ. 166
Dies, quà Dies requievit, benedicta. 24
Diæta stricta. 497. mensurata. 515. tenuis. 531. opiata pro condensatione spirituum & prolonganda vita. 527. cordialium. 546. & seq. apud Celsum quæ præferatur. 520. ejus ratio ad longævitatem. 519. 520. ordinatio accurata, ineptiæ. 523. & seq. mulieris gravidæ quomodo fætum afficiat. 961
Diætæ exsiccantes. 770
Diætarum historia. 570
Differentia inter oratorem & sophistam 139
Differentiæ limitantes motum, & constituentes eum in formam calidi. 394. & seq.
Differentia error in quibusdam literatis. 20
Digestio in corporibus unde. 824
Digestum novum. 249. quot rebus constet. ibid.
Dignitas scientiæ in archetypo quærenda. 22
Dignitates ingenia hominum corrumpunt. 199
Dignitas. 1154. ejus ascensus. ibid. & 1156
Dilatatio spiritus vitalis nimia, mors. 556. pulveres pyrii ex compressione. 755
Diligentiæ fructus. 217
Dimidium facti qui bene cæpit, habet. 164

Dioge-

Diogenis præclarè dictum, 190. ejus ad quendam responsio 14
Dionysii Areopagitæ ætas 512
Dionysii fabula 71
Dionysius senior minus malus fuit quam junior apud Syracusanos, 160
Discorides 421
Directionis motus ventorum causa, 464
Disciplina prisca revocata est 11
Discipuli qualem magistris fidem debeant 19
Discontinuationis appetitus in liquoribus languet 758
Discordiæ domesticæ incommoda, 211
Discursus super historiam & exempla, 221. super epistolas ibid.
Dispersio ramorum in quibusdam arboribus unde 871
Dispositionum characteres, 198. unde seligendi ibid.
Dissimulatio quid, 1146. ejus commoda & incommoda, 1148. errorum, 230
Dissolutionis causæ, 491. origo, 562. initium ubinam 567
Dissonantia quid, 896. cum Basso quid faciat 783
Distillatio ciborum, nugæ 567
Distortio vultus in luctu unde 899
Distributio bonorum apud veteres, 27
Divinatio duplex, 116. naturalis, ibid. naturalis aliquando certior, aliquando magis lubrica 472
Divisio partium in spermaticas & menstruas non est solida 769
Divitiæ virtutum impedimenta, 1198. modi acquirendi 1299. & seq.
Dium, sub dio vivere 541. 548
Diuturnitas ætatis ex antris & speluncis, 535. & seq. unde speranda, 543
Doctissimi viri, hæreticorum coryphæi 3
Doctrina de exemplari, 187. de homine duplex, 99. de negotiis, 208. de excellentiis humani generis desideratur, 99. etiam de Idolis animi humani, 141. parit immortalitatem, 74. omnis ad usum & actionem referenda, 39. etiam in militia potertiam suam exercet, 29. semper progressum spirat, 35. ejus partitio triplex, 43. 603. revolutiones tres, 299. 594
Doctrinæ sedes animæ rationalis facultas, 43. speculativæ partitio, 79. tres intemperies, 15. varia effecta, 12
Domitiani vaticinium 28
Domus Salomonis quæ, 974. 980. unde sibi nomen, 980. ejus descriptio, 988. & seqq.
Dorcestriæ Marchio Parisiis obses redimitur 1000
Dormiendo diutius duratur absque alimento 558
Dormientia animalia per hyemem, 531
Dormitantibus Musica cur gratior, 806
Dormitor quinquaginta septem annorum 508
Draconis sanguis quid, & ubi nascatur præcipuè 882
Dramatum maximus usus 60
Dubia quomodo tollenda 251
Dubitationes solvendæ & certò terminandæ 88
Dubitationum Kalendarium desideratur 88
Ducis Eboracensis mors probatur, 1065
Ductilia corpora habent appetitum se non discontinuandi 933
Ductus & lineæ spirituum 564
Dulcia promovent putrefactionem, 894. eorum usus 542
Dulcor non debet esse crassus 879
Dulcorati liquores 545
Dulcoratio gradus ad nutricationem, 883. fructuum quot modis fiat, & causæ 937
Durabilia duo 492. 540
Duratio corporum duplex 490
Durationes ventorum 462
Durities unde, 932. succorum cum oleositate confertur 541
Durorum molliumque inteneratio ac deprædatio 565

E.

EBrietas extrema mortem affert, 556. ejus amuletum, 903. voluptas illi ex Venere proxima, 893. effecta & eorum causæ 902
Eboracensis familia, 999. Hibernorum erga eam favor 1010
Ebur, 491. cordiale 522
Eccentricorum & Epicyclorum portenta 637
Echo quæ, 67. est repercussio, 788. naturalis ubi generetur, 808. artificialis nondum inventa, 808. pontis Charenton in Gallia, 809. quater quinquiesve vocem regerens qui fiat, 808
Ecclesia arca in diluvio, in eremo, in templo, 57. eruditionem gentilem servavit 26
Eclipses lunæ, venti quasi semper comitantur, solis verò serenitates, 474
Ecnephiæ quibus ventis fiant 452
Ecstasis voluntaria 532
Edacitas senum quorundam, unde, 561
Ædificium, 1211. ejus situs, ibid. perfectio ibid.
Edwardus IV. Angliæ Rex, 999. ejus regimen, ibid. filii, ibid. ejus filii illegitimi 100
Edwardus Plantagenista, Clarentiæ Ducis filius, 1000. captivatur, ibid. fictitius substituitur, 1010. & seq. ad castrum Dublinense ducitur, & Rex Angliæ proclamatur. 1011. in Ecclesia Dublinensi coronatur, 1015
Edwardus Warwici Comes decapitatur 1109
Electio quædam in omnibus corporibus est, 922. quatenus retinenda, 85
Electrum quid, 775. monumentum regium insectorum 562
Elementa aliis, autori nostro heterogeniæ, 563. eorum vulgaris doctrina est inepta, 929. ignis 284
Elenchi sophismatum, 138. ab Aristotele tractati, ibid. à Platone, ibid. Hermeniæ, 139. imaginum, ibid. eorum doctrina 138
Elephantis ætas 499
Elisabetha Angliæ Regina 37
Elisabetha Edwardi Regis Angliæ filia, 1000. nuptiis Henrici VII. destinata, ibid. ejus cum illo nuptiæ, 1000. Angliæ Regina coronatur, 1019
Elisabetha Angliæ Regina, 1311. ejus laus, ibid. felicitas 1313. & seq.
Elisabethæ Bartone. de Henrico VIII. dictum 1071
Elisio aëris non est soni causa 788
Elixir 95
Eloquentia Augusti 1
Eloquentia & sapientia differunt, 156. sapientia inferior ibid.
Emaciationum cura 506
Emaciatorum alimentatio 766
Emanationes scripturarum desiderantur 263
Emblema pars memoriæ artificialis, 143
Emollientia 539
Empedocles, 295. ejus de lunæ substantia opinio 616
Empiricorum temeritas 6. 199
Emplastratio 570
Endimion dormiens 67
Ens primum Antuphostaton est 654
Epaminondas Thebanus 5
Ephemeræ muscæ 895
Epicteti Philosophia, 190. præceptum de Philosopho, 222. sententia sapiens, 34. gradus tranquillitatis facit, 162. 163
Epicurus, 295. 739. Diis humanam figuram tribuit, 140. ejus sententia de fatis damnatur, 63. alia ejusdem laudantur, 66. ejus schola, 611. ejus mors 104
Epidemici morbi unde 836
Epii longævi 513
Epimenidis ætas, antrum & fabula, 508. 523. 531. 536
Epimetheus 1163
Epistemides quid 736
Epistolæ, 58. Spartanæ, 150. Ciceronis ad Atticum 221
Epitomæ historiarum ut teredines rejiciuntur 52
Epulæ profusæ 559
Equi ætas, 500. coram equitantibus interdum turbines ludunt 462
Equorum dentes ætatem significantes, 909. illos terret fœtor cadaveris, præsertim equini 919
Eradicandi herbas inutiles actio prodest corpori 956
Erasini Echo 15
Eremitæ longævi fuerunt 487. 541
Erinacei caro & cineres quid præstent, 961
Errhina pituitam & humores proliciencia 764
Errhinum odorum 546
Error in digestione prima 125
Errores varii, quibus literæ impediuntur, recensentur à 19. ad 23
Eructationes flammarum in regionibus frigidis 334
Eruditio mores emollit, 33. mortis timorem aufert, 34. non alaudæ, sed accipitri similis, 223. plus remedii affert, quàm mali, 7. politicis non est impedimento 6
Eruditi malunt latere, 10. 11. iis quid maximè notam inurat, 208. eruditum seculum à morte Domitiani usque ad Imp. Commodum 28
Erysipelatis cura 553
Esse, sejunctum à benè esse, maledictio, 235
Essæi annosi, 513. Pythagoræi à carnium esu abstinuerunt 214
Essentia soni 814
Etesiæ inter causas inundationis. Nili adscripti sunt 446

Ethica duplex, 187. prius discenda, quàm Politica, 202. Theologiæ famula, 197. ejus finis, 157. partitio, 185
Ethnicorum numinum commemoratio fabulis patrocinatur 508
Ethimologia originalis nominum rejicienda 146
Evacuationes magnæ mors 556
Eucatalepsia 322
Euclidis geometria 97
Euclidis Theon 183
Eviscerandi supplicium, 559
Eviscceratus post avulsum cor precum proferens verba ibid.
Eunuchi cur laborent visus debilitate, 892. notas habent humiditatis, ibid.
Evolatio aquei, 567. & seq. spiritus, qualis actio? 568
Euphonia & disphonia 147
Euphorbii lac acre 881
Euphranor Grammaticus 515
Eurus siccus, mordax, 451. & seq. in Britannia pro malefico habetur, 450. in Europa ventus deficcans 445
Euthanasia exterior desideratur 108
Examen sui instituendum 227
Exactius cur uno oculo videamus? 940
Excitationis motus in ventis causa quæ 464
Excrementa, animalium propria, 506. quid sint, 893. 894. intra & extra corpus insectis fœcunda sunt, ibid. cur fœteant 928
Excrescentiæ in corpore humano quomodo faciliùs tolli possint 964
Excusatio è re nata proferenda 209
Exempla quomodo in jure tractanda, 244. & seq. recentia rectam rationem non sapiunt, 244. vetustiora cautè recipienda, ibid. sunt instar aquæ, 245. eorum fragmentis abstinendum ibid.
Exercitatio corporis, 520. 538. 541. 548. 559. 567. alimentationem flagitat, 557
Exercitia primùm difficiliora qualia prosint, 846. prolongandę vitæ, 904 & seq. quibus corporibus conveniant aut noceant, 817. scholastica qualia esse debeant, 41. tutiùs intermittere, quàm subinde repetere, 184
Exercitus Persarum in campis Arbelæ, 238. veteranus ad quid conducat, 240
Ex facto alieno qui afficiatur alterius imaginatio 920
Exhalationem vini quæ prohibeant, 917
Existimatio bona ubi est, ferè decent omnia 207
Exoticæ plantæ germinant hic eodem tempore quò apud exteros 868
Experientia, 301. ejus ordo, 302. 312. literata, 126. 312. ei debentur inventa utilissima 67
Experimentum venti in turri occlusa, 459. 464. spiritus vini in lignis, 338. in butyro, cera aut pice, ibid. immissionis radiorum solis, 374. sclopeti, 405. auri, 695. experimenti sortes, 131. variatio, 126. productio, 128. translatio, ibid. inversio, 129. compulsio, 130. applicatio, 130. copulatio, 131. experimenta lucifera, 311 319. licet non semper succedant, tamen informant 131
Exploratio aëris qui fiat, 925. aëris, exploranda salubritas non unam ob causam, 916. seminis probi, 860. & seq. exploratus aër significat annos & loca salubria, & contra, 924
Explosio tormentorum sine sonitu, 787. tormenti bellici percepta ad 20. milliaria 812
Expurgationis succi veteris diæta, 554. & seq.
Extremè subtilia sine acrimonia in medicina cur proba 892
Extremitas corporis levior anterior in jactu cur se vertat 919
Exuviæ cur reperiuntur, & non squammæ 904
Ezechiel de Pharaone 222

F.

FAbius Maximus reprehenditur à Machiavello, 231. ejus ætas 510
Fabrica partium organum spiritus, 571
Fabula Æsopi de muliere, 127. de ranis, 162. de vulpe & fele, 167. perantiqua, 39. Philosophi cujusdam, 47. Penthei & Orphei 71
Fabulâ Mennenius Agrippa seditionem sedavit 60
Facere hæc oportet, & illa non omittere 234
Facies aquæ inæqualis 701
Facilitas morum in judice corruptela munerum perniciosior, 217. nimia credendi quantum nocuerit 18
Factio factione sedatur, 200 factiones variæ, 1223. factis non omninò fidendum
Falinus Regis Artaxercis legatus 33
Fallacia sensuum 384
Falsitatum Kalendarium desideratur, 88
Fama & existimatio æstus habent, 232. bonorum & malorum qualis sit post obitum, 211. omnis à domesticis manat, 211. etiam verior, 226. est opus ad bellum, 71. saliva vulgi 213
Famem cur tollat longius jejunium, 927
Familia Lancastriæ, 999. Eboraci, ibid. & 1004. in familia discordi humilis quidam fit præpotens 209
Famulitia & satellitia ad militarem potentiam conducunt, 238. inferiora festorum vigiliis comparantur 160
Fascinatio 160
Fascini opinio unde invaluit 955
Fasti & chronologiæ 117
Fata rerum quid, 63. fatis accedendum, 233
Faustæ, Constantini M. matris, mors, 556
Febres ex obstructionibus, 824. earum causa 557
Feles, 384. feles & ululæ cur noctu videant, 120. 939. earum ætas & generatio 500
Felicitas res inimitabilis 166
Felini sanguinis usus 553
Femora 519
Fœmina, cujus unicæ commemorata ætas, Sara 507
Fœminæ teneriores magis conferunt ad alendum fœtum 518
Fenestra ad evolandum aperta 234
Ferculorum multitudo, 549. & variatio ibid.
Ferdinandus Hispaniarum Rex 1003 Regis Angliæ Henrici VII. confœderatus, 1027. ejus ad Henricum literæ, 1054
Feræ quando coëunt 910
Fernambuci ædificatio 536
Fernelius 739
Ferrum, 491. fertur ad magnetem, nisi ponderosius fuerit, 188. in Cypro comminutum crescit, si irrigetur, 920
Ferularum inteneratio 497
Fervores magni post solstitium æstivale desinunt plerumque in tonitru, 475
Festum familiæ quale, 982. 985. servientium ad legem in Anglia celebratur, 1117
Ficini consilium, 534. refellitur, 552. illustratur 554
Fides historica, 425. fidei & sensus conjugium, 307. Christiana, 260. in statu gloriæ cessabit, 259. quibus habenda, 196. humana quot modis comparetur, 957. ex authoritate quotuplex, ibid.
Fides quò intensior, eò acutius sonat, 797
Fiduciæ excessus infelix 212
Figura plantarum unde, 875. figura rei sonos creantis quid præstet, 803. & seq.
Fili bombicini inventio 314
Filius frugi, 211. nauci, ibid. vitis, 982. & seq.
Finis astrologiæ, magiæ naturalis & chymicæ, qui 19
Fistulæ humectæ sonus cur clarior, 805
Fistularum sonus unde gravior 796
Fixatio auri quid sit, & unde? 921
Flabella ad faciendum ventum 478
Flamma, 375. & seq. ejus figura pyramidalis, 376. 627. bicolor. ibid. crocea, 746. sulphuris cœrulea, ibid. purpurea, ibid. ejus natura, 631. & seq. Flamma aër, spiritus, 571. an aër accensus, 565. est tenuior aere, 567. ex spiritu vini omnium mollissima, 564. intra flammam durat, 558. cùm sit substantia momentanea, quomodo perpetuò generatur, ibid. ad flammam fertur, 565. continenter generatur & extinguitur, 572. ejus copia, 566. regimen, 531. ejus & spiritus vivi differentia, 555. & seq. ejus genera, 525. est similis liquori, 755. cum aëre miscetur, 760. flamma cereæ quomodo dilatetur, 765. flammæ involuta non extinguitur, ibid. flammæ fit contigua, ibid. ejus forma cur pyramidalis, ibid. quò major in basi, eo altior exsurgit, ibid. cœlestis est constans, nostra momentanea, 761. 762. vehementius circa latera quam in medio urit, ibid. sonum ciet, 786. à quibus extinguatur, 815. unde celeriter emicet, 832. è longinquo nutrita durabilior est, 834. venti index, 926. trepidans, non adurens, 334
Flammarum absumentium gradus, 496

Flatus

Flatus indicia. 925. in microcosmo cum ventis in mundo majore optimè conveniunt. 478. repentini semper nubilo cœlo fiunt 458
Flores inter frumentum. 853. cur se claudant. 854. accuratas habent figuras, paucas numero 871
Flos quomodo fiat duplex aut simplex. 859. & seq. quæ ejus substantia. 858. Solis. 855. Alni medetur calculo
Fluminum consideratio 546
Fluxus & Refluxus maris. 368. 369. 639 & seqq. est respiratio mundi quibusdam. 947. quomodo fiat. 370. & seq. 392. an sit motus progressivus. 642. ejus reciprocatio sexhoraria quomodo fiat 647. & seq.
Focus S. Ermi. 335
Fodiendæ terræ cur vinum generosum infundendum? 546
Fodinæ germanicæ vegetabilibus abundant. 868. fodinarum maligni vapores 951
Fœces conservant potum. 819. Spiritus attenuant in potu. ibid. sanguinis, & pulvis ab urina separati quid præstent 961
Fœminæ cur viris vivaciores. 817. cur magis in venerem pronæ æstate. 893. meustruosæ speculum inquinant, & vermes in herbis necant 952
Fœneratores. 1206. comparantur Cæciæ 452
Fœniculi semen quale 882
Fœnoris commoda & incommoda. 1206. ejus proportiones 1207
Fœtor carceris periculosus 951
Folia ex arboribus citius decidunt à parte austri. 451. & paleæ ludentes sine aura ventum adesse nunciant 477
Foliatanorum ordo 765
Foliorum contractio. 498. decidentium in sylvis tempore autumnali usus; & aliarum herbarum similiter. 530
Folles Æoli utres sunt 478
Fomenta ex corporibus vivis 554
Fomites spiritus. 572. Ventorum, sunt loca ubi magna copia vaporum 464
Fontes naturales unde. 759. juris. 242. petrificantes. 776. qui optimi. 838. fontis artificialis descriptio 758
Forma Calidi. 346. 348. Luminis 346. Caloris. 351. Forma materiæ primæ assimilatur vesti Cupidinis. 658
Formæ sunt scientiæ verum objectum. 89. copulatæ quid 345
Formica. 123. in electro. 362. se tuetur, at hortis nocet 222
Formicarium artium 144
Formidinis & spei affectus, alios omnes coërcent 200
Formularum minorum collectio desideratur 181
Fortitudinis & multitudinis impares congressus 238
Fortuna. 1204. est similis Galaxiæ. 1203. ejus filiæ quæ. 1203. imitatur mulieres. 236. indulgens animos enervat. 199. sponte in gremium influit. 234. vulgi filia. 63. ad fortunæ ardua irrequieta anhelatio. 234. ejus doctrina & speculatio. 223. fortunæ faber amusse sua peritè utatur. 232. ejus fabula desideratur. 223. ejus nervus sunt vires animi. 232. in fortunæ statu quàm incremento modus facilius tenetur. 199. quisque suæ fortunæ faber. 222. quomodo id fiat. 223. viri egregii sponte fortunæ renunciant. ibid. ad fortunam comparandam tam gravia requiruntur, quàm ad virtutem ib.
Fossæ & canales quomodo habendæ. 906
Fossio circa radices arboris prodest. 841. 846
Fossilia 491
Fotus arctus corporum vivorum, apoplecticis remedium. 559
Foxus fit Exoniensis Episcopus. 1006. Sigilli Regni Angliæ custos. 1000. Episcopus Bathoniensis, ibid. Dulmensis, & tandem Wintaniensis. ibid.
Fracastorius. 586. ejus inventum, 367. de motu missilium opinio 379
Fraga quomodo serenda 846
Fragilitatis causa quæ, & contra. 932
Fragrantia unde. 928. quid eam perdat. ibid.
Franciscus Donatus 515
Franciscus Molinus ibid.
Franciscus Rabelesius 144
Franciscus Britannia Dux moritur. 1032
Fraxinus apta struendo foco. 884. aliquando in turribus nata, unde. 868
Friedericus III. Imperator Romanorum 1003
Frescura quid 529
Fretum Magellanicum. 645. Herculeum ibid. & seq.
Fricationes. 538. 541. 548. 553. 567. 568 earum usus. 560. Fricatio mollis quid præstet. 769. cur magis prosit quàm exercitium. 941. cur partes reddat magis carnosas. ibidem
Frigida non spirituosa. 528. eorum usus, qualis? 539. frigidum an feratur deorsum. 129. & seq. ejus effecta quomodo exploranda. 835
Frigiditas ad quid. 536. ejus & siccitatis, in decursu ætatis, ordo. 561. regionum frigidiorum conditio 516
Frigus. 494. 541. est activum. 772. nimium uti calorem irritet? 539. ejus proprium densatio. 528. occultè laxat. 764. quomodo causetur catharros. ibid. ejus effectus in partibus tangibilibus. 932. arcet putrefactionem. 826. summum apud nos non est. 772. pedum cur impediat somnum. 907. frigus & calor communicant potentias, non substantiam 939
Frondes quomodo augeantur ex arte. 851. earum denitas unde. 872 serotinæ longævitatem arboris testantur, & quare 766
Frons. 518. fronti nulla fides 224
Frons spatiosa quomodo fiat 760
Fructus serotini quomodo comparandi. 131. ignem passi. 491. fructuum conservatio. 495. & seqq. iis uti in cibum. 550. varii in una arbore quomodo habeantur. 857. alibi minus boni. 858. fructus quid faciat exosses. 860. quæ vascula eos conservent. 879. eorum maturatio qui fiat, & quot modis. 821. eorum figuræ quomodo ex arte variæ fiant. 857. geminus proventus unde. 869
Frumentum fructusque ubi diu conserventur. 826. cum primum germinat, lac habet. 881. sæpè degenerat in lolium. 887. illud quæ juvent. 887
Frutices 492
Fucanda facies non est 113
Fuci per hyemem dormiunt. 531. & sequent.
Fugæ. 526. spirituum, mala. 526. fuga vacui in causis arefactionis. 530. per fugam, id est per calorem, condensant opiata & calida. 526
Fugare, in centrum cogere, condensare 526
Fulgura quid de ventis præsagiant. 457
Fuligo prodest campis & hortis. 873
Fumaria lieni prodest 892
Fumigatio Matutina 527
Fumus. 526. est inter opiata. ibid. & seq. fumus foci. 594. inflammabilis, fit flamma, non est flamma. 564. conservat carnem. 792
Functiones naturales 548
Fundus vasis aqua fervida pleni cur admittat illæsam manum. 890
Fungi homines qui propriæ 864
Fungus quid, & unde. 864. Fungi in truncis & radicibus arborum nascuntur 881
Funambuli 113
Furfur ad durationem facit. 833. furfuris & fimi porcini mixtura probè nutrit, 850
Furor sacer. 117

G.

GAbati & Columbi in detegendis terris novis æmulatio. 1100
Galaxia quid 379. 625. 629. 661
Galenus qualis 738
Galeriæ Copiolæ ætas 510
Galilæus motum terræ illustrat simili ex aqua mota in pelvi. 919
Gallici aut Neapolitani morbi origo. 758
Gallorum Gallinaceorum viscera cocta 766
Gallus Æsopicus. 37. Gallinaceus. 510. Indicus aut Turcicus ibid.
Gangræna aut mortificatio unde. 825 ex opio 526
Gargitius Aretinus, Petrarchæ proavus 515
Garyophylla humorem attrahunt. 774
Gaudia. 532. ingentia & repentina mors. 556. magna quid præstent. 893. subitanea & immensa cur necent. 900
Gaudium foliatum, spes. 533. cur pariat cursum, cantum, imo & lachrymas. 900

Gazenses quomodo loca refrigerent. 915
Gelu quid. 775. acre sine nivibus nocet frumento. 887. Gelu & æstas intensa cur & qui dignoscantur. 925
Gemitus, ejulatio unde 900
Gemma Martii & Maij 161
Gemmariorum prudentia 193
Gemmæ 491. cordiales. 521. arboris quare inungendæ nitro cum aqua 853. rosarum affusâ aquâ efflorent. 883. earum medicinæ culpabiles. 523. 539
Generalia nimium non informant. 155
Generare liberos: mediocritas in generatione quantum ad longævitatem? 518
Generatio, vivificatio. 563. duplex. 564. continua. 572. novi spiritus. 565. ex spermate & putredine quomodo differat 946. & evanescentia sonorum unde 814. 815
Genua in ascensu & coxæ in descensu cur fatigentur 904
Geometria 96. 97
Georgius Agricola 93
Germinatio celerior indicium probi seminis 923
Gestatio, seu motus. 504. uteri ad longævitatem quænam præcipua. 504
Gestus Hieroglyphici 145
Gilbertus. 64. ejus Philosophia. 287. 291. de magnete exactè scripsit. 64. ejus in magnete experimentum. 294 373. 586. ejus de definitione caloris judicium. 392. ejus vacuum. 632. reprehenditur. 483. Philolai dogmata refellit 89
Glaties & nitrum maximè refrigerant. 131
Glandiferæ arbores cur durabiliores fructiferis 870
Glastum 537
Gleba terræ puræ prodest sanitati. 953
Globus Plumbeus. 127. globi cur eminus appareant plani. 942. globulorum lusoriorum inteneratio. 497. contractio 498
Glocestriæ templum quoddam 792
Gordiani senioris ætas 510
Gorgias. 295. Georgiæ Leontini ætas. 509. 534
Gorgones 68
Gradus subactionis materiæ septem 667
Gramen quale & cur nascatur ex ambulacris sabulo constratis 867
Grammatica duplex. 144. ejus usus exiguus in linguis vernaculis major in externis. 146. philosophans desideratur. 147. est viator erga reliquas scientias. 146. bipartita. ibid.
Grammaticorum philosophia 511
Grana, semina, fructus magis cur nutriant quam frondes 850
Granariâ 495
Granatorum vinum 544
Grandescere sensim aut velociter. 519
Gratus sonus & ingratus illustrantur ex objectis visus 784
Grave semel motum cur deinceps facilius moveatur quàm cum quiesceret. 911. de gravi & levi inquisitio topica. 134. ejusdem historia. 483. Gravia terram petunt. 188. cur longius projiciantur quam levia. 912. gravitatis motus unde 949. & seq.
Grææ 68
Græci scientiarum autores. 295. artibus magis idonei. 147. illorum sapientia. 295. licentia in compositione verborum 147
Gregorij primi invidentia 26
Gremiale coruscans 335. 746
Grus 503
Guajaci diæta 554
Guicciardinus de Clemente VII. Cicero ad Atticum; Ixionis & Phocionis fabula, & Cato secundus commendantur 8
Guilielmus Postellus, immerito vapulans 515
Guilielmus Staulejus. 999. à Cliffordo accusatur. 1069. & seqq. ejus divitiæ. ibidem. decapitatur. 1071.
Gummi. 492. quidnam? 494. 506. suavia caput gravant. 547. in arboribus est percolatio succi. 754
Guttæ interioribus fenestris unde adhæreant 775
Guttur in cantu magis quam invoce laborat 796

H.

HAbitus virtutes & vitia complectitur. 201. ad habitum comparandum duæ observantur tempora. ibid.
Haraldus quis 983
Harmonia sapientiæ divinæ & rationis humanæ. 67. justam notarum distantiam requirit. 783. quæ suavissima 805
Haustus majores minus inebriant. 903
Hebræa lingua 147
Hebræi gens Nazaræa ib.
Hebrides 517
Hedera centenaria. 493. cur Dionysio sacra. 71. nata ex cornu cervi. 865. ejus candex est tenax 872
Helenæ Britannæ Constantini magni matris, ætas 512
Helvetiorum respublica 1159
Hemicranium 130
Henoch vitæ contemplativæ princeps. 189
Henricus septimus, Angliæ rex. 997. ejus edictum prudens. 238. Richardum Angliæ Regem prælio vincit. 997. sponsæ Elisabethæ litteras mittit. 1000. Londinum tendit, & summo populi plausu recipitur. ibidem & seq. ejus ibidem Coronatio. 1002 creat equites vexillarios. ibid Satellitium inferius instituit. 1003. Comitia creat. 1005. inchoat. ibidem & seq. edictum Regium promulgat. 1005. Edvvardum Staffordum Buckingamiæ Ducis filium primogenitum restituit. 1005. in familiam Eboracensem odium. 1006. Lincolniam tendit. 1007. inde Eboracum perrexit. ibidem. ejus in rebus Hiberniæ socordia. 1011. Concilium convocat. 1011. Concilii secretiora decreta, 1012. Suffolciam versus iter instituit. 1016. Concilius castrense convocat. 1017. cum comite Lincolniæ manus conserit, & vincit. 1017. Lincolniam proficiscitur. ibid. Londinum triumphabundus ingreditur. 1019. ejus ad Regem Galliæ legatio 1024. & seq. copias auxiliares mittit in Britanniam. 1032. Eboracensem Comitatum rebellem pacat. 1035. Ordinum conventus instituit. 1037. leges salutares condit. ibid. & seq. mittit in Galliam legatos. 1048. ejus in Ordinum conventu de bello Gallico suscipiendo oratio. 1049. Hastiludia & torneamenta instituit. 1055. ejus ad Maximilianum legatio. ibid. Obsidet Bonnoniam. 1057. Obsidionem solvit. ibidem. ad Archiducem Philippum legatos mittit. 1066. 1067. Electionem servientium ad legem suâ præsentia celebrat. 1076. fœdus init cum Italis. 1076. iterum Comitia convocat. 1076. & seq. in iis latæ Regni leges. 1077. 1078. 1085. contra Scotiæ Regem se armat. 1088. contra Cornubiensis rebelles exercitum movet. 1088. 1089. illos cædit. 1090. post partam victoriam Banarettos creat. ibidem. Legationem Regis Galliæ honorifice excipit. 1091. ab Alexandro Papa gladio sacrato & pileo manutentionis donatur. 1094. Exoniam obsidione liberat. 1097. eam cum jubilo ingreditur. 1098. Caletum cum Regina tendit. 1105. ejus ibidem cum Archiduce colloquium. 1105. Ordinis Equitum Rhodensium Protector eligitur. 1108. Regni sui pax & tranquillitas. 1111. à Comite Oxoniæ splendidè tractatur. 1113. Ordinum Comitia convocat, & leges novas ordinat. 1115 & seq. ejus cum Philippo Castiliæ Rege colloquium. 1120. Philippum in fraternitatem Periscelidis cooptat. 1121. honores cœlestes ambit. 1122. cum Margaretha Sabaudiæ Ducissa matrimonium tractat. 1122. morbo arthritico laborat. 1123. ejus sub vitæ finem fœlicitas. 1124. pœnitentiâ ducitur & opera pietatis exercet. 1123. 1127. & seq. Richmondiæ. 1125. Vitæ suæ encomium. 1125. & seq.
Henrici III. Galliarum Regis Liga. 1161
Henricus Dux Guisii 31
Heraclitus. 284. 285. ejus parabola. 141 verba. 21. philosophia. 290. conflagratio 623. 627
Heraclyti hydropici cura 513
Herbæ, vel Planta. 491. & seqq. odorantes. 546. Herba faunus dicta. 885. forma agni. 877. quæ eodem gaudent succo, sibi nocent. 853. & seq. annuæ quæ, & quare aliæ diutius vivant, ut & arbores? 869. & seq. quare quædam non sint edules. 879. paucæ salsæ & quare. 882. æruginosæ testantur terræ frigus. 886. odoratæ & salutares

à venenaris bestiis appeti dicuntur, 888. quando & cur pluviam significent, 927. herbarum ad solem respectus duplex, novas species quænam terra det, 867. penuria prodit terræ maciem, 886. herbis quibusdam lac, quale ex quo verni fiunt caseoli, 885
Hermes quare trismegistus 2
Hero quis, 714. vir ingeniosus, 615. ejus vacuum, 713. fabrica 709
Herodici diæta, 524. ejus valetudinis curatio 190
Heroes qui 27
Heterogeneæ, quæ aliis elementa, 563. 346
Heterogenia substantię cœlestis & sublunaris 618. 656
Hæmatites quomodo sanguinem sistat 959
Hæmorrhoides copiosius effluentes, mors 558
Hæresiarchæ quo delectentur imperio, 35
Hæsitantia linguæ ex frigore 836
Hiberni, 536. in laneis ægrotare malunt, 538
Hibernia, 517. ab Henrico VII. deficit, 1011. ejus in familiam Eboracensem propensio, ibid. Hiberni ad Fouldriam in Comitatu Lancastriæ cum copiis appellunt, 1016. Eboracum tendunt ibid.
Hibernicarum arborum proprietas, 885
Hibernicum & Anglicum lignum cui rei aptissimum ibid.
Hiems matura aut serotina sterilitatem indicat, 888. qualis qualem significet æstatem, 925. hiemes leniores arboribus nocent, 885. longę causa fertilitatis 869
Hiero Siciliæ Rex 514
Hieroglyphicorum usus vetustus & sacer apud Ægyptios 217
Hieronymus 512
Hieronymus Cardanus qualis 758
Hilares in congressu faciunt alios quoque hilares 955
Hipparchus, 620. ipsius stella nova, ib. ejus circa astrorum numerum diligentia 629
Hippias 293. 295
Hippocrates, 740. ejus ætas, 514. manica quid? 754
Hippophæston epilepsiæ medetur, 885
Hirundinis fabula 217
Hirundines quomodo reddantur albæ, 961
Hispani parcè impertiunt jus civitatis, at indigenarum paucitatem jam sentiunt, 239. bellicosi, 240. exercitum veteranum alunt, 240. & Itali arte loca refrigerant.
Hispanorum imperium, 239. 1190. Adagium 225
Historia naturalis Baconi, alia est quàm illa veterum aut neoticorum 889
Historia naturalis & experimentalis, 331. 421. generationum, prætergenerationum, & artium, 420. 423. 605. & seq. historiæ generationum partes, 48. 422. 607. Artium triplex, 423. cœlestium triplex, 608. est individuorum, 603. naturalis & civilis, 604. naturalis partitio prima, 44. 45. 606. secunda, 48. civilis partitio prima, 49. 50. 51. secunda, 56. dignitas & difficultas, 50. vitia. Historia respirationis materiæ in pneumaticis, 705. & seq. est Philosophiæ activæ basis, 607. ad memoriam pertinet, 43. quotuplex, 44. historia ad Prophetias, 57. desideratur, 58. cosmographica multiplex, 56. Angliæ & Scotiæ historiæ quales, 53. appendices, 58. earum partitio, ibid. Ecclesiasticæ partitio, 57. historiæ res levioris momenti plurimum derogant, 56. inductiva desideratur, 48. 49. justa, 51. ejus partitio, 52. leges severissimæ, 55. ei non inserenda politica, 56. legitima & absoluta rarissimè invenitur, 51. literaria desideratur, 49. ejus conficiendi præcepta, ibid. ejusdem usus, 50. mera, mixta & ruminata, 56. naturalis quem in finem facta, 46. naturalis subjectio triplex, 44. 45. usu duplex, 48. nemeseos seu providentiæ, 38. temporis quæ? 52. universalis & particularis, 55. ejus partitio in Annales & Acta diurna 56
Historicum veritas decet 53
Homerus plures aluit quàm Sylla aut Augustus 35
Homo naturæ minister, 279. ejus conditio, 734. motuum violentorum dominus, 410. amplissimum spirituum cellam habet omnium animalium, 564. unde celeriter crescat, 828. cur planta dicatur inversa, 876. quando dentiat, 909. in corpore prę sentit pluviam, aut gelu, 927. ad Dei charitatem aspirare debet, 204. cecidit, ibid. collocatur in paradiso, 24. homo homini lupus, 249. se abneget & accedat ad Deum, 258. bini salarii, 970. 971
Homines domi celebres, in metropoli vulgares, 151. mutantur cum actionibus, 224. eorum notitia non cadit sub præceptum, 516. sex modis elici potest, ibid. hominum & noctuarum comparatio, 497. ambitiosorum tria genera, 324. phantasticorum impostura 305. 306 & seq.
Hominis ætates, 499. cadaver producit ungues, capillos, 865. caput à primo partu cur pilosum 890
Homogeneorum unio. Vide unio.
Homoionomiæ 249
Honor in liberis Monarchiis quàm sub tyrannis suavior, 35. ejus gradus, 1228
Hordeum maceratum quomodo pullulet 883
Horæ fotunatæ, 523. ægrotantibus longiores videntur sine horologio, quàm si hoc ipso mensurentur, 167. subsecivæ quomodo collocandæ, 8
Horologiorum confectio, 303. diversitas 372
Horror in corpore ex sono tetrico, 919
Hortus, 1214. horti regii vera descriptio 1214. 1215. & seq.
Hostis, quando securus est, invadi debet 70
Humani corporis scala 560
Humanum corpus multipliciter compositum, 103. considerandum ut inanimatum, & cur? 563. & seq.
Humectatio accelerat putrefactionem, 852. nimia frumento nocet 887
Humeri 519
Humida supra humida novi spiritus generatio, 565. & frigida æstas cur acrem significet hyemem, 925. humidum corporis a quo deprædetur, 563. Vide succus.
Humor radicalis, 487. 494. aqueus & oleosus, 495. Vide succus. Corpora non transineat sine communicatione substantiæ, 890. adventitius putrefactionis causa, 832. humori inest uniendi vis, 855. ubi abundant humores, partibus prospiciunt, 764. ab humore radicali medicorum seductiones 487
Humphredus in Anglia supplicio afficitur, 1008. Hyades & Pleiades quid circa ventos possint 459
Hydraulica 114
Hydromel 542
Hydropis cura mirifica 553
Hyems ventosus, ver pluviosum præmonstrat 476
Hyemalis exercitatio 548
Hylæ rapti fabula, & ejus in doctrina de sonis usus, 79. Hyle Telesy 671
Hyoscyami genus, tobacco 527
Hypochondriaci 101
Hyssopus quadragenaria 492

I.

Iacobi VI. Angliæ Regis dictum, 195 ejusdem monarchialia jura, ibid.
Jacobus III. Scotiæ Rex, 1003. Henrici VII. ad eum legatio, 1020. eodem cum Henrico morbo laborat, ibid. miserabili fato fungitur, 1035. & seq.
Jacobus IV. Scotiæ Rex, Pirkinum pro vero Duce Eboracensi suscipit, 1081. Northumbriam invadit, 1081. gladio & incendio vastat, 1084. Norhamiæ castellum obsidet, 1091. ejus cum Foxo colloquium, 1101. ejus cum Margaretha Henrici VII. filia nuptiæ 1110. matrimonii conditiones 1111
Janus bifrons 121
Japonenses 516
Jason Thessalus 197
Ibis avis 502. & seqq.
Ictus vegetus sonum edit vegetum, 794. & seq.
Idæa mentis divinæ 281. 322
Idola mentis humanæ, fallaciæ, 139. 281 322. eorum genera quatuor; tribus, specus, fori, theatri, 139. & seq. & 283. & seq. eorum extirpatio 295
Jecur Anserinum Romanis in deliciis, 765. jecoris ratio, 544. herbæ, 544. & seqq.
Jehu responsum ad nuncium 261
Jejunia, 544. Jejunium triduanum, 557. quomodo per quatuor aut quinque dies continuatum 918
Jejunus haustus vitandus 54
Jentaculum 548
Jesuitæ Romanam sedem stabiliunt, 26 eorum industria in informanda juventute, 11. eorum scholæ commendantur 183
Jesabel faciem pigmentis oblivit 113
Ignis, 994. ejus proprium opus, 499. regimen, 531. ubi compressior, est violentior, 762. purus & naturali loco moderatè calet, ibid. quomodo soli paria præstet, 981. quare per gelu sit vehementior, 834. ejus effecta non edit in ligno comburendo aqua fervida, & quare, 890. artificialis ex bitumine cur aqua extingui nequeat, 917. ignis & acr subtiliter ventos cur significent, 926. artificialis

lis ex bitumine, lacte meliùs quàm aqua extinguitur, 983. est rerum principium juxta Heraclitum, 657. ignem passa cur diutiùs durent, 491. ignium in focis præsagium de ventis 476
Ignominia mulctati aliquando felices evadunt 230
Ilex præbet viscum 872
Illationes in fide Christiana quid 260
Illiterati cœcitas & miseria 34
Imaginatio & persuasio quomodo dominetur naturæ, 947. & affectus acres multum valent in corpus imaginantis, 948. & affectio utplurimum conjunguntur, 950. quæ intelligatur autori, 956. quot modis corroboretur, 957. alterius, per quem agimus, quomodo debeat esse affecta, 956. melius operatur in dormientem, quàm vigilem, 957. in quas res maximè valeat, 957. & seq. fortis magis valet in animata, aut quæ fuerunt talia, 958. imaginatione plurium, ut sit fortior, utendum, 956 imaginationem quæ renovent, 958. eam quæ rationes excitent, 957. 958. & seq. imaginationis alienæ vacillatio quomodo præcavenda, 957. qualis virtus esse debeat 958
Imagines visibiles melius memoriam juvant, quàm aliæ, 957. imaginum usus quid efficiat 118. & seq.
Imbibitiones 552
Imbres qui & quando prosint aut noceant 886
Imitatio aliorum non ineptè suscipienda, 228. vocis alienæ unde, 806. vocis in avibus illa non requirit instructionem 807
Imitamenta ventorum 444. 478
Imparitas in congressu fugienda 210
Impedimenta doctrinæ 3
Imperandi ars tria complectitur officia 237
Imperatores insigniter docti & bellicosi, 6. cur verba facturi ad milites, suggestum conscendebant 801
Imperium, 1169. ejus temperatura, ibid. æquilibrium, 1170. ejus fines quomodo proferendi, 237. 1186. & seqq. Spartanorum, 1189. & seq. Hispanorum, 239. 1189. & seq. scientiæ est aliis longè celsius, 35. Imperiorum varietas, 34. & seq. magnitudo quomodo obtinenda, 237. 238. & seq. mensuræ & calculis subjicitur ibid.
Imperfectè mixtum quid 930
Impetus animi cohibendus 226
Impinguatio soli unde 529
Impiorum misericordiæ crudeles, 257
Impostura & credulitas quantum literis noceat 18. 19
Impressiones 101
Imprimentia quænam dicantur, 569. & seq.
Imprudentium mens lapidi impolito similis
Inæqualitas dissolutionis mater, 367. soni an ex inæqualitate medii, 796. soni transitoria auget suavitatem, 896
Incensiva non sedant spiritus 530
Increpatio Paulina 16
Incubo laborantes, 101. eum causantur fungi 864
India, 517. occidentalis inventionis causa, 123. ejus thesauri, 240. Indica terra exoticas apud nos plantas gignit, 868
Indicii & directionis ars desideratur, 125. & seq.
Indigentiæ motus spiritalis 558
Individua sensum percellunt 44
Inductio, 137. ejus forma, 124. 313. 685. per enumerationem simplicium mala est 294
Induratio, 498. cum tenacitate, 777. corporum ex consensu 634
Indusium oleo cur liniendum? 537
Inedia 557
Ineptum græcè non dicitur 147
Infantes quavis mulieres matres vocant 88
Inferiora arborum magis curanda, quàm superiora 845
Informatio prima in quavis causa judicem maximè occupat 215
Infrigidationis moderatio 539
Infusio potius repetenda, quàm ut sit longior, 756. rerum quæ vehementes habent spiritus, secunda præstat priori 758
Infusiones, 569. earum methodus, 757
Ingenia audacula sine judicio se ingerunt, 229. ad ea exercenda modi duo, 183. gravia plus dignitatis quàm felicitatis habent, 232. ingeniorum characteres, 198 diversitas 287
Ingenium irritatum tandem noscitur, 47. pravi & malevoli descriptio, 217. non omnes ingenio judicandi, 226. ingenii libertati favendum 183
Ingratitudo erga benè meritos 217
Initus maris, magnes substantiæ fœminæ actuatæ 565
Injuriæ justitiam polluunt, 218. earum repetitio ibid.
Injustitiæ fons triplex 242
Inoculatio fructus reddit meliores, 848 ei siccior deligitur caulis ibid.
Inquisitio acris vitam abbreviat, 532. de forma calidi, 331. & seq. circa cinamomum, 878. fluxum & refluxum maris, 648. motum, 727. 728. & seq. inquisitionis legitimæ vera norma, 224. prærogativæ quæ, 686. continuatio. Vitæ & mortis ratio generalis, 487. & articuli particulares, 489
Insecta modico non victitant, 895. eorum partes moventur, 559. plurima cur facilè reviviscant, 893. si dissecentur, cur aliquamdiu moventur, ibid. iis est motus voluntarius & imaginatio, ibid. insectum sumit autor pro animali ex putredine genito, 893. & seq.
Insitio, & insitus trunco surculus, 126, surculi vel virgulti in proprium truncum non valet, 505. in tenellam arborem & annosam, 845. ex heterogeneis quid præstet, 848. per tres quatuorve annos continuata quid præstet, ibid. vineæ in vinum quotuplex, 852. insiti surculi prævalent, 843
Insomnia 557
Instantiæ, solitariæ quid, 351. illarum usus, 417. & seq. migrantes, 353. ostensivæ, 354. clandestinæ, 355. constitutivæ, 356. conformes, 358. & seq. sunt nobilissimæ, 360. monodicæ, 361, deviantes, ibid. linitaneæ, 362. Potestatis, 362. Comitatus, 364. subjunctivæ, 366. Fœderis seu unionis, 366. Crucis, 369. divortii, 376. Lampadis, seu informationis primæ, 377. Januæ, 378 citantes, 379. viæ, 384. supplementi, 385. persecantes, 386. practicæ, 387. mathematicæ, ibid. propitiæ, 388. virgæ seu radii, ibid. curriculi, 390. Quanti, 393. Luctæ, 393. innuentes, 407. Polychrestæ, 407. magicæ 416
Institutionibus juvenes ad ardua juris diligentius præparandi 252
Instrumenta non grandissima, sed aptissima opus perficiunt 232
Insula Atlantis, 588. insulam continens frigore superat, 939. insulanorum natura, 516. eos quomodo afficiat siccitas 835
Integumenta animalium 504
Intellectus humanus, 284. & seqq. ejus impedimentum & aberratio unde, 286 perfectio tres requirit administrationes, 683. magis afficitur affirmativis quàm negativis 139
Inteneratio, 496. 565. & seq. per exterius, 552. carnis exhausta, 554. crassiorum 567
Intensio chordæ justa notam producit, 797
Intentiones prolongandæ vitæ tres, 491, & 524
Interitus rerum nullus 563
Interpretatio naturæ quid, 326. 347. ejus impedimentum 743
Interpretis mores, 735. officium ibid.
Interrogatio prudens dimidium scientiæ 133
Intervallum inter dentes & organum auditus 896
Intoxicatio aquæ usurpata Turcis, 971
Invenire quid sit 132
Inventarium opum humanarum 95
Inventio rerum à luce naturæ petenda est, 320. artium desideratur, 122. non est topica, 132. promptuaria, ibid. inventionis logicæ species 122
Inventores rerum & artium 24
Inventum Fracastory 367. 586
Invia virtuti nulla est via 222
Invidia, 333. 1150. hominum, 161. est oculus malus, 957. ejus effecta, 955. qui ad invidendum proclives, 1151. ei obnoxii, 1151. & seq. publicæ & privatæ differentia, 1152. & seq. attributum diaboli 1153
Inunctio, 547. 553. 568. 570. vide unctio prodest sanitati 906
Inundatio agris quid præstet 874
Joannes Dux Saxoniæ 99
Joannes Scotus, scholasticus, sepultus pro mortuo 560
Joannes de temporibus, trecentenarius 535. 536
Joannes Bourchierus, eques auratus, Parisiis obses redimitur 1090
Joannes Camberius cum pompa supplicio affectus 1035
Jobi quæstio, 5. ætas, 507. liber mysteriis naturalis Philosophiæ plenus, 99
Jocularia ars 114
Joviniani Imperatoris mors, 556. unde? 952
Ira, 333. 1231. quomodo temperari possit, 1232. molli responso frangitur, ejus causæ & motiva, 1232. effecta varia 900
Iracundis cum hominibus ne res nostras misceamus 218
Iridum artificiosarum imitatio 128
Iris quid, 928. cur suavem dicatur excitare odorem ibid.
Irrigatio 496

Irroratio

Irroratio corporis per cibos 542
Isaacus Hollandus 740
Isabella Castiliæ Regina. 1003. moritur. 1117. ejus laus ibid.
Isocratis ætas 509. 533
Iter pigrorum quasi sepes spinarum. 217
Judæ & Issacharis benedictio non conveniunt 238
Judaicæ auriculæ planta quid, & vis ejus medica 865
Judex quis optimus. 247. personas non respiciat. 217. in Judice facilitas morum quam corruptela munerum perniciosior, 217. in Judice facilitas morum quam corruptela munerum perniciosior, 217. ejus officium. 1229. & seq.
Judicandi artis appendix desideratur. 141. de judicio sive arte judicandi. 136. 137
Judicia anchoræ legum. 251. Dei homini inscrutabilia. 38. Dei impiorum machinas subvertunt 235. non facilè sunt rescindenda. 256. per personas & causas fictas tentari non debent 255
Judicium iniquum & infame vitandum in causa gravi. 218. Judicii inopia. 232. vacillatio. 256. de judicio per inductionem. 137. per syllogismum 237
Juga montium 517
Juliani edictum adversus Christianos. 26
Julius Cæsar. 5. 1182. 1320. ejus imago civilis. 1320 & seq. amici. 228. educatio & eruditio. 31 analogiæ. ibid. Anticato. ibid. apophthegmata. ib. ab initio orator. 227. arcana nunquam prodidit nisi simili dicto. 222. seditiosos sedat. 32. Regis nomen affectat. ibid. Metello respondent. ib. de Syllæ dictatura judicat. ibid. Alexandriæ in littore dulcem effodit aquam 753
Juniæ C. Cassii uxoris ætas 510
Juniorum institutio literatis committitur 11
Juniperus intendit calorem ignis 872
Jurisdictiones 245
Jus publicum privati custos. 242. ex quibus exemplis hauriendum. 244. ejus enucleandi modus. 251. Juris privati firmamentum. 242. latet sub tutela juris publici ib.
Juscula jecinoris. 545. ex nervis & ossibus contusis 765
Justi manet memoria. 211
Justiniani opus non ætate erudita instauratum 250
Justitia universalis 242
Justus miseretur etiam jumenti 214
Juvenes non idonei Ethices auditores. 202. multò minus politicæ. ibid. juvenum cum senectute seria collatio 561 1208
Juvenescere 568
Juventus. 1208. ejus instauratio. 95. ejusdem & senectutis discrimina. 561. 1208
Ixionis fabula 94

K.

KAlendarium dubitationum & falsitatum desideratur 88
Karanna quid 972

L.

LAbor omnia vincit 123
Labores manuum & linguæ separati 218
Lac recens mulctum. 767. recens immodicè sumptum purgat. 763. muliebre minus confert nutricationi grandiorum. 767. equinum adversus urinæ acrimoniam valet. 767. vaccinum ubi præferendum asinino. ibid. facit ad proceritatem infantis 829. tythymallorum & Sonchi verrucas tollit. 881. Lacte fici literæ scribuntur inconspicuæ. ibid. lactis usus in clarificatione. 754
Lachrymæ unde. 900. vegetabilium, quid? 506. in dolore & gaudio diversas habent causas 900
Lactatus diuturnus obest ingenio 829
Lacus proferunt multas herbas 878
Lætitia 533
Lævor 495
Lambertus Simnellus, Pistoris filius. 1009. fictitius Plantagenista. ibid. in Hiberniam proficiscitur. 1010. ad Castrum Dublinense ducitur, & rex proclamatur. 1011. in Ecclesia Dublinensi coronatur. 1013. capitur in prælio, & ad statum pristinum revertitur 1018
Lampades subterraneæ 834
Lana quomodo humorem colligat 774. Ovina cur colligat humorem. ibid. Salamandri species, quid præstet, 915. Lanea linteis præferuntur. 538
Lapis Lydius. 697. angulari innitendum. 236. Theologiæ & Philosophiæ lapis angularis quis? ibid. calculos pellens. 778. ardens non consumitur. 915. circa Bethleemum lac auget 916. apud Ægyptios creditus mulieres in partu laborantes juvare. 913
Lapides. 491. & seq. molles qui indurescunt. 934. ad radicem arboris congesti quid præstent. 844. pretiosi miras habere putatur facultates 958
Laricis mulcus qualis 882
Lassitudo. 532. 541 cur balneo curetur. 904
Lateus processus quid 329. 685
Lateres 491
Latinus Rex, octingentenarius, cum filio sexcentenario 513
Lavatio in frigida. 536. calida. 537. 541
Laudari nemo debet coram 195
Laudes variorum variæ. 159. moderatè prosunt; importunæ nocent 220
Laurus quomodo plantanda 846
Lectionibus in publicis quid desideretur 40
Lector Historiæ naturalis quid facere debeat 861
Leges sint certæ. 243. plurimum differunt. 242. pœnales, multò minus capitales sunt extendendæ. 243. Reipublicæ anchoræ. 251. in Anglia salubres latæ. 1033. & seq. in iis a gangræna cavendum. 248. antiquæ fabulæ non intermiscendæ. 255. multi casus omissi. 243. *Legibus nemo sapientior*, quatenus accipiendum. 248. de legibus obsoletis. ibid. de legibus scripserunt Philosophi & Jurisconsulti. 241. sed melius cives. ibid.
Legum dignitas. 243. extensio. ibid. moralium magna pars sublimior est, quam quo lumen naturæ possit ascendere. 259. expurgatio, sive digestum novum. 249. finis & scopus, 242. incertitudo duplex. 243. obscuritas. 250. prologi vitandi. ibid. regeneratio & instauratio quomodo sit instituenda. 249. de legum retrospectione. 247. obscuritate. ibid. accumulatione nimia. 248. novis digestis. 249. descriptione obscura 250
Lemnos Insula cur Vulcano consecrata 897
Lentiginosi magis vivaces 518
Leonum ætas 499
Lepidus nunquam servilis sententiæ author 220
Leporum ætas 500. 501
Lepræ cura balneo sanguinis 553
Lepus marinus antipathiam cur habeat cum pulmonibus 961
Leucadienses hominem in mare præcipitabant avibus alligatum 943
Leucippus. 295. ejus schola. 287. Atomi. 290. vacuum 405. 615
Leucojum incanum & thryallis usui in tertiana aut quartana 866
Leucophlegmatiæ diæta 497
Leves gustus in philosophia quid moveant 5
Lex perplexa. 250. Regulæ Lesbiæ. ibid.
Liber de officio regis, auctore Jacobo Angliæ rege 194
Liberis aucti præcipuè sunt solliciti de futuris temporibus 37
Libertas sermonis 226
Libidinis effecta & eorum causæ 902
Libri auxiliares. 252. & seq. ad naturalem philosophiam & medicinam parum adjumenti adferunt. 40. duo, scripturæ & creaturæ. 26. nimiò plures fabulosi. 45. quibus & quomodo nuncupandi. 45. veterum scriptorum quare parum prosunt. 202. Libros, spectantes ad munus vel artem auctorum, unum duntaxat vitium occupat 194
Libum stomacho applicandum quale. 768
Ligatio virilis membri vim habet ex imaginatione ligantis 918
Ligna. 492. splendentia noctu. 827. & seq.
Ligni sancti, id est Guajaci, diæta, puriori exploratio 855
Lignorum ad infusiones usus 540
Limites ventorum 442
Lincolniæ Comes 1010. 1013. & seq. spe sua frustratur. 1017. cum Henrico VII. Rege Angliæ confligit, & occumbit 1017. & seq.
Lincosti; herba qualis 882
Lineæ spirituum 564
Lingua cur facilè exhibeat morbi signa. 891. ejus motus sunt plures quàm literæ 814
Linguæ antiquæ & modernæ differunt. 147. sunt vehicula scientiæ 26. earum confusio post diluvium. 25. variarum proprietates. 147. de linguis quis, tractatus scribendus 146
Lintea inuncta oleo dulcium amygdalarum. 768. suspecta pro laneis 538.
Lintei putrefactio 498
Liquefactio quid. 931. est colliquatio spirituum. 563. quæ corpora maximè liquefiant aut non. 931. Liquida efficiunt in motu circulos. 755. Liquidum tangibile. 335. Liquorum acrimonia 538
Lis & amicitia sunt rerum principia juxta empedoclem 669
Literata vita quid possit ad longævitatem 520

Literæ

Literæ quædam quo sono formentur. 800
Literæ quid efficiant, 7.8. humaniores religioni duo officia persolvunt. 26. magis locupletant quàm regna. 35. non sunt amicæ desidiæ. 8. nec reverentiam legum convellunt. 9. sed animos molliunt & sequaces reddunt. ibid. quibus operibus amplificentur. 38. jam tertiò ad mortales rediisse videntur 257
Literarum dignitatis imminutio, unde. 9. 10. monumenta diutius durant, quàm quæ manufacta sunt 36. periodus tertia (quæ nostro hoc sæculo est) Græcos & Romanos longo intervallo superat. 257 summa voluptas 35
Literata Experientia 126
Literati ad potentes se debent applicare. 13. & tempori servire. 14. frequenter inopes. 10. non observant decorum. 13. occupationibus delectantur. 8. quare non facile se accommodent. 12. eorum fortuna. 10. mores 10
Literis & bello clari populi 5
Lithanthraces incensi quare mortem afferant? 556
Litoritius Epius trecentenarius 513
Littora quomodo ventos præmonstrent 476
Livia qualis. 231. ejus ætas. 510
Livius de urbe Roma 10
Lixivium 538
Loca excelsa & depressa. 317. humilia aut fenestris plena non accommoda recipiendo suffitui 954
Loci communes desiderantur. 168. eorum usus 142
Locus fornicatus non tam commodè audiri sonos patitur 799
Logica 280. naturalis 323. per inductionem. 323. Logica & Ethica. 121 & Rhetorica, non à pueris, sed à provectioribus tractanda. 41. quare minus grata. 122. ejus artes quatuor. 122. Nugæ 116
Londinensis civitas turbatur. 1098. in ea grassatur pestis 1105
Longævitas hæreditaria. 815. ejus maximum obstaculum. 570. plantarum quomodo curanda arte. 870. ex antris & speluncis. 535. ex uteri gestatione. 504. Vide Diuturnitas.
Longitudo corporis, quod sonus transit, promovet sonum 789. Ventorũ. 465
Loquaces senescunt 534
Loquendum cum vulgo, &c. 141
Lovellus Angliæ Baro Regi Angliæ Henrico VII. insurgit. 1007. in Lancastriæ comitatum fugit. 1007. dein in Flandriam ib.
Lucciola musca 899
Lucæ Evangelistæ ætas 512
Lucejæ ætas 510
Lucianus philosophum parasitum describit. 13. Jovem impetit 20
Lucidorum, sive lucentium quorundam (absque igni) exempla 120
Lucis forma non inquisita. 119. Origines inquirendæ. 120. Inquisitio topica 746. gradus. 746. Reflexiones. ibid. multiplicatio. ib. effectus. 747. Mora. ibid. viæ & processus. ibid. cognationes & hostilitates. 748. ejus & soni cognatio. ibid. Sympathiæ & dissidia.
Lucius Commodus eruditus 29
Lucius piscis 503
Lucretii dictum, quo literarum voluptatem depingit 35. & seq.
Lucri & victus causa pleriq; scientiam appetunt 22
Lullii ars imposturæ 156
Lumen pernox in Aula Regis Angliæ. 834
Luna post Solem plurimum potest. 459. quinta suspecta est nautis. 474. rectà semper minaxe infesta est. 474. rubicundior in ortu quarto, prædicit ventos. 455. ejus præsagia de ventis, pluviis & imbribus. 472. ea crescente quæ plantantur, &c. citius crescere. 944. ejus influentiæ quæ præcipuæ? 944. ejus substantia qualis. 373. Planetarum infima. 662
Lupus multitudinem non curat. 238. ejus pellis creditur pecorum sedare dolorem colicum & quare 960
Luscioſus cur melius videat ex propinquo & luce tenui, quam non luscioſus 940
Lutheri temporibus orationis Luxuries invaluit. 15. item odium & contemptus contra scholasticos.
Lutum sapientiæ 407
Lux intensa & vibrans. 746. prima creatarum formarum. 24 mirè afficit spiritus humanos 958
Lychnorum gradus 496
Lyra hybernica cur ita sonora 791
Lysandri dictum perniciosum 235

M.

MAcerationes 552
Machiavelli verba. 10. laudatur. 196. rejicitur 191
Machinam seu fabricam fabricare aliud, aliud fabricatam erigere.
Macies 519
Macula ex adipe quì tollatur 777
Madefactio requirit inbibitionem. 930
Magia quid. 94. cæremonialis. 117. cœlestis. 86. Naturalis desideratur. 94. unde. 923. quid, 383. naturalis multum habet phantasiæ. 19 superstitiosa. 304. Perlarum 75
Magi tres, reges. 94. Magorum opera. 304. 577
Magnanimitas in moribus non destruenda 193
Magnes lapes metallicus. 697. ferrum attrahit. 128. ejus & ferri consensus. 415. ejus tactus. 373. Tenella ibid. de eo plura. 130. eum exactè descripsit Gilbertus 64
Magnes actionum naturalium 564
Mahometis miraculum 1157
Maix Indicum. 766
Mala boni caussa 526
Mala querna sive vermes habeant, pestis signum 867
Mali navium ex quo ligno parentur. 885
Malorum persicorum cortices quid præstent 764
Malacia in mari 449
Malacissatio. 112. corporis. 552. balneo. 553. Malacissationum via, brevis. 569. ordo 569
Malacum in solidum 570
Malorum per bona compensatio 236
Malus princeps, proræ, puppis, rostri. 467
Maniaci 113
Manichæorum diæta 542
Manna quid sit, & optima in Calabria, 916
Manus. 519. inunicta albumine ovi flammam fert. 867. prætensa oculis ex adverso solis aut candelæ juvat, & quare. 490. Deorum, Arabibus quid? 526
Marasmorum cura 506
Marcus philosophus. 28. patiens erga mores uxoris 29
Marcus Cicero 738
Mare an regulariter feratur ab Oriente in Occidentem. 643. spirante austro fit cæruleum, Borea atrius. 451. quando ventum præmonstret. 476 mortuum quale. 914. Indicum. 642. & seq. Atlanticum. ibid. & 645. Scythicum. ibid. Britannicum. ibid. Australe. ib. Erythræum. 646. mediterraneum. 646. Adriaticum. ibid. Balthicum. ibid. Tyrrhenum. 646. in mari inveniuntur quædam loca, quæ nullis flatibus tumescunt. 454. 467. in Europæ maribus cœlo sudo percipitur aura quædam lenis ab Oriente 445
Mares cur magis in Venerem proni hyberno tempore 893
Margaretha Edvvardi IV. soror. 1014. ejus in familiam Lancastriæ odium. ibid. ejus palatius proditorum asylum. 135. Ducis Eboraci Richardi umbram revocat. 19. 9. Perkinum fictitium Eboraci Ducem instruit. 1060
Marini venti sunt terrestribus humidiores. 449. & vehementiores. ibid. & 462. sunt vel tepidi, vel gelidi. 449
Maris dominium. 1192. est monarchiæ epitome. 240. de eo quid senserit Pompejus & Themistocles. ibid.
Maris superficies herbas profert. 867. ejus arena quare plantas raras gignat 868
Maris & fœminæ instar in omnibus animantibus 876
Margaritæ porcis non projiciendæ. 211. earum affinitas cum aliis. 521. usus in cordialibus. 547. usus qui improbatus 539. & seq.
Martii venti longè magis desiccant quàm æstivi 452
Martius declarat effecta elapsæ brumæ & æstatis secuturæ 914
Martyrum miracula multis fabulis scatent 18
Masinissæ Numidarum Regis ætas. 509 510
Masticatio odora 528
Materia informis. 62. & seq. vivificanda qualis esse debeat, & cur. 946. affectiones variæ, & earum causæ. 933 Ventorum 480
Materia prima secundum antiquos quid. 654. informis. ibid. assimilatur cupidini. ibid. Phantastica. 658. & seq. creatur ex nihilo 670
Maternus sanguis quantum ad longævitatem 518
Mathematica aut pura, aut mixta. 96. 97. ejus maxima utilitas. 97. est Physicæ ancilla 96
Maturatio potûs qui fiat 820
Matutinum brodium pro cerebro. 547. haustus 544
Muritani aquam marinam reddunt dulcem 753
Maximilianus Rex Romanorum 1003. 1021.

1021. 1026. Regis Angliæ Henrici VII. confœderatus. 1027. subditorum suorum in Flandria rebellio. 1040. 1041. nuptias cum Britanna accelerat. 1042. eas per legatum consummat. ibid.
Mecænatis insomnia. 557
Mechanica. 46. artes temporis progressus supplevit. 19. historiæ usus. 47. qualis desideretur. 47. & seq.
Mechanicus. 311. 579
Medeæ consilium in restituendo Pelia. 552
Medendi ratio nimis compendiosa.
Media alibi flammas dat sine fumo. 831
Mediani venti qui. 444. majores. ibid. minores. ibid. prioris semicardinis disponuntur ad serenitatem, posterioris ad tempestates. 452
Medicamenta soporifera. 94. sedes moventa. 765. urinam moventia. ib. multa, paucæ curæ.
Medicamenti & alimenti mutatio prodest. 772
Medici imperium. 198. officium. 108. calida sorbentis dictum. 543. ab eventu honorem reportat. 103
Medici vulgares negligentes. 780. Aristotelici vapulant. 561. ægrotos necedunt magis quam sanos 160. magis alieno studio quam arti propriæ intenti. 104. naturæ obviam eunt. 105. morbos complures malè insanabiles decernunt. 108. similes Episcopis. 109. Medicorum turba. 487. eorũ negligentia perstringitur. 106. & seq.
Medicina authentica & positiva desideratur. 109. ejus partes tres. 105. ejus Deus Æsculapius, quare? 102. multos impostores habet. 104. Medicinale filum desideratur. 110. & narrationes desiderantur. 106
Medicinæ, hujus libri quales? 524. ad longævitatem. 521. culpabiles, quæ? 523. sanitatis, interdum de summa vitæ detrahunt. 524. Medicinarum chymicarum laudes quales? 487
Mediterraneorum natura. 516
Medulla meliùs nutrit quàm pinguedo. 765. ejus in arbore perforatio tollit sterilitatem. 845
Medusa. 68. à Perseo obtruncatur. ibid.
Mel. 492. 536. quidpiam acutum habet. 542. cum balsamo cadavera conservat. 128. & seq. in quibus arboribus inveniatur. 856
Melancholici in congressu faciunt alios tales. 955. humores nonnunquam opiati; ideo ad longævitatem. 527
Melicratum in Wallia quale. 934
Melligo quid 887
Melioratio ubi tentatur, recurrendum ad rerum principia. 936
Membra dextri lateris cur validiora. 941. membrorum corporis lis cum ventriculo. 39
Membranarum contractio. 498. inteneratio. 497
Memoria ex quibus animantibus juvetur. 960. ejus adminiculum. 142. artificialis. 143. localis. 128. in memoria confirmanda sequi inquisitũ. 143
Mendacium eruit veritatem. 225
Menius Agrippa seditionem fabula sedavit. 60
Mens humana instar speculi incantati. 139
Mensa varia. 549
Mercatores vendentes carnem humanam. 758
Mercurialia quam purgantium vim habeant. 764. & seq.
Mercurii spiritus petit cranium, & quomodo id prohibeatur. 951
Mercurius idem præstat cum pulvere pyrio 761
Mercurius vivus optime adhibetur corporibus conservandis. 920
Mercurius in bivio. 42
Mente capti anno 515
Merula. 502
Metallorum duratio. 491. malitia 540. igne fortiore minuuntur. 494. depurationes errores habent. 127. non satis expurgantur. 934
Metaphysica describitur. 79. 80. à physica distinguitur. 80. est inquisitio causarum formalium & finalium. 103. producit magiam. 93. ejus pars quæ desideratur. 99
Metaschematismus. 286
Metellus centenarius. 514
Metempsychosis ethnicorum, unde? 557
Methodi genera varia, à pagina 152. usque ad 155. partes duæ. 155. variæ. ib. & seq. per methodum traditio. 152
Methodus impostura 156. scientiarum architectura. 155. sermonis. 151
Metus. 532. extremus mortem affert. 556. quomodo solvat alvum. 765
Mezentius Deorum contemptor. 222. ejus tormentum. 248. 487
Militaris vita. 521, ars nascente republica floret. 114. ars literataque proximè se consequuntur. 6
Milvi. 501. 503. in sublimi volantes serenitatem significant. 477
Mimæ cujusdam ætas. 510
Mineralia unde. 775
Minutalia optimè nutrientia. 767
Mirabilarii & prodigiastri. 46
Miracula edita sunt non ad convertendos atheos, sed superstitiosos Idololatras. 77
Miramur vel nova, vel magna. 33
Misanthropi. 1159
Misericordia 533. præcepta sub lege veteri. 214. erga impios crudelis. ibid. à natura homini indita. 213
Misithæus Gordiani minoris pædagogus. 7
Missilia lignea, lemures dicta, olim cur magis penetrabant lignum quam glans plumbea. 897. & seq.
Mithridatum quare non acre? 531. opiatum. 528. ejus usus. ib.
Mitia animalia quare non longæva? 505
Moderationis nonnulli dant pœnas. 229
Modus nunquam tentatus rei nunquam factæ. 524. exercendi ingenia. 183. legitimus tradendi sciẽtias. 732. experiendi. 294. & seq. inveniendi. 301. operandi per moram. 413. Modus processus aquæ circa expansionem & contractionem. 744. modus processus olei. 706. & seq. processus spiritus vini. 707
Molendinorum ad ventum motus. 471 vela. 468
Mollescunt corpora ex defossione, quomodo. 835
Mollities unde. 933. Mollium species duæ. 933
Momus. 223. Momi tetrici. 159
Monachi operculum in sublime jactum. 128. sancti longævi fuerunt. 787. 541.
Monastica vita non verè contemplativa. 189
Monoculo durius perdere unum oculum, quam qui utrumque habet. 163
Monodica multa in natura. 140
Monoceroris cornu cordiale. 522
Montes & Rupes cavernosi sunt. 454. glaciales quid gignant. 461. pileati conspecti præmonstrant tempestates imminentes. 476. cur magis quàm valles aut plana tempestates significent 926. Montium ratio ad vitam quæ? 517. 536
in Moralibus quæ regnent. 200
Morbi, res etiam hæreditaria. 518. artificiales. 522. desperatorum remedium. 553. emaciantes quomodo vitã prolongent. 497. 522. Chronici cur sæpè excessu curentur. 770. qui maximè periculosi. 771. chronici curati per allium. &c. 779. contagiosi quomodo nocent. 816. viscerum ministrantium non curati in principalia Gallici diæta. 497. 554
Morbo Regio quid medeatur. 966. morbo correpti qui dolorem non sentiunt, mente ægrotant. 197
Morborum curatio quomodo instituenda 105. 106. in ea tria observanda. 198
Morbus Epidemicus grassatur in Anglia 1002. ejus descriptio. ibid.
Moribus innumeris, qui sapit, aptus erit. 221
Moriendi necessitas omnib. imposita. 4
Mors 1141. & seq. lenis & placida. 108. quomodo viventibus supervenit. 769. unde formidanda. 882
Mortis naturalis viæ. 487. atriola. 555. 558. 571. genera. 6. 487. 496. & seqq. 555. 558. præcursores. 558. consequentia. 559. causa. 839. lenis & placidæ exempla. 108. morte non plectendus nisi qui novit prius se in vitam suam peccasse. 246
Mortificationis remedia ad vivificationem. 548
Mortonus Elisiensis Episcopus. 1006. moritur. 1106
Mortuorum reviviscentiũ historiæ 506
Morum serenitati quomodo consulendum. 193. Collatio. 561
Morus Angliæ Cancellarius. 100
Moscoviæ messis quare in nostram incidat, cùm frumentum ultimò demum ferè excrescat. 869
Moses primus legislator. 24
Mos Romanorum alloquendi exercitum. 32
Motus simplex & cõpositus. 86. & seq. terræ diurnus falsus. 81. voluntarius. 118. varii. 86. & seqq. corporis. 548. animatorum & inanimatorum contrarius. 552. nimii. 532. modici. ibid. animalium. 504. & somni comparatio. 557. assimilationis debet esse absque locali motu. 551. inordinatus magis deprædatur quàm constans & æqualis. 567. Motus cordis tempus. 556. Spiritus vivi indigentiæ. 558. ejus explicatio in ventriculis cerebri & nervis. ib. motus expressura rumpit qua corpus imbecillius est. 755. compressionis in corporibus solidis non ita ad visum patet. ib. cõpressionis in liquoribus. ib. Libertatis quis. ibid. gravitatis in magna & parva

distantia à terra quare tardus. 762. ex consensu frequens in corpore. 763. corporales & mechanici magni absq; sono.785. totationis.371.372. diurnus ibid.missilium.374.392.722 & seq.Motus pilæ sclopeti. 383. 391. generationis & corruptionis. 717. augmentationis & corruptionis, ib. alterationis, ibid. lationis. ibid. violentus. 722.& seq.
Motus cœlestium alii cosmici, alii ad invicem. 634. quatuor sunt genera motuum visibilium in cœlestibus. 636.& 638.
Motus maris sunt quinque.639.Motus currentium. ibid. sexhorarius. 639. 643. Menstruus. ibid. Semimenstruus.ibid.Semestris. ib.
Motus excitatio & directio inventis inquirenda.463.motus Antitypiæ.394 & seq. Nexus ibid. libertatis. ibid. Mechanicus.395. motus Hyles.395. continuationis, 396. motus ad lucrum, seu indigentiæ.396. congregationis majoris.397.congregationis minoris. ibid. ejus diversitas à motu indigentiæ, & ligatur tribus modis.ibid.Motus magneticus.399. Motus fugæ. ibid. assimilationis. 400. excitationis.401.impressionis. 402.configurationis seu situs. 403. pertransitionis.ibid. Motus regius. ibid. Rationis spontaneus. 404. trepidationis. 404. decubitus sive exhorrentiæ. 405
Motus ventorum diversi. 443.463 in machinis humanis. 471. in navibus fons primus. 470. fons secundus. ibid fons tertius. 471. in hoc motu spectatur cum impulsio, tum directio. 469. in velis navium. 467. & seq. habet impulsionis suæ tria præcipue capita. 470. quo magis accedit ad rostrum navis, eo fortior est. 468.
Muli ætas. 500
Multa fercula multi morbi. 547.549
Multitudinis cum fortitudine impar congressus. 238
Mummiæ Ægyptiorum admirandæ. 913. quæ virtus & unde. 961
Munditia corporis. 113
Mundus imago Dei, homo mundi habitus Ethnicis.77.eremus 111.Mundi omnia sunt vanitas.235. Mundum esse animal Pythagorica & Platonica opinio est. 947
Muræna. 503
Muriæ piscium. 549
Murmur in aquis venti indicium. 926. in montibus, cœlique prodigiosum ad ventos spectat. 477
Musæ cupiditatum comites & pedissequæ.73. earum sedes. 38
Musca Indica.120. in electro.562.mortua 212. Muscæ per hyemem dormiunt. 532. mortuæ quomodo animentur. 907. canthiarides quales. 903.scissarum portiones cur diutius moveantur. 564
Muscus in arbore quomodo extinguatur.846.quid sit.& ubi gignatur.863 & seq. ejus depurgandi utilitas in arboribus. 493. cranio humani cadaveris adnatus quid præstet. 961
Musica. 114. duplex. 67. cur in aquis magis sonora. 791. figuras habet rethoricis & aliis sensibus similes. 784. ejus inventores. 24. in affectus efficacia. 784
Musicus auribus diversis se accommodat. 158
Mustum quomodo percoquatur celeriter. 889
Mutatio coloris in pilis & plumis.778. corporum qui possit prohiberi. 781. pilorum ab ætate quam habeat causam.935. Mutatio fit absque interitu 718
Mutianus vir sui temporis prudentissimus.228. imposuit Antonio Primo, 225
Myrobalanus quid. 882. Myrobalanorum qualitas. 764
Mysterium flammeæ & aereæ naturæ. 564. Mysteriorum explicatio. 260. 228
Myvæ quid. 544

N.

NAni admirandæ figuræ. 759
Narcotica, opiata. 527. narcotica.556. narcotica radix betel. 527
Nardi species in creta. 878
Nares. 519
Nasi & aures frigore mortificatæ & igni admotæ cur putrescant. 918
Nasonum cura. 554
Natatio? 541
Nationes linguis discrepantes, gestibus exercent commercia. 145
Natura.279.1202.parendo vincitur.ib. quinam se naturæ immisceant. ibid. an abhorreat vacuum. 674. affectibus turbatur sicut mare ventis. 199. artis speculum.128. natura cujusque rei minimis in portionibus maximè cernitur.47. divinæ potentiæ & sapientiæ alterum præconium. 66. odit imperium, persuasionem admittit. 201. eam citius fallas, quàm premas.65. nihil facit frustra. 233. ejus magnalia extra vias tritas jacent.131. ad Naturam nobiliorem inferiores aspirant. 192
Naturæ subtilitas 280. Anticipationes. 282. Interpretatio.283.de interpretatione naturæ indicia varia. 676. & seq. Naturæ & corporis contemplatio.287.ejus promus & condus.413. status triplex. 420. clavis duplex. 932.
Naturæ coessentiales quatuor.660. iis opposita. ibid.
Naturalis, actio, motus, & progressio, est venatio. 65. ex naturalium intuitu fides & ejus mysteria non inquirenda 77
Navales victoriæ finem belli faciunt 240
Naves minores præstant celeritate majoribus. 468. earum progressus quantus esse soleat.469. in navibus Britannicis majoribus quatuor sunt mali, aliquando quinque. 469
Navis inventum. 36
Navigationes hoc tempore per universum orbem. 57
Nautica acus. 128
Neapolitana expeditio 69
Nebucadnezaris monarchia. 239
Nebulæ quid circa ventos portendant 476
Negotiandi prudetia.208. desideratur ibid.à Romanis exercita.ibid. de negotiis doctrina.ibid.ejus partitio.ib. nunquam ab aliquo tractata ibid.
Negotiorum diversus finis. 8. expeditio 1179
Nerva vir doctus 28
Nili cataractus qui accolunt surdi. 812. ejus aqua quomodo clarificetur ab Ægyptiis. 914. aqua cur minus cruda. 894. aquæ medicæ. 912
Nitrum.528.vegetabile spirituosum, & tamen frigidum.ibid.usus.529.spiritus terræ. 529
Nitrum & glacies maximè refrigerant. 131.est causa vehementiæ in pulvere pyrio.761. lacti inditū vivaces & pusillos reddit catulos.829. Nitrum & creta aquis admixta lac pecudibus augent. 916
Nitri subordinata.529.& seq.usus.ibid. ejus cum aromatibus & opio collatio.ibid.colligendi ratio.ibid.ad potum usus. 541
Nitrosa aqua mundat.35.incinerat. 831
Nivales venti veniunt à Septentrione. 452. aquæ insalubres. 838
Nives interdū integræ dejiciuntur per ventos à montibus, ut subjacentem planitiem sepeliant.453. Nivium solutio circa mare glaciale excitat aquilones in Italia 465
Nix gignit herbas & vermes. 867.terram diu tegens cur fœcunditatem indicet.886.qui sit. ibi.generat vermem & qualem.894.cur aquâ frigidior. 773. salem mutat in glaciem. 776. ei aër inest. 546
Nobilitas. 1159
Nobiles in Barbaria longævi ex umbræ usu.528. ne multiplicentur.239. eorum famuli.ibid. mancipia & operarii sunt plebs. ibid. multitudo in regno comparatur sylvæ. ibid.
Nocte soni cur suaviores. 806
Noctes clarecur sint nubilis frigidiores 939.inEuropa sunt æstuosiores.459.
Noctuæ.384.noctu cernunt.120. quandoque tempestates præmonstrant. 477. earum cum hominibus comparatio. 497
Nodi in plantis quid præstent. 871
Nosce te ipsum. 227.228
Notæ rerum duplices. 145
Notiones. 280. generales quid incommodi ferant. 139.verborū animæ 125 verba notionum tasseræ.ibid. falsæ. 283. ex naturæ lumine habemus notiones nonnullas. 259
Notitia aliorum.226.& seq.sui.ib.religionis reges ab errore refrænat. 28
Novilunia dispositionum aëris significativa sunt. 474
Novitas naturæ humanæ grata.216.ciborum cur gratior. 817. ejus amor. 191
Novorum nullus debet esse usus ante appetitum vividum. 534
Nubes altiores aliquando cernuntur supervolare humiliores. 466. plerumque sublimiores feruntur ab oriente in occidentem, etiam vento diverso. 448. Nubium de ventis præsagium. 475
Nubecula in vitro aut lamina ensis ex anhelitu. 777
Nuclei in cibos. 542
Nuditas cutis. 536
Numæ Romanorum Regis ætas. 508. ejus cadaver repertum. 914
Numerus successionum nihil ad diuturnitatem brevitatemve vitæ. 516. 517
Nuptiæ. 1149
Nutrices. 518
Nutrimenti gradus 506.via & transitus ibid.

Nutritio

Nutritio. *Vide* Alimentatio. Nutritionis via longa. 568.569
Nympharum fabulæ. 515

O.

OBesitas.519.ejus causa. 561
Obærationis gradus.163. obæratis & indigentibus præfecturæ non committendæ. 217
Objectum visus celerius movetur quàm auditus. 802. objecta visus in medio non confunduntur. 804. cur recreent spiritus. 940
Oblationes spontaneæ quotidiana sacrificia. 1
Obscœna videntibus quomodo displiceant. 812
Obscurum locum intrans ex magna luce & contra, cur caliget. 940
Obstinatarum partium, ac mollium inteneratio. 565.& seq.
Occasiones aliquando provocandæ magis quàm exspectandæ.235. idem fatetur Demosthenes, ibid. redeunt in orbem.59. cum machinis conjungendæ. 233
Occhus arbor in Hyrcania mel destillat. 877
Occludentia quænam dicantur. 569
Occultatio defectuum necessaria. 229
Ocrearum inteneratio. 497
Oculi.519.ex dolore cur rubescant.940 quorundam animalium in tenebris lucent. 120
Oculus elisus restitutus. 839. velocior auditu. 787. videndo non satiatur. 3.
Odoratus quid. 785. canum habet aliquid peculiare.
Odor quomodo diffundatur.928. sentitur in mari ad 20.milliaria.ibid.pestis qualis dicatur.950. quis maximè noceat.951. nitri & aquæ ex papavere sylvestri quomodo parandus ut refrigeret spiritusque condensetur.953. teter vomitum ciet. 770
Odores ratione cordis. 545. sunt infusiones in aerem.757. & quæ circa illas observanda. ibid. ubi magis fragrent. 836. nimium suaves pestis tempore maligni.950. Odorum virtus.893. quoddam errhinum, & masticatio.546.conservatio lino lanave 538
Offæ in vino. 523
Offensio & voluptas ex sonis quot habeat gradus. 896
Officia mutua.196.vitę, ipsa vita petiora. 523. hominis in communi. 494. specialia & respectiva. 194
de Officio Regis liber, Jacobo Angliæ Rege autore. 195
Oleum.491. 492. 536. 537. 538. 544. fomes spiritus.536. amygdalarum dulcium.767. aquæ cur innatet.939. est aqua digesta.830. vitrioli aquam putrescere non sinit.826. ôlea chymica proscribuntur. 523
Oleosa, durabilia. 565. & pinguia. 567. ne sollicitentur.567. & seq. & dulcia minus putrescunt. 827
Oleositas cum duritie confertur. 541
Olympus mons. 333.462
Omnia non fiunt ex omnibus. 715
Opera quæque maxima quomodo superentur.38. Consilii qualia debeant esse.555. Naturæ sæpè imputantur fascino.948. terræ quid.663. Solis.ib. eorum inventa quomodo venerint in hominum notitiam. 93
Operatio electrica.397. magnetis qualis. 949. super spiritus duplex. 568. 569. Operationes ex imaginatione fiunt in distans.557. sympathiæ quomodo exerceantur. 950. Operationum ex imaginatione variæ species. 949.& seq. spiritus & vaporis collatio. 535
Opiata. 526. narcotica, stupefactiva. 527. quænam? ibid. per fumos. ibid. quandam ebrietatis speciem inducunt. 902. quasi opiata seu secundaria, & subordinata. 528. etiam ad sedandam ; & quà correctione. 531. opiatum aliquid in vino.546. opiatum aliquod insigne quid præstet. 129
Opium.526. 556. quibus corrigendum. 526.corrigitur spiritu vini.757. Turcis quomodo usurpetur.526. quid? 527.ejus virtus.773. est frigidum per accidens. 528. ejus cum nitro collatio. 529.& seq.
Opinantium circa rerum principia sectæ quatuor. 655
Opportunitas creanda.207.elapsa. 232
Optativa cum proximis circa ventos. 480.& seqq.
Optimi fructus sunt infimi in arbore. 881
Orationes. 58. Oratio intercisa melior quàm continuata.214.versatur in rebus honestis ornandis.157. ejus finis melior quàm principium. 212
Orator Aaron, 156. diligens præmeditatum habet quicquid in disceptationem venit.132. 133. oratoris & sophistæ differentia. 138
Orbilii Grammatici ætas. 509
Orbis nostra ætate mirum in modum fenestratus. 56.57.
Orcades.516.517.incolæ. 541
Orcæ, balænæ. 503
Ordo rerum & temporis quid præstet. 132.& seq.
Oidinum & graduum confusio nocet rebus civilibus. 56
Ordines Angelorum. 23.& seq.
Orientales venti fructibus noxii. 885
Organum musicum radiis solis percussum symphoniam edit. 709. Organum spiritus, fabrica partium, & ille organum animæ rationalis.571. sermonis desideratur.145. Organorum destructio, mors. 571
Organizatio. 563
Origines locales ventorum. 441. eas nosse arduum.453.suntque tres.ibid. sub Orionis exortum plerumque venti surgunt. 459.474.
Oraithii venti qui. 447
Orphei theatrum. 27
Orpinagra. 760
Ortelii chirographia. 155
Osorius Lusitanus. 15
Oryza Turcis frequenter usurpata.766
Oscitatio cur auditum impediat. 813. quomodo transeat. 816
Oscitandi aures cum periculo cur pungantur. 889
Os continuum quibusdam pro dentibus. 908. in corde cervi repertum. ibid.
Ossa. 491. quando crescere desinunt. 908. eorum contusiones non facilè curantur cœlo frigido. 882
Ossicula in fructibus unde. 936
Ostentatio decens existimationem hominis valde auget.228.Ostentatione opus. 228
Ostrea Colchestriana quomodo pinguescant. 897
Otium.541. senibus captandum,534. & quale? 535
Ova ex alabastro in febribus.779.elixa & assata non discernuntur.891. struthionis quomodo excludantur.937. usus in clarificatione. 754
Oves & pecudes aversantur Souchum. 881.
Ovidius, Poëtæ pater. 515
Ovis quare animal frigidum. 910. Ovium ætas. 500
Ovum aquæ quando innatat. 918. lapidis duritiæ.776. vitellum quid præstet pullo. 778.& seq.
Oxycantha cur nunquam dulcescat. 882
Oxymellis acrimonia qualis. 765

P.

PAbuli differentia quà longævitatem. 504
Pace emolliuntur animi. 240
Pædagogi ludibria 11. Pædagogica quomodo instituenda. 183
Paguinum, Chinæ urbs antiquissima. 977
Pali hiantes. 408
Pallor.518.in ira unde. 900
Palmites vitium à parte austri erumpunt. 451
Paludum tractus. 517
Palumbes. 502.& seq.
Pan, Arcadum numen, fabulis, & vanitatis potissimùm patrocinans. 508. ejus fabula.61.15.16 & seq.generatio 61. effigies.ibid. potestates & munera.ibid.res gestæ. ibid. amores. ibid. filia.ibid.venatio. 126
Pandoræ Indiani longævi. 519
Panicus terror. 66
Panis.541.550. ciborum firmamentum. 542
Pantomimi histriones exprimunt. 807
Papæ annosissimi quinque, & quinam? 513
Papaveris sylvestris usus.527. succus, opium. ibid.
Papiliones per hyemem dormiunt. 532
Papyrus. 491. oleata. 492. ejus confectio.126. contractio. 498. putrefactio. 499
Parabolæ Hebræis frequentes. 221. earum utilitas. 90. scribendi modus. 220
Paracelsus quis.739.740.perstringitur. 117. refutatur.262. ejus schola Euro locum non reperit. 449. delirium. 401.de rore solis opinio. 412
Parasiti barbati. 31
Parentum ratio ad vitæ diuturnitatem. 517.erga liberos affectus. 1148
Paridis judicium. 37
Parietes qui maximè salubres. 954. recenter dealbati quare mortem afferant. 556
Parmenides, 533. 295. ejus philosophia. 290.de terra opinio. 622.660.
Pars corporis cur stupescat ex innixu. 905. partium corporis fabrica, organum spiritus. 571
Partitio doctrinæ humanæ. 37
Partus acceleratio duplex.844. Octimestres, hyemales.

Passer 502
Passiones quomodo corpus afficiant, 899
Pastinacæ fastidiosè dulces indicant pestem 892
Pastoribus videndum ut greges ovium contra Austrum pascant 451
Patientiæ exempla 199
Patres longævi fuerunt 487
Patritius Venetus 89
Pauli eremitæ ætas 512
Paulus solus inter Apostolos literatus, 26
Paupertas veneranda,10. virtutis fortuna, ibid. viatori armato similis, 210
Pavo 502
pectere 538
pectus 519
pecunia nervus belli quando nervus lacertorum ingente molli deest, 238
pedes,519.eorum balneatio 547
Pediculi fructuum, 506. eorum obducendorum ratio in conservatione fructuum 496
Peditatus præcipuum robur exercitus, 239
Pegasus ex sanguine Medusæ 68
Peliæ restitutio 552
pelicanus 503
pelles 491
penetrandi ratio 568
pensa quanta quibusve ingeniis imponenda 201
Perca piscis 503
perceptio quid,119. ejus doctrina desideratur,ibid.in corporibus omnibus duplex, 922. & seq. differt à sensu, 118. & seq.
percolatio aquæ salsæ per arenas maris,753. per vasa sibi invicem superimposita, ibid. varia est pro natura corporum, per quæ transmissio fit, ibid. est species separationis, ibid. etiam facit ad dulcedinem, 754. interna & externa 819
perdices 502
peregrinatio in partes exteras, 1167. quid in ea observandum 1168
peregrinatores longævi 517
Perfecta non retroaguntur 541
perfectionis ratio ad longævitatem, 504
perforatio trunci & cunei insertio quid præstet 848
pergamena 491
Periander consultus de conservanda tyrannide 195
Peripateticorum Philosophia mala, 521.561
peritia fidicularia quorundam consiliariorum 237
Perkinus Warbeckus quis,1059.1060. fictitius Eboraci Dux, ibid. in Lusitaniam navigat,1061. in Hiberniam migrat,ibid. in Franciam proficiscitur,1062. titulo Ducis Eboracensis à Carolo Galliarum Rege salutatur, ibid. è Gallia in Flandriam tendit, ibid. à Ducissa Burgundiæ satellitium accipit,1063. in Angliam cum copiis suis navigat,1075. ejus copiæ cæduntur, & afficiuntur supplicio, ibid. in Flandriam remigat,1078. inde in Hiberniam, ibid. in Scotiam venit, & honorificè à rege excipitur, 1079. ejus in Scotiæ Procerum conspectu declaratio,ibid. Catharinam Gordonam Comitis Huntleii filiam uxorem ducit.1081. Edictum evulgat. ibid. à Rege Scotiæ pro impostore habitus in Hiberniam trajicit. 1094. ejus consiliarii, 1095. in Cornubiam trajicit, & Exoniam obsidet. 1095.196. obsidionem solvit. 1097. fugit & in Asylum se recipit. 1097.de vita sua consilium.1098. captivus Londinum ducitur. 1098. 1099 ibidem ludibrio exponitur. 1099. 1102. è custodia aufugit.1102 & carceri restituitur.1102.ejus in carcere tentatum facinus.1103. tandem capite plectitur 1104
Perpenna 514
Perpotationes. 550
Persei fabula 68.1259
Personarum respectus malus 217
Perspectiva non tractata 119
Perspicillá minuta multiplicant. 130 eorum à Galilæo inventio 378
Perspirationes præstant sudoribus. 568
Perturbatio mentis unde oriatur. 4.perturbationes torturæ 224
Perturbator familiæ possidebit ventos. 211
Perversum aliquorum de arte judiciũ.
Peruviæ indoles.516. cum Europa de clementia aëris certat. 454. ibidem venti quàm maximè in pleniluniis flant 459
Pestis quid faciat. 825. in Mauritania. 836.quos magis corripiat.651.minus invadit conversantes cum peste laborantibus.ibid. eâ laborantibus sæpè lethalis est alvi fluxus. 770. ejus amuletum ex Mercurio vivo aut arsenico,& quæ causa 960
Pestilens annus unde colligatur 905
Petrarchæ proavus 515
Petrus Hialas Hispaniæ in Angliam legatus. 1092. in Scotiam cum Faxo Henrici VII. Angliæ Regis legato proficiscitur 1093
Petrus Ramus qualis 738
Petrus Severinus 740
Phantasia & ratio differunt. 121. de ea plura ibid.
Pharmacopæus quidam ex usu ambræ centum sexaginta annos vixisse perhibetur 528
Phasiani 502
Phænomena Philosophiæ.289.Artis & Naturæ.316.obliqua quæ 445
Philippi & Alexandri diversæ belligerandi rationes 68.& seq.
Philippus Catiliæ Rex. 1117. ejus cum Ferdinando Arragoniæ Rege competentiæ. 1118. & seq. in Hispaniam solvit.1119. ad Henricum VII.equis citatis pergit.1120.ejus cum illo colloquium,ibid.ab Henrico VII.in ordinem Periscelidis cooptatur, 1121. Omen mortem ejus prænuncians. 1122
Philocratis de Demosthene dictum, 727
Philolaus,295. ejus Philosophia 520
Philosophia falsa,290. est triplex. ibid. Sophistica,290.291. Empirica,ibid. Superstitiosa, ibid. Aristotelis,287. Anaxagoræ, 290. Chymicorum, ibid.moralis est pedissequa Theologiæ,197.naturalis quæ,47.ejus partitio in fodinam & fornacem,78. in speculativam & operativam, ibid. inanis decipit, 3. quomodo hoc dictum sit intelligendum,4. est rationis opificium. 43. cur in primis authoribus viguerit.19.ejus triplex objectum & triplex radius. 74. circa animam partitio.114.& seq.Philosophiæ & scientiarum discrimen. 287 Philosophiæ abusus.190. corruptio. 291.varia signa. 296.& seq.
Philosophorum placita.88.genera.290 quorundam veterum teneritudo ad morigerandum. 190. antiquorum opus desideratur. 89
Phineas, filius Aaronis, & belli Benjamitici consiliarius. 507
Phlegma in ventriculos cerebri, mors. 556
Phocæ & porci marini. 502
Phocion ad populum; *num forte deliquit?*159. ejus dictum. 298.& seq.
Phœnix. 502
Phormionis disputationes de bellis ab Hannibale rejectæ. 194
Phryganium musca. 89
Phthisicis nocet Bareas. 451
Physica à Metaphysica distinguitur. 80 producit mechanicam.93. ejus partitio in tres doctrinas. 80. ejus studium quàm nobile, & quomodo instituendum 815
Physicæ sparsæ divisio in concretam & abstractam.80. concretæ. ibid. abstractæ 86
Physiognomia 100
Pictis Britonibus unde nomen? 536
Pictoria ars.114. comparatur Poësi. 44 memoriam rei renovat 1129
Picus de Tenariph 333.462
Pigmaleonis insania 15
Pigmenta 523.536
Pigritia in fine laboriosa 217
Pili in capite.518.in reliquis 518
Pilulæ stomachi 544
Pindarus laudat Hieronem.99. sententiosus.205.ejus ætas.
Pinguedo radicalis.541. quid? 561. in carne quomodo fiat.889. ejus causa durante animalium quorundam somno 910
Pinguia.564. durabilia.565. pinguia & oleosa.567.568.ne sollicitentur.ibid. pinguior habitus. 519. pinguium ciborum ratio.541. pinguefaciendi ratio.529.*Vide* impinguatio.
Pinus picea 334
Pinnacula etiam in maximis tranquillitatibus perpetuò versus Occidentem stant 445
Piper ciet sternutationem. 952. ejus qualitates 765
Piscatores perlarum ex usu possunt anhelitum respirare 557
Pisces uti in cibum? 549. saliti.541. terrentur tonitru.789.ex ponto Euxino inebriantur aquâ dulci.897. in aqua salsa victitantes dulcem præferunt. ibid. quomodo frigidi.910. quando significent pluviam. 927. Piscium muriæ.549.historia 502.503
Pistacia 766
Pius V. Pontifex quomodo prædixerit Christianorum adversus Turcas victoriam 963
Placita varia Philosophiæ circa cœlestia 636.& seq.
Planetarum sigilla improbantur. 523 circa planetarum conjunctiones flãt venti majores.459.Planetarum propinquitas & remotio.616. uter sit altero superior 617
Planta somniculosa 878

Plantæ

Plantę in ædes receptę quid proficiant. 842. antipathiam & sympathiam cur nō habeant. 852. ab animalibus quoad alimentationem & renovationē quomodo differant. 493. quomodo fiant medicæ. 856. quomodo degenerent & mutentur. 860. quæ melius ex insitione aut nucleo nascantur. ib. calidi cœli apud nos germinant sub extremū ver. 868. aliæ florent antequam frondescant, aliæ contra. 871. quædam cur tota hyeme vireant 872 quædam nec flores nec fructus ferūt ib. ex putrefactione nō propagantur 876. earum aculei unde. 866. cineres chymicis sal præbent. 882. Plantis quibusdam cur vita longior quam hominibus? 768
Plantagenistarum linea mascula perit. 1104
Platanus quomodo fiat fœcunda 878
Plato. 295. 533. 585. 738. vapulat. 518. ejus ætas. 509. ejus philosophia 297. 310. est ex optimis. 520. ejus superstitiot. 291. Acatalepsia. 293. peregrinatio 296. inductio. 313 dogma. 1. dictum de virtute. 157. de præceptore suo Socrate elogiū. 13. Hippiam sophistam cum Socrate disputantem pulchre introducit. 47. rhetoricam coquinariæ similem facit, sed male 157. ejus sententia nec prorsus contemnenda neq; cupidè recipiēda 102
Plebs nativorum tribus generibus constat 240
Plejadum & Hyadum exortum sequuntur imbres 474
Plenilunia quoad colores & halones eadem forte denotant, quàm ortus quartus. 474. præsagiunt magis quàm dies aliqui ab ipsis 474
Plenilunii tempore humores magis turgent. 945. ejus tempore nata majora & validiora esse ib.
Plinius, Cardanus, Albertus multa fabulosa scripserunt. 118. reprehensus. 463. historiæ naturalis optimus auctor 45
Plinius secundus Trajanum coram laudavit 195
Plumæ in aquis innatantes ventos adesse nunciant 477
Plutarchus Chæronæus 738
Plutarchus de Timoleonte 166
Plutarchus non est author libelli de primo frigido 772
Pluvia & ros unde. 759. quando fiat. 551
Podagra unde 910
poesis quid. 59. 148. duplici sensu sumitur. 59. narrativa sive heroica. ib. dramatica 60 parabolica. ibid. humanæ naturæ largitur quæ historia denegat 59. divinitatis est particeps. 60. seculis etiam rudibus & apud nationes barbaras honori fuit. ibid. ingenii est lusus. 121. vinum dæmonū. 201. 202. ejus partitio 59
poëte cygni. 54. illorum mores 230
politici literatos pedaneorum nomine elevant. 7. coram arrogantia & philautia. 12. verè politicum fieri res est difficilis 223
Politic? nō sit uni rei unicè intētus 234
Polus sophista 295
Polychrestorum Catalogus 96
Polyphemi statua 49
Polypragmosyne, res temeraria. 226.
Pompejus magnus occultior Cæsare, non melior. 231. ambitionem recondidit. ib, consul solus factus. ib, ejus memorabile dictum. 188. propter morum dissimilitudinem non potuit prestare quod Sylla. 228. Sertorii chartas non legit 210
Pondus impulsum cur validius percutiat quàm impositum. 912. ponderis diminutio quid doceat impositum. 912 ponderis diminutio quid doceat? 563
Populus Americanus. 978. bellicosus firmat regnum 238. Populorum bellicosorum catalogus. 240. Populus comparatur mari. 199. tributo oppressis nunquam bellicosus 239
Populus fert muscum & qualem 882
Procellana quid. 775. ejus confectio apud Chinenses 420
Porci marini. 503. porcinum stercus eduleat fructus 849
Porcii Catonis ætas 510
Porosa sonos parum impediunt, aliter quàm solida 811
Politura corporis frequenter varianda, cur? 548. 541. 544. 550
Possibilia quæ dicantur 43
Postulatum mathematicum 361
cum Potentibus non decertandum 210
Potestates ventorum 443
Potio adversus melancholiam ex floribus mali aurantii. 557. medica post plenilunii tempus utilis 945
Potoris semen cur sterile. 902
Potus. 541. 544. 550. ciborum vehiculum. 542. vetusti utilitas. 542. aquæ. 550. abiynthites. 544. chalybeatus. 545. dulcoratus. ib calidus. 543. potus varii. 990. medicati. 991. potus variatio respectu cibi 549
Practica ab Ethicis omissa 186
Prædia vicina & conjuncta reditus majores apparere faciunt quam distracta 167
Prædicamentorum usus 139
Prædictiones & electiones quatenus retinendæ 85
Præfecturæ non committendæ obæratis 213
Præjudicium informationis primæ vix potest eripi 215
Prælationum quorundam stultissimarum exempla 37
Prælectiones 255
Prælium Britannicū 1031. navale quantum momenti habeat 240
Præludia musicorum 256
Præmiorum & pœnarum usus in civilibus 200
Prænotio memoriæ artificialis pars prima 143
Præparatio ciborum quanti momenti. 549. ante purgationē quid prestet 771
Præstigiatores quemodo hominibus illudant aristæ avenaceæ usu 854
Prætoris album 247
Pragmatica sanctio 239
in Pratis cumuli fæni quandoque in altum feruntur absque aliquo majore venti impetu 458
Prester est tanquam fulgur cæcum. 158
Princeps mendaciis credens. 213. susurronibus & sycophantis ne credat. ib. principis iram incurrens quomodo se geret. 214. 215. Principes credulì pessimi. 213. viris obæratis præfecturam ne committant. 217. Principibus sub eruditis sæcula maximè fuerunt felicia. 28. Principum Ecclesiæ ætas, 512. Romanorum, Græcorum, Francorum, Germanorum ætates 511
Principium rerum unum. 62. Thaletis. 655. Anaximenis. 656. Heracliti. 657 Parmenidis. 660. Telesii. ibid. Empedoclis. 669. Principia rerum Cupidine admumbrata 650
Privati non ingenio, sed fine judicandi. 225
Probatio per incommodum 137
Problemata & Placita. 88. Aristotelis commendantur 88
Procellæ quæ cum nebula fiunt, diræ sunt navigantibus 458
Processus spiritus in corpore tangibili. 380
Procli Philosophia 310
Prodigos naufragia fortunarum perdunt 216
Proditiones bellarum sorores 70
Profecto in virtute quomodo faciendus 1237. & seq.
Prognostica ventorum 444. 472
Prolongatio vitæ desideratur. 110. est res laboriosa. 111. quomodo instituēda. ibid. unde exspectetur. 112. nonnunquam cum periculo valetudinis conjuncta. 524. prolongandæ vitæ intentiones tres. 490. 524. prolongare vitam, non unius medicamenti opus ib.
Prometheus 133
Promi condi 191
in Promontoriorum flexibus mutationes ventorum reperiuntur 457
Propago nihil ad vitæ diuturnitatem brevitatemve facit 516. 517
Prophetia Danielis 309
Prophylagmata in usu adversus pestem 950
Proportio symmetriæ in harmonia difficilis 784
Proportiones malorum & velorum variant 468
Prosodia 147
Protagoras. 293. 295. Protagoræ Abderite ætas 509
Proteus 47. 609
Providentia æterna & divina judicia consideranda. 235. providentia in bello ejus 70
Provisus rerum 736. & seq.
Proximitatis inter alimentum & alimentatum ratio 505
Prudentes prævident exitiū, quod virtutibus imminet, 219. advertunt ad gressus suos, stulti divertunt ad dolos. ibid. prudentium mens speculis & aquis similis 220
Prudentiæ duæ species, vera & falsa apparens. 1180. 219. Prudentia inquinata. 235. impertiendi, item suis rebus prospiciendi. 221. sermonis desideratur.
Pruna quæ dilicatiora 858. & seq.
post Pruinas atque nives non alius ferè ventus quàm Auster spirat 450
Psalmi invitant ad contemplationem operum Dei 26
Psittacus. 502. 503 Psittaci χαῖρε 123
Pubertas cur mutet vocem 797
Pudor. 533. ubi maximè afficit. 911. pudoris & timoris contagium aliquod est 955
Puella napello nutrita puellæ viva fomenta apud Persas 554
Pueri cur minus pilosi. 809. expositi quomodo ignotos parentes afficere dicantur. 954. placentis alliciendi, viri perjuriis 235
Pueruli viva fomenta Barbarossæ 554
Pugna ad Actium, item ad insulas Curiolares. 240

Pulchritudo. 1210. ejus oppositum deformitas 1210
pulices absynthia necantur 894
pulmo marinus 120.335
pulsus arteriæ. 519. Pulsus arteriarum tempus.556.lethalis,mortis præcursor 558. & seq.
Pulvis,aqua,aër,flamma, spiritus 567 menthæ quid præstet lacti 767
pulvis pyrius. 478.& seq. nautarum & militum opium.129. ejus rarefactio per flammam & dilatatio. 760. tormentarii inventio 324 592
pulveres 494.& seq.
purgantia. 537.539. ut vel hunc vel illum humorem trahant in quo consistat.764.causæ ejus rei.ibid.iis unde vellicatio & mordicatio. 764. eorum operatio quare post aliquot horas sequatur demum. 763. tetricus sapor quomodo tollatur. 757. virtus non est occulta proprietas. 763.vis ubi resideat 757
Purgationes quę ventriculum purgare non debent.523. purgationum utilitas 555
purpuræ tinctura unde 943
putatio arborum 496
putrefacta cur fæteant. 929. in iis confusio qualis 563
putrefactio 498.390.563. est species motus assimilationis absque motu locali.551. est generatio formæ novæ. 390. per eam partem potissimùm, per quam alimentum. 496. quid.824. desinit vel in plantas, vel in animantia. 875. ejus causæ. 929. quædam cur bom odoris. ib.
rutei Jacobi.261. quidam sunt in Dalmatia,& regione Cyrenaica, in quibus dejecto lapide tempestates oriuntur 455.481
pyrenæi 517
pytagoræ superstitio.291.295. peregrinatio. 296, ad Hieronem responsio. 189. de atomis opinio.715. philosophia ex optimis 520
pyxis nautica. 469

Q.

Quadrupedum historia & ætates, 499. Quadrupedes pauciores quàm aves longævæ 503
Quæ comprimunt sonum, conservant eum & augent 790. & seq.
Quædam nonnisi focum passa probi sunt alimenti 879
Quænam toto anno fructificent 870
Qualis debeat esse in quem valeat imaginatio 957
Qualitas aëris indicat qualitatem terræ.924. qualitates in vegetabilibus mutandæ debent cedere in plantæ alimentum.856. qualitates & potestates ventorum 449
Quantitas formæ essentialis.96. Quantitas cibi & potus. *Vide* Alimentum. Substantjæ in ratione conservationis & longævitatis.505. aëris major quot modis percutiatur.
Quantum.393.408.& seq.materiæ 718
Quarta in musicis tetrica 783
Quercus calida & tardè crescit. 884 fert multos fructus præter suos. 880
Quicquid serotinam reddit arborem, etiam longævam facit 870
Quid ipsum caloris est motus 348
Quid plantas constituat 880
Qui prodeunt paulò post imbres quare plerunque morbo corripiantur 923
Quies apparens.720. & seq. ad actum assimilationis 551
Quis Philosophiæ debeat esse finis 23
Quot modis sonus reddatur amplior. 792.

R.

RAbbini naturalem & moralem sensum ex ceremoniis Mosaicis eruerunt.25. eorum prædictum. 11
Radices in cibos. 542. bullosæ, fibrosæ & hirsutæ unde.878. Potadis & Bardanæ.766. Potadi quomodo grandescunt. 851. Radicibus applicita sal,fex vini,sanguis, quid præstent. 848.earum conditio. 506. in arboribus motio mala. 496. mors annua unde 847
Radii Lunares.334.Solares. 333. eorum reflexio. ibid. per specula comburunt. 126. super album dissiliunt. 130
Radix malorum in scientiis 280
Radix quomodo crassescat. 846. Oriz magis fragat quàm flos, frondes non fragrant. 939. pæoniæ amuletum Epilepsiæ & incubi,& quæ causa 959
Rami methodi quæ probentur 155
Rami humiles ferunt fructus grandiores. 845. si prohibeantur nasci quid planta gignet. 866
Ramorum amputationis utilitas. 493. Ramus idem quomodo varii coloris uvas ferat 852
Rarum & densum 660
de Ranis Æsopi fabula 161
Ratio inveniendi scientias 289
Ratio juxta verbum Dei non audienda.258. quomodo ab effectibus differat. 158.sermonis anima. 144. explorandi tempus quo deferatur sonus. 802. Rationis & disputationis usus.259.260.Rationis regimen tribus modis perturbatur. 157. humanæ in divinis usus,item excessus duplex.261.humanæ redargutio 317
Ravenstonus Maximiliano Romanorum Regi factus rebellis Hyprarum & Slusiæ castella occupat. 1041. piraticam exercet.1052. ab Anglis obsidione cingitur. 1053. iis se dedit. ibid.
Reciprocatio sex horaria fluxus & refluxus maris quomodo fiat 647. 468
Reconciliandi amicos via duplex. 218
Rectum & sui index est & obliqui. 138. Rectorum consultatio & visitatio requiritur ad literarum incrementum 41
Redintegrationes vitæ frequentes. 534
Reduxio per medios terminos duplex 138
Reflexio soni cur melius fiat versus parietes veteres 920
Refractio in sonis an detur, & quid præstet? 810
Refrigerantia. 538. 539. Refrigeratio triplex.528.570.Refrigerium per somnum. 557. ejus indigentia, mors. 556
Reges suos habent errores. 28. iis negotia cum quibus intercedant. 1170.& seq regiæ voluntates mobiles. 199. Regum corda perscrutari nefas 13
Regio nulla in qua ventus non flat.
Registra quid 51
Regnorum magnitudo quibus artibus obtinenda. 237. & seq. nempe gente bellicosa. 238. & seq. nempe gente bellicosa 238.quæ non gravetur tributis.238.239.quæ non gravetur tributis. 238.239. in qua nobiles & generosi non nimium multiplicentur. 239. numero indigenarum. ibid. agricolis, famulis, ingenuis, & artificibus non mechanicis sedentaris. 239. armorum studio, 240. justis causis arma capessendi. ibid, exercitu veterano seu milite perpetuo. ib.maris dominio.240.præmiis.241
Regnum Dei primo quærendum. 236. cœlorum quare grano sinapis comparatur,238.quid firmet.238. & seq.
Relationes 53
Religio bello non est propaganda 1144.Religionum vicissitudo
Religiosa vita quid conferat ad longævitatem 520
Remuneratio literatos fovet 39
Renovatio. Vide Reparatio, soni est, quam vulgi putant continuationem 801
Renum morbis quid conveniat 106
Reparabilia magis minusve 570
Reparatio & renovatio. 570. spiritus. 572. Vitæ.487. ejus periodi. 487 procedit per rerum appetitus. 567, subita.569.reparationis succi veteris diæta 554
Repercussio venti in hortis reperitur. 457
Repletio staturæ arboris noxia 865
Res cur videantur geminæ. 940. adversæ 1145
Resipiscentiæ feræ exempla 231
Resistit qui aliquid subito audit,& cur. 899
Respectus personarum damnatur in judice 217
Respirationis cohibitio, mors quare? 556. & seq. tempus.ibid. in animalibus.557. difficultas ex frigore quàm habeat causam 907
Responsio mollis frangit iram, 209.de responsis & consultis 255
Respublicæ tardius moventur.206. feliciter administrantur à viris eruditis 7
Retentio spiritus intendit auditum. 814
Retinendi seu custodiendi ars 142
Rex eruditus miraculum 2
Rhabarbarum 545
Rhabarbaro & similibus quomodo utendum. 764. quomodo optimè præparetur 757
Rhedæ moventes ad ventum 472
Rhetores qui longævi.533.eorum Philosophia 541
Rhetorica. (*vide etiam*, Eloquentia oratoria,) inter dialecticam & politicam ab Aristotele prudenter collocata. 158. subvertit phantasiam. 157.virtutem & bonum depingit ib. illam Plato male inter voluptuaria collocavit. 157. ejus appendices. 82. finis.157.officium. 156. & seq. Rhetorica sophismata ab Aristotele collecta.158. in tribus claudicant. ibid.

Ri-

Richardi Ducis Eboraci umbra. 1058. & seq.
Richardi Simonis sacerdotis facinus. 1009. & seqq.
Richardus Tertius, Angliæ Rex. 997. ejus parricidia & scelera. 997. prælio vincitur ab Henrico VII. ibid.
Risus effecta. 901. effectorum causæ. ibid. vix vocandus passio. ib.
Rivulorum spirituum qui fons 564
Robertus Willougbeius Eques auratus 1000
Robur scientiarum quomodo consistat. 17
Romana respublica cives profusè recipit. 239
Romanæ mulieres. 518
Romani ad tuendos socios strenui & prompti. 240. ovibus similes. 206. & seq. rebus gerēdis magis idonei. 147. eorum ætates. 508. celebres triumphi & ingentes in milites largitiones bello feliciter gesto. 241. Romani imperii incrementa attribuuntur prudentiæ sex regum. 184
Romulus civibus suis legavit rem militarem. 240
Rosa Alba in Anglia quid 999
Rosa ex allii vicinia gratior. 853. serotina optima. 842. Rosæ Damascenæ Anglis diu incognitæ. 885. serotinæ quomodo comparandæ 131
Ros unde. 759. & pluvia unde, 775. in operculis ollæ unde. 759. majalis ubi optimus. 917. radicalis. 541
Roscidatio & duritiés succorum 541
Rosmarinus sexagenarius. 492. & seq.
Rotatio corporum ab Oriente in Occidentem unde. 950
Rotunditas in aquæ guttis unde. 758
Roxolana Solymanni uxor. 1170
Rubi ætas incerta. 493. fructus scabie inficit 904
Rubigo metallorum 498
Rubor quid, & ubi conspicitur. 907. nimius. 518
Rufi magis vivaces. 518
Rugæ corporum 498
Rumor comparatur ventis 212
Ruricolæ magis secundum naturam vivunt quàm urbam. 65
Russia. 516. utitur melicrato. 934
Rusticana vita. 521
Ruta fico apposita cur melius crescat. 853

S.

SAba Stylita. 536
Saccharum inter frangendum lucet. 120. 335. ex vino eminens cur citius solvatur quàm illud in vino. 943. apud veteres quale. 934. veteribus vix cognitum. 877. Saccharatus potus. 542
Sacculus stomachi. 544. saccus furfure plenus applicandus stomacho. 768
Sæculorum decursu an animalium decurtetur ætas 516. 517
Sagæ & veneficæ quare vescantur carne humana. 739. & in Reges cur nihil possint. 948. earum confessionibus & factorum probationibus cur non habenda fides. 948. & 949
Sal. 494. nigrum. 537. communis ad cōglaciandum. 529. per se sumptus, vel incorporatus. 549. in coquinaria carnes cōdit. 129. quid in cōglaciationibus artificialibus efficiat. ib. quid in condensatione metallorum. ibid. ejus acrimonia qualis. 765. ano insertum provocat expultricem 763
Sal petræ quomodo producatur 873
Salamandræ proprietates quas habeant causas. 938
Salgazus herba qualis 882
Salinum argenteum 709
Salomones pisces 503
Salomonis aphorismi sive proverbia. 209. sapientia. 25. pronuntiatum. 324 1172. sententiæ quædam de scientia. 3. 4. 38. 91
Salomona Rex qualis 979
Saltatio octo centenariorum 515
Salvatoris nostri in terram adventus. 26. ejus verba. ibid. responsa 262
Sambucus 491
Samuel Isai filios videns 124
Sanguis, quid? 539. in ventriculos cerebri, mors. 556. venarum, arteriarum. 558. tepidus, corpori humano consubstantialis 552. ejus quantus usus in nutritione sui corporis. 506. per sanguinem herbæ & alia operantur in spiritus per circuitum. 530. Sanguinis missio. 522. copiosa profusio, mors. 558. sistendi extraordinarium medium. 553. sanguinem sistentia. 771. sanguis animantium salsus. 882. crudus carnem salsedine cur vincat. 898. aqua salsa mixtus cur tollat salsedinem 961
Sanitas quomodo tuenda 105
Santones quomodo die desponsationis sponsum incantent 943
Sapiens dominabitur astris, 222. fingit fortunam sibi. ibi. si cum stulto contendat, non inveniet requiem. 210. sapientes averrunt calamitatem. 212 eorum erroribus quamvis levissimis haud facilè ignoscitur. 212. sapientior quàm oportet 219
Sapientia habitualis à natante distincta. 220
Sarah, rationis imago 258
Saræ, unicæ fœminæ, ætas commemorata. 507
Sarsæ perillæ diæta. 554
Sassafras ligni diæta 554
Satietas terræ est morbus. 887
Saxoniæ Dux Damnum oppidum occupat 1053
Scala humani corporis 560
Scenam in vitam transferre 207
Sceptici Philosophi 125
Schaccorum ludi 260
Schematismus. 286. 300. 670. latens. 329. ejus anatomia. 329. ejus differentia. 380. Schematismi simplices. 414
Schola Democriti. 286. 287. Leucippi. 287. Zenonis, Socratis, Epicuri, Pyrrhonis & Herilli. 189. Scholarum publicarum commoda 183
Scholasticorum philosophia mala. 521 stylus tempore Lutheri. 15. Subtilitates & inanes quæstiunculæ, atque altercationes quantum literis noceant 16. 17. 18
Schotschinck 565
Scientia quid. 279. essentiæ imago. 319. vera per causas. 325. aquarum similis. 74. de conversatione optimè tractata. 208. est reminiscentia. 1. in flat. 3. non inflat. ibid. Lumen sicum. 4. omnis jucunda. ibid. pabulum animi. 122. sine charitate quid efficiat. 4. superba boni & mali lapsū peperit. 3. 24. universalis quæ 74. desideratur ibid.
Scientiarum longitudo & latitudo. 55. officium abbreviare longa itinera. 90. 91. per aphorismos sive methodum tradendarum differentia. 153
Scientiæ appetitus nimius primum peccatum. 3. dignitas in archetypo quærenda. 23. limites tres. 14. partitio in Theologiam & philosophiam. 74. scientiæ hauriuntur ex linguis eruditis. 146
Scriptio adminiculum memoriæ. 142. de scriptoribus authenticis 251
Scripturæ locus explicatus 454. interpretatio quomodo instituenda. 261. & seq.
Scylla monstrum. 17
Secretariorum imperitia. 150. ad secreta naturę referanda sumptibus opus 40
Secundina quid. 904
Secundis aut tertiis etiam licet acquiescere 234
Sedare spiritus. 530
Sedentariæ artes mechanicæ in regno alienigenis aut servis committendi. 239. 240
Seditiones. 1160. earum prognostica. ibid. materia duplex. 1161. & seq. causæ, 1162. Remedia. ibid.
Semele Jovis pellex 71
Semen optimum quale. 88. semina in cibum. 542. eorum discrimina 506
Semicardinales venti qui 444
Semidei. 27
Semper viva sponte germinans. 760
Senatores eruditi meliores aliis. 28. ingenio derisores 215
Senæ folia decocta minus statulenta. 757
Seneca 515. 533. Pædagogus Neronis per quinquennū administravit imperium. 7. quomodo Neronem instituerit 12
Senectus retardari potest. 95. cicadæ comparatione illustrata. 562. ejus diæta. 532. ejus & juventutis discrimina 560
Senex juvenum consortio juvenescit. 955. cur oculos à libro abducat. 940. Senis cujusdam diæta, edere & bibere priusquam esuriret & sitiret. 529. senum nutricatio. 766. fomenta caniculæ. 554. senile judicium, garrulitas & ostentatio. 533. Senex beneficus miraculum. 199
Senes recordatione se oblectent. 534. in iis vitiorum animi & corporis petulans comparatio cujusdam Galli. 561. & autoris seria cum juventute collatio ibid.
Sensibile fortius percutit memoriam. 143
Sensus & sensibilis uberior inquisitio. 118
Sensus propriè quid. 3. in dextro & sinistro latere cur efficax. 941. Sensus solem referunt, naturalia referant, divina occludunt. 5. Sensuum ratio quæ ad longævitatem. 519. externorum numerus quomodo augeri possit. 893
Separatio vini ab aqua per hederæ lignum. 754. per geminum vitrum. 755. & seq. quædam circa eam considerationes, & unde fiat. 756.

zentanda in muria & aquâ dulci, saccaro & aqua pura 756
Serpiæ sanguis cur ater 907
septimæ temporis 235
septimius Severus debuit aut nunquam nasci, aut nunquam mori. 236
Sepultorum revivisentium historiæ. 360
sera parsimonia in fundo est 163
seres Indiani 514
series successionum nihil ad diuturnitatem brevitatemve vitæ 516. 517
sermo familiaris. 207. ejus anima ratio 144. methodus. 151. ea duplex. 151. 152. iterum duplex. ibid. organum 144. regimen minimè prudens & politicum. 214. Sermonem marinum aquâ fluviatili abluere. 212. sermones cuncti non audiendi 210
serpentinæ carnis medicina sarcastice culpatur 523. 559. 564
serpentis scissi partes cur moveantur? 559. 564
servi non delicatè tractandi 216. per gradus promovendi. ibid. in iis quid potissimum desideretur. ibid.
servus prudens dominabitur in filium stultum 209. & seq.
Severinus Danus 89
severitas cum clementia temperanda 246
sexta in musicis retrica 783
sexus variè distinguit animantia, & quæ causæ 935
sibylla duos libros comburens 163
siccatio lenis 568
siccitatis & frigiditatis in ætate ordo. 561. insiccitatibus magnis interdum vis aquarum erumpit ex locis aridis 454
sigilla planetarum rejiciuntur 523
sigillorum practica in cera. 129. typographiæ viam ostendit ibid.
à silentio contumaci cavendum 209
simplicia cordialia. 522. stomachi. 544
simulatio. 1147. ejus commoda & incommoda 1148
singultus unde oriatur. 935. lethalis convulsionis species 558. & seq.
sitis 544
Sixtus. V Pontifex 7.
Syllogismus, 280. ex quibus constet 280
Sylvarum murmur increbrescit antequam manifesto percipiantur venti. 455
Systema andetur? 611. ejus centrum quid. 612. nexus. 614 partium systematis collocatio 616 & seq.
Societas quæ duleis senibus 534
Socratis cum sophista disceptatio 193. elogium à Platone.
Sol bonus & malus diverso respectu. 160. ejus opus. 663 motus 665 Solem Orientem plures adorant quàm Occidentem 216 est genitor ventorum præcipuus 459. sanguineus sub occasum prædicit ventos. 455. principum fortunam subit, si ventos spectes. 452. solis calor in generatione ventorum proportionatus esse debet. 480. exiguus non excitat vapores 460. prognostica de ventis nimirum, imbribus & pluviis. 473. & seq.
solenitates verborum & actorum. 244
solidum ex malaco 570
solon leges dedit optimas. 11. ejus ætas. 508. responsum Cræso de auro datum. 238
Solutio continuitatis. 567. continui juvat putrefactionem 828
somnus. 520. 531. refrigerium spirituum. 557. ordinarius qualis? 537. quid? 558. alimentationi prodest. 558. ad actum assimilationis. 551. quare maximè nutriat. 768. à prandio quibus profit. ib. post jentaculum prodest. 765. cur magis sudorem cieat. 899. nutrit, diuque sine alimento contervat. 907. somni tempus. 558 cum cibo comparatio. 532. geminæ portæ. 204. somniorum naturalium interpretatio. 100
Sonus quomodo fiat. 701. & seq. tintinnabuli & clavecymbali unde & quomodo sæpè exstinguatur 735. quomodo in instrumentis producatur. 782. post 6. aut 12. recurrit. 783. ingens reddit surdos. 789. cornu venatorii unde intendatur. 791. tetricus hebetat dentes. 792 communicatur spiritibus in poris corporis. ibid. interior & exterior. 798. imminutus per totum aërem dispergitur. ibid. ventis non turbatur. ibid. quis melior. 806. tetricus quomodo & cur dentes obtundat. 896. Soni & lucis cognatio. 748. Sympathiæ. 748. dissidia. ibid.
Soni musici qui. 782. qui non musici. ibid. conciliantes somnum. 784. generari possunt sine adjumento aëris. 790. vesperi aut nocte cur longius audiantur. 791. moventur in omnes partes. 800. conglomerati aërem rarefaciunt. 811. qui delectent, aut contra. 896. in medio confunduntur. 804. quæ causa. 805. sonos musicos qui producant. 782. sonorum cita diffusio. 814
Sophistarum nomen in rhetores antiquos rejectum 295
Sophoclis poetæ ætas. 509
Sophron in Theologia desideratur. 261
Soporifera. 526
Sorices per hyemem dormiunt. 531
spartam qui non exornant. 194
spartani. 1189. parci in cooptandis novis & civibus. 239. cives habebant bellicosos. 240. mulieres quando nupserint? 518. pueri Spartani. 1204. Imperii Spartani fabrica. 1190
Spasmus unde, & ejus medela. 959
Spatium interstellare. 623
Species oblata quomodo crescat. 911
Specilla ocularia 128
Speculum divinum & politicum. 227. fabricatum. 333. comburens. 333. 342. ex metallo quale 155
Specus Platonis 140
Speluncarum vita 523. 535
spes. 533. malorum antidotum. 162. vigilantis insomnium. 216 spe futurorum magis quàm præsentium fruitione delectamur 216
spiraculi doctrina. 115
spiræ quid sint. 635. 637. Lineæ spirales. 637. & seq. Motus spiralis. 723
Spiritus in spiritum impressio. 117. Vini expansio. 708. animalium sunt substantia aërea & flammea. 761. quid sint. 779. à tonis disponuntur. 785. animatorum quomodo differant. ibid. maximè feruntur ad partes laborantes. 902. ex affectu invalescunt, spiritum corroborantia contra quem vis morbum faciunt. 526
Spiritus prædatorius, innatus & vitalis. 487. 492. 494. 497. 499. 504. 516. 535. 562. & seq. *Vide* Calor. Spiritus aer, flamma. 572. omni corpori inest. 562. ejus origo. ibid. quid? ubi Aristotelicæ nugæ & habitualitas notantur. 562. vivus in quibus subsistat. 557. ad perpetuo generetur? 558. Spiritus spiritum gignit aut crassiora intenerat. 565. est tenuior aëre. 567. quamdiu non tumultuetur. ibid. vitalis est magnes actionum. 564. comminutus. 567. invitus quibus detineatur. 567. vitalis exitum è corpore suo exhorret. 565 nitri qualis. 529. vitalis in piscibus conclusus. 502. terræ, nitrum 529
Spiritus quæ præda? 565. vivi & flammæ differentia. 555. vivi collatio cum flamma & aëre. 558. 571. indigentiæ quænam & quot? 558. exitus seu evolatio. 498. qualis actio? 565. Spiritus emissi, detentive, operationes & processus. 535. 537. 563. calor. 566. seu temperamenti. ibid. fomites & nutrimenta. 572. Organum quodnam, & ille quodnam. 571. deprædatorii verum temperamentum. 525. reparatio. 572. termini & carceres. 567. Spiritus naturalis animalium & vegetabilium turba inter falsos philosophos. 557. mortualis desideria duo. 565
Spiritus in corpore fabri & opifices. 525. quando alterandi, nec ne? & quomodo? 534 partes rei continent & frænant. 563. mortuales aëri consubstantiales; vitales, flammæ. 565
Spirituum natura, rota suprema in humano corpore. 568. vitalium incensio, flammeæ & aëreæ naturæ mysterium, 564. spirituum actio quomodo maximè promoveatur. 960. operatio qualis? 535. solutio. 533. per quæ fiat? ibid. cohibitio & alteratio. 534. condensatio. 526. 566. motus æqualis & inæqualis. 566. copia. ibid. quomodo corrigenda. 531. sedes, & ratio ad longævitatem. 504. cella, canales, ductus, lineæ 564. motus uti frænandi? 531. oblectamenta. 534. genera, 564. discrimina 564
Spirituosa, calida 528
Spissamenta unctuosa 537
Splendor unde 835
Spongia, saccharum, quomodo humorem bibunt. 774
Spongiæ marinæ quid & unde. 897
Spontaneæ oblationes & quotidiana sacrificia. 1
Spuma maris agitata noctu coruscat. 120. 335. ventos præmonstrat. 476. Spumæ aër inest. 564. Spuma Woddesiare. 855
Spurii felices evadunt 230
Squamæ piscium noctu splendent. 335.
stans in valle optimè perlustrat montem. 174
stati venti in Europa qui. 447. noctu non flant. ibid. flant, ubicunque montes alti sunt, & nivales, ad tempus quo nives solvuntur. 447. sunt itinerarii. 462. imbecilli sunt, & ventis subitis se submittunt. 447. hyeme vix notantur ibid.
statilia fœmina annosa 514
Statuarii mos in sculpendo simulacro. 203

Statura corporis ex arte, 759. corporum an successione propaginis defluat? 516. Gigantium quare major? 535. & seq. staturæ consideratio quoad longævitatem 519
status civilis malè administrati reprehensio 309
statuta temporis leges 243
statutum explanatorium 244
stellæ cadentes, 334. ventos indicant, 455. 474. exiguæ antequam oriatur ventus non cernuntur, ib. minusculæ conspicuæ significant tempestates, 926. sunt partes sui orbis, 637. Jovis asseclæ, 639. aliæ aliis ardentiores, 661. aliæ magis, aliæ minus calidæ 340. & seq.
stercorandi ratio 873
stercoratio, 496. omnis nitrosa, 529. quando & cur optimo 886
stercoris non unum genus quod præstat cæteris 873
sternutatio cur pellat singultum, 891. unde ibid.
stipendia sumptuosa requiruntur ad literarum & scientiarum cognitionem, 40. eorum tenuitas quantum obsit literis ibid.
stipes adoptivis surculis quid præstet, 847
Stoicorum sententia de virtute, 164. Philosophia 520
stomachus ubi expellit, provocantur intestina ad expulsionem per consensum, 763. est paterfamilias, 543. ejus simplicia, 544. pilulæ, ibid. potus, ibid. unguentum, ibid. sacculus, ibid. fomentum vivum 554
Strabismus quomodo fiat 940
strangulatio 556. & seq.
struthiones 502
studia in mores abeunt 11. 202
stultitia quæ prodest, 534. cum stulto non contendendum 210
stupefactiva, narcotica, opiata 527
Sturmii opera in Ciceronem & Hermogenem 15
styli genus concisum & intemperies literarum 16
Stylitarum, seu Columnarium vita, 536
styptica 538
subditorum genera duo 1163
sublunarium & cœlestium dissimilitudo 725. & seq.
subnigri magis vivaces 518
subsidium pecuniarium in Regno Angliæ, 1034. ex eo orta seditio ibid.
subsantia astrorum, 612. 614. pneumatica in corporibus quæ, 932. cœlestium an sit heterogenea ad sublunarem 618
in subterraneis magna aëris copia, 454
subtilitas litigiosa 16
Suffolciæ Comes ex Anglia in Flandriam fugit, 1114. Philippi Castiliæ Regis & Henrici VII. de ejus traditione colloquium, 1121. stipatus custodia redit in Angliam 1121
successiones ventorum 463
successionum series, an quidquam ad diuturnitatem vitæ brevitatemque conferat 516, 517
successus felicitati, non virtuti aut industriæ tribuendi 222
succus corporis, 540. 541. à quo deprædetur, 536. *Vide* Humor. subdutus & roscidus, 568. 572. arborum varius, 884. succus uvæ, an aqua? 562. succi & caloris, in decursu ætatis, inclinatio, & ejus ordo 561
Succi fructuum aut aquei aut oleosi sunt, 880. animalium, oleum & aquam habent 564
Succinum paleas trahit 127
Sudatio in luctu unde.
Sudor hominis calidæ naturæ qualis, 754. quando cavendus ægro, 768. in balneo ex partibus sub aqua non prodit, & quare, 898. cur salsus, ibid. per lagenas quomodo provocandus, ibid. ubi sistendus aut movendus, & quare 899
Sudores, 537. 541. improbantur, 555. 568. frigidi cur sæpè natales 889
Sues ingruente vento terrentur 477
Suffitus desiccantes, 494. odori, 546. pro cerebro 547
Suffocatio 556
Suffumigatio matutina 528
Suillæ carnis in potu veterando usus, 542
Suium ætas 500
Sulcatio ventorum 443
Sulphur, 375. 631. metallorum parens, 698. chalybem facit fluere, 127. ejus, Mercurii & salis historia 484
Summus naturalis catenæ annulus solio Jovis affixus 5
de Summo bono Ethnicorum Christianis non disputandum 187
Superfœtatio in plantis unde, 866. 880
Superiora corporis cur magis sudent quàm inferiora 899
Superoneratio aëris quid? 456. unde? 572
Superstitio, 1166. & seq. ejus fuga, 1167. vulgi, terror est panicus, 66. Platonis & Pythagoræ 291
Superpellicea 523
Suræ, 519. earum retractio ad superiora, 760
Surculus trunco arboris insitus 126
Surdaster possitne instrumento juvari, 128
in susceptione caloris complures sunt gradus 474
suspendii ultronei curiositatis ergò historia 560
suspensi restituendi tempus & ratio, ibid.
suspicio & diffidentia, 20. quid? 1194
suspirium quid? 899. 990
Sycophantis Princeps ne credat 213
Sylla felix, non magnus, 192. orbis perturbator, ibid. ejus votum 230
Syllogismus 125
Symbolum præsentis ætatis 57
Symeonis Cleophæ ætas 512
Symeon Stylita anachoreta Columnaris 520. 536
sympathia veri & boni intima, 121. individuorum qualis sit, 950. in instrumentis musicis 813
sympathiæ & antipathiæ historia, 483
Syrupi quomodo clarificentur Pharmacopolis 754

T.

TAbacum cur abigat lassitudinem, 904. exsiccatum quomodo & cur pondus recuperet, 907. Anglicanum & Verginianum cur vilius, 947. quomodo emendari queat, 937. ejus propietates, 952. radix aut semen cur non sumatur 906
Tabescentium nutricatio 766
Tabula coitionis & expansionis materiæ, 694. graduum in calido, 339. tabulæ quid, 631. earum digestum, 632
Tacendi ars 205
Taciturnitas fidem conciliat 226
Taciti de Augusto judicium, 1. de Claudio, 214. de virtute sententia, 219. de Lipido judicium, 220. in Tiberio notat diversum modum loquendi, 224
Tactus magnetis 378
Tamarindi cur nunquam dulcescant, 882
Tangibilia per se frigida, 773. omni tangibili spiritus inest 562
Taprobanæ indoles 517
Tartarum in vasis vinariis 777
Taxus arbor valida & flexilis 873
Tectus quàm nudus in sole facilius cur sudet 898
Telesiul Consentinus, 89. qualis, 741. inter Neotericos Philosophus præstantissimus, 772. Parmenidis Philosophiæ instaurator, 673. ejus de luce opinio, 384. de terra, 622. 660. 663. vacuum coacervatum 1674
temperamenti calor seu spiritus 566
tempestas alba quid 476
in tempestatibus majoribus naturæ quid faciant 496
templum in Italia vocem duodecies reflectens 920
tempora, quibus incolæ regionum diutius breviusve vivunt, 516. in quibus magnis virtutibus exitium est.
tempus Authorum Author, 302. ejus filia veritas, 303. res extenuat, 760. in fructibus & liquoribus cur operetur diversimodè, 938. & fluvio simile, 21. temporis non multum insumendum 238
Tempsis, Tmoli fastigium 519
tenacitas in fusilibus, retentrix spirituum 563
Tenor media in Musica vox, quare suavissima 795
tenuia in partibus suis cujus usus? 542. mobilia 565
tepor unde fiat 336
Terceræ 516
Terella magnetis 373
Terentiæ Ciceronis ætas 510
Terra piscationis, 448. in terræ motibus venti quidam noxii & peregrini observati sunt, 445. est primum frigidum juxta Parmenidem, 495, 772. armis & ubere glebæ potens, 239. pensilis, 130. ejus globus cum universitate collatus, 34. terræ recentis odor & usus, 530. spiritus, nitrum, 529. fodiendæ cur generosum infundendum vinum? 546. præparatio ad mutationem plantarum, 862. superficies plerumque fœcundissima, 873. medicæ species quæ, & quasi efficacia, 897. omnis nitrosa, 753. non tàm benè percolat aquam ut arena, ibid. adjuta quid præstet, 842. meridiem spectans proba fit, 874. quæ proba, 886. fœcunda quæ, ibid. medica causas habet venas, 897. Nili quomodo & cur augeatur pondere, 907. ejus vis magnetica, 368. à sole distantia, 663. an stet aut rotet? 612. terræ altæ 517

Terrores panici qui 66
Tertia in musicis perfectissima 783
Testudo, pandura, clavecymbola quando edant majorem sonum, & cur, 791. diutiùs usurpata cur melior, 805
Thales oleæ vindemiam coëmit, 888. ejus olivarum monopolium.
Thalesis simplicitas 622
Thebanæ mulieres 518
Thebis nunquam ciconia visa 502
Thema universi 631
Themistoclis dictum incivile, 237. responsum, 263. verba 13
Theodoræ Imperatricis ætas 512
Theologia tribus constat partibus, 44. cunctorum laborum & peregrinationum Sabbathum, 257. hauritur ex verbo Dei, non ex natura, 259. naturalis, 76. 77. conducit ad Atheismum confutandum, ibid. non ad struendam religionem, ibid. ejus tres appendices 258
Theologica scripta innumera 262
Theoriarum Idola, 289. redargutio, 317
Theophrastus, 295. 421. Eresii ætas, 512
Theriaca, opiatum, 527. ejus usus, ibid. quare non acris 513
Thermarum artificialium compositio, desideratur 110
Thermometra minimas aëris mutationes indicat 922
Thomas Bourchierus Cantuariæ Archiepiscopus 1002
Thomas Contarenus 515
Thus & nidorosi odores dicuntur homines reddere devotos 953
Tiberii ætas, 511. mater Livia. Augusti uxor, 510. quare ludos publicos nunquam spectârit
Tigellinus metus Neronis rimatus, 226
Tigranes Armenius à Romanis, quorum vires condemnabat, profligatur 238
Timoleon homo fortunatissimus, 166. ejus res comparantur cum rebus Agesilai & Epaminondæ à Plutarcho, ibid.
Timoris aliquod contagium est 955
Timotheus Athenienſis 222
Tinca piscis 503
Tineam generant lanificia, præsertim humida 894
Tirambel 977
Tirsanus 982
Tithonus in cicadam; de senectute, 562
Titi Livii de Alexandro M. dictum, 310
Titillatio quando risum non movet, 902. cur risum moveat 912
Tmoli montis incolæ annosi 513
Tabacco seu pæti usus, 527. hyoscyami genus, 527. opiatum ibid.
Tonitrua & fulgura imitamur, 128. ejus inventor Monachus, ibid. Tonitrua & fulgura quibus ventis fiant, 452. eorum de ventis præsagium, 475
Tonorum differentiæ 785
Topicæ partitio in generalem & particularem, 133. particularis summè necessaria & fructuosa, 133. desideratur, 134
Tormenti bellici sonus quàm longè deferatur 801
Tormina in ventriculo ex purgantibus unde 764
Torpedo marina manum stupefacit, 963
Trabes hiantes 498
Traditio Lampadis desideratur, 152. methodica, 153. per aphorismos, ibid.
Traditivæ partitio & ejus organum, 144
Trajani vitæ exemplar, 203. Trajanus doctrinæ admirator ibid.
Transcendentes conditiones entium quæ sint, 76. illarum doctrina & inquisitio desideratur ibid.
Transmigratio quomodo intelligenda 562
Transmissio spiritus in quos maximè efficax 948
Transmutatio quid requirat, 861. & seq. unius in aliud 861
Tremores terræ cur rari 454
Trepidatio in sonis duplex, 801. & horror unde 909
Tres doctrinæ intemperies, 15. tres inventiones ad vitam prolongandam, 211
Tributa Belgarum excisæ vocantur: Anglorum subsidia, 239. Tributis oppressus populus bellicosus non fit, ibid.
Trifolii de tempestate præsagium. 477
Triplæ in Musica respondent affectibus 748
Tristitia 532
Triumphi, trophæa, largitiones, coronæ, tituli, privilegia in milites collata bello feliciter gesto 241
Triumphus tria complectitur bona, ibid.
Tropæi venti qui dicuntur 449
Truncus rosæ intra ædes, 841. unde gracilescat 872
Trutæ pisces 503
Tuberes vegetabilium quid 506
Tubus transversus in sclopeto 787
Tuguriolorum incolæ longævi 517
Tumor ex veneno quam habeat causam, 825. ex plagis quam habeat causam, & cur laminæ metallicæ eum prohibeant 992. & seq.
Tumores aquarum cur frequentiores? 454
Tunica Salvatoris 261
Turbines exigui frequenter fiunt, 458 interdum etiam sereno, ibid. turbinis vehementia aspersione aceti compescitur 462
Turcæ eleemosynas brutis dant, 214. palpebras denigrant ciliaq; tingunt. 906. eorum potus *Costa* qualis, 905. iis usitatæ confectiones cherbeta dictæ unde fiant, 898. quæ herbæ putentur tollere metum & corpori prodesse, 905. qualis opii usus? 526. & herbæ caphæ ibid.
Turtures 502
Tussilaginis virtus medica 867
Typhon in retibus implicatus.
Typhones majores rarò fiunt 458
Typocosmia 66
Tyrannis ingeniorum 966
Tyrannum an liceat occidere 198
Tythimalli venenati 881

V.

VAcuum in nullo cavo, 562. vavi fuga. *Vide* fuga an detur, 614. an detur coacervatum in spatiis interstellaribus, ibid. Vacuum Aaronis, 713. in regionibus ætheris 714
Valentinus Borgia è Sacerdote miles, 227
Valeriani Imperatoris ætas 511
Valerii Corvini ætas 508
Valetudinis regimen 1193
Valles 517
Vanitas vanitatum 235
Vapor carbonum conclusus cur noceat 951. ex colocynthide alvum ciet, 952 in distillando sine calore surgit, 527 venenatus mortem affert, 556. Vapores immediatè operantur in spiritus, 530. odori, 546. eorum operatio in condensandis & refrigerandis spiritibus, 528. qualis, 535. noxæ in affectus, 535. vaporum in spiritus vis, 526 via brevis, 568. 569. copia patria ventorum est, 464. in vaporibus & copia & qualitas spectanda est 460
Varia notantur imperia 34. 35
Variatio experimenti, 126. ciborum, 549. posituræ corporis 548
Varietas, alternatio potiùs quàm confusio, 567. medicamentorum ignorantiæ filia, 547. facierum & verborum 104
Varronis de stella Veneris narratio, 621
Vas cineribus repletum non recipit eandem aquæ quantitatem, 762. quę causa, ibid. vasis pulsati sonus, 790. pleni, & in lagenas diffusi liquor cur post non impleat vasa 939
Vasa in quibus esculenta reponuntur, interdum tempestates prænunciant, 477. porcellana quomodo fiant, 834
Vaticinium Sacerdotis Ægyptii de Græcis 296
Ubiquetarii venti, 466
Vegetabilia cordialia, 522. putrefacta juvant terram, 874. Vegetabilium partes aliæ magis, aliæ minus nutriunt 765
Vehicula, quæ alias imprimentia 569
Vela quomodo extendenda, 470. & seq. flante vento laterali, rigidius in adversum venti extenduntur, 469 decem impendent navibus Britannicis 467. & seq.
Velorum dispositio in vento recto quęnam felicissima, 468. & seq. longitudo in molendinis etiam facit ad motum, 472. in velis ab infra longè major est tumor, quàm in cæteris, 468
Vellejus Epicureus, 140. qualis 742
Vena frontis quando incidenda 130
Venatio *Panis* 126
Venatorum mos 200
Venefica quomodo nocere possit, 958
Venenum quomodo mortem afferat, 556. ejus suspicio unde, 763. odoribus suavibus mixtum citius nocet, 951. præsentanea ex carne & pinguedine humana, 759. Venatorum malignitas quomodo infringenda, 854
Veneris excitatio per opium, 526. ad quid? 531. usus & abstinentia, 520. 531. frequens risui nocet 892
Venetiani complures longævi 515
Venter 519
Ventus attollit aut deprimit sonos, 788.

788. nihil est aliud, nisi ipse aër motus, 479. quomodo à nube prodeat, 456
Venti anniversarii, 440. asseclæ, ibid. cardinales, 444. & semicardinales non tàm procellosi, quàm mediani, 452. extraordinarii, 441. frigidi qui, 452. generales, 340. liberi, 445. liberi magis asseclæ hyemis sunt, quàm æstatis, maximè autem autumni & veris, 447. Magni sunt inundationes aëris, 479. Martii, 494. Mediani, 444. Mediani majores, ibid. Minores, ibid. Meridionales sine pluvia cur insalubres, 953. ab Occidente spirantes, sunt vehementiores, quàm qui ab Oriente, 451. pomeridiano parcius flant, 445. Ornithii sive aviarii, qui, 447. procellosi non extenduntur per larga spatia, 462. semicardinales, 444. stati, 440. 446. stati cum asseclis non confundendi, 449. Tropæi, ibid. Vaporarii, 460. eorum causa efficiens, ibid. & altitudo, 462. Vehementes sunt tanquam inundationes 453
Venti omnis generis aërem purgant, 452. in inferiore aëre ut generentur, 456. mille modis fiunt, 453. tanquam mercatores vaporum sunt, 453. naturas suas quinque modis nanciscuntur, 452. ex nitro facti, 478. ex resolutionibus nivium quales, 460. tribus temporibus frumento & segetibus nocent, 451. sedantur quinque modis, 461. & seq. 480. spirant ex parte fomitum suorum, ibid. complures in ortu suo spirant exigui, dein progressu invalescunt, 454. ex vaporibus marinis faciliùs abeunt retrò in pluviam, 461
Ventorum conflictus. 443. differentiæ radicales, 450. generationes accidentales, 441. imitamenta, 444. qui per immistionem vaporum fiunt, causa, 479. limites, 442. particularium matrices unde petendæ, 453. motus diversi, 443. nomina, 439. 444. origines locales, 441. potestates, 443. prognostica, 444. qualitates diversæ, 441. præcisus reditus non invenitur, 447. successiones, 442. undulatio, sulcatio 443
ad Ventos confacientia, & excitantia, & sedantia ipsos 441
Ventositas in nitro 529
Ventriculi pregravatio ex qualitate aut quantitate medicamenti, 763. os claudentia, 532. oris cura 535
Ver pluviosum æstatem serenam præmonstrat 476
Vera fama à domesticis manat 226
Verba meretricia quomodo deprehendantur, 224. sunt imagines rerum, 15. verbo Dei fides habenda, etiam reluctante ratione, 258. verborum Idola, 288. splendor non damnandus 16
Vera Philosophiæ divisio 330
Verecundi vivaces 533
Veri & boni sympathia 121
Veri observantiæ limites 13
Veritas, 1140. temporis filia, ibid. veritatis inveniendæ duæ viæ 283
Vermes qui frumento nocent, 887. philomelæ in deliciis, 894. in extremis corporis partibus, ibid. in fornacibus ibid. Vernix 536
Verrucæ quomodo tollantur exemplo authoris 964
Versio corporum in pulverem, varia, 699. aëris in aquam in corpore solido, unde? 775. Verticitas ventorum unde? 464. & seq.
Verulamius Regnum administravit, 236. multos honoris gradus sustinuit, 236. regiis alloquiis diu usus, ibid. artibus, historiis & legibus incubuit ibid.
Vesica compressa quo motu resiliat, 755. vesicarum inteneratio, 497. usus 539
Vespasianus mutatus in melius, 199. ejus consuetudo 534
Vespertiliones dormiunt per hyemem, 571
Vestes nimiæ, 541. vestium mundarum & sordidarum usus, 537. perunctarum 538
Vestis Ecclesiæ versicolur 261
Vestimenta corpori attigua proximè rarò per æstatem mutanda, 768
Vetusti potus incommoda, & remedium egregium 542
Vexatio corporis externa salubris. 548
Via longa, brevis, 568. 569. perveniendi ad Astrologiam 85
Vicissitudo rerum, 1233. & seq. Religionum, 1234. in rebus bellicis, 1235
Victoria navalis 240
Victus ratio ad longævitatem, 591. ordinatio accurata ineptiæ 524
Vigilia 520
Vilior plantæ succus abit in frondes, 859
Villosa habent nonnihil teporis, 463
Viminum intineratio 497
Vindicta, 1145. vindicativi veneficarum instar ibid.
Vinea ex acinis ad radices positis, felicius crescit, 763. causa ejus rei, ibid. repit ad fulcimentum remotius, 846. ejus & brassicæ dissidium, 415. eam declinando vitat, 852. sylvestris unde 861
Vinum cupiditatis communis fomes, 72. ex pomis conficitur, 125. Hippocraticum quomodo clarificetur, 754. ustum laudatur in febribus, 717. combustum in consumptionibus corporum, 768. cum saccaro cur minus inebriet, quàm purum, 903
Vini spiritus, 127. fortis spiritûs efficacia, 495. nocent succo corporis, 768. potus, 542, 543. &c. usus quibus prosit aut noceat, & cur? 903. qualitas opiata 546
Viperæ exterius applicatæ prosunt, 959. earum trochisci quid præstent, 592
Vires externæ nihil præstant, nisi gens fortis sit 238
Virgarum inteneratio 493
Virgilius non omninò Physices imperitus fuit, 466. causarum cognitionem cum metûs profligatione copulat, 34. Augusto assignat longe optimos honores, 35. studia patriæ posthabuit, 5. ejus Georgica commendantur. notatur 516
Virginienses 536
Virgulrorum conditio 506
Viriditatis conservatio 568
Viri uxorum amantes sensisse dicuntur earum partium ex symptomate, 962
Virorum illustrium minima quæque vitia statim in oculos hominum incurrunt 252
Virtus à latente affectu vix potest distingui, 73. non curanda secundùm Machiavellum, 235. imitabilis, 166. propter seipsam eligitur, non propter auram popularem, 146. & seq. si conspiceretur, ingeates sui amores concitaret, magnetica, 377. 388. ejus præmium virtus, 235. diminutio quomodo contingat, 229. ei nulla via est invia 222
Virtutes intellectuales 1
Viscera principalia concoctionis fontes, 543. ministrantia ibid.
Viscosi & nodosi ad versandum inepti homines 231
Viscositas animi rebus gerendis damnosa 232
Visibilia quomodo se communicent, 811
Visio non fit sine luce 811
Vita. *Vide* ætas mortalium brevis, quid? 487
Vita brevis, ars longa, 90. Viæ similis, 255
Vitæ, 52. vitæ & mortis historia, 487. 488. prolongatio in quo consistat, 769. quomodo comparetur, 815. desideratur in Medicina, 110. genus eligendum ingenio congruum. Vitæ lucrum leve, 487. opus charitatis & benedictio, ibid. ei minus detractum post Servatoris ævium, quàm aliis benedictionibus, ibid. redintegrationes frequentes 534
Vitelli ovorum 767
Vitis sexagenaria 492
Vites humiles in Gallia vinum præbent, 845. hodiernæ minores sunt priscis 878
Vitium lignum Romanis Centurionibus scipiones suppeditabat, 879. durabile & tenax ibid.
Vitium sub umbra virtutis se recipit, 160. latet proximitate boni, ibid. & 229. ejus supplicium ipsum vitium 235
Vitia segetis quid arceat 887
Vitra Crystallina Veneta unde fiant, 913
Vitrum, 491. Calendare, sive graduum, 338. 350. 354. vitri Calendaris confectio, 343. & seq. in eo aër dilatatus deprimit aquam, 343. 459. in vitro pileato aër dilatatus inflat vesicam, 459. comburens 334
Viventium interiora magis nutriunt, quàm caro exterior 766
Vivificatio, generatio, 563. unde fiat, 824. in quo consistat, 930. ejus axioma est, quòd calor dilatando spiritus requiratur, 917. 946. natura quanti facienda 893
Vivis animantibus si uteremur, Paracelsus putat non posse fieri immortales 892
Ulula, 502. cur nocte videat 939
Umbra in extremo cur tremula, 942. frondibus opitulatur, 877. super album congregatur 130

Unctio

Unctio,537.539.552.555. earum alimentatio 569
Undæ maris cur inæquales ubi illud amplius 942
Undulatio ventorum quid, 443. aëris differt ab undulatione aquarum, 465
Unguendo corpus quendam trecentos annos vixisse, an verum? 523
Unguenta,520. stomachi,544. majorum qualia & quid efficiant,949. sagarum unde fiant 960
Unguenti armarii luculenta descriptio, 964
Unguentum authoris Romanum, 769
Unio corporis, 495. homogeneorum, in causis arefactionis, 551. ejus in naturalibus efficacia, 778. gradus in corporibus 815
Unitas Ecclesiæ, 1142. unitatis fructus duplex, ibid. species duæ, ibid. de unitatis gradibus in civitate Dei tractatus desideratur 261
Vocum in animantibus diversitas unde 782.783
Volatile crassiorum, præda spiritus, 565. metallorum, ab igne perit 494
Volucris cœli quis? 512. volucres cur magis vocem humanam imitentur? 807
Voluntas fallendi & facilitas credendi, finitimæ, 18. voluntariæ actiones esse debent 535
Voluptas ex coitu sextus sensus, 893. ex Venere præ alia ex cæteris sensibus cur major, ibid. ex fama, honore, &c. quam habeat causam, 966. ejus artes 187
Voluptaria floret Republica declinante 114
Vox continuè per seminotas attolli aut deprimi nequit. 783. puerorum, fœminarum, eunuchorum cur acutior? 796. quomodo formetur? 800. cur melius è regione percipiatur? 800
Urbanitas & morum commoditas quando in subsidium peti debeat, 207. vestis & animi, ibid. qualis esse debeat ibid.
Urbes munitæ quid sint absque gente forti 238
Urinatores, 113. qui, 702. usum habent retinendi anhelitus 557
Urinæ nimia profusio nocet alimento, 767. excretio nimia obest, 767
Ursa quo tempore parere dicatur, 496. quo tempore dormire incipiat, ibid. ejus ætas 499
Ursuicus ad Regem Galliæ legatus, 1024
Urticatio 548
Uteri gestatio quoad longævitatem, 504. suffocatio qui curetur
Usus & naturam & artem vincit, 123
Vulnera ne intumescant & exulcerentur, quid faciat, & quare, 889. suarum & capitum in quibusdam cur citius, in quibusdam tardius curentur, 917. ære inflicta cur facilius curentur quam ferro 918
Uvæ succus, an aqua? 562. quomodo melius conserventur 879.490
Vulpis ætas, 499. de vulpe & feli Æsopi fabula 167
Vultures 501.503
Vultus compositio quid præstet 207

W.

WArwici Comes fictitius supplicio afficitur 1103

X.

XEnophanes 295
Xenophanis Colophonii ætas, 520. Philosophia 520. & seq.
Xenophilus Pythagoricus 514
Xenophon Athenienlis, 6. 521. cum Cyro Juniore in Asiam profectus, 32. 33. Falino respondet, 79. exercitum Babylone in Græciam reduxit, ibid.

Z.

ZEmbla nova 333
Zeno 295
Zenonis Cittiei ætas 509
Zenonis, Socratis, & Epicuri scholæ, 189. Pyrrhonis & Herilli ibid.
Zephyrus, 664. ejus flatus, ibid. comes perpetui veris, 449. in Europa ventus humectans 445.451
Zizania 261
Zonæ torridæ æstus minus tolerabilis, quam sub linea, & quare 338

TABULA EXPERIMENTORUM.

CENTURIA I.

DE percolatione externa & interna, experimenta 8. pag. 753
De motu ex pressura, exper. 5. 754
De separatione corporum liquidorum expondere, exper. 3. 755
De infusionibus tàm in liquoribus, quàm aëre, exper. 7. 756
De appetitu continuationis in liquidis, exper. 1. 758
De fontibus artificialibus, exper. 1. ibid.
De venenata humanæ carnis qualitate, exper. 1. ibid.
De versione aëris in aquam, exper. 1. 759
De correctione & alteratione staturæ corporis, exper. 1. ibid.
De condensatione aëris, ut possit ponderari & nutrimentum præstare, exper. 1. 760
De commixtione flammæ & aëris, exper. 1. ibid.
De occulta natura flammæ, exper. 1. 761
De flamma in medio & lateribus, exper. 1. 762
De motu gravitatis, exper. 1 ibid.
De contractione massæ aut molis corporeæ, exper. 1. ibid.
Quomodo vineæ fœcundiores reddantur, exper. 1. 763
De varia medicamentorum purgantium operatione, exper. 9. ibid.
De cibo & potu maximè nutritivis, exper. 15. 765
De filo medicinali, exper. 1. 769
De cura ex assuetudine, exper. 1. 770
De cura ex excessu, exper. 1. ibid.
De cura ex motu per consensum, exper. 1. ibid.
De cura morborum, qui prædispositioni corporis contrarii sunt, exper. 1. 771
De præparatione ante & post purgationem, exper. 1. 771
Qui sanguis sistatur, exper. 1. 771
De mutatione alimentorum & medicamentorum, exper. 1. 772
De diæta, exper. 1. ibid.
De productione frigoris, exper. 7. ibid.
De versione & transmutatione aëris in aquam, exper. 7. 773
De induratione corporum, exper. 8
De deprædatione aëris in humorem aqueum, exper. 1. 775
De vi unionis, exper. 1. 778
De productione plumarum & pilorum varii coloris, exper. 1. ibid.
De alimento animantium antequam in lucem edantur, exper ibid.
De Sympathia & Antipathia in usum medicum, exper. 3. ibid.
De occultis naturæ processibus, exper. 1. 779
De efficacia ignis, exper. 1. 780
Quòd non detur annihilatio, exper. 1. 781

CENTURIA II.

De Musica, exper. 14. 782
De nullitate & entitate sonorum, exper. 9. 785
De productione, conservatione & dilatatione sonorum, exper. 14. 787
De magnitudine, exilitate, & extinctione sonorum, exper. 25. 790
De claritate, & submissione sonorum, exper. 3.
De communicatione sonorum, exper. 3. 794
De æqualitate & inæqualitate sonorum, exper. 9. 795
De acutioribus & gravioribus sonis, exper. 6. 796
De proportione acuti & gravis soni, exper. 4 797
De sonis interioribus & exterioribus, exper. 4. 798
De sonis articulatis, exper. 9. 798

CENTURIA III.

De motu sonorum in quacunque linea, exper. 6. 799.800
De duratione & evanescentia sonorum, exper. 5. 801
De transitu & interceptionibus sonorum, exper. 5. 802
De medio sonorum, exper. 4 803
Figuræ corporum quantum conducant edendis sonis, exper. 3. ibid. 804
De mixtura sonorum, exper. 5. 804
De melioratione sonorum, exper. 7. 805
De imitatione sonorum, exper. 6. 806
De reflexione sonorum, exper. 13. 807
De consensu & dissensu inter ea quæ visu & auditu percipiuntur, exper. 23. 818. & seq.

De

TABVLA EXPERIMENTORVM.

De sympathia & antipathia sonorum, exper.5 813
de impedimentis & subsidiis auditus, exper.4. 813.& seq.
de spiritali & tenui sonorum natura, exper.4 814
de splendidis coloribus in dissolutione metallorum,exper.1 815
de prolongatioe vitæ,exper.1 ibid.
de appetitu unionis in corporibus, exper.1 ibid.
de simili caloris & temporis operatione,exper.1 816
de diversis ignis & temporis operationibus,exper.1 ibid.
de motu ex imitatione ibid.
de morbis contagiosis,exper.1 816
de incorporatione pulverum & liquorum,exper.1 817
de exercitio corporis,ejusque commodis & noxis,exper.1 ibid.
de cibis qui satietatem inducunt,exper. 1. 818

CENTURIA IV.

De clarificatione liquorum atque ejusdem acceleratione, exper.11. 817. & 818
de maturatione ejusdemque acceleratione, nec non de mutatione potus & fructuum,exper.15 820
de confectione auri,exper.1 822
de natura auri,exper.1 824
de productione atque acceleratione putrefactionis,exper.12 824
de prohibitione & anticipatione putrefactionis,exper.11 825
de ligno lucido in obscuro,exper.1.827
de acceleratione partus,exper.1 828
de acceleratione accretionis & staturæ, exper.1 828.& seq.
de sulphure & Mercurio,exper.5 829
de Chamaleonte,exper.1 830
de ignibus subterraneis,exper.1 830
de aqua nitrosa,exper.1 ibid.
de congelatione aeris,exper.1. ibid.
de congelatione aquæ in crystallum, exper.1 ibid.
de conservatione tum coloris tum odoris in foliis rosæ,exper.1 ibid.
de continuatione flammę,exper.10.832
de infusionibus atque defossionibus variorum corporum sub terra, exper.5 834
de affectibus humani corporis ex variis ventis,exper.1 835
de morbis æstivalibus & brumalibus, exper.1 835
de tempestatibus pestiferis, exper.1. ibid.
de morbis epidemicis,exper.1 836
de conservatione liquorum in puteis & fornicibus profundis,exper.1 ibid.
de hæsitantia,exper.1 ibid.
de suavitate odoris,exper.4 839
de bonitate & delectu aquæ, exper.7 837
de calore temperato sub æquinoctiali, exper.1 838
de fusco colore in Æthiopibus, exper.1 838
de motu paucissimis à morte momentis,exper.1 839

CENTURIA V.

De accelerata germinatione, exper.12 839.& seq.
De retardatione germinationis, exper. 9. 842
de melioratione fructuum in arboribus atque plantis,exper.55. 843.& seq.
de compositione fructuum & florum, exper.3. 851
de sympathia & antipathia plantarum, exper.19 852
Qui herbæ fructusque usibus medicis aptantur,exper.2. ibid.

CENTURIA VI.

De curiositate fructuum plantarumque,exper.17 857
de degeneratione plantarum atque transmutatione unius in aliam, exper.14 860
De proceritate atque humilitate arborum, & quomodo ex artificio pumilæ redduntur,exper.5 863
de plantarum rudimentis, atque excrescentiis,aut superfętatione,exper.26 863
de productione perfectarum plantarum,sive semine,exper 11 867
de plantis peregrinis,exper.3 868
de tempestatibus quibus plantæ proveniunt,exper.6 868
de tempestatibus quibus plantæ proveniunt,exper 6 ibid.
de duratione plantarum aut arborum, exper.5 870
de variis plantarum figuris,exper.3.871
de præcipuis plantarum differentiis, exper.4 ibid.
de modo compositionis & emendatione terrarum,exper.6 872

CENTURIA VII.

De affinitatibus & differentiis plantarum & corporum anima carentium, exper.6 875
de affinitate & differentia plantarum, & animantium, & quo participent confinio,exper.3 876
Experimenta miscellanea de plantis, exper.67 877
de curatione vulnerum,exper.1 889
de pinguedine quæ per carnem diffunditur,exper.1 ibid.
de accelerata potus mutatione, exper.1 ibid.
de pilositate & plumis,exper.1 ibid.
de motus celeritate in avibus, exper. 1 890
de claritate maris,& flatu Austri,exper. 1. ibid.
de differentia caloris in igne & aqua fervida,exper.1 ibid.
de qualificatione caloris ex humore, exper.1 ibid.
de oscitatione,exper.1 891
de singultu,exper.1 ibid.
de sternutatione,exper.1 ibid.
de imbecillitate dentium,exper.1, ibid.
de lingua,exper.1 ibid.
de gustu,exper.1 ibid.
de quibusdam prognosticis pestilentialium tempestatum,exper.1 982
de specialibus simplicibus in Medicina, exper.1 ibid.
de Venere,exper.3 ibid.
de insectis aut creaturis ex putrefactione natis,exper.3 893
de cursu,exper.1 896
de voluptatibus & offensionalibus sensuum,prçcipuè auditus,exper.1. ibid.

CENTURIA VIII.

De venis terræ Mediæ,exper.1. 897
de spongiis,exper.1. ibid.
de piscibus marinis in aquum dulcem translatis,exper.1. ibid.
de attractione ex similitudine substantiæ,exper.1. ibid.
de quibusdam in Turcia potibus, exper.1. 898
de sudore,exper.6. ibid.
de cincindula,exper.1. 899
de impressionibus ex passionibus animi in corpus,exper.10. ibid.
de ebrietate,exper.4. 902
de commodo aut damno ex vino etiam modicè sumpto,exper.1. 903
de convolvulis,exper.1. ibid.
de muscis Cantharidibus,exper.1. ibid.
de lassitudine,exper.2. 904
de exuviis animalium quorundam, exper.1. ibid.
de positura corporis,exper.3. 904
de annis pestiferis,exper.1. 905
de prognosticis brumæ intensioris, exper.1. ibid.
de medicamentis quæ condensant & spiritus refocillant,exper.1. ibid.
de pictura corporum,exper.1. 906
de usu balnei & inunctionis, exper. 1. ibid.
de charta indulata,exper.1. 906
de sepiæ atramento,exper.1. 907
de incremento ponderis terræ,exper.1. ibid.
de somno,exper.3. ibid.
de dentibus & duris substantiis in corporibus animantium, exper. 11. 908.
de generatione & gestatione animantium in utero,exper.3. 910
de speciebus visibilibus, exper. 2. 911.
de impulsione & percussione, exper.3. ibid.
de titillatione,exper.1. 912
de penuria pluviæ in Ægypto, exper.1. ibid.
de clarificatione,exper.1. 913
de plantis foliis carentibus, exper.1. ibid.
de materiis vitrorum,exper.1. ibid.
de prohibitione putredinis, & longa cadaverum conservatione, exper.1. ibid.
de copia nitri in quibusdam littoribus, exper.1. 914
de corporibus quæ aquæ innatant, exper.1. ibid.
de fomite qui parum aut nihil consumit,exper.1. 915
de fomite vilis pretii,exper.1. ibid.
de venti collectione ad refrigerium,exper.1. ibid.
de aeris salubritate aut contra, exper.1. 916
de lactis incremento in lac præbentibus animantibus,exper.1. ibid.
de arena quæ vitri naturam referat, exper.1. ibid.
de Corallii germinatione,exper.1.ibid.
de mannæ collectione,exper.1. ibid.
de vini correctione,exper.1. 917
de bitumine materia ignis artificialis, exper.1. ibid.
de emplastro instar marmoris indurescente,exper.1. ibid.
de curatione quorundam ulcerum & vulnerum,exper.1. ibid.

De

De salubritate & insalubritate venti meridionalis, exper. 1. 918
De vulneribus ære & ferro inflictis, exper. 1. ibid.
De mortificatione ex frigore, exper. 1. ibid.
De pondere exper. 1. ibid.
De corporum supernatatione, exper. 1. ibid.
De volatu corporis inæqualis in aëre, exper. 1. 919
De aqua ut medium sit soni, exper. 1. ibid.
De fuga spirituum ex objectis ingratis, exper. 1. ibid.
De superreflexione Echus, exper. 1. 920
De vi imaginationis ad imitationem sensus, exper. 1. ibid.
De conservatione corporum, exper. 1. ibid.
De germinatione & multiplicatione metallorum, exper. 1. ibid.
De submersione vilioris metalli in pretiosiore, exper. 1. 921
De fixatione corporum, exper. 1. ibid.
De naturalium rerum inquietudine in se, & appetitu mutationis, exper. 1. 922.

CENTURIA IX.

De perceptione in corporibus insensibilibus, tendente ad naturalem divinationem aut subtilia experimenta, exper. 30. 921. & seq.
De causis appetitus in stomacho, exper. 1. 927
De suavi Iridis odore, exper. 1. ibid.
De fragrantia, exper. 1. 928.
De corporea odorum substantia, exper. 1. ibid.
De fœtidis & fragrantibus odoribus, exper. 1. ibid.
De causis putrefactionis, exper. 1. 929
De corporibus imperfectè mixtis, exper. 1. 930
De concoctione & cruditate, exper. 1. ibid.
De alterationibus quæ vocari possent majores, exper. 1. 931
De corporibus liquescere natis aut contra, exper. 1. ibid.
De corporibus fragilibus aut tenacibus, exper. 1. 932
De duabus pneumaticorum speciebus in corporibus, exper. 1. ibid.
De concretione & dissolutione corporum, exper. 1. ibid.
De corporibus duris & mollibus, exper. 1. ibid.
De corporibus ductilibus & tensilibus, exper. 1. 933
De variis materiæ affectionibus & characteribus corporum, exper. 1. ibid.
De induratione ex sympathia, exper. 1. 934
De melle & saccaro, exper. 1. ibid.
De puriori metallo inter viliora, exper. 1. ibid.
De cæmentis & lapicidinis, exper. 1. ib.
De alteratione colorum in pilis & plumis, exper. 1. 935
De differentia animalium quoad sexum, exper. 1. 935
De comparativa magnitudine animantium, exper. 1. 936
De producendis fructibus sine osculis, exper. 1. ibid.
De melioratione tabaci, exper. 1. ibid.
De variis caloribus eadem effecta producentibus, exper. 1. 937
De intumescentia & dilatatione in elixando, exper. 1. ibid.
De dulcoratione fructuum, exper. 1. ib.
De carne esculenta & contra, exper. 1. ibid.
De Salamandra, exper. 1. 938
De contraria operatione temporis in fructibus & liquoribus, exper. 1. ibid.
De plagis & contusionibus, exper. 1. ib.
De radice Orris, exper. 1. 939
De compressione liquorum, exper. 1. ibid.
De operatione aquæ in aërem contiguum, exper. 1. ibid.
De natura aëris, exper. 1. ibid.
De oculis & visu, exper. 7. ibid.
De colore maris & cujuscunque aquæ, exper. 1. 941
De piscibus squammatis, exper. 1. ibid.
De lævo & dextro latere, exper. 1. ibid.
De frictionibus, exper. 1. ibid.
De globis, quos distantia planos exhibet, exper. 1. 942
De umbris, exper. 1. ibid.
De undatione maris & in eo brevibus, exper 1. ibid.
De dulcoratione aquæ salsæ, exper. 1. 942
De regressu salsedinis in puteos in littoribus effossos, exper. 1. ibid.
De attractione ex similitudine substantiæ, exper. 1. 942
De attractione, exper. 1. 943
De calore subterraneo, exper. 1. ibid.
De volatu per aërem, exper. 1. ibid.
De tinctura purpuræ, exper. 1. ibid.
De maleficatione, exper. 1. ibid.
De ascensu aquæ aut pulverum, adminiculo flammæ, exper. 1. ibid.
De influentiis Lunæ, exper. 8. 944
De aceto, exper. 1. 945
De animalibus, quæ totam hiemem dormiunt, exper. 1. 945
De generatione animalium ex coitu & putrefactione, exper. 1. 946

CENTURIA X.

De transmissione & influxu immateriatarum virtutum, & vi imaginationis. De quibus tria experimenta sunt monitoria; in universum exper. 11. 947. & seq.
De emissione spirituum sub specie vaporis, aut exhalationis sub specie odoris, exper. 26. 950
De emissionibus spiritalium specierum, quæ sensus afficiunt, exper. 1. 954
De emissione immateriatæ virtutis ex animis & spiritibus hominum, sive per affectus, imaginationes, aut alias impressiones, exper. 21. ibid. & seq.
De secreta virtute sympathiæ & antipathiæ, exper. 39. 958
De occultis proprietatibus, exper. 1. 965
De generali sympathia spiritus humani, exper. 1. ibid.
De excogitato podagræ remedio. 966

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN